Digitized by Google

37
6 F
12

Quarto [illegible]
Gio: Pietro [illegible]
1683.

PETRI
GASSENDI
DINIENSIS
ECCLESIÆ PRÆPOSITI,
ET IN ACADEMIA PARISIENSI
MATHESEOS
REGII PROFESSORIS
MISCELLANEA,
VIDELICET

I. Diogenis Laërtij Liber X. cum noua Interpretatione & Notis.
II. Vita Epicuri, Peireskij, Tychonis Brahei, Copernici, Peurbachij, & Regiomontani.
III. Abacus Seſtertialis, ſeu de valore Antiquæ Monetæ ad noſtram redactæ.
IV. Romanum Calendarium compendioſè expoſitum.
V. Manuductio ad Theoriam Muſices.
VI. Notitia Eccleſiæ Dinienſis.

TOMVS QVINTVS.
CVM INDICIBVS NECESSARIIS.

LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII ANISSON,
& IOANNIS BAPTISTÆ DEVENET.

M. DC. LVIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

37 6. F. 12

INDEX
Librorum, Partium, & Capitum hoc Volumine contentorum.

LIBER Decimus Diogenis Laërtij cum noua Interpretatione. *pag.* 1
Notæ ad eundem Librum. 57
Epicuri Effata de Sapiente varia. 93
Sapientem rationis conſilio tolerare iniurias. ibid.
Non deſciſcere à Sapientia qui ſemel Sapiens fuerit. 94
Sapientem veritati hærere, neque ne Sapientiæ ponat obicem quidquam fingere. ibid.
Non fieri Sapientem ex quauis conſtitutione corporis nec naſci in qualibet gente. 96
Sapientem etiam in tormentis ingemat licet, beatum fore. ibid.
Solum Sapientem gratiam Amicis qualem oportet habiturum. 98
Nihil fore Sapienti cum muliere quâ Leges interdixerint. 99
Famulos quidem caſtigaturum, ſed ſtudioſis tamen veniam habiturum. ibid.
Neque amore captum iri, neque habiturum amorem vt quid immiſſum diuinitùs. ibid.
Non fore anxiè de ipſa ſui ſepultura ſollicitum. 101
Non incubiturum in id vt affectatis floſculis orationis rhetoricetur. ibid.
Fugiturum Venerea vt quæ nunquam proſint, ac bene ſit niſi & noceant. ibid.
Non ducturum vxorem, non ſuſcepturum liberos, niſi circumſtantia quapiam exigente. 102
Non pernoctaturum in compotatione. 103
Non ad Rempublicam acceſſurum, neque principatum geſturum niſi quid interuenerit. ibid.
Non Cynico ritu victurum, neque mendicando vitam quæſiturum. 105
Tametſi fuerit oculis captus, fore nihilominus adhuc beatæ vitæ participem. ibid.
Fieri poſſe vt mœreat, itémque vt in ius vocetur. 106
Conſcripturum quidem libros aliquos, non ſcripturum tamen nec recitaturum Panegyricas Orationes. 108
Rei familiaris curam habiturum, ſed citra diteſcendi cupiditatem tamen. ibid.
Aduerſus Fortunam ſe comparaturum. 109
Amicum non difficilem quæſiturum. ibid.
Bonæ famæ eatenus curam quatenus deſpectui non ſit habiturum. ibid.
In publicis ſpectaculis delectatum præ reliquis iri. 110
Eſſe peccata inter ſe inæqualia reputaturum. ibid.
Sanitatem vt in quibuſdam bonum, ſic in alijs vt quid indifferens agniturum. 111
Fortitudinem non quaſi naturâ, ſed quaſi rationis conſilio ingeneretur, habiturum. 112
Amicitiam ob vſus vitæ, vt dum ſpe prouentus Terra ſeritur, ſibi paraturum. ibid.
Felicitatem ſoli Deo ſummam, homini eam competere, quæ magis ac minus recipiat, exiſtimaturum. 114
Imagines ſi quas habuerit, in Porticibus alibi-ve indifferenter collocaturũ. ibid.
Eum ſolum rectè de Muſica Poëticáque verba facturum. 115
Poëmata ſiue figmenta Poëtarum ignoraturum, necdum aliqua elucubraturum. ibid.
Alium alio Sapientiorem futurum. 116
Si quid eguerit, pecuniam quidem, ſed ex ipſa ſola Sapientiæ profeſſione comparaturum. ibid.

Obſequium Principi, ſi occaſio popoſcerit exhibiturum. 117

Vbi quiſpiam ſe in meliorem frugem receperit gratulaturum. ibid.

Scholam aperturum ſed non eo vſque vt populare Auditorium fiat. 118

Scriptorum aliquid lecturum coram multitudine, ſed non vltrò tamen, neque non rogatum. ibid.

Placita rata & de quibus minimè hæreat, habiturum. ibid.

In ſomnis non alium, ob mentem bene compoſitam, quàm vigilando extiturum. 119

Mortem pro amico, occaſione poſtulante oppetiturum. ibid.

Ratæ Epicuri Sententiæ. 127

Quod beatum, æternumque eſt, id nec habet ipſum negotij quicquam, nec exhibet alteri, itaque neque irâ, neque gratiâ tenetur, quod quæ talia ſunt imbecilla ſint omnia. 128

Mors ad nos nihil pertinet, quod enim diſſolutum eſt, id eſt ſine ſenſu; quod autem ſine ſenſu eſt, id nihil omnino ad nos pertinet. 130

Voluptas ſumma ipſa eſt doloris amotio, nam vbicumque voluptas adeſt, quamdiu quidem adeſt, vbi nihil eſt, aut dolens, aut ægrum, aut vtrumque ſimul. 131

Non diu perſeuerat in corpore continens dolor, ſed ſummus quidem deſinit breui, quoniam aut ſoluit aut ſoluitur, & qui moram trahit non multos eſt dies abſque aliqua in ipſo corpore voluptate, qui verò morbi productiores ſunt, ij per internalla plus habent in corpore iucundi quàm mali. 132

Non poteſt iucundè viui, niſi ſapienter, honeſtè, iuſtéque viuatur; neque ſapienter, honeſtè, iuſtè quin viuatur ſimul iucundè, adeò proinde vt cui non contingit ſapienter, honeſtè, iuſtè viuere, illi nec iucundè viuere contingat. 134

Fuere qui vt ſecuritatem ex hominibus adipiſcerentur, ac pro conditione quidem principatus & regni, ex quibus eam vulgò comparari putant, affectauerint gloria præfulgere, illuſtreſque euadere exiſtimantes ſe hac ratione ſtatum ſecurum, tranquillumque ex hominibus paraturos. Ac ſi ſecura quidem fuit, tranquillaque ipſorum vita, ij ſunt illud ipſum, quod eſt naturæ bonum conſequuti. Niſi autem ſecura tranquillaque fuit, vt reuera eſſe vix poteſt, tum exciderunt ſanè ab eo, quod naturæ congruum nancîſci ex principatu fruſtra appetierunt. 135

Nulla voluptas eſt per ſe malum, ſed ea quæ nonnullas voluptates pariunt, eiuſmodi ſunt, vt multo ampliores voluptatibus dolores inducant. 136

Si voluptas omnis ſic poſſet in ſeipſam colligi, vt duratione complexuque perfectis, moleſtia nihil extra eam foret, foret ea collectio perinde abſoluta ac ſunt opera naturæ præcipua neque voluptates vllatenus inter ſe differrent, poſſentque idcircò indiſcriminatim optari. 137

Si ea quæ ſunt luxurioſis efficientia voluptatum liberarent eos rerum ſublimium, ac Deorum proinde, & mortis ac doloris metu, docerentque qui eſſent fines cupiditatum nihil haberem quod reprehenderem, cùm vndique complerentur voluptatibus, nec haberent vlla ex parte aliquid aut dolens, aut ægrum, id eſt malum. ibid.

Si nihil conturbaret nos quod ſuſpicamur, veremurque ex rebus ſublimibus, neque item quod ex ipſa morte, ne quando nimirum ad nos pertineat aliquid, ac noſſe præterea poſſemus qui germani fines dolorum atque cupiditatum ſint, nihil Phyſiologia indigeremus. 139

Fieri non poteſt vt metu perculſus circa res, quæ ſunt in rerum natura, vitaque præcipua, ipſo eximatur, qui qualis ſit natura rerum vniuerſitas non perſpexerit, ſed quidpiam eorum ſuſpicetur quæ iuxta fabulas traduntur, adeò proinde vt ſinceras voluptates percipere citra Phyſiologiam non liceat. 140

Nihil prodeſt ſecuritatem, quod ad homines attinet, parare, ſi ſuperſit eorum ſuſpicio, quæ aut supernè impendeant, aut inferiùs ſub terra maneant, aut vniuerſè vſquam ſint in ipſa rerum immenſitate, nam ſecuritas quidem quæ haberi poteſt ex hominibus aliquatenus ſolum eſt, ac nequicquam eſt, niſi quis ſit à ſeſe ipſo maximè ſecurus. 141

Quæ ſecuritas habetur ex tranquillitate, deuitationeque multitudinis eadem paratur per facultatem, quâ ſibi

ipſi

ipſi temperando, ex cupiditatibus quidquid neceſſarium natura non eſt detrahitur, ac per ſimpliciſſimam facilliumumque rerum neceſſariarum parabilitatem. 142

Diuitia quibus natura contenta eſt, termiaata & parabiles ſuat, earum verò qua iuxta inanes opiniones concupiſcuntur, nec modus vllus nec finis inueniri poteſt. 143

Exigua fortuaa Sapienti interuenit; maxima verò & grauiſſima rei conſilio ipſius & ratione, in vita ſerie adminiſtrantur. 144

Vir iuſtus eſt maximè omnium à perturbatione immunis; iniuſtus ex oppoſito. 145

Noa augetur in corpore voluptas detracto dolore, qui ex indigentia eius rei, quâ natura opus eſt, oritur, ſed dumtaxat variatur. ibid.

Id quod mentis finem, ſummum-ve quu in animo voluptatem peperit, ipſa fuit expunctio earum opinionum, illiſque affiuium, quibus metus maximi ipſi menti incutiebantur. 146

Ex infinito tempore ætatis non maior voluptas poteſt percipi, quàm percipiatur ex hoc quod videmus eſſe finitum, ſi quis modò illius fines recta ratione dimetiatur. ibid.

Præſcripti ſunt quidem à natura fines voluptati corporis, ſed illos temporis æterni deſiderium ipſi ademit. Saperuenit porrò Mens, quæ de corporis fine extremoque vt par fuit, ratiocinando, & ſempiterni temporis deſiderium eliminando vitam vndique perfectam conſtituit, effecitque vt ea contenti haudquaquam ipſa temporis infinitate indigeremus, quin etiam voluptate quoque fruſtrata non eſt, ne tum quidem cùm rerum mortalium conditio exceſſum è vita molitur, quippe provt optimæ vitæ perfectum atque adeò delectabilem nanciſcitur finem. 147

Qui fines in vita degenda à natura præſcriptos perſpexit, nouit quàm parabile ſit quod ad detrahendum quidquid ob indigentiam in corpore dolet, ſufficiat: nouit & ſeriem vitæ totius præclarè conſtituere, adeò vt rebus aleæ periculique plenis nullatenus egeat. 148

Oportet porrò ſibi finem, ſiue vitæ ſcopum ratum conſtantemque præfixum habere, ratione bene initâ ſecundum omnem euidentiam qua vulgò ſolemus, ſi quid opinamur, expendere: omnia quippe niſi id fiat, indiſcreta temeritatis, confuſioniſque plena euadent. ibid.

Si omnibus ſenſibus fidem adimas, ne habebis quidem, quoſcumque ipſorum falli dixeris, ad quid reuocans examen, id diiudices. 149

Si quempiam Senſuum abſolutè explodas, neque id quod eſt opinabile diſtinguas in id quod expectabile eſt, tempuſve quaſi uoadum ſit debitè perſpectum depoſcit priuſquam quale ſit pronuncietur, & ia id quod præſens, poſitum-ve coram, exploratumque eſt, ac rurſus in id quod ſecundum ſenſus, ſecundum paſſiones, affectioneſve animi, ſecundum omnem mentis intuitum, pro rerum apparentia factum, tum ſenſus quoque cæteros opinione vana ita conturbabis, vt nullum tibi Criterium, quo ſolidè quidpiam iudices ſit ſuperfuturum. ibid.

Si id omne quod heic appellatur exſpectabile, cùm opinabilia mente agitabuatur, firmiter habueris vt tale, neque leniter præterieris, quaſi conſtans & admittendum, id quod nullius euidentiæ ſuffragium habens, falſum eſt, eo caſu geres te pro eo, qui ab omni ambiguo cauet, attenditque ſollicitè quale omne iudicium ſit, quod de re opinabili, aut rectè aut perperam fertur. ibid.

Niſi qualibet occaſione vnamquamque actionum tuarum ad ipſum naturæ finem referas, ſed ad aliud quidpiam ſiue proſequendo, ſiue reſugiendo deflectas, non erunt tibi vitæ actiones propriis ſermonibus conſentaneæ. ibid.

Cupiditatum aliæ ſunt naturales & neceſſariæ, aliæ naturales nec tamen neceſſariæ, aliæ neque naturales neque neceſſariæ, ſed ex opinione inani prognatæ. 150

Quæ naturales cupiditates ad nullum dolorem licet non expleantur, deducunt, ſi vehemente cum ſtudio ſint, illæ ob vanam opinionem euadunt huiuſcemodi, ac non ex ſua ipſarum natura, qua parte nimirum naturales ſunt, ſed præ ipſa quæ in homine eſt opinionum inanitate vltra modum diffunduntur. 152

Quaecunque cupiditates ad nullum dolorem licet non expleantur, deducunt, ea neceſſaria non ſunt, ſed appetentiam continēt abſolutam temere-ve diffluentem, quando vel difficilè explebiles ſunt, vel cauſa etiam alicuius nocumenti iure reputantur. 153

Omnium rerum quas ad beatè viuendum Sapientia comparauerit nihil eſt amicitiae poſſeſſione maius, nihil vberius, nihil iucundius. ibid.

Eadem ſcientia confirmauit animum ne quod aut ſempiternum, aut diuturnum timeret malum, quae perſpexit in hoc ipſo vitae ſpatio amicitiae praeſidium eſſe firmiſſimum. 155

Ius ſiue iuſtum naturale eſt teſſera vtilitatis, ſeu ea conſpirantibus votis propoſita vtilitas, vt homines ad inuicem neque laedant, neque laedantur, atque adeò ſecurè degant, quod natura duce quiſque expetit. ibid.

Inter quaecumque Animalia conuenire non potuit vt nec laederent, nec laederentur adinuicem, nulla eſt iuſti aut iniuſti, ſeu iuris iniuria-ve ratio. Pari autem modo nulla eſſe cenſenda eſt inter eas nationes, quaecumque non potuere aut noluere vt adinuicem neque laederent, neque laederentur paciſci. 156

Iuſtitia per ſe, & quatenus quidem id quod heic eſt iuſtum, nihil eſt, ac in homine ſolitariè ſpectato reperitur nulla, ſed dumtaxat in mutuis hominum ſocietatibus pro ea cuiuſque regionis amplitudine, in qua poſſunt pacta de non inferendo, accipiendo-ve nocumento, iniri. 158

In Iuſtitia, quatenus rurſus quod heic eſt iniuſtum, illeic iuſtum eſt, non eſt aliquid ſecundum ſe malum; eſt autem malum in eo metu, quo extimulante conſcientia, ſuſpicatur quis, vereturque ne quae iniuſtè patrata ſunt, animaduerſores ſcelerum non lateant. 159

Fieri non poteſt vt qui clam violauerit aliquid iuris, pactorum-ve eo ſancitorum ne quis faciat, patiatur-ve iniuriam, ſecurus reddatur, vt facinus lateat. Scilicet quantumuis id millies impraeſentiarum occultum ſit, incertum eſt tamen an ad mortem vſque ſit, futurum occultum. 160

Vniuersè quidem Ius, ſeu quod iuſtum eſt, idem eſt apud omnes gentes, vtile nempe aliquid in ſocietate hominum mutua, verùm ſpectatis ſingulatim, tum regionibus, tum cauſis apud varias variis, euenit vt non idem ius, ſiue iuſtum ſit apud omnes. 162

Quod Experientia comprobatur, vtile eſſe ad mutuos vſus in ſocietate, communive eorum participatione, quae eſſe iuſta reputantur, illud iuſti naturam habet, ſi tale quidem ſit, vt vtilitas ad omnes attineat. Quod ſi tale quidem quis ponat, & contingat tamen vt mutuò ſociatis vtile non ſit, id tum veram iuſti naturam non habet. 163

Tametſi interdum ex eo, quod fuerit iuſtum habitum, vtilitas excidat, ſi nihilominus interdum vtilitas aliqua ſit, ac idcircò ad praenotionem, quae habetur de iuſto congruat, id pro illo quidem tempore eſt iuſtum; certè apud illos, qui ſeſe inani loquacitate non confundunt, ac res humanas generaliùs perſpiciunt. ibid.

Vbi nulla noua superueniente rerum circumſtantia, ea quae fuerant habita iuſta circa actiones hominum deprehenduntur ad praenotionem habitam de iuſto non congruere, ipſa iuſta haudquaquam ſunt, vbi verò nouatis rebus, ea quae fuerint decreta iuſta, eſſe vtilia deſierint, ea quidem illeic extitere iuſta, quanto tempore ad mutuam conciuium ſocietatem permanſere vtilia; deinceps verò ſtatim atque deſierunt eſſe vtilia, deſierunt ſimul eſſe iuſta. 164

Qui ſibi fiduciam ſecuritatemque ex rebus externis, qua optima ratione licet, comparare aggreſſus eſt, is poſſibilia quidem paruta tanquam à ſe non aliena quae ſunt, at impoſſibilia pro alienis habuit. Quin-etiam poſſibilium bene multa non attigit, ac ea omnia, quae obtinere nihil fuit neceſſe, abdicauit. ibid.

Quibuſcumque plenam fiduciam, ſecuritatemque parare ſas fuit ex ſocietate hominum pari ſententia affectúque viuentium, ij firmiſſimo freti pignore, quàm ſuauiſſimè inter ſe vixerunt, ac pleniſſima neceſſitudine iuncti, praeoptauere ſine lamentis pro illo, qui foret ad mortem deſtinatus, mortem ſubire. 165

DE VITA ET MORIBVS EPICVRI.

Epiſtola Dedicatoria ad Franciſcum Luillerium. *pag.* 169

LIBER I.

De ortu ac ſerie vitæ Epicuri.

CAP. I. Epicuri Patria, Parentes, Fratres. 173
2. Tempus natale. 174
3. Vbi pueritiam, adoleſcentiam, iuuentutem exegerit. ibid.
4. Quos Præceptores audierit. 175
5. Quando & quâ occaſione ad Philoſophiam ſe contulerit, Sectámque inſtituerit. ibid.
6. Vbi ſcholam habuerit. 176
7. Vt Amicis, & illis quidem quàm numeroſis conuixerit. 177
8. Qui præcipui illi amici, ſiue familiares, diſcipulique extiterint? 178
9. Quàm multa conſcripſerit. 179
10. Qui libri illius ſpeciatim ab Authoribus memorentur. 180

LIBER II.

De morte & ſucceſsione Epicuri.

CAP. I. QVod Teſtamentum fuerit ab Epicuro conditum. *pag.* 183
2. Quæ fuerint illius extrema. 184
3. Quo tempore obierit. 185
4. Quàm cara Sectatoribus eius memoria fuerit. ibid.
5. Quantâ conſtantiâ, conſenſionéque Scholæ ipſius ſucceſſio viguerit. 186
6. Qui ſucceſſores, Sectatoréſque Epicuri commemorentur. 187

LIBER III.

De occaſione & Authoribus quæſitæ Epicuro infamiæ.

CAP. I. NOn fuiſſe Epicurum eo faſtu, quo Zenonem Stoicum, de Sapiente ac virtute loquutum. *pag.* 192
2. Heine Zenonis, itémque Cleanthis, Chryſippi, aliorúmque Stoicorum odia & calumniæ. 193
3. Confirmatio ex Seneca; & in Epicteto etiam, aliiſque Sectæ Genius. 194
4. Aliæ Stoici odij cauſæ. 195
5. Quorſum exinde Epicuro creata, atque propagata apud vulgus infamia. 196
6. De magnis Viris in Epicurum non ex rei veritate, ſed ex vulgari opinione ſcribentibus, ac ſpeciatim de Cicerone. 197
7. De Plutarcho. ibid.
8. De Galeno. 198
9. De Sanctis Patribus, ac nominatim Clemente, Lactantio, Ambroſio. 199

LIBER IV.

De obiecta Epicuro impietate.

CAP. I. EPicurus arguitur quòd Deũ ant non prorſus, aut ſimulatè coluerit. *pag.* 200
2. Itémque quòd ſe & ſuos Sectatores io Diis haberi voluerit. ibid.
3. Declaratur vt Epicurus ceoſeri poſſit legitimè coluiſſe naturam Diuinam. 201
4. De ſuperſtitioſis ritibus ab Epicuro contemptis, & de obiecta ſimulatione. 202
5. Affectarítne honores Diuinos? 203
6. Quonam ſenſu Lucretius dixerit Epicurum Deum? ibid.
7. Quo ſenſu Epicurus ſuos quaſi Deos eſſe voluerit. 204
8. Quæ Epicuri pietas fuerit erga patriam, parentes, alios. ibid.

LIBER V.

De obiecta Epicuro malignitate.

CAP. I. ACcuſatur Epicurus ingratitudinis erga Præceptores. *pag.* 206
2. Arguitur id præ ambitione, vanitatiſque ſtudio feciſſe. 207

3. Accuſatur etiam maledicentiæ erga omneis antiquiores Philoſophos. ibid.
4. Quod vitium etiam tribuitur Sectatoribus ipſius. 208
5. Generalis eorum quæ ſunt obiecta, refutatio. 209
6. De ambitione ob quam arguitur in Præceptores fuiſſe ingratus. ibid.
7. De conuitiis in Philoſophos fuſis. 210
8. De obiecta Sectatorum dicacitate. ibid.

LIBER VI.

De obiecta Epicuro gula.

Cap. 1. Exprobratur Epicuro gula immodica. pag. 212
2. Exprobratur præſertim gula fœda & noxia. 213
3. Epicuri ſobrietas, frugalitáſque eximia probatur. ibid.
4. Soluuntur ea, quæ obiecta de gula immodica ſunt. 214
5. Satisfitque proinde iis quæ Sancti Patres attigerunt. 215
6. Reſpondetur demùm obiectis de gula fœda & noxia. 216

LIBER VII.

De obiecta Epicuro Venere.

Cap. 1. Declamatur in Epicuri Hortum, quaſi in lupanar infame. pag. 218
2. Iterum Epicuri amores & accepta ex iis damna. ibid.
3. Abactus proinde Epicurus è Philoſophorum choro. 219
4. Epicurum caſtè vixiſſe docetur. 220
5. Purgatur Epicuri Hortus ab infamia ex mulieribus. ibid.
6. Refelluntur Epicuri Amores, & damna ad ipſos relata, 222
7. Reſtituitur Epicurus in Philoſophorum chorum. 223
8. De exactis Epicureis. 225

LIBER VIII.

De obiecto Epicuro odio liberalium Diſciplinarum.

Cap. 1. Obiicitur quòd diſciplinas vniuersè oderit. pag. 226
2. Itémque ſpeciatim, quòd Grammaticam, Poëticam, &c. ibid.
3. Quòd Rhetoricam. 227
4. Quòd Dialecticam. 228
5. Quòd arteis Mathematicas. ibid.
6. Reſpondetur ad obiecta de diſciplinis vniuersè. 229
7. Ad obiecta de Grammatica. 230
8. Ad obiecta de Poëtica, &c. 231
9. Ad obiecta de Rhetorica. 232
10. Ad obiecta de Dialectica. 235
11. Ad obiecta de Mathematicis. ibid.

VITA PEIRESKII,

Cuius Rerum & Verborum Index ſub finem huius Voluminis habetur.

Epiſtola Dedicatoria ad Ludouicum Valeſium Principem. pag. 239
Liber I. 243
Liber II. 259
Liber III. 278
Liber IV. 294
Liber V. 312
Liber VI. 331
Appendix Orationem funebrem Ioannis Iacobi Buccardi Pariſini, Gabrielis Naudæi in obitum Epiſtolam continens, itémque Salmaſij & Dormalij quædam, &c. 351

VITA TYCHONIS BRAHEI,

Cuius Rerum & Verborum Index ſub finem huius Voluminis habetur.

Præfatio ad Henricum Ludouicum Habertum Mon-morium. pag. 365
Liber I. 387

Liber II. 400
Liber III. 414
Liber IV. 431
Liber V. 446
Liber VI. 462
Appendix Orationem funebrem Ioannis Ieſſenij, Epicedia in obitum, deſcriptionem Elixiris Tychonis, & reſtitutionem 1000. Inerrantium item carmina quædam inedita, &c. continens. 497

VITA COPERNICI,

Cuius Rerum & Verborum Index ſub finem huius Voluminis habetur.

PRæfatiuncula ad Ioannem Capellanum. pag. 497

VITA PEVRBACHII ET REGIOMONTANI,

Cuius Rerum & Verborum Index ſub finem huius Voluminis habetur.

PRæfatiuncula ad eundem Capellanum. pag. 517

Seſtertiorum Monetâ Gallicâ expreſſorum Abacus.

PRæfatio ad Franciſcum Bochartum Campinium. pag 533

Romanum Calendarium compendioſè expoſitum.

EPiſtola Dedicatoria ad R. Claudium Auury Conſtantienſem Præſulem. pag. 545

CAPVT PROOEMIALE.

QVid Calendarium ſit & de quo hîc ſermo. 549

PARS PRIOR.

De Origine, & Progreſſu Romani Calendarij ad Reformationem Gregorianam vſque.

CAP. 1. ROmani Calendarij inſtitutio à Romulo. pag. 550
2. Romani Calendarij reformatio à Numa Pompilio. 553
3. Alia Romani Calendarij reformatio à Iulio Cæſare. 555
4. Romani Calendarij ad Chriſtianos vſus applicatio, & celebrandi Paſchatis tempus à Nicæno Concilio præſcriptum. 564
5. Paſchalis temporis occaſione Cyclus decem-nouennalis, ſeu Numerus Aureus in Calendarium introductus. 567
6. Cuiuſmodi fuerit Aurei Numeri per Calendarium facta diſtributio. 576
7. Cuiuſmodi proinde fuerit Aurei Numeri ad Paſchatis tempus inueniendum vſus. 579

PARS POSTERIOR.

De Reformatione Romani Calendarij à Gregorio XIII. Pontifice Summo ſic adhibita, vt conſtare perpetuum poſſit.

CAP. 1. QVorſum correctum à Gregorio XIII. Calendarium, & ſubſtitutus Numero Aureo Epactarum 30. Cyclus. pag. 584
2. Quatenus prouiſum, ne Æquinoctium Vernum ſedem à Nicæno Concilio præſcriptam, hoc eſt diem Martij 21. anteuertat. 593
3. Quatenus prouiſum, vt anticipantia Nouilunia congruè ſemper indicentur beneficio Epactarum, quarum geminæ Tabulæ explicantur. 595
4. Tabellæ ex iſtis deductæ, ac aliæ etiam pro Numero Aureo, & Dominicalibus literis. 603
5. Termini citimi, vltimique Nouiluniorum, Lunæ 14. & Dominicarum Paſchalium. 606

6. De

6. De Tabula Paſchali Noua, & Perpetua, ad inuentionem Paſchatis, & reliquorum Feſtorum Mobiliorum. 608
7. De Tabula Paſchali antiqua, ſed reformata, eadémque perpetua, ad inuentionem eorundem Feſtorum. 613
8. De Tabula Feſtorum Mobilium Temporaria ab anno 1650. in annum 1750. 616

CAPVT COROLLARIVM.

DE Romano Martyrologio. *pagina* 624

Manuductio ad Theoriam ſeu partem Speculatiuam Muſicæ.

EPiſtola Dedicatoria ad Cæſarem d'Eſtrées Laudunenſem Antiſtitem. *pag.* 631
Caput Procemiale. 633
CAP. I. DE Proportionibus vniuerſè & quatenus ad Harmoniam conferunt. ibid.
2. De Conſonantiis, earúmque partibus ad ſuas proprietates relatis. 638
3. De Generibus Muſicæ. 645
4. De Tonis ſiue Modis Cantus. 654

NOTITIA ECCLESIÆ DINIENSIS.

EPiſtola Dedicatoria ad Clerum Populúmque Dinienſem. *pagina* 661

PARS PRIMA.

Qua de Ciuitate Dinienſi pauca præmittuntur.

CAP. 1. DIniæ Situs. *pag.* 663
2. Diniæ Deſcriptio. 664
3. Diniæ Ditio, ac Magiſtratus. 666
4. Ager, Commercium, Nundinæ Dinienſes. 668
5. Aquæ, ac præſertim Thermales, ſeu Balnea Dinienſia. 670
6. Aër Dinienſis, ac obiter Peſtilentia anni 1629. 672

PARS SECVNDA.

Qua deducuntur, quæ attinent ad ipſam Eccleſiam.

CAP. 7. ANtiſtites primi, à quibus Dinienſis Eccleſia fundata. 674
8. Nicaſium, qui ſolus ex Galliis, Concilio Nicæno interfuit, Dinienſem, vt vulgò creditur, non fuiſſe. 677
9. Ebredunum Metropolis, ad quam ſemper fuerit Dinienſis Eccleſia relata. 678
10. Priſcus Dinienſis Eccleſiæ ſtatus, prout elicitur ex Bullis Alexandri III. & Lucij III. ante annos propè quingentos conceſſis. 680
11. Eccleſia, ſeu Baſilica Dinienſis Primaria, cui ſacra, & cuius antiquitatis. 682
12. Dinienſis Eccleſiæ Præpoſitus, & Canonici (in quibus Archidiaconus, Sacriſta, Præcentor) ipſorúmque numerus. 684
13. Clerici, & Presbyteri cæteri deſeruientes in Eccleſia Dinienſi. 686
14. Electio ad Epiſcopatum, Præpoſituram, & Beneficia alia ad Eccleſiam Dinienſem ſpectantia. 687
15. Bona Dinienſis Eccleſiæ in Bullis recenſita, quà deinceps minuta, quà aucta. 689
16. Præbendæ, ſeu Groſſi appellati fructus tam Præpoſiti, quàm Canonicorum Dinienſium. 691
17. Diſtributiones Canonicales, & Libra ſeruientium in Eccleſia Dinienſi. 693
18. Diuini Officij, & Sacrarum Reliquiarum ex Burgo in Vrbem tranſlatio. 695
19. Eccleſia, ſeu Baſilica S. Hieronymi intra Diniæ muros, & ſuperſtes ex Officio veteri Solemnis Proceſſio. 697
20. Dinienſia Sacella, & Virorum Religioſorum Cœnobia. 700
21. Dinienſia, quæ pridem, ac iam

Fœminarum Religioſarum Monaſteria. 702
22. Cæteræ per totam Diœceſin Eccleſiæ: itémque Regiæ Decimæ. 704

PARS TERTIA.

Qua Dinienſes Epiſcopi, qui innotuere, recenſentur.

Cap. 23. Dinienſes Epiſcopi, ſed interrupta paſſim ſerie, per octingentos, nongentóſve priores annos. *pag.* 705
Qui ſine anno innotuerunt. 708
24. Dinienſes Epiſcopi ea ſerie, quæ per poſteriores annos proximè quingentos reputari continens poſſit. 709
25. Appendicis vice; Dinienſis Eccleſiæ Præpoſiti ab annis proximè quingentis. 720
Concilium Auenionenſe Anni M. CCC. XXVI. ante-hac nuſquam editum, ex Manuſcripto Codice Statutorum Eccleſiæ Dinienſis, habitum à trium Metropoleon Prouinciæ Præſulibus, Capitulorúmque & Abbatum Procuratoribus in Ciuitate Auenionenſi, ac Prioratu Sancti Rufi. 725

PETRI

PETRI GASSENDI
OPERA HVMANIORA, AC MISCELLANEA.

DIOGENIS LAERTII
LIBER DECIMVS
DE VITA, MORIBVS, PLACITISQVE EPICVRI,

CVM NOVA INTERPRETATIONE, ET NOTIS.

EPICVRVS.

Ἐπίκουρος Νεοκλέους καὶ Χαιρεστράτης, Ἀθηναῖος, τὸν δῆμον Γαργήττιος, γένους τοῦ τῶν Φιλαϊδῶν, ὥς φησι Μητρόδωρος ἐν τῷ περὶ εὐγενείας. τοῦτον φασὶν ἄλλοι τε καὶ Ἡρακλείδης ἐν τῇ Σωτίωνος ἐπιτομῇ, κληρουχησάντων Ἀθηναίων τὴν Σάμον, ἐκεῖ τραφῆναι. ὀκτωκαιδεκαέτη δ' ἐλθεῖν εἰς Ἀθήνας, Ξενοκράτους μὲν ἐν Ἀκαδημίᾳ, Ἀριστοτέλους δ' ἐν Χαλκίδι διατρίβοντος. τελευτήσαντος δ' Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος, καὶ τῶν Ἀθηναίων ἐκπεσόντων ὑπὸ Περδίκκου, μετελθεῖν εἰς Κολοφῶνα πρὸς τὸν πατέρα. χρόνον δέ τινα διατρίψαντα αὐτόθι, καὶ μαθητὰς ἀθροίσαντα, πάλιν ἐπανελθεῖν εἰς Ἀθήνας, ἐπὶ Ἀναξικράτους· καὶ μέχρι μέν τινος κατ' ἐπιμιξίαν τοῖς ἄλλοις φιλοσοφεῖν, ἔπειτα ἰδίᾳ πως τὴν ἀπ' αὐτοῦ κληθεῖσαν αἵρεσιν συστήσαντα.

Ἐφάψασθαί τε φιλοσοφίας αὐτός φησιν, ἔτη γεγονὼς τέτταρα καὶ δέκα. Ἀπολλόδωρος δ' ὁ Ἐπικούρειος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τοῦ Ἐπικούρου βίου, φησὶν ἐλθεῖν αὐτὸν ἐπὶ φιλοσοφίαν *καταγνόντα τῶν γραμματιστῶν, ἐπειδὴ μὴ ἐδυνήθησαν ἑρ-

Picvrvs Neoclis & Chæreſtratæ filius, patriâ Athenienſis, oppido Gargettius, genere Philaïdes fuit, vt Metrodorus recitat in libro de Nobilitate. Alij, quos inter eſt Heraclides in Sotionis Epitome, referunt, Athenienſibus ſortitò partitis agrum Samium, fuiſſe eum illeic educatum, ac annos natum octodecim, veniſſe Athenas, Xenocrate in Academia, Ariſtotele verò in Chalcide commorantibus. Mortuo Alexandro Macedone, & Athenienſibus ſub Perdicca proſtratis, Colophonem ſe ad patrem recepiſſe, & cùm illeic fuiſſet aliquandiu moratus, coëgiſsétque etiam Diſcipulos, rediiſſe iterùm Athenas, Archonte Anaxicrate. Fuiſſe mixtim cum cæteris aliquovſque philoſophatum, at poſtmodùm Sectam à nomine ſuo appellitatam inſtituiſſe.

Refert ipſemet occœpiſſe ſe Philoſophiæ operam dare annos natum quatuordecim; Appollodorus verò Epicureus in primo de vita Epicuri libro, acceſſiſſe eum ad Philoſophiam tradit, aſpernatum Grammaticos, poſt-

quàm interpretari ipſi, quæ de Chao apud Heſiodũ conſcripta eſſent, non potuerunt. Scribit Hermippus Ludi-Magiſtrũ fuiſſe, deinceps autem cùm incidiſſet in libros Democriti ad Philoſophiam ſe contuliſſe. Quare & Timonem, *authorem Syllorum, ſeu maledictorum in Philoſophos*, de eo dicere,

Túmque Samo, extremus Phyſicorum,
& Ludimagiſter,
Effrons, atque hominum deploratiſſimus, exit.

Philoſophati verò ſimul cum eo ſunt, & ipſiusquidem hortatu, quos fratres habuit numero tres, Neocles, Chæredemus, Ariſtobulus; vt Philodemus Epicureus in decimo de Philoſophorum Syntaxi libro author eſt; ac etiam ſeruus nomine Mus; quemadmodum in capitulis hiſtoricis Myronianus ait.

Diotimus porrò Stoïcus prauè erga ipſum affectus maligniſſimè eum traduxit, quinquaginta circumferens, tanquam authore Epicuro laſciuas planè Epiſtolas; ac illa etiam epiſtolia, quæ Chryſippo potiùs tribuuntur, Epicuro rurſus imputata, attexens. Quin-etiam pari affectu fuerunt & Poſidonius Stoïcus, & Nicolaus, & Sotion in duodecimo librorum, qui titulum præferunt Dioclearum redargutionum (ſúntque plus minùs xxiv.) & Dionyſius Halicarnaſſeus. Aiunt ſcilicet ipſum & cum matre circumeuntem ædiculas luſtratoria verba legiſſe; & cum patre exiguâ quadam mercedulâ literas docuiſſe. Fratrum quoque illius vnum lenonem egiſſe; ac ipſum Leontio meretrici conſueuiſſe. Democriti de Atomis, & Ariſtippi de Voluptate libros ſibi aſſeruiſſe. Germanum ciuem minimè fuiſſe, authore ipſo Timocrate, ac Herodoto etiam in libro de pubertate Epicuri. Fuiſſe indecorè aſſentatum Mithræ Procuratori Lyſimachi, illum Apollinem, ac Regem in Epiſtolis appellando. Conſimiliter verò Idomeneum, & Herodotum, ac Timocratem, qui ignota quædam eius opera nota fecerant, ob hoc ipſum deprædicaſſe, & adulatione proſequutũ fuiſſe.

μηνεῦσαι αὐτῷ τὰ περὶ τοῦ παρ' Ἡσιόδῳ χάους. Φησὶ δὲ Ἕρμιππος γραμματοδιδάσκαλον αὐτὸν γεγενῆσθαι· ἔπειτα μέντοι περιτυχόντα τοῖς Δημοκρίτου βιβλίοις, ἐπὶ φιλοσοφίαν ᾆξαι. διὸ καὶ τὸν Τίμωνα φάσκειν περὶ αὐτοῦ,

Ὕστατος αὖ φυσικῶν καὶ κύντατος ἐκ Σάμου ἐλθὼν,
Γραμμοδιδασκαλίδης, ἀναγωγότατος ζωόντων.

Συνεφιλοσόφουν δὲ αὐτῷ προτρεψαμένῳ καὶ οἱ ἀδελφοὶ τρεῖς ὄντες, Νεοκλῆς, Χαιρέδημος, Ἀριστόβουλος· καθά φησι Φιλόδημος ὁ Ἐπικούρειος ἐν τῷ δεκάτῳ τῆς τῶν φιλοσόφων συντάξεως. ἀλλὰ καὶ δοῦλος Μῦς ὄνομα, καθά φησι Μυρωνιανὸς ἐν τοῖς ἱστορικοῖς κεφαλαίοις.

Διότιμος δὲ ὁ Στωϊκὸς δυσμενῶς ἔχων πρὸς αὐτὸν, πικρότατα αὐτὸν διαβέβληκεν ἐπιστολὰς φέρων πεντήκοντα ἀσελγεῖς, ὡς Ἐπικούρου· καὶ τὰ εἰς Χρύσιππον ἀναφερόμενα ἐπιστόλια, ὡς Ἐπικούρου συντάξας. Ἀλλὰ καὶ οἱ περὶ Ποσειδώνιον τὸν Στωϊκὸν, καὶ Νικόλαος, καὶ Σωτίων ἐν τῷ δωδεκάτῳ τῶν ἐπιγραφομένων Διοκλείων ἐλέγχων, ὅι εἰσι περὶ κδ'. καὶ Διονύσιος ὁ Ἁλικαρνασσεύς. Καὶ γὰρ σὺν τῇ μητρὶ περιιόντα αὐτὸν τὰ οἰκίδια, καθαρμοὺς ἀναγινώσκειν· καὶ σὺν τῷ πατρὶ γράμματα διδάσκειν λυπροῦ τινος μισθαρίου. Ἀλλὰ καὶ τῶν ἀδελφῶν ἕνα προαγωγεύειν, Λεοντίῳ τε συνεῖναι τῇ ἑταίρᾳ. τὰ δὲ Δημοκρίτου περὶ τῶν ἀτόμων, καὶ Ἀριστίππου περὶ τῆς ἡδονῆς, ὡς ἴδια λέγειν. Μὴ εἶναι γνησίως ἀστὸν, ὡς Τιμοκράτης φησὶ καὶ Ἡρόδοτος ἐν τῷ περὶ Ἐπικούρου ἐφηβείας. Μιθρῆν τε αἰσχρῶς κολακεύειν τὸν Λυσιμάχου διοικητὴν, ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς Παιᾶνα καὶ ἄνακτα καλοῦντα. Ἀλλὰ καὶ Ἰδομενέα καὶ Ἡρόδοτον καὶ Τιμοκράτην, τοὺς ἔκπυστα αὐτοῦ τὰ κρύφια ποιήσαντας, ἐγκωμιάζειν καὶ κολακεύειν αὐτῷ τούτῳ.

Ἔν τε ταῖς ἐπιστολαῖς, πρὸς μὲν Λεόντιον, Παιὰν ἄναξ, φίλον Λεοντάριον, οἵου κροτοθορύβου ἡμᾶς ἐνέπλησας ἀναγνόντας σου τὸ ἐπιστόλιον; πρὸς δὲ Θεμίσταν Λεοντέως γυναῖκα· Οἷός τε, φησὶν, εἰμὶ, ἐὰν μὴ ὑμεῖς πρός με ἀφίκησθε, αὐτὸς

In ipſis autem Epiſtolis hæc *inter cetera* habuiſſe: ad Leontium quidem: ô Regem Apollinem, Leontiola, meum corculum! ecquam apud nos cum applauſu acclamationem concitaſti, Epiſtolulam legentibus tuam! ad Themiſtam verò Leontei vxorem: is ſum, qui niſi vos ad me acceſſeritis, poſſim, vel

τρικύ

περικύλισις ὅπου ἂν ὑμεῖς ὦ Θεμίστα προσκαλῆτε ὠθεῖσθαι. πρὸς δὲ Πυθοκλέα ὡραῖον ὄντα, Καθεδοῦμαι, φησὶ, προσδοκῶν τὴν ἱμερτὴν καὶ ἰσόθεον σου εἴσοδον. καὶ πάλιν πρὸς Θεμίσταν γράφων, νομίζει αὐτῇ παραινεῖν, καθά φησι Θεόδωρος, ἐν τῷ τετάρτῳ τῶν πρὸς Ἐπίκουρον. Καὶ ἄλλαις δὲ πολλαῖς ἑταίραις γράφειν. καὶ μάλιστα Λεοντίῳ, ἧς καὶ Μητρόδωρον ἐρασθῆναι. ἔν τε τῷ περὶ τέλους γράφειν οὕτως· οὐ γὰρ ἔγωγε ἔχω τί νοήσω τἀγαθὸν, ἀφαιρῶν μὲν τὰς διὰ χυλῶν ἡδονὰς, ἀφαιρῶν δὲ καὶ τὰς δι' ἀφροδισίων, ἀφαιρῶν δὲ καὶ τὰς δι' ἀκροαμάτων, ἀφαιρῶν δὲ καὶ τὰς διὰ μορφῶν κατ' ὄψιν ἡδείας κινήσεις. Ἔν τε τῇ πρὸς Πυθοκλέα ἐπιστολῇ γράφειν, Παιδείαν δὲ πᾶσαν μακάριε φεῦγε, τὸ ἀκάτιον ἀράμενος.

trinâ volutatione, quo me cumque, ô Themiſta, acceſſiueritis, impelli. Et ad Pythoclem formoſum adoleſcentem: conſicior, inquit, amabilem tuum, & quaſi cuiuſpiam numinis, aduentum opperiens. Ac rurſùs, dum ad Themiſtam ſcribit, reputare ipſum, rem eſſe non indignam, ſuaſione erga illam vti, ſicut Theodorus libro quarto aduerſùs Epicurum refert. Sed & ad plureis quoque alias meretrices eum ſcribere, maximè verò ad Leontium, quam Metrodorus quoque deperierit. In ipſo etiam de fine libro extare ab illo in hæc verba ſcriptum: Nec equidem habeo, quod intelligam bonum illud, detrahens eas voluptates, quæ ſapore percipiuntur; detrahens eas etiam, quæ complexu corporum: detrahens eas etiam, quæ auditu, & cantibus: detrahens eas etiam, quæ ex formis percipiuntur oculis, ſuaueis motiones. Itetùm autẽ in Epiſtola ad Pythoclem ſic ſcribere: Diſciplinam omnẽ, ô fortunate, velociſſimo lintre accepto, fuge.

Ἐπίκτητός τε κιναιδολόγον αὐτὸν καλεῖ, καὶ τὰ μάλιστα λοιδορεῖ. Καὶ μὴν καὶ Τιμοκράτης ἐν τοῖς ἐπιγραφομένοις Εὐφραντοῖς, (ὁ Μητροδώρου μὲν ἀδελφὸς, μαθητὴς δὲ αὐτοῦ τῆς σχολῆς ἐκφοιτήσας,) φησὶν αὐτὸν δὶς τῆς ἡμέρας ἐμεῖν ἀπὸ τρυφῆς, ἑαυτόν τε διηγεῖται μόγις ἐκφυγεῖν ἰσχῦσαι τὰς νυκτερινὰς ἐκείνας φιλοσοφίας, καὶ τὴν μυστικὴν ἐκείνην συνδιαγωγήν. Τόν τε Ἐπίκουρον πολλὰ κατὰ τὸν λόγον ἠγνοηκέναι, καὶ πολὺ μᾶλλον κατὰ τὸν βίον. Τό, τε σῶμα ἐλεεινῶς διακεῖσθαι, ὡς πολλῶν ἐτῶν μὴ δύνασθαι, οὔτε ἀπὸ τοῦ κλίνης καλθέναι, οὔτε ἀπὸ τοῦ φορείου διαναστῆναι. Μνᾶν τε ἀναλίσκειν ἡμερησίαν εἰς τὴν τράπεζαν, ὡς αὐτὸς ἐν τῇ πρὸς Λεόντιον ἐπιστολῇ γράφει, καὶ ἐν ταῖς πρὸς τοὺς ἐν Μιτυλήνῃ φιλοσόφους. Συνεῖναί τε αὐτῷ τε καὶ Μητροδώρῳ ἑταίρας τε ἄλλας, καὶ Μαρμάριον, καὶ Ἡδεῖαν, καὶ Ἐρώτιον, καὶ Νικίδιον.

Epictetus quoque tum illum Cinædologum, hoc eſt *proſtituto digna loquentem*, nuncupat, tum quam-maximè ipſi conuitiatur. Timocrates etiam Metrodori frater, & ipſius Epicuri diſcipulus, cùm receſſiſſet ab eius Schola, ſcriptum reliquit in iis libris, qui Faceti inſcripti ſunt, bis illum diebus ſingulis ab ingurgitatione vomere ſolitum; commemorátque ſe vix potuiſſe nocturnam illam Philoſophiam, arcanúmque huiuſmodi contubernium effugere. Ignoraſſe multa Epicurũ ex iis, quæ ad orationem ſpectarent; verùm longè plura ex iis, quæ ad vitam; Fuiſſe illi corpus affectum adeò miſerabiliter, vt per complureis annos neque è lecto exſcendere, neque è ſella, qua geſtabatur, aſſurgere valuerit. Solitum dietim in mẽſam minam totam impendere, vt ipſemet teſtatus eſt in epiſtola ad Leontium, & in iis etiam, quas ad Philoſophos Mitylenæ degenteis ſcripſit. Conſuetudinem habuiſſe cum ipſo, cúmque Metrodoro meretrices tum alias, tum ſpeciatim Marmarium, Hediá, Erotiũ, Nicidium.

Καὶ ἐν ταῖς ἑπτὰ καὶ τριάκοντα βίβλοις, ταῖς περὶ φύσεως, τὰ πλεῖστα ταυτὰ λέγειν, καὶ ἀντιγράφειν ἐν αὐταῖς, ἄλλοις τε, καὶ Ναυσιφάνει τὰ πλεῖστα, καὶ αὐτῇ λέξει φάσκειν οὕτως, Ἀλλ' ἴτως ἄλλος, εἶχε κἀκεῖνος, ὠδίνων τὴν ἀπὸ τοῦ στόματος καύχησιν τὴν σοφιστικὴν, καθάπερ καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν ἀνδραπόδων. Καὶ αὐτὸν Ἐπίκουρον ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς περὶ Ναυσιφάνους λέγειν, ταυτά

Illum in libris triginta ſeptem, quos de Natura compoſuit, plurima eadem repetere; plurimáque in illis, tum aduerſùs alios, tum ſpeciatim aduerſùs ipſum Nauſiphanem ſcribere, & ad verbum ita effari: Sed habuit ille, ſi quis alius, quam ore ſuo parturiret, iactationem Sophiſticam, vt & complura alia *popularis auræ* mancipia. Quin Epicurum quoque in Epiſtolis de Nauſiphane ita loqui;

hæc in eam mentis alienationem deduxere ipſum,vt & me probris inceſſeret,& ſe meum fuiſſe Magiſtrum iactaret. Pulmonem quoque, *quaſi ſenſus expers foret*, illum vocaſſe, dixiſſeque etiam illiteratum impoſtorem, cinædum. Ipſos Platonis Sectatores Dionyſocolacas, *hoc eſt Dionyſij aſſentatores*; ac ipſummet Platonem aureum, *quaſi faſtuoſum* appellitaſſe. Ariſtotelē traduxiſſe,quaſi luxu perditum,& qui voratā paternā ſubſtantiā, ſtipendia meruiſſet,& medicamina vendidiſſet. Sic Protagoram dictitaſſe Phormophorum, *ſeu Sportularium*, ac Amanuenſem Democriti; & vicanum Ludi-magiſtrum. Sic & Heraclitum Cyceten,*quaſi nimirum* turbatorem,confuſorémve,*ob omnia vt fluxa, ita confuſanea aſſerta*; *ob miſtionem illam,quā rogatus de concordia dicere,ſententiam expreſſit*; *ob affectatam denique in ſcribendo obſcuritatem*. Sic Democritum Lemocritum, *hoc eſt gramiis laborantem, ob caliginem,quam fecerit ipſe*.Sic Antidorum Sænidorum, *quaſi adblandientem donis,quæ captaret*.Sic Græciæ oſores Cyrenaïcos; & Dialecticos,*Megaricoſ-ve* innidentiſſimos. Sic Pyrrhonem denique ipſum indoctum, & ineruditum.

Verùm iſti, à quibus talia obiiciuntur,inſaninnt. Quippe quàm fuerit in hocce Viro ſuper-excellens erga omneis animi candor, & æquitas, teſtes locupletes habentur: tum Patria,quæ ipſum ſtatuis æneis condecorauit;tum Amici, quorum tanta multitudo exſtitit, vt viderentur ne poſſe quidem Ciuitatibus totis contineri;tum Diſcipuli, qui fuere omnes doctrinā illius quaſi Sirenibus detenti, excepto vno Metrodoro Stratonicenſi, qui fortè eius bonitate modum excedente veluti oppreſſus,defecit ad Carneadem;tum Scholæ ſucceſſio,quæ cæteris omnibus propemodùm deficientibus, conſtans perſeuerat,& Præfecturas diſcipulorum innumerabileis ex ordine ſtatuit; tum plena gratitudinis erga Parentes pietas, & erga ſeruos manſuetudo (quemadmodum intelligi licet vel ex ipſius teſtamento, & ex eo, quòd illi philoſophati cum ipſo ſunt, ac ille imprimis celeberrimus, qui iam eſt nominatus, Mus;) tum vt paucis dicam, promiſcua erga omneis beneuolentia.

ἤγαγεν αὐτὸν εἰς ἔκστασιν τοιαύτην ὥστε μοι λοιδορεῖσθαι, καὶ ἀποκαλεῖν ἑαυτὸν μου διδάσκαλον. Πλεύμονά τε αὐτὸν ἐκάλει, καὶ ἀγράμματον, καὶ ἀπατεῶνα, καὶ πόρνον· τούς τε περὶ Πλάτωνα Διονυσοκόλακας, καὶ αὐτὸν Πλάτωνα, χρυσοῦν· Καὶ Ἀριστοτέλην ἄσωτον, καταφαγόντα δὲ τὴν πατρῴαν οὐσίαν, στρατεύεσθαι καὶ φαρμακοπωλεῖν· φορμοφόρον τε Πρωταγόραν, καὶ γραφέα Δημοκρίτου, καὶ ἐν κώμαις γράμματα διδάσκειν· Ἡράκλειτόν τε, Κυκητήν· καὶ Δημόκριτον, Λημόκριτον· καὶ Ἀντίδωρον, Σαννίδωρον· τούς τε Κυρηναϊκοὺς, ἐχθροὺς τῆς Ἑλλάδος, καὶ Διαλεκτικοὺς πολυφθόρους. Πύρρωνα δὲ, ἀμαθῆ καὶ ἀπαίδευτον.

Μεμήνασι δ' οὗτοι. Τῷ γὰρ ἀνδρὶ μάρτυρες ἱκανοὶ εἰσὶ τῆς ἀνυπερβλήτου πρὸς πάντας εὐγνωμοσύνης, ἥ τε πατρὶς χαλκαῖς εἰκόσι τιμήσασα. οἵ τε φίλοι, τοσοῦτοι τὸ πλῆθος ὡς μηδ' ἂν πόλεσιν ὅλαις μετρεῖσθαι δύνασθαι. οἵ τε γνώριμοι πάντες, ταῖς δογματικαῖς αὐτοῦ σειρῆσι προσκατασχεθέντες, πλὴν Μητροδώρου τοῦ Στρατονικέως πρὸς Καρνεάδην ἀποχωρήσαντος, τάχα βαρυνθέντος ταῖς ἀνυπερβλήτοις αὐτοῦ χρηστότησιν· ἥ τε διαδοχὴ, πασῶν σχεδὸν ἐκλιπουσῶν τῶν ἄλλων, ἐσαεὶ διαμένουσα, καὶ ἀναρίθμους ἀρχὰς ἀποδιδοῦσα ἄλλην ἐξ ἄλλης τῶν γνωρίμων· ἥ τε πρὸς τοὺς γονέας εὐχαριστία, καὶ ἡ πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς εὐποιία, πρός τε τοὺς οἰκέτας ἡμερότης, ὡς δῆλον κἀκ τῶν διαθηκῶν αὐτοῦ· καὶ ὅτι αὐτοὶ συνεφιλοσόφουν αὐτῷ, ὧν ἦν ἐνδοξότατος ὁ προειρημένος Μῦς. καθόλου δὲ ἡ πρὸς πάντας αὐτοῦ φιλανθρωπία.

Τῆς μὲν γὰρ πρὸς θεοὺς ὁσιότητος καὶ πρὸς πατρίδα φιλίας ἄλεκτος ἡ διάθεσις. ὑπερβολῇ γὰρ ἐπιεικείας, οὐδὲ πολιτείας ἥψατο· καὶ χαλεπωτάτων δὲ καιρῶν κατασχόντων τηνικάδε τὴν Ἑλλάδα, αὐτόθι καταβιῶναι, δὶς ἢ καὶ τρὶς εἰς τοὺς περὶ τὴν Ἰωνίαν τόπους διαδραμόντα πρὸς τοὺς φίλους, οἳ καὶ πανταχόθεν πρὸς αὐτὸν

Nam ſanctitatis quidem in Deos, & charitatis in Patriam fuit in eo affectus ineffabilis Siquidem præ ſumma modeſtia ne acceſſit quidē ad Rempublicam; & cùm tempora difficillima Græciam tum vexarint,in ea tamen vitā tranſegit; niſi quod bis, aut ter dumtaxat in Ioniæ oram excurrit, inuiſurus amicos, qui

ἀφικνοῦντο,

ἀφικνοῦντο, καὶ συνεβίουν αὐτῷ ἐν τῷ κήπῳ, καθά φησι καὶ Ἀπολλόδωρος, ὃν καὶ ὀγδοήκοντα μνῶν πρίασθαι.

Διοκλῆς δὲ ἐν τῇ τρίτῃ τῆς ἐπιδρομῆς φησὶν εὐτελέστατα καὶ λιτότατα διαιτωμένους. κοτύλῃ γοῦν, φησὶν, οἰνιδίου ἠρκοῦντο· τὸ δὲ πᾶν ὕδωρ ἦν αὐτοῖς ποτόν. τόν τε Ἐπίκουρον μὴ ἀξιοῦν εἰς τὸ κοινὸν κατατίθεσθαι τὰς οὐσίας, καθάπερ τὸν Πυθαγόραν, κοινὰ τὰ τῶν φίλων λέγοντα. ἀπιστούντων γὰρ εἶναι τὸ τοιοῦτον· εἰ δ' ἀπίστων, οὐδὲ φίλων. Αὐτός τέ φησιν ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς, ὕδατι μόνον ἀρκεῖσθαι, καὶ ἄρτῳ λιτῷ. Καὶ, Πέμψον μοι τυροῦ (φησὶ) Κυθνηδίου, ἵν' ὅταν βούλωμαι πολυτελεύσασθαι, δύνωμαι. τοιοῦτος ἦν ὁ τὴν ἡδονὴν εἶναι τέλος δογματίζων. ὃν καὶ Ἀθήναιος δι' ἐπιγράμματος οὕτως ὑμνεῖ·

Ἄνθρωποι μοχθεῖτε τὶ χείρονα καὶ διὰ κέρδος
Ἄπληστοι, νεικέων ἄρχεσθε καὶ πολέμων;
Τᾶς φύσιος δ' ὁ πλοῦτος ὅρον τινὰ βαιὸν ἐπίσχει·
Αἱ δὲ κεναὶ κρίσιες, τὰν ἀπέραντον ὁδόν.
Τοῦτο Νεοκλῆος πινυτὸν τέκος, ἢ παρὰ Μουσῶν
Ἔκλυεν, ἢ Πυθοῦς ἐξ ἱερῶν τριπόδων.

Εἰσόμεθα δὲ καὶ μᾶλλον προϊόντες, ἔκ τε τῶν δογμάτων ἔκ τε τῶν ῥημάτων αὐτοῦ. μάλιστα δὲ ἀπεδέχετο (φησὶ Διοκλῆς) τὸν ἀρχαῖον Ἀναξαγόραν, καίτοι ἔν τισιν ἀντειρηκὼς αὐτῷ, καὶ Ἀρχέλαον τὸν Σωκράτους διδάσκαλον. Ἐγύμναζε δὲ (φησὶ) τοὺς γνωρίμους, διὰ μνήμης ἔχειν τὰ ἑαυτοῦ συγγράμματα. τοῦτον Ἀπολλόδωρος ἐν χρονικοῖς Λυσιφάνους ἀκοῦσαί φησι καὶ Πραξιφάνους· αὐτὸς δὲ οὔ φησιν, ἀλλ' ἑαυτοῦ, ἐν τῇ πρὸς Εὐρύδικον ἐπιστολῇ. Ἀλλ' οὐδὲ Λεύκιππόν τινα γεγενῆσθαί φησι φιλόσοφον, οὔτ' αὐτὸς, οὔθ' Ἕρμαχος. ὃν ἔνιοί φασι, καὶ Ἀπολλόδωρος ὁ Ἐπικούρειος, διδάσκαλον Δημοκρίτου γεγενῆσθαι. Δημήτριος δέ φησιν ὁ Μάγνης, καὶ Ξενοκράτους αὐτὸν ἀκοῦσαι.

Κέχρηται δὲ λέξει κυρίᾳ κατὰ τῶν πραγμάτων, ἣν, ὅτι ἰδιωτάτη ἐστὶν, Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικὸς αἰτιᾶται. σαφὴς δ' ἦν

aliũde ad ipſum vndique cõfluebant, cúmque eo viuebant, vt Appollodorus narrat, in eo Horto, quem pretio minarum octoginta coëmerat.

Memorat verò Diocles in tertio de Incurſione libro, fuiſſe eos frugaliſſimo, tenuiſſimóque victu vſos (nam & erant, inquit, vinuli heminâ contenti, & vniuersè aqua ipſis potus erat) additque non cenſuiſſe Epicurum deponendas eſſe in commune opes, quemadmodum Pythagoram, omnia Amicorum cõmunia dicentem: quippe hoc eſſe diffidentiũ (*ne non ſint nempe futuræ omnium ſatis conſtantes voluntates,*) qui porrò diffidant, eos non eſſe amicos. Ipſe autem in epiſtolis aquam ſibi ſolam cum cibario pane ſufficere ſcribit; &, mitte ad me, inquit, caſei Cytheridij aliquantulum; vt cùm paulò ſplendidiùs epulari voluero, poſſim. Huiuſcemodi ergo ille fuit qui Bonorum finem Voluptatem eſſe decreuit; quémque idcirco Athenæus Epigrammate ſuo ſic laudauit:

Quid praua oppetitis, Mortales, immodicúmque
Ob lucrum, rixas, præliáq; appetitis?
Præſcripſit Natura opibus finémque, modúmque;
Vani at opinatus fine, modóq; caret.
Hocce Neoclidem ſapientem dogma Camœnæ,
Aut Phœbi Tripodes edocuere ſacri.

Sed longius procedentibus licebit hoc meliùs intelligere ex Dogmatibus, verbiſque ipſius. Amplexabatur autem præſertim, inquit Diocles, antiquum Anaxagoram, tametſi illi in quibuſdã repugnaret capitibus, itémque Archelaum Socratis magiſtrum. Diſcipulos verò, inquit, in eo exercebat, vt ea, quæ eſſent à ſe conſcripta, memoriâ tenerent. Appollodorus in Chronicis ſcribit eum fuiſſe Lyſiphanis, & Praxiphanis auditorem; ipſe verò in Epiſtolis ad Eurydicum, non id habet, ſed ſe ſui ipſius extitiſſe auditorem ait. Quin-etiam neque ipſe, neque Hermachus memorant fuiſſe aliquem Philoſophum nomine Leucippum; quem tamen cùm alij, tum ipſe Apollodorus Epicureus præceptorem fuiſſe Democriti narrant. Demetrius autem Magneſius auditum ab eo Xenocratem tradit.

Dictione porrò vſus eſt pro conditione rerum propriâ; ipsámque ideò reprehendit Ariſtophanes Grammaticus, quòd nimiùm familiaris foret. Adeò

interim dilucidus fuit, *perſpicuitatiſque orationis amans*, vt in ſuo de arte Rhetorica libro nihil aliud ex ea eſſe exigendum cenſuerit, quàm vt traderet perſpicuitatis leges. In Epiſtolis vice earum vocum, ſaluere, bene agere, etiam aliquando, proſperè, ſuauiter degere, honeſtè viuere iubet. Non deſunt verò, qui in libris de Epicuri vita, perhibeant librum, cui titulus eſt, Canon, *hoc eſt Regula*, fuiſſe ab eo deſcriptum ex libro Tripode inſcripto ipſius Nauſiphanis, quem perhibent etiam ab ipſo auditum; quemadmodum & Pamphilum Platonicum in Inſula Samo; addúntque cœpiſſe eum philoſophari annos natum duodecim, & Scholæ præfuiſſe annos natum triginta duos.

Natus porrò eſt, inquit Apollodorus in Chronicis, centeſimæ nonæ Olympiadis anno tertio; Archonte Soſigene; die ſeptimâ menſis Gamelionis; à morte Platonis anno ſeptimo. Duorum & triginta annorum cùm foret, Scholam inſtituit, habuítque primùm partim Mitylenæ, partim Lampſaci, annis quinque. Migrauit ſubinde Athenas, ac ibi diem obiit, Olympiadis centeſimæ vigeſimæ ſeptimæ anno ſecundo, Archonte Pytharato (cùm annos vixiſſet ſeptuaginta duos) Scholâ relictâ Hermacho Agemarchi filio Mitylenæo. Interiit autem propter vrinam calculo cohibitam, vt Hermachus ait in Epiſtolis; idque poſt labores quatuordecim dierum. Quo tempore, inquit Hermippus, cùm ſe in æreum balneum aquâ calidâ temperatum demiſiſſet, ac poſtulatum merum hauſiſſet, tandem adhortando Amicos, vt Dogmatum ſuorum forent memores, iſthæc inter verba, è viuis exceſſit. Exſtat quod in ipſum ita luſimus:

Extremum hoc moriens Epicurus dixit
Amicis:
Gaudete, & Placitis inuigilate meis.
Quippe iniit peluim calidam, vinóque
ſubhauſto
Plutonis gelidas protinus hauſit
aquas.

οὕτως, ὡς καὶ ἐν τῷ περὶ τῆς ῥητορικῆς ἀξιοῦν μηδὲν ἄλλο ἢ σαφήνειαν ἀπαιτεῖν. Καὶ ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς ἀντὶ τοῦ Χαίρειν, καὶ εὖ πράττειν, ποτὲ καὶ ὑγιαίνειν, καὶ εὖ διάγειν, καὶ σπουδαίως ζῆν προσέταττε. Οἱ δέ φασιν ἐν τῷ Ἐπικούρου βίῳ τὸν Κανόνα γράψαι αὐτὸν ἐκ τοῦ Ναυσιφάνους Τρίποδος, οὗ καὶ ἀκοῦσαι φασὶν αὐτὸν, ἀλλὰ καὶ Παμφίλου τοῦ Πλατωνικοῦ ἐν Σάμῳ ἄρξασθαί τε φιλοσοφεῖν ἐτῶν ὑπάρχοντα δυοκαίδεκα, ἀφηγήσασθαι δὲ τῆς σχολῆς ἐτῶν ὄντα δύο πρὸς τοῖς τριάκοντα.

Ἐγεννήθη δὲ, φησὶν Ἀπολλόδωρος ἐν χρονικοῖς, κατὰ τὸ τρίτον ἔτος τῆς ἐνάτης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἐπὶ Σωσιγένους ἄρχοντος, μηνὸς Γαμηλιῶνος ἑβδόμῃ, ἔτεσιν ὕστερον τῆς Πλάτωνος τελευτῆς, ἑπτά. Ὑπάρχοντα δὲ αὐτὸν ἐτῶν δύο καὶ τριάκοντα, ἐν Μιτυλήνῃ, καὶ Λαμψάκῳ πρῶτον συστήσασθαι σχολὴν, ἐπὶ ἔτη πέντε. Ἔπειθ' οὕτως εἰς Ἀθήνας μετελθεῖν, καὶ τελευτῆσαι κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς ἑβδόμης, καὶ εἰκοστῆς, καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἐπὶ Πυθαράτου, ἔτη βιώσαντα δύο πρὸς τοῖς ἑβδομήκοντα, τήν τε σχολὴν διαδέξασθαι Ἕρμαχον Ἀγεμάρχου Μιτυληναῖον. Τελευτῆσαι δὲ αὐτὸν, λίθῳ τῶν οὔρων ἐπισχεθέντων, ὥς φησι καὶ Ἕρμαχος ἐν ἐπιστολαῖς, ἡμέρας νοσήσαντα τετταρεσκαίδεκα. Ὅτε καί φησιν Ἕρμιππος ἐμβάντα αὐτὸν εἰς πύελον χαλκῆν, κεκερασμένην ὕδατι θερμῷ, καὶ αἰτήσαντα ἄκρατον, ῥοφῆσαι, τούς τε φίλους παραγγείλαντα τῶν δογμάτων μεμνῆσθαι, οὕτω τελευτῆσαι. καί ἐστιν ἡμῶν εἰς αὐτὸν τόδε,

Χαίρετε, καὶ μέμνησθε τὰ δόγματα. τοῦτ' Ἐπίκουρος
Ὕστατον εἶπε φίλοις οὖσιν ἀποφθίμενος.
Θερμὴν ἐς πύελον γὰρ ἐσήλυθε, καὶ τὸν ἄκρατον
Ἔσπασεν, εἶτ' ἀΐδην ψυχρὸν ἐπεσπάσατο.

οὗτος μὲν ὁ βίος τἀνδρὸς, ἥδε δὲ ἡ τελευτή. καὶ διέθετο ὧδε.

Κατὰ τάδε διατίθεμαι. Δίδωμι τὰ ἐμαυτοῦ πάντα Ἀμυνομάχῳ Φιλοκράτους Βατῆθεν, καὶ Τιμοκράτει Δημητρίου Ποταμίῳ, κατὰ τὴν ἐν τῷ Μητρῴῳ ἀναγεγραμμένην ἑκατέρῳ δόσιν, ἐφ' ᾧ τε τὸν μὲν κῆπον

Ac eiuſmodi quidem vita, eiuſmodi mors Viri huius fuit. Teſtamentum quoque condidit hac forma.

Sic equidem teſtor. Dono bona mea omnia Amynomacho Philocratis filio, Batithæ, & Timocrati Demetrij filio, Potamio (iuxta donationem, quæ vtrique iam facta, telatáque in acta aſſeruatur in Metroo) eâ conditione vt Hortum,

καὶ

καὶ τὰ προσόντα αὐτῷ παρέξουσιν Ἑρμάχῳ Ἀγεμάρχου Μιτυληναίῳ, καὶ τοῖς συμφιλοσοφοῦσιν αὐτῷ, καὶ οἷς ἂν Ἕρμαχος καταλίπῃ διαδόχοις τῆς φιλοσοφίας, ἐνδιατρίβειν κατὰ φιλοσοφίαν. καὶ ἀεὶ δὲ τοῖς φιλοσοφοῦσιν ἀπὸ ἡμῶν.

Ὅπως δ' ἂν συνδιασώσωσιν κατὰ τὸ δυνατὸν τὴν ἐν τῷ κήπῳ διατριβὴν Ἀμυνομάχῳ καὶ Τιμοκράτει παρακαταθήκαμεν τοῖς τ' αὐτῶν κληρονόμοις, ἐν ᾧ ἂν τρόπῳ ἀσφαλέστατον ᾖ, ὅπως ἂν κἀκεῖνοι διατηρῶσιν τὸν κῆπον, καθάπερ καὶ αὐτοὶ, οἷς ἂν οἱ ἀπὸ ἡμῶν φιλοσοφοῦντες παραδιδῶσι.

Τὴν δὲ οἰκίαν τὴν ἐν Μελίτῃ παρεχέτωσαν Ἀμυνόμαχος καὶ Τιμοκράτης ἐνοικεῖν Ἑρμάχῳ καὶ τοῖς μετ' αὐτοῦ φιλοσοφοῦσιν, ἕως ἂν Ἕρμαχος ζῇ.

Ἐκ δὲ τῶν γινομένων προσόδων τῶν δεδομένων ἀφ' ἡμῶν Ἀμυνομάχῳ καὶ Τιμοκράτει, κατὰ τὸ δυνατὸν μεριζέσθωσαν μεθ' Ἑρμάχου σκοπούμενοι, εἴς τε τὰ ἐναγίσματα τῷ τε πατρὶ καὶ τῇ μητρὶ, καὶ τοῖς ἀδελφοῖς, καὶ ἡμῖν εἰς τὴν εἰθισμένην ἄγεσθαι γενέθλιον ἡμέραν ἑκάστου ἔτους, τῇ προτέρᾳ δεκάτῃ τοῦ Γαμηλιῶνος. Ἤπερ δὲ καὶ εἰς τὴν γινομένην σύνοδον ἑκάστου μηνὸς τῶν εἰκάσι τῶν συμφιλοσοφούντων ἡμῖν, εἰς τὴν ἡμῶν τε, καὶ Μητροδώρου μνήμην, κατὰ τεταγμένην. Συντελείτωσαν δὲ καὶ τὴν τῶν ἀδελφῶν ἡμέραν τοῦ Ποσειδεῶνος, καθάπερ καὶ ἡμεῖς, Συντελείτωσαν δὲ καὶ τὴν Πολυαίνου, τοῦ Μεταγειτνιῶνος.

Ἐπιμελείσθωσαν δὲ καὶ Ἀμυνόμαχος, καὶ Τιμοκράτης τοῦ υἱοῦ τοῦ Μητροδώρου Ἐπικούρου, καὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ Πολυαίνου, φιλοσοφούντων αὐτῶν, καὶ συζώντων μεθ' Ἑρμάχου. ὡσαύτως δὲ τῆς θυγατρὸς τοῦ Μητροδώρου τὴν ἐπιμέλειαν ποιείσθωσαν, καὶ εἰς ἡλικίαν ἐλθοῦσαν ἐκδότωσαν ᾧ ἂν Ἕρμαχος ἕληται τῶν φιλοσοφούντων μετ' αὐτοῦ, οὔσης αὐτῆς εὐτάκτου, καὶ πειθαρχούσης Ἑρμάχῳ.

Διδότωσαν δὲ Ἀμυνόμαχος, καὶ Τιμοκράτης ἐκ τῶν ὑπαρχουσῶν ἡμῖν προσόδων εἰς τροφὴν τούτοις, ὅ, τι ἂν αὐτοῖς κατ' ἐνιαυτὸν ἐπιδέχεσθαι δοκῇ, σκοπούμενοι μεθ' Ἑρμάχου. Ποιείσθωσαν δὲ μεθ' ἑαυτῶν, καὶ Ἕρμαχον κύριον τῶν προσόδων, ἵνα μετὰ τοῦ συγκαταγεγηρακότος ἡμῖν ἐν φιλοσοφίᾳ, καὶ καταλελειμμένου ἡγεμόνος

& quæ ad ipſum attinent, tradant Hermacho Agemarchi filio Mitylenæo, iiſque, qui cum illo philoſophabuntur, & quibus ipſe Hermachus reliquerit Philoſophiæ ſucceſſoribus, ac iis etiam perpetuò qui ex nobis profecti philoſophaturi ſunt, vt in ipſo Scholam Philoſophiæ habeant.

Committo autem, commendóque Amynomacho, & Timocrati, vt quantum fieri poterit, ſartam tectam hanc, quæ in Horto Scholā tueantur. Quam committo etiam, commendóque hæredibus eorum (ac eâ quidem formulâ iuris, quâ poſſit eſſe maximè ratum) vt ipſi quoque Hortum conſeruent; nec minùs etiam iis, quibus ſucceſſores noſtri Philoſophi demandabunt olim eiuſdem-met curam.

Domum quoque ſitam in Melite pago, Hermacho, iiſque, qui cum eo, donec vixerit, philoſophabuntur, Amynomachus, & Timocrates inhabitandam tradunto.

Ex bonorum verò à nobis Amynomacho, & Timocrati donatorum reditibus, quantum licuerit, ſeponunto (id proſpicientes cum Hermacho) ad parentandam noſtris & patri, & matri, & fratribus, ac nobis etiam, pro conſueto celebrari natali die, in decade prima menſis Gamelionis. Itémque ad celebrandum epularem conuentum eorum, qui ſunt nobiſcum philoſophati vicesimo die Lunæ, omnibus menſibus; ipſum ſcilicet in memoriam tam mei, quàm Metrodori, inſtitutum. Fratrum quoque diem menſe Poſideone, vti & nos fecimus, agunto; ac Polyæni diem conſimiliter Metagitnione menſe celebranto.

Filij porrò Metrodori nomine Epicuri, filiíque etiam Polyæni, qui ipſi quoque philoſophentur, viuántque vnà cum Hermacho, Amynomachus, & Timocrates curā capeſſunto. Ipſius Metrodori filiæ ſimiliter curam habento, eámque vbi viro matura euaſerit, illi, quem Hermachus ex ſecum philoſophantibus delegerit, nuptum danto. Sit modò illa & modeſta, & Hermacho obtemperans.

Amynomachus verò, & Timocrates ipſis vnde alantur, ex noſtris reditibus, quantum quidem ſufficere quotannis videbitur, re cum Hermacho deliberatâ, ſuppeditanto. (Ipſum ſcilicet Hermachū pari ſecum iure redituum dominum habento; vti cum eo, qui nobiſcū in Philoſophia conſenuerit, fueritque

illorum, qui nobiſcum ſunt philoſophati, relictus dux, omnia gerantur.) Ad dotem autem puellæ quod ſpectat, illam ipſi, poſtquam plenis nubilis annis fuerit, Amynomachus, & Timocrates, quantum bonorum facultas feret, ex ſententia Hermachi accipientes, impertiuntor.

Ad hæc etiam Nicanoris, quemadmodum ipſi ſuſcepimus, curam ſuſcipiunto; vt quotquot ex iis, qui nobiſcum philoſophati, rerum ſuarum vſum præbuerunt; & nullam non demonſtrantes familiaritatem, non indignum duxerunt nobiſcum philoſophando conſeneſcere, nullâ neceſſariarum rerum, quod quidem per nos ſtare poſſit, indigeant.

Quotcumque porrò mihi ſunt, dari Hermacho libros iubeo.

Quòd ſi quid Hermacho humanitùs contigerit, priuſquàm liberi Metrodori ad ætatem adultam peruenerint, Amynomachum & Timocratem in id incumbenteis, vt nihil cum ipſis, niſi cum decore geratur, neceſſaria (quantum fas erit) ex iis, quos reliquero, reditibus, dare illis volo.

Quod ſupereſt, ipſi, vt omnia, quæ conſtituta à nobis ſunt, quatenus licebit, perficiantur, curanto.

Manu mitto ex ſeruis Murem, Niciam, Lyconem. Ipſam quoque Phædriam iubeo liberam.

Iam verò, cùm morti eſſet proximus, hanc ad Idomeneum Epiſtolam ſcripſit. CVM ageremus vitæ beatum, & eundem ſupremum diem, ſcribebamus vobis hæc. Tanti autē morbi aderant veſicæ, & viſcerum, vt nihil ad eorum magnitudinem poſſet accedere. Cōpenſabatur tamen cum his omnibus animi lætitia, quam capiebam memoriâ rationum, inuentorúmque noſtrorum. Sed tu, vt dignum eſt tuâ erga me, & erga Philoſophiam voluntate ab adoleſcentia ſuſceptâ, fac vt Metrodori tueare liberos. Et Teſtamentum quidem eius tale fuit.

Cæterùm diſcipulos habuit complureis eos quidem; ſed cumprimis tamen valde celebrem Metrodorum Lampſacenum, qui ex quo agnouit Virum, ab eo non diſceſſit, niſi per mēſeis duntaxat ſex, quibus domum cùm diuertiſſet, ſubinde ad eum rediit. Fuit autem is vir vndequaque bonus, vti vel ipſe Epicurus agendo de præcipuis ſcribit. Dicit & aliunde ipſi teſtimonium in libro tertio Timocrate inſcripto.

τῶν συμφιλοσοφούντων ἡμῖν, ἕκαστα γίνηται. Τὴν δὲ θυγατέρα τὴν τοῦ παιδίου, ἐπειδὰν εἰς ἡλικίαν ἔλθῃ, μεριζέτωσαν Ἀμυνόμαχος καὶ Τιμοκράτης, ὅσον ἂν ἐπιδέχηται ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων ἀφαιροῦντες, μετὰ τῆς Ἑρμάχου γνώμης.

Ἐπιμελείσθωσαν δὲ καὶ Νικάνορος, καθάπερ καὶ ἡμεῖς, ἵν' ὅσοι τῶν συμφιλοσοφούντων ἡμῖν χρείαν ἐν τοῖς ἰδίοις παρεσχημένοι, καὶ τὴν πᾶσαν οἰκειότητα ἐνδεδειγμένοι, συγκαταγηράσκειν μεθ' ἡμῶν προείλοντο ἐν φιλοσοφίᾳ, μηδενὸς τῶν ἀναγκαίων ἐνδεεῖς καθεστήκωσι ἐπὶ τὴν ἡμετέραν δύναμιν.

Δοῦναι δὲ τὰ βιβλία τὰ ὑπάρχοντα ἡμῖν πάντα, Ἑρμάχῳ.

Εἰ δέ τι τῶν ἀνθρωπίνων περὶ Ἕρμαχον γίνηται, πρὸ τοῦ τὰ Μητροδώρου παιδία εἰς ἡλικίαν ἐλθεῖν, δοῦναι Ἀμυνόμαχον καὶ Τιμοκράτην, ὅπως ἂν διατακτουμένων αὐτῶν ἕκαστα γίνηται τῶν ἀναγκαίων, κατὰ τὸ δυνατὸν, ἀπὸ τῶν καταλελειμμένων ὑφ' ἡμῶν προσόδων.

Καὶ τῶν λοιπῶν ἁπάντων ὧν συντετάχαμεν ἐπιμελείσθωσαν, ὅπως δὴ κατὰ τὸ ἐνδεχόμενον ἕκαστα γίγνηται.

Ἀφίημι δὲ τῶν παίδων ἐλεύθερον Μῦν, Νικίαν, Λύκωνα. ἀφίημι δὲ καὶ Φαίδριον ἐλευθέραν.

Ἤδη δὲ τελευτῶν γράφει πρὸς Ἰδομενέα τὴν δε ἐπιστολήν. ΤΗΝ μακαρίαν ἄγοντες καὶ ἅμα τελευτῶντες ἡμέραν τοῦ βίου, ἐγράφομεν ὑμῖν ταυτί. Στραγγουρία τε παρηκολουθήκει, καὶ δυσεντερικὰ πάθη, ὑπερβολὴν οὐκ ἀπολείποντα τοῦ ἐν ἑαυτοῖς μεγέθους. ἀντιπαρετάττετο δὲ πᾶσι τούτοις τὸ κατὰ ψυχὴν χαῖρον ἐπὶ τῇ τῶν γεγονότων ἡμῖν διαλογισμῶν μνήμῃ. Σὺ δὲ ἀξίως τῆς ἐκ μειρακίου παραστάσεως πρὸς ἐμὲ καὶ φιλοσοφίαν, ἐπιμελοῦ τῶν παίδων Μητροδώρου. Καὶ διέθετο μὲν ὧδε.

Μαθητὰς δὲ ἔσχε πολλοὺς μὲν, σφόδρα δὲ ἐλλογίμους Μητρόδωρον Λαμψακηνόν· ὃς ἀφ' οὗ τὸν ἄνδρα ἔγνω, οὐκ ἀπέστη ἀπ' αὐτοῦ, πλὴν ἓξ μηνῶν εἰς τὴν οἰκίαν ἐπὶ ταῦτα ἐπανῆλθε. Γέγονε δὲ ἀγαθὸς κατὰ πάντα, καθὰ καὶ Ἐπίκουρος ἐν προηγουμένοις γράφει μαρτυρεῖ δὲ καὶ ἐν τῷ τρίτῳ Τιμοκράτει.

τοιοῦτος

τοιοῦτος δὲ ὤν, καὶ τὴν ἀδελφὴν Βατίδα ἐξέδοτο Ἰδομενεῖ, καὶ Λεόντιον τὴν Ἀττικὴν ἑταίραν ἀναλαβὼν, εἶχε παλλακήν. ἦν δὲ καὶ ἀκατάπληκτος πρός τε τὰς ὀχλήσεις καὶ τὸν θάνατον, ὡς Ἐπίκουρος ἐν τῷ πρώτῳ Μητροδώρῳ φησί. φασὶ δὲ καὶ πρὸ ἑπτὰ ἐτῶν αὐτοῦ τελευτῆσαι, πεντηκοστὸν τρίτον ἔτος ἄγοντα. καὶ αὐτὸς Ἐπίκουρος ἐν ταῖς προειρημέναις διαθήκαις, ὡς προαποθανόντος αὐτοῦ δηλονότι, ἐπισκήπτει περὶ τῆς ἐπιμελείας αὐτοῦ τῶν παίδων. ἔσχε δὲ καὶ τὸν προειρημένον εἰκαῖον τινὰ ἀδελφὸν ὁ Μητρόδωρος Τιμοκράτην. βιβλία δ᾽ ἐστὶ τοῦ Μητροδώρου τάδε· Πρὸς τοὺς ἰατροὺς, τρία. Περὶ αἰσθήσεων, πρὸς Τιμοκράτην. Περὶ μεγαλοψυχίας. Περὶ τῆς Ἐπικούρου ἀῤῥωστίας· Πρὸς τοὺς Διαλεκτικούς. Πρὸς τοὺς σοφιστὰς, ἐννέα· Περὶ τῆς ἐπὶ σοφίαν πορείας. Περὶ τῆς μεταβολῆς, Περὶ πλούτου. Πρὸς Δημόκριτον. Περὶ εὐγενείας.

Ἦν δὲ καὶ Πολύαινος Ἀθηνοδώρου Λαμψακηνὸς, ἐπιεικὴς καὶ φιλικὸς, ὡς οἱ περὶ Φιλόδημον φασί. καὶ ὁ διαδεξάμενος αὐτὸν Ἕρμαχος Ἀγεμάρχου, Μιτυληναῖος ἀνὴρ, πατρὸς μὲν πένητος, τὰς δὲ ἀρχὰς προσέχων ῥητορικοῖς. φέρεται καὶ τούτου βιβλία κάλλιστα τάδε· Ἐπιστολικὰ περὶ Ἐμπεδοκλέους, κβ΄. Περὶ τῶν μαθημάτων. Πρὸς Πλάτωνα. Πρὸς Ἀριστοτέλην. Ἐτελεύτα δὲ παρὰ Λυσίᾳ, γενόμενος ἱκανὸς ἀνήρ. Λεοντεύς τε Λαμψακηνὸς ὁμοίως, καὶ ἡ τούτου γυνὴ Θεμίστα, πρὸς ἣν καὶ γέγραφεν ὁ Ἐπίκουρος. Ἔτι τε Κολώτης, καὶ Ἰδομενεὺς, καὶ αὐτοὶ Λαμψακηνοί. καὶ οὗτοι μὲν ἐλλόγιμοι, ὧν ἦν καὶ Πολύστρατος ὁ διαδεξάμενος Ἕρμαχον· ὃν διεδέξατο Διονύσιος, ὃν Βασιλίδης.

Καὶ Ἀπολλόδωρος δὲ ὁ Κηποτύραννος γέγονεν ἐλλόγιμος, ὃς ὑπὲρ τετρακόσια συνέγραψε βιβλία· δύο τε Πτολεμαῖοι Ἀλεξανδρεῖς, ὅ, τε Μέλας καὶ ὁ Λευκός· Ζήνων τε ὁ Σιδώνιος ἀκροατὴς Ἀπολλοδώρου, πολυγράφος ἀνήρ· καὶ Δημήτριος ὁ ἐπικληθεὶς Λάκων· Διογένης τε ὁ Ταρσεὺς, ὁ τὰς ἐπιλέκτους σχολὰς συγγράψας, καὶ Ὠρίων, καὶ ἄλλοι οὓς οἱ γνήσιοι Ἐπικούρειοι σοφιστὰς ἀποκαλοῦσιν. ἦσαν δὲ καὶ ἄλλοι Ἐπίκουροι τρεῖς, ὅ, τε Λεοντέως υἱός καὶ Θεμίστας· ἕτερος, Μάγνης· τέταρτος, ὁπλομάχος.

Eiuſmodi verò cùm foret, tum Idomeneo Batidem ſororem in vxorem dedit, tum aſſumens ſecum Leontium meretricem Atticam, ipſam in concubinam habuit. Fuit autem aduerſùs moleſtias, mortémque ipſam interritus, vt Epicurus in inſcripto Metrodoro primo enarrat. Memorant illum ſeptem annis ipſi Epicuro præmortuum: idque cùm annum ageret ætatis quinquageſimum tertium. Certè & ipſe Epicurus in recitato teſtamento plurimus eſt in demandanda liberorum eius, vt iam antè demortui, cura. Habuit verò etiam Metrodorus fratrem quemdam nomine Timocratem, petulantem ſcilicet illum, cuius iam antè eſt facta mentio. Metrodori autem libri hi ſunt: Aduerſus Medicos, tres. De Senſibus, ad Timocratem. De Magnanimitate. De Epicuri infirmitate. Aduerſus Dialecticos. Aduerſus Sophiſtas, nouem. De Itinere ad Sapientiam. De mutatione, *ſeu viciſſitudine rerum.* De Diuitiis. Aduerſùs Democritum. De Nobilitate.

Fuit & inter nobiles Epicuri diſcipulos Polyænus, Athenodori filius, Lampſacenus: vir moribus lenis, & amabilis, ſicut Philodemus teſtatur. Fuit & ipſe, qui Epicuro ſucceſſit Hermachus, Agemarchi filius Mitylenæus: vir patre quidem paupere natus, ſed & qui ab initio Rhetoricę operam dedit. Ferũtur quoq; eius libri, & pulcherrimi quidẽ iſti: Epiſtolica de Empedocle XXII. De Diſciplinis. Aduerſus Platonẽ. Aduerſus Ariſtotelẽ. Is apud Lyſiã mortuus eſt: vir ad quiduis egregiẽ natus. Fuit rurſus Leonteus, Lampſacenus quoque, ac illius vxor Themiſta, ad quam literæ Epicuri extant. Fuere etiam Colotes, ac Idomeneus, ipſi pariter Lampſaceni. Atque hi quidem extitere diſcipuli præſertim illuſtres. Attexendus autem eſt Polyſtratus, qui ſucceſſit Hermacho, cuiuſque ſucceſſorem Dionyſium Baſilides excepit.

Iam & inter ipſos Epicuri ſectatores illuſtris fuit Apollodorus, Cepotyrannus, *quaſi Hortorum regnator dici ſolitus,* qui libros ſcripſit ſupra quadringentos. Fuere & duo Ptolemæi, alter quidem niger, alter verò albus. Zeno item Sidonius Apollodori auditor, compluriúmque librorum author. Præterea Demetrius cognomẽto Lacon, & Diogenes ille Tarſenſis, qui Scholas ſelectas cõſcripſit. Orion rurſus, ac inſuper alij, quos germani Epicurei Sophiſtas appellitant. Fuere autem præter hunc, de quo loquimur, Epicurum, alij tres eodem nomine, quorum vnus fuit Leontei, & Themiſtæ filius: alter Magneſius: & quartus Hoplomachus, *ſeu ex genere Gladiatorum.*

Extitit

Exſtitit porrò Epicurus in ſcribendo plurimus; quippe qui librorum multitudine cęteros omneis ſuperârit. Exſtant nimirum volumina ipſius ad vſque trecenta; inque illis nullum alienum citatur teſtimonium; ſed *quidquid textum eſt*, ipſę ſũt Epicuri voces. Æmulatus verò eſt ipſum in ſcribendo multa Chryſippus, ſicut notat Carneades, qui illum ideircò librorum Epicuri paraſitum vocat. Videlicet, ſi Epicurus argumenti quid attigit, ſcribere de eodem ille affectauit. Quare & ſæpe eadem repetiit; & quicquid in mentem occurrit, ac præ nimia feſtinatione inemendatum neceſſariò fuit, ſuum in contextum intruſit. Tot aliunde, tantáque ſunt, quæ ille inferſit aliorum teſtimonia, vt nullâ re magis libri eius ſcateant: quod cernere etiam & apud Zenonem, & apud Ariſtotelem licet.

Ac libri quidem Epicuri tot, ac ciuſcemodi ſunt, cuiuſmodi prædiximus; præ cæteris verò præclari ſunt iſti: De Natura xxxvij. De Atomis, & Inani. De Amore. Epitome eorum, quæ ad Phyſicos. Aduerſus Megaricos, Dubitationes. Ratæ Sententiæ. De Eligendis, & Fugiendis. De Fine. De Criterio, *iudicandiue inſtrumento*; ſeu Canon, *hoc eſt Regula*. Chæredemus, ſeu de Diis. De Sanctitate, ſeu Hegeſianax. De Vitis, *ſeu Vita inſtituenda rationibus*. De eo, quod eſt agere iuſtè. Neocles ad Themiſtam. Conuiuium. Euryloehus, ad Metrodorum. De Viſione. De Angulo, *ſeu minimo*, quod in Atomo eſt, De Tactu, *cuius Inane expers eſt*. De Fato. De Paſſionibus, *ſeu affectibus animi*, Sententiæ ad Timocratem. Prognoſticon, *ſeu de Præſagiis*. Exhortatorius. De Simulacris, *ſeu Imaginibus ſpeciebúſue*. De Imaginatione, *ſiue perceptione eius quod de rebus apparet*. Ariſtobulus. De Muſica, De Iuſtitia, cæteriſque Virtutibus. De Donis, & Gratia. Polymedes. Timocrates, III. Metrodorus, V. Antidorus, II. De Morbis ſententiæ ad Mithrem. Calliſtolas. De Regno. Anaximenes, Epiſtolæ.

Γέγονε δὲ πολυγραφώτατος ὁ Ἐπίκουρος, πάντας ὑπερβαλλόμενος πλήθει βιβλίων. Κύλινδροι μὲν γὰρ πρὸς τοὺς τριακοσίους εἰσί. Γέγραπται δὲ μαρτύριον ἔξωθεν ἐν αὐτοῖς οὐδὲν, ἀλλ' αὐταὶ εἰσὶν Ἐπικούρου φωναί. Ἐζήλου δὲ αὐτὸν Χρύσιππος ἐν πολυγραφίᾳ, καθά φησι καὶ Καρνεάδης, παράσιτον αὐτοῦ τῶν βιβλίων ἀποκαλῶν. Εἰ γάρ τι γράψαιτο ὁ Ἐπίκουρος, φιλονεικεῖ τοσοῦτο γράψαι ὁ Χρύσιππος. καὶ διὰ τοῦτο καὶ πολλάκις ταὐτὰ γέγραφε· καὶ τὸ ἐπελθὸν, καὶ ἀδιόρθωτον εἷλκε, τῷ ἐπείγεσθαι. καὶ τὰ μαρτύρια τοσαῦτά ἐστιν, ὡς ἐκείνων μόνων γέμειν τὰ βιβλία, καθάπερ καὶ παρὰ Ζήνωνι ἐστὶν εὑρεῖν, καὶ παρὰ Ἀριστοτέλει.

Καὶ τὰ συγγράμματα μὲν Ἐπικούρου τοσαῦτα καὶ τηλικαῦτα, ὧν τὰ βέλτιστα ἐστὶ τάδε. Περὶ φύσεως λζ. Περὶ ἀτόμων, καὶ κενοῦ. Περὶ ἔρωτος. Ἐπιτομὴ τῶν πρὸς τοὺς φυσικούς. Πρὸς τοὺς Μεγαρικοὺς διαπορίαι. Κύριαι δόξαι. Περὶ αἱρετῶν, καὶ φευκτῶν. Περὶ τέλους. περὶ κριτηρίου, ἢ Κανών. Χαιρέδημος, ἢ περὶ θεῶν. περὶ ὁσιότητος, ἢ Ἡγησιάναξ. περὶ βίων δ'. περὶ δικαιοπραγίας. Νεοκλῆς, πρὸς Θεμίσταν. Συμπόσιον. Εὐρύλοχος, πρὸς Μητρόδωρον. περὶ τοῦ ὁρᾶν. περὶ τῆς ἐν τῇ ἀτόμῳ γωνίας. περὶ ἁφῆς. περὶ εἱμαρμένης. περὶ παθῶν δόξαι πρὸς Τιμοκράτην. Προγνωστικόν. Προτρεπτικός. περὶ εἰδώλων. περὶ φαντασίας. Ἀριστόβουλος. περὶ μουσικῆς. περὶ δικαιοσύνης, καὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν. περὶ δώρων καὶ χάριτος. Πολυμήδης. Τιμοκράτης, γ'. Μητρόδωρος, ε'. Ἀντίδωρος, β'. περὶ νόσων δόξαι, πρὸς Μίθρην. Καλλιστόλας. περὶ βασιλείας. Ἀναξιμένης, Ἐπιστολαί.

Ἐπιτομὴν δ' αὐτῶν εἰ δοκεῖ, ἐκθέσθαι πειράσομαι, τρεῖς ἐπιστολὰς αὐτοῦ παραθέμενος, ἐν αἷς πᾶσαν τὴν ἑαυτοῦ φιλοσοφίαν ἐπιτέτμηται. Θήσομαι δὲ καὶ τὰς Κυρίας αὐτοῦ δόξας, καὶ εἴ τι ἔδοξεν ἐκλογῆς ἀξίως ἀνεφθέγχθαι, ὥς τέ σε πανταχόθεν καταμαθεῖν τὸν ἄνδρα, κἀμὲ κρίνειν, εἰ οἶδα κρίνειν. Τὴν μὲν οὖν πρώτην ἐπιστολὴν γράφει πρὸς Ἡρόδοτον, περὶ τῶν φυσικῶν διατείβων, πρὸς Πυθοκλέα, ἢ τις ἐστὶ περὶ μεταρσίων· τὴν τρίτην, πρὸς Μενοικέα. ἐστὶν

Enitar autem, ſi ita videatur, compendium quoddam horum *librorum* ob oculos ſtatuere, tribus prolatis Epiſtolis, in quas ille ſuam Philoſophiam vniuerſam quaſi cõtraxit. Apponã & Ratas eiuſdẽ Sentẽtias, & ſi viſus præterea eſt aliquid ſelectu dignum extuliſſe: vt Tu ipſa, (*ô nobilis, & bonarum rerum ſtudioſiſſima fœmina*) addiſcere omni ex parte, qualis vir ille fuerit, valeas, ac ſimul intelligere, vigeat-ne in me aliqua in rerum delectu habendo ſolertia. Ille igitur Epiſtolam primam perſcribit ad Herodotum, de Rebus Naturalibus: alteram ad Pythoclem, de Rebus Sublimibus, *ſeu ſuper-terrenis*; tertiam ad Menœceũ, de Vita,

δι'

δ᾽ ἐν αὐτῇ τὰ περὶ βίων. ἀρκτέον δὴ ἀπὸ τῆς πρώτης, ὀλίγα προειπόντα περὶ τῆς διαιρέσεως τῆς κατ᾽ αὐτὸν φιλοσοφίας.

Διαιρεῖται τοίνυν εἰς τρία· τό, τε Κανονικὸν, καὶ Φυσικὸν, καὶ Ἠθικόν. τὸ μὲν οὖν Κανονικὸν ἐφόδους ἐπὶ τὴν πραγματείαν ἔχει, καὶ ἔστιν ἐν ἑνὶ τῷ ἐπιγραφομένῳ Κανών· τὸ δὲ φυσικὸν, τὴν περὶ φύσεως θεωρίαν πᾶσαν, καὶ ἔστιν ἐν ταῖς περὶ φύσεως βίβλοις λζ. καὶ ταῖς ἐπιστολαῖς κατὰ στοιχεῖον· τὸ δὲ Ἠθικὸν, τὰ περὶ αἱρέσεως καὶ φυγῆς. ἔστι δὲ καὶ ἐν ταῖς περὶ βίων βίβλοις, καὶ ἐπιστολαῖς, καὶ τῷ περὶ τέλους. Εἰώθασι μέντοι τὸ κανονικὸν ὁμοῦ τῷ φυσικῷ συντάττειν. καλοῦσι δὲ αὐτὸ περὶ κριτηρίου καὶ ἀρχῆς, καὶ Στοιχειωτικόν· τὸ δὲ φυσικὸν, περὶ γενέσεως, καὶ φθορᾶς, καὶ περὶ φύσεως. τὸ δὲ Ἠθικὸν, περὶ αἱρετῶν καὶ φευκτῶν, καὶ περὶ βίων καὶ περὶ τέλους· τὴν δὲ διαλεκτικὴν ὡς παρέλκουσαν ἀποδοκιμάζουσιν. ἀρκεῖν γὰρ τοὺς φυσικοὺς χωρεῖν κατὰ τοὺς τῶν πραγμάτων φθόγγους.

Ἐν τοίνυν τῷ Κανόνι λέγει ὁ Ἐπίκουρος κριτήρια τῆς ἀληθείας εἶναι τὰς αἰσθήσεις, καὶ τὰς προλήψεις, καὶ τὰ πάθη· οἱ δ᾽ Ἐπικούρειοι, καὶ τὰς Φανταστικὰς Ἐπιβολὰς τῆς διανοίας. λέγει δὲ καὶ ἐν τῇ πρὸς Ἡρόδοτον ἐπιτομῇ, καὶ ἐν ταῖς κυρίαις δόξαις.

Πρῶτον μὲν οὖν λέγει τὰς Αἰσθήσεις εἶναι ἀληθεῖς. Πᾶσα γὰρ (φησὶν) αἴσθησις, ἄλογός ἐστι, καὶ μνήμης οὐδεμιᾶς δεκτική. οὔτε γὰρ ὑφ᾽ αὑτῆς κινεῖται, οὔτε ὑφ᾽ ἑτέρου κινηθεῖσα δύναταί τι προσθεῖναι ἢ ἀφελεῖν, ὥστε δοξάζειν, ἢ ψεύδεσθαι. Οὐδ᾽ ἔστι τὸ δυνάμενον αὐτὰς διελέγξαι. οὔτε γὰρ ὁμοιογενὴς αἴσθησις τὴν ὁμοιογενῆ διὰ τὴν ἰσοσθένειαν, οὔθ᾽ ἡ ἀνομοιογενὴς τὴν ἀνομοιογενῆ, οὐ γὰρ τῶν αὐτῶν εἰσὶ κριτικαί. οὔθ᾽ ἡ ἑτέρα τὴν ἑτέραν, πάσαις γὰρ προσέχομεν. οὔτε μὴν λόγος· πᾶς γὰρ λόγος ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων ἤρτηται. καὶ τὸ, τὰ ἐπαισθήματα δὲ

& moribus. Ordiendnm verò eſt à prima; ſi priùs tamen pauca quædam de Philoſophiæ diuiſione, ex eius mente præmiſero.

Philoſophia itaque illi diuiditur in parteis treis; Canonicam nempe, *ſiue Regularem*; Phyſicam, *ſiue Naturalem*; ac Ethicam, *ſiue Moralem*. Continet autem Canonica introductiones ad ipſum opus, *Philoſophicámve exercitationem*, traditúrque in eo libro, qui inſcribitur Canon, *hoc eſt Regula*. Phyſica complectitur totam de Natura contemplationem; habetúrque in libris de Naturâ xxxvij. ac etiam in Epiſtolis, vt in aliquibus Rudimentis. Ethica in iis, quæ ad Electionem, Fugámque attinent; verſatur, exſtátque in libris, qui hácce de re, déque variis vitæ inſtitutis ſunt; ac etiam in Epiſtolis, & libro de Fine. Solent verò Canonicam non ſeparare à Phyſica; cùm & illam vocent eam partem, quæ eſt de Criterio, *ſeu, vt ſic dicam Iudicatorio, Iudicandíve inſtrumento*; itémque Exordialem, ac Elementalem. Phyſicam autem appellant eam, quæ de Generatione, & Corruptione, *ſeu Ortu, & Interitu*; itémque eam, quæ de Natura: Ac Ethicam eam, quæ de eligendis, fugiendíſque; ac de Vita, & Moribus; itémque de Fine. Quod ſpectat ad Dialecticam; ipſam vt ſuperfluam repudiant; quòd Phyſicos *edisſerenteis* capere ſatis liceat; perſpectis dumtaxat vocabulis rerum.

In Canone ergo Epicurus ait, Veritatis Criteria, *ſeu Veritatis diiudicandæ quaſi Inſtrumenta eſſe tria, videlicet* Senſus, Anticipationes, Paſſiones. Addunt verò Epicurei Applicationes, ſeu Intuitus mentis ad ea, quæ coràm apparent, attentæ, (*quatenus nempe non modò ſenſus, ſed interdum quoque mens ipſa intuetur præſens res ſenſibileis, ſiue apparenteis.*) Dicit verò ipſe hoc quoque in Epitome ad Herodotũ, & in ipſis Ratis Sententiis.

Ac imprimiſquidem ineſſe Senſibus veritatem docet; quia omnis ſenſus, inquit, ratiocinationis eſt expers, recordationiſque prorſus incapax; quippe cùm neque à ſeipſo moueatur, neque motus ab alio addere quidpiam, detraheréve, *ſiue enunciando copulare, aut diſiungere, concludendóve inferre valeat*, vt propterea cenſeri poſſit quidpiam opinari, aut opinando falli. Quin-etiam nihil eſt, quod refellere, *falsive arguere* ipſos ſenſus poſſit. Neque enim ſenſus genere ſimilis ſimilem genere refellet propter æquipollentiam, *ſeu quod par ratio vtriuſque ſit*: Neque genere diſſimilis genere diſſimilem; quoniam *diuerſa obiecta habens*, ferendóque iiſdem de rebus iudicio minimè inſeruiunt. Neque item vna ſenſio eiuſdem ſenſus aliam; quoniam nulla eſt, *quâ non afficiamur, cuique, donec ipsâ afficimur* non adhæreamus, *aſſentiamúrve*. Neque denique ratio ſeu ratiocinatio; quoniam omnis ratiocinatio à præuiis pendet Senſibus, *oportétq; ſenſus priùs eſſe, quàm rationem, veros*. Sed & veritatem Senſuum id confirmat, quòd ipſæ illorum

functiones

functiones in ipſa rerum natura exſiſtant,*ſeu reipsâ, veréque ſint*: quippe videre nos & audire tam eſt aliquid, quod reuera eſt, quàm ipſum dolere: nihil autem diſcriminis eſt, ſeu verum quid, ſeu exſiſtens dicas.

Ex hiſce autem fit, vt coniecturam ducere ex iis, quæ Senſibus apparent, ad ea, quæ ſunt nobis immanifeſta oporteat; quando omnes mentis notiones ortum habent à Senſibus, aut per incidentiam (*dum nimirum res directè, & per ſe incidunt in ſenſum; vt homo quiſpiam coràm ſpectatus*) aut per quandam *rerum ſenſu perceptarum* proportionem (*vt dum amplificando concipitur Gigas, vel extenuando Pygmæus, ſed ſeruatâ eâdem partium proportione, quæ obſeruata fuerit in homine magnitudinis iuſtæ:*) aut per ſimilitudinem (*vt cùm ciuitatem non viſam viſæ inſtar imaginamur:*) aut demum per compoſitionem (*vt cùm ex equo, & homine viſis, Hippocentaurum fingimus*) conferente etiam ad hoc nonnihil ipſo ratiocinio.

Præterea autem viſa quoque tam delirantium, quàm ſomniantium, eâ de causâ vera cenſeri, *quòd reipsâ ſint, ſeu reuerâ exſiſtant; eſſe autem reipsâ conſtat ex eo,* quòd facultatem mouent: videlicet id, quod non eſt, mouere nullatenùs poteſt.

Deinde Anticipationis, *Prænotioniſve* nomine intelligunt comprehenſionem animi, opinionémve quamdam congruam, ſiue mauis intelligentiam, vniuerſalémve notionem menti defixam, exſiſtētémque quaſi memoriam, *monumentúmve* eius rei, quæ extrorsùm ſæpiùs apparuerit: cuiuſmodi *eſt v.c. idea, ſeu forma, atque ſpecies illa, ad quam reſpicientes apud noſmetipſos* dicimus, tale quid eſt Homo; quippe ſimul atque audimus pronunciari hanc vocem, Homo, illicò hominis effigies intelligitur iuxta *deformatam in animo*, præuiis Senſibus, anticipationem. Quamobrem quæ res cuique voci primò, præcipuéque ſubiecta animo apprehenditur, perſpicuum quid eſt: neque enim, dum quid quærimus, illud quæreremus, niſi prænotionem eius haberemus. Veluti, quando quærimus, id, quod procul apparet, equúſne an bos eſt? quippe aliquando vidiſſe, anticipationéque nouiſſe equi, & bouis formam oportet. Sanè enim alioquin, ne nominaremus quidem aliquid, niſi priùs quamdam illius effigiem anticipatione notam teneremus. Euidentes ergo res ſunt hoc modo anticipationes. Porrò, dum quidpiam opinamur, id à quapiam re priùs euidente dependet, vtpote ad quam *attendentes, cogitationémve noſtram,* referentes, pronunciamus, *ſeu dicimus, hoc tale eſſe, vel non eſſe.* Qualis eſt *v.c. Prænotio, quam habemus de homine; ſiquidem ad eam attendentes, vt ad aliquid euidens, dum requiritur,* an hoc, quod videtur, ſit homo, *an-non? opinamur, ſeu pronunciamus hominem eſſe, aut non eſſe.* Opinionem autē alio nomine Exiſtimationem, *ſeu Iudicium* vocant: ac ipſam eſſe (*non item Senſum*) cui veram, aut falſam eſſe competat docent: quatenus *ad id quod apparet,* quidpiam addit, aut detrahit, ac ipſam euidentiam ſuffragantem, non refragantem; refra-

ὑφεστάναι, πιστοῦται τὴν τῶν αἰσθήσεων ἀλήθειαν. ὑφέστηκε δὲ τὸ, τε ὁρᾶν ἡμᾶς καὶ ἀκούειν, ὥσπερ τὸ ἀλγεῖν. οὐ διαφέρει δὲ ἀληθὲς εἶναί τι, ἢ ὑφεστώς.

Ὅθεν καὶ περὶ τῶν ἀδήλων ἀπὸ τῶν φαινομένων χρὴ σημειοῦσθαι. καὶ γὰρ καὶ ἐπίνοιαι πᾶσαι ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων γεγόνασι κατά τε περίπτωσιν καὶ ἀναλογίαν, καὶ ὁμοιότητα, καὶ σύνθεσιν, συμβαλλομένου τι καὶ τοῦ λογισμοῦ.

Τά τε τῶν μαινομένων φαντάσματα, καὶ τὰ κατ' ὄναρ ἀληθῆ· κινεῖ γάρ· τὸ δὲ μὴ ὄν, οὐ κινεῖ.

Τὴν δὲ πρόληψιν λέγουσιν οἱονεὶ κατάληψιν, ἢ δόξαν ὀρθὴν, ἢ ἔννοιαν, ἢ καθολικὴν νόησιν ἐναποκειμένην, τουτέστι μνήμην τοῦ πολλάκις ἔξωθεν φανέντος, οἷον τὸ, Τοιοῦτον ἐστὶν ἄνθρωπος. ἅμα γὰρ τῷ ῥηθῆναι ἄνθρωπος, εὐθὺς κατὰ πρόληψιν καὶ ὁ τύπος αὐτοῦ νοεῖται, προηγουμένων τῶν αἰσθήσεων. παντὶ οὖν ὀνόματι τὸ πρώτως ὑποτεταγμένον, ἐναργές ἐστι· καὶ οὐκ ἂν ἐζητήσαμεν τὸ ζητούμενον, εἰ μὴ πρότερον ἐγνώκειμεν αὐτό. οἷον, Τὸ πόρρω ἑστὼς, ἵππος ἐστὶν ἢ βοῦς; δεῖ γὰρ κατὰ πρόληψιν ἐγνωκέναι ποτὲ ἵππου καὶ βοὸς μορφήν. οὐδ' ἂν ὠνομάσαμέν τι, μὴ πρότερον αὐτοῦ κατὰ πρόληψιν τὸν τύπον μαθόντες. ἐναργεῖς οὖν εἰσὶν αἱ προλήψεις· Καὶ τὸ δοξαστὸν, ἀπὸ προτέρου τινὸς ἐναργοῦς ἤρτηται. ἐφ' ὃ ἀναφέροντες λέγομεν. οἷον, Πόθεν ἴσμεν εἰ τοῦτό ἐστιν ἄνθρωπος. τὴν δὲ δόξαν, καὶ ὑπόληψιν λέγουσιν. ἀληθῆ τε εἶναί φασι καὶ ψευδῆ, διὰ τὸ προσθεῖναι, ἢ ἀφελεῖν τι, καὶ ἐπιμαρτύρησιν, ἢ ἀντιμαρτύρησιν πρὸς

τοῦ ἐναργοῦς ἔχει, ἢ μὴ ἔχειν. Ἂν μὲν γὰρ ἐπιμαρτυρῆται, ἢ μὴ ἀντιμαρτυρῆται, ἀληθῆ εἶναι. ἐὰν δὲ μὴ ἐπιμαρτυρῆται ἢ ἀντιμαρτυρῆται, ψευδῆ τυγχάνειν· ὅθεν καὶ τὸ Προσμενόμενον εἰσήχθη· οἷον, τὸ Προσμεῖναι καὶ ἐγγὺς γενέσθαι τῷ πύργῳ, καὶ μαθεῖν, εἰ μὲν ὁποῖος, πόῤῥωθεν, τοῖος καὶ ἐγγὺς φαίνεται.

Πάθη δὲ λέγουσιν εἶναι δύο, Ἡδονὴν καὶ Ἀλγηδόνα. ἱστάμενα περὶ πᾶν ζῷον. καὶ τὴν μὲν, οἰκεῖον· τὴν δὲ, ἀλλότριον. δι' ὧν κρίνεσθαι τὰς αἱρέσεις καὶ φυγάς.

Τῶν τε Ζητήσεων εἶναι τὰς μὲν περὶ τῶν πραγμάτων, τὰς δὲ, περὶ ψιλὴν τὴν φωνήν.

Καὶ ταῦτα δὲ περὶ τῆς διαιρέσεως, καὶ τοῦ κριτηρίου στοιχειωδῶς. ἰτέον δὲ ἐπὶ τὴν ἐπιστολήν.

gantem, non ſuffragantem habet, *exempli gratiâ, dum turris procul apparet oculo rotunda: Senſus quidem verus eſt, quia reuerâ ſpecie rotunditatis afficitur, eáque ſpecies & talis eſt, & cauſam habet neceſſariam, propter quam in huiuſmodi diſtantia ſit talis. Non fallitur autem, quia talem eſſe turrim non pronunciat, ſed paſſiuè ſolùm ſe habet, ſpeciem accipiens, ac referens dumtaxat, quid ſibi appareat. Verùm Opinio (ſeu mavis Mens, cuius eſt opinari, ſeu iudicium ferre) quatenus addit quaſi de ſuo, turrim eſſe id, quod ſenſui apparet, ſeu eſſe turrim in ſe, & reuerâ rotondam; Opinio, inquam, ipſa eſt, quæ vera eſſe, aut falſa poteſt.* Nam veram quidem eſſe *aiunt*, ſi illi ſuffragetur, vel non refragetur euidentia, falſam, ſi eadẽ euidentia aut refragetur, aut non ſuffragetur. *Euidentia, inquam, qualis v. c. in exemplo propoſito haberi poteſt, ſi accedatur propius.* Ex hoc proinde ortum habet, quod illi dicunt Proſmenomenon, *quaſi dixeris exſpectabile, exſpectandúmve eſſe, neque illicò temeréve de re apparente pronunciandum*; quale eſt nimirùm, quod exſpectare iubent, & accedere cominùs ad turrim; *exploraréque*, & addiſcere talisne cominùs, qualis & eminùs appareat.

Poſtremò Paſſiones dicunt eſſe duas, Voluptatem puta, ac Dolorem, quibus Animal omne afficitur: & priorem quidem congruam, poſteriorem incongruam eſſe; ac per ipſas quid eligendum fugiendúmve ſit, iudicari.

Ad Quæſtiones quod attinet, docent alias de ipſis rebus, alias de nuda voce inſtitui.

Atque hæc quidem compendiosè de *Philoſophiæ* diuiſione, déque Criterio, *ſeu Canonica parte* dicta ſunto. Accedendum iam ad Epiſtolam.

ΕΠΙΚΟΥΡΟΣ ΗΡΟΔΟΤΩ χαίρειν.

Τοῖς μὴ δυναμένοις, ὦ Ἡρόδοτε, ἕκαστα τῶν περὶ φύσεως ἡμῖν ἀναγεγραμμένων ἐξακριβοῦν, μηδὲ τὰς μείζους τῶν συντεταγμένων βίβλους διαθρεῖν, ἐπιτομὴν τῆς ὅλης πραγματείας, εἰς τὸ κατασχεῖν τῶν ὁλοσχερεστάτων δοξῶν τὴν μνήμην, ἱκανῶς αὐτοῖς παρεσκεύασα· ἵνα παρ' ἑκάστους τῶν καιρῶν ἐν τοῖς κυριωτάτοις βοηθεῖν αὐτοῖς δύνωνται, καθ' ὅσον ἂν ἐφάπτωνται τῆς περὶ φύσεως θεωρίας. Καὶ τὴν καὶ τοὺς προβεβηκότας ἱκανῶς ἐν τῇ τῶν ὅλων ἐπιβλέψει, τῷ τύπῳ τῆς ὅλης πραγματείας τὸν κατεστοιχειωμένον δεῖ μνημονεύειν. τῆς γὰρ ἀθρόας ἐπιβολῆς πυκνὸν δεόμεθα· τῆς δὲ κατὰ μέρος, οὐχ ὁμοίως.

EPICVRVS HERODOTO S:

Cvm nonnulli ſint, ô Herodote, qui ſingula illa, quæ à nobis conſcripta de Natura ſunt, cognoſcere ad vnguem non poſſunt, neque prolixiores à nobis contextos libros peruoluere; hiſce ego ad retinendum generaliorum ſaltem *circa res naturæ* opinionũ memoriam, apparaui idoneum quoddam ſcientiæ de Natura totius Compendium, vt quandocumque animum ad argumenta rerum præcipua aduertere voluerint, poſſint ipſimet ſibi opem ferre, pro eo certè modulo, quo ipſam Naturæ contemplationem attigerint. Sanè verò iis etiam, qui in rerum omnium, de quibus tractat Phyſiologia, ſpeculatione ſunt prouectiores, pervtile eſt compendiosâ quâdam tractationis totius ideâ ipſarum rerum per capita ſumma digeſtarum memoriam ueri. Scilicet crebrò euenit, vt generali quadam rerum inſpectione indigeamus; diſquiſitione ſpeciali non item.

Quamobrem hæc via tenenda, ac deinceps id ſtudij in excolenda memoria adhibendum continuò eſt, vt & ipſa ad res attentio conſtans, faciliſque euadat, & ex rerum formis, ſeu notionibus generaliter comprehenſis, animóque defixis; ac aliunde iuxta prima Principia, iuxtáque voces, quibus explicantur, expenſis, ſi quid fuerit ſpecialiter diſquirendum, inueniri poſſit. Quippe vbi talis conſtantia, facilitáſque parata eſt, & animus eſt generali, eáque exquiſita informatione præditus, efficitur, vt celeriter perſpicere ſi quid libeat, liceat. *Dico interim etiam iuxta voces*: quandoquidem fieri non poteſt, vt cohærens ſũma generalium capitum crebrò memoriâ repetatur, niſi quiduis ita contineat, vt vocibus paucis explicari poſſitiúdque etiam vbi aliquid exploratum ſpeciatim fuerit. Ex quo proinde efficitur, vt cùm iſthæc agendi ratio ſit maximè vtilis iis, qui ſunt Phyſiologiæ nati, dedítique: author ſim illis eiuſmodi in Phyſiologia operę (& maxime quidem ſi genere vitæ tranquillo fruantur) vt ipſi quoque talem quampiam opinionum generalium Epitomen, & quaſi per capita ſumma informationem ſibi conficiant.

Primùm igitur, ô Herodote, res ſubiectas vocibus, *ſeu quid voces ſignificẽt*, tenere diligenter oportet, vt habeamus, quò reſpicientes quæcumque ſiue opinamur, ſiue quærimus, ſiue ambigimus, diiudicare tutò poſſimus neque (dum omnia nos iniudicata prætereunt) tum illi, qui nobis aliquid demonſtrant abſque limite progrediantur; tum nos nihil aliud, quàm inaneis voces, *ſeu merum verborum ſonum*, excipiamus. Neceſſe eſt enim reſpicere nos ad illam notionem, *ſignificationémve* primariam, quâ vox quælibet vſurpatur, & ad illius perceptionem nullâ egere demõſtratione: ſi habituri quidem ſimus, quò id referamus, de quo quæritur, ambigitur, aut opinio fertur. Deinde oportet explorare omnia, aut per ipſos Senſus: aut per factas coram inſpectiones ſiue mentis, ſiúe cuiuſlibet criteriorum; aut per contingenteis denique paſſiones. Nimirùm, vt ſuppetat nobis, vnde coniecturam ducamus, tam circa id, quod Proſmenomenon, *ſeu exſpectabile* dicitur (*quaſi videlicet ſpes ſit, vt olim per ſe manifeſtiùs noſcatur*) quàm circa illud, quod immanifeſtum *per ſe ipſum* eſt, *ac poteſt per aliud dumtaxat cognoſci*. Sed his prætermiſſis, ad conſiderandum *ea, quæ ſunt hoc modo* immanifeſta accedendum eſt.

Ac imprimis quidem conſtare videtur, ex nihilo nihil fieri: in nihilum nihil abire. Nam, ſi aliquid ex nihilo fieret, poſſet quidlibet vndelibet naſci, nullatenus nempe ſeminibus egens; &, ſi illud, quod interit, in nihilum occideret,

Βαδιστέον μὲν οὖν καὶ ἐπέκεινα συνεχῶς ἐν τῇ μνήμῃ τοσοῦτον ποιητέον, ἀφ᾽ οὗ ἥ τε κυριωτάτη ἐπιβολὴ ἐπὶ τὰ πράγματα ἔσται, καὶ δὴ καὶ τὸ κατὰ μέρος ἀκρίβωμα πᾶν ἐξευρήσεται, τῶν ὁλοσχερεστάτων τύπων ἐμπεριειλημμένων, καὶ μνημονευομένων, (Ἐπεὶ καὶ τετελεσιουργημένου τοῦ κυριωτάτου, καὶ τοῦ παντὸς ἀκριβωμένου, γίνεται τὸ, ταῖς ἐπιβολαῖς ὀξέως δύνασθαι χρῆσθαι) ἢ καὶ πρὸς ἁπλᾶ στοιχειώματα, καὶ φωνὰς συναγομένων. Οὐ γὰρ οἷον τέ τὸ πύκνωμα τῆς συνεχοῦς τῶν ὅλων περιοδείας εἶναι, μὴ δυνάμενον διὰ βραχέων φωνῶν ἅπαν ἐμπεριλαβεῖν ἐν ἑαυτῷ, καὶ τὸ κατὰ μέρος ἐξακριβωθέν. Ὅθεν δή, χρησίμης οὔσης τοῖς ᾠκειωμένοις φυσιολογίᾳ τῆς τοιαύτης ὁδοῦ, παραινῶν τὸ συνεχὲς ἐνέργημα ἐν φυσιολογίᾳ, καὶ τοιοῦτο τοῖς μάλιστα ἐγγαληνίζουσι τῷ βίῳ, ποιήσασθαι καὶ τοιαύτην τινὰ ἐπιτομήν, καὶ στοιχείωσιν τῶν ὅλων δοξῶν.

Πρῶτον μὲν οὖν, τὰ ὑποτεταγμένα τοῖς φθόγγοις (ὦ Ἡρόδοτε) δεῖ εἰληφέναι, ὅπως ἂν τὰ δοξαζόμενα, ἢ ζητούμενα, ἢ ἀπορούμενα ἔχωμεν εἰς ὃ ἀνάγοντες ἐπικρίνειν, καὶ μὴ ἄκριτα πάντα ἡμῖν εἰς ἄπειρον ἀποδεικνύωσιν, ἢ κενοὺς φθόγγους ἔχωμεν. ἀνάγκη γὰρ τὸ πρῶτον ἐννόημα καθ᾽ ἕκαστον φθόγγον βλέπεσθαι, καὶ μηθὲν ἀποδείξεως προσδεῖσθαι εἴπερ ἕξομεν τὸ ζητούμενον, ἢ ἀπορούμενον, καὶ δοξαζόμενον ἐφ᾽ ὃ ἀνάξομεν. Εἶτα κατὰ τὰς αἰσθήσεις δεῖ πάντα τηρεῖν, καὶ ἁπλῶς κατὰ τὰς παρούσας ἐπιβολάς, εἴτε διανοίας, εἴθ᾽ ὁτουδήποτε τῶν κριτηρίων. Ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὰ ὑπάρχοντα πάθη, ὅπως ἂν καὶ τὸ Προσμενόμενον, καὶ τὸ Ἄδηλον ἔχωμεν οἷς σημειωσόμεθα. ταῦτα δὲ διαλαβόντας συνορᾶν δεῖ περὶ τῶν ἀδήλων.

Πρῶτον μὲν, ὅτι οὐδὲν γίνεται ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, καὶ οὐδὲν φθείρεται εἰς τὸ μὴ ὄν. Εἰ μὲν γὰρ ἐγίνετο τὸ ἐκφαινόμενον ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, πᾶν ἐκ παντὸς ἐγίνετ᾽ ἄν, σπερμάτων γε οὐδὲν προσδεόμενον. καὶ εἰ ἐφθείρετο δὲ τὸ ἀφανιζόμενον εἰς τὸ μὴ ὄν, πάντα

ἂν

οὐ ἀπολώλει τὰ πράγματα, οὐκ ὄντων τῶν εἰς ἃ διελύετο.

Καὶ μὴν καὶ τὸ πᾶν ἀεὶ τοιοῦτον ἦν, οἷον νῦν ἐστι, καὶ ἀεὶ τοιοῦτον ἔσται. οὐθὲν γάρ ἐστιν εἰς ὃ μεταβάλλει, καὶ παρὰ τὸ πᾶν οὐθέν ἐστιν, ὃ ἂν εἰσελθὸν εἰς αὐτὸ, μεταβολὴν ποιήσαιτο. [Τοῦτο δὲ καὶ ἐν τῇ μεγάλῃ Ἐπιτομῇ φησὶ, κατ᾽ ἀρχὴν, καὶ ἐν τῇ πρώτῃ περὶ Φύσεως.]

Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ Πᾶν ἐστι πῇ μὲν Σῶμα, πῇ δὲ Κενόν. Καὶ τὰ μὲν σώματα ὡς ἔστιν, καὶ αὐτὴ ἡ αἴσθησις ἐπὶ πάντων μαρτυρεῖ, καθ᾽ ἣν ἀναγκαῖον τὸ ἄδηλον τῷ λογισμῷ τεκμαίρεσθαι, ὥσπερ προεῖπον τὸ πρόσθεν. Εἰ δὲ μὴ ἦν ὃ καὶ κενὸν, καὶ χώραν, καὶ ἀναφῆ φύσιν ὀνομάζομεν, οὐκ ἂν εἶχε τὰ σώματα ὅπου ἦν, οὐδὲ δι᾽ οὗ ἐκινεῖτο, καθάπερ φαίνεται κινούμενα.

Παρὰ δὲ ταῦτα οὐθὲν ἐπινοηθῆναι δύναται, οὔτε περιληπτῶς, οὔτ᾽ ἀναλόγως τοῖς περιληπτοῖς, εἰ μὲν αὐτὰ ἦν ὡς καθ᾽ αὐτὰς φύσεις λαμβανόμενα, καὶ μὴ ὡς τὰ τούτων συμπτώματα, ἢ συμβεβηκότα λεγόμενα. [Ταὐτὸ δὲ τοῦτο καὶ ἐν τῇ πρώτῃ περὶ Φύσεως φησὶ, καὶ ἐν τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ, καὶ πεντεκαιδεκάτῃ, καὶ ἐν τῇ μεγάλῃ Ἐπιτομῇ.]

Καὶ μὴν καὶ τῶν σωμάτων τὰ μέν ἐστι Συγκρίσεις, τὰ δ᾽ ἐξ ὧν αἱ συγκρίσεις πεποίηνται. Ταῦτα δέ ἐστιν Ἄτομα καὶ ἀμετάβλητα, εἴπερ μὴ μέλλει πάντα εἰς τὸ μὴ ὂν φθαρήσεσθαι ἀλλ᾽ ἰσχύειν, καὶ ὑπομένειν, ἐν ταῖς διαλύσεσι τῶν συγκρίσεων, πλήρη τινὰ φύσιν, ἅτε οὐκ ἔχουσαν ὅπῃ, ἢ ὅπως διαλυθήσεται. ὥστε τὰς τῶν σωμάτων ἀρχὰς ἀναγκαῖον εἶναι ἀτόμους καὶ ἀμεταβλήτους φύσεις.

Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ Πᾶν, ἄπειρόν ἐστι. τὸ γὰρ πεπερασμένον, ἄκρον ἔχει· τὸ δὲ ἄκρον, ἔχον παρ᾽ ἕτερόν τινος θεωρεῖται· τὸ δὲ Πᾶν οὐ παρ᾽ ἕτερόν τινος θεωρεῖται· ὥστε οὐκ

perirent prorſus omnia, tanquam non ſuperſtitibus iis, in quæ diſſoluerētur.

Deinde Vniuerſum, *ſeu Omne (quod etiam Vniuerſitatem, & Naturam rerum appellant)* tale ſemper fuit, quale & iam eſt; & quale iam eſt, tale ſemper erit. Quippe & nihil eſt, in quod, *quaſi vniuerſi naturam habere deſinat*, mutetur; ac præter Vniuerſum *omnia complectens*, nihil eſt, quod in ipſum irrumpens, ſit illi mutationis cauſa. HOC VERO ILLE ETIAM AIT TVM IN EPITOME MAGNA SVB INITIVM; TVM IN LIBRO DE NATVRA PRIMO.

Vniuerſum autem partim quidem Corpus, partim verò Inane eſt: *ſeu, quod idem eſt, nihil aliud in Vniuerſo reperitur, præter Corpora, & Inane.* Et quòd ſint quidem corpora, ipſe maximè atteſtatur ſenſus; ex quo aliunde ducere coniecturam neceſſe eſt ad id, quod eſt immanifeſtum vt ſuperiùs iam attigi. Niſi verò id eſſet quoque; quod & Inane, *ſeu Vacuum*, & Regionem, *ſeu Spatium, ac Locum*; & Intactilem, *ſiue Incorpoream* naturam vocamus; non haberent corpora neque vbi eſſent; neque quà motus ſuos obirent; cùm moueri ea quidem manifeſtum ſit.

Præter hæc *duo* verò, *Corpus ſcilicet, ac inane*, nihil licet intelligi, neque comprehenſiuè (*quo modo ea, quæ per ſe, directéque in notitiam cadunt, intelliguntur*) neque comparatè ad ea, quæ comprehenſa fuerint (*quo modo ea intelliguntur, quæ per proportionem ſolam innoteſcunt*) Nihil licet, inquam, ſi ea quidem, *quæ intelligentur eiuſmodi ſint*; *vt* accipiantur quaſi quædam per ſe exſiſtentes, *ſubſiſtenté ve* naturæ, *ſeu quaſi ſubiecta*; non verò vt quædam, quæ eſſe dicuntur eorum Coniuncta, & Euenta, *ſeu Contingentia, & Accidentia.* HOC IPSVM VERO HABET ETIAM TVM IN LIBRIS DE NATVRA I. XIV. XV. TVM IN MAGNA EPITOME.

Corporum porrò, alia Concretiones, *ſeu, mauis, concretā, compoſitáve corpora* ſunt; alia ſunt, ex quibus concretiones fiunt. Hæc verò, *ex quibus, vt primis Principiis concretiones fiunt*, Atoma ſunt, *ſeu inſectilia, nullave vi diuiſibilia*, ac idcircò immutabilia, *ſiue in ſeipſis mutationis omnis expertia*; ſi futurum eſt quidem, vt omnia non intereant in nihilum; verùm conſiſtat, perſeuerétque, dum concretiones diſſoluuntur, plena quædam, *ſeu vacui expers (ſolidáque adeò)* natura, quippe quæ non habeat quà ex parte, aut quomodo *fiſſuram admittat, ſicque* diſſoluatur. Adeò proinde, vt ſit neceſſe; ea, quæ dicuntur *compoſitorum* corporum principia, inſectileis eſſe, ac immutabileis naturas.

Rurſus, Vniuerſum infinitum eſt. Id enim quod finitum eſt, extremum habet; quod verò extremum habet, id ex alio quopiam cernitur (*ſeu ex interuallo extra aſſumpto cerni poteſt*) at Vniuerſum ex alio quopiam extrinſecùs non

cernitur (*quippe cùm nihil ſit interualli, ſiue ſpatij, quod intra ſeipſum non contineat, alioquin enim Vniuerſum, niſi vniuerſum ſpatium contineret, non foret.*) Quare neque habet extremũ; quod porrò non habet extremum, id neque finem habet; quod verò finem non habet, id non finitum ſanè, ſed infinitum eſt Eſt autem Vniuerſum duplici titulo infinitum; multitudine *nempe* corporum, & magnitudine Inanis. Nam ſi Inane quidem infinitum, & Corpora finita forent, tum corpora (*quæ in perpetuo ſunt motu*) nuſquam conſiſterent, ſed per infinitum Inane diſperſa ferrentur, tanquam nihil habentia, à quo ſiſterentur, compeſcerentúrque variis retuſionibus. Sin verò Inane finitum, Corpora forent infinita; tum non pateret locus, in quo exſiſtere infinita corpora poſſent.

Ad hæc corpora illa inſectilia, plenáve, *ſiue ſolida*, ex quibus fiunt, & in quæ reſoluuntur concretiones, incomprehenſibilia ſunt differentiis, *ſeu varietate* figurarum. Neque enim hæc tot, tantáque *rerum concretarum* diſcrimina eſſent, ſi huiuſmodi figurarum *in principiis* diuerſitas animo comprehenſibilis foret. At verò tamẽ in vnaquaque figurationis ſpecie, infinitæ numero ſimpliciter ſunt Atomi (*ſic enim deinceps vocentur huiuſmodi corpuſcula*) quoniam alioquin Vniuerſum infinitum non foret multitudine Atomorum, niſi Atomi, quæ ſunt inter ſe figuratione ſimiles, infinitæ numero ſimpliciter eſſent. Non ſunt verò etiam Atomi habendæ differentiarum numero infinitæ ſimpliciter, ſed vt iam dictum, ſolummodò animo incomprehenſibiles; niſi quis fortè ipſas ad vſque infinitam ſimpliciter magnitudinem adauctas concipiat, quatenus in magnitudine quæ finita ſit, intelligi diuerſitates, quæ ſint infinitæ non poſſunt. ALIVNDE PORRO DOCET INFERIVS MAGNITVDINIS DIVISIONEM IN INFINITVM NVLLAM DARI. DICIT HOC AVTEM POSTQVAM MEMINIT TRANSMVTATIONIS QVALITATVM.

Mouentur porrò Atomi continenter, ac per omne æuum. DICIT AVTEM INFERIVS MOVERI QVOQVE IPSAS ÆQVIVELOCITER, DONEC FERVNTVR PER INANE; VTPOTE QVOD CONSIMILEM TAM LEVISSIMIS, QVAM GRAVISSIMIS TRAIECTIONIS FACILITATEM PRÆBEAT. Et dum contingit quidem, vt in complexionem, *connexúmve plurium, ſibi mutuò obſtantium, aut ſeſe etiam mutuò irretientium, vt maximè ſit in concretionibus*, incurrant, *vnde & videantur non moueri, ſed quieſcere; tum tamen adhuc* partim longiùs, partim propiùs à ſe inuicem diſſitæ, *agitationem, ſeu* ſpeciem palpitationis obtinent, deflexæ *nimirum*, repreſſæve à cæteris, quæ talem complexum, *cætumve* conſtituunt. Cauſa verò huiuſce rei, *hoc eſt agitationis, ſeu quaſi palpitationis inteſtinæ, atque continuæ*, eſt

ἄκρον ἔχειν. Τὸ δὲ οὐκ ἔχον ἄκρον, πέρας οὐκ ἔχει· πέρας δὲ οὐκ ἔχον, ἄπειρον ἂν εἴη, καὶ οὐ πεπερασμένον. καὶ μὴν καὶ τῷ πλήθει τῶν σωμάτων ἄπειρόν ἐστι τὸ πᾶν, καὶ τῷ μεγέθει τοῦ κενοῦ. εἴτε γὰρ ἦν τὸ κενὸν ἄπειρον, τὰ δὲ σώματα ὡρισμένα, οὐδαμοῦ ἂν ἔμενε τὰ σώματα, ἀλλ' ἐφέρετο κατὰ τὸ ἄπειρον κενὸν διεσπαρμένα, οὐκ ἔχοντα τὰ ὑπερείδοντα καὶ στέλλοντα κατὰ τὰς ἀνακοπάς. εἴτε τὸ κενὸν ἦν ὡρισμένον, τὰ δὲ σώματα ἄπειρα, οὐκ ἂν εἶχε τὰ ἄπειρα σώματα ὅπου ἂν ἔστη.

Πρὸς δὲ τούτοις, τὰ ἄτομα τῶν σωμάτων καὶ μεστὰ, ἐξ ὧν καὶ αἱ συγκρίσεις γίνονται, καὶ εἰς ἃ διαλύονται, ἀπερίληπτά ἐστι ταῖς διαφοραῖς τῶν σχημάτων. οὐ γὰρ δυνατὸν γενέσθαι τὰς τοσαύτας διαφορὰς ἐκ τῶν αὐτῶν σχημάτων περιειλημμένων. καὶ καθ' ἑκάστην δὲ σχημάτισιν ἁπλῶς ἄπειροί εἰσιν ἄτομοι. Οὐ γὰρ τὸ Πᾶν εἴη τῷ πλήθει τῶν ἀτόμων ἄπειρον, εἰ μὴ ἁπλῶς ἄπειροι ἂν εἶεν αἱ καθ' ἑκάστην τε σχημάτισιν ὅμοιαι. Ταῖς δὲ διαφοραῖς οὐχ ἁπλῶς ἄπειροί εἰσιν, ἀλλὰ μόνον ἀπερίληπτοι ὥσπερ εἴρηται, εἰ μὴ μέλλει τις καὶ τοῖς μεγέθεσιν ἁπλῶς εἰς ἄπειρον αὐτὰς ἐκβάλλειν, ἅτε ἐν τῷ ὡρισμένῳ μεγέθει ἀπείρους ἐννοεῖν διαφορὰς ἀδυνάτων. [φησὶ δὲ καὶ ἐνδοτέρω οὐκ εἰς ἄπειρον τὴν τομὴν τυγχάνειν. λέγει δὲ, ἐπειδὴ καὶ τὸ τῶν ποιοτήτων μεταβολῆς μέμνηται.]

Κινοῦνταί τε συνεχῶς αἱ ἄτομοι, εἰς τὸν αἰῶνα. [φησὶ δὲ ἐνδοτέρω καὶ ἰσοταχῶς αὐτὰς κινεῖσθαι, τοῦ κενοῦ τὴν εἶξιν ὁμοίαν παρεχομένου καὶ τῇ κουφοτάτῃ καὶ τῇ βαρυτάτῃ.] Καὶ αἱ μὲν, εἰς μακρὰν ἀπ' ἀλλήλων διιστάμεναι· αἱ δὲ χεδὸν τὸν παλμὸν ἴσχουσιν, ὅταν τύχωσι τὴν περιπλοκὴν κεκλιμέναι, ἢ στεγαζόμεναι ὑπὸ τῶν περιπλεκτῶν. ἥ τε γὰρ τοῦ κενοῦ φύσις, ἡ διορίζουσα ἑκάστην αὐτὴν, τοῦτο παρασκευάζει, τὴν ὑπέρεισιν οὐχ οἵα τε οὖσα ποιεῖσθαι.

κινοῦνται. ἥ τε στερεότης ἐνυπάρχουσα αὐταῖς κατὰ σύγκρουσιν, τὸν ἀποπαλμὸν ποιεῖ, ἐφ' ὁπόσον ἂν ἡ περιπλοκὴ τὴν ἀποκατάστασιν ἐκ τῆς συγκρούσεως διδῷ. ἀρχὴ δὲ τούτων οὐκ ἔστιν ἀιδίων τῶν ἀτόμων οὐσῶν καὶ τοῦ κενοῦ. [Φησὶ δ' ἐνδοτέρω μηδὲ ποιότητά τινα περὶ τὰς ἀτόμους εἶναι, πλὴν σχήματος καὶ μεγέθους καὶ βάρους. τὸ δὲ χρῶμα παρὰ τὴν θέσιν τῶν ἀτόμων ἀλλάττεσθαι, ἐν ταῖς δώδεκα στοιχειώσεσι φησί. πᾶν τε μέγεθος μὴ εἶναι περὶ αὐτάς· οὐδέποτε γοῦν ἄτομον ὤφθαι αἰσθήσει.] Τοσαύτη δ' ἡ φωνὴ, τούτων πάντων μνημονευομένων τὸν ἱκανὸν τύπον ὑποβάλλει τῆς τῶν ὄντων φύσεως ἐπινοίας.

Ἀλλὰ μὴν καὶ κόσμοι ἄπειροι εἰσὶν, οἵθ' ὅμοιοι τούτῳ, οἵτ' ἀνόμοιοι. αἵ τε γὰρ ἄτομοι ἄπειροι οὖσαι, ὡς ἄρτι ἀπεδείχθη, δι' ἀπείρου φέρονται, καὶ πόῤῥω τούτου, καὶ ἄλλυδις ἄλλαι, εἰς ἀπεργασίαν κόσμων ἀπείρων συνέρχονται). Οὐ γὰρ κατηνάλωνται αἱ τοιαῦται ἄτομοι ἐξ ὧν ἂν γένοιτο κόσμος, ἢ ὑφ' ὧν ἂν ποιηθείη, οὔθ' εἰς ἕνα, οὔτ' εἰς πεπερασμένους, οὔθ' ὅσοι τοιοῦτοι, οὔθ' ὅσοι διάφοροι τούτοις. ὥστε οὐδὲν τὸ ἐμποδίζον ἐστὶ πρὸς τὴν ἀπειρίαν τῶν κόσμων.

Καὶ μὴν καὶ τύποι ὁμοιοσχήμονες τοῖς στερεμνίοις εἰσὶ, λεπτότησιν ἀπέχοντες μακρὰν τῶν φαινομένων. Οὔτε γὰρ συστάσεις ἀδυνατοῦσιν ἐν τῷ περιέχοντι γίνεσθαι τοιαῦται, οὔτε ἐπιτηδειότητες εἰς τὰς κατεργασίας τῶν κοιλωμάτων καὶ λεπτοτήτων γίνεσθαι. Οὔτε ἀποῤῥοίαι τὴν ἑξῆς θέσιν καὶ τάξιν διατηροῦσαι, ἥν περ καὶ ἐν τοῖς στερεμνίοις εἶχον. τούτους δὲ τοὺς τύπους εἴδωλα προσαγορεύομεν.

partim quidem natura inanis, *quod etiam intra corpora compactiſsima interceptum ſingulas Atomos mutuò aut ex toto, aut ex parte dirimit*, neque eas ſiſtendi, firmandíque vim habet; partim verò ſoliditas Atomis ipſis competens, quæ ſcilicet præ colliſione, repercuſſionéque palpitationem efficit; quantum quidem ipſa complexio inſtaurari motum ex colliſione patitur. *Dixi verò Atomos eſſe per omne aeuum mobileis; quoniam* principium, ex quo fieri iſta cœperint nullum eſt; exſiſtentibus quippe Atomis, ipſoque Inani perpetuis. DOCET ET INFERIVS NVLLAM ATOMIS QVALITATEM COMPETERE, PRÆTER FIGVRAM MAGNITVDINEM ATQVE PONDVS (*hoc eſt naturalem quaſi impulſionem, à qua ille perpetuus, indeſinénſque motus eſt.*) NAM COLOREM *exempli gratiâ non ineſſe Atomis, ſed oriri*, COMMVTARIQVE PRO ATOMORVM POSITV IN IIS ETIAM LIBRIS AIT QVÆ ELEMENTALIA XII. INSCRIBVNTVR. *Addítque*, NON QVANTAMLIBET CONVENIRE ATOMIS MAGNITVDINEM: NEQVE ENIM ATOMVM *ullam etiam maximam*, TANTAM ESSE, QVÆ CADERE IN CONSPECTVM POSSIT. Atque hęc quidem *velut ſummaria* rerum omnium hactenus commemoratarum deductio ſubiicere cogitationi poteſt appoſitam quandam *vniuerſitatis, ſeu* naturæ rerum ideam.

Cæterùm, *in ipſa Vniuerſitate ſeu natura rerum* infiniti ſunt Mundi, alij quidem ſimiles iſti, *quem nos incolimus*, alij verò diſſimiles. Quippe Atomi, cùm ſint infinitæ, vt non multò antè demonſtratum eſt, per infinitatem ſpatiorum feruntur, & alibi aliæ, ac procul ab hoc ad fabrefactionem Mundorum infinitorum variè concurrunt. Atomi ſiquidem ad hoc comparatæ, vt ex ipſis Mundus conſtare, efficíve valeat, abſumi non poſſunt, *cùm ſint infinitæ*, neque in vnũ, neque in aliquot, qui definito numero ſint; & neque in quotcumque vniuſmodi, neque in quotcumque interſe diuerſos. Quare nihil obſtat quominùs ſit talis Mundorum infinitudo.

Sunt verò & quædam Effigies, *ſeu imagines ad viſionem inſeruientes*, quæ corporibus ſolidis delineatione conſimiles, ſuperant longè ſua tenuitate quicquid eſt rerum conſpicabilium. Neque enim formari repugnat etiam in medio aëre, *circumfuſóve ſpatio* huiuſcemodi quaſdam contexturas; vti neque eſſe *repugnat quaſdam in ipſis rebus, & maximè in atomis*, diſpoſitiones, ad operandum eiuſmodi *ſpectra, quaſunt quaſi quadam meraínanéſque* cauitates, & *ſuperficiales, ſoliditatíve expertes* tenuitates: neque *præterea repugnat* fieri *ex corporibus extimis* effluxiones quaſdam auolantium continenter Atomorum, in quibus idem poſitus, idémque ordo, qui fuerit in ſolidis, *ſuperficiebúſve ipſorum*, ſeruetur: *vt tales proinde effluxiones ſint quaſi formæ, ſiue effigies, & imagines corporum, à quibus dimanant* Tales autem formæ, ſiue effigies, & imagines ſunt, quas moris eſt nobis, vt Idola, *ſeu Simulacra* appellitemus.

Aſſumendum eſt autem motum *Atomorum* per ſpatium inane, in quo nihil occurrit, quod retundendo ipsũ deflectat, eius eſſe pernicitatis, vt quodlibet cogitabile ſpatium conficiat *momento, hoc eſt*, tempore inexcogitabiliter breui. *Dico autem, in quo nihil retundens occurrat*; nam alioquin frequens retuſio ſpeciem tarditatis, & immunitas à retuſione ſpeciem celeritatis ſubit. Neque verò propterea corpus (*ſeu Atomus, mauis*) quod retuſiones patitur varias, ad *hac, illáque* complura loca iis peruenit temporibus, quæ diſcernere mente liceat; quippe *illa diſcernere* in facultate mẽtis non eſt. Quin-etiam contingere poteſt, vt ſenſibili tempore accepto, idem corpus, tametſi variis deflexum retuſionibus, ita feratur, vt vndecumque ex ſpatiorum immenſitate adueniat, non liceat nobis deſignare aliquem locum, *ſeu terminum*, quem non tempore illo ſuperârit. Quippe talis eſſe (*hoc eſt tam parùm frequens, parúmque deflectens*) ea retuſio poteſt, vt ipſa quoque æmuletur quadamtenus celeritatem competentem motui, qui eſt retuſione immunis. Aſſumere verò perutile eſt, tum hoc fundamentum, tum ſubinde illud, *quod iam attigimus*, eſſe, *nempe* Simulacrorũ ineffabilem tenuitatem, vt cui nihil repugnet rerum apparentium; quoniam *cùm propter hanc tenuitatem Simulacra nihil aliud ſint, quàm textura quadam Atomorum ſimplicium*, ea celeritas ipſis competit, quæ captum omnem fugiat, habentibus putà traiectionem omnem *per circumfuſum, tranſparénſque ſpatium*, conſimilem illi, quæ per ſpatia illa infinita eſt. Quandoquidem non admodùm differt, ſeu nulla, ſeu pauca retundentia ſint, quæ illis per ſpatium circumſtans occurrant.

Ad-hæc ſciendum eſt procreationem huiuſmodi Simulacrorum temporis puncto peragi. Videlicet eorum effluxus ad ſuperficiem indeſinens, diſcerni ſigillatim nequit, quòd *vno obeunte, aliud cohærenter ſuccedat, inque eius locum veluti* ſuppleatur, ac ſeruet *continuò* eundem Atomorum ordinem, & poſitum, qui in ipſa ſolidi, *ſiue corporis* ſuperficie fuerit, idque in multum tempus, *multámve diſtantiam*; tametſi tandem confundatur. Quòd ſi ex eorum genere ſint, quæ ſunt quædam in aëre *ſpontè formata* contexturæ, ſunt ipſa quoque ortu veloci, quòd ſecundùm profunditatem, *ſoliditatémve* ea compleri nihil ſit neceſſe. Prætereo eſſe & alios modos, quibus naturæ hæ gigni poſſint; quando tale nihil horum Senſibus repugnat; ſi quis quodammodo ad ea, quæ euidentia ſunt, attendat, & ea quæ ex rebus externis conſentanea ſunt, ad nos referat.

Reputandum porrò *conſequenter* eſt, ideò externas rerum *facies*, formáſve à nobis videri, ac intelligi, qnòd aliquid *extrinſecùs* ex ipſis ad nos allabatur. Neque enim perinde intelligi poteſt res externas, & à nobis diſſitas, imprimere

Καὶ μὴν καὶ ἡ διὰ τοῦ κενοῦ φορὰ κατὰ μηδεμίαν ἀπάντησιν τῶν ἀντικοψάντων γινομένη, πᾶν μῆκος περιληπτὸν ἐν ἀπερινοήτῳ χρόνῳ συντελεῖ. βραδύτητος γὰρ καὶ τάχους ἀντικοπὴ, καὶ οὐκ ἀντικοπὴ ὁμοίωμα λαμβάνει. Οὐ μὴν οὐδὲ ἅμα κατὰ τοὺς διὰ λόγου θεωρητοὺς χρόνους τὸ ἀντικοπτόμενον σῶμα ἐπὶ τοὺς πλείους τόπους ἀφικνεῖται, ἀδιανόητον γάρ. Καὶ τοῦτο συναφικνούμενον ἐν αἰσθητῷ χρόνῳ ὅθεν δή ποθεν τοῦ ἀπείρου, οὐκ ἐξ οὗ ἂν περιλάβωμεν τὴν φορὰν τόπου ἔσται ἀφιστάμενον. Ἀντικοπῇ γὰρ ὁμοία ἔσται· κἂν μέχρι τοσούτου, τὸ τάχος τῆς φορᾶς μὴ ἀντικοπὴν καταλαβομένης. Χρήσιμον δὴ καὶ τοῦτο κατασχεῖν τὸ στοιχεῖον, καὶ τὸ, ὅτι τὰ Εἴδωλα ταῖς λεπτότησιν ἀνυπερβλήτοις κέχρηται (οὐθὲν γὰρ ἀντιμαρτυρεῖ τῶν φαινομένων) ὅταν καὶ τάχη ἀνυπέρβλητα ἔχῃ, πάντα πόρον σύμμετρον ἔχοντα πρὸς τῷ ἀπείρῳ. αὐτοῖς γὰρ μηθὲν ἀντικόπτειν, ἢ ὀλίγα ἀντικόπτειν, οὐ πολὺ διαφέρει ἐν τῷ περιέχοντι.

Πρός τε τούτοις, ὅτι ἡ γένεσις τῶν εἰδώλων ἅμα νοήματι συμβαίνει. Καὶ γὰρ ῥεῦσις ἀπὸ τῶν σωμάτων ἐπιπολῆς συνεχὴς οὐκ ἐπίδηλος σημειώσει, διὰ τὴν ἀνταναπλήρωσιν σώζουσα τὴν ἐπὶ τοῦ στερεμνίου θέσιν καὶ τάξιν τῶν ἀτόμων, ἐπὶ πολὺν χρόνον· εἰ καὶ ἐνίοτε συγχεομένη ὑπάρχει. Καὶ συστάσεις ἐν τῷ περιέχοντι ὀξεῖαι, διὰ τὸ μὴ δεῖν κατὰ βάθος τὸ συμπλήρωμα γίνεσθαι. Καὶ ἄλλοι δὲ τρόποι τινὲς γεννητικοὶ τῶν τοιούτων φύσεων εἰσίν. οὐθὲν γὰρ τούτων ἀντιμαρτυρεῖ ταῖς αἰσθήσεσιν, ἂν βλέπῃ τις, τινὰ τρόπον τὰς ἐναργείας· ἵνα καὶ τὰς συμπαθείας ἀπὸ τῶν ἔξωθεν πρὸς ἡμᾶς ἀνοίσῃ.

Δεῖ δὲ καὶ νομίζειν, ἐπεισιόντος τινὸς ἀπὸ τῶν ἔξωθεν, τὰς μορφὰς ὁρᾶν ἡμᾶς καὶ διανοεῖσθαι. Οὐ γὰρ ἂν ἀποσφραγίσαιτο τὰ

illa

ἔξω τὴν ἑαυτῶν φύσιν, τοῦ τε χρώματος καὶ τῆς μορφῆς, διὰ τοῦ ἀέρος τοῦ μεταξὺ ἡμῶν τε, κἀκείνων, οὐδὲ διὰ τῶν ἀκτίνων, ἢ οἵων δήποτε ῥευμάτων ἀφ' ἡμῶν πρὸς ἐκεῖνα παραγινομένων, οὕτως, ὡς τύπων τινῶν ἐπεισιόντων ἡμῖν ἀπὸ τῶν πραγμάτων, ἀπό χροῦν τε καὶ ὁμοῦ μορφῶν, κατὰ τὸ ἐνάρμοσον μέγεθος, εἰς τὴν ὄψιν, ἢ τὴν διάνοιαν ὠκέως ταῖς φοραῖς χρωμένων. Εἶτα διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν (τοῦ τε ἑνὸς καὶ συνεχοῦς τὴν φαντασίαν ἀποδιδόντος, καὶ τὴν συμπάθειαν ἀπὸ τοῦ ὑποκειμένου σώζοντος, κατὰ τὸν ἐκεῖθεν σύμμετρον ἐπερεισμὸν, ἐκ τοῦ κατὰ βάθος ἐν τῷ στερεμνίῳ τῶν ἀτόμων πάλσεως) καταλαμβάνομεν τὴν φαντασίαν ἐπιβλητικῶς τῇ διανοίᾳ, ἢ τοῖς αἰσθητηρίοις, εἴτε μορφῆς, εἴτε συμβεβηκότων. Μορφὴ δέ ἐστιν αὕτη τοῦ στερεμνίου, γινομένη κατὰ τὸ ἑξῆς πύκνωμα, ἢ ἐγκατάλειμμα τοῦ εἰδώλου.

Καὶ πᾶσα μὲν φαντασία εἴτε διανοίᾳ, εἴτ' αἰσθήσει καταλαμβανομένη, οὐ μέν τοι διαλαμβανομένη, ἐστὶν ἀληθής· τὸ δὲ ψεῦδος καὶ τὸ διημαρτημένον, εἴτε μὴ ἐπιμαρτυρηθῇ, εἴτε καὶ ἀντιμαρτυρηθῇ ἐν τῷ προσδοξαζομένῳ ἀεί ἐστι, κατὰ τὴν κίνησιν ἐν ἡμῖν αὐτοῖς συνημμένην μὲν τινι φανταστικῇ ἐπιβολῇ, διάληψιν δὲ ἔχουσαν καθ' ἣν τὸ ψεῦδος γίνεται. ἥ τε γὰρ ὁμοιότης τῶν φαντασμῶν οἱονεὶ ἐν τῇ μανίᾳ λαμβανομένων, ἢ καθ' ὕπνους γινομένων, ἢ κατ' ἄλλας τινὰς ἐπιβολὰς τῆς διανοίας, ἢ τῶν λοιπῶν κριτηρίων, οὐκ ἄν ποτε ὑπῆρχε τοῖς οὖσί τε καὶ ἀληθέσι προσαγορευομένοις, εἰ μὴ ἦν τινα καὶ τοιαῦτα πρὸς ἃ ἐπιβαλλώμεθα. τὸ δὲ διημαρτημένον οὐκ ἂν ὑπῆρχεν, εἰ μὴ ἐλαμβάνομεν καὶ ἄλλην τινὰ κίνησιν ἐν ἡμῖν αὐτοῖς συνημμένην μὲν, διάληψιν δὲ ἔχουσαν. Κατὰ δὲ ταύτην τὴν κίνησιν συνημμένην τῇ φανταστικῇ ἐπιβολῇ, διάληψιν δὲ ἔχουσαν. ἐὰν μὲν μὴ ἐπιμαρτυρηθῇ, ἢ ἀντιμαρτυρηθῇ, τὸ ψεῦδος γίνεται· ἐὰν δὲ ἐπιμαρτυρηθῇ, ἢ μὴ ἀντιμαρτυρηθῇ, τὸ ἀληθές. Καὶ

nobis quaſi ſigillatione quadam ſui, colorisve atque formæ ſpeciem, intercedente aëre, nos inter & ipſas (*quaſi organo quodam*) intercepto: neque etiam id fieri interuenientibus radiis, aut effluxibus aliis quibuſcumque ex nobis, *oculisve noſtris* ad ipſas promanantibus. *Non, inquam, perinde intelligi poteſt*; ac *dum* fieri *id dicitur*; *quòd* effigies quædam aduenientes ex ipſis rebus, coloréve ſimul, formáque ipſarum, incurrant in nos, & ſeruatâ congruâ magnitudine, celeritérque admodum tranſlatæ, in noſtrum tum viſum, tum animum ſubeant; *ipsúmque percellant*. Subinde verò ob hanc cauſam (& quia quaſi vnum; continuúmque eſt, ſimulacrum nempe cõtinuò appellens, quod facit obiectum actu apparere, & conformitatem tuetur cum ipſo, pro concinna partium cohæſione, quam in ſuperficie illius obtinuit, dum ſuppeditante continẽter aliquid ex profunditate ſua, ſolido, ex Atomis conformaretur.) Hanc, inquam, ob cauſam, intuitiuè, vt ita loquar, tam mente, quam oculis apparentiam percipimus ſiue formæ, ſiue adiunctorum. Dicitur autem hoc loco forma, quæ eſt ipſius corporis propria, *ac eſſe intelligitur*, *quaſi* collectio partium *certo ordine poſitarum*, vel quaſi ſuperficies, quæ relinquitur ab auolante ſimulacro.

Ac omnis quidem apparentia, ſeu mente, ſeu ſenſu percepta, verumtamen non iudicata (*videlicet quandiu nulla affirmatio, aut negatio; ſed mera, nudáque eſt apprehenſio*) vera eſt. Falſitas autem, atque error (ſiue euidentia non ſuffragante, ſiue refragante, deprehendatur) eſt ſemper in eo, quod, præter apparentiam nudam, opinamur ob motionem quandam, *ſeu actionem mentis* in nobis *excitatam*, quæ cohæreat quidem, *ſeu dependeat*, *connexáve ſit* cum apprehenſione cuiuſpiam apparentiæ: ſed iudicium tamen inſuper adhibeat, in quo ſolo falſitas conſiſtit. Profectò enim etiam apparentiæ, quæ conſimiles cæteris, aut per furorem, (exempli gratiâ) percipiuntur, aut inter ſomniandum creantur, aut aliâ quâpiam apprehenſione ſeu mentis, ſeu alterius criterij contingunt, non eſſent omnino in rerum natura (*quo modo eſſe dicimus ea*, quæ & Entia, & Vera vocantur) niſi aliqua talia forent, ad quæ intuentes collinearemus: ac error in nobis non contingeret, niſi motionem aliam admitteremus prætereà, cohærentem quidem apparentiis, ſed iudicium tamen de iis adhibentem. Secundùm hanc ergo motionem cohærentem quidem apprehenſioni apparentiæ, ſed ſuperadhibentem iudicium, ſi res euidentes non ſuffragentur, aut etiam refragentur, falſitas creatur; quemadmodum veritas eſt, ſi aut ſuffragentur, aut non re-

fragentur. Oportet autẽ tenere hoc, quaſi inconcuſſum principium, ne aut Criteria quæ ſtabiliuntur per euidentiam euertantur; aut error pari robore, quo veritas, conſtabilitus, omnia ſúſque déque perturbet.

Cæterùm, *vt Viſionem fieri ex aliquo extrinſecùs aduenienente deduximus; ita* Auditio quoque fit, effluxu aliquo tranſlato ex eo vſque, quod loquitur, aut reſonat, aut ſtrepitum edit, aut quomodocumque tandem ad ſenſum auditus excitandum eſt comparatum. Talis verò effluxus, *inſtar guttularum aquæ à fullone exſufflatæ*, diſpergitur in moleculas, quę ex particulis ſimilibus conſtent: vnde & conuenientiam inter ſe mutuò aliquam ſeruent (*ac varios proinde auditus pari modo ferant*) & maneant in ſe vnaquæque ſpeciali cohærentiâ, quæ efficiat, vt agnoſcantur ad illud ſpectare, à quo ſunt emiſſæ, & talem ſenſionem vt plurimùm creet, qualis ab illo, quod ſonum emiſit, apparata eſt; ſin minùs (*vt cum magna parte ab interſepto aliquo, aut præ interualli longitudine diſsipatur*) confusè ſolum aliquid exteriùs ſonare inſinuet. Quippe abſque tranſlata quadam, & à ſonante vſque re ſeruata cõuenientia, cohærentiáque, non fieret vſquam eiuſmodi, *quæ eſſet diſtincta*, auditio. Neque verò eſt, cur exiſtimemus, cùm ſemel vox emiſſa eſt, aërem deinceps aut ab eâ, aut ab aliis ex ea creatis configurari, *conformaríve in voces ſimileis* (nimio enim foret molimine opus, ſi ad tale quid ſubeundum deſtinatus foret) ſed ſimul, ac in nobis fit ictus, quando vocem emittimus, ipſam talem ex certis quibuſdam ſpiritualis, *ſubtiliſsimíve* effluxus moleculis ad hoc idoneis articulari, & *appulſu ad aureis facto*, auditionem in nobis creare.

ταύτην οὖν σφόδρα γε δεῖ τὴν δόξαν κατέχειν, ἵνα μήτε τὰ κριτήρια ἀναιρῆται, τὰ κατὰ τὰς ἐναργείας, μήτε τὸ διημαρτημένον ὁμοίως βεβαιούμενον πάντα συνταράττῃ.

Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ ἀκούειν γίνεται ῥεύματός τινος φερομένου ἀπὸ τοῦ φωνοῦντος, ἢ ἠχοῦντος, ψοφοῦντος, ἢ ὅπως δή ποτε ἀκουστικὸν πάθος παρασκευάζοντος. τὸ δὲ ῥεῦμα τοῦτο εἰς ὁμοιομερεῖς ὄγκους διασπείρεται, ἅμα τινὰ διασώζοντας συμπάθειαν πρὸς ἀλλήλους, καὶ ἑνότητα ἰδιότροπον διατείνουσαν πρὸς τὸ ἀποστεῖλαν, καὶ τὴν ἐπαίσθησιν, τὴν ἀπ' ἐκείνου ὡς τὰ πολλὰ ποιοῦσαν· εἰ δὲ μή γε, τὸ ἔξωθεν μόνον ἔνδηλον παρασκευάζουσαν. ἄνευ γὰρ ἀναφερομένης τινὸς ἐκεῖθεν συμπαθείας, καὶ ἑνότητος, οὐκ ἂν γένοιτο ἡ τοιαύτη ἐπαίσθησις. οὐκ αὐτὸν οὖν δεῖ νομίζειν τὸν ἀέρα ὑπὸ τῆς προϊεμένης φωνῆς, ἢ καὶ τῶν ὁμογενῶν σχηματίζεσθαι (πολλὴν γὰρ ἔνδειαν ἕξει τοῦτο πάσχων ὑπ' ἐκείνης) ἀλλ' εὐθὺς τὴν γινομένην πληγὴν ἐν ἡμῖν ὅταν φωνὴν ἀφιῶμεν, τοιαύτην ἔκ τινων ὄγκων ῥεύματος πνευματώδους ἀποτελεστικῶν ποιεῖσθαι, καὶ τὸ πάθος τὸ ἀκουστικὸν ἡμῖν παρασκευάζεσθαι.

Καὶ μὴν καὶ τὴν ὀσμὴν νομιστέον, (ὥς εἶπον κατὰ τὴν ἀκοὴν) οὐκ ἄν ποτε πάθος οὐθὲν ἐργάσασθαι, εἰ μὴ ὄγκοι τινὲς ἦσαν ἀπὸ τοῦ πράγματος ἀποφερόμενοι, σύμμετροι πρὸς τὸ, τοῦτο τὸ αἰσθητήριον κινεῖν. οἱ μὲν τοῖοι, τεταραγμένως καὶ ἀλλοτρίως· οἱ δὲ τοῖοι, ἀταράχως καὶ οἰκείως ἔχοντες.

Καὶ μὴν καὶ τὰς ἀτόμους νομιστέον, μηδεμίαν ποιότητα τῶν φαινομένων προσφέρεσθαι, πλὴν σχήματος, καὶ βάρους, καὶ μεγέθους, καὶ ὅσα ἐξ ἀνάγκης σχήματος συμφυῆ ἐστι. Ποιότητες γὰρ ἄλλαι, οἷον χρῶμά τε, καὶ θερμότης παρὰ τὴν θέσιν τῶν ἀτόμων μεταβάλλουσι, διὸ καὶ ταῖς ἀτόμοις οὐκ ἐνυπάρχουσι. ποιότης δὲ πᾶσα αὐταῖς ἐνυπάρχουσα, καὶ ἰδία, οἵας

Quin-etiam, *vt & hoc addamus*, exiſtimandum eſt Odorem, vt *proportione* circa Auditum *de voce, aut ſono* declaratum eſt, non facturum vllam ſui impreſſionem, niſi ab odora re vſque deferrentur moleculæ, *ſeu corpuſcula* quædam eâ ratione commenſurata ipſi *Olfactus* ſenſorio, vt ipſum moueant, *afficiántve*: alia quidem ſe perturbatè, atque diſcrepanter habentia, *ex quo odores ingrati ſunt*; alia placidè, & accommodatè, *ex quo* ſunt odores iucundi.

Verùm, ad Atomos *vt redeamus*, arbitrandum eſt, nullam qualitatem ex vulgò apparentibus competere ipſis, præter Figuram, Pondus, Magnitudinem; & ſi quæ prætereà cum ipsâ figurâ neceſſariam cognationem habent, *cuiuſmodi ſunt, exempli cauſâ, aſperitas, & læuor*. Siquidem qualitates aliæ, quemadmodum color, aut calor pro varietate poſitionis Atomorum commutantur, ipſiſmétque adeò Atomis non inſunt, *ſeu à natura minimè ſunt*. Qualitas verò omnis ipſis in-

προσιέμεναι

περιειλημμένας ἐστὶ διαιρεῖν, μὴ μεταβάλλειν, ὡς καὶ αἱ ἄτομοι μηδὲν μεταβάλλουσιν. ἐπειδήπερ δεῖ τι ὑπομένειν ἐν ταῖς διαλύσεσι τῶν συγκρίσεων· στερεὸν καὶ ἀδιάλυτον, ὃ τὰς μεταβολὰς οὐκ εἰς τὸ μὴ ὂν ποιήσεται, οὐδ᾽ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, ἀλλὰ κατὰ μεταθέσεις μὲν πολλῶν, τινῶν δὲ καὶ προσόδους καὶ ἀφόδους. ὅθεν ἀναγκαῖον τὰ μὴ μετατιθέμενα ἄφθαρτα εἶναι, καὶ ὁμοῦ τὴν τοῦ μεταβάλλοντος φύσιν οὐκ ἔχοντας ὄγκους τε, καὶ σχηματισμοὺς ἰδίους· τούτους γὰρ καὶ ἀναγκαῖον ὑπομένειν, καὶ γὰρ ἐν τοῖς παρ᾽ ἡμῖν μετασχηματιζομένοις κατὰ τὴν περιαίρεσιν αὐτὸ τὸ σχῆμα καὶ τὸ μέγεθος ἐνυπάρχον λαμβάνεται· αἱ δὲ ποιότητες οὐκ ἐνυπάρχουσαι καὶ μὴ ἰδίαι, ἐν τῷ μεταβάλλοντι οὐχ ὥσπερ ἐκεῖναι καταλείπονται, ἀλλ᾽ ἐξ ὅλου τοῦ σώματος ἀπόλλυνται. ἱκανὰ οὖν τὰ ὑπολειπόμενα ταῦτα (ἅμα καὶ τὸ βάρος) τὰς τῶν συγκρίσεων διαφορὰς ποιεῖν· ἐπειδήπερ ὑπολείπεσθαί γέ τινα ἀναγκαῖον, καὶ εἰς τὸ μὴ ὂν μηδὲν φθείρεσθαι.

Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ δεῖ νομίζειν πᾶν μέγεθος ἐν ταῖς ἀτόμοις ὑπάρχειν, ἵνα μὴ τὰ φαινόμενα ἀντιμαρτυρῇ. Παραλλαγὰς δέ τινας μεγεθῶν νομιστέον εἶναι· βέλτιον γὰρ, καὶ τούτου προσόντος, τὰ κατὰ τὰ πάθη, καὶ τὰς αἰσθήσεις γινόμενα ἀποδοθήσεται. Πᾶν δὲ μέγεθος ὑπάρχον, οὔτε χρήσιμόν ἐστι πρὸς τὰς τῶν ποιοτήτων διαφορὰς, οὔτε ἀφῖχθαι μέλλει καὶ πρὸς ἡμᾶς ὁρατὰς ἀτόμους· τὸ γὰρ οὔτε θεωρεῖται γινόμενον, οὔθ᾽ ὅπως ἂν γένοιτο ὁρατὴ ἄτομος, ἐστὶν ἐπινοῆσαι.

Πρὸς δὲ τούτοις οὐ δεῖ νομίζειν ἐν τῷ ὡρισμένῳ σώματι ἀπείρους ὄγκους εἶναι, οὐδ᾽ ὁπηλικουσοῦν (ὥστε οὐ μόνον τὴν εἰς ἄπειρον τομὴν ἐπὶ τοὔλαττον ἀναιρετέον,

exſiſtens, *ſeu naturalis*, ac propria, eiuſmodi poſſunt *tres illa* memoratæ intelligi, mutationi non eſt obnoxia, vt neque obnoxiæ vllatenus ſunt ipſæ Atomi, quando neceſſe eſt in concretionum diſſolutionibus remanerè quidpiam ſolidum, ac indiſſolutum; quod præſtet, vt mutationes non in nihilum, aut ex nihilo fiant, ſed *contingant potiùs*, tum ob factam tranſpoſitionem *Atomorum* complurium, *quæ in vno ſitu, qualitatem vnam, in alio aliam exhibeant*; tum ob factum *de nouo* aliquarum acceſſum, & *praexſiſtentium aliqoarũ* diſceſſum, *ex quo iterùm qualitates varientur, ſeu aliæ; quàm priùs appareant*. Vnde & conſequitur, vt ea; quorum partes tranſponi, *adde & de nouo accedere, aut diſcedere*; nõ poſſunt (*cuiuſmodi ſunt Atomi*) incorrupta ſint; ac ſimul etiam *incorrupta ſint*, quæ *ipſorum adiuncta*, ſiue *proprietates* naturã mutationi obnoxiam non habent; moleculæ nempe, *ſeu quantillacumque magnitudines*, figurulæque *inexſiſtẽtes*; *ac* propriæ. Nimirùm & hæc ipſa ſunt; quæ vnà remanere *cum Atomorum ſubſtantia* in diſſolutionibus eſt neceſſe: Certè & in rebus, quæ vulgò apud nos ex arbitrio transformantur; *vt cùm Homo ex ſtante, aut recto, fit ſedens, contractúsve membris* (*adde & ſi velis denigratur, aut calefit*) intelligitur ſemper inexſiſtens ipſi eadem magnitudo, eadémque figura, ſiue *ordo partiũ, inter ſeipſas* competere; qualitates verò non inexſiſtentes, nec propriæ (*veluti ſtatio, rectitudo; albor, frigus, &c.*) non perinde, ac illæ ſuperſtites manent in ſubiecto, quod tranſmutatur; ſed ex ipſo corpore toto, aut tota ex parte, cui inerant, pereunt. Itaque, ſi vel iſta *duo, Figura nempe, & Magnitudo*, ac prætereà Pondus, *naturalíſve ad motum impetus* relinquantur in Atomis (quãdo relinqui aliqua, neque abire aliquid in nihilũ neceſſe eſt) ipſa ad *omnem* concretionũ varietatem præſtandã ſunt ſatis.

Neque verò propterea res eſt ſic habenda, quaſi quælibet magnitudo ineſſe poſſit Atomis; ne ea quæ apparent refragentur *nimiùm*: tenendum eſt ſolùm differentias eſſe magnitudinum aliquas; nam *Atomorum quidem alias maiores, alias minores exſiſtere*, rationi magis conſonum eſt; & hac re admiſsâ, plurium; quæ contingunt circa paſſiones animi, circáque ſenſus, reddi cauſa poteſt. Cùm neque alioquin quævis magnitudo ad varietatem qualitatum faciendam conducat, neque futurum vnquam ſit, vt vel ad magnitudinem, quæ oculis noſtris conſpicua ſit, Atomi perueniant. Id ſcilicet neque obſeruatur fieri, neque vt vnquam viſibilis Atomus euadat, intelligi poteſt.

Inſuper autem, *& priuſquàm aliquid de eo, quod eſt in Atomo minimum, loquamur*; reputandum *imprimis eſt*, non eſſe in corpore finito parteis magnitudinis neque infinitas, neque quantaſcumque (adeò proinde, vt non modò continui in infinitum diuiſio, quæ in minus procedit, *ſeu in parteis ſemper, ſempérque minores,*

tãdem

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

eâdem ſeruatâ diuiſionis proportione, reiicienda ſit: ne imbecilla omnia faciamus, *nihilve ſolidum, quod* in corporum reſolutionibus *ſuperſit, habeamus*; ſicque, vt dum res fluidas *pugno, digitiſve* corripimus, *comprimimúſque*, cogamus omnia in nihilum *quaſi* elidêdo euaneſcere: ſed admittenda quoque non ſit in rebus finitis ipſa in infinitum progreſſio, quæ fit, non per ſemper minores, *ſed per æquales, ſeu aliquotas vocatas parteis*, procedendo.) Neque enim ex quo aliquis ſemel dixit, eſſe aliqua in re parteis aut infinitas, aut quantaſlibet, licet ampliùs intelligi qua ratione finita ſit huiuſmodi magnitudo. Quoniam, ſiue aliquátæ, *æqualéſve inter ſe* partes infinitæ ſint; ſiue illæ, ex quibus *minoribus, & minoribus*, quantælibet aſſumptæ conſtant, infinitæ itidem ſint: manifeſtum eſt magnitudinem, cuius partes ſunt, *ſeu quæ ex iis conſtat, texitúrque*, eſſe infinitam. Cùm verò aliunde *manifeſtè* habeat *magnitudo* finita extremum, *ſiue extremam ſui partem* captu facilem; niſi ipſam quidem per ſe, *& vt extrema* ſpectari valeat; non licebit ſanè *eam ſubdiuidendo* intelligere alteram, quæ extrema ſit; *cùm nimirùm ſit pars ratione diuidua:* atque hoc modo cōſequenter, vlteriuſque in infinitum procedendo, non continget vnquam ad partem, quæ extrema ſit, ne cogitatione quidem peruenire.

Deinde pernoſſe oportet, id, quod eſt minimum ad ſenſum, *& pro puncto haberi ſolet, vti in extremo, aut medio longitudinis*, non eſſe ita accipiendum, quaſi ſimile ſit minimo *menſuræ*, ſeu *primæ* illi parti continui, cuius repetita quaſi gradatione intelligimus menſurari cæteras; neque rurſùs quaſi ſit illi planè prorſúmque diſſimile; ſed quaſi communicet quidem cum ipſis minimis menſuræ *per continuum deſignatis, vt quædam communis eorum copula*, & non intelligatur tamen vt vllam partium amplitudinem habens, verùm *reſpectus ſolùm quoſdam, quorum occaſione*, cùm voluerimus ipſum quaſi quidpiam nonnihil amplum intelligere (propter ſimilitudinem, quâ etiam minimum menſuræ, *quod reuerâ eſt amplum*, communicat *cum conuicinis, eſtque vt communis eorum copula*) concipiamus ipſum partim hûc, partim illûc vergere, partim medium interjacere. Deinceps autem vniuerſa metimur, initium ducentes à primo, *ſiue magnitudinis extremum occupante ſenſibili puncto*; ac non ipſum ſanè *repetendo* applicamus, ne *exiliſſimis* quidem partium partibus; ſed magnitudines menſurando, vnâ quadam earum parte vtimur, maiore quidem, vbi maiores; minore, vbi minores *fuerint menſurandæ*.

Iam verò, id, quod eſt in Atomo minimum, *qualem apicem anguli in acuta Atomo concipimus*, reputandum eſt eandem comparationem pati. Nam ipſum quidem à minimo ſenſus paruitate perſpicuè differt; ſed eâdem tamen ratione, quâ illud, *ad minimum menſura* ſe habet. Quippe ipſa Atomus quoque ma-

ἵνα μὴ πάντα ἀσθενῆ ποιῶμεν, καὶ ὡς ἐν ταῖς περιλήψεσι τῶν ὄγκων εἰς τὸ μὴ ὂν ἀναγκαζώμεθα, τὰ ὄντα θλίβοντες, καταναλίσκειν, ἀλλὰ καὶ τὴν μετάβασιν μὴ νομιστέον γίνεσθαι ἐν τοῖς ὡρισμένοις εἰς ἄπειρον, μηδ' ἐπὶ τοὔλαττον.) Οὔτε γὰρ ὅπως ἐπειδὰν ἅπαξ τις εἴπῃ ὅτι ἄπειροι ὄγκοι ἔν τινι ὑπάρχουσιν, ἢ ὁπηλικοιοῦν, ἔστι νοῆσαι πῶς τ' ἂν ἔτι πεπερασμένον τοῦτ' εἴη τὸ μέγεθος. Εἴτε γὰρ πηλίκοι τινὲς ἄπειροι εἶσιν ὄγκοι, εἴτε καὶ οὗτοι ἐξ ὧν ὁπηλικοιοῦν ποτε ὦσιν, δῆλον, ὡς ἄπειρον ἂν ἦν καὶ τὸ μέγεθος. Ἄκρον δὲ ἔχοντος τοῦ πεπερασμένου διαληπτόν, εἰ μὴ καὶ τὸ καθ' ἑαυτὸ θεωρητέον, οὐκ ἔστι μὴ καὶ τὸ ἑξῆς τούτου τοιοῦτον νοεῖν, καὶ οὕτω κατὰ τὸ ἑξῆς εἰς τοὔμπροσθεν βαδίζοντα, εἰς τὸ ἄπειρον οὐκ ἂν ὑπάρξει ποτὲ ἐς τοιοῦτον τὸ ἀφικνεῖσθαι τῇ ἐννοίᾳ.

Τό τε ἐλάχιστον τὸ ἐν τῇ αἰσθήσει δεῖ κατανοεῖν, ὅτι οὔτε τοιοῦτόν ἐστιν οἷον τὸ τὰς μεταβάσεις ἔχον, οὔτε πάντῃ πάντως ἀνόμοιον, ἀλλ' ἔχον μέν τινα κοινότητα τῶν μεταβατῶν, διάληψιν δὲ μερῶν οὐκ ἔχον. ἀλλ' ὅτε διὰ τὴν τῆς κοινότητος προσεμφέρειαν οἰηθῶμεν διαλήψεσθαί τι αὐτοῦ, τὸ μὲν ἐπὶ τάδε, τὸ δὲ ἐπέκεινα, τὸ δ' ἐπὶ μέσον δεῖ προσπίπτειν. Ἑξῆς τε καταμετροῦμεν ταῦτα ἀπὸ τοῦ πρώτου καταρχόμενοι· καὶ οὐ μὲν τὸ αὐτὸ οὔτε μέρεσι μερῶν ἁπτόμενα, ἀλλὰ τῇ ἰδιότητι τῇ ἑαυτῶν, τὰ μεγέθη καταμετροῦμεν, τὰ πλείω πλεῖον, καὶ τὰ ἐλάττω ἐλάττον.

Ταύτῃ τῇ ἀναλογίᾳ νομιστέον καὶ τὸ ἐν τῇ ἀτόμῳ ἐλάχιστον κεχρῆσθαι. Μικρότητι γὰρ ἐκεῖνο δῆλον ὡς διαφέρει τοῦ κατὰ τὴν αἴσθησιν θεωρουμένου, ἀναλογίᾳ δὲ τῇ αὐτῇ κέχρηται. ἐπείπερ καὶ τι μέγεθος ἔχει ἡ ἄτομος, καὶ κατὰ ταύτην τὴν ἀναλογίαν

κατηγορήσαμεν,

κατηγορήσαμεν, μικρόν τι ὡς μόνον μακρὰν ἐκβάλλοντες. ἔτι τε τὰ ἐλάχιστα καὶ ἀμιγῆ πέρατα δεῖ νομίζειν τὸ τῶν μηκῶν καταμέτρημα, ἐξ αὐτῶν πρώτων τοῖς μείζοσι καὶ ἐλάττοσι παρασκευάζοντα τῇ διὰ λόγου θεωρίᾳ ἐπὶ τῶν ἀοράτων. ἡ γὰρ κοινότης ἐνυπάρχουσα αὐτοῖς πρὸς τὰ ἀμετάβολα, ἱκανὴ τὰ μέχρι τούτου συντελέσαι. συμφόρησιν δὲ ἐκ τούτων κίνησιν ἐχόντων οὐχ οἷόν τε γίνεσθαι.

Καὶ μὴν καὶ τοῦ ἀπείρου οὐ δεῖ κατηγορεῖν τὸ ἄνω ἢ κάτω ὡς ἂν εἴη τι μὲν ἀνώτατον, τι δὲ κατώτατον, τὸ μὲν τοῦ ὑπὲρ κεφαλῆς νοηθέντος εἰς ἄπειρον μηδέποτε φέρεσθαι, τὸ δὲ τοῦ ὑποκάτω νοηθέντος μὴ εἰς ἄπειρον ἄγεσθαι, ὡς ἅμα ἂν εἴη ἄνω τε καὶ κάτω πρὸς τὸ αὐτό· τοῦτο γὰρ ἀδύνατον διανοηθῆναι. ὥστ' ἔστι μίαν λαβεῖν φορὰν, τὴν ἄνω νοουμένην εἰς ἄπειρον. καὶ μίαν τὴν κάτω, ἂν καὶ μυριάκις πρὸς τοὺς πόδας τῶν ἐπάνω τὸ παρ' ἡμῶν φερόμενον πρὸς τοὺς ὑπὲρ κεφαλῆς ἡμῶν τόπους ἀφικνῆται, ἢ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τῶν ὑποκάτω τὸ παρ' ἡμῶν κάτω φερόμενον. ἡ γὰρ ὅλη φορὰ οὐθὲν ἧττον ἑκατέρα ἀντικειμένη ἐπ' ἄπειρον νοεῖται.

Καὶ μὴν καὶ ἰσοταχεῖς ἀναγκαῖον τὰς ἀτόμους εἶναι, ὅταν διὰ τοῦ κενοῦ εἰσφέρωνται, μηθενὸς ἀντικόπτοντος. οὔτε γὰρ αἱ βαρεῖαι θᾶττον οἰσθήσονται τῶν κούφων, ὅταν γε δὴ μηδὲν ἀπαντᾷ αὐταῖς. οὔτε αἱ μικραὶ τῶν μεγάλων, ὡς πάντα πόρον σύμμετρον ἔχουσαι, ὅταν μηθὲν μηδὲ ἐκείναις ἀντικόπτῃ, οὔθ' ἡ ἄνω, οὔθ' ἡ εἰς τὸ πλάγιον διὰ τῶν κρούσεων φορὰ, οὔθ' ἡ κάτω διὰ τῶν ἰδίων βαρῶν τῇ ταχύτητι διαφέρει. ἐφ' ὁπόσον γὰρ ἡ ἄτομος οὐκ ἂν κατίσχῃ ἑκατέρωθεν, ἐπὶ τοσοῦτον ἅμα νοήματι τὴν φορὰν σχήσει, ἕως ἀντικόψῃ, ἢ ἔξωθεν, ἢ ἐκ τοῦ ἰδίου βάρους, πρὸς τὴν τοῦ πλήξαντος δύναμιν.

gnitudine quapiam prædita eſt, & iuxta eandem comparationem dicere de ipſa ſolemus, quod ſit paruum quid, tanquam non *omnem, ſed* proceram ſolùm magnitudinem *ab ea* excludentes. Quin-etiam concipere oportet iſthæc minima, immiſtaque extrema anſam facere dimenſioni longitudinis, *magnitudiniſve quantitatiscumque Atomorũ*, facto nempe ab ipſis tam in maioribus, quàm in minoribus initio; quantum certè attendere, *factâ* animo *dimenſione*, in rebus inconſpicuis licet. Videlicet communicatio, *cohæſióve eorum* cum *ſuccedentibus* intranſmutabilibus *particulis*, præſtare abundè id poteſt. *Intranſmutabilibus, inquam*; cùm fieri non valeat, vt iſtæ *particulæ, ex quibus conſtare Atomus intelligitur*, confluant *ad ipſam conſtituendam, vt ſi ſeparatæ aliquando &* motione præditæ ad confluendum *fuerint; quippe cùm ipſa ſint perpetua, inexſolubiliſque Atomi natura.*

Porrò & circa infinitum Spatium, non ita eſt illi attribuendum, eſſe ſuprà, ac infrà, vt ſi quidpiam eſſet *in Vniuerſo* ſupremũ, quidpiam infimum; illud quidem, concipiendo ſpatium, quod eſt ſupra caput, non in infinitũ protendi; hoc verò cogitando illud, quod ſub pedibus, non in infinitum produci: perinde ac ſi tam illud, quod ſuprà, quàm illud, quod infrà, ad aliquid vnum, idémque determinaretur *vti fit ad nos, aut ad mediũ huiuſce Mundi, alterâ partiũ eius extremarũ cogitatâ supremâ, alterâ infimâ; in infinito* ſcilicet mẽte aſſequi id nõ licet. Quàmobrem præſtabilius eſt, aſſumere vnã aliquam motionem, quæ ſurſùm procedere in infinitum intelligatur; & pari ratione aliam, quæ deorſùm; tametſi proinde illud mobile, quod à nobis verſus loca vertici noſtro imminentia fertur, millies occurrat ad eorum pedes qui ſuprà ſint, *quique id aduenire infernè opinentur* (*aliùs ſcilicet cogitatis Mundis*) aut quod à nobis verſus regionem pedibus ſubiectã, ad verticẽ eorũ, qui infrà, *quique idcircò aduentare supernè credituri ſint*: nihilo enim minùs tota vtraq; oppoſita motio intelligitur procedere in infinitũ.

Neceſſe verò etiã eſt, Atomos eſſe æqui-veloceis, quamdiu per inane feruntur, neque quicquã eſt, quod earũ impetũ retundat. Neque enim graues velociùs ferentur, quàm leues *reputatæ*, cùm nihil vtrisvis, quod obſtet occurrat; neque item paruæ, quàm magnæ; cùm ſit traiectio omnibus pro magnitudinis ratione æquè libera, donec nihil eſt, quod iis impingatur. Neque verò etiam celeritate differunt motiones, quæ aut ſurſùm obliquéve propter colliſiones, aut deorſùm propter grauitatem ingenitam fiunt. Siquidem quamdiu Atomus neutram in partem cohibetur, tamdiu viam tenet, ac celeritate quidem cogitationi æquiparandâ, quovſque aut extrinſecùs pulſa, aut grauitate propriâ adacta in ferientis impetum, *reſiſtentiámve* incurrat.

Quin-etiam, quod ad concretiones, *compoſitáve corpora* ſpectat; cùm ſint Atomi *ſuâpte naturâ* ęquiueloces, non idcircò vna dicetur eſſe celerior alterâ, quòd quæ Atomi in concretionibus ſunt, *& communi earum motu abripiuntur*, ferantur aliquando in vnum locum ſenſibili quodam ipſóque continuo, *ſucceſſiuóve* tempore, *vt dum talis motus eſt ſegnis*; aliquando (ſiue in vnum, ſiue in plura, ac diuerſa loca) temporibus ferantur adeò breuibus, vt ſolâ ratione poſſint percipi, *vtputà dum motus rapidiſſimus eſt*; verùm dicēdum ſolùm eſt, *quomodocumque Atomi ferantur cum ipſis concretionibus*, exagitari interim illas *inteſtinis creberrimis, ſiue potiùs innumeris, ſenſúmque adeò fugientibus* repercuſſionibus, donec ipſa motûs *corporis totius in quo ſunt*, continuitas, *ſucceſſiúve talis euadit*, vt in ſenſum cadat. Scilicet, quod adopinamur de *motu Atomorum* inconſpicuo, quaſi tempora ratione percepta poſſint illius cōtinuitatem, *ſucceſſionémve partium perniciſſimam* aſſequi, nuſquam verum eſt; ſed id potiùs, quicquid mente contemplamur, dum in ipſam rei naturam attendimus, verum eſt habendum.

Poſt-hæc verò contemplationem oportet inſtituere attendendo ad ipſos ſenſus, affectúſque animi; ſic enim conſtabit certiſſimâ fide, Animam eſſe *tenuiſſimum, ſeu* ex partibus tenuiſſimis contextū corpus, ac ipſum quidem per animalis maſſam, *quam ſolemus vulgò appellare Corpus*, diffuſum, ſimillimúmque ſpiritui, *ſeu vento cuipiā, aeríque*, calidâ, *ſiue igneâ* quapiam naturâ contemperato, & quodammodo quidem illum, quodammodo hanc referens. Eſt verò inſigne diſcrimen tenuitatis particularum, ex quibus hæc pars *animalium* conſtat, etiam ab ea, quam obtinent vulgò venti, igniſque particulæ; hæcque cauſa præſertim eſt, cur reliquæ maſſæ, *ſiue corpori, quatenus propterea per totum intimè illabitur, & conſentiat*, & compatiatur. Atque hoc quidem totum manifeſtè arguunt tum facultates animæ, tum paſſiones *appetitus*, tum faciles illæ motiones *membrorum*, tum cogitationes, *ſeu actiones mentis*; tum reliqua vniuersè *omnia*, quibus orbati morimur.

Inſuper autem tenendum eſt, eſſe quoque *aliam* in Anima partem, quæ ſit illi cauſa ſentiendi præcipua. Non obtineret porrò illa, niſi & ipſa ratione quadam à reliqua maſſa, *corporéve* contineretur. Corpus verò, cùm illi præſtat, vt hanc ſentiendi cauſam poſſideat, efficitur quidem & ipſum huiuſce effectus ab ea *pendentis* particeps (*ſentit ſcilicet*) at non tamen omnium, quæ illius ſunt, *vt tenuitatis & ſimilium*. Quare Animâ diſcedente, ſenſus expers fit; non enim ipſū ex ſeipſo facultatem hanc poſſidebat; ſed apparabat alij rei (*Anima nimirùm*)

Ἀλλὰ μὴν καὶ μηδὲ κατὰ τὰς συγκρίσεις θάττων ἑτέρα ἑτέρας ῥηθήσεται τῶν ἀτόμων, ἰσοταχῶν οὐσῶν τῷ ἐφ' ἕνα τόπον φέρεσθαι τὰς ἐν τοῖς ἀθροίσμασιν ἀτόμους, κατὰ τὸν αἰσθητὸν συνεχῆ χρόνον, καὶ τῷ ἤτε ἐφ' ἕνα, ἤτε ἐπὶ πλείους κατὰ τοὺς λόγου θεωρητοὺς χρόνους, ἀλλὰ ἐρητίων μόνον, ἐπὶ πυκνὸν ἀντικόπτουσιν, ἕως ἂν ὑπὸ τὴν αἴσθησιν τὸ συνεχὲς τῆς φορᾶς γίνηται. Τὸ γὰρ προσδοξαζόμενον περὶ τοῦ ἀοράτου, ὡς ἄρα καὶ οἱ διὰ λόγου θεωρητοὶ χρόνοι τὸ συνεχὲς τῆς φορᾶς ἕξουσιν, οὐκ ἀληθές ἐστιν ἐπὶ τῶν τοιούτων· ἐπεὶ τό γε θεωρούμενον πᾶν, ἢ κατ' ἐπιβολὴν λαμβανόμενον τῇ διανοίᾳ, ἀληθές ἐστι.

Μετὰ δὲ ταῦτα δεῖ συνορᾶν ἀναφέροντα ἐπὶ τὰς αἰσθήσεις καὶ τὰ πάθη. οὕτω γὰρ ἡ βεβαιοτάτη πίστις ἔσται, ὅτι ἡ ψυχὴ σῶμά ἐστι λεπτομερὲς, πρὸς ὅλον τὸ ἄθροισμα παρεσπαρμένον· προσεμφερέστατον δὲ πνεύματι θερμοῦ τινὰ κρᾶσιν ἔχοντι, καὶ πῇ μὲν τούτῳ προσεμφερὲς, πῇ δὲ, τούτῳ. Ἔστι δὲ τὸ μέρος πολλὴν παραλλαγὴν εἰληφὸς τῇ λεπτομερείᾳ καὶ αὐτῶν τούτων, συμπαθὲς δὲ τούτῳ μᾶλλον καὶ τῷ λοιπῷ ἀθροίσματι. Τοῦτο δὲ πᾶσαι αἱ δυνάμεις τῆς ψυχῆς δηλοῦσι, καὶ τὰ πάθη, καὶ αἱ εὐκινησίαι, καὶ αἱ διανοήσεις, καὶ ὧν λοιπῶν στερούμενοι θνήσκομεν.

Καὶ μὴν καὶ ὅτι ἔχει ἡ ψυχὴ τῆς αἰσθήσεως τὴν πλείστην αἰτίαν, δεῖ κατέχειν· οὐ μὴν εἰλήφει ἂν ταύτην, εἰ μὴ ὑπὸ τοῦ λοιποῦ ἀθροίσματος ἐστεγάζετό πως. Τὸ δὲ λοιπὸν ἄθροισμα παρασκευάσαν ἐκείνῃ τὴν αἰτίαν ταύτην, μετείληφε καὶ αὐτὸ τοιούτου συμπτώματος πρὸς ἐκείνης (οὐ μέντοι πάντων, ὧν ἐκείνη κέκτηται.) διὸ ἀπαλλαγείσης τῆς ψυχῆς, οὐκ ἔχει τὴν αἴσθησιν. οὐ γὰρ αὐτὸ ἐν ἑαυτῷ ταύτην ἐκέκτητο τὴν δύναμιν, ἀλλ' ἑτέρῳ ἅμα συγγεγενημένῳ αὐτῷ παρεσκεύαζεν, ὃ διὰ τῆς συντελεσθείσης περὶ αὐτὸ δυνάμεως, κατὰ τὴν κίνησιν

σύμπτωμα

συμπτώματα αἰσθητικὸν εὐθὺς ἀποτελοῦν, ἑαυτῷ ἀπεδίδου κατὰ τὴν ὁμούρησιν καὶ συμπάθειαν, κἀκείνῳ καθάπερ εἶπον.

Διὸ δὴ καὶ ἐνυπαρχούσης τῆς ψυχῆς οὐδέποτε, (καὶ τι ἄλλου τινὸς μέρους ἀπηλλαγμένου) ἀναισθητεῖ· Ἀλλὰ αὖ καὶ ταύτη ξυναπόλλυται ὀξὺ καὶ ἡ αἴσθησις τοῦ στεγάζοντος λυθέντος, εἴθ' ὅλου, εἴτε καὶ μέρους τινὸς, ἐν ᾧπερ διασπαρῇ· τὸ δὲ λοιπὸν ἄθροισμα διαμένον καὶ ὅλον, καὶ κατὰ μέρος, οὐκ ἔχει τὴν αἴσθησιν ἐκείνου ἀπηλλαγμένου ὅσον ποτέ ἐστι τὸ συντεῖνον τῶν ἀτόμων πλῆθος, εἰς τὴν τῆς ψυχῆς φύσιν. Καὶ μὴν καὶ λυομένου τοῦ ὅλου ἀθροίσματος, ἡ ψυχὴ διασπείρεται, καὶ οὐκέτι ἔχει τὰς αὐτὰς δυνάμεις, οὐδὲ κινεῖται, ὥς τε οὐδ' αἴσθησιν κέκτηται. Οὐ γὰρ οἷόν τε νοεῖν αὐτὸ αἰσθανόμενον, μὴ ἐν τούτῳ τῷ συστήματι ταῖς κινήσεσι ταύταις χρώμενον, ὅταν τὰ στεγάζοντα καὶ περιέχοντα μὴ τοιαῦτα ᾖ, ἐν οἷς νῦν οὖσα ἔχει ταύτας τὰς κινήσεις. [Τόδε μὲν λέγει καὶ ἐν ἄλλοις.]

Ἀλλὰ μὴν καὶ ἐξ ἀτόμων αὐτὴν συγκεῖσθαι λειοτάτων τε, καὶ στρογγυλωτάτων, οὐ πολλῷ τινι διαφερουσῶν τῶν τοῦ πυρός.

Καὶ τὸ μέν τοι ἄλογον αὐτῆς ἐν τῷ λοιπῷ παρίζεσθαι σώματι· τὸ δὲ λογικὸν, ἐν τῷ θώρακι, ὡς δῆλον ἔκ τε τῶν φόβων καὶ τῆς χαρᾶς.

Ὕπνος τε γίνεται τῶν τῆς ψυχῆς μερῶν τῶν παρ' ὅλην τὴν σύγκρισιν παρεσπαρμένων, ἢ ἐγκατεχομένων, ἢ διαφορουμένων, ἤτε καὶ συμπιπτόντων τοιῶν τοῖς ἐσπαρμένοις, τὰ μὲν ἐξωθουμένων, τὰ δὲ συντρεπτόντων.

Τό, τε σπέρμα ἀφ' ὅλων τῶν σωμάτων φέρεσθαι· καὶ τῷ γε δεῖ κατανοεῖν ὅτι πως ἀσώματον. Λέγω δὲ κατὰ τὴν πλείστην ὁμιλίαν τοῦ ὀνόματος, ἐπὶ τοῦ καθ' ἑαυτὸ νοηθέντος ἀσωμάτου. Καθ' ἑαυτὸ γὰρ οὐκ ἔστι νοῆσαι τὸ ἀσώματον, πλὴν τοῦ κενοῦ. τὸ δὲ κενὸν, οὔτε ποιῆσαι, οὔτε παθεῖν δύναται, ἀλλὰ κίνησιν μόνον δι' ἑαυτοῦ τοῖς σώμασι παρέχεται. Ὥσθ' οἱ λέγοντες ἀσώματον εἶναι τὴν ψυχὴν ματαιάζουσιν. οὐθὲν γὰρ ἂν ἐδύνατο ποιεῖν, οὔτε πάσχειν, εἰ ἦν τοιαύτη· νῦν δ' ἐναργῶς ἀμφότερα

congenitæ ſibi, quæ per facultatem in ipſo collaboratam actum ſentiendi illicò pro ſua motione exſerens, tum ſibi ipſi, tum illi quoque ſenſum, vt dixi ob viciniam, *cohæſionémve*, atque conſenſionem tribuebat.

Heinc fit, vt quandiu Anima exſiſtit in corpore, tametſi deficiat aliā quæpiam pars, nullatenus ſit priuatiō ſenſus; Senſus verò vna cum ipſa depereat, ſimul ac diſſolui contingit id, quo continetur, ſeu illud totum *corpus* ſit, ſeu pars aliqua, in qua ſedem habeat. Ipſum verò reliquum corpus, ſiue totum, ſiue ex parte *indiſſolutum* remaneat, ſenſū *tamen* caret; vbi exceſſerit Atomorum copia eiuſcemodi, quæ ad naturam Animæ conſtituendam eſt neceſſaria. Sed & exſoluto toto corpore Anima ipſa diſſipatur; neque habet ampliùs eaſdem facultates, neque mouetur *ampliùs*, neque obtinet adeò *ampliùs* ſenſum. Nō enim poteſt intelligi, eandem rem *etiam-num* ſentire, quæ motibus iiſdē non vtitur *ampliùs*, cùm non ineſt *ampliùs* in eodem compoſito; *ſiue*, cùm illa ampliùs non ſunt, quibus fouetur, continetúrque, & in quibus nunc exſiſtens *Anima* huiuſcemodi obit motus. Scribit vero hoc aliis etiam locis.

Conflatur enimvèrò Anima ex Atomis læuigatiſſimis; rotundiſſimiſque, neque admodum diuerſis ab iis, ex quibus *vulgò conflatur* ignis.

Ac Irrationalis quidem eius pars in reliquo corpore ſedem habet; Rationalis verò obtinet in pectore, vti *vel* ex ipſis metus, ac lætitiæ paſſionibus fit manifeſtum.

Somnus autem creatur, cùm animę partes per totam corporis concretionem diffuſæ aut cohibentur, aut diſtrahuntur, aut nonnulla etiam *corpuſcula* in diſperſas incidunt, quæ partim ipſas *à corpore* abigant, partim *intra corpus* conturbent.

Semen *excidit*, defertúrque, *& confluit* ex vniuerſo corpore; intelligíque idcircò debet *quaſi aliquid* incorporeum. Tale autem dico ob familiariſſimam vocis huius vſurpationem, quatenus *ad varia* transferimus id, quod per ſe, *ac propriè* intelligitur incorporeum. Cęterùm enim id quod per ſe, *propriéve* incorporeum eſt, intelligere aliud, quàm ipſum Inane, *ſeu Vacuum* non licet. Eſt autem Inane eiuſmodi, vt neque agere, neque pati quid valeat; ſed motum dumtaxat *quam-liberrimum tranſeuntibus* per ſe corporibus præbeat. Adeò proinde, vt qui dicunt eſſe Animam incorpoream, ineptiant; neque enim quidpiam agere, aut pati, ſi eiuſmodi exſiſteret, poſſet; cùm vtrumque tamen competere

ipſi, ea, quæ circa Animam contingunt, perſpicuè declarent.

Iſthæc porrò omnia, quæ de Anima ediſſeruimus, ſi quis ad animi affectus, ſenſúſque ipſos referat, ac memoriâ quoque illa repetat, quæ dicta ab initio ſunt, is abundè ſatis perſpiciet quæ effatis hiſce generalibus continentur, ad hoc, vt poſſit *conſequenter* illa, quæ ſpecialiora ſunt, accuratiùs conſtabilire.

Quod ſpectat ad *rerum* figuras, colores, magnitudinem, grauitatem, & qualitates vniuersè alias, quæ enunciari ſolent de *concreto* corpore, tanquam ipſius accidentia, *idque* ſiue omnia viſu deprehendantur, ſiue aliis etiam percipiantur ſenſibus; illa ſic cogitanda ſunt, non quaſi ſint quædam per ſe exſiſtentes naturæ, *ſeu ſubſtantia* (id ſiquidem mente aſſequi nõ licet) neque *rursùs* quaſi planè non exſiſtant, *ſeu prorsùs non entia, merúmque nihil ſint*; neque *iterùm*, quaſi talia ſint, cuiuſmodi alia, quæ ipſi accidunt incorporea; neque *denique* quaſi ſint *quæpiam* ipſius corporis partes; verùm *ita habenda ſunt*, quaſi, *cùm ſint varij modi ſeſe habendi corporis*, ipſum totum corpus ex illorum aggregatione obtineat propriam, *peculiarémque ſeu ſpeciei ſuæ* naturam. Non ſanè quòd *corpus exinde* tale quid euadat, qualis euadit moles maiori contexta ex *minoribus, illiſque* aut primis, *minimíſque*, aut grandiuſculis, & vniuersè contextis ex aliis minutioribus; ſed, ſolùm, quemadmodum dixi, quòd ex iis omnibus *coniunctis, habitiſque pro differentia* propriam ſibi, *& ab omni alio diſtinctam* naturam poſſideat. Ac illa quidem omnia ſpecialibus notionibus, conceptibúſque apprehenduntur; ſed ita tamen, vt *interim corpus*, quod ex ipſis quaſi totum quid reſultat, ac minimè eſt diuiſum in ſe, ſed vt vnum quid intelligitur, denominationem obtineat talis corporis, *quod in certo rerum genere habeatur*.

ταῦτα διαλαμβάνῃ τὰ περὶ τὴν ψυχὴν συμπτώματα.

Ταῦτα οὖν πάντα τὰ διαλογίσματα περὶ ψυχῆς ἀνάγων τις ἐπὶ τὰ πάθη καὶ τὰς αἰσθήσεις, μνημονεύων τε καὶ τῶν ἐν ἀρχῇ ῥηθέντων, ἱκανῶς κατόψεται τοῖς τύποις ἐμπεριειλημμένα εἰς τὸ, τὰ κατὰ μέρος ἀπὸ τούτων ἐξακριβοῦσθαι βεβαίως.

Ἀλλὰ μὴν καὶ τὰ σχήματα, καὶ τὰ χρώματα, καὶ τὰ μεγέθη, καὶ τὰ βάρεα, ἢ καὶ ὅσα ἄλλα κατηγορεῖται τοῦ σώματος, ὡσανεὶ αὐτοῦ συμβεβηκότα, ἤτοι πάντα ἢ ἐν τοῖς ὁρατοῖς, ἤτοι καὶ ἐν ταῖς αἰσθήσεσιν ἄλλαις γνωστοῖς, οὔθ', ὡς καθ' ἑαυτάς εἰσι φύσεις, δοξαστέον· οὐ γὰρ δυνατὸν ἐπινοῆσαι τοῦτο· οὔθ' ὅλως ὡς οὐκ εἰσὶν, οὔθ' ὡς ἕτερα τὰ ἐπέχοντα τούτῳ ἀσώματα, οὔθ' ὡς μόρια τούτου. ἀλλ' ὡς τὸ ὅλον σῶμα, καθ' ὅλου ἐκ τούτων πάντων τὴν ἑαυτοῦ φύσιν ἔχον ἰδίαν· οὐχ' οἷόν τι μὲν συμπεφορημένον ὥσπερ ὅταν ἐξ αὐτῶν τῶν ὄγκων μεῖζον ἄθροισμα συστῇ, ἤτοι τῶν πρώτων, ἤτοι τῶν καθ' ὅλου μεγεθῶν, ἃ συστῇ ἔκ τινων ἐλαττόνων ἀλλὰ μόνον, ὡς λέγω, ἐκ τούτων ἁπάντων τὴν ἑαυτοῦ φύσιν ἔχον ἰδίαν. Καὶ ἐπιβολὰς μὲν ἔχοντα ἰδίας πάντα ταῦτά ἐστι, καὶ διαλήψεις· συμπαρακολουθοῦντος τοῦ ἀθρόου, καὶ οὐδαμῇ ἀποσχιζομένου, ἀλλὰ κατὰ τὴν ἀθρόαν ἔννοιαν τοῦ σώματος κατηγορίαν εἰληφότος.

Καὶ μὴν καὶ τοῖς σώμασι συμπίπτει πολλάκις καὶ οὐκ ἴδια παρακολουθεῖν, ὧν μέντοι ἀόρατα ἦν τινα, καὶ ἀσώματα. ὥστε δὴ κατὰ πλείστην φορὰν, τούτῳ τῷ ὀνόματι χρώμενοι, φανερὰ ποιοῦμεν τὰ συμπτώματα, οὔτε τὴν τοῦ ὅλου φύσιν ἔχειν, ἣν συλλαβόντες καὶ τὸ ἀθρόον σῶμα προσαγορεύομεν· οὔτε τὴν τῶν ἰδίων παρακολουθούντων, ὧν ἄνευ, σῶμα οὐ δυνατὸν νοεῖσθαι. Κατ' ἐπιβολὰς δ' ἄν τινας, παρακολουθοῦν τὸ ἀθρόον ἑκάστοις προσαγορευθείη. ἀλλ' ὅτι

Cùm id verò competat illis maximè accidentibus, quæ vocant Propria, Coniunctáque, & ſine quibus res eſſe nequit; *tum* ſciendum eſt contingere ſæpenumero, vt aduenìant corporibus accidentia non propria, *quæ Euenta vocari ſolent, vt ſunt in homine non modò rubor contractus ex verecundia, pallor ex metu, calor ex igne; ſed etiam ſeruitus, libertas, paupertas, diuitiæ, bellum, pax, &c.* (Sunt verò & in his quædam inconſpicua atque incorporea, *vt ſunt ipſa iura ſeruitutis, libertatis, diuitiarum, &c. itémque tempus, de quo mox dicendum, & alia.*) Quamobrem tritiſſimo vſu vocem vſurpantes eiuſmodi eſſe accidentia interpretamur, quæ neque habent naturam totius, quam collectiuè conceptam appellamus corpus; neque item naturam propriorum, *coniunctorúmve* accidentium, ſine quibus corpus intelligi nequit. Poteſt porrò & ipſum corpus, quod *ex illorum ſingulorum aduentu quaſi nouum ſit, ſeu* cõſequitur, *ac reſultat*, iuxta notiones aliquas ſpecialeis variè

δὲ

ἤ ποτε ἕκαστα συμβαίνοντα θεωρεῖται, οὐκ ἰδίων τῶν συμπτωμάτων παρακολουθούντων. Καὶ οὐκ ἐξελατέον ἐκ τοῦ ὄντος ταύτην τὴν ἐνάργειαν, ὅτι οὐκ ἔχει τὴν τοῦ ὅλου φύσιν ᾧ συμβαίνει, ὃ δὴ καὶ σῶμα προσαγορεύομεν, οὐδὲ τὴν τῶν ἰδίων παρακολουθούντων. Οὐδ᾽ αὖ καθ᾽ αὑτὰ νομιστέον. οὐ γὰρ τοῦτο διανοητέον, οὔτ᾽ ἐπὶ τούτων, οὔτ᾽ ἐπὶ τῶν ἰδίων συμβεβηκότων· ἀλλ᾽ ὅπερ καὶ φαίνεται συμπτώματα ταῦτα, κατὰ τὰ σώματα νομιστέον, καὶ οὐκ ἰδίως παρακολουθοῦντα, οὐδ᾽ αὖ φύσεως καθ᾽ ἑαυτὰ τάγμα ἔχοντα· ἀλλ᾽ ὃν τρόπον αὐτὴ ἡ αἴσθησις τὴν ἰδιότητα ποιεῖ, θεωρεῖται.

Καὶ μὴν καὶ τό γε δὴ προσκατανοῆσαι σφοδρῶς. Τὸν γὰρ δὴ χρόνον οὐ ζητητέον, ὥσπερ καὶ τὰ λοιπὰ ὅσα ἐν ὑποκειμένῳ ζητοῦμεν, ἀνάγοντες ἐπὶ τὰς τῶν βλεπομένων παρ᾽ ἡμῖν αὐτοῖς προλήψεις· ἀλλ᾽ αὐτὸ τὸ ἐνάργημα, καθ᾽ ὃ τὸν πολὺν ἢ ὀλίγον χρόνον ἀναφωνοῦμεν, συγγενικῶς τοῦτο περιφέροντες, ἀναλογιστέον. Καὶ οὔτε διαλέκτους, ὡς βελτίστους μεταληπτέον, ἀλλ᾽ αὐταῖς ταῖς ὑπαρχούσαις κατ᾽ αὐτοῦ χρηστέον· οὔτ᾽ ἄλλο τι κατ᾽ αὐτοῦ κατηγορητέον, ὡς τὴν αὐτὴν οὐσίαν ἔχοντες τῷ ἰδιώματι τούτῳ (καὶ γὰρ τοῦτο ποιοῦσί τινες) ἀλλὰ μόνον ὡς συμπλέκομεν τὸ ἴδιον τοῦτο καὶ παραμετροῦμεν, μάλιστα ἐπιλογιστέον. Καὶ γὰρ τοῦτο οὐκ ἀποδείξεως προσδεῖται, ἀλλ᾽ ἐπιλογισμοῦ· ὅτι ταῖς ἡμέραις καὶ ταῖς νυξὶ συμπλέκομεν, καὶ τοῖς τούτων μέρεσιν, ὡσαύτως δὲ καὶ τοῖς πάθεσι καὶ ταῖς ἀπαθείαις, καὶ κινήσεσι, καὶ στάσεσιν, ἰδιόν τι σύμπτωμα περὶ ταῦτα πάλιν αὐτὸ τοῦτο ἐννοοῦντες καθ᾽ ὃ χρόνον ὀνομάζομεν. [Φησὶ δὲ καὶ τοῦτο καὶ ἐν τῇ β΄ τῶν περὶ φύσεως, καὶ ἐν τῇ μεγάλῃ Ἐπιτομῇ.]

Ἐπί τε τοῖς προειρημένοις, Τοὺς κόσμους δεῖ καὶ πᾶσαν σύγκρισιν πεπερασμένην, τὸ ὁμοειδὲς τοῖς θεωρουμένοις πυκνῶς ἔχουσαν, νομίζειν γεγονέναι ἀπὸ τοῦ ἀπείρου, πάντων τούτων ἐκ συστροφῶν ἰδίων ἀποκεκριμένων, καὶ μειζόνων καὶ ἐλαττόνων·

denominari; ſed tum tamen *ſolùm*, cùm ſingula illa aduenire deprehenduntur; vtpote, cùm non ſint ex illo accidentium genere, quæ *& propria* ſunt, *& ſic neceſſariò, ſempérque coniuncta, vt perpetuam faciant denominationem.* Non eſt verò res adeò euidens tollenda ex rerum natura (quòd nempe iſta accidentia neque habeant naturam totius cui accidunt, cuíque attribuimus nomen corporis; neque habeant etiam conditionem propriorum, *coniunctorúmque* accidentium) vel & aliunde exiſtimandum non eſt, cohærere ipſa per ſe (ſiquidem hoc neque in ipſis, neque in coniunctis accidentibus cogitari poteſt) ſed reputandum eſt, ea idipſum eſſe, quod circa corpora apparent; vt ſcilicet neque tanquam propria adueniant, neque item habeant eam naturæ vim, qua per ſe cohæreant; ſpectentur verò quatenus ſenſus propriam ipſorum ſpeciem diſcernit.

Oportet porrò & ad hoc diligenter attendere; Tempus ſcilicet eſſe aliquid non eodem modo diſquirendum, quo diſquirimus cætera, quæ in ſubiecto aliquo inſunt. Quippe id nō eſt referendum ad anticipationes rerum nobis ob oculos verſantium; ſed loquendo congruè ad eam euidentiam, ſecundùm quam longum, aut breue tempus; *vt manifeſtum quid*, dicimus, eſt de ipſo ratiocinandum. Ac neque aliæ ſermonis formæ, tanquam meliores ſunt conſectandæ; ſed potiùs familiaribus, quæ de ipſo exſtant, vtendum; neque aliud quidpiam de ipſo enuntiandum eſt, quaſi eſſentiam certæ ſermonis proprietati alligatam habeat (hoc enim faciunt aliqui) ſed hoc vnum præcipuè attendendū eſt, quemadmodū proprium ſermonem, *quatenus occaſio variè tulerit*, ipſi conciliemus, accommodemúſque. Videlicet hoc non demonſtratione, verùm attentione ſolâ indiget; vt agnoſcamus quemadmodum accidens aliquod ſpeciale connectamus cum diebus, noctibúſque, & partibus eorum; itémque cum paſſionibus, & vacuitate ab ipſis; cum motionibus, & quiete; & reflexione circa hæc vſi, idipſum nominemus Tempus. Idem in secvndo de Natvra libro, et in magna qvoqve Epitome ait.

Ve verò & hoc adiiciamus ad ea, quæ *de Mundis* ſunt iam antè dicta. Exiſtimare oportet Mundos, vti & finitam omnem concretionem *in immenſo inani factam*, quidpiámque ſimile cum iis quas paſſim obſeruamus, habentem, ortum ex infinita rerum vniuerſitate habuiſſe; & alios quidem maiores, alios minores, per proprios quoſdam Atomorum quaſi vortices, *ſeu conuolutiones*, ſeorſim

procreatos. Pari autem ratione omnia, *vt concernuntur, ita ſecerni*, iterúmque diſſolui: & alia quidem ocyùs, alia verò ſegniùs; illa id perpeſſa ab iſtiuſmodi, iſta ab illiuſmodi cauſis. MANIFESTVM IGITVR EST FACERE EVM MVNDOS CORRVPTIONI OBNOXIOS, PARTIBVS MVTATIONEM PASSIS: QVOD ALIIS ETIAM LOCIS HABET.

Rursùs & non eſſe Mundos ſic habendos, quaſi neceſſariò vniuſmodi figuræ ſint; verùm eſſe eos inter ſe diuerſimodè figuratos: videlicet alios globoſá, alios ouatâ eſſe ſpecie: alios aliam formam, ſiue figuram præ ſe ferre; tametſi cenſendi non ſint figurarum omnigenarum. HOC VERO IN DVODECIMO DE HOC ARGVMENTO VOLVMINE AIT.

Ad-hæc, inſidere Terram aëri, tanquam ipſi congeneam; (*neque illi adeò oneri exſiſtentem*) vt animalia inſident, tanquam congenea ipſimet Terræ. Neque enim fuiſſe Animalia neceſſariò ex infinitate rerum ſecreta, *ibique formata, vti in hunc Mundum iam perfecta deducerentur*: neque item fuiſſe è Cælo, *tanquam illeic priùs debuerint elaborari*, delapſa *in Terram*: cùm oſtendere nemo valeat, cur comprehendi illeic potuerint eiuſcemodi ſemina, ex quibus Animalia, Plantæ, & quæ cætera videre licet, conſtituerentur; non potuerint verò comprehendi heic, ac pari ratione ibi connutriri. Eodem autem modo videri philoſophandum eſſe de Terra: *Nihil ſcilicet fuiſſe neceſſe formari eam priùs, ac ita formatam recipi in Mundum: ſed comprehenſa fuiſſe in maſſa Mundaná talia ſemina, ex quibus vnà cum reliquis Mundi partibus gigneretur.*

Illud quin-etiam tenendum eſt, fuiſſe Naturam ab ipſis rebus *continuatáve rerum ſerie veluti* edoctam, & neceſſitate *quadam, ſeu motuum concatenatione* coactam, ad hæc tam multa, támque varia, *quæ* appellitamus *Opera Naturæ*, patranda: Ratiocinium autem humanum ea, quæ Natura in lucem effert, & poſteriùs diſquirere, & adinuenire (*ſeu cauſas ipſorum deprehendere*) ſed in his citiùs, in illis tardiùs, & aliquando quidem per prolixiora, aliquando per breuiora tempora *id euincere*, *ſeu* ad cognitionem perfectam venire.

Vnde & *intelligitur* non fuiſſe Nomina ab initio ex *mero hominum* inſtituto impoſita *rebus*; ſed ipſas hominum naturas, *naturaleisve diſpoſitiones*, quæ in gentibus fuere ſingulis, ſpecialibus animi motibus affectas, & propriis viſis, *ſeu imaginationibus* compulſas, peculiari quadã ratione aërem ore emiſiſſe, ipsúmque eliſiſſe, *dearticulaſſéque*, provt ſingulorum affectuum, viſorúmque impetus tulit: & interdum quoque locorum varietas, *ſeu varius Cæli, ſolique genius in variis regionibus* fuit. Deinceps autem nomina ſignificandis rebus propria apud

καὶ πάλιν διαλύεσθαι πάντα, τὰ μὲν, θᾶττον, τὰ δὲ, βραδύτερον· καὶ τὰ μὲν ὑπὸ τῶν τοιῶνδε, τὰ δὲ, ὑπὸ τῶν τοιῶνδε τοῦτο πάσχοντα. [Δῆλον οὖν ὡς καὶ φθαρτούς φησι τοὺς κόσμους, μεταβαλλόντων τῶν μερῶν· φησὶ δὲ καὶ ἐν ἄλλοις.]

Ἔτι δὲ καὶ τοὺς κόσμους οὔτε ἐξ ἀνάγκης δεῖ νομίζειν ἕνα σχηματισμὸν ἔχοντας, ἀλλὰ καὶ διαφόρους αὐτούς. Τοὺς μὲν γὰρ, σφαιροειδεῖς, καὶ ᾠοειδεῖς ἄλλους, καὶ ἀλλοιοσχήμονας ἑτέρους· οὐ μέντοι πᾶν σχῆμα ἔχειν. [Τοῦτο δὲ ἐν τῇ ιβ΄ περὶ τούτου φησίν.]

Καὶ μὴν καὶ τὴν γῆν τῷ ἀέρι ἐποχεῖσθαι, ὡς συγγενῆ οὖσαν ὥσπερ καὶ τὰ ζῶα τῇ γῇ. οὐδὲ γὰρ τὰ ζῶα εἶναι ἐξ ἀνάγκης ἀποκριθέντα ἀπὸ τοῦ ἀπείρου, οὐδὲ καταπεπτωκότα ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ. οὐδὲ γὰρ ἂν ἀποδείξειεν οὐδεὶς, ὡς ἐν τῷ μὲν τοιούτῳ ἐμπεριελήφθη τὰ τοιαῦτα σπέρματα, ἐξ ὧν ζῶά τε, καὶ φυτὰ, καὶ τὰ λοιπὰ πάντα θεωρούμενα συνίσταται· ἐν δὲ τῷ τοιούτῳ, οὐκ ἂν ἐδυνήθη ἐμπεριειλῆφθαι, ὥστε ταῦτα συνίστασθαι, ὡσαύτως δὲ καὶ ἐντραφῆναι, τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ ἐπὶ τῆς γῆς νομιστέον.

Ἀλλὰ μὴν ὑποληπτέον καὶ τὴν φύσιν πολλὰ καὶ παντοῖα ὑπὸ τῶν αὐτῶν τῶν πραγμάτων διδαχθῆναί τε καὶ ἀναγκασθῆναι· τὸν δὲ λογισμὸν τὰ ὑπὸ ταύτης παρεγγυηθέντα, καὶ ὕστερον ἐξακριβοῦν καὶ προσεξευρίσκειν, ἐν μὲν τισι θᾶττον, ἐν δέ τισι βραδύτερον· καὶ ἐν μὲν τισι κατὰ μείζους χρόνους τοῦτο ἀποπεραίνειν, ἐν δὲ τισι κατ᾽ ἐλάττους.

Ὅθεν καὶ τὰ ὀνόματα ἐξ ἀρχῆς μὴ θέσει γενέσθαι, ἀλλ᾽ αὐτὰς τὰς φύσεις τῶν ἀνθρώπων καθ᾽ ἕκαστα ἔθνη ἴδια πασχούσας πάθη, καὶ ἴδια λαμβανούσας φαντάσματα, ἰδίως τὸν ἀέρα ἐκπέμπειν, στελλόμενον ὑφ᾽ ἑκάστων τῶν παθῶν καὶ τῶν φαντασμάτων, ὡς ἄν ποτε καὶ ἡ παρὰ τοὺς τόπους τῶν ἐθνῶν διαφορὰ εἴη. Ὕστερον δὲ κοινῶς καθ᾽ ἕκαστα ἔθνη τὰ ἴδια τεθῆναι, πρὸς τὸ τὰς

διαλέκ

δηλώσεις ἧττον ἀμφιβόλους γενέσθαι ἀλλήλοις, καὶ τὰ πράγματα συντομωτέρως δηλούμενα· τινὰς δὲ καὶ οὐ συνορώμενα πράγματα εἰσφέροντας, πρὸς τοὺς μὴ συνειδότας παρεγγυῆσαι τινὰς φθόγγους, καὶ τοὺς μὲν ἀναγκασθέντας ἀναφωνῆσαι· τοὺς δὲ τῷ λογισμῷ ἑλομένους κατὰ τὴν πλείστην συνήθειαν, οὕτως ἑρμηνεῦσαι.

Καὶ μὴν καὶ ἐν τοῖς μετεώροις, φορὰν καὶ τροπὴν, καὶ ἔκλειψιν, καὶ ἀνατολὴν, καὶ δύσιν, καὶ τὰ σύστοιχα τούτοις, μήτε λειτουργοῦντός τινος νομίζειν δεῖ γενέσθαι, καὶ διατάττοντος, ἢ διατάξαντος, καὶ ἅμα τὴν πᾶσαν μακαριότητα ἔχοντος, μετὰ ἀφθαρσίας (οὐ γὰρ συμφωνοῦσι πραγματεῖαι, καὶ φροντίδες, καὶ ὀργαὶ, καὶ χάριτες μακαριότητι, ἀλλ' ἀσθενείᾳ καὶ φόβῳ καὶ προσδεήσει τῶν πλησίον ταῦτα γίνεται.) μήτε αὖ πυρὸς ἅμα τοῦτα, καὶ ἀνεστραμμένα τὴν μακαριότητα κεκτημένον κατὰ βούλησιν τὰς κινήσεις ταύτας λαμβάνειν· ἀλλὰ πᾶν τὸ σέμνωμα τηρεῖν, κατὰ πάντα ὀνόματα φερόμενα ἐπὶ τὰς τοιαύτας ἐννοίας, ἐξ ὧν μηδ' ὑπεναντίαι γίνωνται τῷ σεμνώματι δόξαι. Εἰ δὲ μὴ, τὸν μέγιστον τάραχον ἐν ταῖς ψυχαῖς αὐτὴ ὑπεναντιότης παρασκευάσει. Ὅθεν δὴ καὶ κατὰ τὰς ἐξ ἀρχῆς ἐναπολήψεις τῶν συστροφῶν τούτων ἐν τῇ τοῦ κόσμου γενέσει δεῖ δοξάζειν, καὶ τὴν ἀνάγκην ταύτην καὶ περίοδον συντελεῖσθαι.

Καὶ μὴν καὶ τὴν ὑπὲρ τῶν κυριωτάτων αἰτίαν ἐξακριβῶσαι, φυσιολογίας ἔργον εἶναι δεῖ νομίζειν, καὶ τὸ μακάριον ἐν τῇ περὶ τῶν μετεώρων γνώσει, ἐντεῦθεν πεπτωκέναι. καὶ ἐν τῷ μάλιστα τίνες φύσεις αἱ θεωρούμεναι κατὰ τὰ μετέωρα ταυτὶ, καὶ ὅσα συγγενῆ πως τούτοις ἀκριβοῦν, κατὰ τὸ, Εἶναι μὲν ἐν τοῖς τοιούτοις τὸ Πλεοναχῶς, καὶ τὸ Ἐνδεχομένως, καὶ τὸ Ἄλλως πως ἔχειν· ἀλλ' Ἁπλῶς μὴ εἶναι ἐν ἀφθάρτῳ καὶ μακαρίᾳ φύσει τῶν διάκρισιν ὑποβαλλόντων, ἢ τάραχον μηθέν· καὶ γὰρ τοῦτο καταλαβεῖν τῇ διανοίᾳ ἔστιν, ἁπλῶς εἶναι. Τὸ δ' ἐν τῇ ἱστορίᾳ πεπτωκὸς τῆς δύσεως,

vnamquamque nationem, quaſi ex communi conſenſu *delecta*, aſſignatáque fuiſſe, vt & ſignificatus fierent adinuicem minùs ambigui; & res poſſent eloquio compendioſiore explicari. Cùm aliqui autem vellent apud alios inconſpectas ipſis res proponere, ſonos aliquos ore edidiſſe; & tum ipſos fuiſſe coactos voces identidem edere; tum illos ratiocinio quodam, coniecturáque rem aſſequentes, ex multa denique aſſuetudine ipſorum mentem intellexiſſe.

Quòd ad Meteora, *ſeu res Sublimeis, ſursúmve à Terra apparenteis* attinet, exiſtimare non oportet aut motum *Cæli*, aut *æſtiuam, hybernámque Solis* conuerſionem, aut *Solis, Lunæque* defectum, aut ortum, occasúmve *Aſtrorum*, aut alia huiuſcemodi ideò fieri, quòd ſit Præfectus aliquis, qui ſic diſponat, diſpoſueritve, ac ſimul beatitudinem, immortalitatémque poſſideat: (Non enim cum felicitate congruunt negotia, ſollicitudines, iræ, gratiæ; ſed hæc præ imbecillitate, metu, opíſque externæ indigentiâ contingunt.) Neque oportet rurſùs, cùm id muneris & moleſtum ſit, & *à felici ſtatu* abhorrens, *exiſtimare* eam naturam, quæ felicitatem eſt nacta, eiuſmodi eſſe, vt *ſciens*, ac volens haſce *animi* commotiones, *ſiue perturbationes* ſubeat: ſed tueri potiùs *reſpectu illius* venerationẽ omnimodam, ac orationis genere vti, eas ſuggerente cogitationes; ex quibus nullæ venerationi contrariæ opiniones naſcantur. Secùs enim hæc contrarietas maximam in animis *noſtris* perturbationẽ ingenerabit. Quare opinandũ eſt *potiùs*, tum cùm Mundus procreatus eſt, factos fuiſſe eos circumplexus conuoluentium ſe *Atomorum*, vt *creatis exinde corporibus Cæleſtibus*, nata *in ipſis* fuerit hæc *neceſſitas* quâ *tali modo mouerentur*, *ac* circuitus tales obirent:

Reputare certè oportet Phyſiologici eſſe muneris cauſam præcipuarum *quæ in Natura ſunt* rerum accuratè peruestigare: & hinc profluxiſſe quicquid felicitatis eſt ſitum in cognitione rerum ſublimium, ac in eo potiſſimùm, quod diſquiritur, cuiuſmodi ſint quæ in hiſce ſublimibus viſuntur naturæ, & quæcumque ipſis cognata quodammodo ſunt, idque iuxta hanc Regulam, Eſſe quidem in hiſce rebus id quod dicitur, Pluribùs modis fieri; &, Non vno modo neceſſariò contingere; & Poſſe alio quoque modo ſe habere: at contrà, Eſſe ſimpliciter, *abſolutéque neceſſarium*, vt in immortali beatáque Naturâ, nihil eorum ſit, quæ diſſolutionem, aut perturbationem inducunt (quippe mens ſtatim apprehendit fieri abſolutè non poſſe, vt ipſi tale quid cõpetat, *perfectâ immortalitatis, ac beatitudinis conditione*.) Quod ſpectat verò ad inſpectionem, *& quaſi nudam*

obſeruationem Occaſus, Ortus, Solſtitij, Eclipſeos, cæterorúmque eiuſmodi, eam nihilo facere per ſe feliciorem notitiam; ſed perinde (ac fortè etiam ampliùs) metuere illos, qui hæc perſpexerunt (neque tamen norunt quales ſint naturæ *eorum corporum*, qualéſque potiſſimæ cauſæ) ac ſi omninò nō perſpexiſſent: quando admiratio, quæ ex harum rerum inſpectione oritur, reperire exitum circa diſpoſitionem, *ac modum*, quo res maximæ peraguntur, non poteſt.

Quocirca nos plureis inuenimus cauſas Solſtitiorum, Occaſuum, Ortuum, Deliquiorum, aliorúmque id genus; vti & in rebus conſimilibus, quę apud nos, *ſeu in terris*, contingunt. Niſi verò cenſendum non eſt diſquiſitionem harum rerum minimè nanciſcei vſum *congruum*, quæ nobis ad tranquillitatem, felicitatémque *acquirendam* conducit? Vnde & par eſt tam circa Sublimia, quàm circa cætera alioqnin obſcura, requirere cauſas, iuxta varios modos, quibus apud nos ſimilia contingunt; ac illos minimè morari, qui neque vnum certum modum, quo res aliqua poſſit ſe habere, aut fieri, neque modum multiplicem, quo contingere quidpiam valeat, nôrunt, ſolam verò rerum ſpeciem, qualis nobis procul exhibetur, prætendunt: ac prætereà ignorant, quibus ex rebus eueniat, aut non eueniat, vt perturbemur. Si reputemus certè cõtingere, vt aliquid vno certo modo fiat, ac exinde non perturbemur; certè, inquam, ſcientes aliunde poſſe pluribus modis idem fieri, non imperturbati minùs erimus, quàm ſi certo modo fieri perſpectum haberemus.

Vniuersè verò ad hæc omnia aduertendum eſt perturbationem maximam, quæ in animis hominum creatur, oriri ex eo, quòd exiſtimantes eſſe quaſdam beatas, atque immortaleis Naturas, cenſent tamen ipſis ineſſe contrarias hiſce attributis voluntates, actiones, paſſiones.

καὶ ἀνατολῆς, καὶ τροπῆς, καὶ ἐκλείψεως, καὶ ὅσα συγγενῆ τούτοις, μηδὲν ἔτι πρὸς τὸ μακάριον τῆς γνώσεως συντείνειν, ἀλλ' ὁμοίως τοὺς φόβους ἔχειν τοὺς ταῦτα κατιδόντας (τίνες δὲ αἱ φύσεις ἀγνοοῦντας, καὶ τίνες αἱ κυριώταται αἰτίαι) καὶ εἰ μὴ προσῄδεισαν ταῦτα, τάχα δὲ καὶ πλείους, ὅταν τὸ θάμβος ἐκ τῆς τούτων προσκατανοήσεως μὴ δύνηται τὴν λύσιν λαμβάνειν, κατὰ τὴν περὶ τῶν κυριωτάτων οἰκονομίαν.

Διὸ δὴ καὶ πλείους αἰτίας εὑρίσκομεν τροπῶν, καὶ δύσεων, καὶ ἀνατολῶν, καὶ ἐκλείψεων, καὶ τῶν τοιούτων, ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς γινομένοις· ἢ οὐ δεῖ νομίζειν τὴν ὑπὲρ τούτων ἀκρίβειαν χρείαν μὴ ἀπειληφέναι, ὅση πρὸς τὸ ἀτάραχον καὶ μακάριον ἡμῶν συντείνει. ὥστε παραθεωροῦντας ποσαχῶς παρ' ἡμῖν τὸ ὅμοιον γίνεται, αἰτιολογητέον ὑπέρ τε τῶν μετεώρων καὶ παντὸς τοῦ ἀδήλου. καταφρονοῦντας δὲ τῶν οὔτε τὸ μοναχῶς ἔχον ἢ γινόμενον γνωριζόντων, οὔτε τὸ πλεοναχῶς συμβαῖνον, μόνον δὲ τὴν ἐκ τῶν ἀποστημάτων φαντασίαν παραδιδόντων, ἔτι τε ἀγνοούντων ἐν ποίοις οὐκ ἔστιν ἀταρακτῆσαι. Ἂν οὖν οἰώμεθα, καὶ ὡδίπως ἐνδεχόμενον αὐτὸ γίνεσθαι, καὶ ἐπὶ τούτῳ ὁμοίως ἀταρακτῆσαι, αὐτὸ τὸ, ὅτι πλεοναχῶς γίνεται γνωρίζοντες, ὥσπερ κἂν ὅτι ὡδίπως γίνεται εἰδῶμεν, ἀταρακτήσομεν.

Ἐπὶ δὲ τούτοις ὅλως ἅπασιν, ἐκεῖνο δεῖ κατανοεῖν, ὅτι τάραχος ὁ κυριώτατος ταῖς ἀνθρωπίναις ψυχαῖς γίνεται ἐν τῷ ταῦτα μακάριά τε δοξάζειν, καὶ ἄφθαρτα εἶναι, καὶ ὑπεναντίας ἅμα ἔχειν τούτοις καὶ βουλήσεις καὶ πράξεις, καὶ πάθη. καὶ ἐν τῷ αἰώνιόν τι δεινὸν προσδοκᾶν καὶ ὑποπτεύειν κατὰ τοὺς μύθους, (καὶ κατὰ ταύτην μὲν ἀναισθησίαν τὴν ἐν τῷ τεθνάναι φοβουμένους, ὥσπερ ὄντας καὶ ἐπὶ αὐτοῖς) καὶ ἐν τῷ μὴ δόξαις ὀρθαῖς ἔχειν, ἀλλ' ἀλόγῳ γέ τινι παραστάσει, ὥστε μὴ ὁρίζοντας τὸ ὄντως δεινὸν, τὴν ἴσην, ἢ καὶ ἐπιτεταμένην ταραχὴν λαμβάνειν, τῷ εἶναι, ἃ ἐδόξαζον ταῦτα. ἡ δὲ ἀταραξία τῷ τούτων πάντων ἀπολελύσθαι· καὶ συνεχῆ μνήμην ἔχειν τῶν ὅλων καὶ κυριωτάτων. Ὅθεν τοῖς πᾶσι προσεκτέον τοῖς παροῦσι καὶ ταῖς αἰσθήσεσι,

Quódque aliunde neſcio quid ſempiterni mali iuxta fabulas præſtolantur, ſuſpicantúrque (&, quod eſt quidem mirum, in ipſa, quæ in morte contingit, priuatione ſenſus, quaſi & tunc ipſi forent aliqui!) denique & quòd non ſanis quibuſdam ducantur opinionibus: ſed quopiam rationis experte affectu; vt non definientes proinde ratione id, quod reuerâ malum eſt, parem, neque minùs intenſam perturbationem ſuſcipiant, quàm ſi illa reuerâ eſſent, propter quæ turbantur. Ex oppoſito verò imperturbatus animi ſtatus ex eo oritur, quòd animus ſolutus, *ac liber* ab hiſce omnibus euadat; quódque

καὶ

κατὰ μὲν τὸ κοινὸν, ταῖς κοιναῖς· κατὰ δὲ τὸ ἴδιον, ταῖς ἰδίαις; καὶ πάσῃ τῇ παρούσῃ καθ' ἕκαστον τῶν κριτηρίων ἐναργείᾳ. Ἂν γὰρ τούτοις προσέχωμεν; τὸ, ὅθεν ὁ τάραχος καὶ ὁ φόβος γίνε), ἐξαιτιολογήσομεν ὀρθῶς καὶ ἀπολύσομεν, ὑπέρ τε τῶν μετεώρων αἰτιολογοῦντες, καὶ τῶν λοιπῶν τῶν ἀεὶ παρεμπιπτόντων, ὅσα φοβεῖ τοὺς λοιποὺς ἐσχάτως.

Ταῦτά σοι, ὦ Ἡρόδοτε, ἐστὶ κεφαλαιωδέστατα ὑπὲρ τῆς τῶν ὅλων φύσεως ἐπιτετμημένα· ὥστε ἂν γένοιτο οὗτος ὁ λόγος κατὰ τὸ δυνατὸν κατασχεθεὶς μετ' ἀκριβείας, οἶμαι, ἐὰν μὴ καὶ πρὸς ἅπαντα βαδίσῃ τις τῶν κατὰ μέρος ἀκριβωμάτων, ἀσύμβλητον αὐτὸν πρὸς τοὺς λοιποὺς ἀνθρώπους ἁδρότητα λήψεσθαι. Καὶ γὰρ καὶ καθαρὰ ἀφ' ἑαυτοῦ ποιήσει πολλὰ τῶν κατὰ μέρος ἐξακριβουμένων κατὰ τὴν ὅλην πραγματείαν ἡμῖν, καὶ αὐτὰ ταῦτα ἐν μνήματι θέμενος, συνεχῶς ἑαυτῷ βοηθήσει. Τοιαῦτα γάρ ἐστιν, ὥστε καὶ τοὺς κατὰ μέρος ἤδη ἐξακριβοῦντας ἱκανῶς, καὶ τοὺς τελείως εἰς τὰς τοιαύτας ἀναβαίνοντας ἐπιβολὰς τὰς πλείστας τῶν περιοδειῶν ὑπὲρ τῆς ὅλης φύσεως ποιεῖσθαι. Ὅσοι δὲ καὶ παντελῶς αὐτῶν ἀποτετελεσμένοι ἐν τούτοις εἰσὶν, οἱ δὲ κατὰ τὸν ἄνευ φθόγγου τρόπον, τὴν ἅμα νοήματι περιοδείαν τῶν κυριωτάτων πρὸς γαληνισμὸν ποιοῦνται.

Καὶ ἥδε μέν ἐστιν αὐτῷ ἐπιστολὴ περὶ τῶν φυσικῶν. Περὶ δὲ τῶν μετεώρων, ἥδε.

memoriâ iugi, ea, quæ maximè generalia, præcipuáque ſunt *Effata* conſeruet. Vnde & ſit, vt adhærendum ſit iis rebus, quas corám poſitas habemus, ipſiſ*que adeò* ſenſibus, communibus quidem, *ſine pluribus*, circa *ſenſibilia, quæ vocant* communia; *ſpecialibus verò ſeu* propriis, circa *ea, quæ ſpecialia, ſeu cuiuſque* propria; ac vniuerſè omni euidentiæ, quæ in promptu eſt, iuxta vnumquodque Criterium. Si enim ab iſtis non diſceſſerimus, tum id, vnde oritur perturbatio, quódque metum ingerit, rectâ cum ratione ediſſeremus, nóſque ab ipſis eximemus; cauſam videlicet tenentes eorum, quæ in ſublimi fiunt, ac reliquorum ſimul omnium, quæ paſſim interueniunt, ſummúmque terrorem cæteris incutiunt.

Hactenus ea ſunt, ô Herodote, quæ tibi de Rerum naturâ redigenda eſſe per capita ſumma in compendium cenſui. Quòd ſi quicquid heic ediſſerui, mente accuratè, quantum licet, teneatur; crediderim, tametſi quis non excurrat ad omnia, quæ diſquiri poſſunt, argumenta ſpecialia, fore tamen vt Phyſiologiæ copiam præ reliquis hominibus incomparabilem conſequatur. Nam ex ſeipſo bene multa ex iis quæ nos proſequuti ſpeciatim ſumus in vniuerſali Opere comprehendet; & illa quoque ipſa memoriæ committens; iuuabit ſe ipſe, *& continuò proficiet*. Hæc quippe eiuſmodi ſunt, vt & qui non mediocriter particularia iam diſcuſſerunt, & qui ſe perfectè eiuſcemodi cogitationibus dediderunt, complureis de tota Natura diſſertationes inſtituere, ac perficere valeant. Et quicumque ex ipſis fuerint in his penitùs conſummati, illi tacitè ſecum cogitantes, poſſint dicto citiùs, & tranquillè percurrere quicquid rerum eſt *in Phyſiologia* præcipuarum.

Atque hæc quidem illius eſt Epiſtola de Phyſicis rebus. Iam illam, quæ eſt de Meteoris, *rebús-ve ſublimè apparentibus*, ecce.

ΕΠΙΚΟΥΡΟΣ ΠΥΘΟΚΛΕΙ χαίρειν.

Ἤνεγκέ μοι Κλέων ἐπιστολὴν παρὰ σοῦ, ἐν ᾗ φιλοφρονούμενός τε περὶ ἡμᾶς διετέλεις, ἀξίως τῆς ἡμετέρας περὶ σεαυτὸν σπουδῆς, καὶ οὐκ ἀπιθάνως ἐπειρῶ μνημονεύειν τῶν εἰς μακάριον βίον συντεινόντων διαλογισμῶν. Ἔδει τε σεαυτῷ

EPICVRVS PYTHOCLI S.

Epiſtolam mihi abs te Cleon attulit, in qua nos amāter complecti, pro eo, quo erga te ſumus affecti ſtudio, pergeres, & non inſcitè ratiociniotū, quæ ad felicem vitā cōducunt, cōmeminiſſe adniteris. Rogabas

ſubinde, vt breuem, clareque conſcriptum de Rebus ſublimè apparentibus Tractatum ad te mitterem: quippe conſcripta aliàs à nobis, tametſi continuò præ manibus ſint, non poſſe tamen facilè, vt ipſe aiebas, hærere memoriæ. Nos verò & acceptam tuam precationem habuimus, & iucunda ſpe, *quam de tuis ſtudiis concipere licuit*, animati ſumus. Cùm itaque de cęteris omnibus iam ſcripſerimus, peragemus deinceps quas expetiiſti Ratiocinationes: ipſas quidem cùm multis aliis, tum iis maximè profuturas, qui recèns Phyſiologiam germanam deguſtauerint, iiſque etiam, qui fuerint impliciti profundiore ſtudio cuiuſpiam liberalium diſciplinarum. Tu ritè modò ea percipe, & memoriæ defixa diligenter percurre, vnà cum cæteris, quæ in Epitome parua ad Herodotum miſimus.

Primùm igitur reputare decet non alium eſſe ſtatuendum finem cognitionis rerum Sublimium, ſiue côiunctim *cum aliis*, ſiue *ſeparatim, ac* per ſe tractentur, quàm ſtatum mentis imperturbatum, ac perſuaſionem non vacillantem: veluti & in cæteris, *de quibus ſolemus diſſerere rebus. Atque idcirco*, neque adoriendum, quod vireis excedit *humanas*, neque *exiſtimandum* quicquid ſpeculamur, ſimilis eſſe conditionis cum iis Propoſitionibus, quas *circa doctrinam* de Moribus proferimus; aut circa alias Phyſicas quæſtiones, explicandas, defendimus, cuiuſmodi ſunt, Vniuerſum eſt Corpus, & Inane: Rerum Principia ſunt inſectilia: ac cæteræ id genus omnes, quæcumque vno tantùm modo cum rebus apparentibus congruunt. Id nempe nuſquam competit ipſis rebus Sublimibus, quæ ſunt potiùs eiuſmodi, vt multifariam obtineant & generationis cauſam, & eſſentiæ declarationem *iis, quæ* ſenſibus *percipiuntur*, conformem. Videlicet philoſophandum de Natura eſt, non pronunciata vana efferendo, & quaſi ex legis præſcripto agendo, verùm, quatenus exigunt res apparentes, ratiocinando. Ad vitam quippe noſtram nihil confert placita propria iactitare, inanique gloriâ geſtire; ſed animo imperturbato eſſe.

Cæterùm omnia *ſatis* conſtanter explicata fiunt iuxta modum multifarium rebus apparentibus congruum; quando quis retinet, *tuetúrque*, quicquid veriſimile eſt in ipſis. Quòd ſi quis vnum quidem modum retineat, alium verò, tametſi æquè apparentibus conſonum, repudiet, is perſpicuè ab omni vera de rebus naturalibus philoſophandi ratione deflectit, & delabitúrque ad fabulas. Neceſſe eſt autem coniecturas quaſdam ad ea, quæ ſublime

περὶ τῶν μετεώρων σύντομον καὶ εὐπερίγραφον διαλογισμὸν ἀποστεῖλαι, ἵνα ῥᾳδίως μνημονεύῃς. Τὰ γὰρ ἐν ἄλλοις ἡμῖν γεγραμμένα, δυσμνημόνευτα εἶναι, καί τοι (ὡς ἔφης) συνεχῶς αὐτὰ βαστάζοντι. Ἡμεῖς δὲ ἡδέως τε σοῦ τὴν δέησιν ἀπεδεξάμεθα, καὶ ἐλπίσιν ἡδείαις συνεσχέθημεν. Γράψαντες οὖν τὰ λοιπὰ πάντα συντελοῦμεν ἅπερ ἠξίωσας, πολλοῖς καὶ ἄλλοις ἐσόμενα χρήσιμα τὰ διαλογίσματα ταῦτα, καὶ μάλιστα τοῖς νεωστὶ φυσιολογίας γνησίου γευομένοις, καὶ τοῖς εἰς ἀσχολίας βαθυτέρας τῶν ἐγκυκλίων τινὸς ἐμπεπλεγμένοις. Καλῶς δὲ αὐτὰ διάλαβε, καὶ διὰ μνήμης ἔχων, ὀξέως αὐτὰ περιόδευε, μετὰ τῶν λοιπῶν, ὧν ἐν τῇ μικρᾷ ἐπιτομῇ πρὸς Ἡρόδοτον ἀπεστείλαμεν.

Πρῶτον μὲν οὖν, μὴ ἄλλο τι τέλος ἐκ τῆς περὶ μετεώρων γνώσεως, εἴτε κατὰ συναφὴν λεγομένων, εἴτε αὐτοτελῶς, νομίζειν δεῖ εἶναι, ἤπερ ἀταραξίαν καὶ πίστιν βεβαίαν, καθάπερ καὶ ἐπὶ τῶν λοιπῶν· Μήτε τὸ ἀδύνατον παραβιάζεσθαι, μήτε ὁμοίαν κατὰ πάντα τὴν θεωρίαν ἔχειν, ἢ τοῖς περὶ βίων λόγοις, ἢ τοῖς κατὰ τὴν τῶν ἄλλων φυσικῶν προβλημάτων κάθαρσιν, οἷον, ὅτι τὸ πᾶν σῶμα καὶ ἀναφὴς φύσις ἐστὶν, ἢ ὅτι ἄτομα στοιχεῖα, καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα, ἢ ὅσα μοναχὴν ἔχει τοῖς φαινομένοις συμφωνίαν· ὅπερ ἐπὶ τῶν μετεώρων οὐχ ὑπάρχει, ἀλλὰ ταῦτά γε πλεοναχὴν ἔχει καὶ τῆς γενέσεως αἰτίαν, καὶ τῆς οὐσίας ταῖς αἰσθήσεσι σύμφωνον κατηγορίαν. Οὐ γὰρ κατὰ ἀξιώματα κενὰ καὶ νομοθεσίας φυσιολογητέον, ἀλλ᾽ ὡς τὰ φαινόμενα ἐκκαλεῖται. οὐ γὰρ ἰδιολογίας καὶ κενῆς δόξης ὁ βίος ἡμῶν ἔχει χρείαν, ἀλλὰ τοῦ ἀθορύβως ἡμᾶς ζῆν.

Πάντα μὲν οὖν γίνεται ἀσείστως, κατὰ πλεοναχὸν τρόπον ἐκκαθαιρόμενα συμφώνως τοῖς φαινομένοις, ὅταν τις τὸ πιθανολογούμενον ὑπὲρ αὐτῶν δεόντως καταλίπῃ. Ὅταν δέ τις τὸ μὲν ἀπολίπῃ, τὸ δὲ ἐκβάλῃ, ὁμοίως σύμφωνον ὂν τοῖς φαινομένοις, δῆλον, ὅτι καὶ ἐκ παντὸς ἐκπίπτει φυσιολογήματος, ἐπὶ δὲ τὸν μῦθον καταῤῥεῖ. Σημεῖα δέ τινα τῶν ἐν τοῖς μετεώροις

συντελουμένων

συντελουμένων φέρειν δεῖ ἐκ τῶν παρ' ἡμῖν γινομένων, ἃ θεωρεῖται, ἢ ὑπάρχει, ὡς καὶ τὰ ἐν τοῖς μετεώροις φαινόμενα. Ταῦτα γὰρ ἐνδέχεται πλεοναχῶς γίνεσθαι. Τὸ μέντοι φάντασμα ἑκάστου τηρητέον, καὶ ἐπὶ τὰ συναπτόμενα τούτῳ διαιρετέον. ἃ οὐκ ἀντιμαρτυρεῖται τοῖς παρ' ἡμῖν γινομένοις πλεοναχῶς συντελεῖσθαι.

Κόσμος ἐστὶ περιοχή τις οὐρανοῦ, ἄστρα τε, καὶ γῆν, καὶ πάντα τὰ φαινόμενα περιέχουσα, ἀποτομὴν ἔχουσα ἀπὸ τοῦ ἀπείρου, καὶ καταλήγουσα ἐν πέρατι, ἢ ἀραιῷ ἢ πυκνῷ (οὗ καὶ λυομένου, πάντα τὰ ἐν αὐτῷ σύγχυσιν λήψεται) καὶ λήγουσα ἢ ἐν περιαγομένῳ, ἢ ἐν στάσιν ἔχοντι, καὶ ἢ στρογγύλην, ἢ τρίγωνον ἢ οἵαν δή ποτε περιγραφήν. Πανταχῶς γὰρ ἐνδέχεται· τῶν γὰρ φαινομένων οὐδὲν ἀντιμαρτυρεῖ. Ὁ δὲ κόσμος ἐν ᾧ λήγει, οὐκ ἔστι καταλαβεῖν. Ὅτι δὲ καὶ τοιοῦτοι κόσμοι εἰσὶν ἄπειροι τὸ πλῆθος, ἔστι καταλαβεῖν.

Καὶ ὅτι καὶ ὁ τοιοῦτος δύναται κόσμος γίνεσθαι καὶ ἐν μετακοσμίῳ (ὃ λέγομεν μεταξὺ κόσμων διάστημα) καὶ ἐν πολυκένῳ τόπῳ, καὶ ἐν μεγάλῳ εἰλικρινεῖ κενῷ, (καὶ τοι οὐ καθάπερ τινές φασιν) ἐπιτηδείων τινῶν σπερμάτων ῥυέντων ἀφ' ἑνὸς κόσμου, ἢ μετακοσμίου, ἢ καὶ ἀπὸ πλειόνων κατὰ μικρὸν προσθέσεις τε, καὶ διαρθρώσεις, καὶ μεταστάσεις ποιούντων ἐπ' ἄλλον τόπον, ἂν οὕτω τύχῃ· καὶ ἐπαρδεύσεις ἔξωθεν ἐχόντων ἐπιτηδείως ἕως τελειώσεως καὶ διαμονῆς, ἐφ' ὅσον τὰ ὑποβληθέντα θεμέλια τὴν προσδοχὴν δύναται ποιεῖσθαι. Οὐ γὰρ ἀθροισμὸν δεῖ μόνον γίνεσθαι· οὐδὲ δῖνον ἐν ᾧ ἐνδέχεται κόσμον γίνεσθαι κενῷ, κατὰ τὸ δοξαζόμενον ἐξ ἀνάγκης, αὔξεσθαί τε, ἕως οὗ ἑτέρῳ προσκρούσῃ, καθάπερ τῶν φυσικῶν καλουμένων φησί τις. Τοῦτο γὰρ μαχόμενόν ἐστι τοῖς φαινομένοις.

Ἥλιός τε, καὶ σελήνη, καὶ τὰ λοιπὰ ἄστρα, οὐ καθ' αὑτὰ γινόμενα, ὕστερον

creantur, ducere ex iis, quæ apud nos fiunt; *ex iis, inquam,* quæ obſeruantur, ac perinde ſe habent, ac ea, quæ ſublimè viſuntur: ſiquidem talia fieri cō pluribus modis contingit. Quare & quod in vnoquoque *Sublimium* apparet, attendendum eſt, diſcernendúmque iuxta ea, quæ cum ipſo conſonant, quæque pluribus modis fieri rebus apud nos contingentibus non repugnat.

Mundus eſt quæpiam Cæli complexio, Sidera, Terrámque, & quicquid eſt rerum conſpicabilium continens, obtinénſque in ſe *veluti* portionem ex ipſa rerum infinitate, ac in extremum deſinens, quo olim ſoluto, omnia, quæ in ipſo, cónfuſionem ſubibunt; ſeu illud ſit rarum, ſeu denſum; & ſeu circumductum; ſeu quieſcens, & ſeu rotundum, ſeu triangulare, ſeu figuræ cuiuſlibet; quippe quovis modo habere ſe poteſt; cùm nihil ſit rerum apparentium, quod refragetur. Et quale quidem reipsâ ſit Mundi extremum capere non licet; quód verò tales Mundi ſint numero infiniti, id capere licet.

Capere verò etiam *fas eſt*, quemadmodum quiſpiam eiuſmodi Mundus generari valeat & in Intermundio (ita vocamus interuallum inter *duos, aut pluresis* Mundos comprehenſum) & in loco multi-vacuo (*ſeu in quo verſantibus licet corporibus, corpúſculiſve, plurimùm tamen ſpatiorum vacuorum intercipitur*) *imò* & in magno, ipsóque immiſto, *puróque* Inani (tametſi non vt aliqui, *huiuſmodi inane aſſumentes*, deſcribunt) *atque ita quidem, vt intelligamus* confluere ex vno, pluribúsve ſiue Mundis, ſiue Intermundiis idonea quædam ſemina, *hoc eſt congeriem quandam congruam Atomorum, corpuſculorúmve,* quæ ſenſim *heic illeic mutuò* coaddantur, *variéque* formentur, & locum etiam *variè* provt contigerit, commutent; ac inſuper extrinſecus *accrementa quadam* quaſi irrigua accipiant, quovſque *conſtans ex omnibus concrementis ſpecialibus moles* perficiatur, ſtabilimentúmque obtineat; quantum quidem ferre *ipſius quaſi* fundamenta ſubſtrata valuerint. Nam *alioquin*, in quo inani generari Mundum contingit, non ſufficit aceruum fieri, conuoluíque, & incrementum, quandin in aliud incurrerit accipere, *eo modo, quo aceruus niuis, dum ſupra niuem voluitur*, iuxta opinionem, quòd ſic fieri ex neceſſitate oporteat, vt Phyſicorum appellatorum ait aliquis: ſiquidem id pugnat cum iis, quæ apparent. *Neque enim aceruus, cuius intimus quaſi nucleus ſolidus ſit, & extima etiam quaſi cruſta ſolida, aut conuolui poteſt, aut incrementum accipere, ſi interſtitium nucleum inter, cruſtámque interceptum; ſit fluxum (quale in Mundo eſſe contingit.)*

Sol, Luna, cæteráque Aſtra; non per ſe, *ac ſeorſim* fuere genita, & poſteriùs à

Mundo

Mundo comprehenſa; ſed ſtatim, *ſimulve cum ipſo* conformationem, incremētúmque, *magnitudinémve* ſuam acceperunt (quemadmodum etiam & Terra, & Mare, & quæcunque Mūdus aſſeruar) iuxta ſcilicet concrementa, conuolutionéſque *interiùs factas* tenuium quarumdam (earúmque ſeu ſpirituoſarum, ſeu ignearū, ſeu vtriuſque ſimul conditionis) naturarum: Quippe iſta ſunt, quæ ſuggerit ſenſus.

Magnitudo verò & Solis, & reliquorū Siderum, quod ad nos quidem attinet, tanta eſt, quanra & apparer. (HOC ETIAM IN VNDECIMO LIBRORVM DE NATVRA HABET: SI ENIM, INQVIT, SIDERA MAGNITVDINEM *ſuam iuſtam* OB INTERVALLVM AMITTERENT, MVLTO MAGIS IPSVM COLOREM; NEQVE ENIM EST VLLVM INTERVALLVM AD HOC *præſtandum* ACCOMMODATIVS, *quòd aliud nullum prolixius ſit.*) Quod ad ipſam verò rem ſpectat; *Magnitudo* aut *paulò* maior, aut paulò minor, aut *præcisè* tanta, quanta videtur, eſt; iſtâ nimirùm varietate exhibentur ſenſibus ignes, qui apud nos ex interuallo *interdiu, noctúque* ſpectantur. Quęcnmque porrò inſtantia poteſt aduerſus hunc locum vrgeri, nullo ſoluetur negotio, ſi quis manifeſtis adhæſerit rebus: quod quidem in libris de Natura oſtendimus.

Ortus, occaſúſque & Solis, & Lunæ, & reliquorum Siderum contingere poſſunt, aut per accenſionem *in Oriente*, & exſtinctionem *in Occidente*, ob ralem *nimirùm* ad vtrumque locum diſpoſitionem *medij*, vt, *dum Aſtra per illud tranſeunt*, iſta, quæ dico eueniant, quandoquidem nihil eſt rerum apparentium, quod refragetur. Aut per appparitionem ſupra, & occultationem *ſufra* Terram (*tanquam Sideribus alioquin exſiſtentibus ſemper lucidis*) poſſunt tales ortus, occaſúſque peragi; ſiquidem nihil rursùs eſt, ex rebus apparentibus, quod repugnet.

ἐμπεριλαμβάνοιτο ὑπὸ τοῦ κόσμου, ἀλλ' εὐθὺς καὶ διεπλάττετο, καὶ αὔξησιν ἐλάμβανεν. (ὁμοίως δὲ καὶ γῆ καὶ θάλαττα, καὶ ὅσα γε δὴ σώζει) κατὰ προσκρίσεις, καὶ δινήσεις λεπτομερῶν τινῶν φύσεων, ἤτοι πνευματικῶν, ἢ πυροειδῶν, ἤτοι συναμφοτέρων. Καὶ γὰρ ταῦτα οὕτως ἡ αἴσθησις ὑποβάλλει.

Τὸ δὲ μέγεθος ἡλίου τε καὶ τῶν λοιπῶν ἄστρων κατὰ μὲν τὸ πρὸς ἡμᾶς τηλικοῦτόν ἐστιν ἡλίκον φαίνεται. [Τοῦτο δὲ καὶ ἐν τῇ ἑνδεκάτῃ περὶ φύσεως λέγει. Εἰ γὰρ (φησὶ) τὸ μέγεθος διὰ τὸ διάστημα ἀποβεβλήκει, πολλῷ ἂν μᾶλλον τὴν χρόαν· ἄλλο γὰρ τούτῳ συμμετρότερον διάστημα οὐθέν ἐστι.] Κατὰ δὲ τὸ καθ' αὑτὸ, ἤτοι μεῖζον τοῦ ὁρωμένου, ἢ ἔλαττον μικρῷ, ἢ τηλικοῦτον ὑπάρχει. οὕτω γὰρ καὶ τὰ παρ' ἡμῖν πυρὰ ἐξ ἀποστήματος θεωρούμενα, κατὰ τὴν αἴσθησιν θεωρεῖται. καὶ πᾶν δὲ τὸ εἰς τοῦτο τὸ μέρος ἔνστημα, ῥᾳδίως διαλυθήσεται, ἐάν τις τοῖς ἐναργήμασι προσέχῃ, ὅπερ ἐν τοῖς περὶ φύσεως βιβλίοις δείκνυμεν.

Ἀνατολαὶ καὶ δύσεις ἡλίου καὶ σελήνης καὶ τῶν λοιπῶν ἄστρων, καὶ κατὰ ἄναψιν γενέσθαι δύνανται, καὶ κατὰ σβέσιν, τοιαύτης οὔσης περιστάσεως καθ' ἑκατέρους τοὺς τόπους, ὥστε τὰ προειρημένα ἀποτελεῖσθαι. οὐθὲν γὰρ τῶν φαινομένων ἀντιμαρτυρεῖ. Κατ' ἐμφάνειάν τε ὑπὲρ γῆς, καὶ πάλιν ἐπίκρυψιν τὸ προειρημένον δύναιτ' ἂν συντελεῖσθαι· οὐδὲ γάρ τι τῶν φαινομένων ἀντιμαρτυρεῖ.

Τάς τε κινήσεις αὐτῶν, οὐκ ἀδύνατον μὲν γίνεσθαι κατὰ τὴν τοῦ ὅλου οὐρανοῦ δίνην, ἢ τούτου μὲν στάσιν, αὐτῶν δὲ δίνην, κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς ἐν τῇ γενέσει τοῦ κόσμου ἀνάγκην προσγεννηθεῖσαν ἐπ' ἀνατολῇ· εἶτα τῇ θερμασίᾳ κατά τινα ἐπινέμησιν τοῦ πυρὸς ἀεὶ ἐπὶ τοὺς ἑξῆς τόπους ἰόντος.

Τροπὰς ἡλίου καὶ σελήνης ἐνδέχεται μὲν γίνεσθαι κατὰ λόξωσιν μὲν οὐρανοῦ, οὕτω τοῖς χρόνοις κατηναγκασμένου· ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ ἀέρος ἀντίξωσιν, ἢ καὶ ὕλης ἀεὶ ἐπιτηδείως

Motus eorumdem-met Aſtrorum fieri nihil vetat, aut toto Cælo circumducto, *ipsáque ſimul deuehente*; aur Cælo ſtante, ipsiſqne *per ſe* circumductis; *&* *vtrumvis quidem* iuxta neceſſitarem motus ab vſque initio, tum cùm Mundus generaretur, factam, impreſsámque ex parte Orientis, ac igne deinceps, *ex quo illa conſtant*, ob calorem, *atque idcircò auiditatem pabuli*, in conſequentia *verſus Occaſum loca* ad depaſtionem procedente.

Conuerſiones Solis, & Lunæ, *ad ipſa Solſtitia, circulóſve Tropicos* contingere poſſunt propter obliquitatem Cæli, quòd progreſſu temporis hanc *ſitus deflexi* neceſſitatem conrraxerir. Similiter verò & proprer repreſſionem aëris, *qui Aſtra heinc inde præ frigiditate, denſitate, qualitatéve alia repellat.* Aut etiam propter

ἐχομένης

ἐχομένης, καὶ τὴν μὲν ἐμπιπραμένης· τὴν δὲ καταλιπούσης. Ἢ καὶ διὰ τὸ ἐξ ἀρχῆς τοιαύτην δίνην κατειληφθῆναι τοῖς ἄστροις τούτοις, ὥσθ' οἷον τε ἕλικα κινεῖσθαι. Πάντα γὰρ τὰ τοιαῦτα, καὶ τὰ τούτοις συγγενῆ, οὐθὲν τῶν ἐναργημάτων διαφωνεῖ, ἐάν τις ἀεὶ ἐπὶ τῶν τοιούτων μερῶν ἐχόμενος τοῦ δυνατοῦ εἰς τὸ σύμφωνον τοῖς φαινομένοις ἕκαστον τούτων δύνηται ἀπάγειν, μὴ φοβούμενος τὰς ἀνδραποδώδεις τῶν ἀστρολόγων τεχνητείας.

Κενώσεις τε σελήνης καὶ πάλιν πληρώσεις, καὶ κατὰ στροφὴν τοῦ σώματος τούτου δύναιντ' ἂν γίνεσθαι· Καὶ κατὰ σχηματισμοὺς ἀέρος ὁμοίως. Ἔτι τε καὶ κατ' ἐπιπροσθετήσεις καὶ κατὰ πάντας τρόπους καθ' οὓς καὶ τὰ παρ' ἡμῖν φαινόμενα ἐκκαλεῖται εἰς τὰς τούτου τοῦ εἴδους ἀποδόσεις, ἐὰν μή τις τὸν μοναχὸν τρόπον κατηγαπηκὼς, τοὺς ἄλλους κενῶς ἀποδοκιμάζῃ, ἤτε θεωρητικῶς τί δυνατὸν ἀνθρώπῳ θεωρῆσαι μὴ δύναιτο, καὶ διὰ τοῦτο ἀδύνατα θεωρεῖν ἐπιθυμεῖ.

Ἔτι τε ἐνδέχεται τὴν σελήνην ἐξ ἑαυτῆς ἔχειν τὸ φῶς, ἐνδέχεται δὲ καὶ ἀπὸ τοῦ ἡλίου· καὶ γὰρ παρ' ἡμῖν θεωρεῖται πολλὰ μὲν ἐξ ἑαυτῶν ἔχοντα, πολλὰ δὲ ἐξ ἑτέρων· καὶ οὐδὲν ἐμποδοστατεῖ τῶν ἐν τοῖς μετεώροις φαινομένων, ἐάν τις τοῦ πλεοναχοῦ τρόπου ἀεὶ μνήμην ἔχῃ, καὶ τὰς ἀκολούθους αὐτοῦ ὑποθέσεις ἅμα καὶ αἰτίας συνθεωρῇ, μὴ ἀναβλέπων εἰς τὰ ἀνακόλουθα ταῦτα, ὀγκοῖ ματαίως καὶ καταρρέπῃ ἄλλοθι ἄλλως ἐπὶ τὸν μοναχὸν τρόπον.

Ἡ δὲ ἔμφασις τοῦ προσώπου ἐν αὐτῇ δύναται μὲν γίνεσθαι καὶ κατὰ παραλλαγὴν μερῶν, καὶ κατ' ἐπιπροσθέτησιν· καὶ ὅσοι ποτὲ ἂν τρόποι θεωροῖντο τὸ σύμφωνον τοῖς φαινομένοις κεκτημένοι. Ἐπὶ πάντων γὰρ τῶν μετεώρων τὴν τοιαύτην ἰχνευσιν οὐδὲν προσθετέον. Ἢν γάρ τις μαχόμενος ᾖ τοῖς ἐναργήμασιν, οὐδέποτε δυνήσεται ἀταραξίας γνησίου μεταλαβεῖν.

Ἔκλειψις ἡλίου καὶ σελήνης δύναται μὲν γίνεσθαι καὶ κατὰ σβέσιν, καθάπερ καὶ παρ'

pabulum, quod congruè, *ſeu ſecundùm eam viam* còntinenter diſpoſitum, partim quidem *ponè* accendatur, partim *prorsùm* aufugiat. Quin potuit quoque ab initio ea circumgyratio his Sideribus imprimi, vt ſpirali motu *hinc inde ad puncta Tropica Solſtitialia limitato* circumducerentur. Siquidem hæc omnia, ipsíſque affinia nihil continent diſcrepans ab ipſa rerum euidentia; ſi quis modò in híſce rebus poſſibilitati adhærẽs, reuocare vnamquamque ad id, quod eſt congruum apparentibus, valeat; nihil reueritus illiberalia illa Aſtrologorum machinamenta.

Decrementa, ac turſus Incrementa Lunæ poſſunt fieri aut conuerſionẽ proprij corporis, *ipſiúſque globoſi, & alteram quidem partem lucidam, alteram obſcuram habentis:* aut eo modo, quo aẽr *quoque variè veluti* figuratur, *dum à luce Solis initur, ac deſeritur*; aut inſuper obductione *varia corporis cuiuſpiam opaci, quod hemiſphericum, excauatúmque, & vnà cùm ea labens, ipſi continuò circumuoluatur*; aut quolibet denique modo illa, quæ apud nos apparent, iis, quæ ſunt eiuſcemodi, planam faciunt explicationem. Niſi fortè quis ſingularem modum perditè deperiens, aliòs inaniter reiiciat; neque valeat conſiderare ecquidnam pernoſſe poſſibile ſit; atque idcircò quæ nefas eſt *homini* pernoſſe, affectet.

Fieri ad hæc poteſt, vt Luna, *id quod præfert* lumen à ſeipſa habeat; fieri etiam poteſt, vt *habeat* à Sole. Siquidem etiam apud nos pleraque cernuntur ex ſeipſis *lucentia*, pleráque *ſpendorem* ex aliis *mutuantia*; ac nihil eſt rerum ſublimè apparentium, quod opinioni vtrivis obſtet; ſi modò quis multifarium modum menti defixum teneat, & conſentaneas ipſi ſuppoſitiones, cauſáſque ſimul conſideret, ne ad ea attenderis, quæ incohærentia ſunt, vanè intumeſcat, & nunc huc, nunc illuc in ſingularem modum prolabatur.

Species illa vultus, *ſeu maculoſa facies*, quæ in eadem Luna apparet, eſſe talis poteſt, aut ex varia, *diuerſiformíque* partium *Lunæ* natura; aut ex ſuperductu *cuiuſpiam caliginoſioris corporis, reticuli inſtar ipſam obtegentis*; aut quicumque alij ſunt modi, qui conformitatem tueri cum rebus apparentibus obſeruantur. Hęc nempe eſt via, cui hærendum eſſe, quotieſcumque agitur de Sublimibus, præſtituendum eſt. Neque enim, ſi quiſpiam rebus apparentibus obluctetur, is poterit vnquam germanæ tranquillitatis particeps fieri.

Defectus tam Solis, quàm Lunæ contingere poteſt, aut per exſtinctionem *proprij luminis*, vti & apud nos fieri accidit, aut per obductionem, *effectionémque*

aliarum

aliarum quarumdam *interpoſitarum* rerum, vt Terræ, *certa partu* Cęli, aliorúmve huiuſmodi. Et hac quidem ratiooe attendendi ſunt familiares modi inuicem collati; ac aliqui etiam complexè accepti; nimirùm cùm id poſſibile ſit. IN XII. VERO DE NATVRA LIBRO TVM HÆC IPSA DICIT, TVM *illud perſpicuè*, DEFICERE SOLEM OB LVNAM *ipſi, nobíſque interpoſitam, ac nobis idcircò* TENEBRAS CREANTEM: ET LVNAM OB TERRAM *ipſi, Solíque interpoſitam, ac in illam ideò* INDVCENTEM VMBRAM: VERVMTAMEN EX SVBDVCTIONE *heinc coniuncta, heinc oppoſita Soli Luna*, RESTITVTIONEM LVCIS *heic quidem in Sole, illeic in Luna* FIERI. IDIPSVM QVOQVE EPICVREVS DIOGENES, IN PRIMO *Scholarum* SELECTARVM *ait.*

Otdo etiam Periodicus, *quo Eclipſes certis temporibus accidunt*, ita *ſeruari* intelligatur, quemadmodum & apud nos *ſeruari* in quibuſdam (*vt in tempeſtatum viciſſitudine*) contingit. Nullatenus verò Natura Diuina ad hæc patranda aduocetur; ſed omois expers muneris, & cumulatiſſimè beata eſſe permittatur. Niſi id fiat, tota de cauſis rerum Sublimium ratiocioatio irrita euadet; vt nonnullis iam accidit, qui modum amplexi impoſſibilem, in vanitatem exciderunt; quòd vnum nempe ſolum probârint, cæteros omneis, tametſi forent poſſibiles, expunxerint, & delati fuerint ad *ſomniandum* id, quod intellectus captum excedit; ac neque admittere apparentia, quæ par erat, ſigna potuerint, neque nouerint (*quemadmodum aiunt*) cum Deo lætari.

Longitudines alternantes noctium, & dierum *per hyemem, pérque æſtatem*, contiogere poſſunt, aut quòd circuitiones Solis ſupra, ac infra Terram nunc celerius, nunc tardiùs fiaot; quatenus & ipſæ locorum, *ſeu viarum, quibus Sol incedit*, longitudines ſunt alternæ: aut quòd certa ſint *per atherem* loca, quæ poſſint *ob factam minorem, maiorémve reſiſtentiam* velocius, ſegniúſque tranſmeari; cuiuſmodi apud nos quoque cernere licet aliqua; iuxta quæ conſentaneum ſit ea, quæ ſublimia ſunt, explicare. Illi verò qui vnum quid ſingulare ſolùm arripiunt; tum apparentibus repugnant, tum & ab eo, quod homini contemplari fas eſt, abertant.

Præſignificationes *futurarum in aëre tranſmutationum, quæ deduci ſolent ex ortu, & occaſu Siderum*, fieri poſſuot, aut provt conditiones tempeſtatum tulerint: eo modo. quo euenit in illis Animalibus, quæ nunc apud nos, nunc apud alios *commigrando viſa, tempeſtatum quidem indicia, ſed non tamen cauſa ſunt:* aut provt caſu contigerit; quo tempore Aſtra oriuntur, vel occidunt, cauſas quaſdam exſiſtere *excitata* cuiuſpiam in aëre mutationis. Siquidem neutrū horum

ἡμῖν τοῦτο θεωρεῖται γινόμενον· καὶ ἤδη κατ' ἐπιπροσθέτησιν ἄλλων τινῶν, ἢ γῆς, ἢ οὐρανοῦ, ἤ τινος ἑτέρου τοιούτου. Καὶ ὧδε τοὺς οἰκείους ἀλλήλοις τρόπους συνθεωρητέον, καὶ τὰς ἅμα συγκρίσεις τινῶν, ὅτι οὐκ ἀδύνατον γίνεσθαι. [Ἐν δὲ τῇ δωδεκάτῃ περὶ Φύσεως ταῦτα λέγει, καὶ τὸν ἥλιον ἐκλείπειν σελήνης ἐπισκοτούσης· σελήνην δὲ, τοῦ τῆς γῆς σκιάσματος, ἀλλὰ κατ' ἀναχώρησιν πάλιν ἐλάμπεσθαι. Τοῦτο δὲ καὶ Διογένης ὁ Ἐπικούρειος ἐν τῇ πρώτῃ τῶν Ἐπιλέκτων.]

Ἔτι τε τάξις περιόδου, καθάπερ ἔνια καὶ παρ' ἡμῖν τῶν τυχόντων γίνεται, λαμβανέσθω, καὶ ἡ θεία φύσις πρὸς ταῦτα μηδαμῇ προσαγέσθω, ἀλλ' ἀλειτούργητος διατηρείσθω, καὶ ἐν τῇ πάσῃ μακαριότητι. Ὡς, εἰ τοῦτο μὴ πραχθήσεται, ἅπασα ἡ περὶ τῶν μετεώρων αἰτιολογία ματαία ἔσται, καθάπερ τισὶν ἤδη ἐγένετο οὐ δυνατοῦ τρόπου ἐφαψαμένοις, εἰς δὲ τὸ μάταιον ἐκπίπτουσι τῷ καθ' ἕνα τρόπον μόνον οἴεσθαι γίνεσθαι, τοὺς δὲ ἄλλους ἅπαντας τοὺς κατὰ τὸ ἐνδεχόμενον ἐκβάλλειν, εἴς τε τὸ ἀδιανόητον φερομένοις, καὶ τὰ φαινόμενα, ἃ δεῖ, σημεῖα ἀποδέχεσθαι μὴ δυναμένοις, μήτε δυναμένοις σὺν θεῷ χαίρειν.

Μήκη νυκτῶν καὶ ἡμερῶν παραλλάττοντα ἐνδέχεται, καὶ παρὰ τὸ ταχείας ἡλίου κινήσεις γίνεσθαι, καὶ πάλιν βραδείας ὑπέρ τε, καὶ ὑπὸ γῆς, παρὰ τὸ τὰ μήκη τόπων παραλλάττειν. Καὶ παρὰ τὸ, τόπους τινὰς περαιοῦσθαι τάχιον, ἢ βραδύτερον ὡς καὶ παρ' ἡμῖν τινα θεωρεῖται, οἷς συμφώνως δεῖ λέγειν ἐπὶ τῶν μετεώρων. Οἱ δὲ τὸ ἓν λαμβάνοντες, τοῖς τε φαινομένοις μάχονται. καὶ τοῦ, ὃ δυνατὸν ἀνθρώπῳ θεωρῆσαι, διαπεπτώκασιν.

Ἐπισημασίαι δύνανται γίνεσθαι καὶ κατὰ συγκυρήσεις καιρῶν, καθάπερ ἐν τοῖς ἐμφανέσι παρ' ἡμῖν ζώοις, καὶ παρ' ἑτέροις καὶ κατὰ συντάξεις αἰτίων τινῶν, ἅμα τῶν τῶν ἄστρων ἀνατολαῖς, καὶ δύσεσι, τινὲς τοῦ ἀέρος μεταβολῆς. Ἀμφότερα γὰρ ταῦτα οὐ

μάχεται

μάχεται τοῖς φαινομένοις. ἔτι δὲ ποῖον παρὰ τόδε, ἢ τόδε αἴτιον γίνεται, οὐκ ἔτι συνιδεῖν.

Νέφη γίνεσθαι καὶ συνίστασθαι δύνανται, καὶ παρὰ πιλήσεις ἀέρος πνευμάτων συνώσει. καὶ παρὰ περιπλοκὰς ἀλληλούχων ἀτόμων, καὶ ἐπιτηδείων εἰς τὸ τοῦτο τελέσαι· καὶ κατὰ ῥευμάτων συλλογὴν ἀπό τε γῆς, καὶ ὑδάτων. Καὶ κατ' ἄλλους δὲ τρόπους πλείους αἱ τῶν τοιούτων συστάσεις οὐκ ἀδυνατοῦσι συντελεῖσθαι.

Ἤδη δ' ἐξ αὐτῶν, ἡ μὲν θλιβομένων, ἡ δὲ μεταβαλλόντων ὑετοὶ δύνανται συντελεῖσθαι.

Ἔτι τε πνεύματα γίνεσθαι δύναται κατὰ ἀποφορὰν τῶν ἀπὸ ἐπιτηδείων τόπων, καὶ δι' ἀέρος κινουμένων ἀτόμων, βιαιοτέρας ἐπαρδεύσεως γινομένης ἀπὸ τινῶν ἀθροισμάτων, ἐπιτηδείων εἰς τὰς τοιαύτας ἐπιπέμψεις.

Βροντὰς ἐνδέχεται γίνεσθαι, καὶ κατὰ πνεύματος ἐν τοῖς κοιλώμασι τῶν νεφῶν ἀνείλησιν, καθάπερ ἐν τοῖς ἡμετέροις ἀγγείοις. Καὶ παρὰ πυρὸς πεπνευματωμένου βόμβον ἐν αὐτοῖς. Καὶ κατὰ ῥήξεις δὲ νεφῶν, καὶ διαστάσεις. Καὶ κατὰ παρατρίψεις δὲ νεφῶν, καὶ κατάξεις πῆξιν εἰληφότων κρυσταλλοειδῆ. καὶ τὸ ὅλον, καὶ τοῦτο τὸ μέρος πλεοναχῶς γίνεσθαι λέγειν, ἐκκαλεῖται τὰ φαινόμενα.

Καὶ Ἀστραπαὶ δ' ὡσαύτως γίνονται κατὰ πλείους τρόπους· καὶ γὰρ κατὰ παράτριψιν καὶ σύγκρουσιν νεφῶν, ὁ πυρὸς ἀποτελεστικὸς σχηματισμὸς ἐξολισθαίνων ἀστραπὴν γεννᾷ. καὶ κατ' ἐκριπισμὸν ἐκ τῶν νεφῶν ὑπὸ πνευμάτων τῶν τοιούτων σωμάτων, ἃ τὴν λαμπηδόνα ταύτην παρασκευάζῃ, καὶ κατ' ἐκπιεσμὸν, θλίψεως τῶν νεφῶν γινομένης, εἴθ' ὑπ' ἀλλήλων, εἴθ' ὑπὸ πνευμάτων· καὶ κατὰ ἐμπερίληψιν δὲ τοῦ ἀπὸ τῶν ἄστρων κατεσπαρμένου φωτὸς, εἶτα συνελαυνομένου ὑπὸ τῆς κινήσεως νεφῶν τε καὶ πνευμάτων, καὶ διεκπίπτοντος διὰ τῶν νεφῶν· Καὶ κατὰ διήθησιν τῶν νεφῶν τοῦ λεπτομερεστάτου φωτὸς, διὰ τὸ ὑπὸ τοῦ πυρὸς νέφη συμφλέχθαι, καὶ τὰς βροντὰς ἀποτελεῖσθαι κατὰ τὴν τούτου κίνησιν. Καὶ κατὰ τὴν τοῦ πνεύματος ἐκπύρωσιν, τὴν γινομένην διά τε συντονίαν φο-

pugnat cum rebus apparentibus; & qualis præter hanc aut illam, *aliámve conformem apparentibus*, cauſa ſit (*vtumque diuinam aduocent aliqui*) peruidere haudquaquam licet.

Nubes generari, & conſtare poſſunt, aut cumulatione quadam aëris, aut compellentibus ipſum ventis: aut implexione Atomorum inuicem cohærentium, & ad concrementum huiuſcemodi conficiendum idonearum: aut collectione effluxionum, *exhalationúmve* è terra, & aqua eductarum, *ſurſúmque euectarum*. Quin multis etiam aliis modis coagmenta hæc fieri nihil vetat.

Iam & ex ipſis nubibus creari Pluuiæ poſſunt, aut dum *rariores exſiſtentes vrgente vento, aut incubitu proprio* comprimuntur, *& in guttas coaleſcunt*: aut dum *exſiſtentes denſiores: vi caloris aut venti rareſcunt, atque* tranſmutantur; *ſeu inſtar ceræ ita liqueſcunt vt ſtillatim decidant*.

Venti quoque creari poſſunt, dum Atomi ex locis *quibuſdam* idoneis proſiliunt, ac per aërem tranſuolant; idque vehementiore effuſione factâ ex nonnullis congeſtibus, qui comparati ſint ad huiuſcemodi emiſſiones.

Tonitrua excitari poſſunt, aut ex ſpiritus intra nubium cauitates volutatione, quemadmodum in noſtris vaſis, aut creato bombo ex ipſa intra eaſdem nubeis ignis difflatione: aut ex ipſarum nubium diffractionibus, diſtractionibúſque: aut ex affrictionibus, impactionibúſque earumdem, poſteaquam adeptæ glacialem concretionem fuerint. Vno verbo, hoc quoque membrum explicari poſſe modis pluribus ea, quæ apparent, perſuaſum faciunt.

Fulgura, *ſeu Coruſcationes*, fiunt pariter compluribus modis. Videlicet aut affrictione, collíſionéque nubiũ proſiliente, vtputà, eiuſcemodi configuratione, *ſeu Atomorum aggeſtarũ diſpoſitione, conformationéque*, quæ effectrix ignis ſit, & generet fulgur: aut excitatione per ventos è nubibus factâ eorum corporũ, *corpuſculorúmve, hoc eſt, Atomorũ*, quæ ſplendorem hunc coruſcantẽ efficiant: aut expreſſione; *ſed facta nimirùm* vel ab ipſis inter ſe nubibus, vel à ventis *ipſas compellentibus*, compreſſione: aut interceptione lucis à Sideribus diffuſæ, quæ deinceps nubium, ventorúmque motu adigatur, ac è nubibus excidat: aut dilapſione è nubibus factâ tenuiſſimi luminis, dum nubes ab igne coguntur, ac *aliunde* tonitrua *ipſo illarum motu* creantur: aut accenſione ſpiritus, quæ tum motus contenſione, tum

conuolutione vehemente fiat : aut fractione nubium per ventos, ac prolapſione Atomorum, quæ effectrices ignis ſint, apparitioniſque fulguris ſint cauſæ. Quin-etiam poſſe pluribus modis *generari fulgur*, facile erit perſpectu illi, qui & rebus apparentibus adhæſerit, & quod eſt ipſis conſentaneum peruidere valuerit.

Antecedit autem Fulgur, *eiuſve aſpectus exauditionem* Tonitru, quòd in certa quapiam diſpoſitione nubiū, ſimul atque ſpiritus *in ipſas* inciderit, ea configuratio *corpuſculorum* proſiliat, quæ coruſcationem edat : deinceps verò ſpiritus ipſe ſui-euolutione hunc ſonum perficiat. Aut quòd, cùm vtrumque ſimul generetur, coruſcatio pernicitate concitatiore ad nos feratur, tonitru verò poſteriùs adueniat ; vti fit in aliquibus, quæ ex interuallo cernuntur ; & reſonanteis ictus impingunt ; *priùs enim conſpici ictum, quàm audiri ſonum manifeſtum eſt.*

Fulmina poſſunt fieri ex multiplici flatuum conglomeratione, ac euolutione, accenſionéque valida, & effractione nubis ab igne (*obiter autem* effractio fit, quòd loca circumſtantia denſiùs occupentur, ob compreſſionem nubium, vnde & contingit fieri tonitru, dum ſcilicet genitus ignis & difflatur potentiùs, & nubem idcircò perrumpit, quòd ob illius compreſſionem ſe ſubducere ſenſim, penetrando, non poſſit) ac validiore demùm in loca inferiora exploſione eiuſdem ignis, qui prout ſe talis exploſio habuerit, nunc verſus montem quempiam præcelſum (quod genus locorum feriunt ſæpiùs fulmina) nunc verſus alia deuoluatur. Sunt verò & plures alij quoque modi, quibus fulmina poſſunt fieri : fabula modò hinc amandetur : amandabitur autem ; ſi quis in rebus inconſpicuis decenter deſumat ex eo, quod rebus apparentibus conſentaneum eſt, coniecturam.

ρας, καὶ διὰ σφοδρὰν κατείλησιν. Καὶ κατὰ ῥῆξίς τε νεφῶν ὑπὸ πνευμάτων καὶ ἔκπτωσιν τῶν πυρὸς ἀποτελεστικῶν ἀτόμων, καὶ τὸ τῆς ἀστραπῆς φάντασμα ἀποτελουσῶν· Καὶ κατ' ἄλλους δὲ πλείους τρόπους ῥᾳδίως ἔσται καθορᾶν καὶ ἐχόμενον τῶν φαινομένων, καὶ τὸ τούτοις ὅμοιον δυνάμενον συνθεωρεῖν.

Προτερεῖ δὲ ἀστραπὴ βροντῆς, καὶ διὰ τὸ, ἐν τοιᾷδε τινὶ περιστάσει νεφῶν, ἅμα τῷ τὸ πνεῦμα ἐμπίπτειν, ἐξωθεῖσθαι τῆς ἀστραπῆς ἀποτελεστικὸν σχηματισμόν· ὕστερον δὲ τὸ πνεῦμα ἀνειλούμενον, τὸν βόμβον ἀποτελεῖν τοῦτον· Καὶ κατ' ἔμπτωσιν δὲ ἀμφοτέρων ἅμα, τῷ τάχει συντονωτέρῳ κεχρῆσθαι πρὸς ἡμᾶς τὴν ἀστραπήν. ὑστερεῖν δὲ τὴν βροντήν, καθάπερ ἐπ' ἐνίων ἐξ ἀποστήματος θεωρουμένων, καὶ πληγάς τινας ποιουμένων.

Κεραυνοὺς ἐνδέχεται γίνεσθαι, καὶ κατὰ πλείονας πνευμάτων συλλογάς, καὶ κατείλησιν, ἰσχυράν τε ἐκπύρωσιν, καὶ κατάρρηξιν νέφους ὑπὸ τοῦ πυρὸς (τῆς ῥήξεως γινομένης διὰ τὸ τοὺς ἑξῆς τόπους πυκνοτέρους εἶναι, διὰ πίλησιν τῶν νεφῶν, καθὰ καὶ βροντὴν ἐνδέχεται γίνεσθαι πυρὸς γινομένου καὶ πνευματωθέντος ἰσχυρότερον, καὶ ῥήξαντος τὸ νέφος, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι ὑποχωρεῖν εἰς τὰ ἑξῆς· τῷ πίλησιν γίνεσθαι) καὶ ἔκπτωσιν ἰσχυροτέραν αὐτοῦ ἐπὶ τοὺς κάτω τόπους, καὶ κατὰ ταύτην δὲ ἔκπτωσιν ἐλαττουμένου τοῦ πυρὸς, τὸ μὲν πολὺ πρὸς ὄρος τι ὑψηλὸν, ἐν ᾧ μάλιστα κεραυνοὶ πίπτουσιν, τὸ δὲ καὶ πρὸς ἄλλα. Καὶ κατ' ἄλλους δὲ τρόπους πλείονας ἐνδέχεται κεραυνοὺς ἀποτελεῖσθαι, μόνον ὁ μῦθος ἀπέστω· ἀπέσται δὲ, ἐάν τις καλῶς τοῖς φαινομένοις ἀκολουθῶν, περὶ τῶν ἀφανῶν σημειῶται.

Πρηστῆρας ἐνδέχεται γίνεσθαι καὶ κατὰ θέσιν νέφους εἰς τοὺς κάτω τόπους, ἀλλοειδῶς ὑπὸ πνεύματος ἀθρόου ὠσθέντος, καὶ διὰ πνεύματος πολλοῦ φερομένου, ἅμα καὶ τὸ νέφος εἰς τὸ πλησίον ὠθοῦντος τοῦ ἐκτὸς πνεύματος. Καὶ κατὰ περίστασιν δὲ πνεύματος εἰς κύκλον ἀέρος τινὸς ἐπισυνωθουμένου ἄνωθεν, καὶ ῥύσεως πολλῆς πνευμάτων γινομένης, καὶ οὐ δυναμένης εἰς τὰ πλάγια διαῤῥυῆναι διὰ τὴν πέριξ τοῦ ἀέρος πίλησιν.

Preſteres, *ſeu gyri ventoſi (nam ignei quidem, amburentéſque, à quibus eſt nomen, ſpecies quædam fulminis ſunt)* generari poſſunt, aut ex ipſa nubis verſus loca inferiora diuerſiformi depreſſione, dum à copioſo pellitur vento, ac per ventum multum defertur, & ventus ſimul nubem ipſam proximè extrinſecus agit ; aut ex circumſtante in orbem vento, aëre quodam ſuperincumbente, ſimúlque pulſo ; ac vbere ventorum flatu non habente vnde diffluat ad latera, propter ipſius aëris circumfuſi condenſationem.

Καὶ

Καὶ ἕως μὲν γῆς τοῦ πρηστῆρος καθιεμένου, στρόβιλοι γίνονται, ὡς ἂν καὶ ἡ ἀπογέννησις κατὰ τὴν κίνησιν τοῦ πνεύματος γίνηται, ἕως δὲ θαλάττης δῖνοι ἀποτελοῦνται.

Σεισμοὺς ἐνδέχεται γίνεσθαι, καὶ κατὰ πνεύματος ἐν τῇ γῇ ἀπόληψιν, καὶ παρὰ συγγενὲς πόρους αὐτῆς παρείσδυσιν, καὶ συνεχῆ κίνησιν, ὅτε κραδασμὸν τῇ γῇ παρασκευάζει. Καὶ κατὰ τὸ πνεῦμα τοῦτο ἔξωθεν ἐμπεριλαμβάνεται ἐκ τοῦ πίπτειν εἰς ἐδάφη, ἢ εἰς ἀντροειδεῖς τόπους τῆς γῆς τὸν ἤδη ὑπὸ πνευμάτων ἄλλων πεπλημμένον, καὶ διατοῦτο ὁρμητικόν τε, καὶ κινητικὸν γινόμενον ἀέρα. Καὶ κατὰ τὴν δὲ διάδοσιν τῆς κινήσεως ἐκ πτώσεων ἐδαφῶν πολλῶν, καὶ πάλιν ἀνταπόδοσιν ὅταν πυκνώμασι σφοδροτέροις τῆς γῆς ἀπαντήσῃ, ἐνδέχεται σεισμοὺς ἀποτελεῖσθαι. Καὶ κατ' ἄλλους δὲ τρόπους πλείονας τὰς κινήσεις ταύτας τῆς γῆς ἐνδέχεται γίνεσθαι.

Τὰ δὲ Νάματα συμβαίνει γίνεσθαι κατὰ κρουνῶν, καὶ ἀλλοφυλίας τινὸς ἀεί, καὶ κατὰ μικρὸν παρεισδυομένης, καὶ καθ' ὕδατος ἀφθόνου συλλογήν. Τὰ δὲ λοιπὰ ῥεύματα γίνεται ἐξ ὀλίγων πεσόντων εἰς τὰ πολλὰ κοιλώματα, διαδόσεως τούτων γινομένης.

Χάλαζα συντελεῖται καὶ κατὰ πῆξιν ἰσχυροτέραν, πάντοθεν δὲ πνευματωδῶν περιστάσεων τινῶν· καὶ κατὰ μέρισιν, καὶ πῆξιν μετριωτέραν, ὑδατοειδῶν τινῶν ὁμοῦ ῥῆξιν, ἅμα τήν τε σύνωσιν αὐτῶν ποιουμένην, καὶ τὴν διάρρηξιν πρὸς τὸ κατὰ μέρη συνίστασθαι πηγνύμενα, καὶ κατὰ ἀθροότητα. Ἡ δὲ περιφέρεια οὐκ ἀδυνάτως μὲν ἔχει γίνεσθαι πάντοθεν τῶν ἄκρων ἀποκοπτομένων, καὶ ἐν τῇ συστάσει πάντοθεν, ὡς λέλεκται, κατὰ μέρη ὁμαλῶς περιισταμένων, εἴτε ὑδατοειδῶν τινῶν, εἴτε πνευματωδῶν.

Χιόνα δὲ ἐνδέχεται συντελεῖσθαι καὶ ὕδατος λεπτοῦ ἐκχεομένου ἐκ τῶν νεφῶν διὰ ἀραιῶν συμμετρίας, καὶ θλίψεως ἐπιτηδείων νεφῶν, καὶ ὑπὸ πνευμάτων σποράς, εἶτα τούτου πῆξιν ἐν τῇ φορᾷ λαμβάνοντος, διά τινα ἰσχυρὰν ἐν τοῖς κατωτέροις τόποις τῶν νεφῶν ψυχρασίας περίστασιν. Καὶ κατὰ πῆξιν δ' ἐν τοῖς νέφεσιν ὁμαλῆ

Et vbi quidem ipſe Preſter in Terram vſque demittitur, Turbines *vocati* creantur; vbi verò in mare vſque, *appellati* Vortices.

Terræ-motus fieri contingit, aut cùm interclusus terræ ſpiritus per crebra ipſius foramina ſubit, & continenter motitatur, ſicque tremere Terrã cogit; aut cùm ſpiritus huiuſcemodi extrinſecùs irruẽs præ ſuo in *interiora* ſola cauernoſóſve terrę receſſus caſu, aërẽ *incluſum* cohibet ac exſtimulat; aërem, inquam, ab aliis iam ſpiritibus preſſum, adeóque & ad erumpendum concutiendúmque *Terram* comparatum. Quin-etiam ob impreſſionem motus; *ictúſve violenti* ex prolapſu *corruentium* ſolorum *ſiue quaſi terræ tabulatorum* complurium; ac ſimul ob reſilitionem, *& repetitos pluries ictus*, vbi *videlicet ruina* in loca ſolida, validiúſque compacta incurrerint, concuſſiones terræ fieri nihil vetat. Sunt & complures alij modi, quibus fieri poſſe huiuſmodi terræ commotiones, *ſeu tremores*, contingit.

Latices perennes ad fontium ſcaturigines gigni poſſunt, aut quòd aliunde quidpiam continuò, ſed ſenſim tamen *eò* ſubterconfluat; aut quòd collecta quædam ingens aquæ vis *illeic ſuppetat*. Cætera autem *maiora* fluenta ex *hiſce* tametſi *ſigillatim* paruis creantur, dum in conualleis multas defluunt, & harum aliæ in alias abeunt, *inque vnum tandem alueum coaleſcunt*.

Grando generatur, aut cùm validior congelatio eſt, præ ventoſa conſtitutione vndequaque circumſtante *nubium ſtillicidia*; aut cùm *gelata moles* in parteis dehiſcit, & moderata liquefactione ſtillæ aquoſæ *rimis inſinuatæ* tum *molis* interruptionem, tum compreſſionem partium, & *totius compaginis* diffractionem *ad hoc* efficiunt, vt partes *per ſe ſingulæ* compactæ ſubſiſtant, *fragminúmque* aceruum faciant. Rotunditatem verò *qualemcumquẽ* fieri nihil prohibet, aut quòd extremi anguli vndequaque reſcindantur (*præ caſus nempe prolixitate*) aut quòd in ipſa conformatione quidpiam ſeu aquoſum, ſeu ventoſum particulas *ſingulas* vndique (vt dictum eſt) & æquabiliter circumſtet, *ambitúſque earum proinde non inæquabilis euadat*.

Niuem autem fieri contingit, aut diffuſa tenui ex nubibus aqua, eâ ratione, vt ſpumeſcat (prementibus nempe nubibus idoneis, ventis verò difflantibus) ac in ipſo poſteà motu congelaſcat. ob vehementiorem quandam in locis nubium inferioribus frigiditatis conditionem: aut factâ quâdam æquabili in nu-

bibus congelatione, ad quam dum corpuſcula aquea mutuò compreſſa, conuicináque appellunt, fiat aggeneratio, talem obtinens laxitatẽ. *qualem præ ſe ferunt niuu flocculi*; cùm & eadẽ magis ſeſe compellentia creent grandinem; cuiuſmodi *duæ* res in aëre maximè fiunt. Poteſt & hæc niuis confertim cadentis velut eiaculatio fieri per detritionẽ ex nubibus, quæ priùs conglaciauerint. Poteſt & aliis quoque modis niuis generatio parari.

χραιότητα ἔχουσα τοιαύτην προσκρίσεις ἐκ τῶν νεφῶν γίνοιτ' ἄν, πρὸς ἄλληλα θλιβομένων ὑδατωδῶν καὶ συμπαρακειμένων· ἃ ὁσονεὶ σύνωσιν ποιούμενα, χάλαζαν ἀποτελεῖ. ὃ μάλιστα γίνεται ἐν τῷ ἀέρι. Καὶ κατὰ τρῖψιν δὲ νεφῶν πῆξιν εἰληφότων, ἀπόπαλσιν ἀναλαμβάνοι ἂν τὸ τῆς χιόνος τοῦτο ἄθροισμα. Καὶ κατ' ἄλλους δὲ τρόπους ἐνδέχεται χιόνα συντελεῖσθαι.

Ros fit, aut coëuntibus mutuò ex aëre *corpuſculis*, quæ eiuſmodi ſint naturæ, vt ad talem humoris ſpeciem gignendam comparata ſint: aut eductione corpuſculorum ex humentibus, aquoſiſve locis, quæ rorem præſertim ſurſum generent, vbi deinceps ſic coëunt, vt & humorem iſtum conficiant, & in ſubiecta loca defluant: ſcilicet non pauca ſimilia pari ratione apud nos, *ac in vaporariis potiſſimum*, fiunt.

Δρόσος συντελεῖται, καὶ κατὰ σύνοδον πρὸς ἄλληλα ἐκ τοῦ ἀέρος τῶν τοιούτων, ἃ τῆς τοιαύτης ὑγρασίας ἀποτελεστικὰ γίνεται. Καὶ κατὰ φορὰν δὲ, ἢ ἀπὸ νοτερῶν τόπων, ἢ ὕδατα κεκτημένων, ἐν τοῖς οἵοις τόποις μάλιστα δρόσος συντελεῖται, εἶτα σύνοδον τούτων εἰς τὸ αὐτὸ λαβόντων, καὶ ἀποτέλεσιν ὑγρασίας, καὶ πάλιν φορὰν ἐπὶ τοὺς κάτω τόπους, καθάπερ ὁμοίως καὶ παρ' ἡμῖν ἐπὶ πλειόνων συντελεῖται τοιαῦτά τινα.

Pruina verò fit, cùm eiuſmodi roris guttulæ, propter certam frigiditatis conditionem in aëre *concreſcunt*, ac leuem compactionem *congelando* accipiunt.

Πάχνη δὲ συντελεῖται τῶν δρόσων τούτων πῆξίν τινα ποιὰν λαβόντων διὰ περίστασίν τινα ἀέρος ψυχροῦ.

Glacies ipſa fit, aut dum explodun tur ex aqua orbicularia, *& caloris effectricia* corpuſcula, coarctantur verò quæ in eadem aqua reperiuntur plana, ipſáque partim obtuſorum, partim acutorum angulorum: aut dum ea corpuſcula adſciſcuntur extrinſecùs, quæ & preſſa, & extrudentia quotquot occurrunt orbicularia, firmitudinem in aquam inducant.

Κρύσταλλος συντελεῖται καὶ κατ' ἔκθλιψιν μὲν τοῦ περιφεροῦς σχηματισμοῦ ἐκ τοῦ ὕδατος, σύνωσιν δὲ τῶν σκαληνῶν καὶ ὀξυγωνίων τῶν ἐν τῷ ὕδατι ὑπαρχόντων· καὶ κατὰ δὴ τὴν ἔξωθεν τῶν τοιούτων πρόσκρισιν, ἃ συνελασθέντα πῆξιν τῷ ὕδατι παρεσκεύασε, ποσὰ τῶν περιφερῶν ἐκθλίψαντα.

Iris creatur, aut quòd aër humeſcens *aduerſo* Solis ſplendore refulgeat; aut quòd ea ſit ſpecialis natura tum lucis, tum aëris, vt eiuſcemodi colorum ſpecies exprimat, ſiue omneis, ſiue vnicam, à qua deinceps reſplendeſcente partes confines aëris talem colorationem ſubeant; quemadmodum fieri obſeruamus, dum cuiuſpiam rei partes aliquæ *illuſtrata*, reſplendeſcere *conterminas* faciunt. Ad rotundam formam quod ſpectat, creatur iſta *Arcus* ſpecies, quòd æquo vndique interuallo ad *ſpectatoris* oculum referatur; aut etiam quòd Atomi, quæ ex aëre in nubem feruntur, ita compellantur, vt quæpiam inde facta concretio in hanc formetur rotunditatem.

Ἶρις γίνεται κατὰ πρόσλαμψιν ὑπὸ τοῦ ἡλίου πρὸς ἀέρα ὑδατοειδῆ, ἢ κατὰ φύσιν ἰδίαν τοῦ τε φωτὸς καὶ τοῦ ἀέρος, ἣ τὰ τῶν χρωμάτων τούτων ἰδιώματα ποιήσει, εἴτε πάντα, εἴτε μονοειδές, ἀφ' οὗ πάλιν ἀπολάμποντος τὰ ὁμοροῦντα τοῦ ἀέρος χρῶσιν ταύτην λήψεται, οἵαν θεωροῦμεν κατὰ πρόσλαμψιν πρὸς τὰ μέρη. Τὸ δὲ τῆς περιφερείας τοῦτο φάντασμα γίνεται, διὰ τὸ διάστημα πάντοθεν ἴσον ὑπὸ τῆς ὄψεως θεωρεῖσθαι, ἢ σύνωσιν τοιαύτην λαμβανουσῶν τῶν ἐν τῷ ἀέρι, ἢ ἐν τοῖς νέφεσιν ἀπὸ τοῦ ἀέρος ἀποφερομένων ἀτόμων, ὥστε εἰς σύγκρισίν τινα καθίεσθαι εἰς περιφέρειαν τοιαύτην.

Area *ſeu Corona*, circa Lunam fit, aut euecto vndequaque verſus Lunam aëre

Ἅλως περὶ τὴν σελήνην γίνεται, καὶ τοῦ πάντοθεν ἀέρος προσφερομένου πρὸς τὴν

σελήνην,

πιλήσιν, ὅταν ἀπ' αὐτῆς ἀποφερόμενα ῥεύματα ὁμαλῶς ἀνασέλλοντα ἐπὶ τοσοῦτον ἐφ' ὅσον κύκλῳ περὶ αὐτῆς εἰς τὸ νεφοειδὲς τοῦτο, καὶ μὴ τὸ παράπαν, διακρίνῃ, ἢ καὶ τὸν πέριξ αὐτῆς ἀέρος ἀνασελλόμενον συμμέτρως πάντοθεν, εἰς τὸ περιφερὲς τὸ περὶ αὐτὴν καὶ παχυμερὲς περιθεῖναι. ὃ γίνεται κατὰ μέρη τινὰ, ἤτοι ἔξωθεν βιασαμένου τινὸς ῥεύματος, ἢ τῆς θερμασίας ἐπιτηδείων πόρων ἐπιλαμβανομένης εἰς τὸ τοῦτο ἀπεργάσασθαι.

Κομῆται ἀστέρες γίνονται, ἤτοι πυρὸς ἐν τόποις τισὶ διὰ χρόνων τινῶν ἐν τοῖς μετεώροις συντρεφομένου, περιστάσεως γενομένης· ἤτοι ἰδίαν τινὰ κίνησιν διὰ χρόνων τοῦ οὐρανοῦ ἴσχοντος ὑπὲρ ἡμᾶς· ὥστε τὰ τοιαῦτα ἄστρα ἀναφαίνεσθαι, ἢ αὐτὰ ἐν χρόνοις τισὶν ὁρμῆσαι διά τινα περίστασιν, καὶ εἰς τοὺς καθ' ἡμᾶς τόπους ἐλθεῖν, καὶ ἐκφανῆ γενέσθαι, τήν τε ἀφάνισιν τούτων ἐνδέχεται γίνεσθαι παρὰ τὰς ἀντικειμένας ταύταις αἰτίας, εἶτ' ἔτι τινὰ ἀναστρέφεται αὐτοῖς, ὃ συμβαίνει, οὐ μόνον τοῦ τὸ μέρος τοῦτο τοῦ κόσμου ἑστάναι, περὶ ὃ τὸ λοιπὸν στρέφεται, καθάπερ τινές φασιν, ἀλλὰ καὶ τοῦ δίνην ἀέρος ἔγκυκλον, αὐτοῖς περιεστάναι, ἡ κωλυτικὴ γίνεται τοῦ περιπολεῖν αὐτὰ, ὡς καὶ τὰ ἄλλα· ἢ καὶ διὰ τὸ ἑξῆς μὲν αὐτοῖς ὕλην ἐπιτηδείαν μὴ εἶναι, ὡς ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ, ἐν ᾧ κείμενα θεωρεῖται. Καὶ κατ' ἄλλους πλείονας τρόπους τοῦτο δυνατὸν συντελεῖσθαι, ἐάν τις δύνηται τὸ σύμφωνον τοῖς φαινομένοις συλλογίζεσθαι.

Τινὰ τῶν ἄστρων πλανᾶσθαι; εἴτω τὰς κινήσεσι χρώμενα συμβαίνει, τινὰ δὲ μὴ πλανᾶσθαι. Ἐνδέχεται μὲν καὶ παρὰ τὸ τοῦ κύκλῳ κινούμενα ἐξ ἀρχῆς οὕτω κατηναγκάσθαι, ὥστε τὰ μὲν κατὰ τὴν αὐτὴν δίνην φέρεσθαι ὁμαλὴν οὖσαν, τὰ δὲ, κατὰ τὴν ἅμα τισὶν ἀνωμαλίαις χρωμένην· ἐνδέχεται δὲ καὶ καθ' οὓς τόπους φέρεται, οὗ μὲν παρεκτάσεις εἶναι ὁμαλὰς ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνωθούσας κατὰ τὸ ἑξῆς; ὁμαλῶς τε κινούσας, οὗ δὲ ἀνωμάλους οὕτως; ὥστε τὰς θεωρουμένας παραλλαγὰς συντελεῖσθαι· τὸ δὲ, μίαν αἰτίαν τούτων ἀποδιδόναι, πλεοναχῶς τῶν φαινομένων ἐκκαλουμένων;

dum intereà effluxiones quædam ab ea deriuatæ ipſum reprimentes eatenùs excernunt (quippe non penitùs diſcutiunt) quarenus in orbem circa ipſam, nubiloſa hac ſpecie, conformentur; aut aëre, qui circum ipſam, congruè coacto, ad exprimendum rotundam hanc, craſſiuſculámque circa ipſam, ſpeciem: quod quidem ſecundùm nonnullas ipſius parteis fieri contingat, ſeu affluxu quodam exteriùs cogente, ſeu calore appoſitè ad id præſtandum ſubinſinuato.

Cometæ, *ſtellæue crinitæ* gignuntur, aut quòd certis temporibus ignis in *quibuſdam ex locis illis* ſublimibus ſuccenſus pro diſpoſitione materiæ nutriatur: aut quòd Cælum per varias vices motionem quandam propriam, qua parte nobis imminet, ſubeat: adeò vt Aſtra huiuſmodi manifeſtari compellantur: ſeu, mauis, ipſamet ob certam aliquibus temporibus diſpoſitionem prodeant; & vbi *inferiùs* verſùm nos venerint, manifeſta fiant. Euenit autem; vt *Cometæ* euaneſcant ex oculis, ob cauſas hiſce oppoſitas; ſiue nimirùm quòd aliquid ipſorum motui obnitatur, idque contingat non ſolùm quòd hæc Mundi pars, circa quam reliqua conuertitur, immota reſiſtat, vti afferunt aliqui: ſed etiam quòd eſſe in aëre poſſit quædam in orbem circumactio, quæ circumlationem illorum vlteriorem prohibeat; vti & *Aſtris* cæteris, *quæ dicuntur Errantia*, accidere *ad Tropicos* poteſt: ſiue rurſùs, quòd idonea materies ipſis conſequenter poſita non ſit, vti eſt in eo ipſo loco, in quo hærere deprehenduntur; *vnde & ſenſim pabuli defectu veluti extabeſcant.* Quin-etiam aliis pluribus modis id effici poteſt: ſi modò quis id, quod eſt rebus apparentibus conſonum, expendere ratiocinando valeat.

Aſtrorum alia eſſe Errantia (taleis ſcilicet motus nacta) alia Inerrantia contingit. Fieri autem poteſt, vt Aſtra ea neceſſitate ab ipſo initio mota in orbem ſic fuerint, vt alia quidem *vnâ*, eadémque conuerſione, ipſáque exſiſtente æquabili, gyrationem acceperint: aliæ conuerſionem quibuſdam inæqualitatibus affectam *ſubierint*. Fieri etiam poteſt vt per quæ loca ſuos motus obeunt, alibi quidem æquabiles *ſpatiorum* diffuſiones ſint, quæ & eodem verſus, & ſubſequenter, ipſa compellant, moueántque æquabiliter: alibi verò eâ ratione inæquabiles, vt quas obſeruamus in ipſis motuum varietates, *exinde* proueniant. Huiuſcemodi porrò rerum vnam duntaxat reddere cauſam, cùm ea, quæ apparent, eſſe poſſe multiplicem arguant,

inſanum eſt, nec ritè conſultum ab iis, qui inanem depereunt Aſtrologiam, quique rerum quarumdam cauſas inaniter explicant: cùm & Diuinam interim naturam ab exhibendis *variis* miniſteriis liberam non ſinant.

Quædam Aſtra ab aliis relicta ſpectare contingit, aut quia, cùm eandem *diurnam* circuitionem obeant, ſegniùs feruntur: *velutt Luna, quæ lentiùs, quàm reliqua verſus occaſum properans, ab ipſis relinquitur quaſi à tergo verſus ortum*: aut quia abrepta motu diurno *verſus occaſum*, feruntur *tamen intereà lentè*, motu contrario *verſus ortum. Quo pacto poteſt eadem Luna non tam verſus ortum à cæteris deſeri, quàm verſus occaſum ea deſerere:* aut quia cùm *ſola diurna* reuolutione, *æqualique motu* ferantur *omnia*; quædam tamen prolixius, quædam breuius ſpatium conficiunt: *ſicque Luna rurſus, ſi ſupra Inerrantia ſit, vt aliquibus viſum eſt, perficiet tardiùs circuitum, obſeruabiturque poſteriùs relinqui*. Pronunciare certè ſimpliciter velle in hiſce rebus aliquid, eos decet, qui *magnificum*, & portentoſum quidpiam coram multitudine oſtentare affectant.

Quæ Stellæ Cadentes dicuntur, creari poſſunt aut ex ipſarummet *verarum ſtellarum* fragminibus detritu factis: aut ex prolapſu eius materiæ, cuius velut difflatio fit, vt de fulguribus eſt dictum: aut ex coëunte ſerie ignificarum Atomorum ad id præſtandum conſpirantium, ac motione facta, provt vis coëundi ab initio extiterit: aut ex ſpiritus intra quoſdam nebuloſos glomeres coactione, inflammationéque (ſcilicet dum conuoluitur) ac diſruptione *ipſorummet cohibentium glomerum*, motionéque in eam partem factâ, in quam impetus tulerit. Enimverò alij quoque ſunt, quibus fieri id valeat, minimè fabulares modi.

μανικὸν, καὶ οἱ καθηκόντως πεπλόμενοι ὑπὸ τῆς τὴν ματαίαν ἀστρολογίαν ἐζηλωκότων, καὶ εἰς τὸ κενὸν αἰτίας τινῶν ἀποδιδόντων, ὅταν τὴν θείαν φύσιν μηδαμῇ λειτουργιῶν ἀπολύουσι.

Τινὰ ἄστρα ἀπολειπόμενα τινῶν θεωρεῖσθαι συμβαίνει, καὶ παρὰ τὸ βραδύτερον συμπεριφέρεσθαι τὸν αὐτὸν κύκλον περιιόντα· καὶ παρὰ τὸ τὴν ἐναντίαν κινεῖσθαι, ἀντισπώμενα ὑπὸ τῆς αὐτῆς δίνης· καὶ παρὰ τὸ περιφέρεσθαι, τὰ μὲν διὰ πλείονος τόπου, τὰ δὲ δι᾽ ἐλάττονος τὴν αὐτὴν δίνην περικυκλοῦντα. Τὸ δὲ ἁπλῶς ἀποφαίνεσθαι περὶ τούτων, καθῆκόν ἐστι τοῖς τερατεύεσθαί τι πρὸς τοὺς πολλοὺς βουλομένοις.

Οἱ λεγόμενοι ἀστέρες ἐκπίπτειν, καὶ παρὰ μέρος, καὶ παρὰ τρίψιν ἑαυτῶν δύνανται συντελεῖσθαι· καὶ παρὰ ἔκπτωσιν οὗ ἂν ἡ ἐκπνευμάτωσις γίνεται, καθάπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἀστραπῶν ἐλέγομεν· καὶ κατὰ σύνοδον δὲ ἀτόμων πυρὸς ἀποτελεστικῶν, συμφυλίας γινομένης εἰς τὸ τοῦτο τελέσαι, καὶ κατὰ κίνησιν οὗ ἂν ἡ ὁρμὴ κατὰ τὴν σύνοδον ἐξ ἀρχῆς γένηται· καὶ κατὰ πνεύματος δὲ συλλογὴν ἐν πυκνώμασι τισὶν ὁμιχλοειδέσι, κατ᾽ ἐκπύρωσιν τούτου, διὰ τὴν κατείλησιν, εἶτα ἐπέκρηξιν, καὶ ἐφ᾽ ὃν ἂν τόπον ἡ ὁρμὴ γένηται, τῆς φορᾶς εἰς τοῦτο φερομένης. καὶ ἄλλοι δὲ τρόποι εἰς τὸ τοῦτο τελέσαι ἀμύθητοι εἰσί.

Αἱ δ᾽ ἐπισημασίαι αἱ γινόμεναι ἐπί τισι ζώοις, κατὰ συγκύρημα γίνονται τοῦ καιροῦ. Οὐ γὰρ τὰ ζῷα ἀνάγκην τινὰ προσφέρεται τοῦ ἀποτελεσθῆναι χειμῶνα, οὐδὲ κάθηταί τις θεία φύσις παρατηροῦσα τὰς τῶν ζώων τούτων ἐξόδους, κἄπειτα τὰς ἐπισημασίας ταύτας ἀποτελεῖ. Οὐδὲ γὰρ εἰς τὸ τυχὸν ζῶον κἂν μικρῷ χαριέστερον ᾖ, ἡ τοιαύτη μωρία ἐμπέσῃ, μήκετι εἰς τὸ παντελῆ εὐδαιμονίαν κεκτημένον.

Ταῦτα δὴ πάντα, Πυθόκλεις, μνημόνευσον, κατὰ πολύ τε γὰρ τοῦ μύθου ἐκβήσῃ, καὶ τὰ ὁμογενῆ τούτοις συνορᾶν δυνήσῃ.

Præſignificationes *demùm* in quibuſdam Animalibus obſeruatæ (*provt ſuperiùs attigimus*) pro conditione tempeſtatis, *quæ tunc temporis interuenit*, fiunt. Non enim Animalia, *quæ per Autumnum à nobis abeunt*, neceſſitatem præ ſe ferunt vllam, quâ fieri hyemem oporteat: neque natura quæpiam Diuina aſſidet diſceſſum obſeruans Animalium, vt ſubinde ea, quæ ab ipſis fuerint indicata, perficiat. Quippe ſtultitiæ genus hoc eſt, quod ne in Animal quidem vllum, in quo vel mica fuerit ingenij, poſſit cadere: tantum abeſt vt in eam Naturam, quæ nacta eſt, *ac poſſidet* omnigenam felicitatem.

Tu fac porrò, ô Pythocles, vt horum, *quæ dixi*, memineris omnium, ſic enim & procul à fabulis fies, & valebis ſimul quæ ſunt hiſce affinia perſpicere.

Μάλιστα

Μάλιστα δὲ σεαυτὸν ἀπόδος εἰς τὴν τῶν ἀρχῶν, καὶ ἀπειρίας, καὶ τῶν συγγενῶν τούτοις θεωρίαν, ἔτι τε κριτηρίων, καὶ παθῶν, καὶ οὗ ἕνεκεν ταῦτα ἐκλογιζόμεθα. ταῦτα γὰρ μάλιστα συνθεωρούμενα, ῥᾳδίως τὰς περὶ τῶν κατὰ μέρη αἰτίας συνορᾶν ποιήσει. Οἱ δὲ ταῦτα μὴ καταγαπήσαντες, ἢ μάλιστα, οὔτε αὐτὰ ταῦτα καλῶς συνθεωρήσαιεν, οὔτε οὗ ἕνεκεν δεῖ θεωρεῖν ταῦτα, περιεποιήσαντο.

Ταῦτα αὐτῷ καὶ περὶ τῶν Μετεώρων δοκεῖ.

Περὶ δὲ τῶν βιωτικῶν, καὶ ὅπως χρὴ τὰ μὲν ἡμᾶς αἱρεῖσθαι, τὰ δ' ἐκφεύγειν, οὑτωσὶ γράφει. Πρότερον δὲ διέλθωμεν ἅ τε αὐτῷ δοκεῖ. Περὶ τοῦ Σοφοῦ, καὶ τοῖς ἀπ' αὐτοῦ.

Βλάβας ἐξ ἀνθρώπων, ἢ διὰ μῖσος, ἢ διὰ φθόνον, ἢ διὰ καταφρόνησιν γίνεσθαι· ἂν τὸν σοφὸν λογισμῷ περιγίνεσθαι.

Ἀλλὰ καὶ τὸν ἅπαξ γενόμενον σοφὸν, μηκέτι τὴν ἐναντίαν λαμβάνειν διάθεσιν.

Μηδὲν πλάττειν ἑκόντα, ἀληθεῖ μᾶλλον συνέχεσθαί τε, καὶ οὐκ ἂν ἐμποδίσαι πρὸς τὴν σοφίαν.

Οὐδὲ μὴν ἐκ πάσης σώματος ἕξεως σοφὸν γενέσθαι ἄν, οὐδ' ἐν παντὶ ἔθνει.

Κἂν στρεβλωθῇ δ' ὁ σοφὸς, εἶναι αὐτὸν εὐδαίμονα, ὅτε μέντοι στρεβλωθῇ, ποτὲ καὶ μύζειν, καὶ οἰμώζειν.

Μόνον τε χάριν ἕξειν τὸν σοφὸν, φίλοις καὶ παροῦσι καὶ ἀποῦσιν, ὁμοίως δὲ καὶ ἀποθανοῦσιν.

Γυναικί τε οὐ μιγήσεσθαι τὸν σοφὸν, ᾗ οἱ νόμοι ἀπαγορεύουσιν [ὥς φησι Διογένης ἐν τῇ ἐπιτομῇ τῶν Ἐπικούρου ἠθικῶν δογμάτων]

Τούς τε κολάσειν οἰκέτας, ἐλεήσειν μέντοι καὶ συγγνώμην τινὶ ἕξειν τῶν σπουδαίων.

Ἐρασθήσεσθαι τὸν σοφὸν οὐ [δοκεῖ αὐτοῖς] οὐδὲ θεόπεμπτον εἶναι τὸν ἔρωτα, [ὥς Διογένης ἐν τῷ ιβ' φησίν.]

Οὐδὲ ταφῆς φροντιεῖν.

Maximè verò dede teipſum ſpeculationi Principiorum, *ex quibus conſtant omnia*, & infinitatis *Naturæ*, aliorúmque his cohærentium. Inſuper verò & criteriorum, affectuúmque animi, & ſcopi *illius*, in quem iſta ediſſerentes collineauimus: *tranquillitatem intelligo, ſtatúmve mentis imperturbatum.* Iſthæc enim præſertim ſunt, quæ contemplando facta perſpecta, præſtabunt deinceps vt ſpecialium naturæ effectorum cauſæ pernoſcantur. Qui verò iſta quam-maximè ſtudioſè poſſunt non proſequuntur, ij longè abſunt, vt aut ipſa, quatenus decet, perſpiciant, aut finem, cuius gratiâ diſpicienda ſunt conſequantur.

Et talia ſunt quidem, quæ ille de Meteoris, *ſeu rebus Sublimibus* ſentit.

Iam & de rebus, quæ ad vitam inſtituendam pertinent, déque ratione, quâ nos oporteat iſta proſequi, illa fugere, ſcribit in hunc modum. Quanquam ea priùs percurrenda ſunt, quæ ipſi, eiuſque ſectatoribus circa Sapientis deſcriptionem placent. *Illa igitur ſunt eiuſmodi.*

Inferri iniurias ab hominibus, prâ ipſorum aut odio, aut inuidia, aut deſpicientia: Sapientem autem illas rationis præſidio fretum tolerare.

Illum, qui ſemel Sapiens *reuerâ, ſolidéque* extiterit, nunquam deinceps in cõditionem oppoſitã degenerare.

Ipſum nihil, *quod ſapiat fabulam*, vltrò fingere (ſed rebus veris potiùs hærere) nihilque adeò impedimenti ad Sapientiam inducere, *qua conſectatio eſt veritatis.*

Sapientem *indiſcriminatim* ex quolibet corporis habitu, *ſeu temperamento* non fieri: neque in qualibet natione *indifferenter emergere.*

Torqueatur licet Sapiens, eſſe tamen ipſum beatum: neque hoc obſtare, quò minùs dum torquebitur gemat, eiulétque interdum.

Solum Sapientem *debitam* gratiam Amicis & præſentibus, & abſentibus, & vitâ etiam functis, habiturum.

Nihil fore Sapienti cum ea muliere, quâ leges Interdixerint. SICVT DIOGENES IN COMPENDIO MORALIVM EPICVRI PLACITORVM AIT.

Famulos quidem caſtigaturum, ſed indulturum tamen, habiturúmque veniam, ſi quis *inter ipſos* bonæ indolis, ac diligens fuerit.

Non iri captum amore Sapientem, EX IPSORVM SENTENTIA; neque verò eſſe Amorem quidpiam diuinitùs immiſſum, EX DIOGENE IN XII. *Scholarum ſelectarum* LIBRO.

Non fore illum *anxiè* de ſepultura ſollicitum.

Non incubiturum in id, vt affectatis floſculis orationis rhetoricetur.

Venereorum porrò vſum nunquam prodeſſe AVTVMANT, præclaréque agi, niſi etiam noceat.

Neque vxorem verò ductutum, neque creandis liberis operam daturum (VT IN DVBITATIONVM LIBRIS, ET IN OPERE DE NATVRA EPICVRVS TRADIT) niſi quod interdum ea eſſe poterit vitæ circumſtantia, vt & ineundis nuptiis, & ſuſcipiendis liberis dare operam aliqui teneantur.

Non item in compotatione, temulentiáque pernoctaturum: AIT EPICVRVS IN SVO CONVIVIO.

Non ad Rempublicam acceſſurum, neque principatum geſturum, *niſi quid interuenerit*: EX EODEM IN PRIMO DE VITA, ET MORIBVS LIBRO.

Non Cynico ritu victurum, neque mendicando victum quæſiturum: EX EODEM, IN LIBRO SECVNDO.

Tametſi fuerit oculis captus, fore nihilominùs adhuc beatæ vitæ participem: EX EODEM ADHVC IN EODEM LIBRO.

Euenire poſſe, vt Sapiens mœrore afficiatur (EX DIOGENE IN QVINTO SELECTARVM SCHOLARVM LIBRO) itémque, vt vocetur in ius, *iudicúmque arbitrio, ſententiaque ſubiaceat.*

Conſcripturum quidem eum libros, quos relinquat ſuperſtites: non *ſcripturum* tamen, *neque habiturum* panegyricas (*in ſolemni nempe pompâ*) orationes.

Rem familiarem non neglecturum; ínque futurum proſpecturum: ſed tamen citra auaritiam, diteſcendíque cupiditatem.

Aduersùs Fortunam ſe comparaturum.

Amicum non difficilem ſibi quæſiturum.

Οὐδὲ ῥητορεύσειν καλῶς.

Συνουσίην δὲ (φασὶν) ὤνησε μὲν οὐδέποτε, ἀγαπητὸν δὲ εἰ μὴ καὶ ἔβλαψεν.

Καὶ μηδὲ γαμήσειν, μηδὲ τεκνοποιήσειν [ὡς Ἐπίκουρος ἐν τῶν διαπορίαις, καὶ ἐν ταῖς περὶ φύσεως] κατὰ περίστασιν δέ ποτε βίου, καὶ γαμήσειν, καὶ τεκνοποιήσειν τινάς.

Οὐδὲ ληρήσειν ἐν μέθῃ [φησὶν ὁ Ἐπίκουρος ἐν τῷ συμποσίῳ.]

Οὐδὲ πολιτεύσεσθαι [ὡς ἐν τῇ πρώτῃ περὶ βίων.] οὐδὲ τυραννεύσειν.

Οὐδὲ κυνιεῖν, [ὡς ἐν τῇ δευτέρᾳ περὶ βίων] οὐδὲ πτωχεύσειν.

Ἀλλὰ καὶ πηρωθεὶς τὰς ὄψεις, μετέξειν αὐτὸν τοῦ εὐδαίμονος βίου, [ὡς ἐν τῇ αὐτῇ φησί.]

Καὶ λυπηθήσεσθαι δὲ τὸν σοφὸν, [ὡς ὁ Διογένης ἐν τῇ πέμπτῃ τῶν ἐπιλέκτων] καὶ δικάσεσθαι.

Καὶ συγγράμματα καταλείψειν, οὐ πανηγυριεῖν δέ.

Καὶ κτήσεως προνοήσεσθαι, καὶ τοῦ μέλλοντος, οὐ φιλαργυρήσειν δέ.

Τύχῃ τε ἀντιτάξεσθαι.

Φίλον τε οὐ δεινὸν κτήσεσθαι.

Εὐδοξίας ἐπὶ τοσοῦτον προνοήσεσθαι, ἐφ' ὅσον μὴ καταφρονήσεσθαι.

Μᾶλλόν τε εὐφρανθήσεσθαι τῶν ἄλλων ἐν ταῖς θεωρίαις.

Ἁμαρτήματα, ἄνισα εἶναι.

Καὶ τὴν ὑγείαν τισὶ μὲν, ἀγαθὸν τισὶ δὲ, ἀδιάφορον.

Τὴν δὲ ἀνδρείαν φύσει μὴ γίνεσθαι, λογισμῷ δὲ τοῦ συμφέροντος.

Καὶ τὴν φιλίαν διὰ τὰς χρείας εἶναι μὲν, καὶ προσχεδιάζεσθαι, καθὰ καὶ τὴν γῆν σπείρομεν, συνίστασθαι δὲ αὐτὴν κατὰ κοινωνίαν ἐν ταῖς ἡδοναῖς.

Τὴν εὐδαιμονίαν διχῆ νοεῖσθαι, τήν τε ἀκροτάτην, οἵα ἐστὶ περὶ τὸν θεὸν, ἐπίτασιν, καὶ ἄνεσιν οὐκ ἔχουσαν, τὴν δὲ

Bonæ famæ curam eatenus habiturum, quatenus deſpectui non ſit.

In publicis ſpectaculis, ſincerè oblectatum præ reliquis iri.

Peccata eſſe inæqualia.

Sanitatem eſſe, haberíve à quibuſdam quidem rem bonam: ab aliis verò indifferentem.

Fortitudinem *veram* non naturâ, ſed *rationis conſilio*, *ſeu* illius, quod expedit, conſultatione comparari.

Eſſe, ac parari Amicitiam ob vſus, *vtilitatémve*, eo modo, quo ſerimus terram, *ob prouentus futuri ſpem*. Cohærere autem, *ſeu perſeuerare* in mutuâ voluptatum, *ſiue bonorum, quibus, donec in vita ſumus, frui licet*, participatione.

Felicitatem duplicem agnoſci: vnam videlicet ſupremam, (qualis ipſi Deo competit) quæ ſit omnis vt intenſionis, ſic remiſſionis incapax: alteram verò

ὑπάλληλον,

ὑπάλληλον, οἷα ἐστὶ περὶ τοὺς ἀνθρώπους, ἅτε ἔχουσαν, καὶ προσθήκην, καὶ ἀφαίρεσιν ἡδονῶν.

Εἰκόνας τε ἀναθήσειν, εἰ ἔχοι, ἀδιαφόρως ἐν στοαῖς.

Μόνον τε τὸν σοφὸν ὀρθῶς ἂν περί τε μουσικῆς καὶ ποιητικῆς διαλέξεσθαι.

Ποιήματά τε ἀγνοήσειν, οὐκ ἂν ποιήσειν.

Καὶ εἶναί τε ἑτέρου ἕτερον σοφώτερον.

Χρηματίσεσθαί τε, ἀλλ' ἀπὸ μόνης σοφίας ἀπορήσαντα.

Καὶ μόναρχον ἐν καιρῷ θεραπεύσειν.

Καὶ ἐπιχαρίσεσθαι τινὶ ἐπὶ τῷ διορθώματι.

Καὶ σχολὴν κατασκευάσειν, ἀλλ' οὐχ ὥστε ὀχλαγωγῆσαι.

Καὶ ἀναγνώσεσθαι ἐν πλήθει, ἀλλ' οὐχ ἑκόντα.

Δογματιεῖν τε, καὶ οὐκ ἀπορήσειν.

Καὶ καθ' ὕπνους ὅμοιον ἔσεσθαι.

Καὶ ὑπὲρ φίλου ποτὲ τεθνήξεσθαι.

Ταῦτα δοκεῖ αὐτοῖς. Μετιτέον δὲ ἐπὶ τὴν ἐπιστολήν.

ſubalternam (qualis eſſe poteſt inter homines) in quam cadere & adiectio, & detractio voluptatum poſſit.

Imagines, ſi quas habuerit, in ipſis porticibus indifferẽter appenſurum.

Solum Sapientem de Muſica, déque Poëtica rectè, *& vt decet ſapientiam, virtutémque*, verba facturum.

Poëmata, *ſiue figmenta Poëtarum* ignoraturum: neque aliqua elucubraturum.

Eſſe alterum altero ſapientiorem.

Pecuniam, ſi indigens quidem *fortaſſis* fuerit collecturum: verùm ex Sapientiæ profeſſione dumtaxat.

Principi obſequium, ſi quando occaſio popoſcerit, exhibiturum.

Vbi quis ſe in bonam frugem receperit, gratulaturum.

Scholam aperturum: ſed non eò vſque, vt populare auditorium fiat.

Scriptorum aliquid lecturum coram multitudine: ſed non vltrò tamen, *neque non rogatum.*

Placita *quædam* rata habiturum: nec *de re quavis* dubitaturum.

In ſomnis non alio affectu, *ob mentem bene compoſitam*, quàm per vigiliam exſtiturum.

Mortem pro Amico interdum, *hoc eſt occaſione exigente*, oppetiturum.

Ac eiuſmodi quidem ſunt, quæ illi de Sapiente tradunt. Tranſeundum iam eſt ad Epiſtolam.

ἘΠΊΚΟΥΡΟΣ ΜΕΝΟΙΚΕῖ χαίρειν.

Μήτε νέος τις ὢν μελλέτω φιλοσοφεῖν, μήτε γέρων ὑπάρχων κοπιάτω φιλοσοφῶν. Οὔτε γὰρ ἄωρος οὐδείς ἐστιν, οὔτε πάρωρος πρὸς τὸ κατὰ ψυχὴν ὑγιαίνειν. Ὁ δὲ λέγων ἢ μήπω τοῦ φιλοσοφεῖν ὑπάρχειν ὥραν, ἢ παρεληλυθέναι τὴν ὥραν ὅμοιός ἐστι τῷ λέγοντι πρὸς εὐδαιμονίαν ἢ μήπω παρεῖναι τὴν ὥραν, ἢ μηκέτι εἶναι τὴν ὥραν. Ὥστε φιλοσοφητέον καὶ νέῳ καὶ γέροντι· τῷ μὲν ὅπως γηράσκων νεάζῃ τοῖς ἀγαθοῖς διὰ τὴν χάριν τῶν γεγονότων· τῷ δὲ, ὅπως νέος ἅμα καὶ παλαιὸς ᾖ διὰ τὴν ἀφοβίαν τῶν μελλόντων. Μελετᾶν οὖν χρὴ τὰ ποιοῦντα τὴν εὐδαιμονίαν, εἴπερ παρούσης μὲν αὐτῆς, πάντα

EPICVRVS MENOECEO S.

Neqve iuuenis quis dum eſt, philoſophandi moram trahat: neque ſenex dum fuerit, philoſophando defatigetur. Quippe ad habendum ſanam mentem nemo immaturus, aut vietus eſt: & qui prætexit philoſophandi tempus aut nondum adeſſe, aut iam præteriiſſe, non ſecus facit, ac is, qui dicit, bene, beatéque viuendi tempus, aut non adueniſſe, aut eſſe elapſum. Philoſophandum itaque & iuueni, & ſeni eſt: illi quidem, vt dum ſeneſcet, perſeueret bonis efflorefcere, ob perſeuerantem eorum, quæ decorè eatenus peregerit, gratiam: iſti verò, vt annis ſenex, animis tamen iuuenis ſit, quatenus erit à futuris, impẽdentibúſque ſecurus. Par eſt proinde ea meditari, quæ felicitati creandæ conducunt: quandoquidem dum

dum illa adeſt, quod non habeamus, nihil eſt: dum abeſt, nihil non agimus, vt conſequi ipſam poſſimus. Quamobrem quæ te aſſiduè admonui, illa age, ac meditare: ratus vtpote ipſa eſſe quaſi Elementa honeſtè viuendi.

Ac imprimis qoidem Deum reputans eſſe immortale, beatúmque Animal (vt notio communis de Deo ſuggerit) caue, ne quidquam ipſi attribuas, quod aut ab immortalitate alienum ſit, aut à beatitudine abhorreat: ſed quicquid de illo opinabere, fac vt valeat, ſaluâ immortalitate, beatitudinéque, conſtare. Scilicet Dij reuerâ ſunt (euidens eſt enim illorum notitia) at qualeis vulgò homines exiſtimant, minimè ſunt: ſiquidem qualeis ipſos eſſe *quibuſdam adiunctis, ſeu proprietatibus*: opinantur, non taleis tuetur: *ſed aliis adiunctis contradicentibus eoſdem negant*. Impius eſt proinde, non is, qui *vulgareis* multitudinis Deos tollit; ſed is, qui multitudinis opiniones Diis adhibet. Non enim *germanæ* prænotiones ſunt, ſed ſuſpiciones falſæ, ea, quæ de Diis ab hominibus è vulgo traduntur. Arbitrantur quippe & malis detrimenta maxima, & bonis præſidia à Diis aduenire: ſiquidem propriis virtutibus, ſeu affectibus innutriti, ſimileis ſui *Deos* admittunt, & quicquid affectuum ſuorum non eſt, id exiſtimant ab ipſis alienum.

Aſſueſce verò etiam reputare, nihil ad nos pertinere mortem: quando quicquid eſt ſiue boni, ſiue mali, cum ſenſu eſt: mors autem ſenſus eſt priuatio. Exquiſita porrò notitia, quòd mors nihil pertineat ad nos, præſtat, vt hâc vitâ mortali fruamur, non quidpiam incerti temporis adiiciens, ſed cupiditatem immortalitatis abiiciens. Nihil enim mali in vita eſt illi, cui egregiè perſpectum eſt, nihil eſſe in vitæ priuatione mali. Adeò proinde, vt ſit ineptus, qui timere ſe mortem dicit, non quòd præſens dum fuerit, mœroris quicquam afferat: ſed quòd donec futura eſt, animum mœrore conficiat. Quod enim quando præſens eſt, moleſtiæ nihil exhibet, id, dum exſpectatur, nequicquam contriſtat. Igitur, quæ omnium malorum maximè horrendum exiſtimatur mors, nihil nos attinet: quia dum nos ſumus, tunc mors non adeſt: & dum mors adeſt, tunc nos non ſomus: adeò vt neque ad viuos, neque ad mortuos pertineat: quoniam alteros quidem non attingit, alteri verò nulli ſunt.

Enimverò homines vulgares mortem refugiunt, interdum quidem, quaſi malorum maximum: interdum verò, quaſi omnium, quibus in vita fruimur,

ἔχομεν· ἀπούσης δὲ, πάντα πράττομεν εἰς τὸ ταύτην ἔχειν. ἃ δέ σοι συνεχῶς παρήγγελον, ταῦτα καὶ πράττε καὶ μελέτα, στοιχεῖα τοῦ καλῶς ζῆν ταῦτ' εἶναι διαλαμβάνων.

Πρῶτον μὲν, τὸν θεὸν, ζῶον ἄφθαρτον καὶ μακάριον νομίζων, ὡς ἡ κοινὴ τοῦ θεοῦ νόησις ὑπεγράφη· μηθὲν μήτε τῆς ἀφθαρσίας ἀλλότριον, μήτε τῆς μακαριότητος ἀνοίκειον αὐτῷ πρόσαπτε, πᾶν δὲ τὸ φυλάττειν αὐτοῦ δυνάμενον τὴν μετ' ἀφθαρσίας μακαριότητα, περὶ αὐτὸν δόξαζε. Θεοὶ μὲν γάρ εἰσιν, ἐναργὴς μὲν γάρ ἐστιν αὐτῶν ἡ νόησις, οἵους δ' αὐτοὺς οἱ πολλοὶ νομίζουσιν, οὐκ εἰσίν, οὐ γὰρ φυλάττουσιν αὐτοὺς, οἵους νομίζουσιν. Ἀσεβὴς δὲ οὐχ ὁ τοὺς τῶν πολλῶν θεοὺς ἀναιρῶν, ἀλλ' ὁ τὰς τῶν πολλῶν δόξας θεοῖς προσάπτων. Οὐ γὰρ προλήψεις εἰσὶν, ἀλλ' ὑπολήψεις ψευδεῖς αἱ τῶν πολλῶν ὑπὲρ θεῶν ἀποφάσεις. Ἔνθεν καὶ μεγίστας βλάβας οἴονται, τοῖς κακοῖς ἐκ θεῶν ἐπάγεσθαι, καὶ ὠφελείας τοῖς ἀγαθοῖς. Ταῖς γὰρ ἰδίαις οἰκειούμενοι διὰ παντὸς ἀρεταῖς τοὺς ὁμοίους ἀποδέχονται, πᾶν τὸ μὴ τοιοῦτον, ὡς ἀλλότριον νομίζοντες.

Συνέθιζε δὲ ἐν τῷ νομίζειν μηδὲν πρὸς ἡμᾶς εἶναι τὸν θάνατον, ἐπεὶ πᾶν ἀγαθὸν καὶ κακὸν ἐν αἰσθήσει, στέρησις δέ ἐστιν αἰσθήσεως, ὁ θάνατος. Ὅθεν γνῶσις ὀρθὴ τοῦ μηδὲν εἶναι πρὸς ἡμᾶς τὸν θάνατον, ἀπολαυστὸν ποιεῖ τὸ τῆς ζωῆς θνητόν, οὐκ ἄπειρον προστιθεῖσα χρόνον, ἀλλὰ τὸν τῆς ἀθανασίας ἀφελομένη πόθον. Οὐθὲν γάρ ἐστιν ἐν τῷ ζῆν δεινὸν τῷ κατειληφότι γνησίως τὸ μηδὲν ὑπάρχειν ἐν τῷ μὴ ζῆν δεινόν. Ὥστε μάταιος ὁ λέγων δεδιέναι τὸν θάνατον, οὐχ ὅτι λυπήσει παρὼν, ἀλλ' ὅτι λυπεῖ μέλλων. ὃ γὰρ παρὸν οὐκ ἐνοχλεῖ, τὸ δὲ προσδοκώμενον κενῶς λυπεῖ. Τὸ φρικωδέστατον οὖν τῶν κακῶν ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, ἐπειδήπερ ὅταν μὲν ἡμεῖς ὦμεν, ὁ θάνατος οὐ πάρεστιν· ὅταν δὲ ὁ θάνατος παρῇ, τόθ' ἡμεῖς οὐκ ἐσμέν. Οὔτε οὖν πρὸς τοὺς ζῶντάς ἐστιν, οὔτε πρὸς τοὺς τελευτηκότας, ἐπειδήπερ πρὸς τοὺς μὲν οὐκ ἔστιν, οἱ δὲ οὐκέτι εἰσίν.

Ἀλλ' οἱ πολλοὶ τὸν θάνατον, ὅτε μὲν ὡς μέγιστον τῶν κακῶν φεύγουσιν, ὅτε δὲ,

ceſ

ὡς ἀνάπαυσιν τῶν ἐν τῷ ζῆν. Μάτην δὲ φοβεῖ τὸ μὴ ζῆν, οὐ γὰρ αὐτῷ προσίσταται τὸ ζῆν, ἐν ᾧ δοξάζηται κακόν εἶναί τι τὸ μὴ ζῆν. Ὥσπερ δὲ τὸ σιτίον οὐ τὸ πλεῖον πάντως, ἀλλὰ τὸ ἥδιστον αἱρεῖται, οὕτω καὶ ὁ χρόνος οὐχ' ὁ μήκιστος, ἀλλ' ὁ ἥδιστος καρπίζεται. Ὁ δὲ παραγγέλλων τὸν μὲν νέον καλῶς ζῆν, τὸν δὲ γέροντα καλῶς καταστρέφειν, εὐήθης ἐστὶν, οὐ μόνον διὰ τὸ τῆς ζωῆς ἀσπαστὸν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ τὴν αὐτὴν εἶναι μελέτην τοῦ καλῶς ζῆν, καὶ τοῦ καλῶς ἀποθνήσκειν. Πολὺ δὲ χεῖρον καὶ ὁ λέγων, Καλὸν μὲν μὴ φῦναι,

φύντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας Ἀΐδαο
περῆσαι.

Εἰ μὲν γὰρ πεποιθὼς τοῦτό φησι, πῶς οὐκ ἀπέρχεται ἐκ τοῦ ζῆν; ἐν ἑτοίμῳ γὰρ αὐτῷ τοῦτ' ἐστιν, εἴπερ ἦν βεβουλευμένον αὐτῷ βεβαίως· εἰ δὲ μωκώμενος, μάταιος, ἐν τοῖς οὐκ ἐπιδεχομένοις.

Μνημονευτέον δὲ ὡς τὸ μέλλον οὔτε ἡμέτερον, οὔτε πάντως οὐχ' ἡμέτερον, ἵνα μήτε πάντως προσμένωμεν, ὡς ἐσόμενον, μήτε ἀπελπίζωμεν ὡς πάντως οὐκ ἐσόμενον.

Ἀναλογιστέον δὲ ὡς τῶν ἐπιθυμιῶν αἱ μέν εἰσι φυσικαὶ, αἱ δὲ, κεναί. καὶ τῶν φυσικῶν αἱ μὲν ἀναγκαῖαι, αἱ δὲ φυσικαὶ μόνον. τῶν δὲ ἀναγκαίων, αἱ μὲν πρὸς εὐδαιμονίαν εἰσὶν ἀναγκαῖαι, (ὡς αἱ πρὸς τὴν τοῦ σώματος ἀοχλησίαν) αἱ δὲ, πρὸς αὐτὸ τὸ ζῆν.

τούτων γὰρ ἀπλανὴς θεωρία πᾶσαν αἵρεσιν καὶ φυγὴν ἐπαναγαγεῖν οἶδεν ἐπὶ τὴν τοῦ σώματος ὑγείαν, καὶ τὴν τῆς ψυχῆς ἀταραξίαν, ἐπεὶ τοῦτο τοῦ μακαρίως ζῆν ἐστὶ τέλος. τούτου γὰρ χάριν ἅπαντα πράττομεν, ὅπως μήτε ἀλγῶμεν, μήτε ταρβῶμεν, ὅταν δὲ ἅπαξ τοῦτο περὶ ἡμᾶς γένηται, λύεται πᾶς ὁ τῆς ψυχῆς χειμὼν, οὐκ ἔχοντος τοῦ ζώου πρός τι, ὡς ἐνδέον βαδίζειν, καὶ ζητεῖν ἕτερον ᾧ τὸ τῆς ψυχῆς καὶ τὸ τοῦ σώματος ἀγαθὸν συμπληρωθήσεται. Τότε γὰρ ἡδονῆς χρείαν ἔχομεν, ὅταν ἐκ τοῦ μὴ παρεῖναι τὴν ἡδονὴν ἀλγῶμεν, ὅταν δὲ μὴ ἀλγῶμεν, οὐκέτι τῆς ἡδονῆς δεόμεθα.

aut defungimur, ceſſationem. Abs re verò ipſum non viuere, *ſeu non eſſe*, terrori eſt: quoniam nihil vitæ in eo ſupereſt, vt dignoſcere liceat, eſſe non viuere quidpiam mali. Cæterùm autem quemadmodum cibus non qui plurimus, ſed qui ſuauiſſimus deligitur: ita *vitæ* tempus non quod longiſſimum, ſed quod iucundiſſimum fructuosè captatur. Et, qui iuuenem admonet vt honeſtè viuat, ſenem, vt honeſtè moriatur *(quaſi hæc ſint ſeiuncta)* ridiculus eſt: non ſolùm quia eſt in vita quidpiam per ſe amabile, ſed maximè etiam quia vna, eadémque meditatio eſt honeſtè viuendi, & honeſtè moriendi. Multò verò ineptior ille, qui eſſe ait, Bonum non naſci,

Aut natum, Ditis quamprimùm
clauſtra ſubire.

Si enim perſuaſus hoc dicit: quamobrem non ſtatim abit ipſe è vita? id nimirùm illi, ſi rem modò ſeriò deliberauit, in promptu eſt. Sin ioco dicit, inſanè facit: cùm hæ non ſint res, quæ iocum admittant.

Mente etiam tenendum eſt, id quod eſt futurum, neque noſtrum, neque omninò non-noſtrum eſſe. Videlicet vt neque illud, tanquam euenturum haud-dubiè ſperemus: neque etiam tanquam haud-dubiè non euenturum deſperemus.

Conſiderandum verò aliunde, cupiditatum alias eſſe naturaleis, alias inaneis: & naturalium alias neceſſarias, alias *non neceſſarias, ſed ſimpliciter* ſolùm naturaleis: ac denique neceſſariatum alias attinere ad felicitatem, vt quæ ad corporis indolentiam, *& quaſi quietem quandam placidam*: alias ad vitam, *vt quæ ad alimenti ſumptionem, & quaſi iucundum quemdam motum*, ſpectant.

Peracta nempe harum rerum ſine errore ſpeculatio habet, vnde inſinuet quicquid proſequendum, fugiendúmve eſt, tam ad corporis ſanitatem, quàm ad tranquillitatem mentis, *quod ſanè eſt operæpretium*, cùm hic ipſe ſit beatæ vitæ finis. Etenim quicquid agimus, eò *denique* ſpectat, vt neque doleamus, neque perturbemur: & vbi ſemel aſſequuti id ſumus, omnis animi procella ſedatur: quaſi iam nihil ſit, ad quod *beatitudinis capax* Animal ſe conuertat, requiſiturum aliquid aliud, quo ipſius tam animi quàm corporis bonum compleatur. Tunc enim voluptate egemus, cùm ex illius abſentia excitatur in nobis dolor: at cùm non dolemus, tunc nulla in nobis voluptatis indigentia eſt.

Atque hæc quidem cauſa eſt, ob quam dicimus beatę vitæ principium, ac finem eſſe Voluptatem. Quippe eſſe eam bonum primum & *noſtra, omniſque animalis natura* congenitum deprehendimus: ipſáque eſt, à qua electionem, fugámque omnem auſpicamur, & in quam tandem deſinimus: hoc affectu vſi, tanquam regulâ, ad bonum omne diiudicandum.

Cùm verò huiuſmodi primum, cõgenitúmque bonum ſit, ob hoc ipſummet, non quamcumque voluptatem eligimus; ſed interdum fit, vt compluréis voluptates prætermittamus, quando nimirùm grauior eſt, qui illas conſequitur dolor; veluti *ex oppoſito* compluréis dolores voluptatibus potiores habemus, quando ex diurna eorum tolerantia conſeqnitur voluptas vberior. Eſt itaque omnis voluptas ſecundùm naturã quidem ſuam *quid* bonum: ſed non ideò tamen omnis eligenda, ac pari de cauſa dolor quidem eſt ſuapte naturâ *quid* malum: verùm non idcircò omnis refugiendus. Siquidem commenſuratione, & rerum iuuantium, lædentiúmque habito delectu diiudicare hæc omnia decet: qnandoquidem bono interdum vt malo, & vice verſâ interdum malo, tanquam bono vtimur.

Cæterùm ipſam moderationem, quâ quis paruo contentus eſt, ingens exiſtimamns bonum: non vt vniuerſè modicis vtamur, verùm vt niſi multa adſint, paucis vti graue non ſit, ac ingenuè perſuaſi ſimus tum illos ſolos magnificentia frui qnam iucnndiſſimè, qui eâ minimum indigent: tum quicquid naturæ neceſſarium eſt, id facillimum comparatu eſſe: vanum autem eſſe, *ac non neceſſarium* quicquid comparatu difficile eſt. Viles certè cibi æqualem epulis ſumptuoſis voluptatem afferunt, vbi exempta prorſus fuerit, quæ cibi defectu moleſta eſt, fames; polentáque, & aqua voluptatem maximam pariunt, ſi quis *modò famem, ſitímque expectans*, iis, cùm indiguerit *dumtaxat*, vtatur.

Quamobrem victui ſimplici, miniméque ſplendido aſſueſcere, tum ſanitatis numeros implet, tum hominem ad vſus vitæ neceſſarios expeditum facit. Id etiam præſtat, vt ſi quando per interualla ſit menſa ſplendidior, ipſi deguſtandæ comparati ſinceriùs ſimus. Denique nos (*quod caput eſt*) aduersùs fortunã interritos facit, *quaſi nos reducat ad id, quod nulla iam eripere fortuna iniquitas poſſit*.

Conſtat igitur, quando voluptatem *beatæ vitæ* dicimus finem, non intelligere nos eas voluptates, quæ ſunt virorum luxu diffluentium, aut aliorum etiã,

Καὶ διὰ τοῦτο τὴν ἡδονὴν ἀρχὴν καὶ τέλος λέγομεν εἶναι τοῦ μακαρίως ζῆν. Ταύτην γὰρ ἀγαθὸν πρῶτον καὶ συγγενικὸν ἔγνωμεν, καὶ ἀπὸ ταύτης καταρχόμεθα πάσης αἱρέσεως καὶ φυγῆς, καὶ ἐπὶ ταύτην καταντῶμεν, ὡς κανόνι τῷ πάθει πᾶν ἀγαθὸν κρίνοντες.

Καὶ ἐπεὶ πρῶτον ἀγαθὸν τοῦτο καὶ σύμφυτον, διὰ τοῦτο καὶ οὐ πᾶσαν ἡδονὴν αἱρούμεθα· ἀλλ' ἔστιν ὅτε πολλὰς ἡδονὰς ὑπερβαίνομεν, ὅταν πλεῖον ἡμῖν τὸ δυσχερὲς ἐκ τούτων ἕπηται· καὶ πολλὰς ἀλγηδόνας ἡδονῶν κρείττους νομίζομεν, ἐπειδὰν μείζων ἡμῖν ἡδονὴ παρακολουθῇ, πολὺν χρόνον ὑπομείνασι τὰς ἀλγηδόνας. Πᾶσα οὖν ἡδονή, διὰ τὸ φύσιν ἔχειν οἰκείαν, ἀγαθόν, οὐ πᾶσα μέντοι αἱρετή· καθάπερ καὶ ἀλγηδὼν πᾶσα, κακόν, οὐ πᾶσα δὲ ἀεὶ φευκτὴ πεφυκυῖα. Τῇ μέντοι συμμετρήσει, καὶ συμφερόντων καὶ ἀσυμφόρων βλέψει ταῦτα πάντα κρίνειν καθήκει. Χρώμεθα γὰρ τῷ μὲν ἀγαθῷ, κατά τινας χρόνους, ὡς κακῷ· τῷ δὲ κακῷ, τὸ ἔμπαλιν, ὡς ἀγαθῷ.

Καὶ τὴν αὐτάρκειαν δὲ ἀγαθὸν μέγα νομίζομεν, οὐχ ἵνα πάντως τοῖς ὀλίγοις χρώμεθα· ἀλλ' ὅπως, ἐὰν μὴ ἔχωμεν τὰ πολλά, τοῖς ὀλίγοις χρώμεθα, πεπεισμένοι γνησίως ὅτι ἥδιστα πολυτελείας ἀπολαύουσιν οἱ ἥκιστα ταύτης δεόμενοι· καὶ ὅτι τὸ μὲν φυσικὸν πᾶν, εὐπόριστόν ἐστι, τὸ δὲ κενόν, δυσπόριστον. Οἵ τε λιτοὶ χυλοὶ ἴσην πολυτελεῖ διαίτῃ τὴν ἡδονὴν ἐπιφέρουσιν, ὅταν ἅπαν τὸ ἀλγοῦν κατ' ἔνδειαν ἐξαιρεθῇ, καὶ μᾶζα καὶ ὕδωρ τὴν ἀκροτάτην ἀποδίδωσιν ἡδονήν, ἐπειδὰν ἐνδέων τις αὐτὰ προσενέγκηται.

Τὸ συνεθίζειν οὖν ἐν ταῖς ἁπλαῖς καὶ οὐ πολυτελέσι διαίταις, καὶ ὑγιείας ἐστὶ συμπληρωτικόν, καὶ πρὸς τὰς ἀναγκαίας τοῦ βίου χρήσεις ἄοκνον ποιεῖ τὸν ἄνθρωπον, καὶ τοῖς πολυτελέσιν ἐκ διαλειμμάτων προσερχομένοις, κρεῖττον ἡμᾶς διατίθησι, καὶ πρὸς τὴν τύχην ἀφόβους παρασκευάζει.

Ὅταν οὖν λέγωμεν ἡδονὴν τέλος ὑπάρχειν, οὐ τὰς τῶν ἀσώτων ἡδονάς, καὶ τὰς τῶν ἐν ἀπολαύσει κειμένας λέγομεν, ὥς

τὰς

ἰνες ἀγνοοῦντες, καὶ οὐχ ὁμολογοῦντες, ἢ κακῶς ἐκδεχόμενοι νομίζουσιν· ἀλλὰ τὸ μήτε ἀλγεῖν κατὰ σῶμα, μήτε ταράττεσθαι κατὰ ψυχήν. οὐ γὰρ πότοι καὶ κῶμοι συνείροντες, οὐδ' ἀπολαύσεις παίδων καὶ γυναικῶν, οὐδ' ἰχθύων καὶ τῶν ἄλλων ὅσα φέρει πολυτελὴς τράπεζα, τὸν ἡδὺν γεννᾷ βίον, ἀλλὰ νήφων λογισμὸς, καὶ τὰς αἰτίας ἐξερευνῶν πάσης αἱρέσεως καὶ φυγῆς, καὶ τὰς δόξας ἐξελαύνων, ἀφ' ὧν πλεῖστος τὰς ψυχὰς καταλαμβάνει θόρυβος.

Τούτων δὲ πάντων ἀρχὴ, καὶ τὸ μέγιστον ἀγαθὸν, φρόνησις, διὸ καὶ φιλοσοφίας τιμιώτερον ὑπάρχει φρόνησις, ἐξ ἧς αἱ λοιπαὶ πᾶσαι πεφύκασιν ἀρεταὶ, διδάσκουσαι, ὡς οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν, ἄνευ τοῦ φρονίμως καὶ καλῶς, καὶ δικαίως· οὐδὲ φρονίμως, καὶ καλῶς, καὶ δικαίως, ἄνευ τοῦ ἡδέως. Συμπεφύκασι γὰρ αἱ ἀρεταὶ τῷ ζῆν ἡδέως, καὶ τὸ ζῆν ἡδέως, τούτων ἐστὶν ἀχώριστον.

Ἐπεὶ, τίνα νομίζεις εἶναι κρείττονα τοῦ καὶ περὶ θεῶν ὅσια δοξάζοντος, καὶ περὶ θανάτου διαπαντὸς ἀφόβως ἔχοντος, καὶ τὸ τῆς φύσεως ἐπιλελογισμένου τέλος; καὶ τὸ μὲν τῶν ἀγαθῶν πέρας, ὡς ἐστιν εὐσυμπλήρωτόν τε καὶ εὐπόριστον, διαλαμβάνοντος· τὸ δὲ τῶν κακῶν, ὡς ἢ χρόνους ἢ πόνους ἔχει βραχεῖς, τὴν δὲ ὑπό τινων δεσπότιν εἰσαγομένην πάντων Ἀνάγκην, μὴ εἶναι τούτων ἀγγέλλοντος, ὧν ἐστι τὰ μὲν ἀπὸ τύχης, τὰ δὲ πρὸς ἡμᾶς· διὰ τὸ, τὴν μὲν ἀνάγκην, ἀνυπεύθυνον εἶναι, τὴν δὲ τύχην, ἄστατον ὁρᾶν, τὸ δὲ πρὸς ἡμᾶς, ἀδέσποτον· ᾧ καὶ τὸ μεμπτὸν καὶ τὸ ἐναντίον παρακολουθεῖν πέφυκεν.

Ἐπεὶ κρεῖττον ἦν τῷ περὶ θεῶν μύθῳ κατακολουθεῖν, ἢ τῇ τῶν φυσικῶν εἱμαρμένῃ δουλεύειν. ὁ μὲν γὰρ ἐλπίδα παραιτήσεως ὑπογράφει θεῶν διὰ τιμῆς· ἡ δὲ ἀπαραίτητον ἔχει τὴν ἀνάγκην. Τὴν δὲ τύχην, οὔτε θεὸν, ὡς οἱ πολλοὶ νομίζουσιν, ὑπολάμβανε (οὐδὲν γὰρ ἀτάκ-

quatenus ſpectantur in ipſa actione fruendi, *quâ nimirùm ſenſus iucundè, dulcitérque afficitur :* veluti quidam ignorantes, aut *à nobis* diſſentientes, aut *alioquin aduersùm nos* malè affecti interpretantur: ſed *illud dumtaxat intelligimus*, non dolere corpore, ac animo non perturbari. Siquidem non compotationes, comeſſationéſque perpetuæ: non ipſa puerorum, mulierúmque conſuetudo : non piſcium deliciæ, aut quæcumque aliæ menſæ lautioris cupediæ ; iucundam vitam pariunt: ſed quæ cum ſobrietate, *ſerenóque adeò animo*, eſt ratio ; cauſas, cur quidque eligendum, fugiendúmve ſit, inueſtigans, ac opiniones abigens, ob quas plurima menteis occupat perturbatio.

Horum verò omnium principium (ac maximum proinde bonum) ipſa eſt prudentia : meretúrque adeò prudentia honorem præ ipſa philoſophia *(quatenus illi imperat, dum iubet diſquirere cauſas, ex quarum ignoratione hac perturbatio conſequitur) ac eſt aliunde eiuſmodi*, ex qua aliæ omnes virtutes oriantur, edocentes viui iucundè non poſſe, niſi prudenter, honeſtè (*ſeu, quod idem eſt, fortiter, temperantérque*) & iuſtè viuatur : neque prudenter, honeſtè (*ſiue fortiter, atque temperanter*) & iuſtè, quin viuatur ſimul iucundè. Virtutes enim ipſi vitæ iucundæ congenitæ ſunt: nec fieri poteſt vt ab ipſis vita iucũda ſeparetur.

Quibus præmiſſis, ec. quemnam virum prætuleris illi, qui & de Diis vera ſentit : & omninò intrepidè aduersùs mortem eſt comparatus : & de ipſo Naturæ fine, bonorúmque extremo ſic ratiocinatur, vt intelligat ipsũ poſſe facillimâ facilitate adimpleri, compararíque: ac id, quod in malis tolerandum eſt, aut eſſe duratione breue, *ſi vehemens ſit* ; aut, *ſi ſit diuturnum*, toleratu leue : & ſibi-met ipſi denuntiat inductam ab aliquibus dominam omnium Neceſſitatem, non eſſe *ſaltem* dominam eorum, quæ partim à fortuna ſunt, partim à noſtro arbitrio pendent: quatenus neceſſitas quidem *rigida*, *ac* inemendabilis eſt: fortuna verò inconſtans deprehenditur : & id, quod in noſtro ſitum eſt arbitrio, liberum ab omni dominatu eſt, ipſique adeò tribuitur quicquid eſt vitupeṛio, aut (ex oppoſito) laude dignum.

Nimirùm ſatiùs longè eſt, fabuloſæ, *hoc eſt vulgari* de Diis opinioni addici, quàm iſti *quorumdam* Phyſicorum Fato ſeruire. Nàm illa quidem, ob reuerentiam, quæ *qualiſcumque* habetur Diis, vt ij exorentur, ſpem facit : hoc verò habet neceſſitatem inexorabilem adiunctam. Caue interim, ne propterea habeas, *faciaſue* ipſam Fortunam Deam, vt vulgus facit hominum (neque enim

quicquam à Deo inordinatè peragitur) néve etiam credas inſtabilem *quidem*, *ſed* cauſam *tamen aliquam* (vulgò quippe exiſtimant, non porrigere quidem ipſam *quaſi manu* hominibus boni aut mali aliquid, quod ad beatam vitam faciat: ſed bonorum tamen, malorúmve inſignium occaſiones ſuppeditare) *Id caue*, *inquam*, ſatiùs ducens, ratione bene initâ infortunatum fieri, quàm malè initâ fortunatum. Præclarius eſt enim ſi quid ea pulchrè, *feliciterque* dirigat, vt id fuerit ipſi non ſine iudicio, *deliberationéque* commiſſum.

Iſthæc igitur, ipſíſque affinia, interdiu, noctúque ſemper meditare, ſeu ipſe tecum, ſeu cum ſocio, qui perſimilis tui ſit; ac fiet, vt nunquam ſiue vigilans, ſiue in ſomnis, perturbere, ſed vt quiſpiam Deus inter homines viuas. Nihil quippe mortali animali ſimile habet homo, qui in immortalium bonorum poſſeſſione æuum traducit.

Hactenus Epiſtola eſt. Præterea autem, quòd Epicurus Diuinandi artem, cùm aliis in locis, tum in maiore Epitome vniuersè repudiat; &, Ars, inquit, diuinatoria exſiſtentiæ nullius eſt: & vt ſit, non ideò ſunt tamen illa, quæ eueniunt, noſtræ facultatis. Hæc, & plura ſunt, quæ alibi etiam de vitæ inſtituendæ ratione ab eo diſputantur.

Non conuenit porrò inter ipſum, & Cyrenaicos, quid ſit voluptatis nomine donandum. Nam illi quidem voluptatem in ſtabilitate, *hoc eſt in indolentia*, *quæ eſt quaſi quies*, non probant: eam verò ſolam, quæ eſt in motu, *hoc eſt*, *quâ ſenſus actu mouetur*, *re ipſáve afficitur*, admittunt; ipſe verò vtrique id nominis tribuit, & tam quidem in animo, quàm in corpore: veluti in libro de Electione, & fuga: in primo de Fine: in primo de Vita, & moribus: & in Epiſtola ad Philoſophos Mitylene degenteis. Conſimiliter verò & Diogenes in XIV. ſelectarum Scholarum, & Metrodorus in Timocrate, ita aiunt: Cùm intellecta à nobis voluptas alia quidem in motu ſit, alia verò in ſtabilitate, &c. Et ipſe Epicurus in illo *ſpeciatim* de Electione libro ſic habet: Voluptates in ſtabilitate ſunt Imperturbatio, ac Indolentia: lætitia verò & hilaritas in ipſa, quæ eſt actu, motione attenduntur.

τοῖς θεῷ πράττεται) οὔτε ἀβέβαιον αἰτίαν (οἴεται μὲν γὰρ ἀγαθὸν ἢ κακὸν ἐκ ταύτης πρὸς τὸ μακαρίως ζῆν ἀνθρώποις μὴ δίδοσθαι, ἀρχὰς μέντοι μεγάλων ἀγαθῶν ἢ κακῶν ὑπὸ ταύτης χορηγεῖσθαι) κρεῖττον εἶναι νομίζων εὐλογίστως ἀτυχεῖν, ἢ ἀλογίστως εὐτυχεῖν. Βέλτιον γὰρ τὸ κριθὲν ἐν ταῖς πράξεσι καλῶς, ὀρθωθῆναι διὰ ταύτην.

Ταῦτα οὖν καὶ τὰ τούτοις συγγενῆ μελέτα, διαπαντὸς ἡμέρας καὶ νυκτὸς πρὸς σεαυτὸν, καὶ πρὸς τὸν ὅμοιον σεαυτῷ, καὶ οὐδέποτε οὔθ᾽ ὕπαρ οὔτ᾽ ὄναρ διαταραχθήσῃ, ζήσῃ δὲ ὡς θεὸς ἐν ἀνθρώποις. Οὐδὲν γὰρ ἔοικε θνητῷ ζώῳ ζῶν ἄνθρωπος ἐν ἀθανάτοις ἀγαθοῖς.

Μαντικὴν δὲ ἅπασαν ἐν ἄλλοις ἀναιρεῖ, ὡς καὶ ἐν τῇ μικρᾷ ἐπιτομῇ, καί φησι, Μαντικὴ, ὡς ἀνύπαρκτος· εἰ δὲ καὶ ὑπαρκτικὴ, οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς ἡγητέα τὰ γινόμενα. Ταῦτα καὶ περὶ τῶν βιωτικῶν καὶ ἐπὶ πλείω διείλεκται ἀλλαχόθι.

Διαφέρεται δὲ πρὸς τοὺς Κυρηναϊκοὺς περὶ τῆς ἡδονῆς. Οἱ μὲν γὰρ καταστηματικὴν οὐκ ἐγκρίνουσι, μόνην δὲ τὴν ἐν κινήσει· ὁ δὲ, ἀμφοτέρας, καὶ ψυχῆς, καὶ σώματος, ὥς φησιν ἐν τῷ περὶ αἱρέσεως καὶ φυγῆς, καὶ ἐν τῷ περὶ τέλους, καὶ ἐν τῷ α΄ περὶ βίων, καὶ ἐν τῇ πρὸς τοὺς ἐν Μιτυλήνῃ φιλοσόφους ἐπιστολῇ. Ὁμοίως δὲ καὶ Διογένης ἐν τῇ ἑπτακαιδεκάτῃ τῶν ἐπιλέκτων, καὶ Μητρόδωρος ἐν τῷ Τιμοκράτει, λέγουσιν οὕτως. Νοουμένης δὲ ἡδονῆς, τῆς τε κατὰ κίνησιν, καὶ τῆς καταστηματικῆς. Ὁ δὲ Ἐπίκουρος ἐν τῷ περὶ αἱρέσεως οὕτω λέγει, Ἡ μὲν γὰρ ἀταραξία, καὶ ἀπονία καταστηματικαί εἰσιν ἡδοναὶ, ἡ δὲ χαρὰ, καὶ εὐφροσύνη, κατὰ κίνησιν ἐνεργείᾳ βλέπονται.

Ἔτι πρὸς τοὺς Κυρηναϊκούς. Οἱ μὲν γὰρ χείρους τὰς σωματικὰς ἀλγηδόνας τῶν ψυχικῶν (κολάζεσθαι γοῦν τοὺς ἁμαρτάνοντας σώματι) ὁ δὲ τὰς ψυχικάς· τὴν γοῦν σάρκα τὸ παρὸν μόνον χειμάζειν,

Diſſidet quoque aliunde ab iiſdem Cyrenaicis: quatenus illi quidem autumant corporis dolores deteriores eſſe doloribus animi, *eóque argumento vtuntur*, quòd ſontes plectantur corporeis (*quaſi iis grauiores nulli alij ſint*:) ipſe verò animi *dolores* eo argumēto grauiores habet, quòd corpus quidem nullū malum,

τὴν δὲ ψυχὴν καὶ τὸ παρελθὸν, καὶ τὸ παρὸν, καὶ τὸ μέλλον. Οὕτως οὖν καὶ μείζονας ἡδονὰς εἶναι τῆς ψυχῆς.

Ἀποδείξει δὲ χρῆται τοῦ, τέλος εἶναι τὴν ἡδονὴν, τῷ τὰ ζῶα ἅμα τῷ γεννηθῆναι, τῇ μὲν εὐαρεστεῖσθαι, τῷ δὲ πόνῳ προσκρούειν φυσικῶς, καὶ χωρὶς λόγου. Αὐτοπαθῶς οὖν φεύγομεν τὴν ἀλγηδόνα· ἵνα καὶ ὁ Ἡρακλῆς καταβιβρωσκόμενος ὑπὸ τοῦ χιτῶνος, δακρύει,

Βοῶν, ἰύζων, ἀμφὶ δ' ἔστενον πέτραι,
Λοκρῶν τ' ὄρειοι πρῶνες, Εὐβοίας τ' ἄκραι.

Διὰ δὲ τὴν ἡδονὴν καὶ τὰς ἀρετὰς αἱρεῖσθαι, οὐ δι' αὑτὰς, ὥσπερ τὴν ἰατρικὴν διὰ τὴν ὑγίειαν· καθά φησι καὶ Διογένης ἐν τῇ εἰκοστῇ τῶν ἐπιλέκτων, ὃς καὶ διαγωγὴν λέγει τὴν ἀγωγήν. Ὁ δὲ Ἐπίκουρος καὶ ἀχώριστόν φησι τῆς ἡδονῆς τὴν ἀρετὴν μόνην· τὰ δὲ ἄλλα χωρίζεσθαι, οἷον βρωτά.

Καὶ φέρε οὖν δὴ νῦν τὸν κολοφῶνα (ὡς ἂν εἴπῃ τις) ἐπιθῶμεν τοῦ παντὸς συγγράμματος, καὶ τοῦ βίου τοῦ φιλοσόφου, τὰς ΚΥΡΙΑΣ αὐτοῦ ΔΟΞΑΣ παραθέμενοι, καὶ ταύταις τὸ πᾶν σύγγραμμα κατακλείσαντες, τέλει χρησάμενοι τῇ τῆς εὐδαιμονίας ἀρχῇ.

Τὸ Μακάριον καὶ Ἄφθαρτον, οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει· ὥστε οὔτε ὀργαῖς, οὔτε χάρισι συνέχεται. ἐν ἀσθενεῖ γὰρ πᾶν τὸ τοιοῦτον. [Ἐν ἄλλοις δέ φησι τοὺς θεοὺς λόγῳ θεωρητοὺς, οὓς μὲν κατ' ἀριθμὸν ὑφεστῶτας· οὓς δὲ, καθ' ὁμοείδειαν (ἐκ τῆς συνεχοῦς ἐπιρρύσεως τῶν ὁμοίων εἰδώλων ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἀποτετελεσμένων) ἀνθρωποειδεῖς.]

Ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. τὸ γὰρ διαλυθὲν, ἀναισθητεῖ· τὸ δὲ ἀναισθητοῦν, οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς.

Ὅρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν, ἡ παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις. ὅπου γὰρ ἂν τὸ ἡδόμενον ἐνῇ, καθ' ὃν ἂν χρόνον ᾖ, οὐκ ἔστι τὸ ἀλγοῦν, ἢ τὸ λυπούμενον, ἢ τὸ συναμφότερον.

Οὐ χρονίζει τὸ ἀλγοῦν συνεχῶς ἐν τῇ σαρκί· ἀλλὰ τὸ μὲν ἄκρον, τὸν ἐλάχιστον χρόνον πάρεστι· τὸ δὲ μόνον ὑπερτεῖνον, οὐδ

niſi præſens *afficiat*; animum autem præter præſens, præteritum quoque, & futurum diſcruciet. Quâ etiam ratione habet voluptates animi voluptatibus corporis potiores.

Vt probet autem Voluptatem eſſe finem, ex eo demonſtrat, quòd Animalia *omnia* ſimul ac ſunt nata, ſponte ipsâ naturæ, & citra vllum ratiocinium ipſam complectantur, & dolorem refugiant. Ac nobis ideò innatum ſit; vt dolorem auerſemur, & ne Hercules quidem ab interula *ſuccenſa* depaſtus, *ſeſe contineat*, *quin* lacrymetur,

Clamans, freménſque, at undique reſonant petræ
Locorũ, & Eubææ iuga alta montium:

Sententia quoque eius eſt, Virtutes non propter ſeipſas, ſed voluptatis gratiâ expeti; vt Medicorum ſcientia non ipſius artis, ſed bonæ valetudinis cauſâ probatur (quemadmodum habet etiam Diogenes in xx. Selectorum; qui aliunde educationem diſciplinæ informationem vocat.) Adiicit porrò Epicurus ſolam Virtutem à voluptate eſſe inſeparabilem; cætera vt caduca, ab ipſa ſeiungi.

Verùm enimverò Colophonem *iam* (quemadmodum aiunt) toti & elucubrationi, & vitæ Philoſophi imponamus; attexentes RATAS illius SENTENTIAS, ipsíſque totum hoc à nobis ſuſceptum opus concludentes, ac eo fine vtentes, qui idem ſit Beatitudinis ipſius initium.

Quod Beatum, Æternúmque eſt, id nec habet ipſum negotij quicquã, nec exhibet alteri. Itaque neque irâ, neque gratiâ tenetur, quòd quæ talia ſunt, imbecilla ſint omnia. ALIIS VERO IN LOCIS AIT DEOS *non ſenſu, ſed* MENTE CERNI, IPSOSQVE NON *ſoliditate quadam* CONSISTENTEIS, AVT *diſtinctione* NVMERABILEIS, VERVMTAMEN SIMILITVDINE QVASI HOMINIFORMEIS, PROPTER AFFLVXVM CONTINENTEM IMAGINVM AD EXHIBENDVM *menti noſtræ* TALEM NATVRAM COMPARATARVM.

Mors ad nos nihil pertinet. Quod enim diſſolutum eſt, id eſt ſine ſenſu. Quod autem ſine ſenſu eſt, id nihil omninò ad nos pertinet.

Magnitudinis voluptatum terminus (*ſeu Voluptas ſumma*) ipſa eſt doloris amotio. Nam vbicumque voluptas adeſt, quamdiu quidem adeſt, ibi nihil eſt aut dolens, aut ægrum, aut vtrumque ſimul.

Non diu perſeuerat in corpore continens dolor: ſed ſummus quidem deſinit breui (*quoniam aut ſoluit, aut ſoluitur*) & qui moram trahit, non multos eſt

dies abſque aliqua in ipſo corpore voluptate. Qui verò morbi productiores ſunt, ij *per interualla* plus habent in corpore iucundi, quam mali.

Non poteſt iucundè viui, niſi ſapienter, honeſtè, iuſtéque viuatur: neque ſapienter, honeſtè, iuſtè, quin viuatur ſimul iucundè. Adeò proinde, vt cui non contingit ſapienter, honeſtè, iuſtè viuere, illi nec iucundè viuere contingat.

Fuere qui vt ſecuritatem ex hominibus adipiſcerentur, (ac pro conditione quidem principatus, & regni, ex quibus eam vulgò comparari putant) affectauerint gloriâ præfulgere, illuſtréſque euadere; exiſtimantes ſe hac ratione ſtatum ſecurum, tranquillúmque ex hominibus paraturos. Ac ſi ſecura quidem fuit, tranquilláque ipſorum vita: ij ſunt illud ipſum quod eſt naturæ bonum conſequuti: niſi autem ſecura, tranquilláque fuit ((*vt reuerà eſſe vix poteſt*) tum exciderunt ſanè ab eo, quod naturæ congruum nanciſci ex principatu *fruſtrà* appetiuerunt.

Nulla voluptas eſt per ſe malum: ſed ea, quæ nonnullas voluptates pariunt, eiuſmodi ſunt, vt multò ampliores voluptatibus dolores inducant.

Si voluptas omnis ſic poſſet in ſeipſam colligi, *vt* duratione, complexúque *perfectis, moleſtia nihil extra eam foret*; foret ea collectio perinde *abſoluta*, ac ſunt opera Naturæ præcipua: neque voluptates vllatenus inter ſe differrent, *poſſéntque idcircò indiſcriminatim optari.*

Si ea, quæ ſunt luxurioſis efficientia voluptatum, liberarent eos rerum ſublimium (*ac Deorum proinde*) & mortis, ac doloris metu, doceréntque qui eſſent fines cupiditatum: nihil haberem, quod reprehenderem: cùm vndique complerentur voluptatibus, nec haberēt vlla ex parte aliquid aut dolens, aut ægrum, id eſt malum.

Si nihil conturbaret nos, quod ſuſpicamur, *veremúrque* ex rebus Sublimibus, neque item, quod ex ipſa morte, ne quando nimirùm ad nos pertineat aliquid: ac noſſe præterea poſſemus qui *germani* fines dolorum, atque cupiditatum ſint; nihil Phyſiologia indigeremus.

Fieri non poteſt, vt metu perculſus circa res, quæ ſunt *in rerum natura, vitáque* præcipuæ, ipſo eximatur, qui qualis ſit Naturæ rerum vniuerſitas non perſpexerit, ſed quidpiam eorum ſuſpicetur, quæ iuxta fabulas traduntur: adeò proinde, vt ſinceras voluptates percipere citra Phyſiologiam non liceat.

τοῦ ἡδομένου κατὰ σάρκα οὐ πολλὰς ἡμέρας συμβαίνει. αἱ δὲ πολυχρόνιοι τῶν ἀρρωστιῶν πλεονάζον ἔχουσι τὸ ἡδόμενον ἐν τῇ σαρκὶ, ἤπερ τὸ ἀλγοῦν.

Οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν, ἄνευ τοῦ φρονίμως, καὶ καλῶς, καὶ δικαίως· οὐδὲ φρονίμως καὶ καλῶς, καὶ δικαίως, ἄνευ τοῦ ἡδέως. ὥστε ὅτῳ μὴ ὑπάρχει τὸ ζῆν φρονίμως, καὶ καλῶς, καὶ δικαίως, οὐκ ἔστι τοῦτον ἡδέως ζῆν.

Ἕνεκα τοῦ θαῤῥεῖν ἐξ ἀνθρώπων (καὶ κατὰ φύσιν ἀρχῆς, καὶ βασιλείας, ἐξ ὧν ἀγαθὸν τοῦτο οἷόν τ᾽ ἐπιπαρασκευάζεσθαι) ἔνδοξοι καὶ περίβλεπτοι τινὲς ἐβουλήθησαν γενέσθαι, τὴν ἐξ ἀνθρώπων ἀσφάλειαν οὕτω νομίζοντες περιποιήσασθαι. οἱ δὲ, εἰ μὲν ἀσφαλὴς ὁ τῶν τοιούτων βίος, ἀπέλαβον τὸ τῆς φύσεως ἀγαθόν· εἰ δὲ μὴ ἀσφαλὴς, οὐκ ἔχουσιν οὗ ἕνεκα τῆς ἀρχῆς κατὰ τὸ τῆς φύσεως οἰκεῖον ὠρέχθησαν.

Οὐδεμία ἡδονὴ καθ᾽ ἑαυτὴν, κακόν· ἀλλὰ τὰ τινῶν ἡδονῶν ποιητικὰ, πολλαπλασίους ἐπιφέρει τὰς ὀχλήσεις τῶν ἡδονῶν.

Εἰ κατεπυκνοῦτο πᾶσα ἡδονὴ καὶ χρόνῳ, καὶ περιόδῳ, ἄθροισμα ὑπῆρχεν καθὰ καὶ τὰ κυριώτατα μέρη τῆς φύσεως, καὶ οὐκ ἄν ποτε διέφερον ἀλλήλων αἱ ἡδοναί.

Εἰ τὰ ποιητικὰ τῶν περὶ τοὺς ἀσώτους ἡδονῶν ἔλυε τοὺς φόβους τῆς διανοίας, τούς τε περὶ μετεώρων καὶ θανάτου, καὶ ἀλγηδόνων, ἔτι τε τὸ πέρας τῶν ἐπιθυμιῶν ἐδίδασκεν, οὐκ ἄν ποτε εἴχομεν ὅ, τι μεμψαίμεθα, αὐτοῖς πανταχόθεν εἰσπληρουμένοις τῶν ἡδονῶν, καὶ οὐδαμόθεν οὔτε τὸ ἀλγοῦν, οὔτε τὸ λυπούμενον ἔχουσιν, ὅπερ ἐστὶ τὸ κακόν.

Εἰ μηθὲν ἡμᾶς αἱ ὑπὲρ τῶν μετεώρων ὑποψίαι ἠνώχλουν, ἔτι τε αἱ περὶ θανάτου, μήποτε πρὸς ἡμᾶς ᾖ τι, ἔτι τ᾽ ἐδυνάμεθα νοεῖν τοὺς ὅρους τῶν ἀλγηδόνων, καὶ τῶν ἐπιθυμιῶν, οὐκ ἂν προσεδεόμεθα φυσιολογίας.

Οὐκ ἦν τὸ φοβούμενον λύειν ὑπὲρ τῶν κυριωτάτων, μὴ κατειδότα τίς ἡ τοῦ σύμπαντος φύσις, ἀλλ᾽ ὑποπτευόμενόν τι τῶν κατὰ τοὺς μύθους. ὥστε οὐκ ἦν ἄνευ φυσιολογίας ἀκεραίας τὰς ἡδονὰς λαμβάνειν.

οὐδὲ

Οὐθὲν ὄφελος ἦν τὴν κατ' ἀνθρώπους ἀσφάλειαν κατασκευάζεσθαι, τῶν ἄνωθεν ὑπόπτων καθεστώτων, καὶ τῶν ὑπὸ γῆς, καὶ ἁπλῶς τῶν ἐν τῷ ἀπείρῳ, τῆς ἀσφαλείας τῆς ἐξ ἀνθρώπων γενομένης μέχρι τινός.

Δυνάμει τῇ ἐξερειστικῇ, καὶ εὐπορίᾳ εἰλικρινεστάτη γίνεται ἡ ἐκ τῆς ἡσυχίας καὶ ἐκχωρήσεως τῶν πολλῶν ἀσφάλεια.

Ὁ τῆς φύσεως πλοῦτος καὶ ὥρισται, καὶ εὐπόριστός ἐστιν· ὁ δὲ τῶν κενῶν δοξῶν, εἰς ἄπειρον ἐκπίπτει.

Βραχεῖα σοφῷ τύχη παρεμπίπτει· τὰ δὲ μέγιστα καὶ κυριώτατα ὁ λογισμὸς κατὰ τὸν τοῦ βίου συνεχῆ χρόνον διῴκει.

Ὁ δίκαιος, ἀταρακτότατος· ὁ δὲ ἄδικος, πλείστης ταραχῆς γέμων.

Οὐκ ἐπαύξεται ἡ ἡδονὴ ἐν τῇ σαρκί, ἐπειδὰν ἅπαξ, τὸ κατ' ἔνδειαν ἀλγοῦν ἐξαιρεθῇ, ἀλλὰ μόνον ποικίλλεται.

Τῆς δὲ διανοίας τὸ πέρας (τὸ κατὰ τὴν ἡδονὴν) ἀπεγέννησεν ἥ τε τούτων αὐτῶν ἐκλόγησις (καὶ τῶν ὁμογενῶν τούτοις,) ὅσα τοὺς μεγίστους φόβους παρεσκεύαζε τῇ διανοίᾳ.

Ὁ ἄπειρος χρόνος ἴσην ἔχει τὴν ἡδονὴν καὶ ὁ πεπερασμένος, ἐάν τις αὐτῆς τὰ πέρατα καταμετρήσῃ τῷ λογισμῷ.

Ἡ μὲν σὰρξ ἀπέλαβε τὰ πέρατα τῆς ἡδονῆς, ἀπέραντον δὲ ἀπείρου πόθος χρόνου παρεσκεύασεν· ἡ δὲ διάνοια τοῦ τῆς σαρκὸς τέλους καὶ πέρατος λαβοῦσα τὸν ἐπιλογισμόν, καὶ τοὺς ὑπὲρ τοῦ αἰῶνος φόβους ἐκλύσασα, τὸν παντελῆ βίον παρεσκεύασε, καὶ οὐθὲν ἔτι τοῦ ἀπείρου χρόνου προσεδεήθημεν. Ἀλλ' οὔτε ἔφυγε τὴν ἡδονήν, οὐδ' ἡνίκα τὴν ἐξαγωγὴν ἐκ τοῦ ζῆν τὰ πράγματα παρεσκεύαζεν, ὡς τελείαν λαβοῦσα τὴν τοῦ ἀρίστου βίου καταστροφήν.

Ὁ τὰ πέρατα τοῦ βίου κατειδώς, οἶδεν ὡς εὐπόριστόν ἐστι τὸ τὸ ἀλγοῦν κατ' ἔνδειαν ἐξαιροῦν, καὶ τὸ τὸν ὅλον βίον παντελῆ καθιστᾶν· ὥστε οὐδὲν προσδεῖται πραγμάτων ἀγῶνας κεκτημένων.

Nihil prodeſt ſecuritatem, quod ad homines attinet, parare, ſi ſuperſit eorum ſuſpicio, quæ aut supernè impendeant, aut inferiùs ſub Terra maneãt, aut vniuersè vſquam ſint in ipſa rerum immenſitate. Nam ſecuritas quidem, quę haberi poteſt ex hominibus, aliquatenus ſolùm eſt; *ac nequicquam eſt, niſi quis ſit à ſeſe ipſo maximè ſecurus.*

Quæ ſecuritas habetur ex tranquillitate, deuitationeque multitudinis, eadem paratur per facultatẽ, quã *ſibi ipſi temperando, ex cupiditatibus quicquid neceſſarium natura non eſt,* detrahitur; ac per ſimpliciſſimam, *faciliſmámque rerum neceſſariarum* parabilitatem.

Diuitiæ, quibus Natura contentã eſt, terminatæ, & parabiles ſunt; earum verò, quæ iuxta inaneis opiniones concupiſcuntur, nec modus vllus, nec finis inueniri poteſt.

Exigua fortuna Sapienti interuenit: maximè verò, & grauiſſimæ res conſilio ipſius, & ratione in vitæ ſerie adminiſtrantur.

Vir iuſtus eſt maximè omnium à perturbatione immunis: iniuſtus ex oppoſito perturbationis pleniſſimus.

Non augetur in corpore voluptas detracto dolore, qui ex indigentia *eius rei, quâ natura opus eſt,* oritur, ſed dumtaxat variatur.

Id, quod mentis finem (ſummámve, *quæ in animo* voluptatem) peperit; ipſa fuit expunctio earunſ opinionum (illiſque affinium) quibus metus maximi ipſi menti incutiebantur.

Ex infinito tempore ætatis non maior voluptas poteſt percipi, quàm percipiatur ex hoc, quod videmus eſſe finitum: ſi quis modò illius fineis rectâ ratione dimetiatur.

Præſcripti ſunt quidem *à Natura* fines voluptatis corporis: ſed illos temporis æterni deſiderium ipſi ademit. Superuenit porrò mens, quæ de corporis fine, extremóque, *vt par fuit,* ratiocinando, & ſempiterni temporis deſiderium eliminando, vitam vndique perfectam cõſtituit, effecitque, vt *eâ contenti* haudquaquam ipsâ temporis infinitate indigeremus. Quin-etiam voluptate quoque fruſtrata non eſt, ne tum quidem, cùm rerum *mortalium* conditio exceſſum è vita molitur; quippe provt optimæ vitæ perfectum, *atque adeò delectabilem*, nanciſcitur finem.

Qui fineis in vita degenda *à Natura præſcriptos* perſpexit, nouit quàm parabile ſit, quod ad detrahendum quicquid ob indigentiam in corpore dolet, ſufficiat: nouit & ſeriem vitæ totius præclarè conſtituere; adeò vt rebus aleæ, periculíque plenis nullatenus egeat.

Oportet porrò ſibi finem *ſine vitæ ſcopum*, ratum, conſtanrémque præfixum habere, ratione bene initâ ſecundùm omnem euidenriam, quâ vulgò ſolemus, ſi quid opinamur, expendere: omnia quippe, niſi id fiat, indiſcretæ remeritatis, confuſioniſque plena euadent.

Si omnibus ſenſibus fidem adimas: ne habebis quidem, quoſcumque ipſorum falli dixeris, ad quid reuocans examen, id diiudices.

Si quempiam ſenſuum abſolutè explodas, neque id, quod eſt opinabile, diſtinguas in id, quod exſpectabile eſt (*tempusve, quaſi nondum ſit debitè perſpectum, depoſcit, priuſquam quale ſit, pronuntietur*) & in id, quod præſens (*poſitúmve coràm, exploratúmque*) eſt; ac rurſus in id, quod ſecundùm ſenſus, ſecundùm paſſiones, *affectionéſve animi*; ſecundùm omnem mentis intuitum, pro rerum apparentia factum: tum ſenſus quoque cæteros opinione vanâ ira conturbabis, vt nullum *tibi* criterium, *quo ſolidè quidpiam indices*, ſit ſuperfuturum.

Si *id* omne, *quod heic appellatur* exſpectabile, cùm opinabilia mente agitabuntur, firmiter habueris vt tale: neque *leuiter* prætereieris (*quaſi conſtans, & admittendum*) id quod nullius euidentiæ ſuffragium habens, falſum eſt: *eo caſu*, geres te pro eo, qui ab omni ambiguo cauer, attendíque ſollicirè, quale omne iudicium ſit, quod de re opinabili aut rectè, aut perperàm fertur.

Niſi qualibet occaſione vnamquamque actionum tuarum ad ipſum Naturæ finem referas, ſed ad aliud quidpiam ſine proſequendo, ſine refugiendo deflectas: non erunt tibi vitæ actiones propriis ſermonibus conſentaneæ.

Τὸ ὑφεστηκὸς δὲ τέλος δεῖ ἐπιλογίζεσθαι κατὰ πᾶσαν τὴν ἐνάργειαν, ἐφ᾽ ἣν τὰ δοξαζόμενα ἀνάγομεν· εἰ δὲ μή; πάντα ἀκρισίας, καὶ ταραχῆς ἔσται μεστά.

Εἰ μάχῃ πάσαις ταῖς αἰσθήσεσιν, οὐχ ἕξεις οὐδ᾽ ἃς ἂν αὐτῶν φῇς διεψεῦσθαι, πρὸς ὃ ποιούμενος τὴν ἀναγωγὴν, κρίνῃς.

Εἴ τινα ἐκβάλλῃς ἁπλῶς αἴσθησιν, καὶ μὴ διαιρήσῃς τὸ δοξαζόμενον, κατὰ τὸ προσμενόμενον, καὶ τὸ παρὸν ἤδη κατὰ τὰς αἰσθήσεις, καὶ τὰ πάθη, καὶ πᾶσαν φανταστικὴν ἐπιβολὴν τῆς διανοίας, συνταράξεις καὶ τὰς λοιπὰς αἰσθήσεις τῇ ματαίᾳ δόξῃ, ὥστε τὸ κριτήριον ἅπαν ἐκβαλεῖς.

Εἰ δὲ βεβαιώσεις καὶ τὸ προσμενόμενον ἅπαν ἐν ταῖς δοξαστικαῖς ἐννοίαις, καὶ τὸ μὴ ἐπιμαρτύρησιν ἔχον οὐκ ἐκλείψεις, τὸ διεψευσμένον, ὡς τετηρηκὼς ἔσῃ πᾶσαν ἀμφισβήτησιν καὶ πᾶσαν κρίσιν τοῦ ὀρθῶς, καὶ μὴ ὀρθῶς δοξαζομένου.

Εἰ μὴ παρὰ πάντα καιρὸν ἐπανοίσεις ἕκαστον τῶν πραττομένων ἐπὶ τὸ τέλος τῆς φύσεως, ἀλλὰ προκαταστρέψεις (εἴτε φυγὴν, εἴτε δίωξιν ποιούμενος) εἰς ἄλλο τι, οὐκ ἔσονταί σοι τοῖς λόγοις αἱ πράξεις ἀκόλουθοι.

Τῶν ἐπιθυμιῶν αἱ μέν εἰσι φυσικαὶ, καὶ ἀναγκαῖαι· αἱ δὲ φυσικαὶ, καὶ οὐκ ἀναγκαῖαι· αἱ δὲ οὔτε φυσικαὶ, οὔτε ἀναγκαῖαι, ἀλλὰ παρὰ κενὴν δόξαν γινόμεναι. [φυσικὰς, καὶ ἀναγκαίας ἡγεῖται ὁ Ἐπίκουρος τὰς ἀλγηδόνας ἀπολυούσας, ὡς ποτὸν ἐπὶ δίψους. φυσικὰς δὲ οὐκ ἀναγκαίας, τὰς ποικιλλούσας μόνον τὴν ἡδονὴν, μὴ ὑπεξαιρουμένας δὲ τὸ ἄλγημα, ὡς πολυτελῆ σιτία. οὔτε δὲ φυσικὰς, οὔτε ἀναγκαίας, ὡς στεφάνους, καὶ ἀνδριάντων ἀναθέσεις.]

Ἐν αἷς τῶν φυσικῶν ἐπιθυμιῶν, μὴ ἐπ᾽ ἀλγοῦν δὲ ἐπαναγουσῶν, ἐὰν μὴ συμπληρωθῶσιν, ὑπάρχει ἡ σπουδὴ σύντονος, παρὰ κενὴν δόξαν αὗται γίνονται, καὶ παρὰ τὴν ἑαυτῶν φύσιν, οὐ διαχέονται, ἀλλὰ παρὰ τὴν τοῦ ἀνθρώπου κενοδοξίαν.

Cupiditatum aliæ ſunt naturales, & neceſſariæ; aliæ naturales, nec tamen neceſſariæ; aliæ neque naturales, neque neceſſariæ, ſed ex opinione inani pſognatæ. NATVRALEIS PORRO, ATQVE NECESSARIAS EXISTIMAT EPICVRVS EAS, QVÆ DOLORES TOLLVNT, CVIVSMODI EST REI POTVLENTÆ, DONEC VIGET SITIS. NATVRALEIS VERO, ET NON NECESSARIAS ILLAS, QVÆ NIHIL ALIVD, QVAM VOLVPTATEM VARIANT, NON VERO *abſolutè* DOLORI DETRAHENDO, *quatenus ſunt tales, neceſſariæ* SVNT, VT QVÆ EDVLIORVM SVNT DELICATIORVM. *Poſtremò* NEQVE NATVRALEIS, NEQVE NECESSARIAS, QVALES *verbi gratiâ*, CORONARVM SVNT, STATVARVM-VE ERIGENDARVM.

Quæ naturales cupiditates ad nullum dolorem, licet non expleantur, deducunt: ſi vehemente cum ſtudio ſint, illæ ob vanam opinionem euadunt huiuſcemodi; ac non ex ſua ipſarum natura (*quâ parte nimirùm naturales ſunt*) ſed præ ipſa, quæ in homine eſt, opinionum inanitate vltra modum diffunduntur.

Tai

τῶν ἐπιθυμιῶν ὅσαι μὴ ἐπ' ἀλγοῦν ἐπανάγουσιν, ἐὰν μὴ συμπληρωθῶσιν, οὐκ εἰσὶν ἀναγκαῖαι, ἀλλ' εὐδιάχυτον τὴν ὄρεξιν ἔχουσιν, ὅταν δυσπόριστοι, ἢ καὶ βλάβης ἀπεργαστικαὶ δόξωσιν εἶναι.

Ὧν ἡ σοφία παρασκευάζεται εἰς τὴν τοῦ ὅλου βίου μακαριότητα, πολὺ μέγιστόν ἐστιν ἡ τῆς φιλίας κτῆσις.

Ἡ αὐτὴ γνώμη θαῤῥεῖν τε ἐποίησεν ὑπὲρ τοῦ μηδὲν αἰώνιον εἶναι δεινὸν, μηδὲ πολυχρόνιον· καὶ τὴν ἐν αὐτοῖς τοῖς ὡρισμένοις ἀσφάλειαν φιλίας μάλιστα κατανοῆσαι συντελουμένην.

Τὸ τῆς φύσεως δίκαιον, ἐστὶ σύμβολον τοῦ συμφέροντος, εἰς τὸ μὴ βλάπτειν ἀλλήλους, μηδὲ βλάπτεσθαι.

Ὅσα τῶν ζώων μὴ ἐδύνατο συνθήκας ποιεῖσθαι τὰς ὑπὲρ τοῦ μὴ βλάπτειν ἄλληλα, μηδὲ βλάπτεσθαι, πρὸς ταῦτα οὐθὲν ἐστιν οὐδὲ δίκαιον, οὐδὲ ἄδικον. ὡσαύτως δὲ καὶ τῶν ἐθνῶν ὅσα μὴ ἐδύνατο, ἢ μὴ ἐβούλετο τὰς συνθήκας ποιεῖσθαι τὰς ὑπὲρ τοῦ μὴ βλάπτειν, μηδὲ βλάπτεσθαι.

Οὐκ ἦν τι καθ' ἑαυτὸ δικαιοσύνη, ἀλλ' ἐν ταῖς μετ' ἀλλήλων συστροφαῖς, καθ' ὁπηλίκους δή ποτε ἀεὶ τόπους συνθήκη τις ὑπὲρ τοῦ μὴ βλάπτειν, μηδὲ βλάπτεσθαι.

Ἡ ἀδικία, οὐ καθ' ἑαυτὴν κακὸν ἀλλ' ἐν τῷ κατὰ τὴν ὑποψίαν φόβῳ, εἰ μὴ λήσει τοὺς ὑπὲρ τῶν τοιούτων ἐφεστηκότας κολαστάς.

Οὐκ ἔστι τὸν λάθρα τι ποιοῦντα ὧν συνέθεντο πρὸς ἀλλήλους εἰς τὸ μὴ βλάπτειν μηδὲ βλάπτεσθαι, πιστεύειν ὅτι λήσει, κἂν μυριάκις ἐπὶ τοῦ παρόντος λανθάνῃ. Μέχρι γὰρ καταστροφῆς ἄδηλον εἰ λήσει.

Κατὰ μὲν τὸ κοινὸν, πᾶσι τὸ δίκαιον τὸ αὐτὸ, (συμφέρον γάρ τι ἦν ἐν τῇ πρὸς ἀλλήλους κοινωνίᾳ) κατὰ δὲ τὸ ἴδιον χώρας, καὶ ὅσων δήποτε αἰτιῶν, οὐ πᾶσι συνέπεται τὸ αὐτὸ δίκαιον εἶναι.

Τὸ μὲν ἐπιμαρτυρούμενον ὅτι συμφέρει ἐν ταῖς χρείαις τῆς πρὸς ἀλλήλους κοινωνίας τῶν νομισθέντων εἶναι δικαίων, τὴν

Quæcumque cupiditates ad nullum dolorem, licet non expleantur, deducunt, eæ neceſſariæ non ſunt, ſed appetentiam continent diſſolutam, *temerévé diffluentem*; quando vel difficilè explebiles ſunt, vel cauſæ etiam *alicuius* nocumenti *iure* reputantur.

Omnium rerum, quas ad beatè viuendum Sapientia comparauerit, nihil eſt amicitiæ poſſeſſione maius, *nihil uberius, nihil iucundius.*

Eadem ſcientia confirmauit animum, ne quod aut ſempiternum, aut diuturnum timeret malum, quæ perſpexit in hoc ipſo vitæ ſpatio amicitiæ præſidium eſſe firmiſſimum.

Ius, ſiue Iuſtum naturale eſt teſſera vtilitatis; *ſeu ea, conſpirantibus votis, propoſita vtilitas, vt homines* adinuicem neque lædant neque lædantur; *atque adeò ſecurè degant; quod naturâ duce quiſque expetit.*

Inter quæcumque Animalia conuenire non potuit, vt nec læderent, nec læderentur adinuicem; nulla eſt iuſti, aut iniuſti, *ſeu iuris, iniuriæve* ratio. Pari autem modo nulla *eſſe cenſenda* eſt inter eas nationes, quæcumque non potuere, aut noluere, vt adinuicem neque læderent, neque læderentur paciſci.

Iuſtitia per ſe (*& quatenus quidem id quod heic eſt iuſtum, illeic eſt iniuſtum*) nihil eſt; *ac in homine ſolitariè ſpectato reperitur nulla;* ſed duntaxat in mutuis hominum ſocietatibus, pro ea cuiuſque regionis amplitudine, in qua poſſunt pacta de non inferendo, accipiendóve nocumento iniri.

Iniuſtitia (*quatenus rurſus quod heic eſt iniuſtum, illeic iuſtum eſt*) non eſt aliquid ſecundùm ſe malum; eſt autem malum in eo metu, quo *exſtimulante conſcientiâ* ſuſpicatur quis, *veretúrque;* ne quæ iniuſtè patrata ſunt, animaduerſores ſcelerum non lateant.

Fieri non poteſt, vt qui clàm violauerit aliquid *iuris*, pactorúmve eò ſancitorum, ne quis faciat, patiatúrve iniuriam, ſecurus reddatur, vt facinus lateat. Scilicet quantumvis id millies impræſentiarum occultum ſit; incertum eſt tamen, an ad mortem vſque ſit futurum occultum.

Vniuersè quidem ius, *ſeu quod iuſtum eſt*, idem eſt apud omneis genteis (vtile nempe aliquid in ſocietate hominum mutua) verùm ſpectatis ſingulatim tum regionibus, tum cauſis *apud varias* variis, euenit vt non idem ius, *ſiue iuſtum*, ſit apud omneis.

Quod experientiâ comprobatur vtile eſſe ad mutuos vſus in ſocietate, *communive eorum participatione*, quæ eſſe iuſta reputantur, illud iuſti naturâ habet, ſi

tale

tale quidem ſit, vt vtilitas ad omneis attineat. Quod ſi tale quidem quis ponat, & contingat tamen, vt mutuò ſociatis vtile non ſit, id iam *veram* iuſti naturam non habet.

Tametſi interdum ex eo, quod fuerit iuſtum habitum, vtilitas excidat, ſi nihilominus interdum *vtilitas aliqua ſit, ac idcircò* ad prænotionem, *quæ habetur de iuſto*, congruat; id pro illo quidem tempore eſt iuſtum: *certè* apud illos, qui ſeſe inani loquacitate non confundunt, ac res humanas generaliùs perſpiciunt.

Vbi nullâ nouâ ſuperueniente rerum circumſtantiâ, ea quæ fuerant habita iuſta circa actiones hominum, deprehenduntur ad prænotionem *habitam de iuſto* non congruere: ipſa iuſta haudquaquam ſunt. Vbi verò nouatis rebus, ea, quæ fuerint decreta iuſta, eſſe vtilia deſierint; ea quidem illeic exſtitere iuſta, quanto tempore ad mutuam conciuium ſocietatem permanſere vtilia; deinceps verò ſtatim atque deſierunt eſſe vtilia, deſierunt ſimul eſſe iuſta.

Qui ſibi fiduciam, ſecuritatémque ex rebus externis, quâ optimâ ratione licer, cõparare aggreſſus eſt, is poſſibilia quidẽ paratu, tanquã à ſe non aliena quæſiuit: at impoſſibilia pro alienis habuit. Quin-etiã poſſibilium bene multa nõ attigit, ac ea omnia, quæ obtinere nihil fuit neceſſe, abdicauit.

Quibuſcumque plenã fiduciam, ſecuritatémque parare fas fuit ex ſocietate hominũ pari ſententiã, affectúque viuentium, ij firmiſſimo fretti pignore, quàm-ſuauiſſimè inter ſe vixerunt, ac pleniſſima neceſſitudine iũcti, præoptauere ſine lamẽtis, pro illo qui foret ad mortem deſtinatus, mortẽ ſubire.

τοῦ δικαίου φύσιν ἔχει. ἐὰν μὲν τὸ αὐτὸ πᾶσι γίνηται. ἐὰν δὲ τὸ αὐτὸ μὲν θῆται ὡς, μὴ ἀποβαίνῃ δὲ κατὰ τὸ συμφέρον τῆς πρὸς ἀλλήλους κοινωνίας, οὐκέτι τοῦτο τὴν τοῦ δικαίου φύσιν ἔχει.

Κἂν μεταπίπτῃ τὸ κατὰ τὸ δίκαιον συμφέρον, χρόνον δέ τινα εἰς τὴν πρόληψιν ἐναρμόττῃ, οὐδὲν ἧττον ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἦν δίκαιον, τοῖς μὴ φωναῖς κεναῖς ἑαυτοὺς συνταράττουσιν, ἀλλὰ πλεῖστα πράγματα βλέπουσιν.

Ἔνθα μὴ καινῶν γενομένων τῶν περιεστώτων πραγμάτων, ἀνεφάνη μὴ ἁρμόττοντα εἰς τὴν πρόληψιν τὰ νομισθέντα δίκαια ἐπ᾽ αὐτῶν τῶν ἔργων, οὐκ ἦν ταῦτα δίκαια· ἔνθα δὲ καινῶν γενομένων τῶν πραγμάτων, οὐκέτι συνέφερε τὰ αὐτὰ δίκαια κείμενα, ἐνταῦθα δήποτε μὲν ἦν δίκαια ὅτε συνέφερεν εἰς τὴν πρὸς ἀλλήλους κοινωνίαν τῶν συμπολιτευομένων, ὕστερον δὲ οὐκ ἦν ἔτι δίκαια, ὅτε μὴ συνέφερεν.

Ὁ τὸ θαρρεῖν ἀπὸ τῶν ἔξωθεν ἄριστα συστησάμενος, οὗτος τὰ μὲν δυνατὰ ὁμόφυλα κατεσκευάσατο τὰ δὲ μὴ δυνατά, καὶ ἀλλόφυλα ἡγήσατο. καὶ μὴν καὶ πολλοῖς δυνατοῖς ἀνεπίμικτος ἐγένετο, καὶ ἐξωρίσατο ὅσων τε οὐκ ἐλυσιτέλει κρατεῖν.

Ὅσοι τὴν δύναμιν ἔσχον τὸ θαρρεῖν μάλιστα ἐκ τῶν ὁμονοούντων παρασκευάσασθαι, οὕτω καὶ ἐβίωσαν μετ᾽ ἀλλήλων ἥδιστον, βεβαιότατον πίστωμα ἔχοντες, καὶ πληρεστάτην οἰκειότητα ἀπολαβόντες, οὐκ ὀδυρόμενοι εἵλοντο αὐτὸ τοῦ τελευτήσαντος προκαταστροφήν.

FINIS. ΤΈΛΟΣ.

PETRI GASSENDI AD LIBRVM DECIMVM DIOGENIS LAERTII NOTÆ.

Ad Epicuri Vitam.

PAG. 1. ℣. 1. ἘΠΙ͂ΚΟΥΡΟΣ Νεοκλέους. Quæ circa Epicuri Nataleis obſeruari hoc loco poſſent, ea pertractata fusè habentur inferiùs ſub Apologiæ initium. Quin-etiam quæ deinceps ſequuntur attinentia ad Vitæ ſeriem, Mores, Mortem, inſtitutionem Sectæ, Auditores, Succeſſores, Libros, & ſi qua ſunt eiuſmodi, ea copiosè adeò proſequuti ſumus, vt ſuperſit ſolùm heic loci attingendum, ſi quidpiam ad textus emendationem pertinens, illeic aut prætermiſſum ſit, aut non-niſi obiter inſinuatum.

℣. 26. Τῶν γραμματιστῶν. Expuncta heinc eſt, quæ intercipi ſolet vox Σοφιστῶν, cum particula καὶ, tum quia non exſtat in MSS tum quia apud Empiricum, à quo tota hiſtoria fuſiùs narratur, non legitur tum quia probabile non eſt, ſi fuiſſent Sophiſtæ ab Epicuro interrogati, futurum fuiſſe vt obmuteſcerent, ipſi potiſſimùm profeſſi poſſe ſe de omnibus rebus ex-tempore dicere; aut eum amandarent (vti amandatum Empiricus ait) ad Philoſophos; ipſi ſe præſertim ſolos ſapere, ſoloſque dignos eſſe nomine gloriantes.

PAG. 2. ℣. 5. ἶξαι, pro ἆξαι. Ita ſcilicet, tum ob MSS. tum quia Heſychius à quo pleraque deſcripta ea Laërtio ſunt, ſuo tempore ita legit; tum quia vox videtur ſenſui non-nihil magis congruere.

in Epic. ℣. eod. Τίμωνα. Addo, interpretando, *authorem*, vt fuit *Sillorum*, *ſeu maledictorum*, vt intelligamus Timonem nihil feciſſe inſolitum, cùm in Epicurum conuitia effudit; quippe qui effuderit etiam in omneis alios Philoſophos, opere illo *Sillis* inſcripto.

℣. 7. καὶ κύντατος. Legit Aldobrandinus καὶ ὕστατος, verùm præter metri rationem, refragantur tam editi, quàm MSS. Codices; ac prætereà ipſe Sillographi ſcopus.

℣. 16. ἐν τῷ δωδεκάτῳ, &c. adusque καὶ Διονύσιος,] pro ἐν τοῖς δώδεκα τῶν ἐπιγραφομένων Διοκλείου ἐλέγχων, ἅ ἐστι περὶ τ (vel vt MSS. habent τοῖς) κδ΄. Ita ſcilicet meliùs congruit; cùm alioquin tametſi velis δώδεκα βιβλία, quibus ἔλεγχοι continerentur, intelligere; neque conſtructio facilè pateat, neque dici facilè poſſit, quota fuerint τὰ δώδεκα, in quibus Diocles ſpeciatim de Epicuro dixerit, ex numero illo maiore.

℣. 34. Λεοντίῳ, pro Λεοντίῳ. Ita nimirum heic, & poſtea ob nominandi caſum Λεόντιον, de quo nuſquam ambigitur.

℣. 37. γνησίως αὐτῶν. Legendum fortaſſis, γνήσιον αὐτὸν, tum quòd in duo MSS. non αὐτῶν, ſed αὐτὸν legatur; tum quòd illud ipſi fortè exprobrari ab aliquo potuerit, quod Phaëtonti ab Epapho,

—— *Matri omnia demens Credis.* 1. Metam.

Verùm retinere lectionem nihil vetat, quatenus talis exprobratio ſatis ſolemnis Athenis fuit: (quippe cùm, vt nihil de cæteris dicam, non modò Antiſthenes ex Laërtio, ſed Themiſtocles etiam ex Plutarcho, quòd matre eſſet Thrace, habitus nothus fuerit) idque, cùm teſtante Ariſtotele, in quibuſdam ſolùm Rebuſpublicis, natum eſſe ſufficeret ex altero parente ciue, vt quis haberetur legitimus ciuis. Potuit verò in Epicurum anſa captari tantò faciliùs, quantò tum puer ex Samo redux, tum poſteà Lampſaco aduentans, habitus proinde à nonnullis Samius, ab aliis Lampſacenus fuit; vt in eius Apologia, ſeu libro de Vita, & Moribus primo breuiter inſinuauimus. lib. 7. in Them. 3. Polit. 1.

℣. 49. ἐπίπλωσας. Ita ex Suida, & meliùs quidem, quàm, vt vulgò ἐπίπλωσεν. Videtur porrò hic eſſe locus, quem Plutarchus ſubnotat, dum Καὶ γὰρ Ἐπίκουρος, inquit, ἐπὶ ταῖς τῶν φίλων ἐπιστολαῖς κροτοθορύβους γίνεσθαι παρ' αὐτῶν λέγων, ἀηδής ἐστι. *Eſt enim etiam Epicurus inſulſus, cùm occaſione acceptarum ab Amicis literularum, excitari ab ipſis tumultuarios applauſus ait.* cap. 1. in voc. Epic. lib. de audit.

℣. 51. Λεοντίας. Videtur nempe pro Λεόντιος, à nominandi caſu Λεοντεὺς, qui poſteà quoque legitur.

℣. 1. ἢ Θεμίστα. Ita videtur, pro καὶ Θεμίστα, Epiſtola quippe ad Themiſtam eſt. PAG. 3.

℣. 6. Θεόδωρος. Legit quidem Stephanus Θεόδοτος, ſed retineri tamen vox poteſt, quòd Theodorus eſſe potuerit vnus ex iis Stoïcis, quos hoc donatos nomine Laërtius in Theodoro ſcribit; & ex iis, quæ in Apologia ſatis copiosè deduximus, manifeſtum ſit Stoicos fuiſſe ex genio Sectæ Epicuri conuitiatores. lib. 2. lib. 3.

ψ. 11. Οὐ γὰρ ἔγωγε, &c. Locus hic apud Athenæum in hunc modum legitur: Οὐ γὰρ ἔγωγε δύναμαι νοῆσαι τἀγαθὸν, ἀφαιρῶν μὲν τὰς διὰ τῶν χυλῶν ἡδονὰς, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι᾽ ἀφροδισίων, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι᾽ ἀκροαμάτων, ἀφαιρῶν δὲ καὶ τὰς διὰ
ul. μορφῆς κατ᾽ ὄψιν ἡδείας κινήσεις. Interpretatio autem exſtat apud Ciceronem, eáque ipſa eſt, quam adhibui, niſi quòd cùm interpretatio vocis δι᾽ ἀφροδισίων deſit, ſuppleui illam gemina hac voce *complexu corporum*, ex eodem Cicerone, qui non multò pòſt iſta repetens, hæc habet: *Sed explanauit quid diceret, Saporem, inquit, & corporum complexum, & ludos, & formas eas, quibus oculi iucundè moueantur.* Retineri autem poſſe cenſui Laërtij lectionem circa has voces οὐ γὰρ ἔγωγε ἔχω τί νοήσω, quod Cicero quoque ſic legiſſe videatur, dum ad verbum ſic, *Nec equidem habeo quod intelligam.* Quin-etiam vocem χυλῶν, pro voce χειλῶν Athenæi non commutaui, quòd Cicero nomine *Saporis* eam reddiderit; ac ideò legi poſſe putaui μορφῶν, pro μορφῆς, quòd vbique apud Ciceronem multitudinis numero exprimatur. Quod ſupereſt, non videtur poſſe tam ſupplementum, quàm correctio huiuſce loci improbari; cùm in omnibus alioquin exemplaribus poſt vocem δι᾽ ἀφροδισίων, legantur hæc ſolùm καὶ τὰς δι᾽ ἀκροαμάτων, καὶ τὰς διὰ μορφῆς, & apud Heſychium etiam duæ poſtremæ voculæ (præter ſuperiorum tranſpoſitionem) deſint.

ψ. 17. τὸ ἀκάτιον ἀράμενος. Haſce addo voces, coniecturâ deſumptâ ex MS. antiquioris margine, in quo poſt vocem φεῦγε le-
lib. de aud. po. gitur, tanquam in ipſo texto deficiens, τὸ κατι δὲ ἐραεθρ, valde corruptè ſcilicet. Corrigo autem, reſtituóque ex Plutarcho, qui occaſione legendorum ab adoleſcentibus
lib. 2. Poëtarum, *An cogemus*, inquit, *ipſos* τὸ Ἐπικούρειον ἀκάτιον ἀραμένους ποιητικὴν φεύγειν; quo etiam modo aduerſus Coloten verba hæc leguntur, ἐπαραμένους τὰ ἀκάτια φεύγειν, &c. Videlicet quaſi ſolito Epicuro *nauigij velocis* Metaphorâ vti, ad innuendum quam oporteret velociſſimè *vale dicere* Liberalibus Diſ-
lib. 12. c. 2. ciplinis. Et quò res ſit minùs ambigua, Quintiliani verba hæc ſunt, *Nam imprimis nos Epicurus à ſe ipſe dimittit, qui fugere omnem diſciplinam nauigatione quam-velociſſima iubet.* Quod heic porrò legis, *omnem diſciplinam*, interpretationem agnoſcis illarum textus vocum παιδείαν πᾶσαν, quibus licet proinde intelligere illam celebrem ἐν κύκλῳ παιδείαν de qua libro toto Apologiæ poſtremo eſt dictum, quámque nomine τῆς φιλολογίας Martianus Capella intellexit in illo *de nuptiis*
de lib. pr. cap. 16. *Mercurij, Philologiæque opere*; ac videri poteſt Galenus nomine eodem intellexiſſe, conſcripto ſpeciali aduerſus Epicurum libro hocce titulo, εἰ φιλολογία χρήσιμος εἰς τὴν ἠθικὴν φιλοσοφίαν; *Sit-ne eruditio ad Moralem Philoſophiam vtilis?* Vbi quòd τὴν φιλολογίαν
13. famil. epiſt. 1. *eruditionem* interpretor, Cicero ipſe facit,
2. de nat. Deor. qui cùm in Epiſtolis Atticum commendet, quòd præter morem Epicureorum, ſit omni liberali doctrina politiſſimus; tum alibi eos, qui doctrinas, arteiſve huiuſmodi tenent, appellari eruditos dicit.

ψ. 28. συνδιαγωγήν. Ita habent MSS. tametſi nihil vetat retineri quoque vulgarem vocem σημαγωγήν.

ψ. 33. ὅτι ὑπὸ τῆς κλίνης κατιέναι. Viſum eſt huiuſmodi voces poſſe ex Suida interiici, quòd alterum ſit quaſi membrum exaggeratæ infirmitatis, ob quam exprobratum Epicuro eſt, non modò quòd impoſitus lecticæ, non poſſet ab ea exſurgere, vt in pedes ſtaret; ſed etiam, quòd decumbens, ne ſe quidem poſſet è lecto, vt ſellæ imponeretur, demittere.

ψ. 34. Μνᾶν ἡμερησίαν, Pari interpretatio non potuit, vt cùm *Minam, quæ dietim impenderetur verterim*, Minæ valorem monetâ noſtrâ æſtimatum adiicerem. Qui noſſe vollet, Attica mina nonaginta ſex drachmis valens, æquiparatur eius monetæ, quæ iam nobis in vſu eſt, libris Turonicis XXXV. cum ſolidis XIV. denariiſque Turonicis VIII. ſiue (ob maiorem aureorum conſtantiam) nummis Solatis VII. minùs octaua Solari parte: vt intelligi ex iis po- lib. 2.
teſt, quæ in Vita Peireskij ſatis copioſè deduximus.

ψ. 38. ἑταίρας τε ἄλλας, καὶ, pro ἑταίρας καὶ ἄλλας. Ita videlicet legendum non malè videtur coniicere Caſaubonus.

ψ. 43. λέγειν, καὶ ἀντιγράφειν, Fortè γράφειν, καὶ ἀντιλέγειν, quemadmodum adhibita Manu-ſcripto correctio habet: ac præſertim cùm ἀντιγράφειν non tam *contraſcribere*, quàm *reſcribere* ſit. Quòd ſenſus nihilominùs conſtare poſſit, nihil moueo.

ψ. eodem. ἄλλοις τε. Sic quippe videtur legendum, non ἄλλας; niſi quis omnia magis inuertens, addénſque particulam τῷ, legendum putet, ἐν αὐταῖς τε; καὶ ἄλλαις τῷ Ναυσιφάνει.

ψ. 49. τῆς ἀνδραποδώδους. Addo ad interpretationem *popularis auræ*; vt intelligatur Mancupij genus, quod iam olim ipſis Sophiſtis exprobrari ſolitum eſt.

ψ. 2. ἑαυτόν μου. Viſum eſt poſſe huiuſ- PAG. 4.
modi duas voculas interſeri, ne fieri anſa pergeret exiſtimandi Epicurum habitum fuiſſe Nauſiphanis non diſcipulum, ſed magiſtrum.

ψ. 3. Πλεύμονά τε αὐτὸν ἐκάλει, Addo ad interpretationem *quaſi ſenſus expers foret*, idque authore Empirico, cuius verba ſunt, τὸν πλεύμονα καλῶν τὸν Ναυσιφάνην, ὡς ἀναίσθητον, *Nunc Pulmonem Nauſiphanem, quaſi ſenſus expertem vocans.*

ψ. 6. Πλάτωνα χρυσοῦν, Addo *quaſi faſtuoſum* ob faſtum, quem conſtat obiectum Platoni; ac non modò quidem à Diogene, & aliis, ſed à Comico Ephip- lib. 11.
po præſertim, qui apud Athenæum Platonem, & quoſdam eius familiareis taxauit, quòd cætera inter, veſtitu ſumptuoſo, cultúque propemodum laſciuiores forent; cùm & quis poſſet exiſtimare non eſſe id alienum ab eo, quòd in Theæteto illum Plato carpit, qui neſciat ingenuè, ſcitéque veſtem induere; neque item ab eo, quòd apud eundem Athenæum φιλόδοξος ibid.
gloria appetens habitus, dixiſſe fertur *ſe vltimam*

mam gloriæ tunicam in morte exuturum. Fortè autem χρυσοῦς ſpecietim eſt dictus, quaſi in ipſummet retorquendo ſcomme, quo Gorgiem ob ſtatuam ſui auream Delphis conſecratam impetiit, dum accedentem conſpi-
ibid. ciens, *venis ad nos*, inquit, καλός τε, καὶ χρυσοῦς Γοργίας, *pulcher, & aureus Gorgias:* quod idem rurſùs Athenæus ex Hermippo refert.

lib. 8. ℣. 7. λεπτοχίλων ἄρωτον. Non meminit vocis huius Athenæus; tametſi intelligi poſſit ex ſequentibus, ſed deſumpſit locum
cap 3. ex Epiſtola περὶ ἐπιτηδευμάτων, nóſque ex ipſo retulimus libro 5. Addo heic ſolùm viſum eſſe ad vocem καταφαγόντα, debere accedere particulam ὡς.

ibid. ℣. 9. φορμοφόρον. De hac quoque voce eodem libro dictum aduerſus Caſaubonum. Addo iam ſolùm eius lectionem ex Athenæo confirmari.

ibid. ℣. 10. χειδία Δημοκρίτου. Præter allata eodem libro ad probandum legi debere Δημοκρίτου, non Δημόκριτον, adhiberi poteſt Manuſcriptorum fides.

℣. eodem. ἐν κώμαις, habet Athenæus, ἐν κώμῃ τινί.

loc. cit. in Epic. ℣. 11. Ἡράκλειτόν τε κυκητὴν Legit Heſychius μιμητὴν, cùm Heraclitus tamen nihil videretur minùs aut fuiſſe, aut haberi vo-
lib. 9. luiſſe, quàm alicuius imitator, ſcilicet profeſſus, vt Laërtius habet, ἀκοῦσαι τε οὐδενὸς, καὶ μαθεῖν πάντα παρ' ἑαυτοῦ, *Neminem audiiſſe; didiciſſe verò ex ſeipſo omnia.* Fuit porrò Heraclitus etiam à Timone Κυκητὴς dictus (tametſi in quibuſdam editionibus κυκηστὴς, & κοκκυστὴς habeatur) illo carmine, quod apud
ibid. Laërtium,

> Τοῖς δ' ἔνι κοκκυστὴς ὀχλολοίδορος Ἡράκλειτος
> Αἰνικτὴς ἀνόρουσε. ———
> *Confuſor, turbaque Heraclitus reprehenſor,*
> *Ambigue ludens, hiſce inſtitit.* ———

Et teſtatur quidem Laërtius Timonem hiſce verſibus reſpexiſſe ad illam, quâ liber ipſius conſcriptus fuit, obſcuritatem; talem ſcilicet, ob quam liber dictus fuerit à Socrate, Delio egere natatore, & ipſe Heraclitus fuerit cognominatus σκοτεινὸς *Tenebricoſus*, euaſeritque adeò, vt Lucretius ait,

> *Clarus ob obſcuram linguam, magis inter inanes,*
> *Quàm de grauis inter Graios, qui vera requirunt:*
> *Semper enim ſtolidi magis admirantur, amántque,*
> *Inuerſis quæ ſub verbis latitantia cernunt.*

Verùm, cum additamento ad interpretationem facto id poſtremo loco expreſſerimus; rum videtur Timon potuiſſe ad illud quoque reſpicere, quod ſecundo loco inſinuauimus, quódque Plutarchus fuſiùs recenſens ſcribit,
lib. de Garrul. *Heraclitum, cùm fuiſſet rogatus à ciuibus, vt quampiam de concordia ſententiã ediſſereret, nihil aliud, quàm conſcenſo ſuggeſtu aquam in calice ſumpſiſſe, inſperſiſſe ipſi farinam, commiſcuiſſéque pulegio, ac potione ſumpta abiiſſe: documento ipſis relicto, fore, vt ciuitates pacem, concordiámque tuerentur, ſi ea ſatis eſſent, quæ facilè occurrerent neque ſumptuoſa requirerentur.* Præmiſimus autem potuiſſe etiam Heraclitum κυκητὴν vocari, quòd ſtatuerit omnia eſſe, in continuo fluxu (quam ex illo ſententiam Cratylus mutuatus fecit celebrem) ſic in con- apud Plat. fuſione, commiſtionéve perpetuâ, ob quam nihil vnum appellari conſtanter poſſet, ac ſola proinde rerum omnium ſumme vna foret, ſcribente Ariſtotele feciſſe illum τὰ ὄντα πάντα 1. Phyſ. 2. τῷ λόγῳ ἕν, *Entia omnia ratione vnum*; & iocante Luciano, quòd iuxta ipſum ἔμπεδον οὐδὲν, ἀλλ' ὡς ἐς κυκεῶνα πάντα συνειλεῖται, *nihil ſtabile ſit, ſed omnia quaſi in quemdam cinnum, miſcellámve continuò voluantur.*

℣. 12. Δημόκριτον Ληρόκριτον. Legitur vulgò Ληρόκριτον, quaſi ille tempus triuerit in nugis; ſed legere præſtat cum Heſychio Λημόκριτον, quaſi Democrito exprobretur illa cæcitas, quam feciſſe ſibi ille dicitur, vt Naturæ ſecreta rimaretur attentiùs; aut ſaltem caligo (vndecumque contigerit) quâ ipſum laboraſſe conſtat, vel ex illo Ciceronis loco, *De-*
mocritus luminibus amiſſis, alba ſcilicet, & atra 5. Tuſc. *diſcernere non poterat: at vero bona, mala; æqua, iniqua; honeſta, turpia; vtilia, inutilia; magna, parua poterat; & ſine varietate colorum licebat viuere beatè.*

℣. eod. Ἀντίδωρον Σαννίδωρον, Sic nempe legendum exiſtimat Iunius; cùm alioquin legenti, vt vulgò fit, Σαννίδωρον, commodus nullus ſenſus occurrat.

℣. 13. Τούς τε Κυζικηνοὺς. Verecundè ſanè, pro Κυζικηνοὺς, quod immutatio nimia videatur; ſed vt prætercam attendenti ad characteres non videri nimiam; dici aliunde non poſſe puto, quinam fuerint illi Cyziceni Philoſophi, quos Epicurus impetierit; cùm extiterint tamen inſtituti ab Ariſtippo Cyrenaïci, à quibus circe Voluptatem variis modis diſſenſerit, vt declarandum inferiùs eſt, & attigimus citato iam libro. cap. 3.

℣. 14. Διαλεκτικοὺς. Addo ad interpretationem, *Megaricós-ve*, vt intelligantur non qui vniuerſè profitentur Dialecticam, ſed ſpeciatim Philoſophi ab Euclide inſtituti, & tam ab eius patria Megarici, quàm à genio Sectæ Eriſtici, ſiue Contentioſi, & Dialectici dicti.

℣. 17. Τοῦ γὰρ ἀνδρὸς. Nimirùm ita potiùs, τοῦ δ' ἀνδρὸς videtur legendum; veſtigium verò emendationis ex MSS. habeo, in quibus legitur τῶν γὰρ ἀνδρῶν; non videtur autem incongruè vox εἶπεν præterea ſtatim adhiberi.

℣. 30. διαπιδύουσα, Ita videtur pro διαλύουσα, quæ ex voce nullus cohærens elicitur ſenſus.

℣. 5. διῃρημένως pro διῃρημένους. Ita ſcilicet PAG. 5. magis congruit; & interpunctione quidem conſequente, ac præcedente vocem κοτύλας, quam dictum eſt libro ſexto licere ex Athe- cap 3. næo interpretari *heminam*, quæ Romanis eſt dimidium Sextarij, duodecimáve Congij pars, neque à Pariſino ſemiſextario multùm differt.

℣. 10. κοινὰ τὰ τῶν φίλων. Deeſſe videtur vox πάντα, quando Cicero, Terentius, & alij tri- 1. Offic. tum dicunt Adagium, *Amicorum eſſe omnia communia* Sed Græcorum tamen mos fuit, dicere κοινὰ τὰ τῶν φίλων, veluti ex Euripide, Plutarcho, & aliis conſtat; ex quibus, & quia in Oreſte 2. vulgò effertur, τὰ τῶν φίλων κοινὰ, vocem τῶν inter- aduerſ. Col. ponendam cenſui. Additamentum autem ad

interpretationem factum, præſtare videtur, ne ratio, vt breuiter, ita obſcurè enuncietur.

ỳ. 15. τυρῦ κυθνειδίυ, pro τυρῦ κυθρειδίυ, Nimirùm quaſi litera ρ, coalitione facta ob liquidam ρ, potuerit euaneſcere, ac reſtituta indicet caſeum afferri ſolitum ἐκ ϛ̃ κυθήρυ,
ibid. quod oppidum fuit Pādionidis Tribus in eodem agro Athenienſi, vt eodem libro atógimus. Porrò cùm ibidem inſinuatum ſit *Menagium* noſtrum pro κυθειδίυ, legere ἐκ Γυθίυ, quòd Lucianus meminerit caſei ἐκ Γυθίυ allati; ſignificauit idem poſteà poſſe quoque legi ἐκ Κύθνυ, ſeu τυρῦ Κυθνίυ, quod *Stephanus de Vrbibus* eius mentionem fecerit; adiecitque *Iſaacum Voſſium* tanto parente dignum filium cenſere legendum eſſe χυθειδίυ, quaſi Epicurus petierit ex caſeo in ollis ſolito aſſeruari; aut etiam χυδαῖυ, quo ſenſu dicitur χυδαῖ@ ἄρτ@, *viliſſimus panis.*

ỳ. 16. τὴν ἡδονὴν εἶναι τέλ@ δογματίζων. Hoc de Dogmate dicendum inferiùs; intereà verò, adnotari eius occaſione heic poteſt, diſtichon illud Petroniani Epigrammatis vltimum, quod ex antiqua editiooe in hunc modum legitur,

Ipſe pater veri doctus Epicurus in arte
Iuſſit, & hoc vitam dixit habere τέλ@.

ſic Eruditos exercere, vt alij legendum cenſeant, *doctus Epicurus in arce*; alij, *doctrina Epicurus in arce*; alij, *doctus Epicurus amare*; alij, *doctos Epicurus amare Iuſſit, & hanc vitam dixit habere Deos*, &c. Enimverò, quod ſpectat quidem ad carmen Pentametrum, nihil videri immutandum; cùm vel ex iſto contextus loco conſtet Epicurum δογματίζειν τὴν ἡδονὴν εἶναι τέλ@, ac repetatur poſteà non ſemel, ipſam τέλ@ εἶναι ϛ̃ μακαρίως ζῆν, & aliunde dici non poſſit quis vnquam, etiam obtrectatorum, Epicuro tribuerit, vt exiſtimárit eſſe apud Deos illam ſeu vitam, ſeu voluptatem, quâ de illeic agitur. Quod attinet verò ad Hexametrum, poſſe illud fortè ſic legi,

Ipſe pater veri doctus Epicurus in Hortis.

Nempe immutatio non magna, *doctus* pro *doctus*, *hortis* pro *arte*; & res aliunde non modò quadrat cum eo, quod in Hortis Epicurus docuit, ſed etiam penè iudicatur illo Propertij diſticho,

eleg. 21. ad Cinth. *Illeic vel ſtudiis animū emendare Platonis*
Incipiam, aut Hortis, docte Epicure tuis.

quippe *doctis Hortis*, pro *docto Epicuro* Metonymicōs appellatis; eo modo, quo idem Propertius Elegiam ſic inchoat,

Magnum iter ad doctas proficiſci cogor Athenas.

Quanquam hæreſcendum in iſtis non eſt.

ỳ. 23. Τῆς φύσεως δ᾽ ὁ πλῦτ@. Iſtam vnam eſſe ex Ratis Epicuri Sententiis ſuo loco videbitur. Adſcribo heic ſolùm ob hæc carmina, carmen itidem ex Solone, quod Plutar-
lib. de am. diuit. chus refert in eandem ſeotentiam,

Πλύτυ δ᾽ ὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνθρώποισι.
Finis opū apparens nō eſt Mortalibus vllus.

ỳ. 39. Ανσιφάνης, pro Ναυσιφάνης Ita ſcilicet Baſileenſis, Romanáque editio, ac adhibita alteri MSS. correctio. Vt prætercam, quòd paulò pòſt Epicurus dicatur ἀκῦσαι Ναυσιφάνυς, nihil eſſe neceſſe eandē heic vocem legi.

ỳ. 41. Εὐρύδικον. Fortè Εὐρύλοχον ex recentiore MS. & quod Epicuri liber fuerit ioſcriptus Εὐρύλοχ@, verùm res incerta, & perparùm refert.

ỳ. 4. ποτὲ δὲ Τυσιάνοι, καὶ Εὖ διάγειν. Haſce Pag. 6.
voces interſero, tum ex Luciano, tum ex ipſomet Laërtio in vita Platonis. Pro voce au- de lapſu
rem ἄειρον, repouo ἀσεβάτως, immutatione int. ſalut.
ſatis iuſigni; ſed & vocem tamen Lucianus lib. 3.
inſinuat, & excogirandum quidpiam ſimile ſuggerit ſenſus neceſſitas; vt conſtare poteſt ex iis, quæ fuſiuſculè dicta ſuot libro cap. 10.
ptimo.

ỳ. 7. ἐν ϛ̃ Ναυσιφάνης Τρίποδ@; Quare *Tripodem* interpreter *librum* hocce titulo, dictum iam exſtat libro quinto. Addo heic ſolùm cap 2.
potuiſſe illi titulum tribui huiuſmodi aut ob idem triplex, de quo Epicurus in Canoue agit Criterium; aut alia ſimili ex cauſa.

ỳ. 14. ϑ̍ ἐννάτης. Ita habent MSS. loco literæ numeralis ϑ' vulgò adhibitæ, ac idem valentis. Prætereo heic autem, quod adnotatum eſt libro primo reponendum eſſe apud Sui- cap. 2.
dam ρϑ', vt indicetur eadem, quæ heic Olympias CIX.

ỳ. 22. καὶ εἰκοστῆς. Vocem ſuppleo ex MSS. (cùm abſit tamen ab editis) vt Olympias, non centeſima ſanè, ſed vigeſima ſepóma, ſupra centeſimam colligatur.

ỳ. 25. Ἀγεμάρχυ. Habet MS. vetus Ἀγεμάρχυ.

ỳ. 38. ἄλσεν. Ita videtur planiùs ex Baſileenſi editione, & ex Stephano; cùm Aldobrandinus, ac MSS. pro hac voce habeant σφῦν@, ac Heſychius etiam; qui rurſùs videtur appoſitè minùs habere χαλεπὴν, pro eo, quod omnia Laërtij exemplaria habent θερμὴν.

ỳ. 46. διατίθεμαι. Verbum hoc ſuppleo, potiuſquam voces κατὰ τάδε expungo, quæ poſſent alioquin propter vocem ὧδε antecedentem, videri ſuperfluæ. Saltem vocem τάδε retinēdam eſſe, indicant illæ formulæ obſeruatæ in Teſtamentis per ea tēpora conditis, & ferè apud vnum Laërtium aſſeruatis. Nam Plato lib 3.
quidem ita occœpit: Τάδε κατέλιπε Πλάτων, καὶ διέθετο, *Hæc quidem reliquit, & Teſtamento cauit Plato.* Ariſtoteles verò ſic, Ἔσαι μὲν εὖ, lib. 5.
ἐὰν δέ τι συμβαίνῃ, Τάδε διέθετο Ἀριστοτέλης. *Bene quidem,* opinor, *erit; ſed ſi humanitùs quid contingat, iſthæc ſunt, quæ Ariſtoteles Teſtamento ſanxit.* Et Theophraſtus, Ἔσαι μὲν εὖ, ἐὰν δέ τι συμβῇ, Τάδε διατίθεμαι, *Bene, opinor erit; ſed ſi quid contingat, hæc ſunt, quæ teſtando conſtitui.* Strato autem, Τάδε διατίθεμαι, ἐάν τι πάσχω, *Si quid patiar humanitùs, hæc ſunt, quæ ſuprema voluntate ſtatuo.* Lycon denique, Τάδε διατίθεμαι περὶ τῶν κατ᾽ ἐμαυτὸν, ἐὰν μὴ δυνηθῶ τὴν ἀῤῥωστίαν ταύτην ὑπερσχεῖν, *Niſi ex hoc morbo conualuero, hæc de bonis meis extrema diſpono.* Quibus omnibus in Exempliſcernere licet & vocem Τάδε, & verbum διατίθεσθαι. Notandum verò circa ea verba, quæ ex Theophraſto relata ſunt repoſuiſſe me διατίθεμαι, pro eo, quod vulgò legitur, διατιθέμεθα, quod verbum hac voce noo transferatur ad actionem teſtandi. Et poteram quidem etiam reponere διατίθεμαι; quod Strato, & Lycon vſurpârunt; ſed permouit tamen ipſa terminatio; itémque, quod Plato, & Ariſtoteles verbum vſurpaſſent

vſurpaſſent eodem tempore, & deinceps alij vſurparint eâdem perſonâ, vt nomine Titiæ
l. 37. §. 7. ff. de legat 3. honeſtiſſimæ fœminæ Callimachus ille, cuius Scæuola meminit, Τιτία ἀνδρίμῳ, &c. & D. Gregorius Nazianzenus ſuo libro celebri teſtamento, ἀνδρίμῳ τὴν διαθήκην ταύτην, &c. At quamobrem etiam vox καὶ retenta in Epicuri Teſtamento? nempe tum ob fidem omnium Codicum, tum quia illa ſpectare poteſt ad aliquantulam varietatem, qualem in præmiſſis obſeruare licet; tum quia phraſis attendi poteſt in ſubſcriptione vnius teſtium, qui ſancto illi Patri teſtanti adfuerunt. Is quippe nomine *Optimus*, adfuiſſe ſe dicit Reuerendiſſimo Gregorio διατιθεμένῳ καὶ τὰ προγεγραμμένα, *teſtanti iuxta anteſcripta*.

Pag. 7. ꝟ. 9. Ἀμυνομάχῳ, καὶ Τιμοκράτει. Voces tranſpoſitæ; quòd præcedentes alioquin τὸ καὶ ſenſum nimis turbatum faciant.

ꝟ. 10. πρίτῳ. Habent MSS. δωτείτῳ.

lib. 1. c. 6. in lex. ꝟ. 15. τὴν ἐν Μελίτῃ. De hoc oppido in Apologia dictum. Fuiſſe autem illud Cecropidis Tribus, confirmat Harpocration, atque ex Philochoro nomen id ſortitum à Melite, filiâ, iuxta Heſiodum, Myrmecis, iuxta Muſæum, Apollinis. Vt ex hoc autem nomine conati fuerimus ſanare deprauatum locum in Epiſtolis Ciceronis ad Atticum, repetendum haudquaquam eſt.

ꝟ. 22. καὶ τὸ δυνατόν. Habent has voces Stephanus, & corrector veteris MSS.

ꝟ. 27. ἔστι δὲ. Ita videlicet pro ὥστε legendum cenſet Caſaubonus. Poteſt verò lectio
2. de fin. confirmari ex Cicerone, qui poſtquam ea, quæ præcedunt hiſce verbis commemorapit: *Quæro autem, quid ſit, quòd tam accuratè caueat, & ſanciat, vt Amynomachus, & Timocrates hæredes ſui de Hermachi ſententia dent, quod ſatis ſit ad diem agendum natalem ſuum quotannis, menſe Gamelione?* tum ea, quæ ſequuntur copulat, ſubiicitque hoc modo: *Itémque omnibus menſibus, viceſimo die Lunæ, dent ad eorum epulas, qui vnà ſecum philoſophati ſunt, vt & ſui, & Metrodori memoria colatur?* Quo aliunde ex loco obiter intelligitur, quamobrem τὴν γινομένην σύνοδον, interpretatus fuerim *epularem conuentum*; & illud ἑκάστου μηνὸς τῇ εἰκάδι, acceperim de *viceſimo omnibus menſibus die Lunæ*.

Pag. 8. loc cit. ꝟ. 29. πρὸς Ἰδομενέα. Legit Cicero πρὸς Ἕρμαρχον, cùm Epiſtolam referens ipſi illud adſcripſit, *Epicurus Hermacho S.* non repeto
cap. 2. verò rationes libro ſecundo iam deductas, ad declarandum eam fuiſſe potiùs ad Idomeneum, quàm ad Hermachum ſcriptam: adnoto ſolùm, interpretationem totam ex Cicerone eſſe; niſi quòd propter vocem ὑμῖν, vox interpoſita eſt, *vobis*.

ꝟ. 41. σφόδρα ἐλλόγιμον Μητρόδωρον Λαμψακηνόν. Textus vulgò habet, σφόδρα δὲ ἐλλογίμους Μητρόδωρον Ἀθηναῖον, καὶ (MSS. ὁ) Τιμοκράτην, καὶ Σάνδην Λαμψακηνούς. Expunctionis
cap. 8. cauſa eſt fusè in primo Apologiæ libro deducta. Cur autem legam ἐλλόγιμον, pro ἐλλογίμους, cauſa eſt, tum quòd Metrodorus reuerâ celeberrimus omnium Epicuri diſcipulorum fuerit; tum quòd tametſi alij ſubinde recenſendi fuerint quoque ἐλλόγιμοι, nimis tamen multa de Metrodoro interponuntur, vt intelligi valeant hocce accuſandi caſu comprehenſi. Et certè peracta Metrodori mentione, non ſequitur, καὶ Πολύαινον, vt neceſſe foret; ſed, Ἦν δὲ καὶ Πολύαινος.

ꝟ. 47. πρώτῳ Τιμοκράτει. Videtur prorsùs, non Τιμοκράτης, vt intelligatur non aliquis Author, ſed tertius librorum, quos Epicurus hoc nomine inſcripſit. Eadem nempe de cauſa etiam ſtatim pòſt legitur ἐν τῷ πρώτῳ Μητροδώρῳ.

ꝟ. 8. ἄγοντα, pro ἄγοντας, Nimirùm, vt Pag. 9.
intelligatur Metrodorus fuiſſe, qui obierit annum agens ætatis LIII. cúmque ſeptimum ante obitum Epicuri. Nihil verò neceſſe eſt rem comprobare ex loco Plutarchi, quem libro ſecundo iam induximus circa Metro- cap. 3.
dori, & Epicuri vitam cum vita Alexidis Comici, & Gorgiæ Sophiſtæ collatam.

ꝟ. 12. εἰργῶν τινά. Ita lego, non οἰκῶν, fretus MSS & Baſileenſi editione; ac ſimul ſtatim, ὁ Μητρόδωρος, pro τὸ Μητροδώρου, vt intelligatur Metrodorus habuiſſe fratrem nebulonem nomine Timocratem; illum ſcilicet inter Epicuri conuitiatores numeratum. Legere certè οἰκεῖον, quaſi Epicurus illum contubernalem habuerit; neſcio an ſatis congruat cum ipſa enumeratione τῶν ἐλλογίμων μαθητῶν cúmque eo, quod Seneca non il- Epiſt. 6.
lum perinde, ac duos ſequenteis, Polyænum, Hermachúmque Metrodoro accenſet.

ꝟ. 28. καὶ μαθημάτων Ita nimirùm, non μαθητῶν legendum Caſaubonus cenſet.

ꝟ. 46. καὶ ἄλλος Ἐπίκουρος ἀρχῶν. Neſcias quamobrem Laërtius heic omiſerit filiū Metrodori, cuius mox antè facta mentio in Teſtamento fuerat. Nam quòd alioquin reticuerit alios, quos Thucydides, & Plutarchus memorant, cauſa eſſe potuit, quòd eos ignorârit.

ꝟ. 7. καὶ Καρνεάδης. Suppletur particula Pag. 10.
καὶ ex MSS. neque additur verò abs re; nam præter Carneadem eadem de Chryſippo teſtatus eſt Appollodorus Athenienſis, cap. 5.
referente ipſo Laërtio, quod & retulimus libro primo.

ꝟ. 8. χαίρετο. Videtur pro χαίρειν, quanquam legi etiam poteſt, (vti ab aliquibus fit, χαίρε) vt ſit idem optandi modus; niſi quòd is obſcurior ſit, ac potiſſimum ob ſequentem eadem voce Infinitiuum.

ꝟ. 52. ἀδιάφθορον. Habent MSS. ἀδιάφθαρτον, ſed ſenſus eſt planior, ob τὸ ἐπελθεῖν antecedēs.

ꝟ. 14. καθάπερ. Legit Caſaubonus ex Galeſio ἅπερ, ſed ſenſus nihilominùs conſtat.

ꝟ. 22. Περὶ εἰδώλων, καὶ φαντασιῶν. Ita eſſe legendum cenſeo, pro περὶ αἰρέσεων, περὶ φυτῶν, nam tractatio quidem de Plantis fuit argumenti ſpecialioris, quàm vt Epicurus videatur quidpiam ſimile attigiſſe præter ea, quæ ſpectant ad Meteora, ſeu res ſublimeis, ex quibus metus, perturbatióve quæpiam impendet, prout eodem libro iam attigimus. Quòd facilis autem fuerit com- cap. 10.
mutatio vocis φαντασιῶν in vocem φυτῶν, notius eſt, quàm vt dici debeat. Heinc, cùm poſſet etiam legi, περὶ αἰρέσεως, καὶ φυγῆς, vt

ibidem dictum; placet tamen lectio propter id veſtigium, & quia paulò pòſt genus Philoſophiæ Ἠθικὸν, quod à nominibus aliorum librorum dicitur περὶ βίων, ac præterea περὶ τέλους, perhibetur dici quoque περὶ αἱρετῶν, καὶ φευκτῶν, & probabiliſſimè quidem, à titulo huiuſce libri. Addo vocem περὶ interceptam commotatam in vocem καὶ facto ex MSS. in quibus vnà habetur, veſtigio. Denique, qui titulum περὶ αἱρέσεων interpretati ſunt *de Sectis*, potiuſquàm *de Electionibus*, eligendive rationibus, non videntur ſatis attendiſſe ad ea, quæ illicò pòſt circa partitionem Philoſophiæ ſequuntur.

ỽ. 24 Περὶ βίων Addo ad interpretationem, *ſeu vitæ inſtituendæ rationibus*; quòd aliqui ſiot, qui exiſtiment, fuiſſe iſtos libros Hiſtoricum opus, quaſi Epicurus conſcripſerit Vitas, eo modo, quo deinceps Plutarchus; cùm totus potiùs fuerit in tradendis vitæ rectè inſtituendæ præceptis, vt citato rurſùs Ibid. libro ioſinuatum eſt.

Ibid. ỽ. 34. Περὶ νόσων δόξαι. Ita quoque exiſtimo, potiuſquàm περὶ νόσων, nam ob recitatas eodem libro cauſas, non tam videtur Epicurus collegiſſe opiniones dè Ventis Aoſtralibus, quàm propoſuiſſe moraleis Sententias leniendis morborum moleſtiis idoneas, cuioſmodi eſt trita illa, cùm de dolore loquens, *Si longus*, inquit, *levis; ſi magnus brevis: aut ſolvetur, aut ſolvet*, &c.

ỽ. 37. Συντομίαν. Cur vox magis placeat, qoàm quod viſum Caſaubono eſt, legendom eſſe ἐπιτομὴν, facit veſtigium vocis μίαν, quæ apud omneis Codices exſtat. Qui primi certè ſolam hanc poſteriorem vocis partem retinendam exiſtimârunt, feciſſe videntur ob præcedentem vocem Ἐπιστολαὶ quaſi Laërtius deinceps τῶν Ἐπιστολῶν μίαν referendam ſuſciperet; vtcumque in promptu foret videre illarum non vnam, ſed treis ſuſcipi referendas. Quanquam & legi ἐπιτομὴν poſſe non diffiteor, maximéque oh verbum ἐπιτέτμηται, quo ſtatim vtitur Laërtius.

ỽ. 41. ὅτι σε πανταχόθεν καταμαθεῖν, &c. Alloqoitur haud-dubiè Laërtius hoc loco eandem Fœminam, quam & libro tertio Platonis Philoſophiam paucis complexurus, affatur his verbis: Φιλοπλάτωνι δέ σοι δικαίως ὑπαρχούσῃ, καὶ παρ' ὁντινοῦν τὰ τοῦ φιλοσόφου δόγματα φιλοτίμως ζητούσῃ, ἀναγκαῖον ἡγησάμην ὑπογράψαι καὶ τὴν φύσιν τῶν λόγων, καὶ τὴν τάξιν τῶν διαλόγων, καὶ τὴν ἔφοδον τῆς ἐπαγωγῆς, ὡς οἷόν τε, στοιχειωδῶς, καὶ ἐπὶ κεφαλαίων, πρὸς τὸ μὴ ἀμοιρεῖν αὐτὴν τῶν δογμάτων τὴν περὶ τοῦ βίου συναγωγήν. γλαῦκα γὰρ εἰς Ἀθήνας, φασὶν, εἰ δέοι σοι τὰ κατ' εἶδος διηγεῖσθαι. *Tibi verò iure Platonem amanti, & placita Philoſophi huius præ quocunque alio, ſtudioſiſſimè requirenti, neceſſarium duxi, quantum quidem licet, ſummatímque, & per capita ob oculos ponere, tum ratiociniorum naturam, tum dialogorum diſpoſitionem, tum introductionem, quâ eius placita inducuntur; idque ne aliquid circa placita, ad ea quæ circa vitam congeſta iam ſunt, non accedat. Nam alioquin hæc ipſa tibi ſpecialiùs ediſſerere, eſſet, quod aiunt, Noctuas Athenas.* Quibus quidem ex verbis ratio petitur, cur vocula σε intellexerim Fœminam, & interpretando, *ſtudioſiſſimam bonarum rerum*, addiderim. Notandum verò obiter, quòd Laërtius, & Epicurum circa mores purgaoerit, & capita doctrinæ illius ſatis ſtudioſè retulerit, non poſſe idcircò Laërtium, quaſi ab Epicuri potiùs, quàm alterius Philoſophi partibus ſteterit, videri ſuſpectum; quando non modò circa Platonem, ne de aliis dicam, idem præſtitit; ſed dixit etiam hanc fœminam *meritò*, δικαίως, Platonem, ſeo Platonis mores, doctrinámque amare.

ỽ. 46. περὶ μετεώρων. Interpretor *Sublimia, ſeu ſuper-terrena*, quoniam hac voce comprehenduntur, quæcumque ſurſùm viſuntur, aut fiunt, hoc eſt, tam Nubes, Fulgura, & alia, quæ contingunt in Aëre, & iam μετέωρα vulgò appellantur, quàm Luoa, Sol, Srellæ, Eclipſes, & alia, quæ in Cælo obſeruantur, ac dicta ſunt pleriſque antiquorum μετέωρα; veluti cooſtat potiſſimùm ex Plutarcho, & Achille Tatio; ne de Cleomede quid memorem. Comprehenduntur, 3.Plac. in Phæn. inqnam, ex mente Laërtij; nam alioquin ioxta citatos authores, τὰ μετέωρα ſolummodo ſont, quæ contingunt à Luna deorſùm; ἀπὸ τοῦ κύκλου τῆς σεληνιακῆς καθήκοντα μέχρι πρὸς τὴν θέσιν τῆς γῆς, ſeo in Aëre, μεταξὺ τοῦ πυρὸς, καὶ τῆς γῆς, continétque eam Phyſiologiæ partem, quam Ariſtóteles, iis repu- 1.Meteor.1. gnans, μετεωρολογίαν appellatam dicit.

ỽ. 5. Ἐφόδους εἰς τὴν πραγματείαν. Inter- Pag.12. pretor, *Introductiones ad opus, Philoſophicámve exercitationem*: qnoniam Κανόνες, ſeu Regulæ in Canonica traditæ, quaſi facem præferunt, dirigúntve mentem inter philoſophandum; vnde & in examine rerum crebra ad ipſas prooocatio eſt.

ỽ. 13. τὸ Κανονικὸν ὁμοῦ τῷ φυσικῷ. Id conſonat verbis mox antè adnotatis ἐφόδους εἰς πραγματείαν, ſcilicet cùm Canonica haberetur veluti quædam introdoctio ad Phyſicam; Ideò non ſolebat ab illa ſeiungi, ſed quaſi procemium aliqood præmitti. Conſtare res poteſt vel ex ſequente ad Herodotum Epiſtola; quatenos, eùm illa habeatur quaſi compendiom Phyſicæ, continet initio, & ab ipſa ſtatim Præfatione, Tractatiunculam, qoæ ſit Canonicæ velori compendium. Rem adnotauit Seneca, dum verhis paulò antè citatis, *alio nomine Rationalem induxerunt*, iſta ſubiicit; *ſed eam eſſe acceſſionem Naturalis partis exiſtimant.* Empiricus aotem occaſionem heinc ſumpſit declarandi qno ordine Philoſophiæ partes ab Epicureis tractentur, Τὰ γὰρ Κανονικὰ, inqnit, πρῶτον ἐπιθεωροῦν, περί τε ἐναργῶν, καὶ ἀδήλων, καὶ τῶν τούτοις ἀκολούθων ποιοῦνται τὴν ὑφήγησιν. *Canonica enim conſiderant primùm; & eorum quæ perſpicua, quæ obſcura, quæ iis cohærentia, expoſitionem præmiſſam faciunt.*

ỽ. 19. περὶ Κριτηρίου. Criterij vocem interpretando heic retineo, vti & deinceps, quòd videatur oh frequentem vſurpationem, quaſi Latina facta habenda. Ac Cicero quidem, & alij interpretantor vulgò *Iudicium*; verùm non videtur exinde vis vocis ſatis exprimi, vtpote, quam ſolùm expreſſura ſit,

ſi dicere liceat, vox *Iudicatorium*, ſeu *iudicandi inſtrumentum* (eo modo, quo ſolent plerique τὸ αἰσθητήριον interpretari *Senſorium*, ſiue *inſtrumentum ſentiendi*, non *ſenſum*) niſi eſt nomen fortè moleſtum, vt ita præfari cum in Top. ipſo *Iudicialem cauſam* dicturo Cicerone liceat.

♈. 19. Διαλεκτικὴν, ὡς παρέλκουσαν, Notum eſt vocem neutraliter acceptam, verti debuiſſe, *ſuperuacaneam*. Quo ſenſu porrò Epicurus Dialecticam reſpuerit, intelligitur ex mox antè dictis; nempe Canonicam ſubcap. 4. ſtituit, quæ ſi quid ex dialectica vtile habecap. 10. tur retineat. Intelligitur verò etiam ex dictis libro tertio, & octauo, reieciſſe illum præcipuè, vel ſolùm Stoïcorum Dialecti2. adu. log. cam. Id confirmari autem iam poteſt, ex eo, 2. hypot. 1. quod apud Empiricum, impugnârit maximè τὸ λεκτὸν, καὶ τὰ λεκτὰ, *Dictum*, & *Dicta*, quibus Porticus eorum inſonabat. Itaque non repudiauit quidem quæ alij attigerunt præcipua, ac potiſſimum de Veritatis Criteriis, vt nempe verum aliquid eſſe contrà Scepticos ſtabiliret; ſed operoſum dumtaxat illud Syllogiſmorum artificium, vnà cum præambulis illis circa voces, & alia, cúmque ſubiunctis circa Sophiſmata, illorúmque redargutiones. Non quòd ipſe Syllogiſmos non texuerit, admiſerítque, & quemadmodum fierent, nec ſcierit, nec docuerit; ſed partim quòd illorum vſum non neceſſarium cenſuerit; partim, quòd planiore longè, ac ſimpliciore artificio illòs contexi oſtenderit; quod idem dicendum de Definitione, ac proinde de Genere, Specie, Diuiſione & aliis. Non item, quòd nihil tradendum de vocibus voluerit; ſed quòd non eſſe deſcendendum ad Grammaticam opinatus fuerit; quaſi qui accedunt ad Dialecticam ignorare poſſint quid Nomen, quid Verbum, quid Solœciſmus, & ſimilia. Non denique, quòd non interdum ſoluenda Sophiſmata fuerint, ſed quòd vel ad ea, quæ fiunt in Scientiis, Dialectica conferat nihil; vel ad ea, quæ fieri ſolent in ipſamet Dialectica, alia quædam ſit ſimpliciſſima, ac facillima reſpondendi via.

♈. 20. φυσικοῖς χωρεῖν. Intelligi poſſet liceare Phyſicis procedere; vt putà in rerum Naturalium contemplatione; ſed quia vocum intelligentia ſpectat præſertim ad eos, qui diſcunt, & ab ore alieno pendent; ideò τὸ χωρεῖν interpretari libuit, *capere*, ſeu intelligentià aſſequi ea, quæ Phyſici dicunt.

♈. 23. Κριτήρια. Conſtat profectò nominè Criterij non intelligi hoc loco neque Tribunal Iudicis, neque locum in quo iudicat, neque argumentum, quo materies iudicanda diſcernitur, ſed, vt iam dictum, organum inſtrumentúmve iudicandi,

♈. eod. τῆς ἀληθείας. Ob ea quæ deinceps dicentur, præmittendum heic Veritatem ab Epicuro duplicem agnoſci; aliam quæ appellari poſſit veritas *Exſiſtentiæ*; aliam, quæ *Iudicij* & *Enunciationis*.

♈. eodem. Τὰς Αἰσθήσεις, καὶ τὰς Προλήψεις, καὶ τὰ Πάθη. Iſthæc ſunt tria, quæ aſſignantur ab Epicuro veritatis Criteria. Supponendum autem, quod ille poſteà dicit, *Quæſtionum alias eſſe de rebus, alias de nudis vocibus*; quoniam cùm voces non alio egeant Criterio, quàm ſeipſis clarioribus redditis, vt dicendum poſt-modum erit; tria hæc Criteria ſunt circa res ipſas. Supponendum rurſùs Veritatem in quæſtionibus circa res factis expetitam aut ad nudam ipſarum rerum ſpeculationem pertinere, aut ad actionem vitæ referri. Et ſpeculatio quidem rerum, Naturalis eſt Scientiæ; Vitæ verò actio, Moralis: ſed rerum in ſpeculationem, ſeu contemplationem cadentium, aliæ quidem egent ſolà experientià, quales ſunt, quæ ſenſu noſcuntur, ſeu eæ ſint planè manifeſtæ, ſeu ad tempus ſolùm occultæ, dicuntúrque αἰσθητὰ, καὶ φαινόμενα, *Senſibilia*, & *apparentia*. Aliæ verò egent ratiocinatione; cuiuſmodi ſunt, quæ percipiuntur intelligentià, quæque vel ſunt occultæ naturà, & ex ſenſibilibus tamen intelligi poſſunt; vel eiuſmodi ſunt, vt cùm ſenſum per ſeſe fugiant, intellectum tamen aliunde percellant; dicuntúrque vulgò ἄδηλα, καὶ νοούμενα, *Immanifeſta*, & *intelligibilia*. Quare & vulgò diſtinguuntur tria rerum quaſi genera: Senſibilium, Intelligibilium, Moralium; quibus ſingulis ſingula aſſignanda eſſe Criteria videantur. Supponendum præterea quodvis iſtorum Criteriorum eſſe poſſe aut *Per quod*, aut *ſecundùm quod*; ſed cùm Epicurus non neget Criterium *Per quod* eſſe aliquam facultatem, vt putà reſpectu Senſibilium, Senſum; reſpectu Intelligibilium, Intellectum, ſeu Mentem; reſpectu Moralium, Appetitum ſeu Voluntatem; quia facultates tamen propriè non ſunt, ad quas attendentes poſſimus ferre iudicium, idcircò ab eo vſurpari Criterium ſolùm *Secundùm quod*, atque adeò aſſignari aliquas functiones tam Senſus, quàm Intellectus, quàm Appetitus. Heinc ergo illi ſatis fuit ea oſtendere, ad quæ reſpicere homo debeat, vt veritatem diiudicet circa genera propoſita rerum: tales nempe ſunt Senſus vel Senſio reſpectu Senſibilium; Anticipatio ſeu Prænotio reſpectu Intelligibilium; & Actio, ſeu Paſſio reſpectu Moralium. Dico autem Senſum, Senſionémve, quo modo etiam τὰς αἰσθήσεις *Senſus*, *ſenſionéſve* interpretatus ſum; vt ambiguitas omnis tollatur, quando pronum eſt nomen Senſus pro facultate accipere; vtcumque etiam ſoleat interdum, etiam apud Ciceronem pro ipſa ſenſione, ſeu, ſi vox nimis dura ſit, pro ipſa ſentiendi actione vſurpari; eo modo quo etiam Græcum αἴσθησις, vel ex ipſomet Epicuro apud Plutarchum; mendoſo illo quidem, ſed fortaſſis tamen ſic legendo loco: Τὸ μέρος (ſupple τῆς ψυχῆς) 4. Plac. 8. ἐστιν ἡ αἴσθησις, ἥ τις (pro ὅτις) ἐστιν ἡ δύναμις, αἴσθησις γάρ ἐστι (tres voculas ſuppleo) καὶ τὸ ἐπαίσθημα, ὅπερ (pro ὅθεν) ἐστὶ τὸ ἐνέργημα. ὥστε διχῶς παρ' αὐτῷ λέγεσθαι αἴσθησιν, τὸ (particulam ſuppleo) μὲν τὴν δύναμιν αἰσθητικὴν, τὸ (particulam iterum ſuppleo) δὲ τὸ ἐνέργημα. *Pars animæ ipſe eſt ſenſus, quatenus quæpiam facultas eſt: Senſus enim eſt* (dicitúrve) *ipſa quoque ſenſio, quæ operatio quidem eſt. Adeò vt ſenſus apud ipſum bifariam dicatur,*

nempe tum ſentiendi facultas , tum ſentiendi functio. Miſſum porrò facio eadem tria Criteria à Cicerone indicati , cùm de Epicuro in Academicis loquens , *Omne* , inquit , *indicium in Senſibus , & Rerum notitiis , & in Voluptate conſtituit.* Quo loco per Rerum notitias Anticipationes , ſeu Prænotiones intelligit ; & Voluptatis nomine Paſſionem , quæ oppoſitum etiam dolorem complectitur. lib.4.

ψ. 24. φανταστικὰς ἐπιβολὰς τῆς διανοίας. Interpretari licet *Apparentialeis applicationes, ſeu intuitus mentis* , addóque *quales inſanientium , aut ſomniantium ſunt* , vt res clariùs intelligatur. Imprimis enim licet vox *apparentialis* Latina non ſit , doctrinæ tamen gratiâ, & quatenus alia rei explicandæ non occurrit commodior , vſurpare illam nihil vetat ; quod idem dicendum de voce *apparentia* , ex qua deducitur , & pro qua ſi dicatur *apparitio* , res neque exprimetur, neque intelligetur perinde. Suppono deinde τὴν φαντασίαν Græcis dici , non tam ſanè vt vulgò putant facultatem illam internam, quam Latinè *Imaginatricem,* ſeu *Imaginationem* vocant ; quàm ipſam *apparentiam,* ſeu *eius, quod res apparent, perceptionem.* Certè enim hanc vocem potiùs pro actione accipi ex Platone conſtat , cuius illud eſt, τὸ δέ γε φαίνεσθαι αἰσθάνεσθαι ἐστὶν ; ἔστι γάρ. φαντασία ἄρα , καὶ αἴσθησις ταυτὸν , &c. *Ipſum apparere nonne ſentire eſt ? Eſt ſanè. Igitur phantaſia, & ſenſio ſunt idem,* &c. Sic etiam Cyrenaïci apud Plutarchum φαντασίαν perinde pro actione ſenſus , ac perturbationem pro motione appetitus accipiunt. Stoïci quoque ac ipſos ea in re imitatus Philo , cùm φαντασίας eſſe voluerint impreſſionem quandam in principe animæ parte , non pro facultate ſanè eam habuerunt , ſed pro actione principis partis , quæ diceretur tamen impreſſio ; tum quòd actio foret ex genere earum , quæ immanentes dicuntur , ac impreſſionis modo ſe habent : tum quòd res externa ipſa ſui ſpecie , vel imagine , huiuſcemodi actione percepta principem partem afficeret , & in ea quaſi figeretur. Quid quòd Ariſtoteles quoque ferè pro actione id nomen vſurpat ? nam & in libro de inſomniis motionem quandam eſſe vult ; & libro de anima tertio tum *motionem* dicit , tum *actionem* perinde facit , ac τὴν νόησιν *intellectionem*, & τὸ λογισμὸν *ratiocinationem* : vti & in libro de motione Animalium , perinde ac αἴσθησιν *ſenſionem* , & νόησιν *notionem*. Sic in libro de Memoria, & Reminiſcentia deſcribit tanquam actionem , quæ ad eandem animæ partem cum recordatione pertineat ; & in libro de Somno , & Vigilia, tanquam actionem , quæ in vehemente animi deliquio creetur. Quæ fuſiuſculè memoro , ne videatur eſſe aut Epicuri proprium, aut Gallicismum etiam referens , τῆς φαντασίας vocem pro actione vſurpare.

in Theæt. — 1.adu.Colot. — libro de Mundo. — cap.1. — cap.3. — cap.10. — cap.7. — cap 1. — cap 3.

Et dixi quidem *apparentiam* ; verùm quia vox hæc vulgari ſenſu accipi ſolet pro ipſa externa rerum facie , quæ perſeueret etiam dum nemini apparet , nemóve eſt, qui ad illam teipſa attendat ; idcircò adieci , *ſeu eius, quod res apparent,* (vulgarisve illius apparentiæ) *perceptionem.* Interpretatur Cicero *viſum;* ſed ad iſtud quidem negotij videri vox potest aut æquiuoca , aut ad ſolam ludificatam imaginationem ſpectare , neque omneis actiones , quibus Græca vox tribuitur, complecti : adeò vt præſtare plærumque videatur aut apparentiam , perceptionémve apparentiæ dicere , aut etiam (modò rem teneamus) ipſum nomen Phantaſiæ , vt iam à pleriſque donatum Latinitate , vſurpare. Enimverò ſupponendum præterea φαντασίαν heic accipi pro actione tam ſenſus , quàm mentis, quatenus nudè terminatur ad ipſam apparentiam , ſeu pro obiecto habet id quod res apparent , abſque vlla affirmatione , aut negatione , quòd res tales ſint , aut non ſint. Et ſenſum quidem percipere id, quod res apparent , nihil affirmando , aut negando ; adeò proinde vt Senſio ſit quædam phantaſiæ ſpecies , vt ex Epicuro audietur mox. Mens autem percipere quidem id quod res apparent cum affirmatione aut negatione poteſt ; ſed tunc δόξα , hoc eſt *opinio* , ſeu iudicium eſt, non verò φαντασία , ſeu nuda , ſimplexque apparentiæ perceptio. Quare & tunc ſolùm actio mentis φαντασία eſt , cùm apparentiam nudè , ſimpliciterque apprehendit. Ex hoc ergo capite eſt cur Laërtius dicat Epicureos addere (& ex ipſo quidem Epicuro , vt conſtat ſpeciatim ex Epiſtola ad Herodotum, & ex Ratis Sententiis) φανταστικὰς ἐπιβολὰς τῆς διανοίας , *apparentialeis applicationes , ſeu intuitus mentis,* Scilicet voluiſſe nihil aliud videntur, quàm non modò ſenſum ἐπιβάλλεσθαι , ferri, ſeu quaſi applicari ad intuendum, percipiendúmque id , quod apparet ; ſed plerumque etiam ipſam mentem , non coagente ſenſu ; vt dum per delirium , aut ſomnum res perinde menti apparent , ſiue ab illa percipiuntur , ac ſi mente ſanâ, & vigili ſenſu, ipſimet ſenſui exhiberentur. Non debet porrò videri mirum , ſi Epicurus τὴν φαντασίαν tam menti, quàm ſenſui attribuat ; quippe Ariſtoteles quoque & in tertio de Anima , & apud Sextum Empiricum , αἰσθητικὴν , καὶ λογικὴν , *ſenſilem, intellectualémque* diſtinguit. cap.11.

ψ. 24. Πρῶτον μὲν οὖν τὰς αἰσθήσεις εἶναι ἀληθεῖς. Licentiam mihi hæc addendi permiſi , quoniam heic perſpicuè deeſt propoſitio, quam præmiſiſſe Laërtiũ oportuit , vt ratio ſubinde redderetur his verbis, à quibus alioquin tractatio de Senſu Criterio primo incipit, Πᾶσα γὰρ, φησὶν, αἴσθησις,&c. cùm & aliunde non appareat quorſùm cætera , quæ ſubiiciuntur de Senſu tendant. Illud porrò, Πρῶτον μὲν οὖν , vſurpaui , tum quia Epicuro familiare, vt conſtat ex ſequentibus ; tum quia eiuſcemodi eſt , vt agente Epicuro ex ordine de tribus Criteriis copulari ipſi intelligantur ſequentia illa capita , Τὴν δὲ Πρόληψιν λέγουσιν , & , Πάθη δὲ λέγουσιν. Illud verò τὰς αἰσθήσεις εἶναι ἀληθεῖς , idipſum eſt , quod & Laërtius poſteà , & Empiricus , & paſſim omnes de Epicuro docent , ſcilicet πᾶσαν αἴσθησιν , καὶ πᾶσαν φαντασίαν ἀληθῆ ὑπάρχειν , μὴ ψεύδεσθαι , &c. *Eſſe omnem Senſionem , omnémque Phantaſiam* (apparentiæve perceptionem) *veram falſitati non ſubiici* , &c.

ψ. 28. Πᾶσα γὰρ , φησὶν , αἴσθησις ἄλογος.

Prima

Prima hæc eſt ratio, quam vſurpat ad probandum ſenſum non falli. Videtur autem heic *αἴσθησιν* pro facultate accipi, vt cùm ipſa cauſam falſitatis io ſe non habeat, meliùs capiamus eius actionem eſſe falſitatis expertem. Lego autem ſtatim *δύναται*, pro *ἀδυνατεῖ*, vt ratio cohæreat. Et circa illud *τι προσθεῖναι, ἢ ἀφελεῖν*, addo ad interpretationem, *ſiue enunciando copulare, aut diſiungere*, vt intelligatur illud, qnod ſenſus ab obiecto ſuo motus non poteſt addere, aut detrahere, nihil eſſe aliud, quàm quod dicere in Scholis ſolent, *attributum de ſubiecto affirmare, vel negare*; idqne interuentu verbi *eſt*, aut *non eſt*, quo copulatio, aut diſiunctio
1. Prior. Anal. 1. fit, cuiúſque occaſione Ariſtoteles quoque ipsâ *addendi*, & *detrahendi* voce vtitur, dum Terminum eſſe definit, *εἰς ὃν διαλύεται ἡ πρότασις, οἷον τό τε κατηγορούμενον, καὶ τὸ, καθ' οὗ κατηγορεῖται, ἢ προστιθεμένου, ἢ διαιρουμένου τοῦ εἶναι, ἢ μὴ εἶναι*, *In quem propoſitio, vt in attributum, & ſubiectum reſoluitur; ſiue additio, ſiue detractio verbi Eſſe, aut Non eſſe, fiat.* Quod antem addo, *concludendóve inferre*; ideò eſt, quòd illatio, ſiue concluſio, quæ ratiocinando fit, ſit etiam quædam conſequentis ad antecedentem facta additio, & interdum qnoque detractionem attributi de ſubiecto contineat. Denique verò addo ad contextum *ὥστε δοξάζειν, ἢ ψεύδεσθαι*, quoniam alioquin tota hæc ratio (quam ſecunda ſtatim excipit) imperfecta eſt. Conſequi antem videtur ex propoſitis; quatenus, ſi ſenſus copulare attributum cum ſubiecto non poteſt, noo poteſt igitur opinari, ſeu, quod eſt idem, iudicium ferre. Et niſi poſſit opinari, igitur neque falli, quòd falſitas, vt habetur poſteà, in ſola opinione ſit; & heic habeat locum, quod dicitur vulgò, *Abſtrahentium* (ſeu rem quampiam nudè, & abſque affirmatione, aut negatione apprehendentium) *non eſſe mendacium*. Habet porrò Epicurus eandem rationem apud Empiricum, dum,
1. adu. Logi. *αἴσθησις*, inquit, *ἰδίου ὑπάρχουσα τοῦ παρόντος μόνου, καὶ κινοῦντος αὐτὴν ἀντιλαμβάνεται, οἷον χρώματος, οὐχὶ δὲ τὸ διακρίνειν, ὅτι ἄλλο μέν ἐστι τὸ ἐνθάδε, ἄλλο δὲ τὸ ἐνθάδε ὑποκείμενον*, *Senſus propriũ eſt, id ſolum, quod præſẽs quodque ipſum mouet, apprehendere, exempli gratiâ, viſus colorem; non item verò diſcernere aliud quidem eſſe, quod heic, aliud quod illeic ſubiicitur.* Quare, & ratio in eo conſiſtit, quòd cùm ſenſus noo ratiocinetur, idqoe defectu memoriæ, quâ ſenſiones ſui varias comparare inter ſe poſſit; & cùm res acceptæ ſic illum afficiant, vt qualeis apprehendit, taleis neceſſariò apprehendat, neque poſſit functiones ſuas, quidpiam iis addendo, aut detrahendo, alias facere; denique & cùm in recipiendis obiectorum ſpeciebus merè paſſiuè ſe habeat; & qualitates apprehendat quidem; ſed non iudicet tamen illarum ſubiecta eſſe, aut non eſſe huiuſcemodi; eapropter minimè fallatur, ſenſióve eius falſa non ſit, ſed vera, veritate illa, quæ *exſiſtentia*
2. de an. 6. & 3. de an. 3. dicitur. Prætereo Ariſtotelem eandem rationem inſinuare, cùm docet aliquoties *non errare ſenſum circa obiectum proprium*. Et vtitur quidem verbo iudicandi; ſed eâ tamen voce nihil aliud quàm perceptionem ſignificat, ſiue apprehenſionem propriæ qualitatis ſenſibilis, quando iudicium non extendit ad illius vſque ſubiectum. Nempe errorem eſſe vult; non quòd viſus colorem percipiat, vel auditus ſonum; ſed quòd pronuncietur euiuſmodi, aut vbi ſit ſubiectum coloratum, vel ſonans; quod quidem fieri negat à ſenſu circa proprium ſenſibile.

℣. 31. *Οὐδ' ἔστι τὸ δυνάμενον αὐτὰς διελέγξαι.* Hæc ſecunda eſt Ratio, ex eo deducta, quòd nihil ſenſum arguere falſitatis valeat. Quadripartita autem fit, pro enumeratione eorum, quibus quiſpiam credat poſſe illum argui. Et ad primum quidem membrum quod ſpectat, circa illud *διὰ τὴν ἰσοσθένειαν*, Addo ad interpretationem, *quòd par ratio vtriuſque ſit*; quatenus viſus, exempli gratiâ; tam dextri, quàm ſiniſtri oculi, vel tam Platonis, quàm Socratis, ex æquo, pro ſui conſtitutione, afficitur; neque lippus minus videt id quod videt, quàm Lynceus id videt, qnod videt Quod ad ſecundum; illud quidem, *οὐ γὰρ αὐτῶν εἰσὶ κριτικαί*, interpretandum ſic videretur, vt diceremus diuerſos ſenſus, veluti viſum, & auditum, non eſſe capaceis, qui iiſdem de rebus, ſiue obiectis iudicent, vt puta viſum etiam de ſonis, & auditum de coloribus; ſed quia exinde ſenſus ſupponerentur poſſe de obiectis propriis iudicare, ſeu opinari, quod improbatum mox antè eſt; ideò ſic viſum interpretari, vt intelligatur diuerſus ſenſus non inſeruire iudicio de iiſdem rebus ferendo. Siquidem tametſi ſenſus non iudicent, anſam tamen faciant intellectui, vt iudicium ferat. Quod ad tertium, inde incipiens, *Οὐδ' ἡ ἑτέρα τὴν ἑτέραν*, ipſum repoſui ante aliud, *οὔτε μὴν λόγος*, &c. ob manifeſtam tranſpoſitionem; quippe cùm pertineat ad comparationem ſenſuum inter ſe, priuſquàm de comparatione eorumdem cum ratione dicatur. Et quia hoc membro non tam ſenſus pro facultatibus ſumpti, intelligi poſſunt comparati inter ſe, quàm ſumpti pro functionibus; ideò interpretando, rem ita expoſui, vt intelligatur vnam viſionem, v.g. non emendari ab alia, vt priorem à poſteriore. Hinc & vitandæ æquiuocationis causâ Senſionis vocem vſurpaui, & probationem illam *πάσαις γὰρ προσέχομεν* breui additamento ſic expoſui, vt intelligatur, dum baculus, exempli gratiâ, ſpectatus primùm partim in aëre, partim in aqua, ac deinde ſolùm in aëre, videtur in priore quidem ſtatu recuruus, in poſteriore rectus, nos vtroque in ſtatu æquè affici; neque quantumuis connitamur, poſſe in priore videre rectum, in poſteriore curuum; atque idcircò vtrique viſioni, quandiu elicitur adhærere; quatenus quidem in poteſtate viſus non eſt, facere vt res alio modo appareat. Quod ad poſtremum, circa illud *πᾶς γὰρ λόγος ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων ἤρτηται*, addo ad interpretationem, *oportere ſenſus priùs eſſe, quàm rationem veros.* Nimirùm Ratio poteſt quidem Opinionem,

Opinionem, de qua poſteà, corrigere; at non profectò ipſos Senſus, à quorum experimentis cùm dependeat, patet, ſi illi falſi ſint, ipſam quoque falſam in ſuâ correctione futuram.

✠. 38. Καὶ τὸ, τὰ ἐπαισθήματα δὲ ὑφεστάναι. Hæc iam tertia eſt Ratio, qua declaratur veritatem, quam Epicurus ſenſibus, ſenſionibúſve tribuit, veritatem eſſe exſiſtentiæ, ſeu quam vulgò iam dicerent veritatem tranſcendentalem, ſecundùm quam omne ens eſt verum. Scilicet aliud nun contendit, quàm, dum oculus v. g. videt baculum curuum, qui in ſe eſt rectus; aut turrim rotundam, teretémve, quæ quadrata eſt, talem viſionem reuerâ eſſe, & viſum reuerâ ita affici; imò & veras eſſe cauſas, quibus poſitis neceſſarium ſit viſionem talem fieri, neque aut viſus poſſit non tali affici modo, aut res non talis apparere. Idque quidquid mens poſteà iudicet; ad eum planè modum, quo ſpectante Orichalcum oculo, elicitur reuerâ viſio Orichalci, neque poteſt viſus non recipere Orichalci ſpeciem, quicquid deinceps mens de Orichalco pronunciet, hoc eſt, eſſe Orichalcum, aurúmve, aut aliud. Addo porrò ad calcem verba illa, ὃ διαμένει δ' ἀληθὲς εἶναί τι, ὃ ὑφεστώς, quoniam manifeſtè deficiont, vt ratio intelligi poſſit. Ipſa autem deſumo ex Empirico, apud quem iam vidimus Epicurum dicere, ὃ διαμένει ἀληθὲς εἶναί τι, ὃ ὑπάρχον. Commuto enim ſolùm τὸ ὑπάρχον in ſynonymam vocem ὑφεστὼς, vt phraſis loco accommodetur, in quo Epicurus vocibus ὑφεστάναι, & ὑφέστηκε vritur.

1. adu. Logi. Audienda verò eſt etiam Ratio ex ipſomet Empirico, apud quem Epicurus paulò fuſiùs, Phantaſiæ nomen vſurpat.

Pag. 12. ✠. 5. Ὅθεν καὶ περὶ τῶν ἀδήλων, Attingit hoc loco Epicurus ipſam, quæ habetur per ſenſus Euidentiam fundamentum eſſe omnis Ratiocinij, ſeu Demonſtrationis, quæ poteſt de rebus Ineuidentibus inſtitui Præterea verò idem quoque haberi aliquantò pòſt in Epiſtola ad Herodotum, vbi loquens de ſenſu, καθ' ἣν, inquit, ἀναγκαῖον τὸ ἄδηλον τῷ λογισμῷ τεκμαίρεσθαι, *Iuxta quem neceſſarium eſt facere ad id, quod occultum eſt, ratiocinando coniecturam.* Vbi cùm dicit τεκμαίρεσθαι, loco iſto σημειοῦσθαι, id reuocatur in memoriam, quod περὶ τοῦ σημείου, καὶ τοῦ τεκμηρίου, legitur

lib. 5. c. 9. apud Quintilianum. Tametſi enim vtraque vox ſonare poſſe idem videtur, quod Argumentum, ſiue Medium Ratiocinationi, ſeu Demonſtrationi contexendæ accommodatum; nihilominùs ille ſic diſtinguit, vt dicat Τεκμήριον appellati ſignum, ſeu Argumentum neceſſarium, quod cùm aliter ſe habere non poſſit, vix pertinere ad Artis præcepta videatur. *Nam*, inquit, *vbi eſt ſignum inſolubile, ibi ne lis quidem eſt:* Σημεῖον verò appellari ſignum non neceſſarium, comprehendens nempe ea quæ εἰκότα Græci vocant, *quæque*, inquit ille, *etiam ſi ad tollendum dubitationem ſola non ſufficiunt, tamen adiuncta cæteris plurimùm valent.* Et non contenderim quidem Epicurum ad diſtinctionem hanc reſpexiſſe; ſed dici tamen poteſt illum inter demonſtrandum ita vſurpaſſe ſignum, quod Græci propterea appellant ἐνδεικτικὸν *demonſtratorium* (interpretatur Cicero inſignem, ac propriam percipiendi Notam) vt nunc quidem illud quaſi neceſſarium, inſolubiléque habuerit, nunc verò quaſi non neceſſarium, & veriſimile duntaxat; ac ſemper quidem ſenſu prænotum, docendo apud Empiricū αἰσθητὸν εἶναι τὸ σημεῖον, *ſignum rem ſenſibilem eſſe.* Exempli autem gratiâ, poteſt demonſtratio ex ſigno prioris generis ea eſſe, quâ dari Inane ex motu, re ſenſibili, probat. Propterea enim, Ἐπίκουρος δ' οὖν (verba ſunt Empirici) ἰσχυρότατον δοκεῖ τεθεικέναι λόγον εἰς τὸ εἶναι κενὸν, τοιοῦτον, Εἰ ἔστι κίνησις, ἔστι κενόν, ἀλλὰ μὴν ἔστι κίνησις, ἔστιν ἄρα κενόν. *Videtur ſibi Epicurus eiuſmodi firmiſſimam probando Inani attuliſſe demonſtrationem: Si motus eſt, Inane eſt; motus autem eſt; quare & Inane.* Sed robur huius demonſtrationis expendendum poſteriùs eſt. Ex ſigno verò generis poſterioris conſtabit eſſe eas ferè omneis, quæ in Meteorologicis afferentur; quaſi nempe ea quæ ſublimè apparent, ita demonſtrentur fieri certo modo, vt ille duntaxat probabilis ſit, cùm fieri conſimiliter, vt alio modo fiant, poſſit, ex quo eſt illud celebre ipſius Ἐνδεχόμενον, ſeu Ἐνδέχεσθαι, *Fieri*, aut *Contingere poſſe.*

4. Acad.

2. adu. Logi.

ibid.

✠. 6. Καὶ γὰρ καὶ ἐπίνοιαι πᾶσαι. Videtur Epicurus heic loci voluiſſe tum innuere vndenam originem habeant mentales illæ phantaſiæ, αἱ τῆς διανοίας φανταστικαὶ ἐπιβολαί, quæ ſenſu ſopito, miniméve coagente fiunt, cùm perinde tamen ſe habeant, ac ſi ſenſus operaretur; tum declarare quî fieri poſſit, vt menti obuerſentur, animóve concipiantur multa, quæ cùm in ipſa rerum natura exſiſtentiam non habeant, veluti chimæra, mons aureus, & ſimilia, non videantur poſſe tranſire per ſenſum. Itaque ipſe etiam ſupponens, quod ex Ariſtotele eſt tritum, *Nihil eſſe in Intellectu, quod priùs non fuerit in Senſu*; docet omnem mentis notionem; intellectionémve dependere (ſeu, vt Cicero loquitur, *quicquid animo cernimus, id omne oriri*) à Senſibus, κατὰ περίπτωσιν, &c. Addo autem inter interpretandum exempla, ne quia res paſſim obuia non eſt, non ſatis ex nudis vocibus percipiatur. Heic verò ſolùm adnoto Epicurum poſteà in Epiſtola ad Herodotum videri referre hoſce omneis modos ad duos, cùm intelligi innuit omnia ἢ περιληπτικῶς, ἢ ἀναλόγως τοῖς περιληπτοῖς, *aut comprehenſione, aut proportione*, comparationéve *ad comprehenſa.* Nempe quod heic dicit κατὰ περίπτωσιν per *incidentiam*, *incurſionémve*, idem eſt cum eo, quod illeic ait περιληπτικῶς, ſeu mavis κατὰ περίληψιν, *per comprehenſionem.* Et certè res illas propriè, ac verè comprehendimus, quæ per ſeipſas nobis apparent, & coràm factæ, nobis primariò, directéque in ſenſum incurrunt. Et quod illeic ait ἀναλόγως τοῖς περιληπτοῖς, complecti poteſt, non modò quam heic ἀναλογίαν, *proportionem* dicit, verùm Similitudinem quoque ipſam, quâ vnum ſimile

1. de fin.

intelligitur

intelligitur ex proportione alterius;ac ipſam ſimul Compoſitionem, quâ ex proportione totius ad parteis, & partium ad totum, & ipſarum denique partium inter ſe, vnum quidpiam coadunamus. Quo modo poſſent etiam ad analogiam reuocari quos modos lib.7. apud Laërtium addunt Stoïci, κατὰ μετάθεσιν *per tranſpoſitionem*, vt dum tranſlatis in humeros oculis, aut vno dumtaxat in media fronte habito, intelligimus humeroculum, aut Cyclopem, & κατὰ ἐναντίωσιν per contrarietatem; vti dum per lucem intelligimus tenebras, per viſum cæcitatem; & qui alij poſſunt aſſignari huiuſmodi. Quod porrò τὴν ἀναλογίαν *amplificatione, & extenuatione* explicui, imitatione Empirici feci, à quo illa vocibus παραυξήσεως, καὶ μειώσεως expri- lib.2.adu. Log. mitur. Prætereo autem, quod Epicurus ſubdit, *Ratiocinium quoque aliquid conferre*, ad analogiam ſpectare, quæ cùm comparatio quædam ſit, eſſe ſine comparante non poteſt. Comparare autem non ſenſus, ſed rationis eſt. Vnde & hoc caput intelligi poteſt, quaſi præmiſſum ad ea quæ ſtatim de Prænotione dicenda ſunt, ſumptâ occaſione ex eo, quòd omnis notio à ſenſibus, eorúmque veritate pendeat.

℣. 11. Τά τε τῶν μαινομένων. Poterat hæc periodus ante ſuperiorem reponi, tanquam cohærentior cum ratione tertia; verùm potuit quoque poſt ipſam conſtare; quaſi delirantium, & ſomniantium viſa non ſint κατὰ περίπτωσιν, ſed aliis expoſitis modis. Addidi ergo ſolùm ad interpretationem, quod rationem illam κινεῖ γὰρ illuſtriorem redderet, iuxta ea, quæ ſunt adnotata de veritate exſiſtentiæ. Nempe huiuſmodi quoque viſa reuerà exſiſtunt, hoc eſt, tales res reuerà apparent inſanientium, & dormientium mentibus, neque ſpeciebus rerum, quæ in mente aut imaginatione ſunt, tali modo motis, commiſtis, turbatis, non poſſunt talia viſa non fieri: quicquid poſteà ſit de opinione, quâ res tales eſſe in ſe, quales apparent, iudicantur. Quod porrò de ſpeciebus in mente, imaginationéve attingo, ſupponit debere quoque Epicurum admittere quædam ſpecierum veſtigia, quæ alterutri, aut vtrique hærentia cenſeri, aut dici ſpecies valeant; cùm alioquin perſpicuè ſolùm ipſam quoque mentem κατὰ περίπτωσιν intelligere dicat, vt deducetur inferiùs, & 1.adu.Colot. Plutarchus hoc ipſi obiiciat, dum cauſatur illum cenſere *ea, quæ per inſomnia, furoréſve*, contingunt, κατὰ σώματα, περὶ μορφὰς ἐκ τοῦ περιέχοντος ἀφικνουμένας, *propter tenuia corpuſcula, ac imagines ex circumſtante aëre aduenienteis*, contingere. Vtcumque autem ſit, Epicuri ſententia vniuersè eſt, Phantaſias quaſcumque, ſeu vigilantium, ſeu dormientium, ſeu ſanorum, ſeu inſanorum paris, æqualíſve eſſe veritatis, ex quo eſt illa omnium ἰσότης *æqualitas* apud Plutarchum, & ὁμοιότης *ſimilitudo* apud Laërtium in Epiſtola ad Herodotum; cùm Plutarchus quoque voce ὁμοίως ſimilitudinem innuat, vbi dicit iuxta Epicurum πάσας εἶναι φαντασίας ὁμοίως ἀξιοπίστους, πάσας ὑπάρχειν ἀληθεῖς, ἄπιστον δὲ, καὶ ψευδῆ δὲ μηδεμίαν, *Eſſe omnem Phantaſiam conſimiliter fide dignam, omnem conſimiliter veram; nullam, quæ fidem non mereatur; nullam, quæ falſi damnanda ſit.*

℣. 14. τὴν δὲ Πρόληψιν. Hoc iam alterum eſt Criterium, quod Epicurus primus nominauit πρόληψιν, quódque dum coniunctim *Anticipationem & Prænotionem* interpretamur, Ciceronis imitatione facimus, cuius verba ſunt: *Fateamur conſtare illud etiam, hanc* 1. de nat. *nos habere ſiue Anticipationem, vt antè dixi,* Deor. *ſiue Prænotionem Deorum. Sunt enim nouis rebus noua ponenda nomina, vt Epicurus ipſe πρόληψιν appellauit, quam antea nemo eo verbo nominârat.* Ex quo fit, vt minùs ſit mirum, ſi Chryſippus eandem vocem, tanquam poſterior vſurpârit, cùm apud Laërtium Criteria lib.7. eſſe dixit αἴσθησιν καὶ πρόληψιν, *Senſum & Anticipationem*. Et Cicero quidem eandem vocem 2.de diuin. interpretatur etiam *Præſumptionem*; nempe cùm eſt quædam propoſitio à Dialecticis aliquando ante Syllogiſmum, eiúſve præmiſſas (quas etiam λήμματα *Sumptiones* appellant) aſſumpta: idque imitatus Quintilianus *Præ-* lib 9. *ſumptionem* quoque interpretatur Oratoriam cap.2. figuram (ne Grammaticam etiam memorem) quam tum eſſe dicit, *cùm id, quod obiici poteſt, occupamus:* Verùm, cùm vocem pro Criterio vſurpat, Anticipationem ferè, aut Prænotionem dicit; niſi quod videtur interdum *Notitiam* quoque dicere, vt cùm loco antè relato, dixit Epicurum inter cætera *iudicium conſtituere in rerum notitiis*. Attribuit verò iſtam quoque interpretationem Lucullo Stoicorum parteis agenti, dum, *Efficiuntur*, inquit, 4.Acad. *Notitiæ rerum, quas Græci tum ἐννοίας, tum προλήψεις vocant:* Nempe Stoïci nominatim vocabant ἐννοίας, ex quo Plutarchus anſam accepit ſcribendi librum aduersùs illos, περὶ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν *de notitiis communibus*. Communes autem appellantur, quòd ſint communes hominum omnium; quâ de cauſâ πρόληψις quoque id adiunctum habet apud Alexandrum Aphrodiſæum, cùm *Fatum eſſe aliquid,* lib. de Fato. inquit, *confirmat abundè ἡ κοινὴ ἀνθρώπων πρόληψις, communis hominum prænotio*. Cæterùm quod heic Epicurus dicit πρόληψιν, idem eſſe videtur cum eo, quod Ariſtoteles προϋπάρχουσαν γνῶσιν *præexſiſtentem cognitionem* vocat, ac 1.poſter.1. illam quidem potiſſimùm, quâ intelligitur quid res ſit, aut quid tali nomine ſignificetur; vt dum verbi cauſâ diſſeritur de Triangulo, aut dum Triangulus nominatur. Nimirùm vides eam heic dici non modò κατάληψιν *comprehenſionem*, & ἔννοιαν *notitiam*; ſed etiam καθολικὴν νόησιν ἐναποκειμένην, *generalem quandam notionem menti immanentem*, ſeu, vt Cicero vertit *inſitam*, atque ideò priùs in animo partam, ac præexſiſtentem; vt illam Cicero proinde definierit, *anteceptam quandam animo informationem.*

Subiicitur autem; τοῦτ᾽ ἔστι μνήμην τοῦ πολλάκις ἔξωθεν φανέντος, *hoc eſt, quaſi memoriam, monumentúmve eius rei, quæ extrorſùm ſæpius apparuerit*, vt intelligamus primùm Anticipationes, quæ in nobis ſunt, dici quidem inſitas, ſed ita nihilominùs, vt ſenſibus vſi illas acquiſierimus, non verò à natura habeamus,

haberéve

habeŕeve dicamur, niſi quatenus ſunt in nobis quædam antiquæ adeò, vt iis, ex quo eſſe, & ſeotire cœpimos, euaſerimus informati; cuiuſmodi ſuot illæ de fugiendo dolore, de conſectanda voluptate; itémque de Dei exſiſtentia, (quam niſi ex auditu, & cum lacte quidem veluti ſuxerimus, poſſumus ſtatim atque in cælum, fabricámque, & diſpoſitionem, regiménque Mundi cooiicimus oculos, oobis comparare) ac turſus illæ, quæ ſolent vulgò ad naturalem Inſtinctum, & ad Sympathiam, Aotipathiámque referri; vt diſſerimus alibi. Deinde debere Anticipationem vt perfecta ſit, repetitis, euidentibúſqoe ſenſionibus ſic eſſe firmatam, vt memorare volenti ſe facilè ſiſtat, & exigenti quidpiam ad ipſam ſeſe clarè exhibeat. Ea cauſa eſt, cur etiam videas appellari *κατάληψιν*, *comprehenſionem*; quòd per illam res cognita veluti perfectè, & vt ſic dicam, manu teneatur; ac præterea *δόξαν ὀρθὴν*, *opinionem rectam*, quoniam eſt coofirmatio quædam eius opinionis, quæ per euidentiam ſenſus comprobatur vera; vode & poſteà concloditur, *ἐναργεῖς εἶναι τὰς προλήψεις*, *anticipationes eſſe euidentes*; & apud Clementem *πρόληψις* definitur *ἐπιβολὴ ἐπί τι ἐναργὲς, καὶ ἐπὶ τὴν ἐναργῆ τοῦ πράγματος ἐπίνοιαν*, *applicatio, ſiue intuitus in aliquid euidens, inque notionem rei euidentem*: quaſi non ſit quævis occurrens, & ſecundum ſenſum, euidentiámque cognitio, ſed quæ eiuſmodi cogoitioni veloti ſuperueniat, ipsámque perficiat: aliàs nimirùm nihil à prima, ſimplicique rei cognitione diſtingueretur. Vt taceam niſi recta Anticipatio fuerit, noo prænotionem, ſed potiùs prægnorationem fore, ſiue vt Epicurus in Epiſtola ad Menœceum loquitur, *ὑπόληψιν ψευδῆ*, *ſuſpicionem, ſeu opinionem falſam.* Adhibetur ſubiode exemplum, *οἷον τὸ, τοιοῦτον ἐστὶν ἄνθρωπος*, *cuiuſmodi eſt ſpecies, ſeu idea illa ad quam reſpicientes dicimus* (id nempe addendum perſpicuitatis cauſâ fuit) *Tale quid eſt homo*. Etenim, vt conſequenter declaratur, ex viſis aliàs vno, pluribúſque hominibus, ea io animo remanſit impreſſio, iuxta quam quoties volumus, hominis effigiem, ſeu imaginem, quaſi obuerſantem habeamus; ac ſi nominari hominem audiamus, velimúſve aliis quid homo ſit deſcribere; ſi aut diiudicare ipſi, aut demonſtrare aliis; quæpiam-ne res propoſita ſit homo, cæteráque huiuſmodi; nihil aliud quàm in hanc effigiem menti obiectam intuęamur. Talis itaque effigies concepta, ſeu, quod idem eſt effigiei cooceptio (neque enim hæc diſiunguntur) ipſa eſt *πρόληψις*, ſeu Anticipatio, quatenus à prima vſque impreſſioue habitu quodam perſeuerat, ac vt excitetur, eliciatúrve in promptu eſt.

ỷ. 21. *Παντὶ οὖν ὀνόματι τὸ πρώτως ὑποτεταγμένον.* Ita videtur heic meliùs legi, quàm vt vulgò ἐπιτεταγμένον, ex communi phraſi, & qui etiam infrà in Præfatione ad Herodotum ita legitur, *Πρῶτον μὲν οὖν τὰ ὑποτεταγμένα τοῖς φθόγγοις δεῖ εἰληφέναι*, *Tenere imprimis oportet ipſas res vocibus ſubiectas, ſeu quid voces ſignificent.*

ỷ. 30. *ἐφ' ὃ ἀναφέροντες.* Aliqua interpretationi heic interſero: ſed non penitùs fortè inutilia.

ỷ. 32. *τὴν δὲ δόξαν.* Agitur deinceps de Opinione, ſeu Iudicio, quod ex additione, diſiunctionéve Anticipationum conſtat; ídque interueniente verbo *Eſt*, aut *Non eſt*; ac nihil eſt proinde aliud, quàm Affirmatio, vel Negatio, cui iam veritas ita competit, vt Falſitas quoque competere poſſit.

ỷ. 34. *δεῖ τὸ προσδεῖναι.* Hæc, ad vſque *μὴ ἔχειν*, textui addo, vel ex Empirico potiùs ſuppleo; tum vt manifeſtiùs agnoſcatur diſcrimen inter Opinionem, & Senſum, qui ſolius Veritatis exſiſtentiæ capax eſt, *δεῖ τὸ μὴ προσδεῖναι, ἢ ἀφελεῖν τι* (quæ verba paulò antè vſurpata heic reſumo; cùm alioquin Empiricus habeat *προσθεῖναι, καὶ ἀφαιρεῖν*) tum vt ratio proponatur, quæ ſtatim, quaſi ſuppoſita deducitur, applicatúrque. Quæ autem ſatis longa periodus ioterpretationi attexitur, eioſmodi eſt, ſine qua neque Epicuri ſenteotia poſſit ſatis intelligi, neque agnoſci, vode deducatur id, quod ſtatim ſubiicitur de *Exſpectabili*, cum exemplo Turris. s. adu. Logi.

ỷ. 1. *Ἂν μὲν γὰρ ἐπιμαρτυρῆται.* Docet imprimis Epicurus quî agnoſci poſſit, quandónam vera opinio ſit. Vtor autem interpretando verbo *Suffragari*, potiuſquàm *Atteſtari*, quòd oppoſitum quoque ipſi *Refragari* in vſu ſit; ac dico etiam *Suffragationem*, potiuſquàm *Suffragium*, quod videretur magis ex vſu, quoniam oppoſita *Refragatio* tolerabilior, quàm *Refragium* videtur: Atque id quidem, vt voces Latinæ oppoſitis Græcis concinniùs reſpondeant. PAG. 13.

ỷ. 5. *τὸ Προσμένομενον.* Ita videtur potiùs, quàm vt vulgò *προσμένον* legendum; & coniectura eſſe poteſt, quòd repetitâ inferiùs voce in Epiſtola ad Herodotum, mss. non *προσμένον*, ſed *προσμενόμενον* habeant; ac habeant etiam aliqui ioter editos in Ratis Sententiis. De re ipſa portò nihil eſt, quod ſuperſit, ad ea, quæ mox antè ſunt deducta, addeodum.

ỷ. 7. *οἱ μέν.* Haſce voculas, vnà cum illis ſequentibus, *πόρρωθεν τοῖος καὶ*, propter integritatem ſenſus, adductique de turre exempli, ſupplendas eſſe perſpicuum eſt.

ỷ. 9. *Πάθη δὲ λέγουσι.* Hoc iam tertium Criterium eſt, Paſſio ſcilicet, quam vt fieri ſolet, heic accipimus pro ea, quam Perturbationem, ſiue Commotionem animi Cicero eſt ioterpretatus: Quintilianus, & alij Affectum, atque Affectionem. Cæterùm, vt iam antè eſt viſum, Paſſiones Voluptatis, & Doloris, ſeu Moleſtiæ ab Epicuro fieri *τὰ πρῶτα πάθη*, *Paſſiones primas*; ita heic manifeſtè docet eas eſſe Criterium, quo ea, quæ ſunt amplectenda, fugiendáve, diiudicantur. Exſtat res etiam apud alios, maximè verò apod Euſebium ex Ariſtocle, vbi Epicurea ſententia eſt, *τῆς αἱρέσεως, καὶ φυγῆς ἀρχὴν, καὶ κριτήριον ἔχειν ἡμᾶς τὴν ἡδονὴν, καὶ τὸν πόνον. Voluptatem, & Moleſtiam eſſe nobis Principium, Criteriúmque electionis* (ſeu proſequutionis) *ac fuga.* Cùm viderentur eſſe 14. præp. euang.

complura

complura hac de re hoc loco dicenda; quia Epicurus tamen eam fusè declarat inferiùs in Epiſtola ad Menœceum; idcircò ea illuc reiicienda ſunt. Adſcribo heic ſolùm Ariſtotelis locum, qui in eandem ſententiam eſt, dum libro primo Nicomachiorum, Κανονίζομεν, inquit, καὶ τὰς πράξεις, οἱ δὲ μᾶλλον, οἱ δ' ἧττον, Ἡδονῇ, καὶ Λύπῃ. *Actiones quaſi canone, reguláve, dirigimus, Voluptate, atque Moleſtiâ, alij quidem magis, alij verò minus.* cap. 2.

℣. 13. Τῶν δὲ ζητήσεων. Diuiſio hæc Quæſtionum eſt, quam acturi de Criteriis indicauimus, & circa quam cùm dixerimus, quæſtiones de nuda, ſeu ſimplici voce, non alio Criterio quàm ipſamet voce declaratione factâ egere; ac id proſequuti fuerimus deinceps, vbi diximus de interrogantis, ac reſpondentis officiis; eapropter nihil heic ſupereſt addendum.

℣. 16. περὶ διαιρέσεως. Addo ad interpretationem, *Philoſophiæ.* Hæc nimirum eſt, quam initio diuidendam ſuſceperat. Subiicit autem, καὶ Κανονικόν, addóque, *ſeu Canonica parte*; quòd tribus exſiſtentibus Philoſophiæ partibus; & Epiſtolis inſequentibus, Phyſicam, atque Ethicam dumtaxat continentibus, viſum Laërtio fuerit ſupplere aliunde, ac præmittere, quæ agnouit poſſe circa illam deſiderari.

Ad I. Epiſtolam Epicuri ad Herodotum, de Rebus Naturalibus.

℣. 19. ΤΟῖΣ μὴ δυναμένοις. Præfationem heic Epicurus præmittit, cuius duæ ſunt partes. In priore enim declarat, quàm vtile ſit huiuſmodi quamdam Epitomen contexere, memoriæque infigere, cuius rei meminit etiam in Præfatione ad Pythoclem, Epiſtolam hanc ad Herodotum *Paruam Epitomen* nominando; in poſteriore autem attingit præcipua nonnulla Canonices capita, iuxta ea quæ ſunt antè dicta: voluit ſcilicet Epicurus Canonicam eſſe quandam Phyſicæ quaſi acceſſionem; vnde & penè eadem ad calcem Epiſtolæ anacephalæoſi quadam repetuntur Prioris porrò præſertim textus ita corruptè legitur, vt ex ea vix quicquam ſenſus magna ex parte elici poſſit.

℣. 30. τῷ τύπῳ. Ita videtur non iniuria cenſere Scaliger legendum, non verò, vt vulgò ὁ τύπον: tametſi inſequentem ſtatim voculam τὸ, nihil eſt neceſſe commutare in τῷ, ſed planiùs ſit legere τό.

PAG. 14. ℣. 1. ἐνέργημα συνεχές. Expungo particulam hiſce vocibus interpoſitam καὶ, quæ etiam abeſt à MSS. Lego autem ἐνέργημα cum Rutgerſio, pro ἐπ' ἐκεῖνα; vtcumque nihil neceſſe putem legere cum ipſo φυσικόν, pro voce ποιητέον, quæ ſtatim conſequitur, cuíque præpono vocem τοιοῦτον, à MSS. admonitus.

℣. 7. ἐπεὶ καὶ τετελεσιουργημένων. Cùm totus hic præſertim locus valdè deprauatus, intricatúſque ſit; viſum quidem fuerat his verbis præmittere ea, quæ ſequuntur, ὃ καὶ πρὸς ἁπλᾶ στοιχειώματα, καὶ φωνὰς συνάγειν δέον, verùm quia ſequens periodus cohærere cum iis videtur, propter illud, διὰ βραχέων φωνῶν, viſum potiùs eſt, nihil tranſponere, ſed illa ἐπεὶ καὶ, &c. ad vſque τὸ χρῆσθαι parentheſi concludere, quod faciendum quoque cenſuit Scaliger; & tranſpoſitione, circa interpretationem (vt planior euaderet) facta, ſequentem periodum connectere hoc additamento, *Dico interim etiam iuxta voces:* Lego vero καὶ τετελεσιουργημένου τὸ κυριώτατον, καὶ τοῦ παντὸς ἀκριβουμένου, pro καὶ τετελεσιουργημένῳ τοῦτο κυριώτατον τοῦ παντὸς ἀκριβουμένου, quòd ſecùs nihil ſani poſſit exprimi; & minùs adhuc, ſi, vt MSS. & Stephanus habent, pro ἀκριβουμένου, legatur ἀκριβώματος. Reddo autem heic τὸ κυριώτατον *conſtantiam, facilitatémque* (ſecùs ſcilicet alibi) quòd viſum quoque fuerit mox antè τὴν κυριωτάτην ἐπιβολὴν interpretari *attentionem conſtantem, atque facilem.* prout Epicurus gigni talem cenſuit ex adhibito circa memoriam ſtudio. Quanquam vt fatear, hæſi non parùm an non fortè pro ἐν τῇ μνήμῃ, foret ἐν τῇ ἐπιτομῇ legendum.

℣. 18 Καὶ τοῦτο τοῖς μάλιστα ἐγγαληνίζουσι τῷ βίῳ, Planiùs id nimirùm, quàm quod legitur, ἐν τῷ τούτων (aliquibus τούτῳ) μάλιστα ἐγγαληνίζοντα τῷ βίῳ.

℣. 21. Πρῶτον μὲν οὖν τὰ ὑποτεταγμένα τοῖς φθόγγοις. Pars hæc altera Præfationis eſt, in qua aliqua ex Canonica delibantur; ipſa autem ſunt, quæ maximâ parte vſurpauimus, declarauimúſque ſuperiùs.

℣. 31. Ἔτι κατὰ τὰς αἰσθήσεις. Ita legendum eſſe videtur pro ἔπι κατὰ, &c. quòd hoc ſit quaſi ſecundum membrum, cuius occaſione præmiſſum illud fuerit, πρῶτον μὲν οὖν, &c. Quòd præpoſitionem autem repetam κατὰ τὰς ἐπιβολὰς, κατὰ τὰ πάθη, ſenſus neceſſitas, & perſpicuitas facit.

℣. 36. τὸ Προσμενόμενον, καὶ τὸ ἄδηλον. Quæ heic paucula ad interpretationem addo, ſupponunt, quod dictum eſt antè circa diſtinctionem rerum occultarum. Inſinuatur nempe τὸ προσμενόμενον verſari circa eas, quæ ſunt ex accidente ſolùm, ſeu ad tempus quoddam occultæ; & quod ἄδηλον heic vocatur, complecti illas maximè, quæ dictæ ſunt occultæ naturâ. Vnde &, quod dicitur ſtatim συνορᾶν ἀεὶ τῶν ἀδήλων, interpretatus ſum de iis, quæ ſunt hoc modo immanifeſta, cuiuſmodi eſt, v. c. Inane, quod ex motu colligitur; atque ita de cæteris.

℣. 38. συνορᾶν δεῖ. Sic lego, pro συνορᾶν ἤδη, propter magis planam, familiarémque Epicuro loquutionem: nam infrà quoque Μετὰ δὲ ταῦτα δεῖ συνορᾶν, vbi de Anima eſt diſputaturus.

℣. 39. Πρῶτον μὲν οὖν ὅτι οὐδὲν γίνεται ἐκ τοῦ μὴ ὄντος. Aggreditur heic ſuæ Phyſiologiæ explicationem Epicurus, ac initium ducit à generaliſſimo illo, receptiſſimóque apud Antiquos omneis Effato, *Ex nihilo nihil fit*, quòd cùm aliunde fieri multa conſtet, commodùm exinde arripiatur occaſio agendi de materia, principiiſve, ex quibus

ea fiunt. Addo verò ad citata verba, hocce quaſi membrum, καὶ οὐδὲν φθείρεται εἰς τὸ μὴ ὄν. Nempe hæc eſſe ſupplenda conſtat, quòd ſententia alioquin integra non ſit, quódque tale quid propoſitum fuiſſe ſupponat inſtituta ratio pro poſteriore rationis parte, καὶ εἰ ἐφθείρετο δὲ τὸ ἀφανιζόμενον εἰς τὸ μὴ ὄν. Huiuſce autem imitatione; clarum eſt ſuppleri debere & illud in gratiam prioris, Εἰ μὲν γὰρ ἐγίνετο τὸ ἐκφαινόμενον ἐκ τοῦ μὴ ὄντος. Quod vtrumque videtur haud-dubiè ex ipſo textu euanuiſſe; vti & quæ alia reſtituenda eſſe manifeſtiùs erit aliquantò pòſt.

PAG. 15. ℣. 3. Καὶ μὴν καὶ τὸ Πᾶν. Agit Epicurus de Vniuerſo, ſeu Vniuerſitate rerum, quam cùm heic vocet τὸ Πᾶν, *Omne*, dicit etiam alibi τὸ Ὅλον *Totum*, & τὴν Ὅλων φύσιν, *Vniuerſorum naturam*; & τὴν Ὄντων φύσιν, *Naturam rerum*, &c. Quo modo Lucretius quoque interpretatur, vt *Omne*, & *Naturam rerum*, ſic & *Summam Rerum*, & *Summam totam*, & *Summai totius Summam*, & alia.

℣. 10. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ Πᾶν. Cùm vulgò legatur, Ἀλλὰ μὴν καὶ τοῦτο ἐν τῇ μεγάλῃ Ἐπιτομῇ, &c. Iſthæc, quæ verba ſunt Laërtij heic perperàm interpolata, ſensúmque turbantia, reieci in finem præcedentis periodi: tametſi potuiſſent quoque reiici ad calcem iſtius: Sed nimirùm perinde eſt, cùm libris careamus, quibus res probetur. Porrò; cùm vulgò ſolùm habeatur, τὸ Πᾶν ἐστι σῶμα, repono, τὸ Πᾶν ἐστι τὸ μὲν σῶμα, τὸ δὲ κενόν, quòd ſecundum membrum manifeſtè deſit, vt vel illud arguit, quòd ſtatim probetur *dari Corpora*, & *dari Inane*: quaſi ambo propoſita vt Vniuerſi membra fuerint; vnde & rem paulò pleniùs interpretando deduxi. Sic autem ambo rurſùs coniungit Epicurus in Epiſtola ad Pythoclem, dum ait, ὅτι τὸ Πᾶν σῶμα, καὶ ἀναφὴς φύσις. *Vniuerſum eſſe corpus, & naturam intactilem, vt puta Inane*: Et Plutarchus teſtatur illum, ἐν ἀρχῇ τῆς πραγματείας, *in ipſo Tractationis initio*, dicere τὴν τῶν ὄντων φύσιν σώματα εἶναι, καὶ κενόν, *naturam rerum eſſe Corpora, & Inane*. Ac vt Ciceronem prætercam, dum, *ſunt*, inquit, *qui omnia Naturæ nomine appellent, vt Epicurus, qui ita diuidit, Omnia, quæ ſecundum naturam, eſſe Corpora, & Inane*; illud ex Lucretio ſufficit:

(adu. Colot.) (1. de Nat. Deor.)

Omnis, vt eſt igitur per ſe Natura duabus
Conſiſtit rebus, quæ Corpora ſunt, & Inane.

℣. 11. Καὶ τὰ μὲν σώματα. Addo heic particulam Καί, propter cohæſionem cum mox additis. Cùm Epicurus autem heic probet dari corpora, ac non aliter quidem, vt par eſt, quàm ex ipſa ſenſus euidentia, iuxta quam etiam ratiocinari de ineuidentibus oporteat; en vt Lucretius id exprimat:

lib. 1. *Corpus enim per ſe communis deliquat eſſe*
Senſus; quo niſi prima fides fundata valebit,
Haud erit, occultis de rebus quò referentes
Cõfirmare Animi quicquã ratione queamus.

℣. 15. Εἰ δὲ μὴ ἦν, ὃ καὶ Κενόν. Sic ob eandem rurſùs cohæſionem lego, pro εἰ μὴ ἦν ὃ κενόν, ac ſimul addo ad interpretationem Synonyma aliqua ipſius Inanis. Aliqua, inquam; ſiquidem licebat prætereà cum Cicerone dicere non modò *Inane*, verùm etiam *Inanitatem*; & cum Lucretio non modò ſimpliciter *Vacuum*, ſed etiam coniunctim, *Inane*, & *Inane, vacánſque*, & *Vacuum, quod Inane vocamus*.

℣. 18. Καὶ μὴν καὶ τῶν Σωμάτων. Exemi è medio iſtorum verborum Laërtiana illa, Ταῦτα δὲ τοῦτο, &c. (adieci autem particulam δὲ propter cohæſionem) ac pari, qua antè de cauſa reieci, vel potiùs (ſecretis voculis καὶ μὴν καὶ) reliqui ad calcem antecedentis periodi. Cùm Epicurus porro heic ſtatuat omne Corpus eſſe aut Concretum, aut tale, ex quo Concretum componitur, manifeſtum eſt, quas heic dicit συγκρίσεις *Concretiones*, idem eſſe cum eo, quod alij dicunt συγκρίματα *Concreta*; quo modo ſolent & ſæpe aliàs nomina actionum rebus per ipſas productis tribui. Quòd verò ait, τὰ ἐξ ὧν αἱ συγκρίσεις πεποίηνται, *illa ex quibus Concretiones fiunt*, perſpicuum eſt intelligi quas dicere ſolent parteis componenteis, ſiue Principia, Primordia, Initia, atque Elementa. Id monſtrat Lucretius, dum eandem corporum diuiſionem profert:

Corpora ſunt porrò partim primordia rerũ, lib. 1.
Partim concilio, quæ conſtant principiorum.

℣. 19. Ταῦτα δέ ἐστιν ἄτομα. Quæ Epicurus adiectiuè ἄτομα heic dicit, dicit poſteà paſſim ſubſtantiuè Ἀτόμους, voce nimirùm celebri, cùm de principiis agitur rerum. Dicere verò etiam ſolet κατ᾽ ἐξοχήν, τὰ σώματα, *Corpora*, quia ſint naturæ incorporeæ, hoc eſt, *Inanis expertia*, ἀμέτοχα κενοῦ. Quâ occaſione etiam dicuntur *Plena*, πλήρη, μεστά, ναστά, itémque *Solida, & Dura*, στερεά, καὶ σκληρά. Vti &, quòd omnia ex eis componantur, dicuntur non modò ἀρχαί, *Principia*, & στοιχεῖα, *Elementa*, vt iam memorauimus; verum-etiam πρῶτα σώματα, *Corpora prima*, & πρῶτα μεγέθη, *Prima magnitudines*; itémque Semina rerum, πανσπερμία, *Rerum omnium ſeminarium*, *Genitalia ſemina rerum*; & τῶν ὄντων ὕλη, *Rerum materies*, Prima nimirùm. Quin-etiam Pythagoricâ denominatione dictæ ſunt Μονάδες *Vnitates*, quod vt ex Vnitatibus numeri, ſic ex ipſis concreta omnia, ac, vt Ariſtoteles ait, nihil differat, μονάδας λέγειν, ἢ σωμάτια μικρά, *Vnitates dicere, an exilia corpuſcula*. Vnde eſt illud Automedontis, dum Epigramma ita concludit: 1. de an. c. 4.

Ταῦτ᾽ εἰδὼς σοφὸς ἴσθι, μάτην δ᾽ Ἐπίκουρον ἔασον L. Anthol. 15.
Ποῦ τὸ Κενὸν ζητεῖν, καὶ τίνες αἱ Μονάδες.
Hæc monitus ſapito, ac permittito fruſtrà Epicurum
Quærere vbi Vacuum, quæ Monadéſve ſient.

At celebri, vt dixi, voce Ἄτομα, καὶ Ἄτομοι dicuntur, quod τὴν τομήν, *id eſt, Sectionem*, inquit Seruius, *non recipiant*. Scribit Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium, Ἀτόμους dictas διὰ τὴν ἄλυτον στερρότητα, *ob ſoliditatem indiſſolubilem*; quod Cicero etiã priùs adnotârat. Nimirùm Corpora Cõcreta, ſeu cõpoſita, quòd ob Inanis admiſtionem penitùs ſolida nõ ſint, variè diuidũtur, ſubdiuiduntúrque, donec peruentũ ad iſta vſque corpora prima fuerit; cęterùm ipſa nullo modo poſſe deinceps diuidi, vnde in 6. Eclog. 14. præp. 1. de fin.

&c

& dicuntur, *Indiuidua*, *Indiuiſibilia*, *Inſectilia*, *Inſecabilia*, *Impartibilia*, ἀδιαίρετα, ἀμερῆ, & quia nihil minus natura agnoſcit, ἀναπαίσθητα, καὶ ἀόρατα, λόγῳ θεωρητά, *Inſenſibilia*,
5 Acad. *Inuiſibilia*, *Mente percepta corpuſcula. Corpuſcula*, inquam, ſic enim Cicero interpretatur, quaſi nullum corpus poſſit exilius concipi; adeò vt Lucillius non illepide Epigramma aliud ſic concluſerit:

2.Anthol.7. Εἰ δ' ἔγνω τῆ ἀγρὸν τῆ Μηνοφάνους Ἐπίκουρος,
Πάντα γέμειν ἀγρῶν εἶπεν ἄν, οὐκ ἀτόμων.
Agrum Menophanus ſi noſſet, plena Epicurus
Omnia dixiſſet non Atomis, ſed agris.

11.Metaphyſ.3. & 1.Phyſ.9. ♆. 30. καὶ ἀμετάβλητα, εἴπερ μὴ μέλλει. Attingit heic Epicurus præcipuam Rationem, ob quam ſit neceſſe dari Atomos. Eadem verò eſt, qua Ariſtoteles quoque probat eſſe in rebus materiam primam, ingenerabilem, incorruptibilémque, atque adeò ex qua præexiſtente omnia generentur, & in quam ſuperſtitem omnia poſtremùm diſſoluantur. Nempe contendit Epicurus Atomos talem eſſe materiam, immutabilem quippe, ſeu ortus, atque interitus expertem; ac diſcrimen eſt ſolùm, quòd ipſe velit reſolutionem naturalem terminari tandem ad inſectilia corpuſcula: Ariſtoteles verò non habeat, qualem deſcribat materiam, in quam reſolutio ſit vltimùm facta. Prætereo autem reponere me ἰσχυρὰ καὶ, pro ἰσχύοντα, ac ſtatim πλήρη τινὰ φύσιν, ἅτε οὐκ ἔχουσαν, pro πλήρη τὰ φύσιν οὐκ ἔχοντα, vt ſcilicet aliquis ſenſus, iſque congruus elici poſſit. Scopus enim eſt, vt intelligatur, quod adnixus ſum interpretando exprimere. Nam & quod *Plenam naturam*, hoc eſt, Atomum eam expoſui, *quæ eſt vacui expers*, *atque ſolida*, id colligitur ex iam dictis.

♆. 35. ὥστε τὰς τῶν σωμάτων, &c. pro ὥστε τὰς ἀρχὰς ἀτόμους ἀναγκαῖον εἶναι σωμάτων φύσεις. Videlicet ſenſus alioquin & perturbatus, & mancus eſt. Cùm ex hac verò Concluſione habeamus corporum principia eſſe Atomos, idipſum foret iam pluribus ex Epicuri mente probandum: verùm res pendet ex poſteriùs circa Qualitates dicendis; cùm inde ſolùm conſtare poſſit, qui ad Atomos rerum Ortus, Interitúſque pertineat.

♆. 37. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ Πᾶν ἄπειρόν ἐστι. Contendit hoc loco Epicurus Vniuerſi infinitatem tum ex Inanis magnitudine, tum ex Atomorum multitudine (perperàm licet) demonſtrare.

♆. 10. Τὸ γὰρ πεπερασμένον. Ratio hæc eſt, quâ Epicurus nititur probare eſſe Vniuerſum infinitum. Cùm mutilatè verò legatur; ideò repono, Τὸ δὲ ἄκρον ἔχον, &c. ad vſque, τὸ δὲ οὐκ ἔχον ἄκρον, pro, τὸ δὲ ἄκρον παρ' ἑτέρου τι θεωρεῖται, ὥστε τὸ οὐκ ἔχον ἄκρον. Repono, inquam, & lacunam compleo, authoritate Ciceronis, qui libro de Diuinatione ſecundo ſic habet: *Vidés-ne Epicurum, quem hebetem, & rudem dicere ſolent Stoici, quemadmodum quod in natura rerum Omne eſſe dicimus, id infinitum eſſe concluſerit? Quod finitum eſt, inquit, habet extremum. Quis hoc non dederit? Quod habet extremum, id cernitur ex alio extrinſecùs. Hoc quoque eſt concedendum. At quod Omne eſt, id non cernitur ex alio extrinſecus. Ne hoc quidem negari poteſt. Nihil igitur* (viſæ ſunt hoc loco ſupplendæ ſequentes nonem voculæ) *habet extremum Et hoc denique dandum eſt. Quare nihil cùm habeat extremum infinitum ſit neceſſe eſt. Vidés-ne, vt ad rem dubiam conceſſis rebus peruenerit? Hoc vos Dialectici non facitis*, &c.

♆. 5. Εἴτε γὰρ ἦν τὸ κενὸν ἄπειρον. Ratio hæc PAG.16.
eſt, quâ Epicurus probat ſubinde Vniuerſum non ſola Atomorum multitudine, aut Inanis magnitudine, ſed vtraque ſimul eſſe infinitum. Suppleo verò heic quoque illud, Τὰ δὲ σώματα ἄπειρα, quòd manifeſtè deficiat, vt Antitheſis, quæ eſt inter prius, poſteriúſque membrum cohæreat. Quod autem ſtatim pro ὁρίζων, lego ἂν ἔστω, cum Scaligero facio.

♆. 13. Πρός τε τούτοις. Aggreditur hoc loco Epicurus de ipſis Atomorum proprietatibus dicere, ac præmittit eas eſſe eiuſmodi corpora, quæ vt ἄτομα, *indiuidua* ſunt, ſic μεστὰ, *plena*, ſolidáve. Nimirùm quaſi ſupponendo cum Democrito eſſe omnium Atomorum eandem, ſimilémve naturam, quatenus omnes corporeæ, ſolidæque perinde ſunt, neque vllam diuerſitatem ratione ſubſtantiæ patiuntur.

♆. 15. Ἀπερίληπτά ἐστι ταῖς διαφοραῖς τῶν σχημάτων. Videbitur quidem priùs eſſe de Magnitudine, quàm de Figura Atomorum dicendum, provt Figura eſt aliquid ad Magnitudinem conſequens, tanquam terminus illius, ac modus; at ſeu Epicurus ſpectârit Figuram quaſi id, quod primâ quaſi ſpecie occurrit, ſeu ordinem parùm curârit, nihil refert. Prætereo verò totum hunc locum legi corruptè admodum; ac ideò me illud ἄπειροί εἰσιν ἄτομοι, &c. ad vſque ὁμοῖαι, repoſuiſſe, pro ἄπειροί εἰσιν αἱ ὁμοῖαι. Quippe niſi factam lacunam intelligamus, ſuppleamúſque, tum deſtituemur ſubſtantiuo, ad quod referantur, quæ dicuntur ἄπειροι ὁμοῖαι, tum membrum illud poſterius nullâ ſtabilietur ratione, ſecùs ac viſum hactenus eſt præſtitum fuiſſe ab Epicuro. Illud ἁπλῶς ἄπειροι ob repetitionem appoſitum eſt. Quæ ſequuntur autem, εἰ μὴ μέλλει τις, &c. ad vſque μένειν, ita tranſpoſui, repoſuíque, vt inſanabilis aliàs locus pateretur quempiam non incommodum ſenſum. Is nimirùm ſic vulgò legitur, οὐδὲ γάρ φησιν ἐνδέχεσθαι εἰς ἄπειρον τὰς τομὰς τυγχάνειν· λέγει δὲ ἐπειδὴ αἱ ποιότητες (aliàs ποιότητας) μεταβάλλονται. εἰ μὴ μέλλει τις μὴ καὶ τοῖς μεγέθεσιν ἁπλῶς εἰς ἄπειρον αὐτὰς ἐκβάλλειν. Ac de verbis quidem Laërtianis, vt nihil dicam; adnoto ſolùm verba illa, εἰ μὴ μέλλει τις, &c. fuiſſe haud dubiè anteuertenda, ac, vt factum eſt, ſimiliue modo ſupplenda, vt haberetur ratio, ob quam figurarum in Atomis varietas eſſe infinita non poteſt.

♆. 32. Κινοῦνταί τε συνεχῶς αἱ ἄτομοι. Quæ Epicurus heic videbatur περὶ τοῦ βάρους, *de Grauitate*, ſeu *Pondere* Atomorum eſſe dicturus, id explicat per ipſum Motum, qui Grauitatis effectus eſt, & qualis ea ſit, manifeſtat. Non attingit tamen hoc loco quicquid de eo dicendum habuit,

ſed quod ſpectat quidem ad æqui-velocitatem, pernicitatémque deducit poſteriùs, vt Laërtius quoque admonet. Quod ſit itaque huius loci proprium, viſum eſt voces illas εἰς τὸ αἰῶνα quaſi tranſpoſitas, collocatáſque poſt vocem βαρύτατα, seponere poſt vocem ἄτομοι, vt ſenſus completus, perſpicuúſque foret, & verba Laërtij abſque confuſione periodum concluderent. Poſteà autem lego σχεδὸν, pro αὐτὸν, quoniam vox alioqoin manifeſtè deeſt, vt reſpondeat voci antecedentis membri μακράν. Potuit interim etiam particula εἰς, quæ hanc præcedit, eximi authoritate MSS. à quibus abeſt; nam & hoc modo clariùs patet Aotitheſis illa, αἱ μὲν μακράν, αἱ δὲ σχεδὸν. Quod verò ſtatim pro ἀπὸ τῆς πλεκτικῆς, legam ὑπὸ τῆς συμπλεκτικῆς; ipſa ſenſus alicuius eliciendi neceſſitas facit; vti & quod ſtatim pro voce ὁ ὑπάρχων, vox ἐσυνάρχων reponatur. Ruſus & pro voce αἰτίαν repono ἀΐδιον, tum ob ſenſus neceſſitatem, tum quia id non malè cohæret cum eo, quod præceſſit, εἰς τὸ αἰῶνα; tum etiam quia conſonat cum eo, quod Democritus apud s. de fin. Ciceronem ait, *Motum Atomorum nullo à principio, ſed ex æterno tempore intelligi conuenire.* Poſtremò quæ varia interpretationi interſero. non videntur eſſe prorsùs inutilia, vt locus alioquin ſatis obſcurus non-nihil inclareſcat.

¶. 33. Φησὶ δ' ἐνδοτέρω. Indicat heic Laërtius locum, quo Epicurus infrà, interpoſitis ſatis multis, ait, *Atomos nullam qualitatem, πλὴν σχήματος, καὶ βάρους, καὶ μεγέθους, præter Figuram, Grauitatem, Magnitudinem* præ ſe ferre. Tametſi verò illeic ſolùm de Magnitudine diſſerit; operæ tamen pretium videtur aliquid de ipſa heic attingere, tum vt do tribus cohærenter dicamus; tum ne diutiùs differatur quod ex illa circa figuram ſupponitur; tū quia dicturi de cæteris qualitatibus aliqua, treis has prænouiſſe debere videamur.

Pag. 17. ¶. 51. οὐδέποτε γοῦν. Videtur, ex ſenſu, pro οὐδέποτε γοῦν vti & conſequenter ἄτομον αἰσθητὴν, pro ἄτομος ὤφθη. Præter porrò iam ante-dicta, dicetur etiam poſteriùs circa contextum Epicuri, quàm longè abſit Atomus, vt cadere in viſum poſſit. Cúmque eorum, quæ ſunt interpretando addita, ratio ex præmiſſis manifeſta ſit; moneo ſolùm, ad citationem Elementalium XII. adhibitam fuiſſe particulam καὶ, quòd illa, quæ ex ijs citantur, habeantur etiam inferiùs, ſaltem illud de non competente Atomis quantávis magnitudine; niſi quod planum etiam eſt illud, τὸ δὲ κενὸν, &c. ad vſque πῶν τὸ μέγεθος, legere tanquam parentheſi incloſum.

¶. 12. Τοιαῦτα. Sic lego pro αὕτη, fretus MSS. cùm potuiſſent verò hæc etiam haberi pro verbis Laërtij, planius tamen fuit ipſa legere quaſi ex contextu Epicuri; quaſi hæc nimirum ſit veluti concluſio dictorum hucvſque de Vniuerſo, ſeu Natura rerum, prout ex Inani, & Atomis conſtat; vnde & heinc ſumpta interpretando occaſio tranſitionis ad ea, quæ de Mundis ſequuntur.

¶. 16. Ἀλλὰ μὴν καὶ κόσμοι ἄπειροι. Quod Epicurus de Mundorum Infinitate heic fabulatur, attingitur etiam poſteriùs Epiſtolâ ad Pythoclem; hoc interim loco legere eſt viſum, ex ipſa fide MSS. οἱ δ' ὅμοιοι τούτῳ οἱ δ' ἀνόμοιοι, non vt vulgò οὐδ' ὅμοιοι τούτῳ οὔτ' ἀνόμοιοι. Quibus ex verbis non tam elicitur eſſe Mundos cæteros partim ſimileis; partim diſſimileis huic noſtro, quàm eſſe vel omneis ſimileis, vel diſſimileis omneis. Legendum conieceram, οἱ μὲν ὅμοιοι τούτῳ, οἱ δ' ἀνόμοιοι; ſed quocumque modo, res intereſt parùm. Quod ſequitur autem αἵ τε ἄπειροι, &c. ad vſque ὁ γὰρ, id totum partim adiiciendum, partim reponendum eſt viſum pro tribus illis vocibus, φέρονται καὶ πορρωτάτω, ob complendi ſenſus, perficiendæque rationis manifeſtam neceſſitatem. Quòd verò pro πορρωτάτω legam πόῤῥω τούτου, occaſionem habeo ex MSS. in quibus πόῤῥω τούτῳ licet legere.

¶. 17. Καὶ μὴν καὶ τύποι ὁμοιοσχήμονες. Quòd Epicurus exiſtimârit præter Mundos, ac ſolida, ex quibus conſtant corpora, eſſe in Vniuerſo tenuiſſimas quaſdam concretiunculas ſiue contexturas ipſis ſolidis corporibus ſimillimas, ex quibus in viſum, mentémque incurrentibus effici viſionem, intellectionémque contingat; videri poteſt inde occaſionem de his cohærenter agendi ſumpſiſſe. Conſtat verò ipſas nihil eſſe aliud, quàm vocatas vulgò viſibileis, ſenſibileis, intentionaleis ſpecies, ſeu formas; quas ipſi Democritus primùm, ac deinde Epicurus Εἴδωλα, καὶ Τύπους dixerunt, & Cicero Imagines; Quintilianus Figuras; Catius Spectra; Lucretius Simulacra, Effigias, & id genus alia ſunt interpretati. Et quoniam ille ex variis modis, quibus gigni Imagines, Simulacráve poſſe putauit, duos dumtaxat attigit; præcipuus eſt quidem, quo fieri generationem hanc voluit per deceptionem ab extimis ſuperficiebus corporum; ſed non contemnendum tamen duxit illum, quo cenſuit poſſe fieri per ſpontaneam quandam quaſi eruptionem, concretionémque in aëre. Heinc certè, quia viſus eſt de hoc poſteriore priùs loqui; repoſui ſtatim in ipſo textu, συστάσεις, pro ἀποστάσεις, & vel ex eo quidem, quòd re aliquantò pòſt repetitâ, non ἀποστάσεις legitur, ſed συστάσεις. Et meritò ſanè dicere videtur συστάσεις, quòd quædā quaſi concremēta, ſeu coagmentationes ſint, cùm alioquin vox ἀποστάσεις videatur potiùs tribuēda Imaginibus generis prioris, vti ipſas quoque ἀποῤῥοίας vocat, (lib. 5.) Ad ipſas quod ſpectat, Ciceronis eſt obſeruatio, (2. de Nat. Deor.) *σερέμνια propter firmitatem* ab Epicuro appellari. Adnoto verò illud ἔτι ἐστὶν καὶ ἄλλους, &c. non tam eſſe nouum generandarum imaginum modum, interpoſitum, quàm partem, ſeu rationem quandam ſuperioris, ſiue ſpontanei: vtcumque ea vix poſſit abſque additamento ad interpretationem facto intelligi; & maximè cùm vt mentio κοιλωμάτων ſit, ſic ἐξοχῶν fieri debuiſſe videatur; atque idcirco Alexander interpretatus ipſam fuerit ἐξοχὴν, καὶ εἰσοχὴν, *eminentiam, & profunditatem.* (2. de an. 34.) Statim autem repono τάξιν, pro eo, quod vulgò habetur θέσιν, nam & breui pòſt licet iterum legere θέσιν, καὶ τάξιν.

Et

Et cùm Epicurus ibi iam loquatur de ſimulacris, quæ ex ſolidorum ſuperficiebus deripiuntur, conſtat velle ipſum nihil aliud, quàm huiuſmodi ſimulacra à corporibus auolantia ſeruare eundem poſitum, ordinémque partium, quem in ipſa ſui direptione in ſuperficiebus corporum habebant.

Pag. 18. ♰. 1. Καὶ μὴν καὶ ἡ διὰ τοῦ κενοῦ φορά. Declarare Epicurus volens qui fieri poſſit, vt ſimulacra ineffabili pernicitate transferantur, duo habet quaſi fundamenta; vnum, ipſam pernicitatem Atomorum, ex quibus conſtant; alterum, eorum tenuitatem. Heinc lego:

♰. 8. τὸ ἀντικοπτόμενον, pro κατὰ τὸ φερόμενον, quoniam, vt prætereeam nihil congrui ſenſus poſſe alioquin heinc erui; videtur Epicurus poſtquàm dixit Atomorum motum, donec per ſpatium inane fit, & nihil retundens occurrit, eſſe inexcogitabiliter celerem, videtur, inquam, ſubmonere, ſe poſtremam hanc particulam adiicere, quòd motus alioquin celer, videri poſſit lentus, vbi ſpatium non tam citò propter varias retuſiones peruaditur. Et ne propterea exiſtimemus, cùm Atomus heinc retuſa, contendit illuc, vnde iterum retundatur; & inde rurſus aliò, atque ita porrò; exiſtimemus, inquam, partialeis hos motus, quibus huc, illuc, aliò fertur, eſſe minùs celeres, ſeu peragi tempore magis cogitabili, quàm ſi extenſi veluti eſſent in vnum rectum, ſimplicem, vniúſve tenoris motum: ideò ſubiicere videtur hanc periodum, quemadmodum ipſam expoſui. Ex ipſa autem facile eſt ſequentem quoque intelligere, interpunctione factâ poſt γὰρ, Lego verò in conſequente ὁμοῖα, pro ὅμοιον, & τῷ τάχει pro τὸ τάχος, & μὴ ἀντικοπτὰ καταλαμβανομένοις, pro μὴ ἀντικοπτὴν καταλείπωμεν, ac paucula etiam interpretationi interſero; quoniam alioquin, vt clarum eſt, ſenſus elici nullus poteſt. Lego & ſtatim καὶ τὸ ὅτι, pro αὖ ὅτι: Sic enim ob illud præcedens καὶ τοῦτο agnoſcuntur diſtinctiùs quæ duo prædixi fundamenta; & poſterius quidem de ineffabili ſimulacrorum tenuitate, quatenus talis concipitur, vt, cùm ſimulacra nihil aliud ſint, quàm ſimplices quædam Atomorum ſimplicium texturæ, intelligatur nullam ipſarum pernicitati remotam fieri. Sic ſtatim rurſus:

♰. 17. Lego οὐθὲν γὰρ pro ὅθεν, tum quia MSS. habent οὐθὲν, tum quia ibi non conſequutio deducitur, ſed redditur ratio. Sic iterum ſtatim ὅταν pro ὃ οὐθὲν propter ſenſus perſpicuitatem, quæ cæteroquin nulla ſit: ac ſimiliter αὐτοῖς γὰρ pro αὐτῶν; ac demùm, ὁ πολὺ διάφορον ἐν τῷ διεξιόντι, pro πολλοῖς δὲ, καὶ ἀπείροις εὐθὺς ἀντικόπτειν τι, vt ſenſus quiſpiam elici, ſaltem qui ſibi cohæreat, poſſit. Cohærere autem videtur, qui interpretando adhibitus eſt, cùm de pernicitate agatur, quâ ſimulacra peruadunt aërem, aliúdve circumſtans, & tranſparens ſpatium.

♰. 23. πρός τε τούτοις. Declarat heic Epicurus facilitatem generationis ſimulacrorum per dereptionem; cùm etiam de facilitate cæterorum per concretionem intelligendum illud ſit, καὶ συστάσεις ἐν τῷ περιέχοντι, &c. Quod lego porrò ἐπιπολῆς συνεχὴς, ἐκ ἐπίδηλος συμμειώσει, videri poteſt lectio non improbabiliter ex variantibus colligi; vtcumque omnes συνεχὲς, vel συνεχεῖ habeant; cùm videatur tamen ſatis perſpicuè intelligi ῥύσεις συνεχεῖς, & exinde eſſe ἀναπλήρωσις, ob quam effluxus ſingularis cuiuſque imaginis deſignari nullatenus poſſit. Atque iſta quidem de lectione textus; niſi quòd paulò pòſt vbi dicitur eſſe poſſe alios generationis ſimulacrorum modos, lego ἑτέρους, pro ἑτέρας, vt legendum abunde ſuadent, quæ circa Canonicen dicta ſunt.

♰. 37. Δεῖ δὲ καὶ νομίζειν. Occaſione eorum, quæ fuere de Imaginibus dicta, inſinuare Epicurus voluit peragi Viſionem earum interuentu. Lego autem Δεῖ δὲ, ex MSS. & cum Aldobrandino (cùm alioquin legatur Εἰ δεῖ, deperdito ſcilicet δὲ ex priore particula, & adhibito ad poſteriorem ι) quoniam id ſenſus exigit, ac propter rationem præſertim ſequentem. Quippe Epicurus, vt oſtendat ideò res à nobis videri, quòd aliquæ formæ, ſeu imagines aduenian ex ipſis, & in viſum incidant; aſſumit fieri potiùs viſionem aliquo extrinſecùs accedente ad nos, quàm aut agente aëre intercepto, aut radioſo quodam, alióve effluxu è nobis verſùm res manante.

♰. 7. Ἀπὸ χρώματός τε, καὶ ὁμοῦ μορφῶν. Quod Pag. 19.
Epicurus hoc loco effert numero multitudinis, dixerat moxantè ſingulariter, τό τε χρώματος καὶ τῆς μορφῆς, quibus ex verbis occaſionem ſumpſi legendi ὁμοῦ μορφῶν, pro ὁμοιομόρφων, ac potiſſimùm, quia adhibita particula καὶ connectere debet voci χρῶν, non adiectiuam, ſed ſubſtantiuam vocem.

♰. 15. Καταλαμβανόμεθα φαντασίαν ἐπιβλητικῶς τῇ διανοίᾳ. Lego heic imprimis καταλαμβανόμεθα, pro καὶ ἣν ἂν λάβωμεν; quòd alioquin nullus ſit ſenſus, aut ſaltem non is, qui conſequentia appoſitè cum præcedentibus coniungat; & loco præſertim ſatis intricato, niſi quatenus Parentheſis, quam ante hanc vocem adhibuimus, non-nihil iuuat.

♰. 51. Καὶ ταῦτα μὲν φαντασία, &c. ad vſque, Τὸ δὲ ψεῦδος. Viſum eſt hoc membrum ſupplendum, quaſi manifeſtè deficiens, vel ex eo, quod illud, Τὸ δὲ ψεῦδος perſpicuè ſupponit præmiſſam de veritate ſententiam; quódque deinceps de veritate, & falſitate, vt de duobus membris, quorum mentio ſit habita, agitur coniunctim. Sanè & eſſe alia non potuit dicendi de Falſitate occaſio, quàm præmiſſum de Veritate membrum, occaſione ſubnatâ ex impreſſione imaginis, quæ facta in ſenſu, viſionem; in mente, intellectionem creet: & vtramque quidem nudam, ſimplicémve, hoc eſt ſine vlla affirmatione, aut negatione, atque idcirco veram, vt intelligi poteſt pleniùs ex iis, quæ ſunt circa Canonicen dicta.

♰. 24. εἴτε μὴ ἐπιμαρτυρηθῇ, εἴτε καὶ ἀντιμαρτυρηθῇ, Ita lego pro ἐπιμαρτυρηθήσεσθαι, ἢ μὴ ἀντιμαρτυρηθήσεσθαι, εἶτ' οὐκ ἐπιμαρτυρουμένης, ac poſtpono illud ἐν τῷ προσδοξαζομένῳ ἀεὶ ὄντι, vt aliquis ſenſus congruus eliciatur,

qui aliàs quis ſit aut eſſe poſſit, non appa-ret. Addo & ſtatim pòſt, particulam μὲν ob conſequentem particulam δὲ, & lego τινι pro τιν. quòd cohæſio intelligatur, non cum quacumque, ſed cum quapiam ἐπιβολῇ, ac lego demùm ἔχωσαν, pro ἔχωσι, quòd relatio concinna ſit, non ad vocem ἐπιβολῇ, ſed ad vocem κίνησιν, vt attendenti, & quempiam ſenſum exigenti ſit manifeſtum.

ψ. 30. τῶ φανταστικῶν, ὥσπερ ἐν τῇ μανίᾳ, Ita lego, pro τῶ φαντασμάτων, ὥσπερ ἐν εἰκόσι: tum quia conſequens eſt lectio ad præmiſſum illud περὶ φανταστικῶν: tum quia cùm illud ἐν εἰκόσι, ſit heic quidem loci admodum obſcurum, videtur omnino Epicurus copulaſſe hoc loco cum iis, quæ apparent per ſomnum, ea, quæ apparent per furorem, vt fecit in Canonica, cùm τά τε τῶν μαινομένων φαντάσματα, καὶ τὰ κατ' ὄναρ ἀληθῆ dixit. Lego autem cohærenter ὑπάρχει ἐν τοῖς, pro ὑπάρχον τοῖς, quòd ſenſus ſit planior; & ſtatim, πρὸς ἃ ἐπιβαλλόμεθα, non πρὸς ὃ βαλλόμεθα, quòd vox antecedens ταῦτα, exigat relatiuam particulam ἃ, & ſenſus verbum aliud, quàm ſimplex βαλλόμεθα, depoſcat.

ψ. 40. κίνησιν. Vocem hanc ſuppleo, vt quam manifeſtè deeſſe, repetitio eiuſdem phraſeos aliquoties facta demonſtret; inculcante Epicuro toto hoc loco falſitatem, ac errorem eſſe non in nuda apprehenſione, ſeu ſenſu, ſeu intellectu facta; ſed in ſola opinione, ſiue in iudicio, quod mens ad ſimplicem apprehenſionem addit: quoties nempe mens quapiam prætereà alia apprehenſione ſimul mouetur, quam cum præſente ita connectat, vt hanc illam eſſe, aut non eſſe pronunciet. Prætereo autem facere huc præſertim Lucretianum illud ſuperiùs citatum:

> —— *Pars horum maxima fallit,*
> *Propter opinatus animi, quos addimus ipſi.*

PAG. 10. ψ. 3. ἐναργείας. Ita, vt conſtat, non ἐνεργείας. Loquitur enim Epicurus de fundamento veritatis, quod in euidentia eſt ſitum, quódque inconcuſſum ſeruare hortatur; accinente Lucretio præſtare rationis egentem cauſas reddere,

> *Quàm manibus manifeſta ſuis emittere quaque,*
> *Et violare fidem primam, &c.*

ψ. 6. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ ἀκούειν. Ex iis, quæ dicta de viſione fuere, quatenus ex incurſu imaginum, ſpecierúmve coloris, & figuræ elicitur, anſam accipit Epicurus dicendi Auditionem conſimiliter elici ex incurrente aliquo extrinſecùs in ipſam aurem, auditúsve ſenſorium, quod dicere ſonum, vocémque ſolemus. Lego autem initio ſtatim ῥεύματος pro πνεύματος, vel ex eo, quòd ſtatim re ſubſumptâ, ita habetur, τὸ δὲ ῥεῦμα τοῦτο, &c. vt prætercam ῥεύματος vocem eſſe & generaliorem, & cohærentiorem cum iis, quæ præmiſſa ſunt de viſione interuentu imaginis habitæ, vt ῥεύματος, ſiue ἀποῤῥοίας τινός. Quod verò, præter cohæſionem interpretando ſupernotatam, adieci, τὸ ῥεῦμα, *Effluxionem hanc* ex ore loquentis aut à re quacumque ſonum exprimente emiſſam, & ad aureis peruenientem, ipsáſque ferientem, & auditionem creantem, eſſe *inſtar guttularum aquæ à fullone exſufflata*; neque proinde mirum eſſe, *ſi varios auditus pari modo feriant*, quòd tales quaſi guttulæ, ſeu voces à variis exceptæ, ſimillimæ inter ſe ſint; id ex ipſomet Epicuro apud Plutarchum deſumptum fuit.

ψ. 17. Subiiciendum reſtat circa illud contextus, καὶ τὴν ἐπαίσθησιν, &c. fuiſſe à me poſt vocem συμπαθείας, adiectum, καὶ ἑνότητος quòd nemo non facile videat id eſſe ſupplendum, quatenus Epicurus mox antè exegit, ἢ συμπάθειαν, καὶ ἑνότητα, & Lucretius quoque ad diſtinctam auditionem conſeruari vult vt ipſam figuram (quâ voce videtur interpretari τὴν συμπάθειαν) & ſic formaturam, ſiue contexturam, coagmentationémque, & integritatem (quaſi videlicet hac voce deſignet τὴν ἑνότητα.)

ψ. 28. Καὶ μὴν καὶ τὴν ὀσμήν. Subiungit Epicurus heic etiam aliquid de Odore, quod Soni inſtar ex interuallo ad ſenſorium adueniat, & minùs quidem, ſed quadamtenus tamen imitetur imagines procul in viſum incurrenteis. Vnde & cauſa reddi poteſt cur nihil perinde habeat de Sapore, déque qualitatibus, quæ referri ad Tactum ſolent; quia ſcilicet iſtæ guſtatum, tactúmque non mouent, niſi eæ res, quibus inſunt, ipſis ſenſibus admoueantur; neque proinde imitantur traiectionem imaginum, de quibus ſolis, aut præcipuè, inſtituerat dicere hoc loco. Lego verò ſtatim initio, ὡς ὥσπερ καὶ, pro ὥσπερ καὶ, quòd comparatio fiat Odoris cum voce, aut ſono, non cum ipſo ſenſu auditus, quicum potiùs profectò foret ipſe olfaciendi ſenſus comparandus. Cæterùm quod Epicurus dicit odorem ἀποφέρεσθαι, *abſcedere à corpore*, Lucretius ita excipit:

> *Nunc age quo pacto nareis adiectus odoris*
> *Tangat, agam, &c.*

ψ. 36. Καὶ μὴν καὶ τὰς Ἀτόμους. Locum hunc iam antè indicauimus, cùm de proprietatibus Atomorum. Videtur autem Epicurus iſta attigiſſe quaſi ad monitus, ex iis quæ dixit de qualitatibus quibuſdam, nimirum colore, ſono, & odore; quæ cùm in rebus concretis inſint, ſuſpicari quis poſſet Atomos, ex quibus eæ conſtant, qualitates eaſdem primariò, ac per ſe habere; ſicque Atomorum alias coloratas, alias ſonoras, alias odoras eſſe. Porrò quia fusè dictum iam eſt, & hacce de re, & de ſingulis proprietatibus Atomorum; idcirco nihil iam repeto, ac adnoto ſolùm ad illud συμφυῆ ἐστι, additum fuiſſe interpretando, *cuiuſmodi ſunt Aſperitas, & Læuor*; ne ambigatur, quid ille velit; & vt intelligatur non eſſe propterea plureis qualitates, ſiue proprietates, quàm treis, videlicet *Figuram*, *Pondus*, & *Magnitudinem*, habendas.

ψ. 40. Ποιότητας γὰρ, πάσας, &c. ad vſque ἄτομοι μηδ' ἐν μεταβάλλωσιν. Iſthæc omnia addo, pro ποιότης γὰρ πᾶσα μεταβάλλει, αἱ δέ. Quoniam niſi locus ita reſtituatur, nihil ſenſus eſt, quod appoſitè elici heinc poſſit: & maximè quidem, cùm heic ſuſcipiatur ratio reddenda, quamobrem tres illæ duntaxat

Atomis

Atomis inſint; non verò illæ aliæ tam multæ, vt color, odor, ſapor, calor, &c. quæ Atomis, quaſi principijs, originem ſuam debere videantur. Quin-etiam, ſi verum putemus monuiſſe iam antè Laërtium, *Epicurum inferius*, hoc eſt, heic loci, *perhibiturum qualitates alias non conuenire Atomis, quàm tres memoratas; colorem verò ipſo Atomorum commutari poſitu*; patet in textu, vt vulgò habetur, nullam fieri neque coloris, neque alterius Qualitatis, poſitu Atomorum commutatæ, mentionem. Vtor verò heic verbo μεταβάλλειν, paſſiuè etiam ſignificante, non autem verbo ἀλλάττεσθαι, quod inſinuauit Laërtius; quoniam heic illud, non verò hoc aliquoties repetitur; vti & adhibeo ad phraſin κατὰ, pro παρὰ τὴν θέσιν; quoniam textus reſiduus illam, non hanc præpoſitionem habet. Non aliam tamen appono conditionem, aliúdve Euentum, quàm θέσιν, *poſitum*; quòd eius ſolius Laërtius meminerit; quódque hoc Euentum eiuſmodi ſit, vt cætera ad ipſum reduci facillimè poſſint. Quod autem deinceps vtor verbo ἐνυπάρχειν, eiúſque participio, ad deſignandum quæ Qualitates, vt connaturales & perpetuæ, inſint; aut vt aduentitiæ, & temporaneæ, non inſint Atomis; occaſionem habeo ex iis, quæ ſequuntur; ex quibus licuit etiam priores appellare ἰδίας, quatenus inſunt, quemadmodum quæ eſſe dicuntur inſeparabiles proprietates.

PAG. 21. ψ. 3. Δεῖ τι ὑπομένειν ἐν τῇ διαλύσει τῶν συγκρίσεων. Quid hoc quidem ſit, dictum eſt iam antè. Cùm heic verò loci Epicurus agat non modò de ea mutatione, quam vulgò Alterationem vocant; ſed etiam de ea, quam Generationem, & Corruptionem, ſeu Ortum, & Interitum; ideò cùm iam ſit de priore, déque Qualitatibus ab ea dependentibus actum; ſupereſt etiam de poſteriore attingamus aliquid, vt agnoſci valeat quatenus iuxta Epicurum differat, aut non differat à priore. Pergit porrò heic quoque textus eſſe corruptus admodum; vnde &, ne adnotem videri ſtatim ποιήσαιτο concinniùs legi, quàm ποιεῖται, lego rurſùs ſtatim μηδὲ πολλῶν pro ἐν πολλαῖς quòd ita inſinuet tum particula ſequens δὲ, tum quæ diſtributio heic fit Atomorum, iuxta modum triplicem, quo vt Alteratio, ita Generatio & Corruptio fit, quod aliquantò etiam clariùs interpretando expreſſum eſt. Neſcio autem an Aldobrandinus ad hoc ſatis attenderit, cùm voces inſequenteis περιόδους, καὶ ἀφόδους commutauit in voces προσόδους καὶ ἀφόδους; cùm quid id totum rei foret inſinuare potuerit vel ille Lucretij verſus

Quorum abitu, aut aditu, mutatóque ordine mutant.

ψ. 9. ὁμοῦ τοὺς voculas adiicio; & mox ὄγκους τε, pro ὄγκους δὲ lego, vt ſenſus, alioquin futurus nullus, is reddatur, quem ſum conatus interpretando exprimere. Is verò non malè cohæret vt cum iis, quæ mox præcedunt, ita cum iis, quæ mox ſequuntur; legendo nempe τούτους pro τοῦτο, vt vox referatur tam ad ὄγκους, quibus magnitudo, quàm ad σχηματισμούς, quibus figura (duæ ſcilicet Atomorum proprietates tam incommutabiles, tamque incorruptibiles, ac tam in omni diſſolutione ſuperſtites, quàm ipſæ Atomi) deſignantur.

ψ. 14. αὐτὸ τὸ σχῆμα, καὶ τὸ μέγεθος. Sic lego, non autem ſimpliciter τὸ σχῆμα, vt comparatio integra ſit. Agnoſcere autem licet, non inutile eſſe additamentum ad huiuſce loci interpretationem factum, neque ſenſum eſſe expreſſum incongruum, qui aliàs, fruſtrà, vt opinor, tentetur. Heinc & ſtatim addo, καὶ μὴ ἰδίας, vt is euadat clarior, & cohæreat cum eo, quod agnitæ in Atomis ſunt qualitates ἰδίαι. Ac rurſùs pro ὥσπερ ἐκεῖνο καταλείπεσθαι, lego ἃ οὐχ ὥσπερ ἐκεῖναι καταλείπονται, quòd niſi adhibeatur negatio, contrarius (niſi etiam nullus) euadat inſtituto ſenſus; quódque vox ἐκεῖναι referatur ad magnitudinem, & figuram; & vox καταλείπονται ad vocem ποιότητες. Denique & lego ἀπόλλυνται pro ἀπολλύμεναι, propter phraſeos neceſſitatem.

Ad Textum vt redeam, adiicio ψ. 10. illud ἅμα καὶ τὸ βάρος, ne cùm initio capitis huius de Atomorum Qualitatibus aſſignatæ fuerint propriæ, ac inſeparabiles tres, & deinceps tamen duæ ſolùm expoſitæ fuerint, videri poſſit in iſta quaſi concluſione aut vna ex tribus negari, aut ſaltem haberi ad Alterationem, Generationem, Corruptionem inutilis, quæ ad illas tamen neceſſaria cum-primis eſt, quatenus ſine ipſa is non eſt, qui cum-primis eſt neceſſarius motus. Statim autem pòſt lego μὴ ἂν μηδ᾽ ἂν φθείρεσθαι; pro ſimplici μὴ φθείρεσθαι quoniam ſenſus id exigit & mss. habent μὴ ἄν.

ψ. 24. Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ δεῖ, pro Ἀλλὰ μηδὲ δεῖ. Nempe ſenſus id poſtulat, & mss. habent μὴν οὐδέ. Supplet porrò heic Epicurus, quæ antè oblitus quaſi videbatur circa Atomorum Magnitudinem; vti & conſequenter ſuppleturus eſt, quod circa earumdem Pondus, atque Motum; cùm tamen circa ipſam Figuram nihil dicturus perinde ſit, quaſi dixerit de illa abundè.

Lego imprimis ψ. 31. ὥστε ἀφῖχθαι μέλλει, pro ἀφῖχθαί τι ἀμέλλει, vti & ſtatim, τὸ γὰρ ὅτι, pro ὃ οὐ quòd ita planè depoſcat ſenſus.

ψ. 38. ἐπὶ τοὔλαττον. Videtur Epicurus deſignare hac voce diuiſionem, quæ fit in parteis proportionaleis; quatenus quælibet pars ſuccedente ſectione facta, minor ſemper eſt ea, quæ facta per præcedentem fuerit. Tanceo Ariſtotelem quoque inſinuare phraſin, dum id eſſe diſcriminis inter magnitudinem, & numerum docet, vt in numeris quidem perueniatur ἐπὶ τὸ ἐλάχιστον, *ad minimum*: in magnitudine verò ἐπὶ τὸ ἔλαττον *ad minus* duntaxat. 3. phyſ. 7. Adnoto verò quod heic ſtatim habetur καὶ ὡς ἐν τῇ διαλύσει τῶν ὄγκων repoſitum à me pro καὶ ἐν τῇ διαλύσει τῶν ἀθρόων, quod ſic faciendum ſuaſerint & voces antecedentes ταῦτα ἀεὶ ποιοῦμεν, & conſequentes τὰ ὄντα θλίβοντες καταναλίσκειν. Cùm enim velit Epicurus in diſſolutionibus corporum ſupereſſe στερεόν τι, καὶ ἀδιάλυτον *quidpiam, quod ſit firmum, & inexſolutum*; eo modo, quo, dum

digitis exterimus ceraſum, ſupereſt inextritus nucleus innuere videtur, ſi diuidi corpus in infinitum valeat, nihil ſuperſore ςερεὸν, & ἀδιάλυτον, ſed omnia fore ἀσθενῆ, *imbecilla*, ac extritum iri, euaneſcereque, perinde ac exteritur, euaneſcitque è digitis aqua, dum corripitur, premitúrque.

PAG. 22. ♆. 6. μηδ᾽ ἐπὶ τὔλατῖον, pro μηδὲ τὔλατῖον. Nempe, vt eadem phraſis conſtet, & interpretando addatur, quod inſinuet Epicurum quoque negaſſe in Magnitudine parteis Aliquotas infinitas. Vtitur autem voce non τομῆς, ſed μεταβάσεως, vt intelligatur, iuxta Empiricum, Motus localis, ſeu tranſitiuus, progreſſiuúſque, quo ſecabiles æquales partes deſignantur. Lego verò ſtatim ἔν τινι, pro ἐν τισι, propter ſingularem, quæ ſequitur vocem τὸ μέγεθος, & quia MSS. ſic habent. Interim autem vis rationis, quâ Epicurus vtitur, in his præſertim verbis conſiſtit; vt ſcilicet intelligamus, ſi aſſumpto corpore finito numerus tamen partium, in quas illud poteſt diuidi, finitus non ſit, eſſe in illo igitur parteis reipsâ infinitas: quare & totum ex iis reſultans eſſe infinitum, quod repugnat ſuppoſitioni.

♆. 10. Εἴτε γὰρ, &c. ad vſque ἄπειρον ἂν ἦν, pro Πηλίκοι γάρ τινες δῆλον, ὡς ἄπειροι εἰσιν ὄγκοι. Καὶ οὗτοι, ἐξ ὧν ὁπηλίκοι ἄν ποτε ὦσιν. Ex quibus aliud nihil licuit, quàm ſenſum ſubolfacere, quem exprimere ſum conatus: & cùm hæc ſolùm eſſe videatur quædam velutí confirmatio, declaratióque vberior rationis mox commemoratæ.

♆. 13. ἄκρον δὲ ἔχοντος τῆς πεπερασμένης, pro ἄκρον τε ἔχον τι τὸ ὑποπεπερασμένον. Nempe & MSS. habent τῆς πεπερασμένης, & ita omnino videtur legendum, vt quiſpiam ſenſos exprimatur. Eiuſdem ſenſus gratiâ τὸ ante καθ᾽ ἑαυτὸ, & rurſus μὲν pro μὴ, ac iterùm κατὰ pro κατ᾽, & τὸν ἐφεξῆς eum MSS. (quanquam idem eſt) pro τὸ ἑμερινὸν, denique & ἐκ ἂν ὑπάρξῃ, pro ὑπάρχειν. Siquidem exinde elicitur nouum ab Epicuro argumentum aduersùs partium infinitatem, ac ipſum quidem perſimile illi, quod ex Zenone affert, neque ſatis ſoluere Ariſtoteles videtur.

♆. 20. Τό τε ἐλάχιστον. Cùm totus hic locus ſit valde corruptus, atque adeò ita obſcurus, vt ex ipſo vix vllus ſenſus cohærens poſſit elici; ſubodorari ſolùm licet, declarare Epicurum velle, cùm Atomus magnitudinem, ac partium proinde diffuſionem, extenſionémve habeat; poſſe in ipſa Minimum quidpiam eâ proportione intelligi, quâ in Magnitudine, ſeu extenſione ſenſibili accipimus minimum ad ſenſum.

♆. 23. Πάντως. Ita videlicet pro πάντων, tametſi MSS. non indicaſſent, legendum fuerat. Quod porrò heic addo interpretando quid intelligatur Minimum ad ſenſum difficultate cùm careat; quod addo tamen interpretando τὸ τῆς μεταβάσεως ἔχον eſſe *Minimum menſuræ*, ſiue menſuram minimam; res videri inſolens poteſt. Verùm & hoc congruit cum dictis iam antè circa vocem μεταβάσεως; & reuerâ menſuratio eſt quædam gradatio, ſeu pertranſitio interuallorum, partiúmve, quibus ſucceſſiuè applicatio menſuræ fit; & quodcumque genus μεταβάσεως, ſeu tranſitus ſit, mobile eſt ſemper veluti menſura; quatenus totum ſpatium non alia ratione pertranſit, quàm ſucceſſiuè applicando partibus ipſius magnitudinem ſuam. Vt taceam totum iſtum locum non videri poſſe aliâ ratione intelligi; & coniecturam eſſe deſumptam tum ex vocibus καταμετροῦντα (ſeu potiùs καταμετρούμενον) & καταμέτρημα, quæ conſequenter ſubiiciuntur; tum ex eo, quòd videtur Epicurus nihil aliud heine velle, quàm menti ſubiicere quemadmodum intelligere magnitudinem in Atomo oporteat magnitudinis ſenſibilis inſtar, in qua ſunt partes quædam ad ſenſum minimæ, quædam in menſuram cadentes, ſeu aliquotæ, ſed ſenſibiliores.

♆. 27. Τὸ δ᾽ ἐπὶ μόνον. Ita videtur, pro τὸ ἴσον ὑμῖν, vt phraſis, ſenſúſque cum ſcopo cohæreat; cùm ſi alioqnin commodus ſenſus his verbis retentis exprimendus ſit, nimis multæ ſint ambages texendæ. Statim autem lego καταμετρούμενον ταῦτα, pro θεωροῦμεν ταῦτα, coniecturâ, vt antè, deſumptâ ex conſequentibus iiſdem vocibus, & vt congruus exprimatur ſenſus, qualis vel ex additamento ad interpretationem facto eſt ſatis conſpicuus, & ſubiunctâ quidem lectione, οὐ μὲν τὸ αὐτὸ ὅτι μέρεσι μερῶν ἅπτομένων, ἀλλὰ τῇ, pro ἐκ ἐν τῷ αὐτῷ οὐδὲ μέρεσι μερῶν ἁπτόμενα, ἀλλὰ ἐν τῇ. Habui autem ex MSS. eſſe ἅπτομεν non ἁπτόμενα legendum, coniecique conſequenter καταμετρούμενον, pro καταμετροῦντα, & πλείονι pro πλεῖον, ac ἐλάττονι pro ἔλαττον reponendum eſſe.

♆. 35. Κέχρηται, pro κεχρῆσθαι. Manifeſtè enim contraponitur modo indicanti ἐξήγομεν. Addo autem ad interpretationem, *Minimum in Atomo eſſe, qualem apicem anguli in acuta Atomo concipimus*, tum vt ſeruetur analogia cum iis, quæ præcedunt de minimo ad ſenſum; tum quia ſpectaſſe huc videtur quem vidimus librum ab Epicuro inſcriptum περὶ τῆς ἐν τῇ ἀτόμῳ γωνίας tum quia videtur huc etiam reſpexiſſe Lucretius, cùm ait:

Tum porrò, quoniam extremum quoiuſque cacumen lib. I.
Corporum eſt aliquod, noſtri quod cernere ſenſus
Iam nequeunt; &c.

♆. eod. Καὶ τι μέγεθος ἔχει ἄτομος, καὶ κατὰ ταύτην, pro καὶ ὅτι μέγεθος ἔχει ἡ ἄτομος κατὰ τὴν ἐνταῦθα. Nempe ſic ſenſus meliùs cohæret, eò ſpectans, vt cauſa reddatur, cur Atomus etiam habere dicatur quidpiam minimum, ipſa, quæ iam eſſe minimum aliquid videtur. Siquidem ipſa retinet adhuc magnitudinem aliquam, ex quo efficitur, vt non tam minimum (quaſi nihil ſit minus) quàm paruum quid ipſam vocemus; ac eâ proinde mente, vt proceritatem ab ea excludamus; quod vt melius exprimeretur, particulam ac ante vocem μόνον adhibendam cenſui. Sic & nobis ex intranſmutabilitate partium Atomi licebit vtcumque illam intelligere, quæ deducitur deinceps in textu; idque legendo τὸ τῶν μικρῶν pro

τ

τῶν μικρῶν τὸ, & συνυπάρχοντα pro ὑπάρχοντα propter phraſim complanatiorem, At ἐκ τούτων legi pro ἐκ τούτων potuit, vel præeuntibus MSS. & interpretatio cum additamentis inſinuari potuit, vel ex ſuccedentibus apud Lucretium carminibus:

Sunt igitur ſolidâ Primordia ſimplicitate,
Quæ minimis ſtipata cohærent partibus arctè, &c.

PAG.23. ✝. 11. Καὶ μὴν καὶ τοῦ ἀπείρου. Heic eſt, vbi Epicurus reſumit, quod diximus illum intermiſiſſe explicare de Atomorum motu. Agit autem priùs de duplici illa ſuperiùs deſcripta regione, ſecundùm quam motus perpendicularis Atomorum fiat: nempe alteram ſursùm diximus, è qua ille omneis aduenire vult, alteram deorsùm, in quam omneis abire. Cùm perſpicuum porrò attendenti ſit quàm foret huius loci corrupta, confuſa, nullius ſenſus lectio, ideò adnixus ipſum vtcumque reſtituere, ita lego, οὐ δεῖ κατηγορεῖν, &c. ad vſque, καὶ κάτω πρὸς τὸ αὐτό, pro ὡς μὲν ἀνωτάτω, καὶ κατωτάτω, οὐ δεῖ κατηγορεῖν τὸ ἄνω, ἢ κάτω μέν τοι ὑπὲρ κεφαλῆς, ὅθεν ἂν τὸ μὲν εἰς ἄπειρον ἄγειν ἐν μηδενὶ φανεῖται τοῦτο ἡμῖν, ἢ τὸ ὑποκάτω τοῦ νοηθέντος εἰς ἄπειρον ἅμα ἄνω τε εἶναι. Videtur enim Epicurus aliud nihil heic loci cauere, quam ne nobis voces *Surſùm*, ac *Deorſùm*, ſeu *Suprà*, ac *Infrà* imponant; quaſi aliquis terminus ſit alterutri regioni præfixus, Vniuerſúmque adeò ſohnitum non ſit, vt contingeret, ſi quâ parte aliquid eſt ſupra, daretur aliquid ſupremum; ſi quâ infra, aliquid infimum. Inter additiunculas verò ad interpretationem factas Mundorum aliorum cogitatorum memini quòd ille loquatur de hominibus aliis, qui ſecundùm eandem quaſi lineam conſtituti ſic millies.milliéſque occurrant, vt conſtituti ſursùm (in aliis videlicet Mundis) pedes habeant verſus noſtra capita; & conſtituti deorsùm habeant capita versùs noſtros pedes. Memini autem & medij Mundi, quatenus ille, non, vt in Mundo, ex Plutarcho, agnouit medium, ita agnouit in Vniuerſo, vt & iam antè notauimus, & inftà rursùs, vbi de Terra dicendum erit, attingetur.

✝. 27. Καὶ μὴν καὶ ἰσοταχεῖς ἀναγκαῖον εἶναι τὰς ἀτόμους. Cùm Epicurus hoc loco dicit Atomos eſſe æqui-veloceis, ſupponit iam dictum eſſe eas veloceis: Id præſtitum autem adnotauimus, de Simulacris cùm ageremus.

✝. 29. Adnoto interim, videri fuiſſe legendum potiùs αἱ βαρεῖς, quàm τὰ βαρεῖα, quòd ad ἀτόμους vox referatur; ac eadem de cauſa ſtatim αἱ μικραὶ quàm τὰ μικρὰ, & ἔχοντες, quàm ἔχοντα. Expungo autem voculas μικρῶν δὴ, ante vocem κούφων, quod illo membro fiat ſolùm comparatio grauium cum leuibus, & reſeruetur inſequenti comparatio paruorum, cum magnis. Quòd verò aliquantò pòſt ſuppleo illud, τῷ τάχιστα διαφέρει, facio, vt phraſis ſuus ſenſus conſtet, & iis, quæ præcedunt, conſequuntúrque cohæreat. Sic ſtatim pro εἰς καθ᾽ ἑκάστην ἑκατέρων, ſuppleo, ac reſtituo ἡ ἄτομος ἐπὶ τὸ καθ᾽ ἑκάστην ἑκατέρωθεν, ac ſimul pro σχέσιν lego σχέσις; quod heinc ſolùm poſſe haberi videatur, qui

ab Epicuro intenditur ſenſus. Quippe cùm nihil aliud videatur voluiſſe, quàm, quomodocumque Atomus per inane immenſum feratur, hoc eſt, ſeu deorsùm propria grauitate, ſeu ſursùm, aut obliquè & ad latera præ occurſu, ac retuſione, æquiuelociter ſemper ferri, nec viam mutare, donec nihil deinceps occurrit, quod ipſam deflectat.

✝. 1. Ἀλλὰ μὴν καὶ κατὰ τὰς συγκρίσεις. Agit poſteriore loco Epicurus de æqui-velocitate in ipſis concretionibus. Suppleo autem heic particulas μὴν καὶ, ex ipſis MSS. & quod ſequitur paulò pòſt καὶ τὸ, &c. ad vſque ἕως ἄν, lego, vt poſſum, pro καὶ κατὰ τὸ ἐλάχιστον συνεχὲς χρόνον, εἰ μὴ ἐφ᾽ ἓνα κατὰ τοὺς λόγῳ θεωρητοὺς χρόνους, ἀλλὰ πυκνὸν ἐπίδοσιν. Nempe ex huiuſcemodi qualicumque reſtitutione, vnà cum factis ad interpretationem additiunculis, videtur poſſe quiſpiam ſenſus, ſaltem non omnino alienus ab inſtituto elici, cùm alioquin neſcias, quò ſit emergendum. PAG.24.

✝. 16. Μετὰ δὲ ταῦτα δεῖ συνορᾶν. Hactenus fuit tractatio generalis de Atomis, earúmque qualitatibus, ac ſimul de iis, quæ per ipſas rebus concretis accidunt, déque conſequente ad illas alteratione, miſtione, generatione, corruptione, & aliis, quæ intercurrerunt. Nunc quia in ipſis rebus concretis nihil eſt admirabilius, quódque noſſe magis interſit, quàm natura Animæ, Idcirco ad illam declarandam Epicurus tranſit. Et quantum quidem hac in re Philoſophi omnes deſudauerint, argumento eſſe poteſt multitudo illa, ac varietas penè innumerabilis opinionum, quarum plæriſque recenſitis, *Harum ſententiam*, inquit Cicero, *quæ vera ſit, Deus aliquis viderit: quæ veriſimillima, magna quæſtio eſt.* Cùm verò hoc loco ſit ſolùm de ea, quæ Epicuri fuit, dicendum. Prænoſſe oportet, cùm teſte Lactantio, inextricabilis ſit quæſtio, *Idem-ne Anima, & Animus ſit?* Epicurum ſic diſtinxiſſe, vt quàm dicimus Animam, voluerit fuſam per totum corpus, quem verò Animum, ſeu Mentem, ſedem habere in pectore. Id videbitur aliquantò pòſt; ſed ecce interim vt Lucretius ita diſtinguat, vt Animum pro Mente vſurpet: 1.Tuſc. lib.de opif. 18.

Primum Animum dico; Mentem quam ſæpè vocamus. lib.3.

& loquatur de Anima, tanquam de re per corpus vniuerſum fuſa,

Cætera pars Animæ per totum diſſita corpus; lib.3.

coniunctim autem, ſic efferat,

Vnde Animi, atque Animæ conſtet natura, videndum.

Et rurſus:

—— Animi natura videtur, lib.3.
Atque Animæ claranda meis nunc verſibus eſſe.

✝. 18. ὅτι ἡ ψυχὴ σῶμά ἐστι. Cùm quatuor quædam præcipua ſint, quæ Epicurus de Animæ natura vniuersè tradit, Primum eſt, quòd illam corpoream, imò corpus facit. Neque verò hoc hiſce modò verbis; ſed poſteà quoque expreſsè habet, cùm poſtquam nihil eſſe incorporeum præter ſolum Inane dixit, pergit, *illos non ſapere, qui*

Animam

Animam dicunt incorpoream, quoniam ſi huiuſmodi foret, neque agere, neque pati poſſet, cuius tamen oppoſitum experientia conuincitur.

℣. 19. λεπτομερὲς παρ᾽ ὅλον τὸ ἄθροισμα παρεσπαρμένον. Alterum heic indicatur caput, quo Epicurus declarat ſe Animam quidem corpus dicere; ſed corpus nihilominùs, quod eximiæ ſit tenuitatis. Eandem verò rurſus ſtatim pòſt commendat, ſpectaréque huc poteſt, quòd aliquibus interiectis, Laërtius addit Epicurum aliis in locis dicere, conflatam eſſe Animam ex Atomis læuigatiſſimis, rotundiſſimis, nec multum diuerſis ab iis ex quibus eſt ignis. Interpretor verò τὸ ἄθροισμα *animalis maſſam, quam ſolemus vulgò appellare corpus*; quoniam tametſi Anima admittatur eſſe corpus; non ideò tamen animal deſinit dici compoſitum ex Anima & corpore, quatenus Anima propter tenuitatem habetur quaſi incorporea; & reliqua maſſa propter craſſitudinem appellatur κατ᾽ ἐξοχὴν corpus.

℣. 10. πνεύματι θερμοῦ, &c. Tertium heic inſinuatur caput, quo Epicurus contendit, tametſi corpus Animæ tenuiſſimum ſit, non minùs tamen eſſe mixtum: compoſitúmque ex diuerſis rebus. Iſthæc autem verba ſic interpretor, vt τοῦ πνεύματος nomine intelligatur tum quidpiam ventoſum, tum quidpiam aëreum; quò, cùm τὸ θερμὸν intellexerimus quidpiam igneum, habeamus tria illa, ex quibus, & quarto innominato, de quo agit poſteriùs (dum Animam dicit habere in ſe vberrimam ſentiendi cauſam) habeantur omnia ex quibus vult corpus animæ, texturámve eius tenuiſſimam, conſtare.

℣. 21. πολὺ παρὰ ταῦτα ἔχοντι. Poſtremum heic eſt, quo Epicurus ſuggerit Animam ita ex iſtis quatuor diuerſis naturis conſtare, & miſturam adeò perfectè temperatam euadere, vt inde fiat vna quædam, eáque, vt iam dictum, tenuiſſima ſubſtantia, quæ per totum corpus animalis fuſa, tum ab ipſo contineatur, tum ſit illi cauſa ſalutis, & earum quas illicò pòſt vocat facultates, paſſiones, facileis motiones, &c. Quo loco, ob hanc enumerationem legendum cenſui δηλοῦσι, pro δῆλον, vti & ſtatim ὧν λειπομένων, pro ſimplici ὧν, quòd hic exigat perſpicuitas phraſeos, ac ſint inſuper quædam alia, quæ à Lucretio in argumentum adducuntur.

℣. 39. ἐκείνην. Vocem addo ex MSS. vti & poſteà ex recentiore, cúmque ipſo Aldobrandino κοινὸν lego, pro δύναται; ac ſtatim rurſùs κατὰ δὲ τὴν, pro κατὰ τὴν, ita exigente neceſſitate ſenſus. Hoc interim loco Epicurus
1. de an. 4. & al. eandem propè dicit, quam Ariſtoteles ſententiam, dum exaggerat, *non eſſe animam ſolam, quæ ſentiat, ſed ipſum eſſe compoſitum.* Simile eſt nempe, vt dum dicimus non manum ſolam, non calamum ſolum, ſed vtrumque ſimul ſcribere; tametſi manus calamum præparet, ac moueat; & calamus agere quidpiam abſente manu non valeat. Heinc Lucretius:

Quod ſupereſt, ſi quis corpus ſentire renutat,
Atque Animã credit permiſtã corpore toto
Suſcipere hunc motum, quem Senſum nominitamus, &c.

℣. 4. διὸ δὴ καὶ ἐνυπαρχούσης τῆς ψυχῆς. Declarat ſubinde Epicurus quemadmodum Animâ PAG. 25.
perſeuerante in corpore, perſeueret in eo ſenſus, excedente verò excedat; & quemadmodum corpore viciſſim exſoluto, exiſtimet ipſam exſolui, ac nullam ampliùs facultatem, nec-dum ſentiendi, obtinere. Lego autem ἐνυπαρχούσης τῆς ψυχῆς, pro ἐνυπάρχουσα ἡ ψυχὴ, quòd ſenſus videatur caſum abſolutum manifeſtè exigere; ac ſimul, vt ſtatim adiiciatur particula καίτοι, & tam ipſa, quàm tres ſequentes quaſi parentheſi concluſæ habeantur.

℣. 7. ξυναπόλλυται ἐξὸν, &c. ad vſque. τὸ δὲ λοιπὸν, pro ξυναπόλλυται τοῦ στεγάζοντος λυθέντος, εἴθ᾽ ὅλου, εἴτε καὶ μέρους τινὸς, ὥσπερ διασωζὴν ἕξει τὴν αἴσθησιν. Secùs ſcilicet non apparet qui valeat congruus exprimi ſenſus; niſi fortè aliunde, cæteris, vt ſe habent, relictis, legatur, ἐν ᾧ περ διασωζὴν, τὸ ἕξει τῆς αἰσθήσεως; quaſi heinc intelligatur vis ſentiendi præcipua, qualis in corde, aut cerebro eſt, qualíſque exinde diffunditur in cæteras parteis.

℣. 22. Τοῦτο μὲν λέγει καὶ ἐν ἄλλοις. Laërtiana hæc verba, quæ poſt duas ſequenteis voces, Ἀλλὰ μὴν habentur, ipſis antepono, vt quaſi appendix ſuperiorum ſint, & ſenſus relinquatur planus, qui alioqnin propter hæc aliáque pòſt adhibita, ipſíque Laërtio haud neceſſariò tributa ſatis perturbatus euaſit, cùm propterea effectum ſit, vt conſtructio nunc pro relatione Laërtij, nunc pro loqutione Epicuri viſa fuerit inſtituenda. Heinc ſtatim poſt, lego συγχεῖται, quaſi ſcilicet Epicuro pergente loqui, pro συγχεῖσθαι.

℣. 25. οὐ πολλῷ τινι. Ita lego cum negatione, quæ haud-dubiè heinc excidit; niſi excidiſſe malis voces τῶν λεπτομερῶν. quæ tamen fruſtrà reperirentur. Videlicet voluit quidem Epicurus admitti quaſdam alias Atomos, præter igneas ad contexturam Animæ, vt iam antè deduximus; at quatenus ſaltem maxima ex parte eas eſſe rotundiſſimas, & læuigatiſſimas cenſuit, non potuit ſane eas habere multùm diuerſas ab igneis, quas vnà cum Democrito taleis eſſe admiſerit. Quippe ſententiam Democriti apud Ariſtotelem fuiſſe
legitur πῦρ τε, καὶ θερμὸν ψυχὴν εἶναι. ἀπείρων 1. de An. 2.
γὰρ ὄντων σχημάτων, καὶ ἀτόμων τὰ σφαιροειδῆ πῦρ, καὶ ψυχὴν εἶναι. *Eſſe Animam ignem, caloremque; exſiſtente enim infinitâ figurarum, Atomorúmque varietate; ignem, Animámque ex ſphaericis eſſe.* Ac rurſùs poſtquàm docuit Animam, ac Mentem, ſiue Animum eſſe eandem rem, *conſtantem ex primis inſectilibus, variéque figuratis corporibus*, & dixit *omnium figurarum comparatiſſimam ad motum eſſe ſphaericam*, proſequitur τοιοῦτον εἶναι τὸν νοῦν, καὶ τὸ πῦρ, *talem mentem, ignémque eſſe.*

℣. 26. Καὶ τὸ μὲν τὸ ἄλογον αὐτῆς. Locus hic eſt, in quo Epicurus diſcrimen inter Animam, & Animum, ſeu Mentem ſtatuit, aſſignando vtrique ſuam ſedem; cuius occaſione lego ſtatim περιέχεται, pro παρεσπαρμένον, ſiue, vt MSS. habent παρεσπαρμένου, quibus ex vocibus nullam expreſſeris non incommodam

ſignifi

ſignificationem. Ac poſſet quidem fortè legi παρείδρυται, ob locum Plutarchi ſtatim referendum; attamen verbum παρίζεται, & commodum eſt, & immutatione legitur minore.

¶. 30. Τοιοῦτό τι γίνεται, pro Τοιοῦτό τι γίνεσθαι, ob rationem videlicet redditam circa præcedentia. Statim autem pro οὕτω συμπεπιλοῦνται τῶν, lego ὅτι καὶ συμπεπιλοῦνται τινῶν, ac poſt vocem, τοῖς ἀναπαρμένοις, addo τὰ μὲν ἐξωθούντων, τὰ δὲ συνταρασσόντων, quòd Epicurea ſententia quatenus eſt apud Lucretium, expreſſa, ita exigat. Ea verò vt plenè cognoſcatur, ille imprimis ita proponit:

lib.4. *Nunc quibus ille modis ſomnus per membra quietem*
Irrigat, &c.

¶. 36. Τό τε σπέρμα ἀφ' ὅλων τῶν σωμάτων φέρεται. Manifeſta heic fit Epicuri, de deciduo ex toto corpore ſemine, ſententia. Lego autem φέρεται καὶ γε δεῖ, pro φέρεσθαί γε δεῖ, quia cùm obiter verbum δεῖ ſeruet Epicuri loquentis veſtigium, copulari ipſi ineptè videtur regimen tum antecedentis, tum inſequentis modi infiniti, planiúſque eſt longè, vt ſententia verbo φέρεται definiatur (quo abſolutè ſcilicet intelligamus defluere, confluereque ſemen ex vniuerſo corpore) ac tum ex ea deducatur (idque adhibitis particulis καὶ γε) ſemen igitur per corpus ſic penetrans, haberi poſſe quodammodo, ſeu quaſi aliquid incorporeum. Hac proinde de cauſa lego, non τὸ ἀσώματον, ſed τό πως ἀσώματον, ac tantò magis, quantò ſtatim adhibetur quaſi correctio ex declaratione illius, quod non *quodammodo*, ſed *per ſe*, ſiue abſolutè incorporeum eſt.

¶. 38. Λέγω δὲ, pro Λέγει γάρ. Etenim, cùm ea, quæ ſequuntur, καθ' ἑαυτὸ γὰρ, &c (vbi vice verſâ lego γὰρ pro δὲ, vt particulis hiſce commutatis) cùm ea, inquam, ad Epicurum loquentem haud-dubiè pertineant, videntur & iſta, quorum occaſione illa ſubiiciuntur, eiuſdem eſſe, non verò Laërtij; quod procliue fuit credere legentibus λέγει, pro λέγω, leui facta immutatione. Pro ipſo autem νοηθέντος ἂν, lego, νοηθέντος ἀσωμάτου, tum quia vox νοηθέντος non poteſt commodè referri ad præcedentem ὀνόματος, quatenus non nomen, ſed res eſt, quæ intelligitur (vnde & mox ſubiicitur, ὡς ἔστι νοῆσαι τὸ ἀσώματον) tum quia illud, quod intercipitur, ἐπὶ τοῦ καθ' ἑαυτὸ, manifeſtè inſinuat rem eo nomine ſignificatam ſubiectum iri, tanquam eò tendente ſententiâ, vt intelligamus, habitâ ſemel prænotione Inanis, tanquam rei omnino incorporeæ (intractilis videlicet, & mutuò ſe cum corporibus, etiam compactiſſimis penetrantis) quicquid deinceps aut non facilè, ſenſibiliterque percipitur tactu (vt aër) aut facillimè corpora compacta peruadit (vt ſpiritnoſa illa ſubſtantia, in qua vis ſeminis conſiſtit, quæque ſola propriè intelligenda eſt defluere ex omnibus partibus) id quoque ſolere analogiâ quadam incorporeum appellitari.

Pag.16. ¶. 3. Ταῦτα οὖν πάντα τὰ διαλογίσματα περὶ ψυχῆς. Epilogus hic eſt eorum, quæ Epicurus de Anima diſſeruit. Interpono autem illud τε καὶ, quod ibi ſit quaſi alterum membrum Epilogo connexum, & copulâ tamen ſuâ deſtitutum. Ac ſtatim pro εἰς τὸ κατὰ μέρος, lego εἰς τὸ τὰ κατὰ μέρος, quòd εἰς τὸ ſcopum ſignificet, qui ſit ἐξακριβοῦσθαι τὰ κατὰ μέρος.

¶. 11. Τοῦ σώματος, ὥσπερεὶ, &c. ad vſque οὐδ' ὡς καθ' ἑαυτάς, Ita ſcilicet legendum videtur, pro σώματός ἐστιν ὡς ἂν ἐκ τούτων βεβαιοῦσθαι, ὃ πάσαν, ἢ τοῖς ὁρατοῖς, καὶ κατὰ τὴν αἴσθησιν αὐτοῖς γνωστοῖς. Aliàs quippe nullus videtur elici poſſe commodus ſenſus. Profectò verò totus hic locus, cùm ex obſcuriſſimis ſit, non aliâ ratione videtur poſſe lucem accipere, quàm ſi ipſum interpreteremur de duplici illo accidentium genere, quæ vulgò appellant Propria, & Communia, quæque ſuperiùs iam vidimus appellari ab Epicuro Συμβεβηκότα, καὶ Συμπτώματα, & reddi Latinè à Lucretio. *Coniuncta*, & *Euenta*. Prætereo autem haſce voces eſſe valde appoſitas, cùm Propria enim eadem ſint, quæ Inſeparabilia habent, ea meritò dicentur Coniuncta; & cùm Communia eadem, quæ Separabilia, ea meritò dicentur Euenta. Prætereo & allatas illas ex Lucretio definitiones præclarè quadrare ad Porphyrianas, & vulgareis illas, iuxta quas habetur non poſſe quidem Proprium, at poſſe tamen Commune accidens *Subiecto adeſſe, & abeſſe citra ſubiecti corruptionem*. Prætereo tandem nihil morandum, quòd Propria rigidiore quodam, vt loquuntur, ſenſu vſurpentur in Scholis; Epicuro enim ſatis eſt, ſi iſthæc, quæ vocat propria accidentia, eiuſmodi ſint, vt ſeu ad primum, ſeu ad ſecundum, ſeu ad alium modum pertineant, ex eorum conſtante aggerie agnoſcatur corpus conſtanter retinere eandem naturam.

¶ 16. οὐδ' ὡς ἕτερα τὰ ἐπιγινόμενα, pro ὡς οὐδ' ἕτερα τὰ προσυπάρχοντα. Nempe, cùm ſint primùm quatuor membra eorum, quæ Epicurus ab hiſce accidentibus, vtpote Figurâ, Colore, Magnitudine, Grauitate, & ſimilibus reiicit; non poſſunt tria reliqua incipere per οὐδ' ὡς, hoc verò ipſis interiectum per ὡς οὐδ'. Deinde, cùm ea, quæ heic poſſunt Incorporea intelligi, ſint aut texturæ quædam ſubtiles, qualis ex antè-dictis, eſt ſpiritus ſemineus; aut denominationes externæ, quale penè non multò pòſt deſcribitur ab Epicuro Tempus, quod ex Empirico habuit incorporeum; aut accidentia etiam communia, quæ ipſa, vt & iſta quoque, quatenus corpora non ſunt, haberi poſſunt incorporea, quod & Alexandro, & aliis inſolens non eſt; cùm ea, inquam, ſuperueniant potiùs, quàm præexſiſtant in corpore; idcirco videtur ἐπιγινόμενα potiùs, quàm προσυπάρχοντα, legendum. Obiter porrò notum eſt, quod heic dicitur iſta accidentia non eſſe, καθ' ἑαυτὰς φύσεις, *naturas per ſe*, idem eſſe cum eo, quod habet Ariſtoteles, cùm de iiſdem loquens, οὐδὲν αὐτῶν, inquit, ἐστὶ καθ' αὑτὸ πεφυκὸς, οὔτε χωρίζεσθαι δυνατὸν τῆς οὐσίας, *nullum ipſorum eſt à natura comparatum, vt per ſe ſit, neque vt à ſubſtantia ſeparari poſſit*: docens proinde ſolam ſubſtantiam, quam in corporibus

ribus maximè agnoſcit, eſſe ſeparabilem, atque extiſtentem per ſe; ſolámque propterea, non modò τὸ πρώτως ὂν, *Primario Ens*; ſed etiam τὸ ὄντως ὂν, *verè Ens* habendam.

ṽ. 19. ἐκ τούτων, pro μὴ τούτων. Nimirum particula μὴ, tam videtur ſuperflua, quàm ἐκ neceſſaria ad exprimendum ſenſum. Rem autem ſic interpretor, vt ſubiiciam corpus obtinere propriam ſpecialémque, ſeu ſpeciei ſuæ naturam, ex aggregatione omnium huiuſcemodi accidentium; poſtquàm ſuppoſitum eſt ea nihil eſſe aliud, quàm aliquos certos ſeſe habendi corporis modos: hoc eſt, Magnitudinem, v.g. dici ineſſe corpori, quatenus eo modo ſe habet, vt partium eius quælibet extra aliam ſit, aliúmque locum occupet, ſicque ex omnibus coadunatis fiat corpus extenſum. Figuram, quatenus illius partes extimæ eo modo comparatæ ſunt, vt aliæ depreſſæ, aliæ eminentes ſint, aliæ complanatæ, aliæ tornatæ, &c. Colorem, quatenus particulæ, ex quibus ſuperficies contexitur, eo modo figuratæ ſunt, vt tali modo reflectentes lucem in oculum, talem coloris ſpeciem exhibeant. Calorem, quatenus corpuſcula habet, quæ eiibrata in lignum, carnem, alióve, ſubeant, penetrent, diducant, diſcutiant, exſoluant. Saporem, quatenus corpuſcula continet, quæ in texturam linguæ ſubeuntia, aut ipſi accommoda, demulceant, aut incommoda lacerent, atque ita de cæteris, vt poteſt vberiùs intelligi ex ſuperiùs dictis.

ṽ. 20. ἴδιον, pro ἀΐδιον. Ita videtur heic, & deinceps aliquoties commutanda vox, quòd non de natura corporis æterna, qualis nulla ſit inter res concretas, agatur; ſed de propria, atque ſpeciali, qualem Epicurus reſultare vult ex aggregatione propriorum, ſiue ſpecialium accidentium. Et quamuis iſta accidentia legantur poſteà ἀΐδια, eadem nihilominus facienda videtur reſtitutio; quòd tametſi fortè liceret interpretari *accidentia perpetua*, ſiue *perſeuerantia* (intellige quandiu durat ipſum corpus) vis tamen voci fieret, quæ rei æternæ, ſeu durationis principio, ac fine carenti ſignificandæ eſt deſtinata. Prætereo autem rem totam conſentire cum definitione illa Indiuidui, quæ à Porphyrio traditur, cùm *Indiuidua*, inquit, *dicuntur*, ὅτι ἐξ ἰδιοτήτων συνέστηκεν ἕκαστον, ὧν τὸ ἄθροισμα οὐκ ἂν ἐπ' ἄλλου τινός ποτε τὸ αὐτὸ γένοιτο, *quòd vnumquodque ipſorum conſtet ex eiuſmodi proprietatibus, quarum aggeries reperiri in vllo alio nunquam valeat.* Quæ planum eſt Epicureæ huic ſententiæ accommodari, vti & vulgarem enumerationem huiuſcemodi proprietatum,

In Iſag. c. 2.

Forma, figura, locus, ſtirps, nomen, patria, tempus.

quas ad Socratem, v.c. ita referunt, vt quales ſimul omnes reperiuntur in Socrate, tales ſimul omnes reperiri in alio nullo homine poſſint: vnde & cenſeantur conſtituere indiuiduam, ſeu propriam, ſpecialémque Socratis naturam. Prætereo rursùs quod de Indiuidua, ſpecialíve natura heic dicitur, idem proportione eſſe de communi, vniuerſalíve dicendum; cùm vt Socrates habet ſingulares proprietates, quibus diſcernatur à cæteris hominibus; ita habeat homo, vniuersè ſpectatus, quibus diſcernatur à cæteris animalibus; & animal generatim acceptum, quibus diſcernatur à cæteris viuentibus; atque ita porrò de omnibus aliis.

ṽ. eod. οὐχ' ὡς ἂν μὴ pro οὐχ' ὡς τ' ἦν: Ac ſtatim ὄντος τῶν καθ' ὅλου μεγεθῶν, ἀλλ' ὡς ἔκ τινων ἐλαττόνων, pro ὁ ἢ τῶν ὅλου μεγεθῶν, ἢ τινος ἐλάττονος ὄν. Et rursùs ſtatim ἴδιον pro ἀΐδιον. Ita ſcilicet reſtituendum videtur, ad exprimendum ſenſum aliquem, ipsúmque non incohærentem.

ṽ. 29. τοῦ σώματος κατηγορίαν, interpretor *Denominationem* non ſimpliciter *corporis*, ſed *talis corporis, quod in certo rerum genere habeatur*: Quoniam Totum illud eſt ſimpliciter corpus ex natura corporea Atomorum, ſeu principiorum, ex quibus tanquam partibus componitur: at verò prout illi accedit aggeries accidentium huiuſmodi, tunc habet vt ſit tale corpus, & lapis quidem, potiùs quàm metallum; planta, quam animal; equus, quàm leo; Socrates, quàm Plato, &c. Quòd ſi quis obiiciat, fore igitur differentiam inter corpora accidentalem ſolùm, ſi differant ſolùm per accidentia huiuſmodi: Reſpondebitur, fore accidentalem quidem, quatenus accidens opponitur ſubſtantiæ; at non fore quatenus opponitur eſſentiæ: cenſebuntur enim talia accidentia eſſe ſuo quæque corpori eſſentialia; & maximè quidem, cùm reſpondenda ſint interrogantibus quid ſit tale corpus. Quærenti quippe, v. g. quid-nam ignis ſit, ſeu quæ ſit eſſentia, naturáve ignis: quid aliud reſpondeas, quàm eſſe Ignem corpus ſummè calidum, lucidum, ſursùm nitens, &c. Quid aliud quærenti quid ſit equus, quàm corpus ſentiens, ſeu animal quadrupes, ſolidipes, hinniens, generoſum, velox ad curſum, &c. Nam & quamuis dicas eſſe aliam prætereà eſſentialem differentiam, quæ naturam conſtituat, licet ea nobis ſit incomperta; excipietur, tum illam quoque non poſſe eſſe, niſi accidens, ſiue aliquid, ſubſtantia, corpúſve non ſit; tum homines loqui de rebus, ipsáſque & denominare, & in certa genera diſtribuere, pro modulo eius notitiæ, quam de natura, eſſentiáve vniuſcuiuſque rei habent.

ṽ. 31. ἰδίᾳ παρακολουθεῖν, &c. ad vſque οὔτε δὲ, pro ἀΐδιον παρακολουθεῖν οὔτε ἐν τοῖς ἀοράτοις, καὶ οὔτε ἀσώματα. Hariolandum nempe heic præſertim fuit, ne & immutatio nimia fieret, & ſenſus remaneret nullus. Quæ exempla autem interpretando adhibita ſunt, ea ſuppeditata ex parte à Lucretio fuerunt, vbi Euenta definiit

—— *quorum*

Aduentu manet incolumis natura, abitúque.

Vtcumque ſit; addo prætereà ad interpretationem illa, quæ & cohæſionem cum ſuperioribus, & ſenſum totius ſententiæ luculentiorem facere poſſint.

ṽ. 36. καὶ pro κατ'. Ac ſtatim ἴδιον, pro ἀΐδιον. Et rursùs παρακολουθεῖν τὸ ἄθροον ἑκάστου, pro παρακολουθοῦντος τὸ ἄθροον ἕκαστα. Ac

prætereà

prætereà ſemel, iterúmque, & tertiùm ἴδιον pro ἀΐδιον. Et ἴδια καὶ τὰ, pro πάντα τὰ, Et ἰδίως, pro ἀϊδίως. Silicet neceſſitas ſenſus videtur ita exigere; ſaltem ſi aut nacti, aut ſubodorati interpretando aliquem ſumus. Vt taceam non eſſe, cur in his hæreamus, quæ eiuſmodi ſanè ſunt, vt aut Epicurus, aut interpolator aliquis videri ταυτολογεῖν poſſit.

PAG.27. ℣. 15. Καὶ μὴν καὶ τό γε δεῖ. Occaſione eorum, quæ ſunt de Euentis præmiſſa, ſubdit Epicurus ſpeciatim aliquid de Tempore, quaſi Euentorum præcipuo, ſeu quod ſit omnibus quaſi ſuperueniens Euentum. Lego autem τό γε δεῖ, pro τό γε δὴ (habet Aldobrandinus τὸ δέ γε δὴ) propter regimen conſequentis modi Infiniti.

℣. 18. Τὰς τῶν βλεπομένων, pro τὰς βλεπομένας. Nempe προλήψεις intelliguntur, non quæ conſpectæ ipſæ apud nos ſint, ſed quæ ſint rerum apud nos conſpectarum. Et aliquantò pòſt τούτῳ, pro τοῦτο, id demonſtrante aduerbio συγγενικῶς. Ac rurſus κατ' αὐτοῦ, pro κατ' ἑαυτοῦ, quòd nulla enunciatio ſit, quam Tempus de ſeipſo, ſed quam de ipſo homines faciant.

℣. 27. φησὶ δὲ καὶ τοῦτο καὶ ἐν τῇ β' τῆς περὶ φύσεως, pro φησὶ δὲ καὶ ἐν τῇ β' τοῦτο περὶ φύσεως. Nimirùm heic τοῦτο in incongruo eſt loco. Notandum verò, quòd Laërtiana hæc verba interſita non ſint in ſequenti periodo, argumento eſſe poſſe, quòd neque interſita fuerint quæ ab vſque ferè initio Epiſtolæ adnotata ſunt; verùm illa fuerior, perinde vt hæc, antecedentibus attexta.

℣. 39. Ἐπί τε τοῖς προειρημένοις, τοὺς Κόσμους &c. Reſumit hoc loco Epicurus quod ſuperiùs dicere de Mundis occœperat, cùm eſt fabulatus eſſe infinitos. Docet autem primùm vt ij procreentur eâ proportione, quâ & minores concretiones, quas obſeruare apud nos licet (vbi quod lego τῶν διωρισμένων, idcircò facio, quòd planius videatur, quàm ſi legamus τοῖς διωρισμένοις, tametſi ſic quoque legi nihil vetat.) Atque ita quidem vt Mundorum quiſque illeic ſeorſim ab aliis per ipſam Inanis immenſitatem formetur, vbi contingit concurſum fieri multitudinis congruæ Atomorum, dum ob mutuam implicationem, & aliis alias compellentibus; circum-volutiones, vorticéſve creantur, ac variæ interim partes ſecernuntur, ex quibus ſenſim conformatis, ac ſeſe in loca idonea partim versùs imum, partim versùs ſummum recipientibus, cohærens ex omnibus moles, quæ Mundus vocetur, conſurgat.

PAG.28. ℣. 4. Δῆλον οὖν ὡς καὶ φθαρτούς φησι τοὺς κόσμους. Vt Epicurus oriri Mundos, ſic interire voluit; neque Laërtius abs re hæc verba, quaſi conſequutionem effert, cùm illa mox præceſſerint, καὶ πάλιν διαλύεσθαι πάντα, *ac iterum diſſolui omnia*; quò minùs ferri poteſt mendum, quod in plæroſque Codices irrepſit, dum vice φθαρτούς, exhibent ἀφθάρτους. Addo porrò ſtatim voculas φησὶ δὲ vt tres, quæ ſequuntur, καὶ ἐν ἄλλοις, cum iis, quæ præcedunt, cohæreant; neque relatæ ad conſequenteis, pergant omnia confundere.

℣. 7. Ἔτι τε. Hæc, quæ ſunt Epicuri verba, immediatè repono poſt Laërtiana καὶ ἐν ἄλλοις, ac remitto inferiùs illa, τὴν γῆν τῷ ἀέρι ἐποχεῖσθαι, quòd intempeſtiuè heic interſerantur, omniáque conturbent. Eandem ob cauſam verba illa, ἐν τῇ ιβ' περὶ τούτων φησὶν, quæ illicò interſeruntur poſt vocem αὐτοὺς, præmiſſis voculis τοῦτο δὲ, repono poſt vocem ἔχειν. Hoc ſcilicet modo, quæ ille de variis Mundorum figuris voluit dicere, vt cum ſuperioribus, ſic & inter ſe, abſque confuſione cohærent. Cùm verborum porrò horum occaſione videretur eſſe hoc loco de Figura Mundi agendum; quia tamen alia, eáque vberior ſub initium Epiſtolæ ad Pythoclem ſeſe offeret, idcircò res eſt eò differenda; & vel eo quidem nomine, quòd Epicurus in hoc argumento adhæreat ſuo ἐνδέχεται, *Contingens eſt*, vti & in aliis de quibus in eadem Epiſtola agitur, & quæ contendit poſſe pluribus modis fieri; ſecùs ac vulgò cætera, de quibus præſertim in hac agitur, quemadmodum illeic perſpicuè præfatur. Adnoto iam ſolùm, quod heic loci ſtatuit non poſſe Mundo omnigenam, ſeu varietatis infinitæ figuram competere, ex eo præſertim eſſe videri, quòd reſpiciat ad eandem cauſam, ob quam pronunciauit ſuperiùs non eſſe Atomorum figuras infinitas numero, quòd infinitæ exprimi in magnitudine finita non poſſint.

℣. 13. Καὶ μὴν καὶ. Haſce voculas pro Epicuri more, tranſlatis hûc verbis, de quibus iam monui, præfigo. Ipſis verò addo, ſubiungóque iſta, ὡς συγγενῆ οὖσαν, ὥσπερ καὶ τὰ ζῶα τῇ γῇ, quòd imprimis duæ illæ voces ὡς συγγενῆ repoſitæ exſtent apud Lambinum ſcribentem in Lucretium, &, vt veriſimile quidem eſt, ex alicuius MS. fide. Ac deinde, quòd cæteræ congruere iſti loco faciant ea, quæ de animalibus ſubiiciuntur; cùm dicere alioquin nequeas quid ſibi ea velint, aut quorsùm intruſa hûc ſint. Quod ad interpretationem verò addo *Terram aëri*, quòd congenea ſit, *oneri non eſſe*; id ex verbis Lucretij mox afferendis deſumptum eſt. In lib. 5.

℣. 15. Οὐδὲ γὰρ τὰ ζῶα, pro οὐδὲ τὰ ζῶα. Scilicet propter cohæſionem, cauſámque ſubiectam. Addo verò ſtatim, οὐδὲ προσαποπεπτωκέναι ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, quoniam & hoc deeſt, vt comparatio integra ſit, & Lucretius id ipſum ſuggerit, dum ait,

> *Nam neque de Cælo cecidiſſe animalia poſſunt.* lib. 5.

Quod autem etiam ad interpretationem addo, *non fuiſſe animalia in illa ſpatiorum infinitate formata, vt deinceps in Mundum iam perfecta deducerentur; neque in Cælo elaborata, vt delaberentur exinde in Terram*; id tum facit, vt ſenſus cum iis, quæ ſequuntur, cohæreat; tum comparationis ſcopum declarat, quatenus intelligitur non fuiſſe Terram pari modo in ipſa ſpatiorum infinitate procreatam, ac deinceps deductam in Mundum; tum à Lucretio quoque ſuggeritur, vt non multò pòſt referetur.

℣. 18. Ὡς ἐν τῷ μὲν τοιούτῳ, pro ὡς μὲν ἐν τῷ τοιούτῳ, καὶ οὐκ ἐν. Ita nimirùm ſententia cõgruit; quæ ſecùs partim perturbata, partim etiam

repugnans ipſi ſcopo efficitur. Statim autem pòſt, repono voces ἐμπεριειληφθῆναι, ὅσα ταῦτα συνίσταται, quòd & reponendas neceſſariò ſeoſus demonſtret, & vox ἐσχηματίσθαι, quæ conſequitur, eas præexigat. Quod mox lego ἐπὶ τῆς γῆς, pro ἐπὶ γῆς, non refert multum admodum: Adnoto tamen additamentum ad interpretationem factum declarationem continere, quæ heic ſupprimitur, & à Lucretio tamen inſinuatur.

℣. 25. Ἀλλὰ μὴν ὑποληπτέον καὶ τὴν φύσιν, &c. Videtur voluiſſe Epicurus heic attingere propagationis rerum cauſam; ac eam præſertim, quæ viuentium eſt; vt admirationem, quæ nos propter illam, proptérque membrorum ſtructuram iure percellit, extenoaret. Lego autem ℣. 32. κατὰ μείζους χρόνους τοῦτο διαπεραίνειν, pro ἀφ' ὁδοὺς, καὶ χρόνους ἀπὸ τῶν ἀπὸ τοῦ ἀπείρου quòd tametſi nimia procul dubio licentia ſit ex vocibus ἀφ' ὁδοὺς καὶ, facere κατὰ μείζους (vtcumque ad alias quod ſpectat, ſenſibilius quoddam veſtigium ſuperſit) nihilomious voces κατὰ μείζους deeſſe ſententiæ oſtendant eæ, quæ ſuccedunt κατὰ ἐλάττους, & cùm conſtet locum ita eſſe corruptom, vt nullus ex eo ſenſus poſſit exprimi, condonandum ſit qualecumqoe eius ſanandi tentamentum. Neque verò eſt, quòd quis reputet fieri heic quaſi poſterius membrum, quod aliud nihil ſit, quàm quædam prioris repetitio: ſiquidem cùm prius inſinuet, exſiſtentibus operibus variis, quæ admiranda hominibus parens natura ſuppeditauit, non accinxiſſe ſe æquè citò homines ad omnia diſquirenda, cognoſcendáque; ſed his longè citiùs, illis longè tardiùs intendiſſe animum; tum poſterius innuit non omnia æquè facilis perſcrutationis, inuentioníſque eſſe; ſed cùm iſtis quidem exiguum tempus ſatis ſit, illis prolixum neceſſarium eſſe.

℣. 34. Ὅθεν καὶ τὰ ὀνόματα. Quod heic ſubiicitur de Nominibus, quæ naturá ſint ab ipſo initio, & poſteriùs tamen apud varias genteis communis vſus effecta ſint; conſequutio eſt quaſi quædam ad illud, quod præmiſſum eſt de iis, quæ non ſunt apud homines, niſi procedente tempore perfecta. Cùm ſit autem poſterior pars contextus præſertim corrupta; idcircò

Pag.29. ℣. 2. videtur legi poſſe, καὶ τὰ πράγματα συντομωτέρως δηλῶσαι, pro συντομωτέρως δεδηλωμένας, qooniam ea, quæ ſignificantur, res ipſæ ſunt, non verò ſignificationes, quales intelligerentur legendo δηλουμένας, quaſi referendo ad vocem δηλώσεις, vtcumque MSS. habeant etiam quaſi eòdem reſpiciendo συντομωτέρας. Quòd verò legam δηλῶσαι, cùm legi poſſet δηλοῦσθαι, facit copulatio magis naturalis cum verbo τεθῆναι. At ſtatim pòſt lego, εἰσφέροντας πρὸς τοὺς μὴ συνειδότας, pro εἰσφέροντας τοὺς συνειδότας. Et rurſùs ſtatim, φθόγγους, καὶ τοὺς μὲν ἀναγκασθέντας, pro φθόγγους τοὺς ἀναγκ. ac iterùm mox, πλείστην συνήθειαν, pro πλείστην αἰτίαν, vt ſenſus quiſpiam congruus, qui aliàs ſit nullus, inde eliciatur.

℣. 9. Καὶ μὴν καὶ ἐν τοῖς μετεώροις. Aggreditur hoc loco Epicurus vt eximere animos à terroribus, qui incuri ſolent tum ex inſpectione aliquarum rerum Sublimium, tum ex auditione fabularum de Inferis; ita propalare inſigneis errores, quòd Mundus non ſit initio à Deo conſtitutus; quòd ab eo porrò non gubernetur; quòd Animus noſter non ſuperſit à funere. Quoniam verò hoc poſtremo errore iam antè reiecto, reiiciendi hoc loco duo priores ſunt; peruidendum priùs, ſi quid attinet ad reſtitutionem contextus. Initio autem prætereo quid Μετεώρων voce heic ſignificetur, cùm & res ſuperiùs declarata ſit, & vel ex facta ad interpretationem additiuncula abundè innoteſcat. Innoteſcit verò etiam ex ea, quæ ad voces φορὰν, καὶ τροπὴν & cæteras; quid per ipſas intelligatur.

℣. 19. Λειτουργοῦ ἅμα, &c. ad vſque, κατὰ βούλησιν, pro λειτουργὰ, (aliàs πῦρ) ἅμα ὅλα συνεστραμμένην τὴν μακαριότητα κεκτημένα. Niſi ſcilicet aliqua huiuſcemodi reſtitutio fiat, nihil erit ſenſus, quod inde elicias. Quod idem dicendum circa id, quod paulò pòſt lego, εἰ ἐὰν μηδ' ὑπεναντίαι γένωνται, pro ἐὰν μηδ' ὑπεναντίαι ἐξ αὐτῶν.

℣. 31. Καὶ τὴν ὑπὲρ, pro περὶ ὑπὲρ, ita habentibus MSS. & ſic exigente concinnitate ſenſus. Non longè pòſt ἐνθεῦθεν, pro ἐνταῦθα, quòd ſenſus ſatis manifeſtat Et mox interpono vocem μάλιστα, vt ſit aliqua ſententiæ cohæſio.

℣. 37. πῶς τούτων, &c. ad vſque, ἄλλως πως ἔχειν, pro πρὸς τὴν εἰς τοῦτο ἀπεῖδεν. Ἔτι τε ὅτι τὸ πλεοναχῶς ἐν τοῖς τοιούτοις ἐστὶ, καὶ τὸ ἐνδεχομένως ἐστί. Nempe, ſi lubeat aliquem ſenſum, & ipſi quidem loco non incongruum expiſcari. Diſcerno autem illa tria Πλεοναχῶς ἐστὶ, Ἐνδεχομένως ἐστὶ, ἄλλως πως ἔχειν, vt intelligamus fuiſſe familiareis Epicuro voces circa ſolutionem quæſtionum de rebus præſertim Sublimibus inſtitutarum; quippe qui nunqoam vni cauſæ redditæ ſic inſtiterit, quin reddi poſſe alias cenſuerit. Diſcerno etiam quaſi Effatum alterius generis illud, ἄλλως μὴ ἐστὶ, &c. vt intelligamus præter illa, quæ erant Epicuro quaſi dubitabilia, multíſve modis explicabilia, fuiſſe quoque alia rata, conſtantiáqoe, & de qoibus dici non poſſet, quòd eſſe, aot fieri alio modo poſſent; vt habetur initiò ſtatim inſequentis Epiſtolæ. Nempe ex hoc genere eſſe voluit, quod heic ait, Μὴ ἐστὶ ἐν ἀφθάρτῳ, &c. Quod non multò pòſt lego, καὶ γὰρ τοῦτο, pro καὶ τοῦτο: ob eoidentiorem cohæſionem facio.

℣. 7. Τάχα δὲ καὶ πλείους. Ita ſcilicet magis congruè legit Aldobrandinus, qoàm quod alij τὰ χαλεπὰ, ἔτι πλείους, vel etiam καὶ πλεῖον. Lego autem ſtatim δύναται, pro δύνηται, aut δυνήσεται, quoniam planius eſt; ac repono mox κατὰ τὴν pro καὶ τὴν, qood id videatur exigere non modò facilitas, ſed etiam neceſſitas ſenſus. Pag.30.

℣. 13. Τοιούτων ὥσπερ, pro τοιούτων πρώτων ὥσπερ. Nempe vox πρώτων paulò antè ſcripta hùc ineptè prorepſerat. Mox autem παρ' ὑμῖν pro κατὰ μέρος. Scilicet vocis κατὰ μέρος nullus heic ſenſos, vſuſve eſt; at vox παρ' ὑμῖν ipſa eſt, quâ Epicurus vti ſolet, vt manifeſtum ſtatim fiet, ac vberiùs etiam

inſequeote Epiſtolâ , cùm Sublimia illa , & procul poſita explicans , dicit ipſa contingere , oon ſecus ac ea, quæ ſunt apud nos, hoc eſt , in Terra , ſeu hac inferiore , in qua nos verſamur, regione contingunt. Legi potuiſſet καθ' ὑμᾶς , ſed vox παρ' ὑμῖν Epicurea magis. Statim verò ἀκριβοῦσαι χρείαν , pro χρείαν ἀκριβοῦσαν. Quippe niſi voces ita tranſponantur , procliue eſt ſenſum præpoſterum fieri , vt vel ex aliorum interpretationibus patet.

ꝟ. 20. καταφρονοῦντας δὲ τῆ εἴδει τὸ μοναχῶς, pro καταφρονοῦντας τῆ εἰδὲ μοναχῶς. Videlicer vt ſenſus conſtet . cuius etiam gratiâ præmittendum ſtatim fuit , μόνον δὲ ante illud τὴν ἐν τῆ , &c. cùm ſecùs , hoc nouum quaſi membrum conſtare oon poſſet. Ac rurſùs ſtatim legendum ἐν ποίοις ἐστὶν , ἢ ἐκ ἴσον, pro ἐν ποίοις ἐκ ἴσον , cùm alioquio membrum eſſe mutilum videretur. Er iterùm ſtatim καὶ ἐπὶ τοῦτο , pro καὶ ἐφ' οἷοις , cùm hac ratione poſſet ſenſus ſatis commodus elici, qui foret alioquin aut nullus , aut planè turbatus.

ꝟ. 54. Τὰ μακάριά τε, &c. ad vſque καὶ ἐν τῷ , pro Ταῦτα μακάριά τι δοξάζων , καὶ ἄφθαρτα, καὶ ὑπεναντίας ἔχειν τούτοις βουλήσεις , ἅμα καὶ πράξεις , ἢ αἰτίας. Sic quippe ſenſus eſt longè planior , & ſententiæ Epicuri iam recitatæ conſonantior. Mss. aliunde habent voculam ἅμα ante vocem βουλήσεις, & quod ad vocem πάθη repoſitam pro voce αἰτίας , attinet, res eſſe videtur ſatis manifeſta.

ꝟ. 58. Καὶ οὐδὲ ἰδεῖν, &c. ad vſque καὶ ἐν τῷ , pro οὔτε καὶ ἰδεῖν τὴν ἀναισθησίαν τὴν ἐν τῷ τεθνάναι φοβουμένοις , ὥσπερ ὄντα καὶ αὐτοὺς , ὅτι. Vox certè illa ὅτι priore loco poſita nihil niſi ſententiam perturbat , & quæ habetur poſteriùs , abeſt etiam à mss. Poterat conuerſa in ἔτι, fieri initium ſequentis, illiuſque tertij membri ; verùm viſa præterea eſt tranſponenda , collocandáque ante vocem αὐτοὺς , tanquam longè magis neceſſaria ad ſenſum , quem heic intendiſſe Epicurus videtur , quemque & ipſe aliàs exprimit , vbi ratiocinatur mortem oihil pertinere ad nos , & Lucretius vrget inter cætera illis verſibus :

lib. 3. *Debet enim,miſerè quoi fortè, agréque futurum'ſt,*
Ipſe quoque eſſe in eo tum tempore.
Et, *Nec videt in vera nullũ fore morte aliũ ſe,*
Qui poſſit viuus ſibi ſe lugere peremptum.

Ad vocem φοβουμένοις quod ſpectat , legiſſem cum Caſaubono φοβουμένας , quaſi relatam ad τὰς ψυχὰς , inſinuante etiam voce ὄντα, pro qua legendum fuiſſet οὔσας, & conuertendum αὐτοὺς in αὐτὰς , niſi ſenſus feciſſet ſatis manifeſtam Synecdochen , ſubintellectâ voce ἀνθρώπους , quæ etiam maniſeſtiùs ſupponitur ſtatim à ſequente voce δοξάζοντας.

ꝟ. 41. μὴ δόξαις ὀρθαῖς ἴσχειν , pro μὴ δόξαις ταῦτα πάσχειν. Scilicet vt ſenſus cohæreat cum eo, quod ſequitur, ἀλλ' ἀλόγῳ γέ τινι παραστάσει. Vt præter Epicuri mentem eſſe taceam, quod homines iſta non patiantur τῇ δόξῃ. Lego autem ſtatim , ὥστε μὴ ὁρίζοντας τὸ ὄντως δεινὸν, pro ὅθεν μὴ ὁρίζοντας τὸ δεινὸν , quoniam vox ὥστε phraſin congruam ; & vox ὄντως ſenſum iotegrum facit.

ꝟ. 44. τῷ ᾗ ἃ ἐδόξαζον , pro τῷ εἰ καὶ ἐδόξαζον. Quippe congruus heinc ſenſos fit, qui alias eſt falſus , & contradictorius ; cùm talis perturbatio ex eo, quod illi opinentur, & non rectè quidem , vt dictum mox eſt, conſequatur ; & videatur huc reſpexiſſe Lucretius, cùm hoſce verſus aliquoties repetiit :

Nam veluti pueri trepidant , atque omnia cacis lib. 2. 3. 6.
In tenebris metuunt,ſic nos in luce timemus
Interdum,nihilo quæ ſunt metuenda magis, quàm
Quæ pueri in tenebris pauitant,fingúntque futura.

ꝟ. 51. ὁ τάραχος , καὶ ὁ φόβος γὰρ , pro Pag. 31.
ὁ τάραχος γὰρ , καὶ ὁ φόβος ἐγίνετο. Siquidem vox ἐγίνετο ſuperfluit , incongruáque eſt, & mss. habent γὰρ poſt τὸ φόβος. Sic & oon longè pòſt ὅσα φοβεῖ , pro καὶ ὅσα φοβεῖ , quòd vox ὅσα nihil addat , ſed relatiua ſolùm ſit τῶν λοιπῶν παρεμπιπτόντων. Prætereo autem videri quoque ad hæc reſpexiſſe Lucretium , cùm recitatis mox verſibus, hoſce, quos etiam aliquando ſeorſim habet, ſubiicit :

Hunc igitur terrorem animi , tenebráſque neceſſe'eſt lib. 2.
Non radij Solis , neque lucida tela diei
Diſcutiant , ſed naturæ ſpecies , ratióque.

ꝟ. 10. Ταῦτά σοι , ὦ Ἡρόδοτε. Hæc iam eſt Concluſio totius ad Herodotum Epiſtolæ, neque ipſa minùs , quàm reliquus textus ſphalmatis laborans. Heine ſtatim pro vocibus δυνατὸς κατασχεῖν, lego κατὰ τὸ δυνατὸν κατασχεθεὶς , vt ſenſus elici congruus poſſit , qui aliàs oon-niſi detortè, peregréque cohæreat.

ꝟ. 17. Καὶ γὰρ καὶ οὐθαρὰ , &c. ad vſque καλὰ τὴν , pro καὶ γὰρ καὶ καθαρὰν ὑφ' ἑαυτοῦ ποιήσει πολλὰ τοῖς κατὰ μέρος ἐξακριβουμένοις. Nimirùm propter vocem πολλὰ , legendum eſt & καθαρὰ , quod ipſi adiectiuum ſit , & τῆ ἐξακριβουμένῳ , quod patiendi vi illius reſpondeat. Et poſterioris quidem huios vocis veſtigium fuit in mss. vbi habetur τῆ ἐξακριβουμένος : ad priorem verò quod ſpectat , commutaturus illam fueram in vocem κατάλληλα, niſi meminiſſem noo longè ab initio ioſequentis Epiſtolæ legi τὴν τῆ φυσικῶν προβλημάτων οὐθαρὸν , ac rurſùs ἐκκαθαιρόμενα , adeò vt viſus Epicurus fuerit verbum καθαίρειν, quod eſt *purgare* ; ſeu *mundare*, eò tranſtuliſſe, vt eſſet idem , quod *explicare*, ſeu declarare aliquid ; quatenus quæſtio dum explicatur, veluti purgatur , mundáque euadit à tenebris, ambagibúſque ; quæ veluti ſordes commiſtæ præſtant, ne clara, apertáque, & qualis in ſe eſt , videatur.

ꝟ. 21. συνεχῶς ἑαυτῷ βοηθεῖ , pro συνεχῶς βοηθεῖ. Vocem ſcilicet ἑαυτῷ interpono, vt ſatis perſpicuè alioquin deficientem ; & quia io ipſa Epiſtolæ Præfatiooe , cui hic Epilogus reſpondet , habetur , ἵνα βοηθεῖν αὐτοῖς δύνωνται.

ꝟ. 24. καὶ τοὺς τελείως, pro ἢ καὶ τελείως. Niſi enim res ita diſtinguatur , vt heic agnoſcatur quaſi alterum membrum ; nihil congrui

ſenſus elicies; vti & niſi ſtatim legatur ἀναβάντας, pro ἀναλύοντας, qua ex voce nihil exprimi, niſi admodum perturbatum poteſt.

℣. 25. περιοδείαν, pro περίοδον. Nimirùm & ita habent MSS. editióque Stephani, & voa eodem ſenſu in Præfatione extat; & per ipſam meliùs exprimitur deductio, tractatio, diſſertatio, ea omnia complectens, quæ aliqua de re dici poſſunt; vt velle Epicurus videtur heic innuere.

℣. 26. ὅσοι δὲ, &c. ad vſque κατὰ τῶν, pro ὅσοι δὲ μὴ παντελῶς αὐτῶν τῶν ἀποτελουμένων ἐν τύπων εἰσὶν ὄ. Quippe niſi iſtud habeatur quaſi poſtremom membrum enumerationis illorum, qoi in Phyſica profecerunt, & teſtitutio hoc ptoaimè modo fiat, nihil erit, quod heinc elicias, aut appoſitè cum iis, quæ ſuperſunt, conoectas.

℣. 29. περιοδείαν, pro περίοδον, propter eapoſitam moa cauſam. Tametſi vtrobique eandem vocem, dummodo de ſenſu conſtet, retineri oihil prohibeat.

Et in Epiſtolam quidem ad Herodotum hactenus.

Ad II. Epiſtolam Epicuri ad Pythoclem, de Rebus Sublimibus.

℣. 32. ΕΠΙΚΟΥΡΟΣ Πυθοκλεῖ χαίρειν. Hæc altera eſt duarum Epiſtolarum, quas prædiaimus fuiſſe ab Epicuro de Rebus Phyſicis conſcriptas. Eſt aotem & ipſa Epitome ſolùm; declarat enim Epicurus ſe Pythocli annuentem mittere ad ipſum σύντομον, καὶ εὐπερίγραφον διαλογισμὸν, περὶ τῶν μετεώρων, *compendioſam, atque perſpicuam de Rebus Sublimibus tractationem.* Quomodò verò τῶν Μετεώρων, *Sublimium* vox noo ea ſolùm complectarur, qoæ io aëre apparent, ac fiunt, ſoláque vulgò dici Meteora (& vel authore quidem ipſo Ariſtotele) conſueuerunt; ſed illa etiam maximè, quæ in æthere, ſeu cælo viſuntur; videlicet tam ſidera, quàm quæ varia iis accidunt; cauſam ſuperiùs iam diximus, eámque repetere nihil eſt neceſſe. Adnotare heic ſufficir argumeorum Epiſtolæ reſpondere illis Phyſicæ Tractatibus, qui Ariſtoteleorum librorum imitatione, de Muodo, & Cælo, déque Meteoris ſolent inſcribi. Scilicet Epicurus qooque ab ipſa ſtatim Præfatione, aliqua præmittit de Mundo, ac agit ſubinde de Sideribus; pergítque poſtremò agete de iis, quæ in aëris regione contiogunt.

℣. 33. Ἤνεγκέ μοι Κλέων. Præfatio hæc eſt, cuius duæ partes. Epicurus enim imprimis ſcribendi occaſionem declarat; & quá alacritate ſe accingat, ſcilicet gratificaturus ipſi Pythocli, & rem qooqoe aliis fututam non inutilem præſtiturus. Deinde verò ſcopum deſcribit ſpeculationis Rerum Sublimium, ac docet modum de iis agendi alium eſſe ab eo, qoo diſſeritur de cæteris tam oaturalibus quàm moralibus rebus.

℣. 5. βαστάζοντα. Ita videtur, pro βαστάζειν, exigere perſpicuitas phraſeos. Legit Caſaubonus βαστάζειν. PAG. 32.

℣. 17. Πρῶτον μὲν οὖν. Poſterior hæc eſt Epiſtolæ pars, in qua lego ſtatim, νομίζειν δεῖ, pro ſimplici νομίζειν: niſi legere malis νομιστέον (vtrumque enim familiare Epicuro eſt) ad ipſam phraſeos integritatem. Vtcunque certè dici poſſit regi vocem tacitè à verbo quopiam antecedente in ſuperiore periodo; vide tamen reſpici ad conſimile regimen, & in poſteriore parte Præfationis ad ſuperiorem Epiſtolam, Πρῶτον μὲν οὖν δεῖ εἰληφέναι & in aliis pari occaſione locis.

℣. 21. βεβαίαν, pro βέβαιον, ſcilicet propter vocem πίστιν. Notandum verò cùm Epicurus duo Propoſitioou m genera diſtinguat; alterum circa eas res, quæ voo tantum modo ſe habent; alterum circa eas, qoæ ploribus modis poſſont ſe babere, aut fieri; idcircò eum velle firmam hanc fidem, ſeo perſuaſiooem non tantùm eſſe circa prius genus; verùm etiam circa poſterius. Non ſanè eo ſenſu quòd aliqua re eaſiſtente pluribus modis explicabili, quilibet modos ſigillatim pro indubitato babeatur; ſed eo ſolùm, quòd res ſit eaplicabilis modis pluribus; videlicet quaſi hoc voum contendat, ſuppetere ſemper io rerum natura cauſam aliquam effectus alioqoin admirabilis; abſque eo, quòd ſit neceſſe ad aliquam noo-oaturalem, ſeu eatraordinariam confugere; vti facere conqueritur eos, qui paſſim ad diuinam recurrunt. Exinde eſt ſanè, cur penè ad nauſeam inuehatur in illos, qui ſingularem modum amplexi, plurifarium reiiciunt; vt ea ipſa ſerie Epiſtolæ conſtat, & à Seneca etiam obſeruatur: ſpeciatim verò cùm recitatis Pbiloſophorum antiquorum de Terræ motu opinionibus, ſubiicit: *Omneis iſtas* lib. 6. qq. *poſſe eſſe cauſas Epicurus ait, plureíſque alias* nat. c. 20. *tentat, & alios, qui aliquid vnum ex iſtis eſſe affirmauerunt, corripit; cùm ſit arduum de iis, quæ coniecturâ ſequenda ſunt, aliquid certi promittere.* Prætereo aurem Propoſitionum generis ptioris, qualeis nollas affert, Pbyſicarum inſtar, in Moralibus, eſſe poſſe eaempli causâ, iſtas; *Voluptas eſt finis bonorum*; *Iucunda vita ſeparari à virtutibus non poteſt*; aliáſque huiuſcemodi. Prætereo item viſum eſſe, quem modum ille μοναχὸν, vocat *Singularem* potiùs, quàm *Vnicum dicere*; & quem πλεοναχὸν, *Plurifarium*, potiuſquàm *Multiplicem*; vt vſus vocum, qui heic habetur quaſi artificialis, eaprimatur diſtinctiùs.

℣. 30. ὑπάρχει, pro ὑπάρχειν, ſic enim videtur exigere phraſis; ac non multò poſt κενὰ pro καινὰ, damnat ſiquidem Epicurus pronunciata quædam, nō quia *noua*, ſed quia *vana* ſuot, & præ vanæ gloriæ ſtudio efferūtur.

℣. 33. ἀρεστῶς καλὰ πλεοναχὸν τρόπον ἐκκαθαιρόμενα, pro ἀρεστῶς καλὰ πάντων, κατὰ πλεοναχὸν τρόπον ἐκκαθαιρομένων. Siquidem voces καλὰ πάντων totum ſenſum turbant, & ſuperfluæ ſunt, propter vocem πάντα mox antecedentem; ac irrepſiſſe poſſunt ob affinitatem cum duabus inſequentibus; vti & poteſt vox ἐκκαθαιρόμενα, ad gignendi caſum propter

vocem

vocem πάντων inductam, deflecti. Nihil porrò de bac voce dico; veluri & nihil adnotaui circa antecedentem vocem κάθαρον, quòd res fuerit veluri præoccupata aliquantò ſuperiùs. Vox ἀναίστως non-nihil ſuſpecta; ſed retineri tamen potuir, ſenſum exprimendo phraſeos, qualem licuit.

℣. 44. τοῖς φαινομένοις. Videtur enim Epicureæ phraſi magis conſoonum, quàm τῷ φαινομένῳ, vtcumque correctionis ſpecie ſic reponi potuerit, ob illud ſpeciale τὸ σύμφωνον ὄν.

Pag. 33. ℣. 1. φέρειν δεῖ ἐκ τῶν παρ' ἡμῖν γινομένων, pro φέρειν τῶν παρ' ἡμῖν τινα φαινομένων. Quippe & vox δεῖ manifeſtè deeſt, & vox τινα abundat, quæ magis congruè mox antè habetur; & vox γινομένων poſt vocem παρ' ἡμῖν, vt familiariſſima eſt, ſic mox quoque repetitur; &, vno verbo, niſi hoc modo, ac niſi ſtatim pro καὶ οὐ τὰ legatur ὡς καὶ τὰ, vix vllus habebitor ſenſus.

℣. 9. Κόσμος ἐστὶ περιοχή τις. Aggreditur heic Epicurus panca de Mundo præmittere, quaſi cohærenter acturus de Rebus Sublimibus, quæ ad Mundi partem, Regionémve præcipuam ſpectant. Exorditur autem à definitione, qua vides Mundum ab eo deſcribi haud-ſecus quàm deſcriptus exſtet in
cap. 2. libro de Muodo, vbi dicitur: Σύστημα ἐξ οὐρανοῦ, καὶ γῆς, καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων, *Compages ex Cælo, Terráque, & iis naturis, quæ in ipſis continentur, conſtans.* Quæ deſcriptio iiſdem, ac totidem verbis (niſi quòd vox περιεχομένων non tam exprimitur, quàm ſubintelligitur) refertur à Laërtio ex
lib. 7. Poſidonio Stoïco; vnde fit vt Aldobrandinus ex hoc, aliiſque argumentis, cenſeat eius libri Authorem eſſe ipſum Poſidonium, non verò Ariſtotelem, cui vulgò attribuitur, aut Nicolaum Peripateticum, cui Petrus Victorius vindicandum putat.

℣. 12. Καὶ καταλήγουσα ἐν πέρατι, &c. Locus hic eſt, qui fuit ſuperiùs conſimili occaſione indicatus, & in quo recepimus de figura Mundi dicendum. Concludo autem Parentheſi illa οὗ καὶ λυομένου, &c. panca quædam ſpectantia ad diſſolutionem, & confuſionem Mundi; quoniam manifeſtè interſita ſunt: & quia ſicut priùs de conditione extremæ partis Mundi dici cœptum eſt, ita poſterius continuatur. Lego verò interim οὗ καὶ, pro καὶ οὗ, quoniam fit alioquin ſenſus perturbatus.

℣. 14. λήγουσα ἢ ἐν περιαγομένῳ, ἢ ἐν στάσιν ἔχοντι, pro λήγουσαν ὃ ἐμπεριαγομένῳ, ὃ ὅτι στάσιν ἔχοντι καί. Siquidem vox λήγουσα manifeſtè refertur ad vocem περιοχή, vti & præcedens καταλήγουσα, & præpoſitio ἐν tam eſt legenda ſeparatim, quàm mox antè habetur ad ipſam vocem πέρατι, quæ heic apertè ſubauditur; & denique particulam disiunctiuam ἢ reponendam pro copulatiua καὶ, ipſa membrorum ſeries demonſtrat.

℣. 20. ὁ δὲ κόσμος ἐν ᾧ λήγει, pro τῷ δὲ κόσμῳ ἐν ᾧ λήγει, id ſcilicet vt phraſis conſtet.

℣. 23. Καὶ ἐν μετακοσμίῳ, pro καὶ ἐν κόσμῳ, καὶ μετακοσμίῳ, Expungo nimirùm voculas κόσμῳ καὶ, quod intelligere Epicurus non potuerit gigni in Mundo Mundum. Nam & tametſi dici poſſet minor io maiore comprehendi; eo tamen caſu non tam Mundus, quàm Mundi pars cenſendus foret. Poſſet & forſan is ſenſus fieri, vt gigni Mundus intelligeretur in eodem loco, in quo alius præexſtitiſſet; at multa nimis, & abſque vllo in textu veſtigio mouenda.

℣. 24. Καὶ ἐν πολυκένῳ, pro ἐν πολυκένῳ, quòd eſſe videatur quaſi aliud membrum. Nempe eùm Intermundium ſit, aut videatur intelligi, vbi Mundi ſunt inter ſe ſatis conuicini; vbi illi tamen ſunt diſtantiſſimi, poteſt ſpatium ſimpliciter vacuum, inanéve haberi. Et tunc quia poteſt tale vacuum eſſe aut non purum, ſi fortè nimirum pertranſeant, ſeséve mutuò irretientes cohæreant variæ Atomi; aut purum, ſi fortaſſis nempe tale quid non contigerit: ideò videtur Epicurus cenſere poſſe Mundum fieri in vtrolibet eiuſmodi vacuo. Vnde & ſtatim lego, καὶ ἐν μεγάλῳ εἰλικρινεῖ κενῷ, pro καὶ οὐκ ἐν μεγάλῳ εἰλικρινεῖ, καὶ κενῷ, quoniam vt iſtud poſterius καὶ ſatis manifeſtè ſuperfluit, ita poteſt particula οὐκ non ſatis conſultò irrepſiſſe, & maximè quidem ex ſubiecto mox loco, cui vtraque particula videatur eſſe reſtituenda. Propterea enim lego, καίτοι οὐ καθάπερ τινές φασιν, pro καθάπερ τινὰ φασιν, quòd improbaſſe Epicurus videatur non quidem, poſſe gigni Mundum ἐν μεγάλῳ εἰλικρινεῖ κενῷ (neque enim ad hoc vllam habuit cauſam) ſed poſſe eo modo, quo aſſerebant aliqui; ad hoc nempe habuit quidpiam opponendum, vti & reipsâ oppoſuit. Hinc & eiuſcemodi verba parentheſi concluſa lego, & quæ ſequuntur habeo quaſi ſummariam explicationem mentis Epicuri, potiusquàm modi, quem improbat; quoniam alioquin nihil cohæret, & ne ea quidem, quæ ſtatim improbato modo tribuuntur, explicatione hac continentur.

℣. 35. δῖνον, pro δεινόν. Ita ſcilicet MSS. rectè, vt vel ipſe ſenſus inſiouat, & opinio quoque illius, qui ab Epicuro ſubnotatus videtur. Siquidem & cùm paulò antè dixit καθάπερ τινές φασιν, & cùm ſubdit illicò pòſt, καθάπερ τῶν φυσικῶν καλουμένων φησί τις, non videtur omninò alius eſſe ſubnotatus ab eo, quàm Leucippus. Id videlicet colligo ex iis, quæ habet Laërtius, dum ait Leucippum lib. 9. Mundi exortum ſic deſcripſiſſe, vt cenſuerit φέρεσθαι σώματα εἰς μέγα κενὸν, (vides heic μέγαλον κενὸν, de quo Epicurus) ἅπερ ἀθροισθέντα (vides ἀθροισμὸν, de quo ille) δίνην ἀπεργάζεσθαι μίαν (vides & δῖνον, qui heic reſtituitur) καθ' ἣν προσκρούοντα (vides & quod heic dicitur ἕως ἂν ἑτέρῳ προσκρούσῃ) &c. Prætereo autem illud δεῖν φερόμενον αὐτὸν ὡς ἂν ἐπιφαίνοιτο ταῦτα ἐπαυξῆσαι, feciſſe, vt minùs fuerim veritus addere interpretando exemplum deſumptum *ex acerno niuis*, qui ſupra niuem reuolutus, quicquid contingit ſibi aſſumit. Adieci verò etiam quanam in re talis opinio, taléve exemplum quadrare non poſſit in geneſin Mundi, niſi repugnando rebus apparentibus, vt cùm Epicurus rem non expreſſiſſet, ea intelligi quadamtenus poſſet.

ỳ. 41. Ἥλιός τε, καὶ Σελήνη, καὶ τὰ λοιπὰ ἄστρα. Dicere heic quidem Epicurus aggreditur de Sideribus; ſed pertinet tamen ſimul argumentum ad tractatiunculam de Mundo, quatenus eò tendit, vt intelligamus Mundum ita fuiſſe effectum, vt hæ inſignes illius partes fuerint non aliunde aduectæ, ſed cum ipſo ſimul, & intra ipſius quidem ambitum ex ſeminibus comprehenſis formatæ; quod idem ſpeciatim de Terra prouunciatum iam vidimus. Inde autem fit, cur ỳ. 42. legam cum Aldobrandino οὐ καθ' αὑτὰ non ſimpliciter καθ' αὑτὰ, Negationem quippe exigit non modò quæ conſequitur Aduerſatiua particula ἀλλὰ, ſed ipſamet quoque opinio, quam ex Plutarcho, & Lucretiu potiſſimùm expreſſimus, cùm de exortu partium Mundi præcipuarum diſſereremus. Lego verò aliquantò poſt δὲ pro δεῖ, ne ſenſus turbetur; & ſtatim, καὶ τὰ προσκείσεις, pro καὶ τὰ πρὸς κρίσεις, vt ſit aliquis. Ac iterùm, ἤτοι συναμφοτέρων, pro ἢ τὸ συναμφότερον, vt ſibi cohæreat. Denique verba illa, καὶ ἵνα γε δὴ σώζοι vulgò lecta poſt vocem κόσμου, ac ſatis manifeſtè tranſpoſita, repono poſt iſta, ὁμοίως δὲ ἡ γῆ, καὶ θάλαττα, ac totum parentheſi includo; quoniam quæ ſequuntur de naturis ſpirituoſis, & igneis, eiuſmodi ſunt, vt Sideribus, non Terræ, & Mari accommodari valeant; cùm illa, non iſta, ex igneis (ſpeciatim) corpuſculis concreuerint; & exinde fit, quod ſuperiùs ex Lucretio retulimus,

Hoc eſt à Terris altum ſecernere Cælum,
Et ſeorſum Mare, vti ſecreto humore pateret;
Seorſus item puri, ſecretique atheris ignes.

PAG. 34. ỳ. 9. Τὸ δὲ μέγεθος Ἡλίου τε, καὶ τῶν λοιπῶν ἄστρων. Celebris hic eſt locus de Solis, Siderúmque aliorum magnitudine, ob quem Epicurus maximè vexatur. Sed de textu vt pauca attingam; lego ſtatim τηλίκον φαίνεται, expunctâ intermediâ voce, ὁποῖον, quaſi vanè interpolatâ; quòd de Magnitudine requiratur, non qualis, verùm quanta ſit; vtcumque quantitas alioquin ſit quædam qualitatis ſpecies. Ac dici quidem fortè poſſet, excidiſſe, quæ huic reſponderet, vocem τοιοῦτον, vel τοῖον, quòd memoretur etiam ſtatim Color, qui propriè dicta ſit qualitas; verùm quia color eſt corporis, non magnitudinis qualitas; ideò cenſeri poteſt neutram vocem appoſitam fuiſſe; poteſtque prætereà haberi

2. plac. 21. ex Plutarcho indicium, apud quem Sol ſpeciatim ex Epicuro legitur, ὁ τηλικοῦτος, ἡλίκος φαίνεται, ἢ μικρῷ μείζων, ἢ ἐλάττων. Vtcumque autem ſit, vox iſta ὁποῖον minori ſenſus diſpendio abiicitur, quàm alterutra illa intrudatur.

ỳ. 17. ὑπάρχει, pro οὐχ ἅμα. Tenue veſtigium; ſed cùm huiuſcemodi verbum non modò appoſitum ſit, ſed penè etiam neceſſarium; cum ex voculæ, quibus ſubſtituitur, eiuſmodi ſunt, vt nihil ſit ſenſus, quòd ex iis elicias Nam ſi ageretur quidem in hoc membro de magnitudine Aſtrorum ſpectata πρὸς ἡμᾶς, dici fortè poſſet eam eſſe non-nihil aut maiorem, aut minorem, aut tantam, quanta & videtur, οὐχ ἅμα δὲ *non tamen ſimul*, ſeu tempore eodem, quaſi deberet dumtaxat varia variis temporibus videri: at quia agitur de Magnitudine ſpectata καθ' αὑτὸ, atque idcircò manente inuariata ſecundum ſe; eapropter iſtæ voculæ non videntur poſſe hûc accommodari.

ỳ. 24. Ἀνατολάς, καὶ Δύσεις. Agit hoc loco Epicurus de Ortu, Occasúque Siderum, non illo quidem, quem Heliacum; ſeu Solarem vocant; hoc eſt, quo Luna, cæteráque Aſtra oriri dicuntur, dum ob viciniam Solis, occultationémque ab illius radiis, priùs non apparentia ex eius vicinia, radiiſque emergunt, apparereque incipiunt; vt Luna quidem (ac interdum etiam Venus, Mercuriúſque) veſperi; & cætera (ac interdum etiam tam Venus, quàm Mercurius) manè: Occidere verò, cùm priùs apparentia, ob factam deinceps viciniam, ſubitionémque in Solis radios, quaſi in illos demerguntur, apparereque deſinunt, vt Luna (& interdum Venus, atque Mercurius) manè; ac cætera (& interdum Venus, atque Mercurius) veſperi. Agit, inquam, heic Epicurus, non de huiuſmodi Ortu, & Occaſu, ſed de vulgari alio, quem & Horizontalem appellant, & Poëtæ tam Coſmicum, quàm Acronychum agnoſcere ſolent. Is videlicet Ortus eſt, quo videmus Sidera (ac ſpeciatim Solem manè) ſupra Horizontem emergere; is Occaſus, quo videmus eadem (ac ſpeciatim veſpere Solem) infra Horizontem delabi. Quod lego porrò Ἀνατολαί pro Ἀνατολάς, & poſteà δύναται pro δύναιτ᾽, non magni quidem momenti res; ſed facio nihilominùs, quoniam in hac tota de Sublimibus tractatione, moris Epicuro non eſt, vt Infinitiuum modum abſque regente Indicatiuo ponat, ac geminatum potiſſimùm, vt hoc loco foret, γίνεσθαι δύναται. Appoſitum magis, quòd ſtatim pòſt lego, καθ' ἑκατέρους, pro καὶ καθ' ἑτέρους, idque ex MSS. niſi quod illi adhuc retinent copulatiuam particulam. Expreſſi autem interpretando, quid rei id eſſet; cùm ille haud-dubiè loca intelligere Ortus, Occasúſque voluerit.

ỳ. 34. Τάς τε Κινήσεις αὐτῶν. Attingit hoc loco Epicurus duplicem Hypotheſin, ſecundum-quam peragi poſſe Siderum motus concipimus: Vnam, quà Cœlum totum moueri, ac Sidera ſecum vnà transferre cogitatur; alteram, quà Cælo immoto, Sidera per ipſum ſeorſim moueri intelliguntur. Attingit etiam, vel coniungit potiùs motus huiuſce duplicem cauſam; vnam, ipſam neceſſitatem, quam Sidera in ipſa ſui conformatione ſubierint; alteram, ipſam depaſtionem, ac diſpoſitionem eius pabuli, quod, ignea cùm ſint, proſequantur.

ỳ. 39. Ex quo fit vt illud κατά τινα ἐπινέμησιν τοῦ πυρὸς, interpreter non *de diſtributione ignis*, ex qua nullus ſenſus idoneus, ſed *de depaſtione* eiuſdem, iuxta quam velut proſerpere Siderei ignes intelligantur.

ỳ. 41. Τροπὰς Ἡλίου, καὶ Σελήνης. Pergit hoc capite Epicurus dicere cauſas ſpecialis Motus, quo digreſſi ab Æquatore Planetæ, & ad ipſos vſque Tropicos progreſſi, ab iis regrediuntur. Sic autem referri eas poſſe

contendit

contendit ad Zodiaci obliquitatem; ad repreſſionem aëris; ad pabuli diſpoſitionem (quo loco particulas, τὸ μὲν, ante vocem ἐμπεριφερομένης, tanquam manifeſtè deficienteis, ob ſequenteis illas, τὸ δὲ καταλείψεως, ſuppleo) denique ob factam initio ſpiralis motus impreſſionem; vt cenſeat præterea, non eſſe curanda, quæ vocat *ſeruilia Aſtrologorum machinamenta*; ἀνδραποδώδεις ἀστρολόγων τεχνιτείας. Quo loco obſeruandum eſt, notari ab ipſo videri non Aſtrologiam Iudiciariam, quæ illius temporibus nondum in Græcia percrebuerat, vtcumque ſtatim à Beroſo inuecta in eam fuerit; ſed operoſas illas quas vocant Planetarum Theorias, ſeu Hypotheſeis, quarum iam exemplum in Eudoxo, Callippo, & Ariſtotele habebat. Non quòd viſus fuerit ſpeciatim vllam damnare hypotheſin; ſed quòd patienter non tulerit, haberi vllam ita ratam, vt cæteræ non cenſerentur paris cum ea eſſe probabilitatis. Hoc enim eſt, quod eſſe cenſuit ἀνδραποδῶδες, mancipij videlicet more vni cuipiam addictum eſſe.

PAG. 35. ℣. 12. Κενώσεις τε Σελήνης. Tria heic ſequuntur capita, quæ Epicurus pertractat de Luna: ac primum quidem circa eius Phaſeis; quo loco, ſi lego κατὰ στροφὴν disiunctim, non verò coniunctim, vt vulgò fit, καταστροφὴν, facit & ſenſus perſpicuitas, & propoſitus Epicuro ſcopus inſinuandi ſpecialem modum, quo Luna Phaſeis ſubeat ex reuolutione proprij corporis, quod & globoſum, & media parte clarum, media obſcurum ſupponatur; vt & expreſſi interpretando, & ex Lucretio dicetur poſteà. Lego verò deinde ℣. 19. μοναχόν, pro μοναχῆ (vti & non multò pôſt habetur) propter perſpicuitatem ſenſus, qui videtur etiam non obſcurè exigere, vt ſtatim pro ὅτε, legatur ὅτι, ac ſtatim rurſùs, μὴ δύναιτο, pro καὶ ἀδύνατον, & iterùm ἐπιθυμοῖ, pro ἐπιθυμῶν.

℣. 24. Ἔτι τε ἐνδέχεται. Alterum iſtud caput eſt, de Luce videlicet Lunæ, quam Epicurus ait eſſe poſſe aut Lunæ propriam, aut à Sole acceptam. Lego autem ℣. 25. ἢ καὶ ἀπὸ pro ἢ ἀπὸ, quoniam id phraſis exigit exprimendo alteri modo, quo poteſt Lux eſſe in Luna. Et ℣. 31. αὐτῶν pro αὐτοῖς, quoniam relatio eſt πρὸς πλεοναχὸν τρόπον. Ac ſtatim ἄλλοθι, pro ἄλλο τι, ſenſu ipſo manifeſtante.

℣. 35. Ἡ δὲ ἔμφασις τοῦ προσώπου. Tertium hoc eſt caput de Facie, ſeu eo quaſi vultu, qui in diſco Lunæ apparet. Lego autem ℣. 38. πάντῃ, pro πάντα, quòd vox eſſe videatur Aduerbialiter efferenda, vt indicentur omnes omninò, ſeu vniuersè modi, quibus poteſt Lunæ facies maculoſa apparere, præter duos illos, quorum alterum, qui κατ' ἐπιπρόσθησιν dicitur, explicari poſſe commodiùs non cenſui, quàm congruè illi tertio, qui habetur etiam κατ' ἐπιπρόσθησιν circa Phaſeis Lunæ. Nempe vt illeic ſum hanc vocem interpretatus *obductionem corporis opaci Lunæ continuò circumuoluti*, ſic & hoc loco *obductionem corporis non perinde opaci, ſed vtcumque caliginoſi; non continuò circumuoluti, ſed perpetuò potiùs hærentis; ac non vbique ſolidi, ſed reticuli inſtar variè perforati.* Videtur id certè non fuiſſe alienum ab ipſa mente Epicuri, vtcumque nihil ſubodorari non modò ex Plutarcho, alióve licuerit, ſed ne ex Lucretio quidem, qui de Lunæ facie nihil habet. Denique ℣. 41. ὅθεν lego, pro ὅ, ſuggerentibus vocibus τὴν τοιαύτην ἐχούσιν, quæ immediatè antecedunt: Ac ſtatim, ἂν γάρ τις μαχόμενος ᾖ, pro ἂν γάρ τισι μαχόμενος, ſuggerente ipſa neceſſitate ſenſus.

℣. 44. Ἔκλειψις Ἡλίου καὶ Σελήνης. Cùm Epicurus aliquot Eclipſeon cauſas heic recenſens, viſus fuiſſet præcipuam, eámque germanam prætermiſiſſe; ideò Laërtius illam ſuppleuit ex XII. Epicuri de Natura libro; itémque ex Diogene Tarſenſi, qui eandem ex mente Epicuri declarauerit. In ipſa autem recenſenda, & ad ℣. quidem 10. addo has duas PAG. 36.
voces πάλιν ἐλλάμψεως, quòd manifeſtè deficiant ad declarandum quomodo ob receſſum Lunæ à coniunctione cum Sole, ipſe Sol viſus obſcuratus, illuceſcat iterùm; & à receſſu ab oppoſitione, atque adeò ab vmbra Terræ, ipſa Luna rurſùs pleno orbe fulgeat; vt interpretando etiam eſt expreſſum. Quin etiam illud, Σελήνης ἐπισκοτούσης, ita interpretatus ſum, vt non debeat intelligi, inducere Lunam tenebras in Solem, ſed obductam Soli, ipsúmque obtegentem creare tenebras ipſi Terræ. Ex quo adnotari poteſt obiter, quam dicimus Eclipſin Solis, veriùs dici Eclipſin Terræ, quando non ipſe Sol deficit, deſtituitúrve ſuâ luce; ſed Terra Solis luce priuatur ob Lunam interpoſitam; eo modo, quo Luna ob interpoſitam Terram. Adeò vt quemadmodum nos, dum Lunam è Terra ſpectamus, videmus, dicimúſque illam, non Solem, reuerà deficere; ita ſi quis Terram è Luna ſpectarit, & viſurus ſit, & dicturus Terram deficere, non Solem.

℣. 12. Ἔτι τε τάξις περιόδου. *Periodicum ordinem* heic interpretor, quo videre licet Eclipſeis temporibus certis, adeóque ratis contingere, vt longè antè prouideri, prædicique ab Aſtrologis valeant. Nempe idcirco videtur ipſum Epicurus ſtatim poſt cauſas Eclipſeon memoratas attingere; ne cùm is videatur præſertim admirabilis, neque à fortuna dependens, ſuſpicetur propterea quiſpiam eſſe diuinum Numen, à quo talis ordo inſtitutus ſeruetur. Quare & repetit errorem, quem iam circa Epiſtolam ſuperiorem perſtrinximus; metiens ſcilicet naturam Diuinam modulo humano, neque capiens quomodo illi, cùm nihil non norit, nihilque non poſſit, rerum prouidentia competere, abſque detrimento felicitatis, valeat. Quod ille autem addit, ὡς καὶ παρ' ἡμῖν, adfero interpretando exemplum *de viciſſitudine tempeſtatum*; quoniam Lucretius illam vſurpat, dum vt iam antè vidimus, docet, poſſe dietim Lunam & nouam, & cum certa Phaſeon varietate creari,

Quom fieri poſſint tā certo tempore multa.

Quòd ℣. 18. lego, ἡ ἀεὶ τῶν μετεώρων ἀντιλογία, pro ἡ τῶν μετεώρων ἀντιλογία, idcircò eſt, quòd vox quidem ἀεὶ, non modò in MSS. ſed in Baſileenſi quoque editione habeatur; vox

autem *αἰτιολογία*, videatur prorſùs reponenda, ob diſquiſitionem cauſarum, quæ περὶ τ̃ μετεώρων heic fit, quámque Epicurus non legitimè inſtitui ab iis, qui vni ſoli adhærent, cauſatur. Quod verò aliquantò pòſt lego *φερομένοις*, pro *φερομένως*, phraſis ipſa facit, vt ſit conſonantia cum illis dandi caſibus, *τισιν ἐμφερομένοις*, & *ἐκπίπτουσιν*. Vnde & ſtatim pòſt lego etiam, *δυναμένοις*, pro *δυναμένως*; ac ſimul intermedio loco lego *ἃ δεῖ*, pro *δεῖ*, quòd præter ſenſus neceſſitatem, & MSS. & Romana etiam editio ita inſinuent. Denique autem interpono voces, *μήτε διηρτημένοις*, tanquam deficienteis, & fortaſſis reiectas ob affinitatem, creditámque cum voce *μὴ δυναμένοις*, identitatem.

℣. 27. *Μήκη νυκτῶν, καὶ ἡμερῶν.* Quod mirabile ſemper viſum ſit, dies, noctéiſque anni decurſu ſic increſcere, & decreſcere, vt eorum vices per hyemem, æſtatémque alternentur; ideò Epicurus quoſdam quoque modos, quibus hæc variatio contingere valeat, proponit. Suppleo autem ſtatim verbum *ἐνδέχεται*, quòd phraſi manifeſtè deſit. Ac non multis interpoſitis, lego, *ὑπέρ τε, καὶ ὑπὸ γῆς*, &c, ad vſque *τινα θεωρεῖται*, pro *ὑπὲρ γῆς παρὰ τὸ μήκη τόπων παραλλάττοντα, καὶ τόπους τινὰς περαιοῦντα τάχιον, ὡς καὶ παρ' ἡμῖν, ἢ καὶ βραδύτερον.* Quoniam, niſi locus ita reſtituatur, patet quanta ſit & obſcuritas, & confuſio; ac potiſſimùm propter duos modos, quos Epicurum attingere voluiſſe manifeſtum eſt, vt conſtare poteſt vel ex ipſo Lucretio, (à quo etiam tertius ſuperadditur) cùm & ex eius verſibus ratio penè tota interpretationis pateat. Quòd verò ſub finem lego, *ὃ δυνατὸν*, pro *οἱ δυνατὸν*, facio ad perficiendum ſenſum.

℣. 38. *Ἐπισημασίας*, pro *Ἐπεὶ σημασίας*. Nempe huiuſmodi eſt vox, qua vſos eſſe conſtat Antiquos, vt exprimerent Præſignificationes Aſtrorum, ſeu Indicationes, ac Prænunciationes pluuiarum, ventorum, æſtuum, ſiccitatum, aliarúmque mutationum aëris, pro tempore, quo orirentur, aut occiderent Sidera, vt Pleiades, Canis, Orion, & alia: Epicurus autem tractatione de Sideribus abſoluta, & priuſquam aggrediatur poſteriorem Meteorologiæ partem explicare, videtur velle dicere, quemadmodum huiuſmodi Præſignificationes fiant. Lego autem ſtatim *συγκυρήσεις*, pro *συγκρίσεις*, tum quòd vox & in MSS. & in Romana quoque editione habeatur; tùm quòd vbi inferiùs *Ἐπισημασίαι* rurſùs attinguntur, habeatur vox *συγκύρημα*, pro qua certè non fuerit *σύγκριμα* reponendum. Quod verò, interpoſitis paucis, lego, *Καὶ κατὰ συντεύξεις*, &c. ad vſque *Ἀμφότερα γὰρ*, pro *αὐτοῦ ἀέρος, καὶ μεταβολῆς*, Non nego profectò me longiſſimè fortaſſis abeſſe à ſcopo; at manifeſtum interim eſt, id quod ſequitur, *ἀμφότερα γὰρ ταῦτα*, ſupponere eſſe duo membra deducta; & cùm prius incipiens *ἀπὸ τ̃, ἢ κατὰ*, deſinat *εἰς τὸ*, *Περὶ ἑτέρους*, excidiſſe, ac deeſſe poſterius, quod quatuor illis vocibus contineri minimè valeat. Itaque vt illud ſum interpretatus de Animalibus regiones iuxta tempeſtates commutantibus; ſic ſum conatus iſtud ſupplere, quantum ex mente Epicuri, & veſtigiis ſuperſtitibus licuit.

℣. 1. Denique pro *πλείους παρὰ τοῦτο, ἢ τοῦτο τὸ αἴτιον*, lego *πλείω παρὰ τοῦτο, ἢ τοῦτο αἴτιον*, vt ſenſus quiſpiam eliciatur, qualem ſum adnixus interpretando reddere; id præſtando, ne per voces *τοῦτο, ἢ τοῦτο*, intelligantur præciſè duo modi expoſiti; ſed vniuerſè omnes cauſæ rebus apparentibus conſonantes. PAG. 37.

℣. 4. *Νέφη γίνεσθαι, καὶ συνίστασθαι δύναται.* Acturus deinceps Epicurus de poſteriore Meteorologiæ parte, initium ducit ab ipſa Nube, quâ ſublimè in aëre nihil gignitur, viſitúrve frequentius. Meritò nempe Aldobrandinus legit hoc loco *Νέφη*, cùm editiones cæteræ habeant *ἐφ' ἧ*, & ex duobus MSS. alter *ἐφ' ἧ*, alter *ἔφη*. Lego autem paucis interpoſitis *συνώσει*, pro *συνώσεως*, quòd ea voce attingatur cauſa, ſiue modus condenſationis aëris ad compingendum corpus Nubis.

℣. 12. *Ἤδη δ' ἐπ' αὐτῶν*, pro *ἤδη δὲ ἐξ αὐτῶν*, ac ſtatim pòſt, *Ὑετοὶ*, pro *ὕδατα*. Agi ſcilicet heic videtur de generatione aquarum, non vniuerſè, ſed Pluuiæ ſpeciatim, tanquam Meteororum vnius. Et pluuia quidem aqua eſt, poſſéitque τὰ ὕδατα intelligi ſtillæ, ſeu guttæ, aut variæ etiam Pluuiarum ſpecies; ſed planius eſt ſanè, vt tam leui præſertim immutatione *Ὑετοὶ* legamus; & maximè cùm Epicurus nuſquam alioquin Pluuiam in tota hac Meteorologia ne nominaturus quidem ſit; ac videatur appoſitè eiua poſt Nubem meminiſſe; quòd Nubes videatur præſertim ob generationem Pluuiæ comparari.

℣. 15. *Ἔτι τε Πνεύματα γίνεσθαι δύναται.* Poſteriores has duas voces, vt deficienteis ſuppleo; quemadmodum ſupplenda quoque ſtatim viſa eſt vox *ἀτόμων*, tanquam manifeſtè poſt vocem *ἀπενεχθέντων* deficiens.

℣. 21. *Βροντὰς ἐνδέχεται γίνεσθαι.* Acturus deinceps Epicurus de Fulmine, quicum cohærent Tonitru, & Fulgur, initium ducit à Tonitru, quo hominum mentes præſertim terrentur.

Ad ℣. autem 27. *παρατάξεις* repono, pro *τάξεις*, non modò ob vocem *συμπαραταγυιῶν*, quæ eſt apud Empiricum; ſed etiam quia id ipſe exigit locus, in quo de Tonitrus fragore, ſiue ſtrepitu agitur.

℣. 31. *Καὶ Ἀστραπαὶ δ' ὡσαύτως γίνονται.* Duæ heic ſunt quaſi partes eorum, quæ Epicurus de Fulgure habet. Prior autem, quæ varios generationis Fulguris modos continet, viſa eſt non pauca habere emendanda. Heinc ℣. 36. lego *τ̃ τοιούτων*, ſcilicet particulâ *τ̃* adhibita ex MSS. ℣. 38. *ἐκπιεσμὸν*, pro *ἐκπιασμὸν*, vti & ſtatim pòſt, *ἐμπεριειλημμένον* (quam vocem Aldobrandinus quoque habet) pro *περιειλημμένον*, ac potiſſimùm propter illud Empedocleum *ἐμπεριλαμβανόμενον* apud Ariſtotelem, ad quod Epicurus reſpexiſſe poteſt, vtpote quaſi recenſens varias Philoſophorum opiniones.

℣. 44. *Καὶ κατὰ*, pro *ἢ κατὰ*, quod perſpicuè ſatis ſit membrum diſtinctum, ac eâdem ratione deducendum cum cæteris. Statim autem *παρὰ τὸ, ὑπὸ*, pro *ἢ ἀπὸ* propter neceſſitatem ſenſus.

℣. 47.

ψ.47. Expungo particulam ἢ, ante vocem καὶ, quòd nihil aliud, quàm ſenſum turbet, ac ob noui membri potiſſimùm ſpeciem. Et ſtatim pro τούτου lego τούτων: ob manifeſtam relationem πρὸς τὰ νέφη, quorum nempe συμπιληθέντων ſit ἡ κίνησις.

PAG.38. ψ. 2. ῥῆξιν τε, pro ῥήξεις δὲ, vt nempe & ſit conſonantia cum cæteris modis, qui ſingularis numeri voce exprimuntur, & ſit copulatio perſpicua cum eo, quod ſtatim ſequitur, καὶ ἔκπτωσιν, &c.

ψ. 6. καὶ ἐχόμενον, pro ἐχόμενον καὶ, quòd copulatio fiat non ſequentis vocis φαινομένων cum alia, ſed ipſius ἐχόμενον cum ſequente δυνάμενον, tametſi & potuit particula expungi. Circa poſteriorem, quâ diſquiritur, cur Fulgur videatur priuſquàm audiatur Tonitru, lego ſolùm

ψ. 9. καὶ διὰ τὸ ἐν τοιῷδέ τινι πιεσμένῳ νεφῶν, pro ἐν τοιῷδέ τινι πιεσμένῳ νεφῶν, καὶ διὰ τὸ. Quandoquidem niſi inuerſio hæc fiat, & ſenſus turbatur, & prior modus, quo Tonitru præuenitur à Fulgure, debito, ac pro more, non incipit loco: & maximè, cùm eſſe nubeis ἐν τινι πιεσμένῳ, non. vt ad priorem, ſic ad poſteriorem exigatur modum

ψ. 19. Κεραυνοὺς ἐνδέχεται γίνεσθαι. Cùm locus hic de Fulmine viſus ſit præſertim corruptus: Ea de cauſa lego imprimis ad ψ. 22. νέφους, pro μέρους, quòd videatur vna vox ſatis manifeſtè irrepſiſſe pro alia; ac ſimul addo, ἀπὸ τοῦ πυρὸς propter factam ἀναφοράν, & quòd ipſa τοῦ πυρὸς vox præmiſſa eſſe debeat, propter relatiuam ſequentem αὐτοῦ, quæ referri πρὸς τὸ νέφος, vt cuius non ſit ἔκπτωσις, non valeat. Deinde, commutatis paucis (vt πλείονος in πυρὸς, & ἀπειλημμένου in ἐλαυνομένου, cum tranſpoſitiuncula vocis πυρὸς bis facta (ac intermiſſis ſubinde aliquibus, Parentheſin agnoſco, inchoóque à voce ἡ ῥῆξις, termino voce πίλησιν γίνεσθαι, túmque intermiſſa repono, & integrum locum ad vſque τὸ μὲν πολὺ, lego vt expreſſus eſt, vice vulgaris huius contextus, καὶ ἔκπτωσιν ἰσχυροτέραν αὐτοῦ ἐπὶ τοὺς κάτω τόπους, ἡ ῥῆξις γινομένης διὰ τὸ τοὺς ἑξῆς τόπους πυκνοτέρους εἶναι διὰ πίλησιν τῶν νεφῶν, ἢ κατ' ταύτην δὲ τὴν τοῦ πυρὸς ἔκπτωσιν ἀπειλημμένου, κατ' καὶ βροντὴν ἐνδέχεται πλείονος γίνεσθαι, ῥηγνυμένου, καὶ πνευματωθέντος ἰσχυρότερον, καὶ ῥήξαντος τὸ νέφος, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι ὑποχωρεῖν εἰς τὰ ἑξῆς τὴν πίλησιν γίνεσθαι. Scilicet nemo ad hæc attendens, miram confuſionem non videat, & non agnoſcat aut nihil poſſe legitimi ſenſus inde elici, aut locum eſſe modo aliquo, qualem tentaui (& qualem alius feliciùs fortaſſis tentet) reſtituendum.

Lego porrò etiam deinceps ψ. 33. τὸ δὲ καὶ πρὸς ἄλλα, vice vocum, πρὸς ἄλληλα, quoniam cùm ex iſtis erui nihil valeat, conſtat, ex eo, quod fuit præmiſſum, fulmineum ignem cadere, τὸ μὲν πολὺ πρὸς ὄρος τι, ſequi debere, quod phraſim compleat, cuiuſmodi eſt, τὸ δὲ πρὸς ἄλλα, ac viſo præſertim Lucretio id exprimere illo carmine,

Hoc fit item in parteis alias, quocumque tulit vis.

ψ. 39. Πρηστῆρας ἐνδέχεται γίνεσθαι. Quæ Epicurus de Preſtere habet, eiuſmodi ſunt, vt appareat ipſum hac voce nihil aliud intellexiſſe, quàm ſpeciem Venti ἐκνεφίαν vocatam, quòd erumpat *è nubibus.* Quò fit, vt ψ. 46. legam ῥύσεις pro ῥήξεις, non modò ex fide MSS. verùm etiam, quia venti eſt non *ruptio,* ſed *fluxus*; vnde & ſuperiùs quaſi fluctus habitus eſt. Id adnoto verò, addóque nullam ab Epicuro mentionem ignis fieri; cùm tamen Ariſtoteles, ac imitatus ipſum Plinius, 3.Meteor.2. & plærique alij, ſic Ecnephiam habeant, vt lib.2.c.48. velint prodeuntem ex nube ventum, ſeu ſpiritum præ turbinationis vehementia accenſum, Preſterem vocari,

ψ. 21. Νάματα, pro πνεύματα. Diu ſanè hæſi, iſtúmne locum hoc modo reſtituerem; PAG.39. cùm pronum eſſet exiſtimare agi heic de ventis ſubterraneis; quaſi Epicurus relatâ in illos terræ-motus causâ, generationis ipſorum modum explicandum ſubſumeret; & illud ἀλλοφυλίας παρεισδυομένης, videretur poſſe de halitibus quaſi clandeſtinè in terram ſubinſinuatis intelligi; illud ὕδατος ἀθρόου συλλογὴν, de vaſtis lacunis, ex quarum agitatione, ſpiritus, iuxta antè relata ex Lucretio, Senecáque increſceret: illud ὀλίγων πιπτόντων εἰς τὰ πολλὰ κοιλώματα, de prolapſu in inferiores cauernas, dictas etiam Plutarcho κοιλότητας: idque διαδόσεως γινομένης, quaſi ex illa multiplici impactione, repercuſſionéque flatus gigni poſſet, atque ita de cæteris. Verùm, quò iſta cohærerent, tam multa viſa ſunt mouenda, detorquenda, ſupplenda, vt ſatius viſum fuerit aliud quidpiam excogitare. Prætereo & actum iam antè vniuersè de Ventis, idque allatum, quod poſſit ſubterraneis appoſitè magis, quàm iſta omnia, accommodari; & neque Lucretium, neque Senecam memorare ventos ex agitatione, prolapsóve creari, ſed præcedere potiùs ventos, à quibus tales motiones ſint; &, dici non poſſe, qui inſtituatur illa diſtinctio, τὰ δὲ λοιπὰ πνεύματα, aliáque id genus. Itaque viſum eſt Epicurum, cùm egiſſet de iis, quæ ſubtus terram fiunt, agere voluiſſe de iis, quæ è terra prodeunt, cuiuſmodi fontes, fluuiique perennes ſunt. Nuſquam certè aliàs habet aliquid de ipſorum origine; cùm de ea tamen agere Meteorologi ſoleant, vti ex Ariſtotele, Seneca, & aliis conſtat. Et ne obiicias Lucretium hoc argumentum non pertractaſſe, Ecce neque illa quoque pertractauit, quæ conſequuntur; non enim ſpeciatim diſſeruit de grandine, niue, rore, & ſimilibus; ſed edixit ſolùm ea poſſe perfacilè intelligi ex principiis ſemel perſpectis. Quanquam & dici poteſt, cùm tractationi de Terræ-motu ſubiecit diſquiſitionem cauſæ, de non increſcente ex ingreſſu fluminum mari, attigiſſe quoque iſtam obiter; cùm de ventorum tamen generatione inſeruerit nihil. Vt verbo dicam, nihil fuiſſe videtur procliuius, quàm ex voce νάματα fieri πνεύματα, vt videri proinde poſſit reſtitutio æquè procliuis. Eſſe autem τὰ Νάματα latices perenneis, ſiue riuulos, ex quibus χώρα ναματώδης, & ὕδωρ ναματιαῖον dicatur, perquàm notum eſt; cùm &, vel ex Theophraſto conſtet aliud eſſe irrigari ποταμῷ, aliud aquis ναματιαίοις, ſiue riuulis 4.histor. plant.3.

ex

ex fontibus ipſis, vbi ſcilicet ſunt κρουνοὶ πολλοί.

℣. 22. κατὰ κρουνὸν, pro κατὰ χρόνον. Facilis quoque heic commutatio, & congrua citato mox loco; vt intelligantur τὰ νάματα immediatè fluentia ἀπὸ τῶν κρουνῶν, ſeu κρουνῶν, quâ voce ſcatebra, ſeu ſaliens perennitet aqua ſpecialiùs notatur. Quod ſequitur autem καὶ ἀλλοφυλίας, particulam καὶ ſüppleo, vt intelligatur eſſe prior modus, quo aqua ſcaturire alicunde poteſt: vt putà, ſi aqua quaſi alienigena, hoc eſt in locis diſtantibus, aut ex aëre, vaporibúsve genita, aut ex pluuiis ſorpta, per ſubterranea ſtillicidia illuc deducatur, erumpat, emergat; ac ſupra terram defluat: cùm poſterior modus is eſſe videatur, vt intelligamus ad capita fontium inſigneis quaſdam eſſe lacunas, quæ tamen, vt eſſe perennes, inexhauſtæque valeant, debeant aut ex eiſdem pluuiis, aut etiam ex mari quaſi reſarciri.

℣. 24. Ῥεύματα, pro πνεύματα. Heic non iterum Νάματα, ſed ῥεύματα repono; tum quia non minùs facilis, procliuíſque eſt commutatio cum voce πνεύματα, tum quia ob adiunctū λοιπά, haberi debet vox generalior, cuiuſmodi eſt hæc, quâ omnia fluenta ſiue magna, ſiue parua comprebenduntur: Vnde & propter idem adiunctum, addo ad interpretationem, *maiora*, quaſi actum ſit de minoribus, quæ ſint ex Theophraſto mox citato τὰ νάματα. Statim autem lego ἐξ pro καὶ, quod ſenſui magis congruum, neceſſariúmve ſit; & τὰ κοιλώματα interpretor *conualleis*, quòd licet conualles cauæ vndequaque non ſint, obſeruem tamen eas, & κοιλάδας, & κοίλους τόπους appellari; ac διάδοσιν habeo quaſi *deditionem*, *confluxionémve* aliarum in alias, ſiue complurium in pauciores; donec agnoſcatur vna eſſe, quæ alias omneis excipiat, exceptáſque ab illis aquas in ipſum vſque mare tranſmittat.

℣. 28. Χάλαζα συντελεῖται. Agit ſubinde Epicurus de iis quæ dicuntur aqueæ Impreſſiones, & quod quidem potiſſimum congelationem attinet; nam quod de Rore quidem interſeritur, id tam cohærere cum dictis de Pluuia ob fluiditatem, quàm cum dicendis de Pruina ob firmitatem potuit. Initio autem à Grandine ducto, lego ſtatim ℣. 30. καλὰ μέρειαν ſeparatim, non καλαμέρειαν compoſitis vocibus; quia compoſitio totum ſenſum turbat; ſeparatio autem inſinuat alterum ex duobus generationis grandinis modum, cuius aliunde occaſione aliqua ſupplere interſereréque interpretando viſum eſt, quòd is viſus fuerit fuſiuſculè quidem, ſed obſcuriuſculè expreſſus. Repoſui etiam τῆξιν, pro πῆξιν, & voci διάρρηξιν præmiſi particulam πλὴν, tanquam expreſſam in MSS. Quod verò deinceps ℣. 36. lego ἀποστρογγυλυνθεῖσαν, pro ἀποσυνθλιβομένην, id cum Caſaubono coniicio (tametſi aliunde non malè Aldobrandinus repoſuit ἀποστρογγυλουμένην) vti & ſtatim pòſt κατὰ μέρη, pro καὶ τὰ μέρη, vbi aliunde pro ὡς λέγεται, quod antecedit, videror legendum fuiſſe ὡς λέλεκται.) Quod interpretando autem addo, *pro ipſa caſus prolixitate*, occaſionem habeo ex Plutarcho, apud quem Epicurus dicitur cenſere περιστρογγυλίζεσθαι τινά τε χάλαζαν, καὶ τὸν ὑετὸν ἀπὸ τῆς μακρᾶς καταφορᾶς ἀποστρογγυλυνόμενον, *tam grandinem, quàm pluuiam, præ caſus longitudine ſubterliſam fieri rotundam.*

℣. 41. Χιὼν δὲ ἐνδέχεται συντελεῖσθαι. Circa ea, quæ habet de Niue, lego ſtatim pòſt, δι' ἀφρῶν συμμετρίας, pro διαφορῶν συμμετρίας, quòd vox quidem συμμετρίας reponenda ex MSS ſit; vox autem δι' ἀφρῶν tantò magis reſtituenda ex turbante alioquin ſenſu voce διαφορῶν inſinuetur, quantò Nix fieri tum videtur, cùm aqua veluti ſpumeſcit, & firmitudinem quandam induit. Subinde autem legendum eſſe ἀπὸ πνευμάτων pro ἀπωσμένου, agnouit etiam Caſaubonus, quatenus reponendum cenſuit ἀπὸ πνεύματος, tametſi quod vocem ſequentem αὔρας vertendum duxit in φορᾶς, nihil fuiſſe neceſſe videtur; ſed retineri omninò potuit vox αὔρας quatenus innuit diſperſionem, & quaſi difflationem aquæ vento factam, ad ſpumeſcendum faciliùs; quod in ipſa quoque maris ſuperficie proportione quadam obſeruare licet. Quod verò ℣. 1. περίπηξις habetur, non περιαίρεσις, idcircò facio, quòd vocis περιαιρέσεως nullus eſſe poſſit hoc loco appoſitus ſignificatus, vox autem περίπηξις ſpectare eò poſſit, vt ſuppoſitâ ſurſùm mole congelatâ, guttulæ ad eam appellentes veluti aggenerentur, ſed laxitatem tamen retineant; vt ex iis proinde efficiatur quaſi ἄθροισμα πομφολύγων, *aggeries bullarum*, vt Plutarchus loquitur, minimo vento deripiendarum, abiturarúmque in decidenteis flocculos. PAG. 40.

℣. 10. Δρόσος συντελεῖται. Circa ea, quæ de Rore, appoſitè legi videtur cum Aldobrandino aliquantò ab initio ἀπὸ νοτερῶν, pro ἀπονοτίων, vt ex ſenſu conſtat. Statim autem lego ἐν τοῖς ἄνω τόποις, pro ἐν τοῖς τόποις, quòd id demonſtret conſequens illud, καὶ πάλιν φορὰν ἐπὶ τοὺς κάτω τόπους.

℣. 21. Πάχνη δὲ συντελεῖται. Hoc addo, ſeu mavis, præmitto illis vocibus, τῆς δρόσου τούτων, &c. quòd manifeſtiſſimè deſit, ſupplendúmque prorsùs videatur; tum, vt appareat, quid ſit id, quod fit, τῆς δρόσου πῆξίν τινα λαβούσης, tum quia pruinam idipſum eſſe videri poteſt indubium, vt vel ex ipſa definitione Authoris libri de Mundo patet, qua pruina eſſe dicitur δρόσος πεπηγυῖα *compactus Ros*; tum quia hic fuit appoſitus locus dicendi quidpiam de Pruina, quam profectò moris non eſt à Meteorologis prætermitti.

℣. 25. Κρύσταλλος συντελεῖται. Circa ea demùm quæ de Glacie; lego ſolùm συνωθεῖσθαι, pro συνελαθεῖσθαι, ac adnoto vocibus illis, τῶν σκαληνῶν, καὶ ὀξυγωνίων, videri nihil aliud intelligi, quàm ſuperficies planas; quatenus iſta, cæteráque tam ſecundum latera, quàm ſecundum angulos ſpectata triangula, in ſuperficiebus planis accipiuntur.

℣. 33. Ἶρις δὲ. Sequuntur ecce Iris & Halos, Meteora ſcilicet ex iis, quæ plærique, vt Alexander, Peripateticique alij, & Plutarcho etiam annuente, οὐ καθ' ὑπόστασιν, ἀλλὰ κατ' ἔμφασιν *non reuerâ, ſed apparenter* dumtaxat exſiſtere dicunt. Quanquam declaratum in 3. meteor. 3. plac. 5. Author lib. de Mun. c. 4.

ſuo

ſuo loco eſt, eſſe Iridis aliorúmque id genus, tam veros colores, quàm rerum cæterarum ſunt; ac niſi eſſent veri, ne apparenteis quidem futuros. Cùm duo porrò ſint, quæ heic Epicurus attingit circa Iridem; vnum, colorum varietas; alterum, ipſa arcus forma; lego non longè ab initio circa prius caput, κατὰ φύσιν, pro κατ᾽ ἀέρος φύσιν. Videtur enim intempeſtiuè ἀέρος vox huc irrepſiſſe, præoccupata ſcilicet ex loco ſtatim inſequente, in quo appoſitè habetur; cùm & quæ illam ſequitur particula ὅ, facta relatiua τῆς φύσεως, ſenſum planum faciat, quem turbauerat habita quaſi diſiunctiua. Quod autem ſtatim pro τοῦτο lego τούτων ex fide MSS. eſt; & quod ſubinde pro μονοειδῶς lego μονοειδὲς, facit diſiunctiua particula εἴτε, propter quam vox hæc voci πάντα opponitur; itémque relatiua ἀφ᾽ οὗ, quæ longe commodiùs inflexè, quàm aduerbialiter vſurpatur; vnde & legere μονοειδὲς malui, quàm ex πάντα facere πάντῃ, vt fuiſſet alioquin faciendum.

Circa poſterius, lego ſtatim τὸ δὲ, pro τὰ δὲ. Refertur nimirùm πρὸς τὸ φάντασμα: Et aliquantò pòſt λαμβανουσῶν, pro λαμβανόντων. Ita enim iure habent MSS. cùm relatio ſit ad vocem ἀτόμων, quæ voci φερομένων ſubiicitur. Expungo autem vocem τομῶν, quæ vulgò poſt vocem ἀέρι habetur, & ipſam quidem perſpicuè factam ex voce ἀτόμων, quoniam ineptè præoccupata, inſertáque eò loci fuit. Sic verò ſtatim inter voces ἀέρος, & ἀποφερομένων, expungo iſtas quatuor, προσφερομένου πρὸς τὴν Σελήνην, quaſi temerè huc inſertas, tranſlatione factâ ex inſequente de Halone periodo, in qua poſt vocem ἀέρος iterùm & loco quidem ſuo habentur. Denique lego ὥστε, &c. ad vſque finem periodi, pro περιφερειάν τινα καθιέναι εἰς τὴν σύγκρισιν ταύτην, quoniam niſi quidpiam ſuppleatur, commutetur, tranſponatur, nihil eſſe ſenſus videtur, quod elici cohærenter poſſit. Perturbata autem fuiſſe, corruptáque plurima, vel ea ipſa, quæ mox adnotata ſunt, manifeſtum faciunt.

℣. 48. ἅλως περὶ τὴν Σελήνην γίνεται. Circa ea, quæ de Halone, hoc eſt, Area, quæ & Corona, ab Epicuro ſubiiciuntur, lego ſtatim περὶ τὸ πάντοθεν, pro περὶ κατὰ πάντοθεν, perſpicuè ſiquidem videtur particula κατὰ ſuperfluere. Et mox ὅταν, pro ὁ τὰ, eò manifeſtè vocante ſenſu. Et conſequenter ἀπ᾽ αὐτοῦ, pro ἀπὸ τοῦ, id ſuggerentibus, præter ſenſus perſpicuitatem, MSS. Et illicò pòſt, ἐπὶ τοσοῦτον, pro ἐπὶ τοῦτον, propter MSS. & quòd rursùs ſenſus perſpicuitas id exigat, ob id, quod ſequitur ἐφ᾽ ὅσον, quemadmodum etiam rursùs pro περὶ legendum exigit περὶ αὐτῆς. Denique & ſtatim pòſt, καὶ τὸν πέριξ αὐτῆς ἀέρα ἀναστελλομένην, pro καὶ τὸν πέριξ ἀναστέλλοντος, quæ ſanè, quâ ratione valeant cohærere, non facilè dicas.

Pau. 41. ℣. 12. Κομῆται ἀστέρες γίνονται. Agens ſubinde Epicurus de Cometis, videtur imprimis duos generationis, apparitionísve ipſorum proponere modos. Vnde & cùm primus incipiat ſtatim à particula Ἤτοι, ſuppleo deinceps ℣. 15. eandem Ἤτοι particulam, à qua ſecundus incipiat, & vt ſit locus interpunctioni, ex qua intelligamus agi antecedenter de Cometis vt de Ignibus recèns genitis, pabulóque nutritis; & conſequenter de Cometis, vt de ſtellis, quæ priùs quidem exſtiterint, ſed recentis tamen ſint apparitionis. Proponit & ſubinde aliquot deſitionis modos; quo loco ad ℣. 20. ſuppleo vocem ἐνδέχεται, quòd præter morem Epicuri deficiat; vti & ſtatim particulas παρὰ τὸ, ὅτι (niſi quod Aldobrandinus etiam habet ὅτι) quòd nimia alioquin ſit incohærentia. Et fortè quidem poterat vice τῶν παρὰ, reponi τὸ ὁ, quaſi adderentur quædam cauſæ ad eas, quæ dicuntur commemoratis oppoſitæ; attamen & poſtremo loco ſubiungitur cauſa oppoſita primæ, & quæ ſtatim recenſentur, poſſunt eſſe varij modi, quibus Cometæ apparere deſinant, oppoſiti illis, quibus intelligi poſſunt eſſe dicti ἀναφαίνεσθαι, ſiue ἐκφανεῖς γίνεσθαι. Quod ſtatim autem lego, αὐτοῖς, pro αὐτοῦ, cauſa eſt, quia de Cometis multitudinis numero Epicurus loquitur, ob præmiſſum illud τηνικαῦτα φαίνεσθαι τούτων, ſupple ἄστρων, ſcilicet ἄστρα mox dixerat.

℣. poſteà 24. στρέφεσθαι lego, pro ἀναστρέφεσθαι, vel ex eo, quòd ſuppoſità parte Mundi interiore quieſcere, non poteſt dici exterior ipſi circumducta, in oppoſitum verti. Statim, αὐτοῖς iterùm, pro αὐτῷ ob cauſam iam expoſitam, & προσαντιστάσει, pro περιστάσει, quòd ſignificanda heic ſit aëris non circumſtantia, ſed obnitentia. ℣. verò 27. vocem αὐτὰ ſuppleo, tum vt intelligantur Cometæ, quatenus ipſos vocat Aſtra; tum, vt relatio pateat, propter quam dicit, ὡς καὶ τὰ ἄλλα. Vbi, iuxta additamentum ad interpretationem factum, videtur Planetas intelligere, qui poſſint iuxta antecedentia inhiberi ab aëre occurrente ad Tropicos, ne vlteriùs tendant, verùm regrediantur. Subinde, αὐτοῖς, pro αὐτῆς, relatio eſt enim rurſus ad Cometas, quorum deſitioni cauſa deſignatur oppoſita primæ, quæ pro apparitione allata eſt, pabuli videlicet, aliquouſque dumtaxat protenſi defectus. Vnde & ſtatim, pro ἐν δὲ τούτῳ, lego οὐκ ἐν τούτῳ, quò intelligatur pabulum non adeſſe deinceps, vt illeic loci adeſt, vbi Cometæ conſpiciuntur. Ac poſſet quidem vice huius correctionis reponi μὴ, poſt vocem τόπῳ, aut vocem θεωρεῖσθαι, ſed præpoſterus fieret, quodammodo ſenſus, quaſi de apparitione poſt non apparitionem, non verò de deſitione poſt apparitionem ageretur.

℣. 35. Τινὰ τῶν ἄστρων πλανᾶσθαι. Adnotatum iam antè eſt, cùm de motibus Siderum, inſerta huic loco exſtare duo quædam capita ad illud de Motu argumentum ſpectantia. Iſtud itaque eſt duorum prius, cauſas ſcilicet continens quamobrem quædam Siderum Vaga, ſiue Errantia ſint; quædam Fixa, ſeu Inerrantia. Ac fortaſſis quidem intempeſtiuus locus; ſed feciſſe tamen videtur Epicurus; quòd proſequuturus Stellas Crinitas & de Cadentibus acturus, putarit non prorſus alienum agere de Errantibus (& propter oppoſitioné de Inerrantibus) quatenus vtriſque eſſe poterant cauſæ erroris, caſúſque communes,

℣. 36.

✠. 36. lego μὴ πλανᾶσθαι, pro μὴ κινεῖσθαι. Quippe oppoſitio, quæ inter Errantia, & Inerrantia Aſtra heic intenditur, τῷ, μὴ κινεῖσθαι non declaratur Siquidem tametſi Inerrantia appellari etiam vulgò Fixa ſoleant; id tamen Latinis, qui ne hoc quidem vocabulo Immota volunt ſignificare, verùm Infixa ſuæ ſphæræ, cum qua inuariatè moueantur. Græcis autem ἀπλανῆ, ſeu μὴ πλανητὰ ſunt, propter inuariatum hunc motum; adeò proinde, vt cùm ἀνωμαλία non fiat, dici non debeant μὴ κινεῖσθαι, ſed ἀπλανῆ, cùm ſint, μὴ πλανᾶσθαι. Prætereo autem, quòd ſtatim pro περὶ τῷ, legendum videatur περὶ τὸ, τῷ, obſeruóque viſum fuiſſe legere ✠. 44. κινήσας, potiuſquàm ἐκκαύσας. Neque enim regiones illæ, per quas Planetæ tranſeunt, intelligi poſſunt eos cremare, ſeu vrere. Et tametſi, vi voci factâ, intelligi poſſent dumtaxat calefacere, aut etiam pabulum ad ignem adhibere; hoc tamen aut eſt extra argumentum, aut deberet ſaltem tanquam cauſa συναίτιος præmitti, non vt πάρεργον ſubiici. Quare & vox κινήσας videtur præſtare, vt poſtquàm dictum eſt ea loca pro diſpoſitione, quâ ſunt, verſus eandem regionem compellere, addatur, ea ſimul facere æquabilem per ſe motionem, ſiue traiectionem.

PAG. 42. ✠. 6. Τινὰ ἄστρα ἀπολειπόμενα. Hoc poſterius eſt duorum capitum, circa nimirùm anteverſiones, quæ in Sideribus, ob varios Planetarum motus viſuntur. ✠. porrò 8. illud τὸν αὐτὸν κύκλον, *circuitionem* interpretor, non ſimpliciter *eandem*, ſed etiam *diurnam*; vt intelligatur, motum, qui communis omnibus Sideribus ſit, eſſe eundem, qui ſit ab ortu in occaſum; ſeu quo Sidera diebus ſingulis vt oriuntur, ſic occidunt; & ita quidem, vt præter ipſum alius nullus ſit iuxta primum heic intellectum modum: quem fuiſſe ſuperiùs inuenimus Anaxagoræ, & Democriti, ac eſſe etiam-num illorum, qui Mobile primum, eiuſque raptum non admittunt, & Planetis motum ſpecialem attribuunt, quo ad Tropicos accedant, ab iiſque recedant; ac tuentur illos, qui dicuntur velociùs verſus ortum ferri, dicendos eſſe potiùs ferri ſegniùs verſus occaſum. Pari proinde ratione circa alios modos interpretor illa, τὴν αὐτῆς δίνης, &c. τὴν αὐτὴν δίνην, manifeſtante ſermonis tenore *Reuolutionem* intelligi, non quæ *eadem* ſimpliciter ſit, verùm quæ ſit ipſa *diurna*, communiſve omnibus Sideribus verſus occaſum. Quod autem vbique addo exemplum *in Luna*, idcircò facio quòd inde modus intelligatur faciliùs, & in Planeta quidem illo, qui præ cæteris aut relinquit, aut relinquitur manifeſtiùs. Adde quòd ipſe quoque Lucretius, Lunam ſpecialiter, præcipuéque vſurpat, dum rem iuxta modum primum ita explicat, vt velit Lunam ideò moueri versùs Occaſum ſegniſſimè, quòd abſit longiſſimè à ſuprema illa impreſſione, quæ ſuppoſita omnia versùs Occaſum circumducit.

✠. 16. Οἱ λεγόμενοι ἀστέρες ἐκπίπτειν. Poſtremus hic eſt de Meteoris locus, quem Epicurus attigit. Videtur autem nomine Stellarum cadentium intelligere omneis minores igneis (videlicet præter Cometas) qui in aëre, ſeu quaſi Æthere variè excurrere, ac deficere noctu obſeruantur.

✠. 21. lego συμφυλίας, pro συμφύλια, videlicet cum MSS. ex quibus etiam poſteà lego κατείλησιν, pro καθέλκυσιν, quatenus habent κατ' εἴλησιν. Et certè hæc eadem eſt vox, quâ vſus ſuperiùs circa Fulgur eſt, cùm & iam inter modos, quibus gigni poſſe Stellas cadenteis ediſſerit, mentionem faciat fulgurum, vt conſimiliter genitorum. Quòd verò ſtatim lego, ἐφ' ὧν ἂν τόπων, pro ἐφ' ὧν ἂν τόπον, ſenſu id exigente, facio; & maximè ob id, quod conſequitur, τὸ φορᾶς εἰς τοῦτον φερομένης.

✠. 31. Αἱ δὲ ἐπισημασίαι, αἱ γινόμεναι ἐπί τισι ζώοις. Videri quidem id abs re poteſt, quod Epicurus heic ſubiicit de præſignificationibus Animalium, ſiue de Signis tempeſtatum, quæ ex quibuſdam moribus, actionibúſve animalium quorumdam petuntur; at videtur tamen conſultò feciſſe, quatenus res eſt admodum vulgaris, vt non modo Cometæ, Parhelia, Irides, aliáque id genus Meteora habeantur pro ſignis variorum euentuum, qui partim in ipſa natura, partim in rebus humanis contingunt; verùm etiam vt animalia ſuis geſtibus, vocibus, migrationibus, &c. inſtare ventos, pluuias, procellas, aliáque Meteora huiuſmodi ſignificent: adeò proinde, vt heic nihil ſit argumenti incohærentis. Lego autem ἐμπίπτει μανικῶς εἰς τὸ, pro ἐκπίπτει μὴ ὅτι εἰς, vt ſit aliqua perſpicuitas ſenſus; ac inſuper interpretando hunc de Animalium Præſignificationibus locum, referendum innuo ad eum, quo de Præſignificationibus Aſtrorum eſt dictum, quoniam illeic mentio iſtarum eſt facta, ac præter cauſam mox deductam, feciſſe poteſt rei recordatio, vt Epicurus iſtam quaſi appendicem ſubiunxerit ad ea, quæ docuit de ſublunaribus Meteoris.

✠. 41. Ταῦτα δὴ πάντα, Πυθόκλεις μνημόνευσον, Hic Epilogus eſt totius Meteorologicæ tractationis, quo Epicurus Pythoclem hortatur non modò, vt ea, quæ ipſi ediſſeruit, meminerit; ſed etiam vt altiùs contemplationem repetens, meditetur ipſa naturæ principia, vniuerſitatem rerum, &c. cùm addat verò etiam ſcopum, in quem intuens iſta ediſſeruit, ſuppleo interpretando *illum non eſſe alium ab ipſa tranquillitate, imperturbatóve ſtatu animi*: Talem videlicet initio appellauit Ἀταραξίαν. Lego autem vltima voce περιποιήσαιτο, pro περιεποιήσατο, propter antecedens συνθεωρήσαι, & phraſi ita exigente. Quod Epicurus verò ait, fore, vt ex horum recordatione poſſit Pythocles vale-dicendo fabulis, conſimiliter peruidere, τὰ ὁμογενῆ τούτοις, *ea quæ iſtis affinia ſunt*, ſupponit eſſe aliqua, quæ heic non pertractauerit, cuiuſmodi eſſe præ cæteris poſſunt, tum *Galaxia*, ſeu *Via Lactea*, de qua in Meteoris Ariſtoteles; tum quæ Plinius ait, 1. meteor. 8.
ſpectata arma cæleſtia ab ortu, occaſúque inter ſe lib. 2. c. 57.
concurrentia, pulſis, quæ ab occaſu erant; itémque *armorum crepitus, & tubæ ſonitus auditos è Cælo*, &c. tum alia huiuſcemodi.

Ad Epicuri Effata de Sapiente varia.

Pag. 43. ℣. 13. ΠΕΡῚ δὲ τῶν βιωτικῶν. Hactenus fuit Phyſica Philoſophiæ Epicuri pars; ſupereſt iam pars Ethica, de qua Laërtius, vt initio recepit, ita iam prolaturus eſt poſtremam ex tribus, quas delegit Epiſtolis, totam Epicuri Philoſophiam ſummatim complectentibus; ſed poſtquam tamen, vt præfatur, ea præmiſerit quæ Epicuro, Epicureiſque circa Sapientis deſcriptionem placent. Lego autem ℣. 14. αἱρετὰ, τὰ δὲ ἐκφεύγειν, pro ἐκφεύγειν, τὰ δ᾽ αἱρετὰ, quòd & MSS. ſic habeant, & aliàs vbique id ſeruetur ordinis, vt eligenda, ſeu amplectenda, priùs; fugienda, poſteriùs dicantur; quanquam magni hoc momenti non eſt.

℣. 15. Πρότερον δὲ διέλθωμεν ἅτε αὐτῷ δοκεῖ περὶ τοῦ σοφοῦ. Hoc primum eſt ex quatuor capitibus, quo videlicet recenſentur compluſcula Effata, quandam veluti deſcriptionem Sapientis continentia; vtpote ex quibus elicitur, qualis Sapiens ſit, qualiáve acturus, aut non acturus ſit in vita. Nempe, cùm nomine Sapientis Philoſophi vulgò intelligant Virum intelligentiâ, & virtute perfectum, qui nihil non rectè faciat, ac ſit eorum omnium, quæ prudenter, iuſtè, decorè in vita geruntur, quaſi regula, aut exemplar; attribuunt ipſi proinde varia, prout quiſque ex ſuo, Sectæque ſuæ genio, congruum, atque decorum fingit. Sic, vt
1. Metaph. &c. ea, quæ Ariſtoteles, cæterique habent, prætercam, trita ſunt iſta ex Stoïcis, *Sapientem non ignorare, non opinari, non mentiri. Eſſe Sapientem paſſionum expertem, non miſereri, non ignoſcere, non peccare, non affici iniuriâ. Solum Sapientem eſſe pulchrum, nobilem, Rhetorem, Vatem, diuitem, Amicum, Ciuem, Magiſtratum, Regem. Eſſe Sapientem ſemper in gaudio, ſibi ſufficientem, Deo parem. Eſſe omneis Sapienteis pareis; pareis ac indiuiduas virtutes; paria, ac indiuidua peccata:* aliáque huiuſcemodi. Itaque huius generis ſunt, quæ ab Epicuro, eiúſque Sectatoribus tradita, à Laërtio heic congeruntur.

Sapientem Rationis conſilio tolerare iniurias.

℣. 18. Βλάβας ἐξ ἀνθρώπων. Effatum iſtud primum eſt, in quo verbum ἀνέχεσθαι *tolerare* interpretor, imitatione Senecæ, qui ad hanc reſpexiſſe ſententiam videtur, cùm de Epicuro eſt loquutus in libro inſcripto *De Sapientis conſtantia*, ſeu, *Quòd in Sapientem non cadit iniuria.* Ac poterat quidem etiam reddi, Sapientem iniuriis *ſuperiorem euadere*, aut ipſas *nihili ducere, contemnere-ve*, ob vocem contemptus, qua idem Seneca vtitur; verùm res eodem recidit. Vt locum portò integrum ex Seneca hùc inſeram; præmittendum eſt illum initio dixiſſe, *Tantum in-*
cap. 2. *ter Stoïcos, & cæteros Sapientiam profeſſos intereſſe, quantum inter fœminas, & mareis. Cæteros enim ſapienteis molliter, & blandè, vt ferè domeſticos, & familiareis Medicos ægris corporibus, non quà optimum, & celerrimum eſt, mederi, ſed quà licet: Stoïcos virilem ingreſſos viam, non vt amœna ineuntibus videatur, curæ habere; ſed vt quam-primùm nos eripiant, & in illum editum verticem educant, qui extra omnem teli iactum ſurrexit, vt ſupra fortunam emineat.* Poſt-modùm autem, ne videatur inter illos cæteros comprehendere ex toto Epicurum, ſic habet: *Nec putes iſtam Stoïcam eſſe* cap. 15. *duritiam, Epicurus, quem vos patronum inertiæ veſtræ aſſumitis, putatiſque mollia, ac deſidioſa præcipere, & ad voluptatem ducentia, rarò, inquit, Sapienti interuenit Fortuna.* (Hæc verò eſt vna ex Ratis Sententiis, de qua ſuo loco dicendum eſt.) Tum paucis interpoſitis, & quaſi accedens ad id quod hùc facit, ſic infit: *Quòd* cap. 16. *ſi Epicurus quoque, qui corpori plurimùm indulſit, aduerſus iniurias exſurgit, quid apud nos incredibile videri poteſt, aut ſupra humanæ naturæ menſuram; nec eſt, quòd dicas hoc naturæ repugnare. Non negamus rem incommodam eſſe, verberari, & impelli, & aliquo membro carere; ſed omnia iſta negamus iniurias eſſe. Non ſenſum illis doloris detrahimus, ſed nomen iniuriæ, quod non poteſt recipi virtute ſaluâ. Vter veriùs dicat, videbimus. Ad contemptum quidem iniuriæ vterque conſentit. Quæris quid inter duos interſit? Quod inter gladiatores fortiſſimos, quorum alter premit vulnus, & ſtat in gradu; alter reſpiciens ad clamantem populum, ſignificat nihil eſſe, & intercedi non patitur. Non eſt, quòd putes magnum, quo diſſidemus.* Hactenus ille, qui admittens demùm, magnum non eſſe, quo Stoïcus & Epicurus diſſident, arguit profectò vix diſſidium aliâ re, quàm voce conſtare; quatenus nempe Epicurus Iniuriam vocat id nocumentum, quod Sapienti infertur ab hominibus odio, inuidia, deſpectu, ductis; Stoïcus vocari Iniuriam non vult, quod virtus hanc vocem non ferat. Scilicet, quaſi virtus curet, quo res vocetur nomine; non verò id ſolùm, vt conſtanter feratur; cæterùm enim neque Stoïcus doloris ſenſum detrahit; neque Epicurus vult non ſtare Sapientem in gradu; neque ex ſimilitudine gladiatorum aliud diſcrimen elicitur, quàm quod vtroque Sapiente teſtante conſtantiam, Stoïcus addat oſtentationem. Par eſt diſſidium, cùm Epicurus eſſe Malum dolorem ait, Stoïcus dici malum non fert, licet aſperum, triſte, durum, ac perpeſſu difficile, contráque naturam admittat; cùm Epicurus nihil aliud nomine Mali intelligat, neque dolorem eſſe rem vitioſam, ac turpem contendat; vt ſuo poſteà loco deducendum eſt.

Addo heic ſolùm, τὸ λογισμὸν, *ratiocinium, rationiſve conſilium*, quo Epicurus docet Sapientem ferre patienter iniurias, eſſe multiplex quidem poſſe; ſed videri tamen illud maximè, quo & poſteà docet Sapientem aduerſus Fortunam ſe comparaturum. Videlicet quatenus ſapiens agnoſcit non eſſe in ſua poteſtate, vt cæteri hominum iuſti ſint, paſſionibúſque non abripiantur: ideò

tam patàm iraſcitur, commouetorve ob iniurias illatas ab hominibus, quàm ob incommoda, aut damna quæ à fortuitis caſibus, vniuerſéque ab aliis cauſis, extra facultatem poſitis, adueniunt. Non commouetur, exempli gratiâ, propter feruores, aut algores, quæ à tempeſtatibus inducuntur; qooniam tempeſtatum ſuas vices obeuntiom hæc natura ſit, quam immutare ipſe non poſſit. Quamobtem neque commouetur ob iniorias, quas inferunt petulantes, & improbi, qoòd illi pro ſua natura ſic agant, & vt ſecus agant, naturámve mutent, in ipſo non ſit. Spectant huc tria illa exempla de patientia Socratis, cùm pro eodem habuit, effuſum poſt clamores à Xantippe lotium, ac effuſam poſt tonitrua pluuiam; impactam à proteruo calcem, ac impactam ab aſioo, cæteráqoe huiuſmodi. Tametſi verò quis obiiciat, cæteras cauſas cæcas eſſe, experteiſque arbitrij, homines autem iniuriam ſcienteis, volenteis facere, ac idcircò bilem mouere: reputat tamen Sapiens huioſcemodi homines, quaſi ratione excæcatos, & præ paſſionis impetu, vehementiáque non compotes ſui. Alienum putat à Sapientia, malum malo adiicere (ſcilicet præter nocumentum, quod extrinſecùs accidit, accerſere ſibi ſua opinione perturbatiooem iotrinſecùs) neque quia alius voluit moleſtiâ animum eius afficere; ipſe eſt ita demens, vt moleſtiam admittens, illi quaſi gratificetur. Quin-etiam à moleſtia vacans, non affectabit quidem, ſed ioterim tamen id aſſequetur vltionis genus, vt illi quaſi mandet laqoeum, dum ſuo ſe fine fruſtratum agnoſcet, quòd nihil aliod, quàm Lunæ veluti allatrârit, iaculo Solem petierit, pugnom io rupem impegerit: Sed hæc infrà ſunt vberiùs dicenda.

Non deſciſcere à Sapientia, qui ſemel ſapiens fuerit.

V. 21. Ἀλλὰ δὴ, ἢ ἅπαξ γενόμενον σοφόν. Addo interpretando, *verè, ſolidéque*; quoniam alioquin quæ eſt tantùm vmbra, ſeu fucus Sapientiæ, poteſt leui negotio euaneſcere, ac deleri; & quæ incboata ſolùm eſt, neqoe radices egit profundas, ea conuelli facilè poteſt. Id certè videtur innuere Lucretius, cùm eſſe nihil ſuauios ait,

> ——— *bene quàm munita tenere*
> *Edita doctrina Sapientum templa ſerena.*

Quippe *bene munita* dicit, vt ſi quis videatur à Sapientia excidere, is non conſtitiſſe in ipſa quaſi arce intelligatur. Huic dogmati porrò affine eſt illod, quod Epicuro quoque à Plu-
in adu. Col. tarcho tribuitur, Τὸ μηδὲν ἀμεταπείστως πεπεῖσθαι μηδένα, πλὴν τὸν σοφόν, *Excepto Sapiente, eſſe neminem, qui aliquid ſic perſuadeatur, vt de ſententia deduci nequeat.* Nempe, qoòd putet ſolum Sapientem ſic expendere omneis rationis numeros, vt poſtquàm, omnibus ſubductis, quidpiam apud ſe conſtituerit, illud deinceps teneat, neque ampliùs ootet. Et quod ad doctrinam quidem attinet, rem inſinuauit ſatis initio Epiſtolæ ad Pythoclem, dum eſſe πίστιν βεβαίαν, *perſuaſionem conſtantem* voluit, noo modò circa ea, quæ vno tantum modo ſe habent, ſed etiam circa ea, quæ fieri poſſunt pluribus, eo ſenſu, quòd tenendum ſit, poſſe ea fieri pluribus modis. Quod verò attinet ad mores, rem declarat poſteà in Ratis Sententiis, vbi docet, niſi quis τὸ ὁμοςπὲς, καὶ ἐπιλογιζόμενον τέλος *finem conſtantem, rationéque firmatum* ſibi propoſitum habuerit, fore omnia vt controuerſa, ita conturbationis plena. Ex hoc certè eſt, cur non paucos videas, qui totam vitam de vitæ ſtatu deligendo deliberent, neque

> *Iidem eadem poſſint horam durare probantes.*

Sicqoe ille appoſitè tom comparetur cum Proteo, tum derideatur à Poëta, qui

> *Quod petiit, ſpernit; repetit, quod nuper omiſit;* Horat. 1. Epiſt. 1.
> *Æſtuat, & vita diſconuenit ordine toto.*

Prætereo verò idem Effatum placuiſſe non Cyoicis modò, ſed etiam inter Stoïcos ipſi præ cæteris Cleanthi; vti apud Laërtium eſt. lib. 7.
Siqoidem tametſi Chryſippus exiſtimârit poſſe Sapientiam (oomine virtutis) amitti, vt per ebrietatem, aut per atram bilem; Cleanthis tamen ſententia fuit, eſſe eam ἀναπόβλητον *inamiſſibilem*, διὰ βεβαίας καταλήψεις, *propter conſtanteis comprehenſiones.* Videlicet quaſi Sapientia ſit æſtimanda ex habitu, & ex actibus, qui ratione deliberaote eliciuntur; non verò, qui præter naturam ex abſonis viſis veluti erumpunt, vt io Chryſippeis Epiſt. 50.
illis caſibus. Spectat huc antem, quod Seneca à Cleanthe ſtans in hunc modum habet: *Eò maiore animo ad emendationem noſtri debemus accedere quòd ſemel traditi boni perpetua poſſeſſio eſt. Non dediſcitur virtus, contraria enim mala in alieno hærent; ideò expelli, & exturbari poſſunt; fideliter ſedent, quæ in locum ſuum veniunt. Virtus ſecundum naturam eſt; vitia inimica, & infeſta ſunt. Sed quemadmodum virtutes recepta exire non poſſunt, &c.*

Sapientem veritati hærere; neque (ne Sapientiæ ponat obicem) quidquam fingere.

V. 24. Μηδὲν πλάττειν ἐχόντα. Subiicio hiſce vocibus ἀληθέσι μᾶλλον συσχεθῆναι τι, καὶ, pro πάθεσι μᾶλλον συσχεθήσεσθαι. Quippe tum illud, quod antecedit, μηδὲν πλάττειν, agi heic potiùs de veritate fictioni oppoſita, quàm de paſſionibus inſinuat; tum illud, quod ſequitur, ἵνα ἂν ἐμποδίσαι πρὸς τὴν σοφίαν, agi potiùs arguit de fictionibus declinandis, quo modo Sapientiæ obſtaculum non ponitur, ſed tollitur; quàm de ſubeundis, quibus hæreatur, paſſionibus; quo modo obſtaculum non tollitur, ſed ponitur potiùs. Et certè Epicurus quoque contendit Sapientem debere, quam-maximè licet, à paſſionibus eſſe liberum, vt ex ſequentibus conſtabit; ac is fuit aliunde, cui veritas nuda, apertáque ita fuerit cordi, vt ne probare quidem potuerit, ſed reprehenderit, vt Cicero ſcribit, *Ironiam illam quā apud Platonem Socrates effert in cælum laudibus Protagoram, Hippiā, Prodicum, Gorgiā, cæteros; ſe autem* in Bruto.
rerum.

rerum omnium inſcium fingit , & rudem. Adeò proinde , vt de illo idem dici potuerit, quod poſteà de Quintilio Varo ex Sectatoribus eius vno dictum eſt:

Horat.1. od.14.

Incorrupta Fides , nudáque Veritas
Quando vllum inuenient parem ?

Quin-etiam debere Effatum in hunc legi ſenſum, ac poſſe adhiberi adhibitas illas interpretando voculas , intelligi poteſt vel ex loco Macrobij , in quo Colotes Epicuri auditor reprehendit Platonem , ob confictam illam percelebrem fabulam de Ero Armenio , qui cùm in prælio occubuiſſet, ſublatis decimo die cadaueribus iam planè corruptis, ipſe incorruptus repertus , domúmque delatus , vt ſepeliretur , duodecimo iam ab obitu die , dum pyræ imponeretur , reuixerit , & rediuiuus longâ oratione, viſa, obſeruatáque in Inferis commemorarit. Nempe Colotæ verba ſunt: *Non oportuiſſe fabulam confingi à Philoſopho ; quoniam nullum figmenti genus , veri Profeſſoribus conueniret. Cur enim,* inquit, *ſi rerum cæleſtium notionem , ſi habitum nos animorum docere voluiſti : non ſimplici , & abſoluta hoc inſinuatione curatum eſt ; ſed quæſita perſona, caſúſque excogitata nouitas, & compoſita aduocati ſcena figmenti ipſam quærendi veri ianuam mendacio polluerunt ?* Ne verò iſthæc ſigillatim ad varias Effati parteis referam ; adnoto ſolùm, quod dicitur, *veri ianuam figmento pollui,* nihil eſſe aliud quàm obicem fieri in ipſo ſtatim limine, ne ad veritatis notitiam, quæ Sapientia eſt, perueniatur, ſi prætendatur fabula. Nam ſi, quæ Erus, v.g. de Inferis narraſſe fertur , vera in ſe extiterint, ſuſpicio eſt, ne falſa ſint, quatenus ille , neque vidit, neque narrauit, quæ ipſi tribuuntur. Sin falſa in ſe fuerint, ſuſpicio eſt, ne vera ſint, quatenus & qui perhibet ſapiens reputatur , & ſit-ne impoſſibile id , quod perhibetur , non ſit exploratum. Vnde efficitur, vt Sapientiæ ſtudioſus, & Sapientem idcircò audiens , in eo verſetur diſcrimine , vt aut verum pro falſo , aut falſum pro vero amplectatur, & vtrovis modo à veritate, quam requirit, aberret. Affinis iſti obex eſt ex fabularum inuolucris , dum quid ſub ipſis lateat , niſi coniectando diſcerni non poteſt, ſicque germanæ doctrinæ loco , nihil aliud, quàm hariolandi occaſio ſit. Id Ariſtoteles

3.Metaph.4. præclarè inſinuat , cùm de rerum principiis loquens , conqueritur priſcos Poëtas , vniuerſoſque Theologos nominibus Deorum ea indigitanteis , quid ipſimet quidem cogitarent , attendiſſe , ſed contempſiſſe interim nos , ſeu parùm curaſſe, quo ſenſu ea , quæ dixiſſent, exciperemus. Idem porrò licet dicere de iis , qui ea , quæ docent , ſymbolis, griphis , ænigmatibus contegunt ; quatenus illi pari modo ex re ſeria ludicram faciunt ; ac eo ipſo ore , quo volunt videri verum declarare , tenebras offundunt , quibus obſcuretur :

lib. 1.

Heraclitus init, quorum dux prælia primus,
Clarus ob obſcuram linguam , magis inter inaneis ,
Quam de graueis inter Graios , qui vera requirunt.
Omnia enim ſtolidi magis admirantur, amántque,
Inuerſis quæ ſub verbis latitantia cernunt;
Veráque conſtituunt, quæ bellè tangere poſſunt
Aureis, & ,lepido quæ ſunt fucata ſonore.

Quod à Lucretio obiicitur. Addo autem , vt aliud non eſſe improbandum videatur , approbari ſaltem non poſſe iacturam eius temporis , quod hariolando conſumitur, ac poſſet, deberétque progreſſui vlteriùs tentando impendi. Et vulgaris quidem ad hæc , aliáque excuſatio eſt , quam prætendit Simplicius , dum requirit , cur Ariſtoteles , non fabulas , aut ſymbola , ſed *ἀσάφειαν* , *obſcuritatem* in dicendo fuerit ſectatus. Nimirùm, Proleg. in Categ.
noluiſſe antiquos Sapientiam ſuam deiici ad Sutores vſque ; hoc eſt , patere apud vulgus, ne perſpecta prophanaretur. Sed vt prætéream , non videri inuidendam Sapientiam vniuerſitati generis humani ; quando ea huiuſmodi eſt , vt ſi qualis eſt , reuerà innoteſceret , non poſſet non accendere , & ad honeſtatem pertrahere , niſi omneis , at maximam ſaltem , etiam vulgarium hominum partem : Quid amabo , neceſſe fuit , vt vulgus inde arceretur , crucem iis defigere , qui ad Sapientiam , veritatémque ardentiſſimo ſtudio conituntur ? Vulgo aut non vacat ad diſquiſitionem rerum naturæ attendere, aut ſatis eſt illos , qui attenderint , audire : Quamobrem verò iis, quibus vacat, quibúſque res ſeriò noſſe cordi eſt, eo modo res proponuntur , vt non tam de iis cognoſcendis, quàm de mente eius, qui loquutus eſt, percipienda laboretur ? Sed hæc vt mittam , dico ſolùm fuiſſe Epicurum , vt fabulas , ſic obſcuritatem omnem auerſatum ; & nihil vnquam magis curaſſe , quàm vt diceret quidlibet quam-maximè poſſet perſpicuè. Quare & mirum videri poſſe , cur cùm illius Sectatores , vti vel ex duobus , aut tribus citatis intelligitur , imitati eum fuerint , Clemens 5.Strom.
tamen Alexandrinus aſſerere Epicureos ſcribat , *κατὰ καὶ παρ' αὐτοῖς ἀπόρρητα εἶναι , καὶ μὴ πᾶσιν ἐπιτρέπειν ἐντυγχάνειν τούτοις τοῖς γράμμασιν , quædam eſſe apud ſe arcana , neque ſe permittere omnibus vt ea ſcripta legant.* Niſi fortè quis ſpectare huc putet , quod v. c. Cicero 3. de nat. deor.
dicit Epicurum *Deos verbo poſuiſſe , re ſuſtuliſſe* ; illudque haberi in libris vulgaribus, hoc in arcanis. At Cicero , qui parcere Epi- 1. de nat. deor.
curo aliàs non ſolet , nihil tale vnquam eſt interpretatus ; imò , vt aliàs retulimus , *de* 2.de fin.
homine minimè vafro, inquit, *male exiſtimans.* Et , *Epicurus nec non vult , ſi poteſt , planè & apertè loqui.* Sanè verò , ſi Epicurus , aut eius etiam Sectatores quidpiam facere occultum debuiſſent , fuit maximè illa circa Prouidentiam , Immortalitatémque ſententia ; quam tantopere tamen euulgarunt , vt ex iis , quæ aduerſus ipſam diſputauimus , manifeſtum eſt.

Non fieri Sapientem ex quavis conſtitutione corporis; nec naſci in qualibet Gente.

℣. 57. Οὐδὲ μὴν ἐκ πάσης σώματος ἕξεως. Quod ſequitur ſtatim, οὐδ᾽ ἐν παντὶ ἔθνει, legit Aldobrandinus, οὐδ᾽ ἐν παντὶ ἔθει. Verùm retinendam communem lectionem id ſuadet, quod ſcribit Clemens Alexandrinos; oempe exiſtimaſſe Epicurum μόνους φιλοσοφῆσαι Ἕλληνας δύνασθαι, *philoſophari ſolos Græcos poſſe*. Non profectò quòd Epicurus id abſolutè dictum voluerit; ipſe præſertim, qui amicos ex Ægypto vſqne ad Philoſophiam admittebat, qui Cyrenæum Ariſtippum, & Sinopenſem Diogenem prope contemporaneos, Atheniſque philoſophatos oorat; qui io illa adeò recente Alexandri expeditione, Sapienteiſ in India tepertos ignorare non poterat; ſed quòd innuere contenderit, oon eſſe parem felicitatem hominis apud Barbaros, & in ipſa Græcia naſcentis; quòd nato io Græcia neceſſaria omnia ad philoſophandum pręſidia paterent, nato apud Barbaros nulla ſuppeterent; vnde & efficeretur vt in Græcia quidem frequentes; apud Barbaros autem vel oulli, vel rariſſimi philoſopharentur. Id certè confirmat Lactantius, dum oullum agnoſcit philoſophatum ex Barbaris, præter vnum Anacharſim Scytham, *quietiam*, inquit, *Philoſophiam ne ſomniaſſet quidem, niſi & linguam, & Græcas literas antè didiciſſet*. Quare & videtur Epicurus eò ſolùm reſpexiſſe, quò Thales, dum, vt apud Laërtium eſt, Fortunæ egit gratias, non modò quòd homo, non bellua; vir, non fœmina; ſed etiam ὅτι Ἕλλην, καὶ οὐ βάρβαρος, *quòd Græcus, non Barbarus* natus eſſet. Quod verò Epicurus cenſuit non eſſe omnem corporis habitum ad comparandum Sapientiam idoneum; id intelligitur præſertim de ea intemperie, læſionéque cerebri, ex qua eſt hebetudo, aut amentia inuicta; ne aliquid dicam de læſis viſus, auditúſque organis, déqoe appetitu io paſſiooes effræni, atque adeò de feritate, ſeu immanitate, aliiſque id genus ita à Sapientia abducentibus, vt cùm Mercurius Sapientiæ Deus habitus ſit, videri poſſit hac occaſione verſum in Adagium id qood dictum eſt, *Non ex omni ligno Mercurius*. Heinc certè eſt cur Plato quoque indolem poſcat docilem, planè memorem, veri flagrantem, non illiberalem, non motuſam, non ſuperbam, non immodeſtam, non puſillanimem, non iniuſtam. Acobiicit quidem Lactantius, qoòd Epicurus etiam rudeis ad Sapientiæ ſtudium inuitet, *Quomodo enim*, inquit, *illa, quæ de Principiis rerum dicuntur, intelligerent, quæ perplexa, & inuoluta vix etiam politi homines aſſequuntur?* Verùm conſtat iſtos, quos appellat rudeis, eos eſſe, quibus non ingenium, ſed cultus ſolummodò deeſt; ac docilitate eâ ſunt, vt patientem culturæ accommodent aurem, idque ne aliquid etiam dicam de regionis temperie, cuius occaſione Ariſtoteles proponit, ſoluitque Problema *Cur ſint homines in calidis locis, quàm in frigidis ſapientiores?* Quod ſupereſt autem, illorum, qui poſſunt adſpirare ad Sapientiam tres quaſi claſſes, ſeu ordines ab Epicuro diſtinguuntur. Sed res eſt dicenda verbis Senecæ. Ea ſic habent: *Quoſdam ait Epicurus ad veritatem ſine vllius adiutorio exiiſſe; feciſſe ſibi ipſos viam. Hos maximè laudat, quibus ex ſe impetus fuit, qui ſeipſos protulerunt.* (Rarum hoc genus, & ex quo Epicurum ipſum fuiſſe Lucretius apertè contendit) *Quoſdam indigero operâ alienâ; non ituros, ſi nemo precoſſerit; bene ſequuturos. Ex his Metrodorum ait eſſe. Egregium hoc quoque, ſed ſecundæ ſortis ingenium.* Et paulò pòſt: *Præter hæc adhuc inuenies aliud genus hominum ne ipſum quidem faſtidiendum, eorum, qui cogi ad rectum, compellique poſſunt, quibus non duce tantùm opus ſit, ſed adiutore; &, vt ita dicam, coactore. Hic tertius color eſt: Si quæris exemplar, Hermachum ait Epicurus talem fuiſſe. Itaque alteri magis gratulatur, alterum magis ſuſpicit. Quamvis enim ad eundem finem vterque peruenerit; tamen maior eſt laus idem effeciſſe in difficiliore materia. Itaque* (pergit paulò pòſt Seneca de eiſdem Metrodoro, & Hermacho loqoens.) *Ego illum feliciorem dixerim, qui nihil negotij ſecum habuit; hunc quidem de ſe meliùs meruiſſe, qui malignitatem naturæ ſuæ vicit, & ad Sapientiam ſe non perduxit, ſed extraxit.*

s.Strom.

lib.3.c.24.

lib.1.

lib.6.de Repub.

14.probl.

Epiſt.52.

lib.1.3.&c.

Sapientem, etiam in tormentis ingemat licet, beatum fore.

℣. 59. Κἂν στρεβλωθῇ δ᾽ ὁ σοφός. Poſterior huius Effati pars quaſi Effatum aliud poſt inſequens vulgò habetur; eam autem, quaſi tranſpoſitam reſumpſi, priorique attexui, tanquam cohærentem, ac eiuſdem planè argumenti, & rem inſinoante particula aduerſatiua μήποτε facta ex μή τις, & accommodatis ſeriei Effatorum modis μύξει, καὶ ἀνοιμώξει, pro μύξῃ, καὶ ἀνοιμώξῃ, nam illud quidem στρεβλωθῇ, pro στρεβλοῦται, ſponte ſua ſe obtulit, cùm particula ὅτι coniunctiuum patiatur. Et ſcrupulus quidem poſtmodum ſubortus, quòd eadem-met poſterior pars viſa fuerit poſſe percommodè, eſſe etiam inſequentis Effati poſterior; quaſi remanente particula τις, intelligi poſſit *amicorum quis, quo in tormentis conſtituto ſapiens aliquando gemat, eiuléque*: Verùm quod res typis commiſſa iam fuerit, nihil emouendum cenſui; & maximè quidem, qoia illa quoque prior coniectura viſa fuit non improbanda, quatenus idem verbum στρεβλωθῇ vtrique parti commune eſt; & quia ſi amicorum quidem causâ ingemiſcendum ſit (fortè non etiam eiulandom) id fieri oporteat non modò in eorum tormentis, & cruciatibus, qui ad corpus pertinent; ſed in calamitatibus etiam cæteris, quibus animus angi ſummè poteſt; vt prætercam, cùm ſit procliuius gemitu, atque eiulato dolorem teſtari in propriis, quàm in alienis cruciatibus; videri fuiſſe inſinuandum huiuſcemodi teſtationem non detogare felicitati, qua de in priori parte agitur; cùm &, ſi ea ſignum amiſſæ felicitatis fuerit, cauenda etiam ſit io amicorum cruciatibus, ob quos tamen Sapiens non debeat amittere felicitatem. Vtcumque ſit, viſus fuit ſaltem ſcrupulus non diſſimulandus.

Quod ſupereſt, ex hoc Effato pronũ videtur,

vt

vt nihil aliud, at ſaltem illud elicere; non conſtitui ab Epicuro Beatitudinem in ea ſola, quæ vulgò creditur voluptate: quippe cùm talem non experiatur, qui ſubiicitur tormentorum, morborúmque doloribus. Nempe morbos quoque adiicio, quoniam ſunt illorum cruciatus, quàm tyrannorum vt frequentiores, ita aliquando non minùs immanes. Certè tametſi Cicero ad hoc reſpexiſſe Effatum videatur, cùm hoc dici ab 5.Tuſcul. Epicuro ait, *Nullum Sapienti eſſe tempus, etſi vratur, torqueatur, ſecetur, quin poſſit exclama-* 3.Tuſcul. *re, quàm pro nihilo puto.* ac rurſùs: *In Phalaridis etiam tauro, ſi erit, dicturum, Quàm ſuaue eſt hoc! quàm hoc non curo!* At videtur quoque reſpexiſſe Plutarchus, cùm dicere Epicurum ſcribit, *καὶ γελᾶν τὸν ὑπερβολαῖς τῆς ἀεὶ τὸ σῶμα νοσήματος πολλάκις κάμνοντα τὸν σοφόν. Ridere etiam ſæpè in æſtibus ipſis corporei morbi ægrotantem Sapientem* Porrò, quia primâ ſtatim fronte difficultas ex poſteriore Effati parte ſuborietur, quî fieri videlicet valeat, vt Sapiens gemat, ac eiulet, & ſit nihilominùs beatus; cùm videatur Beatitudo non poſſe ſine pleno gaudio, ac citra omnem gemitum, eiulatúmque intelligi, idcircò aduotandum eſt, explicari rem iuxta duo Effata, quæ aliquantò poſteriùs occurrent. Nam primùm quidem Epicurus duplicem diſtinguit Beatitudinem, vnam perfectam, abſolutámque, quæ ſoli Deo competat; aliam imperfectam, comparatéque ſumptam, qualis ſola hominibus (in hac nempe vita) poſſit conuenire. Videlicet non ita bene agitur cum hominibus, vt præſumere debeant poſſe ſe totom vitæ tempus in pleno, puróque gaudio degere, ac effici omni dolore immuneis: ſed cùm iſtis plus, illis minus gaudij; iſlis plus, illis minus doloris contingat; beati præ cæteris ij ſunt, qui ampliùs gaudeot, quàm doleant; ij præ cæteris miſeri, qui amplius dolent quàm gaudeāt; ac ij ſunt demùm ſummè beati, qui ſunt minimè omnium miſeri; ij ſummè miſeri, qui ſunt minimè omnium beati. Quare & cùm finis Sapientiæ is ſit, vt homines reddat quàm maximè licet beatos, ſeu quam-minimùm licet miſeros; ideò in quocumque vitæ genere, aut ſtatu Sapiens fuerit, ita animo erit comparatus, vt in eo obtineat quam multùm licebit gaudij; quam minimùm licebit doloris. Exinde autem fit, vt ſi in tormentis, aſperiſque morbis verſetur, dolores profectò perſentiat, neque abſolutè tam ſit, quàm ſi illis careret, beatus; ſed interim tamen, quia factâ illos patiendi neceſſitate, minimè ipſos exaſperat, ſeu præ impatientia, ac deſperatione grauiores non reddit; quin potiùs quam-maximâ poteſt animi conſtantiâ illos mitigat, quodammodóque leuiores facit; eatenus ſanè beatior eſt, quàm ſi illis ſuccumberet, miſeriámque tantumdem augeret. Imò dici quoque beatiſſimus poteſt, non ſanè reſpectu illorum, qui ſimilibus doloribus carent; ſed reſpectu illorum, qui vexati ſimilibus, non pari virtute, conſtantiáque eos tolerant, neque paria habent à Sapientia, quibus eos leuent adiumenta. Deinde concedit Sapienti Epicurus, vt mœrorem, luctúmque ſentiat, atque adeò, vt ingemiſcat, eiulet, fundat lacrymas; quatenus quæ natura fecit homines dolori obnoxios; eademmet dolori adhibuit hoſce indiuiduos quaſi comites; non ſanè, vt eius irritamenta, ſed vt lauamenta potiùs quædam ſint. Videtur quippe dolor exinde aliquatenus velut exhalari; & non pauci ſunt, qui dum non tam eſſe, quàm videri conſtantes volunt, damno ſuo ſuſpiria, gemitúſque ſupprimant; quippe, qui cor ſuum, quod dici ſolet, exedant, ſeſéque ipſos magis conficiant. Adeò proinde, vt Sapientiæ videatur non tam obſtare ne ex toto prodeant, quàm dum naturæ ſpontè erumpunt, mentem ad honeſta ſic diuertere; vt & infrequentiùs, & leniùs erumpant. Id certè Epicurus ſuo exemplo docuit, cùm per illos dolores, ad quorum magnitudinem accedere nihil poterat, *Compenſabatur*, inquit, *cum his omnibus animi lætitia, quam capiebam memoriâ rationum, inuentorúmque noſtrorum.*

Heinc & ad aliam difficultatem, quæ excitari ob relata ex Cicerone & Plutarcho poteſt, appoſitè huc referatur, quod in hunc modum Seneca: *Quid porrò*, inquit, *non* Epiſt.92. *æquè incredibile videtur, aliquem in ſummis cruciatibus poſitum dicere, Beatus ſum? Atqui hæc vox in ipſa officina voluptatis eſt audita. Beatiſſimum, inquit, & vltimum diem ago, Epicurus; cùm illum heinc inde vrinæ difficultas torqueret, heinc inſanabilis exulcerati dolor ventris.* Quo loco id, quod dicitur, *in officina voluptatis*, facit admoneam, vt quemadmodum aſſerta ab Epicuro voluptas malignam eſt paſſa interpretationem; ita, vt cùm dixit eſſe Sapientem in mediis tormentis beatum; videri inuidioſæ interpretationis, quod etiam dicturum in Tauro Phalaridis Sapientem cenſuerit, *Quàm ſuaue eſt hoc! quàm hoc non curo! quàm pro nihilo duco!* quibus ex verbis facta eſt inſultandi in ipſum occaſio, non Ciceroni modò, ſed etiam Lactantio, cuius verba ſunt: *Epicurus multò fortiùs: Sapiens, inquit, ſemper* lib.3.c.18. *beatus eſt & vel incluſus in Phalaridis tauro hanc vocem emittet, Suaue eſt, & nihil curo. Quis eum non irriſerit? maximè quòd homo voluptarius perſonam ſibi viri fortis impoſuit, & quidem ſupra modum. Non enim fieri poteſt, vt quiſquam cruciatus corporis pro voluptatibus ducat; cùm ſatis ſit ad officium virtutis implendum, perferre, ac ſuſtinere.* Sanè verò Epicurum nihil aliud cenſuiſſe, ac ideò reuerâ dixiſſe, quàm quod poſtremis hiſce verbis à Lactantio contenditur, neque à Cicerone ſecùs; dum, *Ego*, inquit, *tantam vim non tribuo Sapientiæ contra dolorem. Eſſe fortem in perferendo officio ſatis eſt; vt lætetur etiam, non poſtulo. Triſtis enim res eſt ſine dubio, aſpera amara inimica naturæ, ad patiendum, tolerandúmque difficilis.* Nihil, inquam, aliud cenſuiſſe, aut etiam dixiſſe Epicurum; intelligi poteſt ex ipſomet Seneca; qui, tametſi hoc quoque habeat, *Poteram reſpondere, quod Epicurus ait, Sapientem, ſi in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum, Dulce eſt, & ad me nihil attinet.* Poſtmodùm tamen hæc ſunt, quæ ſubdit: *Dabo apud Epicurū tibi*

etiam-num ſimillimam huic noſtra diuiſionem bonorum. Alia enim ſunt, apud illum, qua malit, contingere ſibi, vt corporis quietem ab omni incommodo liberam, & animi remiſſionem bonorum ſuorum contemplatione gaudentis; alia ſunt, qua quamvis nolit accidere, nihilominùs & laudat, & comprobat, tanquam illam, quam paulò antè dicebam, mala valetudinis, & dolorum grauiſſimorum perpeſſionem, in qua Epicurus fuit illo ſummo, ac fortunatiſſimo die ſuo; ait enim ſe veſica, & exulcerati ventris tormenta tolerare, vlteriorem doloris acceſſionem non recipientia; eſſe nihilominùs ſibi illum beatum diem; beatum autem agere, niſi qui eſt in ſummo bono non poteſt. Ergo & apud Epicurum ſunt hac bona, qua malles non experiri; ſed quia ita res tulit; & amplexanda, & laudanda, & coaquanda ſummis ſunt. Non poteſt dici hoc non eſſe par maximis bonum, quod beata vita clauſulam impoſuit, cui Epicurus extrema voce gratias egit: quod ex parte quidem commemoratum alibi eſt. Prætereo autem, quod idem Seneca, poſtquàm hoc præmiſit, Attalus Stoicus dicere ſolebat,
Epiſt.67. *Malo me fortuna in caſtris ſuis, quàm in delicijs habeat. Torqueor, ſed fortiter; bene eſt. Occidor, ſed fortiter; bene eſt:* Tum, in hunc modum ſubiicit: *Audi Epicurum; dicet, & dulce eſt. Ego tam honeſta rei, ac ſeuera nunquam molle nomen imponam. Vror; ſed inuictus. Quidni optabile ſit, non quòd vrit me ignis, ſed quòd non vincit. Nihil eſt virtute praſtantius, nihil pulchrius; & bonum eſt, & optabile, quicquid ex huius geritur imperio.* Vtcumque ſit, ac vt breue faciam; non debet res nobis præſertim videri incredibilis; apud quos tot extant exempla beatiſſimorum Martyrum, quorum fuit conſtantia in mediis tormentis incomparabiliter alacrior, quàm vllius Anaxarchi, Zenonis, aut alterius ex Sapientibus Ethnicis, cùm & ſpeciatim id concinatur de ſancto Protomartyre, *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.*

Solum Sapientem gratiam Amicis, qualem oportet, habiturum.

℣. 32. *Μόνον τε χάριν ἕξειν τὸν σοφόν.* Poſtrema huius Effati verba, ἢ περὶ ἀποθανόντων, ſubſtitui pro illis, διά τε ὅδου, ex quibus nihil ſanè eſt ſenſus, quod elicere valeas. Et obſcurum quidem ad correctionem veſtigium; verùm in eo ſaltem poſitus eſt greſſus, quòd Epicurus amicorum etiam demortuorum memoriam vt percaram habuit, ſic colendam cenſuit. Res vel ex ipſius Teſtamento conſtat, vtpote quo vitâ functorum Metrodori, ac Polyæni celebrari quotannis, memoriam, vt ipſe ſuperſtes celebraſſet, mandârit; & vt ipſe habuiſſet, ita haberi iuſſerit liberorum vtriuſque curam. Quòd porrò Epicurus conſtantiam, quâ vera amicitia probetur, exprimit, præſentiæ, abſentiæ, mortis ipſius, atque adeò omnibus planè temporibus; comprehendit ſanè ea duo tempora, quibus quales ſint amici, probantur; proſperæ nimirùm fortunæ vnius, & aduerſæ alterius. Quippe frequentiſſimum eſt, vt ſeu quis euadat fortunis cumulatior, veterem amicum contemnat; ſeu alius in calamitatem incurrat, ipſum deſerat: Cui Cicero iure Ennianum illud obiicit,

Amicus certus in re incerta cernitur.

Cùm & poſſit de Spurio iſto amicorum genere illud Euripidis vſurpari,

Ὄνομα γὰρ, ἔργον δ' οὐκ ἔχουσιν οἱ φίλοι,
Οἱ μὴ 'πὶ ταῖσι συμφοραῖς ὄντες φίλοι.
Habent Amici nomen, at rem non habent,
Qui tempore aduerſo haud amicos ſe exhibent.

Quod autem dicit ſolum ſapientem eſſe amicum eius conſtantiæ, qui nullo non tempore ſibi ipſi ſimilis ſit, comprobari poſſet vel ex eo, quod habet Cicero, dum poſtquam oſten- ibid.
dit magnam eſſe penuriam eius generis amicorum, quos non hæc duo leuitatis & infirmitatis conuincant, *aut ſi in bonis rebus contemnunt, aut ſi in malis deſerunt: Qui igitur,* inquit, *vtraque in re grauem, conſtantem, ſtabilem ſe in amicitia praſtiterit; hunc ex maximè raro hominum genere iudicare debemus, & penè diuino.* Verùm quia Epicuri Effatum idem penitus eſt cum vno ex Paradoxis Stoïcis, audire præſtat quid Seneca in ipſius gratiam proponat. *Itaque negamus,* inquit, *quem-* Epiſt.81.
quam ſcire gratiam referre, niſi Sapientem; non magis, quàm beneficium dare quiſquam ſcit, niſi Sapiens; hic ſcilicet, qui magis dato gaudet quàm alius accepto. Hoc aliquis inter illa numerat, qua videmur inopinata omnibus dicere (παράδοξα Graci vocant) & ait, Nemo ergo ſcit prater ſapientem referre gratiam; ergo nec quod debet creditori ſuo reponere quiſquam ſcit alius; nec cùm emit aliquam rem pretium venditori perſoluere? Sed ne nobis fiat inuidia; Scito idem dicere Epicurum. Metrodorus certè ait, Solum Sapientem referre gratiam ſcire. Pergit verò Seneca, tanquam Effatum confirmaturus: *Deinde idem admiratur, cùm dicimus, Solus Sapiens ſcit amare; ſolus Sapiens amicus eſt. Atqui & amoris, & amicitia pars eſt referre gratiam; imò hoc magis vulgare eſt, & in plureis cadit quàm vera amicitia. Deinde idem admiratur, quod dicimus, fidem niſi in ſapiente non eſſe; tanquam non ipſe idem dicat. An tibi videtur fidem habere, qui referre gratiam neſcit? Deſinant itaque infamare nos, tanquam incredibilia iactanteis; & ſciant apud Sapientem eſſe ipſa honeſta, apud vulgum ſimulacra rerum honeſtarum, & effigies. Nemo referre gratiam ſcit, niſi Sapiens. Stultus quoque, vtcumque ſcit, & quemadmodum poteſt, referat; ſcientia illi potiùs, quàm voluntas deſit. Velle non diſcitur. Sapiens inter ſe omnia comparabit. Maius eius opus, aut minus ſit (quamvis idem ſit) tempore, loco, cauſa. Sape enim hoc non potuere diuitia in domum infuſa, quod opportunè dati mille denarij.* Sic & non multò antè dixerat in eandem ſententiam: *Non omnes debere ſciunt grati beneficium. Poteſt etiam imprudens, & rudis, & vnus è turba (vtique dum propè abeſt ab accepto) reddere beneficium, & penſare; ignorat autem quantum debeat. Vni Sapienti notum eſt, quanti res quaque taxanda ſit. Nam ille de quo loquebar modò, ſtultus, etiam ſi bona voluntatis eſt, aut minùs, quàm debet, aut tempore, aut quo non debet loco, reddit: Id, quod referendum*

eſt,

eſt, effundit, atque abiicit. Cùm heic nihil ſit adiiciendum; adnoto ſolùm quod obiter à Seneca inſeritur, *gaudere magis Sapientem dato, quàm alium accepto.* Effatum eſſe, quod Plutarchus ad Epicurum refert, non ſemel, ſcilicet apud quem vox ſit, Τὸ εὖ ποιεῖν ἥδιον ἐστὶ

2.adu.Col. τοῦ πάσχειν, *Dare beneficium iucundius eſſe, quàm accipere*; ac rursùs, τοῦ εὖ πάσχειν τὸ εὖ ποιεῖν οὐ μόνον κάλλιον, ἀλλὰ καὶ ἥδιον ἐστί· χαρᾶς γὰρ οὐδὲν

lib.de differ. cum Princ. οὕτως γόνιμόν ἐστιν, ὡς χάρις, *Eſſe non modo pulchrius, verùm etiam iucundius beneficium dare, quàm accipere; neque enim aliquid eſt, quod maius gaudium pariat, quàm gratia.* Notum eſt; quam id ſit conforme ſacræ illi ſententiæ,

Act.20. Μακάριόν ἐστι διδόναι μᾶλλον, ἢ λαμβάνειν, *Beatius eſt dare, quàm accipere.* Verùm res non eget amplificatione.

Nihil fore Sapienti cum ea Muliere, quã Leges interdixerint.

ǂ. 35 Γυναικί τε ᾗ μιγήσεσθαι. Non defuere, qui hoc Effatum, tametſi alioquin laudandum, interpretari inuidioſè fuerint. Videtur autem Origenes illis ſubſcripſiſſe, cùm aduerſus Celſum ſcribens: *Vitant*, inquit, *adulterium Philoſophi, qui Zenonem Citienſem ſectantur; vitant & quibus Epicurus placet Magiſter (nonnulli etiam ex illiterata plebecula) Sed vide quàm varia ſint horum voluntates in fugiendo adulterio. Illi peccari contra naturam, & ſocietatem humanam putant, ſi quis vitiet mulierem legitimè coniunctam alteri, & familiam eius adulteret; Epicurei verò non hac de cauſa abſtinent, ſed quia omneis actiones ſuas ad vnum ſcopũ, Voluptatem, dirigunt; multis autem ſeipſum fraudat voluptatibus, qui huic vni ſuccumbit; interdum etiam in carceres, exſilia, mortem incidit; & ipſum antè factum non caret periculo, dum obſeruat mariti è domo exitum, & eorum, qui illi fauent. Itaque, fac eum fallere poſſe maritum, domeſticos eius, & cæteros, à quibus ſibi timet opprubrium, quantum attinet ad voluptatem, etiam adulter Epicureus fieret.* Sic ille. Cùm porrò Effatum eiuſmodi ſit vt reuerentiam legum prætendat, propter quam Sapiens non adulterium modò, verùm etiam ſtuprum, inceſtum, & omneis alios concubitus, quos leges vetuerint, ſit deuitaturus: Apparet ſanè conſequutionem, quæ præterea elicitur, ad conflandum inuidiam trahi. Ac ſapiens quidem, dum leges ſeruat, neque ſocietatis iura violat, moleſtias, & pericula alioquin incurrenda declinat; ſed indecorum tamen non eſt, illum, dum ſaluas leges vult, ſuæ ſimul ſaluti ſtudere. At, niſi leges prohiberent, adulteriúmne committeret? Neſcias, an iſtud inuidioſiùs, an, vt exiſtimari poteſt, inconſideratiùs quæratur; quandoquidem, ſi leges tollas, promiſcui erunt, vt ferarum, ſic hominum concubitus; & cùm mulieres fuerint communes (quod Plato quidem voluit) non erit hæc tua, potiuſquàm alterius; non erit vxor, non coniugium, cuius violatio adulterium ſit, pœnámve vllam adiunctam habeat. Sed hæc proſequi nihil eſt neceſſe.

Famulos quidem caſtigaturum, ſed ſtudioſis tamen veniam habiturum.

ǂ. 39. Τούς τε κολάσειν οἰκέτας. Quod Τούς τε, pro Οὔ τε heic legam tum coniectura Caſauboni facit, tum aduerſatiua particula μέντοι, quæ, ſi οὔτε legatur, non perinde conſtabit. Adde quòd (vt de re etiam dicam) videtur caſtigatio appoſitè adhibita auertere maiora peccata, ac idcircò eſſe cum primis neceſſaria, vbi famuli ſunt illiberales, ac poſſunt ſpe impunitatis inſoleſcere, metu pœnæ in officio teneri. Rem certè & Plato, & alij inſigniores Philoſophi dicto, factóque comprobarunt; ne quidpiam dicam de Stoïcis, qui vniuersè pronunciarunt, Sapientem *nunquam ignoſcere*, μηδένι τινὶ συγγνώμην ἔχειν. Poteſt & aliunde vir Sapiens pœnas exigere non iratus, ſed qualis eſt ille in Panegyrico:

> *Qui placidus delicta domat, nec dentibus vnquam* Claud. de Manl.
> *Inſtrepit horrendum, fremitu nec verbera poſcit.*

ac proinde in quo

> *Temperiem ſeruant oculi, nec lumina feruor*
> *Aſperat, aut rabidas diducit ſanguine venas*
> *Nullâque mutati tempeſtas proditur oris.*

Vbi notandum, cùm Seneca oppoſita ratione iratum deſcribat, vt rectè dictum probet à quibuſdam Sapientibus, *Iram eſſe breuem inſaniam* (ſeu, vt Poëta, *breuem furorem*; μανίαν ὀλιγοχρόνιον) docere ipſum alibi ſententiam eſſe Epicuri, *Immodicam iram gignere inſaniam.* Quod quidem noto, vt inſinuem, quá animi moderatione Epicurus in adhibenda caſtigatione vtendum cenſuerit. Quanquam coniectura non longè petenda, cùm poſteriore Effati parte voluerit, ſecùs ac Stoicos, Sapientem illis veniam dare, qui fuerint alioquin indolis non malæ, ſed ſtudioſi, ac ſeduli. Et commendat certè Laërtius ipſiuſmet ἡμερότητα πρὸς τοὺς οἰκέτας, *manſuetudinem in famulos proprios*, vt ſuo loco viſum eſt. Et quod Seneca ait Epicurum appellaſſe *Seruos amicos*, habuiſſe eum quoque reipsâ vt amicos ex eo comprobatur, quòd Mus, & Serui cæteri fuerint cum ipſo philoſophati. Adeò proinde vt præclarius exemplum non potuerit Senecæ ſuppetere ad illud præceptum, *Viue cum ſeruo clementer, comiter quoque, & in ſermonem admitte, & in conſilium & in conuictum.* Neque item ad id quod ait, *Maiores omnem inuidiam dominis, omnem contumeliam ſeruis detraxiſſe, cùm Dominum Patrem familiæ, Seruos familiareis, quod etiam*, inquit, *in mimis adhuc durat, appellauerunt.*

1.de Ira.c.1. · Horat. Epiſt.1.2. · Epiſt.9. · Epiſt.47.

Neque amore captum iri, neque habiturum amorem, vt quid immiſſum diuinitùs.

ǂ. 43. Ἐρασθήσεσθαι τὸν σοφὸν οὐ δοκεῖ. Poſteriorem Effati partem, οὔτε θεόπεμπτον, tanquam poſt treis voces, quæ ſunt de Sepultura tranſpoſitam, huc refero; ſatis enim conſtat ipſam ad eandem cum priore ſententiam ſpectare.

Imprimis porrò circa priorem, nihil neceſſe eſt admonere intelligi ab Epicuro Amorem, qui ſit *σύντονος ἀφροδισίων ὄρεξις*, *rerum venerearum appetitio vehemens*; hoc nimirùm Suidas apertè declarat. Id verò interim obſeruo, propter Platonem, Antiſthenem, Ariſtotelem, Stoïcos, & alios, qui ex oppoſito aſſerentes *τὸ σοφὸν ἐρασθήσεσθαι*, *iri Sapientem amore captum*, viſi ſunt id velle de Amore *amicitia* dicto intelligere, ac potiſſimùm reſpectu puerorum. in voc. ἔρως. 4. Tuſc. Cicero certè iſtud dogma Stoïcis ſpeciatim attribuens, ac interpretatus illam diſtinctionem *συνουσίας, καὶ φιλίας*, ab ipſis allatam, amoris *ſtupri*, *ac amicitia*, addit illos propterea *litigare cum Epicuro, non multum*, inquit, *vt opinio mea fert*, *mentiente*: *Quis eſt enim amor iſte amicitia? Cur neque deformem adoleſcentem quiſquam amat, neque formoſum ſenem?* Nihil deinde neceſſe eſt commemorare, quod apud Stobæum, cùm quidam dixiſſet, *οὐκ ἐρασθήσεται ὁ σοφός*, *non capietur amore Sapiens*, & in exemplum propoſuiſſet Menedemum, Alexinum, & Epicurum, Chryſippus nihil aliud habuerit, quod Epicuro obiiceret, niſi, quod fuiſſet *ἀναίσθητος*, *ſine ſenſu*, quaſi ſcilicet ligneus, aut lapideus; quod in Apologia notauimus. Satis eſt quædam ſeligere ex Lucretij carminibus, quæ ad partem hanc potiſſimùm faciant. Huiuſmodi autem eſſe poſſunt hæc:

Sed fugitare decet ſimulacra, & pabula Amoris
Abſterrere ſibi, atque aliò conuertere mentem.
Vlcus enim viueſcit, & inueteraſcit alendo,
Inque dies gliſcit furor, atque ærũna graueſcit:
Nec Veneris fructu caret is, qui vitat Amorem,
Sed potiùs quæ ſunt ſine pœna cõmoda ſumit,
Nã certa & pura'ſt ſanis magis inde voluptas.
Adde quòd abſumunt vireis, pereúntque labore:
Adde quòd alterius ſub nutu degitur ætas;
Labitur intereà res, & vadimonia fiunt;
Languent officia, atque ægrotat fama vacillãs.
Vnguenta, & pulchra in pedibus Sicyonia rident,
Scilicet & grandes viridi cum luce Smaragdi, &c.
Nequicquam: quoniã medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipſis floribus angat:
Aut quod conſcius ipſe animus ſe fortè remordet,
Deſidiosè agere ætatem luſtriſque perire;
Aut quòd in ambiguo verbum iactata reliquit,
Quod cupido adfixũ cordi viueſcit vt ignis;
Aut nimium iactare oculos, aliúmve tueri
Quod putat, in voltúque videt veſtigia riſus.
Atque in amore mala hæc proprio, ſummé que ſecundo
Inueniuntur in aduerſo verò, atque inopi ſunt,
Prendere quæ poſſis oculorum lumine aperto
Innumerabilia; vt meliùs vigilare ſit, antè
Quâ docui ratione, cauerẽque, ne inlaquearis.
Nam vitare plagas in Amoris ne laciamur,
Non ita difficile'ſt, quàm captum retibus ipſis
Exire, & validos Veneris perrumpere nodos.

An & iſta quoque ob elegantiam ſubiicienda?

Et tamẽ implicitus quoque poſſis, inque peditus
Effugere infeſtum, niſi tute tibi obuius obſtes,
Et prætermittis animi vitia omnia primùm,
Tũ quæ corpori ſunt eius, quã percupis, ac vis.
Nam hoc faciunt homines plerumque cupidine cæci,
Et tribuunt ea, quæ non ſunt his cõmoda verè.
Multi modis igitur prauas turpeiſq; videmus
Eſſe in deliciis, ſummóque in honore vigere.
Nigra, μελίχροος eſt; immunda, & fœtida, ἄκοσμος:
Cæſia, παλλάδιον: neruoſa, & lignea δορκάς:
Paruola, Pumilio, χαρίτων ἴα, tota merum ſal:
Magna, atque immanis, κατάπληξις, plenáque honoris:
Balba, loqui non quit, τραυλίζει: muta, pudens eſt:
At flagrans, odioſa, loquacula, λαμπάδιον fit:
Ἰσχνὸν ἐρωμένιον tum fit, quom viuere non quit
Præ macie: ῥαδινὴ verò eſt, iam mortua tuſſi:
At gemina, & mammoſa, Ceres eſt ipſa ab Iaccho:
Simula, σιληνή, ac ſatyra'ſt: labioſa, φίλημα,
Cætera de genere hoc longum'eſt ſi dicere coner.
Sed tamen eſto iam quantóvis oris honore,
Quoi Veneris membris vis omnibus exoriatur:
Nempe alia quoque ſunt; nempe hac ſine viximus antè:
Nempe eadem facit, & ſcimus facere omnia turpi:
Et miſeram tetris ſe ſuffit odoribus ipſa,
Quam famulæ longè fugitant, furtimque cachinnant, &c.

Circa poſteriorem; quæ habetur etiam apud Suidam, ac addi videtur propter fabulas de Amore, quas placuiſſe etiam aliquibus Philoſophis, vel ex vno Platone conſtat; aduotare ſufficit, non fuiſſe eam quoque ipſi Lucretio prætermiſſam. Quippe poſtquàm illud præmiſit:

Nec diuina ſatum genitalem Numina quoiquam
Abſterrent, Pater à natis ne dulcibus vnquam
Appelletur, & vt ſterili Venere exigat æuum, &c.

Tum ſubiicit:

Nec diuinitùs interdum, Venerisque ſagittis,
Deteriore fit vt forma muliercula ametur.
Nam facit ipſa ſuis interdum fœmina factis
Morigeriſque modis, & mundo corporis cultu,
Vt facilè inſueſcat ſecum vir degere vitam:
Quod ſupereſt conſuetudo concinnat amorem, &c

Quem in ſenſum, cætera inter occurrit illud Phocylidis:

Μὴ δ' εἰς ἔρωτα γυναικὸς ἄπας ῥίψῃς ἀχάλινον,
Οὐ γὰρ ἔρως θεός ἐστι, πάθος δ' ἀΐδηλον ἁπάντων.
Totus in effrenem ne abeas mulieris amorem:
Quippe Amor haud Deus eſt; tacita eſt affectio cuique.

Ne prætercam Galenum, qui vbi dixit eſſe aliquid diuinum in morbis, contendit non eſſe amorem affectum diuinum, & quòd aliqui gracilenti, decolores, inſomnes, febrientes ob Amorem ſint, vt Antiochus, quem Eraſiſtratus propterea deperire nouercam deprehenderit, id ad cauſas Procatarcticas, vti & alios affectus refert, ac relegat ad fabulas in commen. ad 1. prædict. Hippocrat. num 7.

bulas quod Poëtæ de Cupidine faces ardentes geſtante, hominéſque ad amoris affectum accendente ſcripſerunt.

Non fore anxiè de ipſa ſui ſepulturæ ſollicitum.

ỿ. 45. Οὐδὲ ταφῆς φροντιεῖν. Addo ad interpretationem *anxiè*; vt intelligamus, non ideò Epicurum voluiſſe omnem penitùs abiici ſepulturæ curam. Nam quòd alioquin exiſtimârit haberi poſſe aliquam, inſinuat Plutarchus, dum ſcribens in illud λάθε βιώσας, *occultus viue* (quod fuit ſeu ipſius, ſeu Neoclis fratris, vt Suidas quidem reputat) *Tu ergo*, inquit, *ô Epicure, ne ſcribe ad amicos, nec ſcribe libros ſapientiam oſtentans*, μηδὲ διάταττε περὶ ταφῆς, *nec de ſepultura aliquid præſcribe*. Ac non legitur quidē aliquid de ſui ſepultura in teſtamento præſcripſiſſe; ſed tum rem cordi fore ſatis amicis, ac potiſſimum teſtamenti curatoribus ſupponere potuit; tum verbo potuit idem mandare, quod ſcripto

Laërt.lib.5. Theophraſtus, θάψαι δὲ ἡμᾶς ὅπου ἂν δοκῇ μάλιστα ἁρμόττον εἶναι τοῦ κήπου, μηδὲν περίεργον περὶ τὴν ταφὴν, μηδὲ περὶ τὸ μνημεῖον ποιοῦντας: *Sepeliunto nos quà videbitur in Horto commodiſſimum; nihilque interim ſumptuoſius, quod ſiue ad ſepulturam, ſiue ad monumentum pertineat, agunto*: tum demùm quæ cætera fieri in ſuî memoriam, hiſce paria ſunt. Quare & nihil aliud voluiſſe huiuſcemodi Effato videtur, quàm fore, vt Sapiens, ſi fortè prouideat ſepultura ſe aut omnimoda, aut conſentanea cariturum, id pro nihilo ducat, quaſi nempe futurum ſit, vt tum res ipſum nihil attineat, carentem putà omni ſenſu, vt vel Diogenem monſtraſſe eſt tritum, cùm timentibus, ne cadauer à feris, volucribúſve laniaretur, apponi ipſi baculum iuſſit, quo poſſet illas abigere. Et vide, quàm egregiè Lucretius iſtud excipiat:

Lib.3.

Nam ſi in morte malum'ſt, malis, morſúque ferarum
Tractari; non inuenio, qui non ſit acerbum
Ignibus impoſitum calidis torreſcere flammis;
Aut in melle ſitum ſuffocari; atque rigere
Frigore, cùm in ſummo gelidi cubat æquore ſaxi
Vrgerive supernè obtritum pondere terræ.

Epiſt.92. Prætereo, quod adhuc Seneca præclariùs: *Vt ex barba*, inquit, *capillos detonſos negligimus; ita ille diuinus animus egreſſurus hominem, quò receptaculum ſuum conferatur; ignis illud exurat, an feræ diſtrahant, an terra contegat, non magis ad ſe iudicat pertinere, quàm Secundas ad editum infantem. Vtrùm proiectum aues differant, an conſumatur*

——canibus data præda marinis,

quid ad illum? Prætereo & quòd ſtatim pòſt illud Mecœnatis commendat:

Nec tumulum curo; ſepelit natura relictos;

tanquam proſpiciente natura, ne quis denique inſepultus iaceat, cùm dies ipſa condat, quem ſæuitia proiecerit; id fuiſſe quoque à Poëta eius conſanguineo expreſſum illis verſibus:

Lucan.lib.7.

Nil agis hac ira: Tabeſ-ne cadauera ſoluat,
An rogus, haud refert: Placido natura recepat
Cuncta ſinu.

Non incubiturum in id, vt affectatis floſculis Orationis rhetoricetur.

ỿ. 1. Οὐδὲ ῥητορεύσειν καλῶς. Quòd vocem καλῶς *de affectatis orationis floſculis* interpretor, facit imprimis, quòd Epicurus non improbârit, ſi quis decenter, & accommodatè ad rem quamque perſpicuè exprimendam dicat (nempe orationis decorum ἐν τῇ σαφηνείᾳ *in perſpicuitate* conſtituit) & præditus aliunde ſit natiuâ quadam, non arte quaſitâ, affectatâve eloquentia (φύσις γὰρ ἦν ὁ κατορθοῦσα λόγους) quemadmodum libro octauo Apologiæ deduximus; ac ideò damnare dumtaxat potuerit, ſi quis profeſſus ſapientiam, elegantiæ ſit, quàm rerum ſtudioſior, & gloriam captet ex iis verbis, Pag. 44.

——quæ bellè tangere poſſint
Aureis, & lepido quæ ſunt fucata ſonore,

vt non multò ante ex Lucretio retulimus: Deinde, quòd Cicero ipſe adhibitam præterea non neceſſariā elegantiam *florem orationis* appellat, cùm præfando in Paradoxa, & ad M. Brutum de Catone ſcribens, *Quod eò maius eſt illi*, inquit, *quàm aut tibi, aut nobis, quia nos ea Philoſophia vtimur, quæ peperit dicendi copiam, & in qua dicuntur ea, quæ non multum diſcrepant ab opinione populari; Cato autem perfectus meâ ſententiâ Stoicus, & ea ſentit, quæ non ſanè probantur in vulgus, & in ea eſt hæreſi, quæ nullum ſequitur florem orationis*. Quo loco par non eſt mirari orationis cultum neglectum fuiſſe à Stoïcis; quando Zeno illorum Princeps comptos, concinnóſque ſermones ſimileis habuit Alexandrinis nummis, ſpecie quidem elegantioribus, ſed bonitate tamen, ponderéque deterioribus Atticis tetradrachmis; vti apud Laërtium eſt. Cùm ſint porrò compluſcula ad hocce Effatum ſpectantia memorato loco congeſta; ideò nihil heîc loci repetendum eſt. Addo dumtaxat, quod in memoriam ſubit, extare apud eundem Laërtium de Diogene, illum ſcilicet eos, qui ex oratione maximam gloriam quærerent τρισανθρώπους, *ter-homines*, hoc eſt, *ter-miſeros* appellaſſe. lib.7. lib.6.

Fugiturum Venerea, vt quæ nunquam proſint, ac bene ſit, niſi & noceant.

ỿ. 2. Συνουσίη δὲ (φασὶν) ὤνησε μὲν οὐδέποτε. Cohæret hoc Effatum cum ſuperiore illo de Sapiente non amaturo. Neutrum de Epicuro vulgus crederet, ob præconceptam illam de ipſo, vt de voluptario homine ſententiam. Mirum proinde, cùm vulgus ipſum incontinentiæ effrænis damnet, reputétque libidinoſas eius fuiſſe ſententias (ſecùs ac expreſsè habet Cicero) Galenum tamen fuiſſe coactum aduerſus ipſum diſputare, quòd parcus, rigidúſque nimiùm hacce in re extiterit vt dum ſcribens in librum tertium Epidemiorum Hippocratis, Τῆς γὰρ ἐπὶ, inquit, ἀναγκαίας, χρῆσιν, ἀπηγόρευσε μὲν [illegible] μηδὲ ὠφελεῖν 3. Tuſcul. comment.1.

Φιλοσοφίαν τὴν συνουσίαν, Ἐπίκουρον δὲ μηδέποτε μὲν ὠφελεῖν ἀφροδισίων χρῆσιν, ἀγαπητὸν δ᾽ εἰ μὴ βλάψειεν· ὑπεὶ γδ, &c. *Quid fuit neceſſe ſcribere, dixiſſe Democritum eſſe coitum paruam epilepſiam: Epicurum verò Venereorum vſum nunquam prodeſſe, præclaréque agi, niſi etiam noceat. Siquidem*, &c. Et in libro Medicæ artis, cap 86. Ἀφροδισίων, inquit, κατὰ μὲν Ἐπίκουρον οὐδεμία χρῆσις ὑγιεινή, κατὰ δὲ τὸ ἀληθὲς, ἐκ διαλειμμάτων, &c. *Iuxta Epicurum quidem, vſus venereorum nullus ſalubris; reuerâ tamen ſi per interualla*, &c. Non eſt porrò heic prætereundus locus, 5. Taſcul. quem Cicero hac concludit ſententia: *Hoc loco*: inquit, *multa ab Epicureis diſputantur, hæque voluptates ſigillatim extenuantur, quarum genera non contemnunt, quærunt tamen copiam Nam & obſcœnas voluptates, de quibus multa ab illis habetur oratio, faciles, communeis, in medio ſitas eſſe dicunt; eaſque, ſi natura requiras, non genere, aut loco, aut ordine, ſed forma, ætate, figura metiendas putant; ab iiſque abſtinere minimè eſſe difficile, ſi aut valetudo, aut officium, aut fama poſtulet: Omninóque genus hoc voluptatum, optabile eſſe, ſi non obſit, prodeſſe nunquam*. Non etiam tacendum, quod 3. ſymp. q. 6. apud Plutarchum, Adoleſcentibus quibuſdam improbantibus agitari in Epicuri contubernio quæſtionem illam de Venereorum ante, vel poſt cœnam vſu, Zopyrus Medicus exceperit, *non fuiſſe Epicuri conuiuium attentè ſatis ab iis pellectum. Neque enim illum quæſtione ab initio propoſita, ipſam ſubinde ediſſeruiſſe; ſed cùm a cœna adoleſcenteis ad deambulandum inuitaſſet, de Temperantia verba feciſſe, & à laſciuia eos deterruiſſe*, ὡς ἀεὶ μὲν ἐπισφαλοῦς εἰς βλάβην τοῦ πράγματος ὄντος, μάλιστα δὲ τοὺς περὶ πότον, καὶ ἐδωδὴν χρωμένοις αὐτῷ διαταραττομένου, *quod nempe res venerea, cùm aliòs facilè noceret, tum maximè iis, qui non longè à conuiuio eam exercerent*. Eſt porrò hæc vna, ac prima ex iis conditionibus, quas ipſe Galenus requirit; ne corpus videlicet ſit ὑπερπληρωμένον, ἢ ἐνδεὲς, *nimis oppletum, aut ieiunum*; &, ſi partium diei circumſtantiam, in anni tempeſtates commutaueris, deprehendes eandem Pythagoræ, quàm Epicuri fuiſſe ſententiam. Ille enim, apud Laërtium, *Venereis*, lib 8. inquit, *hyeme, non æſtate operam dato; ea autumno ſunt, ac vere leuiora. ſed quacunque tandem tempeſtate grauia ſunt, & ad ſanitatem non bona*. Et aliquando interrogatus, quando ad mulierem accedendum foret, *quando voles*, inquit, *fieri imbecillior*: Non immoror autem in ſoluendis iis, quæ Galenus, aliíque habent. Rem paucis præſtat Scaliger aduerſus Cardanum, dum abſurdum habet, quod Exercit. 269. Paulus in primo ait, *Corpus Veneris exercitio augeſcere*, ac pergit; *robur enim minui, quis neſcit? Nam, quod aiunt retentum ſemen efficere melancholicos, & concoctionem prohibere, falſum eſt. Exoneratur enim natura, vbi oppreſſa eſt, per ſomnia. Etiam vigilantibus exit ſponte, ſine ſenſu. Igitur huius ſententiæ temperatio illa inanis: aiunt enim per accidens augere robur, ſublatis concoctionis impedimentis. Alij verò negantur è contrario, non poſſe in ſuis vaſis putreſcere ſemen. At nihil naturâ humidum eſt, quod contrahere nequeat aliquid vitij ad putreſcendum. Ergo multi Athletæ priſci penitùs ab hoc ludibrio abſtinuerunt: quorum aliquot in octauo de Legibus nominat Plato, Iccum Tarentinum, Criſſonem, Aſtyllum, Diopompum Quare optimè dicebat ex Ariſtotele, ſalacioribus animalibus vitam eſſe breuiorem*. Sic ille. Prætereo 2 pædag 10. heic porrò quæ alij de eodem argumento habent, præſertim verò Clemens Alexandrinus, qui etiam Effatum non ſine anthotis laude, tacito licet nomine, refert, *Rectè enim*, inquit, *videtur dixiſſe quiſpiam*. Σπέρμα ὅπου μὲν οὐδένα ἀγάπητον ἦ, εἰ μὴ ἔβλαψεν, quibus eiſdem verbis habet quoque Effatum Porphyrius. 1. de abſt. Nota verò obiter B. Clementem illeic loci referre ad Protagoram auditorem Democriti, quod Democritus paulò antè Serm. 6. Saturn. apud Galenum de coïtu dixit; eſſe illum nempe *Epilepſian paruam*; cùm & Stobæus prætereà ad Eryximachum referat, & ad Hippocratem Macrobius Prætereo & ea iis, quæ afferri in Effati confirmationem poſſent, nihil eſſe poſſe commendatius, quàm quod Plutarchus optimè dictum ait, (& ex parte in præcep. de ſan. quidem ab Hippocrate) *res eſſe ſaluberrimas* 6 Epidem. ſect. 4. τροφῆς ἀκορίην, καὶ πόνων ἀοκνίην, καὶ σπέρματος ἐνίους σωτήριον, *citra ſaturitatem veſci, ad laborem impigrum eſſe, ſubſtantiam ſeminis conſeruare*.

Non ducturum Vxorem, non ſuſcepturum liberos, niſi circumſtantiâ quapiam exigente.

℣. 4. Καὶ μηδὲ γαμήσειν, μηδὲ τεκνοποιήσεσθαι pro, Καὶ μὴν καὶ γαμήσειν, καὶ τεκνοποιήσεσθαι, Ita ſcilicet haud abs re opinatur Caſaubonus, quandoquidem Effatum iſtud ea ſuperiore conſequitur; & poſterior ipſius pars, quæ eſt quaſi quædã exceptio haud aliter eſſe legendum inſinuat. Adde quòd proptereà Epicte- apud Arrian. lib 3. tus Epicurum non ſemel ſugillat. Ait enim, cap. 7. exempli gratiâ: *Epicuream ciuitatem cogitas; non ego ducam, neque ego vxorem*. οὐ γὰρ γαμητέον, ἀλλ᾽ οὐδὲ παιδοποιητέον, *Non enim vxor ducenda eſt; non item liberi procreandi*. Et rurſùs: *Tu verò, Epicure, quamobrem diſſuades* lib. 1. c. 23. *Sapienti* τεκνοτροφεῖν, *educare liberos?* Quod 2. Strom. Theodoretus verò hac in re Epicurum facit Democriti ſocium, dum vtrumque reprehendit, quod iubeat, παραιτεῖσθαι καὶ τὸν γάμον, καὶ τὴν παιδοποιίαν, *auerſari & nuptias, & ſuſceptionem liberorum*, idipſum eſt, quod Clemens docet, dum poſtquàm dixit Democritum, παραιτεῖσθαι γάμον, καὶ παιδοποιίαν, διὰ τὰς πολλὰς ἐξ αὐτῶν ἀηδίας τε, καὶ ἀφολκὰς ἀπὸ τῶν ἀναγκαιοτέρων, *repudiare coniugium, liberorúmque procreationem, ob multas, quæ ex ipſis percipiuntur, moleſtias, obque auocationem à rebus magis neceſſariis*; ſubdit, aſſentiri ipſi Epicurum, & quotquot ἐν ἡδονῇ, καὶ ἀοχλησίᾳ, ἔτι δὲ καὶ ἀλυπίᾳ τἀγαθὸν τίθενται, *Summum bonum in voluptate, & vacuitate perturbationis, doloriſque conſtituunt* Exagitat porrò in Epicuro quoque dictam Democrito cauſam Epictetus. Nam ad verba illa, *Ecquid reformidas?* ſubiicit, *Iſtud videlicet*, μὴ διὰ ταῦτα εἰς λύπας ἐμπέσῃς, *ne proptereà in moleſtias incidas*. Et ſtatim: *At nouit Epicurus*, ὅτι ἂν ἅπαξ γένηται

παιδίον

παιδίον, ἐκεῖνο ἐφ' ἡμῖν οὐκ ἔστι μὴ στέργειν, μηδὲ φροντίζειν ὑπὲρ αὐτοῦ, Simul ac eſt infans editus in lucem, in poteſtate noſtra non eſſe, ne eum deperreamus, ſollicitique pro ipſo ſimus. Ac ruſus: *Dicere*, inquit, *cauſam audet, cur liberos non ſuſcipiamus, ὅτι πρόβατον μὲν οὐκ ἀπολείπει τὸ αὐτοῦ ἔκγονον, οὐδὲ λύκος, ἄνθρωπος δ' ἀπολείπει, quòd cùm neque ouis, neque lupus enatam à ſe prolem, deſerat, minùs deſerere homo poſſit*; neque poſſit non affici. *ἰδὼν παιδίον αὐτοῦ κλαῖον, ἐπὶ τὴν γῆν πεπτωκὸς, puellum ſuum eiulantem, prolapſúmque in terram conſpiciens.* Quæ, & plura permirum eſt ita exaggerari (ſed Stoïco nempe affectu) ab uptimo viro, ipſo præſertim cælibe, & ſectam ſequuto, cuius princeps Zeno neque vxorem duxit, neque ſuſcepit liberos; adeò proinde vt Demonax ipſi Epicteto conſilium danti, vt & vxorem duceret, & liberos ſuſciperet, perquàm lepidè dixerit, *οὐκοῦν, ὦ Ἐπίκτητε, δός μοι μίαν τῶν σαυτοῦ θυγατέρων. Vnam ergo filiarum tuarum, ô Epictete, mihi colloca*; quod quidem apud Lucianum eſt. Vt nihil interim dicam de Platone, de Thalete, déque tot aliis Sapientibus, & magnis viris, qui neque vxorem ducendo, neque liberos ſuſcipiendo, Epicuri Effatum reipsâ probarunt. Nam & quòd etiamnum apud nos, ij, qui reputantur præ cæteris ſapere, ſeſe etiam votis conceptis addicant cælibatui, nihil attinet memorare. Sufficiat, cùm ſit nemini non notum quibus moleſtiis ſe eximant, qui à coniugio abſtinent, nihil ſuaſiſſe Epicurum aliud, quàm vt ſi quis vellet multa moleſtiarum declinare genera, atque idcirco ſaperet, is à coniugio viueret liber. Impetit autem ipſum Epictetus, quaſi perſuaſum id voluerit non paucis quibuſdam ſapientiæ ſtudioſis, ſed omnibus, ſiue cuiuſvis conditionis hominibus; aut quaſi periculum ſit, ne propterea genus humanum, deficientibus, qui appetant nuptias, procreéntque liberos, deficiat. Quod caput eſt, cùm poſteriore Effati parte cenſet Epicurus eam incidere poſſe circumſtantiam, vt Sapiens & vxorem ducat, & ſuſcipiat liberos; id præoccupat quicquid poteſt potiſſimùm obiici, ne videantur non ſapere, qui dum nuptias adeunt, aut ſibi, aut familiæ, aut Reipublicæ conſulunt.

Repoſui porrò hac in parte *τεκνοποιήσειν*, pro *διατραπήσεσθαι*, tum vt conſenſus integer cum priore parte haberetur; tum quia nuptiarum auerſationem conſulere, quod verbo *διατραπήσεσθαι*, fit, fuiſſe præſtitum priore eſt viſum.

Non pernoctaturum in compotatione.

§. 9. *Οὐδὲ νυκτερεύσειν ἐν μέθῃ.* Lego *νυκτερεύσειν* pro *μὴν ληρήσειν*, quòd alioquin nihil ſit ſenſus, quod elici exinde valeat; & reſpicere Epicurus potuerit ad eas cœnas, quæ interdum protrahebantur *διὰ νυκτὸς*, ſeu, vt ex Ariſtophane habet Atheneus, *δι' ὅλης νυκτὸς*, *per totam noctem*: atque adeò etiam ad conuiuium Platonis, in quo Socrates quoque ipſe totam noctem compotare (& poculo quidem, quod puteus dici poſſet) indu- lib. 7.

citur. Vt taceam autem hoc Effatum videri poſſe cohærere cum ſuperiore, & affinibus, quatenus indiuidua penè admonitio eſt de Venere, & vino fugiendis:

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore,

poteſt idem ſpectare ad leges iis conſimileis, quas Philoſophorum conuiuiis præſcripſiſſe Xenocratem, & Ariſtotelem idem Athenæus lib. 5. tradit. Scilicet Epicurus quoque epulareis quoſdam conuentus inſtituit; vt ex Teſtamento ipſius intelligitur; & quamuis eius Sectatores, aut aquam paſſim biberent, aut vinuli heminâ contenti eſſent, licere voluit, vt interdum genio tantillum indulgerent, eodem prorſus fine, quo Plato, dum in libris de legibus, obſeruante Agellio, *non* lib. 1. & 2. *ebrietatem iſtam turpiſſimam, quæ labefacere, &* lib. 15. c. 2. *minuere hominum mentis ſolet, laudauit, ſed hanc largiorem paulò, iucundiorémque vini inuitationem, quæ fieret ſub quibuſdam quaſi arbitris, & magiſtris conuiuiorum ſobriis, non improbauit. Nam & modicis*, pergit ille, *honeſtiſque inter bibendum remiſſionibus, refici, integrarique animos ad inſtauranda ſobrietatis officia exiſtimauit; reddique eos ſenſim lætiores, atque ad intentiones rurſus capiendas fieri habiliores.* Atque hanc quidem fuiſſe Epicuri mentem intelligetur vberiùs ex infrà dicendis circa commoda ſobrietatis; ex quibus etiam manifeſtum fiet, probari ipſi non potuiſſe Stoicam illam diſtinctionem, quâ decreuerunt apud Laërtium *Sapientem vino obrutum iri, nec* lib. 7. *fore tamen ebrium*, hoc eſt, facturum quidem paria ebriis, ſed non tamen ex deſtinatione, & mente nihilominus perſtante in propoſito. Quod quidem aliunde impugnatur non modò à Philone, dum quæſtionem ediſſerit, *inebrietúr-ne ſapiens*, quam ſtudioſè tractatam lib de plant. dicit à pleriſque Philoſophis; ſed etiam à Noe. Seneca ipſo: *Nam ſi*, inquit, *argumentaberis* Epiſt. 83. *Sapientem multo vino inebriari, & retinere rectum tenorem, etiam-ſi temulentus ſit: licet colligas; nec veneno poto moriturum; nec opio ſumpto dormiturum, nec ellebero accepto, quicquid in viſceribus hærebit, eiecturum. Sed ſi tentantur pedes, lingua non conſtat; quid eſt, quare illum exiſtimes in parte ſobrium eſſe, in parte ebrium?* Diceres Lucretium eodem reſpexiſſe, cùm fœditatem, incommodáque ebrietatis ſic attigit:

——cùm vini vis penetrauit, lib. 3.
Acris, & in venas diſceſſit diditus ardor;
Conſequitur grauitas membrorum; præpediuntur
Crura vacillanti; tardeſcit lingua; madet mens;
Nant oculi; clamor, ſingultus, iurgia gliſcunt, &c.

Non ad Rempublicam acceſſurum, neque Principatum geſturum; niſi quid interuenerit.

§. 11. *Οὐδὲ πολιτεύσεσθαι.* Duo heic affinia Effata connecto; & ad interpretationem addo, *niſi quid interuenerit*, authoritate Senecæ fretus, ex quo potuiſſet fortaſſis quoque in textum reſtitutio induci. Verba nempe illius ſunt;

de ot. ſap. cap.30. ſunt; *Duæ maximæ hac in re diſſident Sectæ Epicureorum, & Stoicorum; ſed vtraque ad otium diuerſâ viâ mittit. Epicurus ait: Non accedet ad Rempub Sapiens, niſi ſi quid interuenerit: Zeno ait: Accedet ad Rempub niſi ſi quid impedierit; alter otium ex propoſito petit; alter ex cauſa.* Huiuſcemodi interim exceptio Reſponſionis eſt loco ad id, quod poteſt obiici de neglectu Patriæ, publicæve vtilitatis; cùm ſi interuenerit tempus, quo Patria conſilio, opéque Sapientis indigeat, ille ſit ipſius ſaluti otium ſuum poſthabiturus. ep.Arrian. lib.3. c.7. Quamobrem & corruunt, quæ hoc etiam loco Epictetus exaggerat, ipſe præſertim ex ea Secta, cuius Principibus Zenoni, Cleanthi, Chryde Stoic. repug. ſippo, obiicit Plutarchus, quòd cùm Sapientem adhortarentur ad capeſſendum Rempub. ipſi tamen fuerint laudatam Epicuro tranquillitatem ſequuti. Corruunt & orat. pro Sext. quæ Cicero habet, dum commemorando, iuxta decreta Epicuri, *omnia ſuâ causâ facere Sapienteis; Rempublicam capeſſere hominem ſanum non oportere; nihil eſſe præſtabilius otiosâ vitâ, & plenâ, & confertâ voluptatibus*; ita ſubnotat, quaſi ſenſus ſit, *vaticinari, atque inſanire eos, qui dicant dignitati eſſe ſeruiendum; Reipub. conſulendum; officij rationem in omni vita non commodi eſſe ducendam; ſubeunda pro patria pericula, vulnera excipienda, mortem oppetendam* Eodem ſpectat, quod ad Trebatium ſcribens, *Quid fiet*, inquit, *populo Vlubrano, ſi tu ſtatueris* (nempe cùm foret Epicureus) *πολιτεύεσθαι non oportere?* Poſſet porrò heic alia quoque adhiberi exceptio, quæ de An. tranq. ſerm.29. apud Plutarchum eſt, & à Stobæo etiam refertur. Quippe Epicuri ſententia fuiſſe legitur, *οὐ δεῖν ἡσυχάζειν, ἀλλὰ τῇ φύσει χρῆσθαι πολιτευομένους, καὶ πράσσοντας τὰ κοινὰ τοὺς φιλοτίμους, καὶ φιλοδόξους, ὡς μᾶλλον ὑπ᾽ ἀπραγμοσύνης ταράττεσθαι, καὶ κακοῦσθαι πεφυκότας, ἂν ὧν ὀρέγονται, μὴ τυγχάνωσιν, Iis, qui ſuapte natura ambitioſi, gloriaque appetentes ſunt, non eſſe quieſcendum, ſed publicæ adminiſtrationi, actuoſaque vita ſe dedentibus natura obſequendum: ſcilicet, cùm ſint ita comparati, vt ex otioſa potiùs vita perturbationem, & moleſtiam, dum quod concupiſcunt, non aſſequuntur, trahant.* in Amar. Quod quidem cum eo cohæret, quod Theodorus Prodromus ait ſtatuere Epicurum, *ἀγαθὸν ἑκάστῳ τὴν ἡδονήν, bonum cuiuſque eſſe voluptatem.* An autem propterea vocet Epicurus ad Rempub. illos potiùs, qui non poſſunt regere præclarè, vt ille quidem obiicit, non eſt agnitu operoſum. Siquidem nihil aliud voluit Epicurus, quàm eſſe quidem Philoſophicum otium negotioſæ vitæ, cæteris paribus, præferendum: Verùm, ſi quis vrgeri ſe gloriæ quaſi ſtimulo ſentiat, ac aliunde actuoſus ſit, publicíſque rebus gerendis idoneus, inſuper verò aut naſcendi conditio, aut ſors, & occaſio ianuam facilem ad publicæ rei adminiſtrationem aperiat; eſſe cur is vitam præferat actuoſam: quatenus obſeruare licet, non eſſe minùs laborioſum natis ad negotium verſari in otio, quàm natis ad otium verſari in negotio. Porrò, ſi quis aut ſuâ naturâ ad otium comparatus ſit, aut ambitionem, vanitatémque vi rationis repreſſerit, aut quid id ſit rei expertus, quaſi ex procellis emerſerit; meritò cenſet Epicurus eſſe illi otium longè præſtabilius; neque eſſe congruum, vt illud cum vita actuoſa commutet; niſi quid fortè interueniat ex parte Reipublicæ, quod eius induſtriam depoſcat.

Ac nemini quidem non notum, quàm multa poſſent hoc loco dici de beata illa tranquillitate, qua frui in receſſu philoſophico, ſiue Philoſophiæ quaſi ſinu licet; déque ærumnoſa agitatione, quâ in ipſo veluti ſalo negotiorum ciuilium diuexari neceſſe eſt; ſed volens prætereo, adnotóque ſolùm videri Epicurum tantò ſentire, quàm Zenonem præſtantiùs, quantò ipſe quidem per ſe, ac ſponte otium eligit, Zeno autem ad illud, niſi ex accidenti, & quia à negotio arcetur, non tendit; vt taceam videri animi modeſtiam à Republica abſtinere, ad quam neceſſitas non vocet; animi autem præſumptionem in eam ſe vltrò ingerere, etiam cùm nihil eſt, quod obſtet. Et vide quid etiam Seneca hac de re, *Negant*, inquit, cap 31. *noſtri ſapientem ad quamlibet Rempublicam acceſſurum. Quid autem intereſt, quomodo ſapiens ad otium veniat? Vtrùm quia Reſpublica illi deeſt, an quia ipſe Reipub. ſi omnibus defutura Reſpub. eſt (ſemper autem deerit faſtidiosè quærentibus) interrogo, ad quam Rempub ſapiens acceſſurus ſit? Ad Athenienſium, in qua Socrates damnatur; Ariſtoteles, ne damnaretur, fugit? in qua opprimit inuidia virtutes? Negabis mihi acceſſurum ad hanc Remp. Sapientem. Ad Carthaginenſium ergo Remp. ſapiens accedet, in qua aſſidua ſeditio, & optimo cuique infeſta libertas eſt, ſumma æqui, ac boni vilitas, aduerſus hoſteis inhumana crudelitas, etiam aduerſus ſuos hoſtilitas? Et hanc fugiet. Si percenſere ſingulas voluero, nullam inueniam, quæ ſapientem, aut quam ſapiens pati poſſit. Quod ſi non inuenitur illa Reſpub. quam nobis fingimus, incipit omnibus eſſe otium neceſſarium; quia quod vnum præferri poterat otio, nuſquam eſt.* Cùm id verò habeat aduerſus Zenonem, en, cætera inter, quid pro Epicuro; *Poteſt ergo & ille, cui omnia adhuc in* cap.30. *integro ſunt, antequam vllas experiatur tempeſtates, in tuto ſubſiſtere, & protinus commendare ſe bonis artibus, & illud beatum otium exigere, virtutum cultor, quæ exerceri etiam à quietiſſimis poſſunt*, &c. Prætereo autem, vt ſubinde peregregiè amplificet, quod Anaxagoras inſinuauit, qui cùm receſſiſſet, & neglectis publicis rebus, in rerum naturalium contemplatione verſaretur, obiiciente quodam *nulla ne tibi patria eſt cura? Bona verba*, inquit, *mihi enim vel maximè patria eſt cura*: cælum oſtendens, quod quidem apud Laërtium eſt. Addo ſolùm, quod poſteà habet, vt oſtendat agere Sapientem etiam in receſſu ſuas in Repub. parteis, *Nam, quo animo*, inquit, *ſapiens ſecedit? Vt ſciat ſe tum quoque ea acturum per quæ poſteris proſit. Nos certè ſumus, qui dicimus & Zenonem, & Chryſippum maiora egiſſe, quam ſi duxiſſent exercitus, geſſiſſent honores, leges tuliſſent, quas non vni ciuitati, ſed toti humano generi tulerunt. Quid ergo eſt, quare tale otium non conueniat bono viro, per quod futura*

ſæcula

ſæcula ordinet, ne apud paucos concionetur, ſed apud omnes omnium gentium homines, quique ſunt, quique erunt? Quem in ſenſum Lucretius quoque docet Epicurum longè vtiliora, quàm Cererem, Bacchum, Herculem generi humano feciſſe, cùm

Lib. 5. ——*talia nobis*
Pectore parta ſuo, quæſitáque præmia liquit,
Ex quo nunc etiam per magnas didita genteis
Dulcia permulcent animos ſolatia vitæ.

Non Cynico ritu victurum, neque mendicando vitam quæſiturum.

℣. 13. Οὐδὲ κυνιεῖν. Heic duo quoque, tanquam ad idem attinentia Effata connecto. Interpretor autem, *non Cynico ritu victurum,*
3. de fin inductus illo Ciceronis loco, *Cynicorum autem rationem, atque vitam alij cadere in Sapientem dicunt, ſi quis eiuſmodi fortè caſus inciderit, vt id faciendum ſit; alij nullo modo.* Nam ſi Stoïcorum fuit dogma, Κυνιεῖν τὸν σοφόν, itémque Τὸν κυνισμὸν σύντομον ἐπ' ἀρετὴν ὁδόν, *Cynicam viuendi rationem rectiſſimam eſſe ad virtutem viam:* (vti apud Laërtium eſt) aliqui tamen Stoicorum (de iis enim Cicero loquitur) adſtipulati minimè ſunt; videtur profectò, debuiſſe adhuc minùs Epicuro placere ea, quæ dicta eſt ἀναισχυντία κυνική, *Cynica inuerecundia.* Sanè verò cùm Cyniſmus nihil aliud ſit, quàm ratio viuendi, cuiuſmodi eſt aliorum animalium nullis legibus addictorum; non eſt quidem ille ex ſe, atque abſolutè damnandus, provt eſt ſecundum naturam, ac homines poteſt innumeris curis, quibus in ciuili ſocietate diſcruciantur, eximere; verùm poſitis, vt ſe habent, rebus, & natis, ac viuentibus in ea hominum ſocietate, quam ſeruari incolumem ſingulorum intereſt, neceſſe eſt (ac poteſt etiam ſecundum naturam cenſeri) quemque in illa ſic viuere, vt eius leges non offendat, bonúmque adſciſcens, non accerſat malum. Sunt autem in omni ferè ſocietate, præter leges cæteras, etiam nonnullæ ad honeſtatem, ſiue decorum attinentes, quas ſi violare cuique impudenter, impunéque licuerit, rerum perturbatio breui conſequatur. Huiuſcemodi præ cæteris ſunt quæ ad Venereorum tractationem ſpectant; quippe cùm mira illicò labefactatio futura ſit, ſi ea paſſim liceant, quæ paria, niſi etiam peiora, belluis, Crates, Diogenéſque in propatulo, inuerecundéque egerunt. Nihil ergo mirum, ſi Epicurus huiuſmodi mores alienos à Sapiente cenſuerit.

Ad poſteriorem partem, quæ eſt de mendicitate, quod ſpectat, non improbauit quidem Epicurus, prandere patienter olus Cynicos, ac ideò nolle Regibus vti; quippe cùm & ex aliàs dictis, & ex infrà fuſiùs dicendis, nihil æquè probauerit, ac ſimplicem, tenuem, facilè parabilem victum: At cùm paruum ſit, quo id conſtat, noluit ſapientem eò demitti, vt mendicando illud requirat, ſicque ipſi obiici poſſit,

Horat. 1. ——*Tu poſcis vilia; verùm es*
Dante minor; quamvis fers te nullius egentem: Epiſt. 17.

Verùm ſi fortuna adeò ſit iniqua, vt illud ipſi non ſuppetat; cenſuit id eſſe potiùs propriâ induſtriâ comparandum, & profitendo quidem Sapientiam (ne deſinat, etiam donec neceſſaria apparebit, philoſophari) quemadmodum proprio Effato dicetur aliquantò pòſt.

Tametſi fuerit oculis captus, fore nihilominùs adhuc beatæ vitæ participem.

℣. 15. Ἀλλὰ καὶ πηρωθεὶς τὰς ὄψεις. Præmitto ſtatim voci βίου vocem εὐδαίμονος, tum quia alioquin dicere eum, qui fuerit oculis captus, fore ſimpliciter participem vitæ, videri poteſt ridiculum; quaſi cenſeri idem poſſet, cæcum eſſe, & mortuum eſſe; tum quia, cùm id ſit conſentaneum ſuperiori illi Effato, Κἂν στρεβλωθῇ, &c. B. Clemens Alexandrinus vtrumque ex Platone Effatum huiuſmodi eum voce refert; Κἂν στρεβλῶται, inquit, ὁ δίκαιος, καὶ ἐξορύττηται τὼ ὀφθαλμώ, ὅτι εὐδαίμων ἔσται, *Iuſtus, licet torqueatur, licet effodiantur illi oculi, beatus nihilominùs erit.* Videtur proinde Epicurus eo loquutus ſenſu, quem exprimit Seneca, dum etiam pro ipſo Epicuro diſputans aduerſus Stilponem, qui fuit ex Megaricis, *Hoc inter nos,* inquit, *& illos intereſt. Noſter Sapiens vincit quidem incommodum omne, ſed ſentit; illorum, ne ſentit quidem. Illud nobis cum illis commune eſt, Sapientem ſeipſo eſſe contentum: ſed tamen & amicum habere vult, & vicinum, & contubernalem, quamvis ſibi ipſe ſufficiat. Vide, quàm ſit contentus? Aliquando ſui parte contentus eſt. Si illi manum aut morbus, aut hoſtis inciderit; ſi quis oculum caſus excuſſerit; reliquiæ illi ſuæ ſatisfacient: & erit imminuto corpore tam lætus, quàm integro fuit.* Verùm rem expreſſiùs audire ex ipſo Cicerone licet, *Non ſine cauſa igitur,* inquit, *Epicurus auſus eſt dicere ſemper in pluribus bonis eſſe Sapientem, quia ſemper ſit in voluptatibus; ex quo effici putat ille, quod quærimus, vt Sapiens ſemper beatus ſit. Etiam ne ſi ſenſibus carebit oculorum, ſi aurium? Etiam: nam iſta ipſa contemnit. Primùm enim horribilis iſta cæcitas, quibus tandem caret voluptatibus?* Et ſtatim: *Animo autem multis modis, variiſque delectari licet, etiam ſi non adhibeatur aſpectus. Loquor autem de docto homine, & erudito, cui viuere eſt cogitare. Sapientis enim cogitatio non fermè ad inueſtigandum adhibet oculos aduocatos. Etenim ſi nox non adimit vitam beatam; cur dies nocti ſimilis adimat?* Et aliquot aliis exemplis propoſitis, *Diodorus Stoicus cæcus multos annos noſtra domi vixit. Is verò, quod credibile vix eſſet, cùm in Philoſophia multò etiam magis aſſiduè, quàm anteà verſaretur, & cùm fidibus Pythagoreorum more vteretur; cúique ei libri noctes, & dies legerentur; quibus in ſtudiis oculis non egebat; tamen, quod ſine oculis fieri poſſe vix videtur, geometriæ munus tuebatur, verbis præcipiens diſcentibus, vnde, quò quámque lineam ſcriberent. Aſclepiadem ferũt non ignobilẽ Eretriacum Philoſophum, cùm quidã quæreret, quid ei cæcitas*

4 ſtrom. — Epiſt. 9. — 5 Tuſc.

attuliſſet, reſpondiſſe, vt puero vno eſſet comitatior: Et mox, *Democritus, luminibus amiſſis alba ſcilicet & atra diſcernere non poterat: at verò bona, mala, æqua, iniqua, honeſta, turpia; vtilia, inutilia; magna, parua, poterat; & ſine varietate colorum licebat viuere beatè; ſine notione rerum non licebat. Atque hic vir impediri animi etiam aciem adſpectu oculorum arbitrabatur; & cum alij ſæpe, quod eſſet ante pedes, non viderent; ille in infinitatem omnem peregrinabatur, vt nulla in extremitate conſiſteret.*

Fieri poſſe, vt mœreat: itémque, vt in Ius vocetur.

℣. 18. Καὶ λυπηθήσεσθαι Videtur primus Interpres legiſſe μὴ λυπηθήσεσθαι, quando locum reddidit, *Mœrore item non conficiendum Sapientem.* Verùm omnes tam MSS. quàm editi Codices nullam præferunt negationem. Ac ſi ſenſus quidem neceſſariò is fieret, vt intelligeremus Sapientem confectum, conſumptúmve iri mœrore; foret locus planè ſuſpectus, propter mox & antè allata de beatitudine etiam in cæcitate, tormentiſque non amiſſa; at quia poteſt talis eſſe, vt intelligamus futurum, vt Sapiens moleſtiam, dolorémve ſentiat, ex quo etiam gemat, ſuſpiriaque ducat, & effundat lacrymas (quod ne Seneca quidem prohibet, dum, *Numquam ego,* inquit, *à te, ne ex toto mœreas, exigam*) ideò non eſt viſa adſciſcenda negatio. Certè & videtur hoc Effatum prolatum fuiſſe aduerſus ipſam Stoïcorum ἀπάθειαν quam, quia vox *impatientia,* vel adnotante Seneca, eſt ambigua, impaſſibilitatem liceat dicere, ſicut ex Plutarcho intelligi licet. Scribit nimirum Epicureos *repugnare iis, qui in amicorum morte prohibent mœrorem, lacrymas; & ſuſpiria ac gemitus, & dicere,* Τὴν μὲν γὰρ ἀπαθῆ ἀλυπίαν ἀφ' ἑτέρου κακοῦ μείζονος ὑπάρχειν, ὠμότητος, ἢ δοξοκοπίας ἀκράτου, καὶ λύσσης. διὸ πάσχειν τι βέλτιον εἶναι, καὶ λυπεῖσθαι, καὶ νὴ Δία λιπαίνειν τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ τήκεσθαι, καὶ ὅσα δὴ παθαινόμενοι, καὶ γράφοντες ὑγροί τινες εἶναι, καὶ φιλικοὶ δοκοῦσιν, *Illam mœroris detractionem, quæ Paſſionis expertem reddat, ab alio maiore malo proficiſci, immanitate ſcilicet, ac immoderata ambitione, & rabie. Itaque præſtabilius eſſe, paſſionem quandam experiri, mœrore quopiam affici, oculos non pati turgere, ſed in lacrymas fluere, & quæcumque ij patiuntur, aut fingunt, qui affectu tenero eſſe, amantéſque videri volunt.* Et quoniam ſubiicit Plutarchus dicere Epicurum iſta, cùm aliis multis in locis, tum ſpeciatim in Conſolatione, quam ad Hegeſianactem parenti, & Doſitheum fratrem Pythoclis demortui conſcripſit; reſpexiſſe huc credas Senecam, dum Conſolationem ad Polybium ſcribens, & Stoicis ſuis repugnans, verbis iam ex ipſo recitatis, ſubdit, *Et ſcio inueniri quoſdam duræ magis, quàm fortis prudentiæ viros, qui negent doliturum eſſe ſapientem. Hi verò videntur numquam in huiuſmodi caſum incidiſſe: alioquin excuſſiſſet illis fortuna ſuperbam ſapientiam, & ad confeſſionem eos veri, etiam inuitos compuliſſet. Satis præſtiteris ratio, ſi id vnum ex dolore, quod & ſupereſt, & abundat, exciderit. Nam vt quidem nullum omnino eum eſſe patiatur, nec ſperandum vlli nec concupiſcendum eſt. Hunc potius modum ſeruet, qui nec impietatem imitetur nec inſaniam; & nos in eo teneat habitu, qui & pia mentis eſt, nec emota. Fluant lacrymæ, ſed eædem deſinant; trahantur ex imo pectore gemitus, ſed iidem & finiantur. Sic rege animum tuum,* &c. Credas & aliunde exemplum illius *immanitatis, feritatíſve,* ſiue vt Plinius loquitur, *rigoris, atque toruitatis duræ & inflexibilis,* expreſſum in eo Stoico, quem Agellius ſe vnà cum Philoſopho Tauro, & quibuſdam aliis inuiſiſſe laborantem, ſcripſit? *Vidimus,* inquit, *hominem doloribus cruciatibúſque alui, quod Græci κωλικὸν dicunt, & febri ſimul adrapida afflictari, gemituſque ex eo compreſſos erumpere ſpiritúſque, & anhelitus è pectore eius euadere, non dolorem magis indicantes quàm pugnam aduerſus dolorem.* Et poſteà: *Vidiſtis inquit Taurus, non ſanè iucundum ſpectaculum, ſed cognitu tamen vtile, congredienteis, compugnanteiſque Philoſophum, & dolorem. Faciebat vis illa & natura morbi, quod erat ſuum, diſtractionem, cruciatúmque membrorum. faciebat autem contrà ratio. & natura animi quod erat æquè ſuum; perpetiebatur, & cohibebat coërcebatque intra ſeſe violentias effrenati doloris. Nullos eiulatus, nullas complorationes ne vllas quidem voces indecoras edebat; ſigna tamen quædam, ſicut vidiſtis, exſiſtebant, virtutis, & corporis de poſſeſſione hominis pugnantium.* Nempe, ſi adfuiſſet Epicurus, eſſe præſtabilius duxiſſet, ſinere illos gemitus, ſpiritus, & anhelitus, ſponte quaſi effluere, quàm præ ambitione, cupiditatéve teſtandæ conſtantiæ illos ita comprimere, vt tandem tamen maiore cum noxa torrentis inſtar erumperent.

Cùm Epicurus verò hoc loco illam Stoïcorum ἀπάθειαν, *impaſſibilitatem,* ſeu mauis, *affectuum vacuitatem* improbet; conſtat ipſum eadem ſentire cum Pythagora (aut Pythagoreis certè, qui apud Stobæum) itémque Platone, Ariſtotele, cæteris, qui non ἀπάθειαν, ſeu μετριοπάθειαν, *temperationem affectuum* probarunt. Cæterùm, ne aliunde quoque ipſis Stoïcis inuidia quæratur, videntur illi à ſuo Paradoxo excluſiſſe eas perpeſſiones corporis, quæ ab arbitratu nullatenus pendent, cuiuſmodi imprimis eſt cruciatus, dolórque ex morbo, vt colligi poteſt ex iis, quæ Taurus apud Agellium poſteà diſſeruit; comprehendiſſe autem dumtaxat affectus, qui in ipſo animo ſint, vt lætitiam, mœrorem, ſpem, metum, cupiditatem, iram. Quin etiam, non negarunt quidem, quin primi horum affectuum motus ſuborirentur in nobis; ſed eſſe illos ex Seneca, & Epicteto inuoluntarios, neque dici propriè affectus, quouſque ſint συγκαταθέσεις, *mentis aſſenſiones,* ſeu *approbationes;* hoc eſt, ex iudicio, opinione, arbitratu fiant. Hoc itaque ſuppoſito, diſſidium inter Stoïcos, Philoſophóſque cæteros fuit, quòd illi in totum reſcindi, abſoluique affectus voluerint, cæteri autem temperari ſeu ad mediocritatem reduci. Ecce nimirum Cicero. *Cùm,* inquit, *antiqui perturbationem animi ex homine non tollerent, naturáque & condoleſcere, & concupiſcere, & extimeſcere, & efferri lætitiâ dicerent; Zeno*

Conſol. ad Polyb. cap. vlt. Epiſt. 9. & adu. Col.

loc. cit.

lib. 7. cap. 19.

lib. 12. c. 5.

loc. cit.

2. de Ira 3. Arr. lib. 1. cap. 19.

1. Acad.

omnibus

omnibus his quaſi morbis voluit carere ſapientem. Pergit verò: *Cúmque eas perturbationes antiqui naturaleis dicerent & rationis experteis, aliáque in parte animi Cupiditatem, in alia Rationem collocarent; ne his quidem aſſentiebatur: nam & perturbationes voluntarias eſſe putabat, opinioniſque iudicio ſuſcipi, & omnium perturbationum arbitrabatur eſſe matrem immoderatam quandam intemperantiam.* Quo ex loco intelligi licet, Stoïcos ideò exiſtimaſſe poſſe in totum reſcindi affectus, quòd forent *ἐν τῷ ἡγεμονικῷ, in parte animi principe,* ſiue rationali, ſicque à rationis arbitrio penderent, nihil ſcilicet exſiſtentes aliud, quàm iudicia, & opiniones, quemadmodum illos ſuperiùs definienteis audiuimus; cæteros autem reputaſſe non poſſe ex toto, quia forent in parte bruta animæ, eſſéntque adeò incompoſiti motus, quos Ratio quidem tegere, at non omnino tollere, néve prorſus eſſent, poſſet

lib. de virt. moral.

obſtare. Iſthæc habet fusè Plutarchus, oſtendens tum reuerâ eſſe duas animæ noſtræ parteis, & affectus in alia, quàm Rationali ſedem habere; tum neque poſſe fieri, neque è re etiam noſtra eſſe, vt affectus planè, prorſúmque aboleantur.

1. plac. 23.

Vt prætermittam autem, quod ille attribuit quoque Epicuro, vt *τὸ ἡγεμονικὸν ἀπαθὲς, partem animi principem affectuum expertem* autumauerit. Quod ſupereſt,

3 Tuſc.

referre præſtat, quod apud Ciceronem Crantor, dum, *Minimè*, inquit, *aſſentior iis, qui iſtam neſcio quam indolentiam magnoperè laudant, quæ nec poteſt vlla eſſe nec debet. Ne ægrotus ſim, inquit, ſed ſi fuerim, ſenſus adſit, ſiue ſecetur quid, ſiue auellatur à corpore; nam iſtud nihil dolere, non ſine magna mercede contingit; immanitatis in animo, & ſtuporis in corpore.* Quo loco vides notari eamdem, quæ ab Epicuro obiecta fuit, *ὠμότητα, immanitatem*: ſed vt ſubiiciam in eumdem ſenſum, quod apud

lib. 19. c. 12.

Agellium Herodes Atticus contra Stoicorum *ἀπάθειαν* diſſeruit, & laceſſitus quidem à quodam Stoïco, tanquam minùs ſapienter, & parùm viriliter dolorem ferret ex morte pueri, quem amauerat; *In ea diſſertatione*, inquit Agellius, *huiuſcemodi ſenſus eſt: Quòd nullus vſquam homo qui ſecundùm naturam ſentiret & ſaperet, affectionibus iſtis animi, quas πάθη appellabat, ægritudinis, cupiditatis, timoris, iræ, voluptatis, carere, & vacare totis poſſet, & omnino non dolere. Atque, ſi poſſet etiam obniti, non ex re id eſſe melius; quoniam langueret animus, & torperet, affectionum quarumdam adminiculis, vt neceſſario plurimum imperio priuatus. Dicebat enim ſenſus iſtos, motuſque animi, qui cùm immoderatiores ſunt, vitia fiunt, innexos, implicatóſque eſſe vigoribus quibuſdam mentium, & alacritatibus. Ac propterea ſi omnino omneis eos imperitiùs conuellamus, periculum eſſe ne eis adhærenteis bonas quoque, & vtileis animi indoleis amittamus. Moderandos eſſe igitur, & ſcitè conſideratéque purgandos cenſebat, vt ea tantum, quæ aliena ſunt, contráque naturam viderentur, & cum pernicie agnata ſunt, detrahantur; ne profectò id accidat, quod cuipiam Thracio inſipienti, & rudi in agro, quem emerat, procurando veniſſe vſu fabula eſt.* Tum autem fabulam denarrat quæ trita cùm ſit, apponere præſtat,

lib. 6. c. 15.

quod diſſertationem quaſi excipiens, habet Lactantius, dum poſtquam furioſos dixit Stoïcos, quòd hominem rebus à natura inſitis caſtrare quodammodo velint; ac tale hoc eſſe, quale ſi velint aut metum detrahere ceruis, aut venenum anguibus, aut iram feris, aut placiditatem pecudibus; tum ſubdit: *Sed homines Prudentes non intelligunt, cùm vitia ex homine tollunt etiam ſe virtutem tollere, cui ſoli locum faciunt. Nam ſi virtus eſt in medio iræ impetu ſeipſum cohibere, ac reprimere, quod negare non poſſunt; caret ergo virtute quiſquis ira caret. Si virtus eſt libidinem corporis continere; virtute careat neceſſe eſt, qui libidinem, quam temperet, non habet. Si virtus eſt cupiditatem ab alieni appetitione frænare; nullam certè virtutem poteſt habere, qui caret eo ad quod cohibendum virtutis vſus adhibetur. Vbi ergo vitia non ſunt, nec virtuti quidem locus eſt; ſicut nec victoria quidem, vbi aduerſarius nullus eſt. Ita fit, vt bonum ſine malo eſſe in hac vita non poſſit. Affectus igitur quaſi vbertas eſt naturalis animorum. Nam ſicut in ſenteis ager, qui eſt naturâ fœcundus, exuberat; ſic animus incultus vitiis ſua ſponte inualeſcentibus velut ſpinis obducitur. Sed cùm verus cultor acceſſerit, ſtatim cedentibus vitiis, fruges virtutis oriuntur.* Prætereo autem, quod deinceps præclarè oſtendit, Stoïcos quoque eoſdem affe-

Epiſt. 85.

ctus ſub nominibus aliis admiſiſſe; vt cùm pro *cupiditate, ſubſtituere voluntatem; pro lætitia, gaudium; pro metu, cautionem.* Prætereo & quæ Seneca in oppoſitum congerit; adnotóque ſolùm Sanctos Patres, ac ſpeciatim B.

lib. 1. adu. Pelag. 9. ciuit. 5.

Hieronymum declarare quemadmodum *non Stoïcorum, ſed Peripateticorum ſententiæ omnis S. Scripturæ authoritas conſentiat*; & aliquos etiam, vt B August. non tam mediocritatem, quàm circumſtantias in affectibus attendere: *Quippe in diſciplina noſtra, non quæri, vtrùm pius animus iraſcatur, ſed quare iraſcatur; nec vtrùm ſit triſtis, ſed vnde ſit triſtis; nec vtrùm timeat, ſed quid timeat,* &c. Sed hæc iam ſatis; cùm & ſint plura hac de re dicenda inferiùs.

Vt quidpiam nunc quoque ſubiiciam de poſteriore Effati parte, quæ de in ius vocando eſt; eam ſolùm poſuiſſe Epicurus videtur, ne quis Sapienti verteret probro, niſi ita viueret, vt omnem inuidiam, calumniam, omnémque adeò accuſationem, damnationémque deuitaret. Etenim in Sapientis quidem poteſtate eſt, vt bene, & ex virtute viuat; ſed non, ne cæteros erga ſe malignos, iniuſtóſque experiatur: neve ab ipſis præter fas, & æquum vocetur in ius, causámque apud iudices, etiam iniquos, dicere teneatur. Recens adhuc erat memoria damnati morte Socratis; ac recentior adhuc Ariſtotelis, ideò coacti aufugere, ne bis ab Athenienſibus in Philoſophiam peccaretur.

5 Tuſc.

Quanquam nihil neceſſe eſt inductionem contexere; cùm ſit paſſim notum, quod Cicero ait, *hoc in omni Populo fieri*; hoc eſt, vulgò *omnem virtutis exſuperantiam odio haberi.* Ac verum quidem eſt homines ſic eſſe vulgò comparatos, vt quam virtutem incolumem oderint, ſublatam ex oculis quærant; ac damnent ipſos iudices, & accuſatores ignominia multent: ſed vtcumque ſapiens

oppreſſus id futurum proſpiciat; ſolatio tamen præcipuo eſt, quòd ſtetus ſerena, tutáque conſcientia, & ad quemlibet, quantumvis iniquum fortunæ euentum paratus, ſit ſibi ipſi murus aheneus, ac in iudiciis animosè, imperturbatéque verſetur.

Conſcripturum quidem libros aliquos; non ſcripturum tamen, nec recitaturum Panegyricas Orationes.

ψ. 21. Καὶ συγγράμματα καταλείψειν. Quòd priori huic parti, ſubiiciatur poſterior οὐ πανηγυριεῖν δὲ, cum particula aduerſatiua; ideò interpretor *non ſcripturum ſapientem panegyricas orationes*; addóque, *neque ipſum in ſolemni pompa eas recitaturũ*, quòd orationũ recitatio ſcriptioni cõſentanea ſit; & Pollux præſertim τὸ πανηγυρίζειν definiat, τὸ πανηγυρικοὺς λόγους ἐξηγεῖσθαι, ἢ πανδήμους λόγους εἰπεῖν. Fuit certè iſtud conſonum, non modò præmiſſo Effato, οὐ ῥητορεύσειν καλῶς, cùm nulla oratio eſſe magis compta, quàm panegyrica debeat; verùm ipſis quoque Epicuri moribus, iuxta illud aliàs relatum, quod ait apud Senecam, *Nunquam volui populo placere; nam quæ ego ſcio non probat populus, quæ probat populus* (adde & quibus applaudere ſolet in panegyricis orationibus) *ego neſcio*. Atque id quidem ne memorem, quod idem habet Seneca; cùm de Epicuro loquens, *Hic*, inquit, *ignotus ipſis Athenis fuit, circa quas delituerat. Multis itaque iam annis Metrodoro ſuo ſuperſtes, in quadam Epiſtola, cùm amicitiam ſuam, & Metrodori grata commemoratione cecinisset, hoc nouiſſime adiecit, Nihil ſibi, & Metrodoro inter bona tanta nocuiſſe, quòd ipſos illa nobilis Græcia non ignotos ſolum habuiſſet, ſed penè inauditos.* Quod ad rem verò ipſam ſpectat; cùm eſſe laudabile poſſit, conſcribi à Sapiente libros, in quibus, vt ex Seneca non multò antè retulimus, ea tradat, per quæ proſit poſteris; qui poſſit tamen panegyricas, populareiſ-ve habere orationes, quin iure quadrare in ipſum cenſeatur, quod à nonnullis Sanctorum Patrum Philoſophis obiicitur, cùm definiunt Philoſophum *gloriæ animal, & popularis auræ vile mancipium*. Præclarè certè Cicero: *Eſt enim*, inquit, *Philoſophia paucis contenta iudicibus, multitudinem conſultò ipſa fugiens; eique ipſi & ſuſpecta, & inuiſa; vt vel ſi quis vniuerſam velis vituperare, ſecundo id populo facere poſſit.*

in Onom.

Epiſt. 29.

Epiſt. 79.

Tert. de An. cap 1.
Hieron. Ep. ad Iulian.
2. Tuſcul.

Rei familiaris curam habiturum; ſed citra ditescendi cupiditatem tamen.

ψ. 23. Καὶ κτήσεως προνοήσεσθαι. Coniunctionem adhibeo iuxta MSS. Et quaſi ſit phraſis præcedenti conſimilis, vice inſequentis vocis φιλαγρήσειν, cuius nulla commoda interpretatio haberi valeat; repono, οὐ φιλαργυρήσειν δὲ, quaſi hæc ſit cautio priori parti adhibita, ne in cura, ac prouidentia rei familiaris peccetur, vt & familiare, & procliue eſt. Aduerſatur certè huic exceſſui tum illa, de qua inferiùs dicendum, αὐτάρκεια Epicuro laudata; tum quod Ælianus, ac

4 var. hiſt. ſerm. 17.

Stobæus habent, ſententiam Epicuri eſſe, ᾯ ὀλίγον οὐχ ἱκανὸν, τούτῳ γε οὐδὲν ἱκανόν, *Cui pauca non ſufficiunt, illi nihil eſt ſatis.* Quod ſanè conſonat cum eo, quod Seneca ait dixiſſe Epicurum, *Si cui ſua non videntur ampliſſima, licet totius Mundi Dominus ſit, tamen miſer eſt.* Contendit porrò interim non eſſe Sapienti negligendam rem familiarem; quia id ſit è re, atque vſu vitæ; ne ſi nimirùm peſſum eat, ac deinceps quæ ſunt ad vitam neceſſaria non ſuppetant, philoſophando obex fiat; dum aut laboriosè requirenda erunt, quæ poterant nullo, exiguóve negotio ſeruari; aut mendicandum, petendúmque importunè ex alio, quod quis potuerat ex ſeipſo facili ſtudio obtinere: aut ſeneſcendum, ægrotandum, moriendum ea in egeſtate, quæ tranquillitati non parum officiat. Quod enim Democritus, aliíque laudantur, qui proiecíſſe diuitias, vt onus, ac impedimentum ad philoſophandum dicuntur; ſi illi quidem ſic abiecere omneis omninò diuitias, vt etiam neceſſaria ad vitam non ſeruauerint, quî laudi verti ipſis poſſit, cùm, niſi amiſſam ſimul vitam voluerint, requirendum deinceps fuerit, quod ad manum habuerant, vt tranſigere ipſam poſſent? Sin neceſſaria retinuerunt; tum commendari quidem poſſunt, quòd ſuperflua dimiſerint, & cum ipſis maximam partem ſollicitudinis depoſuerint; ſed nihilominus eius partis, quam ſeruatam ſibi fecerunt, non debuit cura negligi, ne eo fine, ob quem ſeruatam ſibi fecerant, fruſtrarentur. Et ſanè, cùm Democritus heic potiſſimùm memoretur, ille nihil aliud, quàm diuiſo ſuis cum fratribus patrimonio, maiorem illis partem conceſſit, ac minorem ſibi, eam videlicet quæ argento conſtaret, aſſumpſit, vt iis, quas ſuſcepturus erat peregrinationibus commodiorem, neque minorem centum talentis (totidemve noſtratium ſcutatorum millibus,) vt Laërtius quidem ex Demetrio refert. Ad id, quod poteſt iure requiri, debeatne ſapiens reiicere, abiicereve quas Fortuna ſibi opes obtulerit; ecce loquens Plutarchus de Sapiente conuerſante cum Principe, *Diuitias*, inquit, *& gloriam, potentiámque non affectabit quidem; ſed neque etiam recuſabit, vbi vltrò aduenerint, moderatione animi ſeruata.* Seneca autem, *Sicut ſapiens*, inquit, *nullum denarium intra limen ſuum admittet malè intrantem; ita & magnas opes, munus fortunæ, fructúmque virtutis non repudiabit, nec excludet.* Ac ſtatim: *Nec, vt dixi, eiiciet illas è domo. Quid enim dicet? Vtrum-ne inutiles eſtis; an ego vti diuitiis neſcio?* Dixerat autem priùs, *Quid autem dubij eſt, quin maior materia ſapienti viro ſit animum explicandi ſuum in diuitiis, quàm in paupertate; cùm in hac vnum genus virtutis ſit non inclinari, nec deprimi; in diuitiis & temperantia & liberalitas, & diligentia, & diſpoſitio, & magnificentia campum habeat patentem.* Et mox; *Quædam enim, etiam ſi in ſummam rei parua ſunt, vt & ſubduci ſine ruina principalis boni poſſint; adiiciunt tamen aliquid ad perpetuam lætitiam, & ex virtute naſcentem. Sic illum afficiunt diuitiæ, & exhilarant, vt nauigantem ſecundus*

Epiſt. 9.

de vi be. cap. 23.

cap. 22.

ſecundus, & ferens ventus; vt dies bonus, vt in bruma, ac frigore apricus locus. Paucis verò interpoſitis: *Quid ergo, inquis, me derides; cùm eundem apud te locum habeant, quem apud me? Vis ſcire quàm non habeant eundem locum? Mihi diuitiæ ſi effluxerint, nihil auferent, niſi ſemetipſas; tu ſtupebis, & videberis tibi ſine te relictus, ſi illæ à te receſſerint. Apud me diuitiæ aliquem locum habent; apud te ſummum. Ad poſtremum, diuitiæ meæ ſunt; tu diuitiarum es.* Concludit: *Deſine ergo Philoſophis pecuniâ interdicere; nemo Sapientiam paupertate damnauit.*

Aduerſus Fortunam ſe comparaturum.

ỽ. 25. Τύχῃ τε ἀντιτάξεσθαι. Faciunt ad hoc Effatum varia, quæ Epicurus deinceps de Fortuna habet. Verùm ne quidpiam præoccupemus, obſeruo ſolùm non eſſe hoc inter munera Sapientiæ poſtremum, vt animum firmet aduerſus fortuita, dum præſtat ne aliquid ipſi accidat quaſi improuiſum, & de quo leniter ferendo non antè cogitauerit, nempe, vt Socrates aiebat, non debet minùs vir Sapiens, donec proſpera eſt fortuna, comparare ſibi præſidia, quibus aduerſam fortiter ferat, quàm ſecundo nauigans vento inſtructus eſſe præſidiis, quibus tempeſtatem excipiat. (Stob. ſer. 3.) Cùm proſit porrò cogitare quicquid ſiniſtri contingere pro vitæ conditione poteſt, orbitatem, naufragium, exilium, vulnera, tormenta, morbos, ingratitudinem, calumniam, contumeliam, cæteraque innumera; ac dicere poſſe quoties acciduot: non hæc mihi noua inopináve ſurgunt,

6 Æn. *Omnia percepi, atque animo mecum antè peregi;*

tum inſignis præſertim ratio præmuniendi ſeſe aduerſus Fortunam eſſe ea videtur, quam ex Epicuro fusè deducit Seneca; in eo nimirùm ſe exercere, ac ſe eò ſponte reducere, quò vix vlla malignitas fortunæ deducere poſſit. Epiſt. 18. Ita ſcilicet ad Lucilium: *Cæterùm adeò mihi placet tentare animi tui firmitatem, vt ex præcepto magnorum virorum tibi quoque præcipiam, interponas aliquot dies quibus contentus minimo, ac viliſſimo cibo, dura atque horrida veſte, dicas tibi; hoc eſt, quod timebatur. In ipſa ſecuritate animus ad difficilia ſe præparet, & contra iniurias fortunæ inter beneficia firmetur. Miles in media pace decurrit ſine vllo hoſte, vallum iacit, & ſuperuacuo labore laſſatur, vt ſufficere neceſſario poſſit. Quem in ipſa re trepidare nolueris, ante rem exerce. Hoc ſequuti ſunt, qui omnibus menſibus paupertatem imitati prope ad inopiam acceſſerunt, ne vnquam expaueſcerent, quod ſæpe didiciſſent.* Et ſtatim: *Tunc mihi crede. Lucili, exultabis, dupondio ſatur, & intelliges ad ſaturitatem non opus eſſe fortuna; hoc enim, quod neceſſitati ſat eſt, debet, etiam irata.*

Amicum non difficilem quæſiturum.

ỽ. 26. Φίλον τε ὁ δεινὸν κτήσεσθαι. Repono ὁ δεινὸν pro ὁ δῖνα, quia quantum alioquin vox hæc Epicuri menti aduerſetur, tum paulò antè dicta de habenda amicis gratia; tum ſubiicienda paullò pòſt de comparatione amicitiæ, déque oppetenda etiam pro amicis morte; tum commemoranda inferiùs Rata illa Sententia ἂν ὁ σοφία, &c tum improbata Epicuro apud Senecam Stilponis opinio, *Sapientem ſeipſo eſſe contentum, & propter hoc amicis non indigere*: tum multa alia, maximè verò πολυφιλία illa, quâ dum viueret, Epicurus floruit, declarant. Quamobrem autem pro οὐδένα, ὁ δεινὸν ſubſtituam, id facit, quòd & minima fiat immutatio, & videatur eodem potuiſſe Epicurus reſpicere, quò Seneca, dum amici deligendi præcepta tradens, *Præcipuè*, inquit, *vitentur triſtes, & omnia deplorantes, quibus nulla non cauſa in querelas placet. Conſtet illi licet fides, & beneuolentia; tranquillitati tamen inimicus eſt comes perturbatus, & omnia gemens.* (de tranquil. cap. 7.) Quò ſpectat & illud M. Tullij, dum, *Simplicem*, inquit, *& communem, & conſentientem, & qui rebus iiſdem moueatur, eligi par eſt; quæ omnia pertinent ad fidelitatem. Neque enim fidum poteſt eſſe multiplex ingenium, & tortuoſum; neque verò, qui non iiſdem rebus moueatur & naturâ conſentiat, aut fidus aut ſtabilis poteſt eſſe.* (lib. de amic.) Et rurſùs: *Accedat huc ſuauitas quædam oportet ſermonum, atque morum haudquaquam mediocre condimentum amicitiæ; triſtitia autem, & in omni re ſeueritas abſit. Habet illa quidem grauitatem; ſed in amicitia remiſſior eſſe debet, & liberior, & dulcior, & ad omnem comitatem, felicitatémque proclinior.* Vno verbo præclarè Horatius poſtquam illud præmiſit,

Poſtera lux oritur multò gratiſſima; namque 1. ſer. Sat. 5.
Plotius, & Varius Sinueſſæ, Virgiliúſque
Occurrunt: animæ, qualeis neque candidiores
Terra tulit, neque queis me ſit deuinctior alter.
O qui complexus, & gaudia quanta fuerunt!

Tum pergit,

Nil ego contulerim iucundo ſanus Amico.

Bona fama catenus curam, quatenus deſpectui non ſit habiturum.

ỽ. 27. Εὐδοξίας ἐπὶ τοσοῦτον προνοήσεσθαι. Quam Epicurus heic adhibet, non poteſt ea eſſe non inculpata, vt loquuntur, cautela. Quippe tametſi Epicurus non diffiteatur apud Plutarchũ (a adu. Col.) ἢ μὴν ἀπὸ δόξης γίνεσθαί τινας ἡδονάς, *etiam ex bona fama nonnullas voluptates proficiſci*; eſſe ſatis nihilominùs putat, ſi quis modò ex ea obtineat, vt contemptui minimè ſit, propter moleſtias, quæ ex contemptu ob famam non bonam ſequuntur, eodem reſpexit etiam Cicero cùm (1. offic.) *Negligere enim*, inquit, *quid de ſe quiſque ſentiat, aut loquatur non ſolùm arrogantis eſt, ſed etiam diſſoluti.* Videlicet res paſſim nota, quàm ſit malè audire miſerum, quámque ex oppoſito melius ſit, vt à Sapiente dicitur, *nomen bonum, quàm diuitiæ multæ:* Sed potuit Epicurus ſpeciatim meminiſſe, quod tunc peruulgatũ erat contigiſſe calumniatoribus Socratis; eos ſcilicet, propter infamiam tanto extitiſſe odio, & contemptui, vt nemo illis ignem accenderet, nemo interrogantibus reſponderet, nemo eadem aqua vteretur in balneo, ſed eam qua lauiſſent, effundi, vt pollutam iuberet; adeò vt idcirco ſe ſuſpenderint, vt legere apud Plutarchum licet. (lib. de inuid. & od. ſer 4.)

Videri poteſt huc pertinere illud Metrodori conſilium, quod apud Stobæum ita legitur, Ἐν πόλει μήτε ὡς λέων ἀναστρέφου, μήτε ὡς κώνωψ. τὸ μὲν γὰρ ἐκπατεῖται, τὸ δὲ ἐπιφυλακεῖται, *Sic in ciuitate verſare, vt neque leo ſis, neque culex: ſiquidem hic exteritur, illi autem inſidiæ tenduntur.* Nimirum, vt tutum non eſt, ob nimiam gloriæ appetentiam ſibi odium conſciſcere; ſic neque iucundum, propter nimiam famæ negligentiam quærere contemptum.

In publicis Spectaculis delectatum præ reliquis iri.

✠. 29. Μᾶλλον τε εὐφρανθήσεσθαι τῶν ἄλλων. Videri poteſt hoc Effatum ex libro, qui *Dubitationes* fuit inſcriptus, deſumptum. Plutarchus quippe ex eo refert deſcribi ab Epicuro Sapientem, φιλοθέωρον, καὶ χαίροντα, παρ' ὅντινα οὖν ἕτερον, ἀκροάμασι καὶ θεάμασι Διονυσιακοῖς, *Spectaculorum amantem, & præ quouis alio recitationibus, actionibúſque ſcenicis gaudentem.* Quo loco nihil ſanè aliud videtur voluiſſe Epicurus, quàm poſſe Sapientem non auerſari ſpectacula (nam & Socratem interfuiſſe comœdiis vel ex eo factum celebre eſt, quòd etiam Ariſtophane Nebulas in ipſum edente præſens fuerit) ac dum intereſſe eum contigerit, percipi ab ipſo maiorem, ſinceriorémve oblectationem, quàm à quocumque alio, ob mentem bene compoſitam, eximiéque tranquillam, & ſanam. Atque id quidem ſupponendo eum eſſe germanum Epicuri textum; nam ipſam alioquin relationem Plutarchi, & quam interpretationem ſubiungit poteſt ſuſpectam facere, quòd aliquantò pòſt & refert, & interpretatur vltimùm conſcriptam ab Epicuro Epiſtolam, paulò ſecùs quàm tantus vir facere debuiſſe videatur, vt in Apologia declarabitur. Certè, niſi hic occurriſſet locus, cui videri poſſet Effatum conforme, nihil obſtiturum fortaſſis fuerat, quò minus Effatum intelligeretur non de exhibitis populo ſpectaculis, ſed de contemplatione rerum, propter quam Sapiens ſingulari oblectatione afficiatur.

Eſſe Peccata inter ſe inæqualia reputaturum.

✠. 31. Ἁμαρτήματα ἄνισα εἶναι. Opponi conſtat Effatum hoc Stoïco illi Paradoxo, quod, cætera inter, Cicero præſertim fecit celebre, ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα, *Eſſe peccata æqualia.* Subnotauit verò Paradoxum hoc Alexander Epicureus, dum apud Plutarchum iocatus in Pythagoricam opinionem, agnoſcentem vbique eaſdem animas, verſum illum extulit:

> Ἶσόν τοι κυάμους ἐσθίειν, κεφαλάς τε τοκήων.
> *Nil diſtat, fabas comedas, capita an ne parentum.*

Perſtrinxit idem magis expreſsè Horatius, dum poſtquam illum præmiſit:

> *Queis paria eſſe ferè placuit peccata, laborant,*
> *Cùm ventum ad verum eſt; ſenſus, moréſque repugnant,*
> *Atque ipſa vtilitas, iuſti propè mater, & æqui.*

Subiecit iſta poſtmodum: 1 ſerm. ſatyr. 3.

> *Nec vincit ratio hoc, tantumdem vt peccet, idémque,*
> *Qui teneros caules alieni fregerit horti,*
> *Et qui nocturnus Diuûm ſacra legerit. Adſit*
> *Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas,*
> *Ne ſcuticâ dignũ horribili ſectere flagello.*
> *Nam vt ferulâ cædas meritum grauiora ſubire*
> *Verbera, nõ vereor; cùm dicas eſſe pareis res*
> *Furta latrociniis, & magnis parua mineris*
> *Falce reciſurum ſimili te, ſi tibi regnum*
> *Permittant homines.*

Prætereo, quæ habet in idem Plutarchus, cùm de Stoïcorum, ac potiſſimùm Chryſippi pugnantibus locis. Sufficit nimirùm ea attexere, quæ Cicero ediſſerit in Opere de Finibus, vbi ad ea reſpondet, quibus Paradoxum aliàs confirmarat. Itaque poſtquàm meminit ſuæ pro Muræna orationis, in qua ex mente Stoïcorum dixerat: *Omnia peccata eſſe paria, omne delictum ſcelus eſſe nefarium; nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cùm opus non fuerit, quàm qui patrem ſuffocauerit*, tum hæc ſubiungit: *Peccata paria, quonam modo? Quia nec honeſto quidquam honeſtius, nec turpi turpius. Perge porrò (nam de iſto magna diſſenſio eſt) illa argumenta propiora videamus, cur omnia peccata ſint paria.* Subinde autem quaſi obiectio eſt, *Vt in fidibus plurimis, ſi nulla earum ita contenta numeris ſit, vt concentum ſeruare poſſit, omnes æquè incontentæ ſint; ſic peccata quia diſcrepant, æquè diſcrepant; paria ſunt igitur.* Reſponſio: *Heic ambiguo ludimur. Æquè enim contingit omnibus fidibus, vt incontentæ ſint; illud non continuò, vt æquè incontentæ. Collatio igitur iſta te nihil iuuat: nec enim omneis auaritias, ſi æquè auaritias eſſe dixerimus, ſequitur etiam, vt æquas eſſe dicamus.* Supponit porrò Cicero eandem reſponſionem adhiberi poſſe ad collationem aliam, quâ vſus fuerat in Paradoxis: *Peccare* eſſe dicens, *tanquam tranſilire lineas; quod cùm feceris, culpa commiſſa ſit; quàm longè progrediare, cùm ſemel tranſieris, ad augendam tranſeundi culpam nihil pertineat.* Quod idem lib. 7.
eſt, ac illud apud Laërtium: *Vt verum vero magis tale non eſt, neque falſum falſo; ita nec fraus fraude, nec peccatum peccato. Nam & qui centum ſtadiis à Canopo abeſt, & qui vno, pariter in Canopo non ſunt; ac pariter à recto abſunt, qui ſeu magnum quid, ſeu paruum delinquunt.* Nempe vno verbo aliud eſt à linea, aut Canopo abeſſe ſimpliciter, aliud abeſſe æqualiter. Et cùm vrgetur in Paradoxis, *Nemini licere peccare*; conſtat eſſe in quibus minus, minúſque, & minimùm liceat. Et dum additur, ſic eſſe in vita, vt dum *hiſtrio, ſi parum ſe mouit extra numerum: aut ſi verſus pronuntiatus eſt ſyllabâ vnâ breuior aut longior, exſibilatur, & exploditur*; conſtat hiſtrionem poſſe imperitiùs, imperitiúſque & ſe mouere, & verſum pronunciare; atque adeò magis, magíſque exſibilari, & explodi. Et cùm initio præmittitur, *peccata non rerum euentu, ſed vitiis hominum metienda*; conſtat eſſe

quoque

lib. 4. parad. 3.

quoque in vitiis, prauóque affectu inæqualitatem. Sed vt redeamus; obiectio iterùm eſt: *Vt Gubernator æquè peccat, ſi palearum nauem euertit, &, ſi auri; ita æquè peccat, qui parentem, & qui ſeruum iniuriâ verberat:* Reſponſio: *Hæc non videre; cuius generis onus nauis vehat ad Gubernatoris artem nihil pertinere? Itaque aurum, paleámne portet, ad bene, aut ad malè gubernandum nihil intereſſe; at quid inter parentem, & ſeruum interſit, intelligi & poteſt, & debet. Ergo in gubernando, nihil; in officio, plurimùm intereſt, quo in genere peccetur. Et, ſi in ipſa gubernatione negligentia eſt, nauis euerſa maius eſt peccatum in auro, quàm palea; omnibus enim artibus volumus attributam eſſe eam, quæ communis appellatur prudentia, quàm omnes, qui cuique artificio præſunt, debent habere. Ita ne hoc modo quidem paria peccata ſunt.* Ac circa illud quidem exemplum de Parente, & ſeruo, exceptio eſt in Paradoxis: *Semel peccari in ſeruo necando; in patris vita violanda, multa peccari; violari enim eum, qui procreauit; eum qui aluit; eum, qui erudiuit; eum qui in ſede, ac domo, atque in Repub collocauit.* Sed conſtat hæc non modo ſimul, ſed & ſigillatim eſſe multò grauiora. Nam violari fac vitam eius, qui tantùm procrearit, eius, qui tantùm aluerit, eius, qui tantùm erudierit, &c. quodlibet horum ſigillatim grauius eſt, quàm ſeruum necare. Obiectio eſt rurſùs: *Quoniam omne peccatum imbecillitatis & inconſtantiæ eſt; hæc autem vitia in omnibus ſtultis æquè magna ſunt; neceſſe eſt paria eſſe peccata.* Reſponſio: *Quaſi verò aut concedatur in omnibus ſtultis æque magna eſſe vitia? & eadem imbecillitate, & inconſtantiâ L. Tubulum fuiſſe, quâ illum, cuius is condemnatus eſt rogatione, P. Scæuolam? & quaſi nihil inter res quoque ipſas, in quibus peccatur, interſit; vt quò hæ maiores, minoréſve ſint, eò, quæ peccentur in his rebus, aut maiora ſint, aut minora?* Prætermittit porrò Cicero illud argumentum, *Pares ſunt virtutes; ergo & paria vitia* Sed fecit fortè quia peruidit nihil oportere aliud quàm inficiari antecedens, de quo par controuerſia ſit, vt aliquantò pòſt attingetur.

Sanitatem, vt in quibuſdam bonum, ſic in aliis vt quid indifferens, agnituram.

¶. 32. Καὶ τὴν ὑγίειαν τισὶ μὲν ἀγαθόν. Sic quidem Laërtius Effatum hoc refert, quaſi duas eſſe Epicureorum de Sanitate opiniones innuat, alteram ſtatuentium eſſe quidpiam bonum, alteram exiſtimantium eſſe quidpiam indifferens. Verùm ſicut inſolens eſt, vt opinionum varietas inter Epicureos audiatur, quemadmodum apud Euſebium
14. de præpar. ex Numenio adnotatum eſt; ita videtur potiſſimum circa Sanitatem improbabile; cùm Sanitas, ſiue is ſtatus, in quo nihil corpori dolet, altera ſummi boni pars ſit, vt fuſiùs poſteà referetur. Itaque aut res ſic eſt accipienda, vt hæc opinionum varietas Philoſophos vniuersè attineat, quaſi id adnotatum Epicurus voluerit, vt quidpiam admiratu dignum, cùm nemo mentis compos ſit, qui non ſanus eſſe, quàm æger præoptet; aut ſic eſt potiùs intelligenda, vt agnoſcere liceat homines ita viuere, vt cùm Sanitas quibuſdam ſit bonum, quatenus illâ bene vtuntur, nullúmque ex ea ſibi malum acceſſunt; videri poſſit aliis eſſe quidpiam indifferens, quatenus ex eius abuſu grauia ſibi mala adſciſcunt. Priore modo videri poſſet Epicurus nihil aliud voluiſſe, quàm quod fuſiùs poſteà deduxit Sextus Empiricus, dum ſcripſit quoſ- adu. Eth.
dam exiſtimaſſe eſſe Sanitatem quid bonum, quoſdam eſſe quidpiam non bonum. Et ex prioribus quidem, alios habuiſſe illam tanquam bonorum maximum, vt Simonidem, vt Licymnum, vt Herophilum, qui in Diætetico dixerit ſapientiam non poſſe oſtendi, artem latere, imbelle eſſe robur, inutileis opes, eloquentiam viribus orbam, vbi non adeſt ſanitas; alios tanquam non maximum, vt Peripateticos, Academicóſque, quos inter Crator, vt rem oſtenderet, vſus eſt hominis fictione, cui applaudat concio, primùm quidem edifferenti eſſe diuitias bonorum maximum; deinde verò edifferenti eſſe ipſam potiùs voluptatem; tum eſſe potiùs Sanitatem; denique eſſe potiùs virtutem. Ex poſterioribus autem, fuiſſe Stoïcos, qui defenderint eſſe Sanitatem quid indifferens, quatenus neque Sanitas, neque morbus, neque omnia corporea, neque externa plurima quicquam aut ad felicitatem, aut ad infelicitatem conducunt; quaſi id indifferens ſit, quo bene licet vti, ac malè; tametſi aliunde voluerint ſanitatem eſſe ex iis indifferentibus, quæ προηγμένα, *Præpoſita*, non ἀποπροηγμένα, *Reiectanea* dixerunt; niſi quòd Ariſto Chius repugnans, declarauit eſſe aliquando in Reiectaneis quidem Sanitatem, in Præpoſitis verò morbum. Poſteriore modo videri poteſt Epicurus, nihil aliud voluiſſe, quàm quod iam antè Socrates apud 4. memorab.
Xenophontem diſſeruerat, cùm dicente Euthydemo ſe exiſtimare Sanitatem bonum, morbum malum eſſe; & quæcumque adeò ad Sanitatem conducunt, cibum, potum, ſtudia, cæteráque eſſe bona; quæcumque ad morbum mala; excepit Socrates: *Eſſe igitur ipſam quoque Sanitatem, ipſúmque morbum, cùm boni cuiuſpiam cauſa fiunt, bona; cùm mali cuiuſpiam cauſa fiunt, mala.* Rogante verò Euthydemo, Quandonam Sanitas cauſa mali, morbus boni effici poſſit: *Tum ſanè*, inquit, *cùm turpi exſiſtente malitiâ, aut nauigatione damnoſâ, aut pluribus aliis huiuſcemodi occaſionibus, ij quidem qui fuerint illarum, ob bonam valetudinem, participes pereunt; qui verò ob inualetudinem ab iis abſtinuerint, incolumes manent.* Euthydemo autem annuente ad hoc quidem, ſed ſubiiciente tamen, eſſe quoque res vtileis, ſiue bona, quæ iſti ob valetudinem aſſequantur, illi non aſſequantur ob inualetudinem; *Cùm itaque*, inquit, *Sanitas, & morbus modò proſint, & modò abſint, non magis bona, quàm mala ſunt.*

Fortitudinem, non quaſi naturâ, ſed quaſi Rationis conſilio ingeneretur, habiturum.

ѵ. 34. Τὴν δ' ἀνδρείαν φύσει μὴ γίνεσθαι. Aliud hoc Effato Epicurus nihil vult, quàm quod apud Platonem Nicias; dum, *Ego quidem,* inquit, *Laches, nequaquam forteis appello brutas animanteis, neque id nominis cuiquam tribuo, quod præ mentis penuria non reformidat res formidabileis; ſed timoris expers, ſtupidúmque appello. An putas me pueros forteis dicere, qui præ imperitia rerum nihil timent? Sed meâ quidem ſententia, aliud eſt timoris expert, aliud forte eſſe; exiſtimóque Fortitudinem, & Prouidentiam in paucos quoſdam cadere; Audaciam verò, Ferocitatem, Temeritatémque quandam inconſultam in multis & viris, & mulieribus, & pueris, & brutis etiam animantibus reperiri. Itaque iſta, quæ tu fortia ex vulgi vſu nominas, ego audacia; fortia verò eadem, quæ Prudentia appello.* Etſi autem Plato aliàs velit Fortitudinem eſſe partim à natura, partim à proba inſtitutione; non negat tamèn Epicurus Fortitudinis ſemina eſſe à natura; ſed contendit ſolùm illa in Audaciam, Temeritatémque emergere, niſi λογισμῷ, *rationis conſilio* regantur. Conſtat nempe, quod Socrates apud Xenophôtem aiebat, vt naſcitur corpus corpore robuſtius perferendis laboribus; ita animâ animâ adeundis periculis vegetiorẽ; cùm hic tamen vigor μαθήσει, καὶ μελέτῃ, *diſciplinâ, & ſtudio* incrementum accipiat; reſpondebat nempe Socrates ad quæſtionem, ἡ ἀνδρεία πότερον ἐστι, διδακτὸν, ἢ φυσικόν; *Fortitudone à doctrina, an à natura haberetur?* idque cùm pleriſque placeret, quod Euripidi, eſſe εὐανδρίαν διδακτόν, *Fortitudinem doctrinâ parari*; eſſéque adeò ἐπιστήμην, *Scientiam*, vt apud Platonem (& Ariſtotele etiam referente) Socrates cenſuit. Vno verbo, cùm Ariſtoteles eum fortem definiat, *qui ea, quæ oportet, & cuius cauſa oportet, & quomodo oportet, & quando oportet,* καὶ ὡς ἂν ὁ λόγος, *& pro rationis dictamine tolerat, & aggreditur*; idipſum eſt, quod Epicurus voluiſſe hoc Effato videtur.

in Lach.

in Protag.

3.memorab.

apud Stob. ſerm.1.

3.cap.10.
3.Eth.11.

Amicitiam ob vſus vitæ (vt dum ſpe prouentus Terra ſeritur) ſibi paraturum.

ѵ. 36. Καὶ τὴν φιλίαν διὰ τὰς χρείας. Lego conſequenter, τό τε, καὶ συγκατασκευάζεσθαι, καθὰ καὶ, pro δεῖν μέν τοι προκατάρχεσθαι, καὶ γὰρ. Siquidem voces δεῖν μέν τοι cohærere non poſſunt, niſi quid amplius præmittatur; & vt cohæreant cum verbo προκατάρχεσθαι, tum falſum erit amicitiam, ſi medium ſit, antecellere vſibus, qui habeant ipſi rationem finis; tum cauſalis ſequens καὶ γὰρ, abſque cauſa erit, aliáque huiuſcemodi, quæ ſenſum aut turbant, aut prædutum faciunt.

Vtcumque ſit, locus hic eſt, ob quem Epicurus non parum vexatur; quando nemo non reprehendit, parari amicitiam, non ſui, ſed vtilitatis gratiâ; & amicos non propter ſeipſos, ſed propter vtilitatem ex ipſis percipiendam amari. Sed iſti nempe qui videri amici præ cæteris volunt, ita rem exaggerant, quaſi id quod Vtile dicitur, tale ſolùm ſit, vt parandis opibus, honoribus, aliiſque id genus rebus vſurpetur; & dici quoque tale non valeat, vt parandis oblectationibus, quibus vita iucundè tranſigatur, inſeruiat. Au eſt certè ipſorum quiſquam, qui amicum parans, non eum ſaltem vſum ex amicitia fore proſpiciat, vt ipſius amici conuerſatione delectetur? vt ſuaue habeat omnia cum ipſo communicare conſilia? vt bene de ipſo merendi occaſionem arripiens amœnitate perfundatur? vt viſcera in eum effundens, & amari viciſſim ſe medullitùs ab illo ſentiens, beatiſſimè æuum traducat? Scilicet poteſt quidem Sapiens, qui & honores non affectet, & tenui victu contentus ſit, facilè carere amico, à quo, aut cuius interuentu, dignitates, opéſque obtineat; at cùm animal ſuapte natura ſocietatis appetens ſit, non perinde poteſt facilè carere amico, quicum omnia, vt ſecum habeat, & in cuius dulciſſima conſuetudine æuum ducens, omne ſolitudinis tædium, importunitatémque deuitet. Quod ſi, ne in hos quidem vſus parandam amicitiam ducant; ſi dicere pergant commercio haberi amicitiam, niſi omnino propter ſe, ſuive gratiâ expetatur; quæſo illorum fidem, qui de ſeipſis ſentiant; hoc eſt, nihil-ne penitùs in ſeſe ipſos reſpiciant, & in paranda amicitia ne voluptatem quidem vllam cogitent, quam ex ipſa ſinceri amici poſſeſſione ſint percepturi? Et, ſi heinc quidem vel minima in amicum officia aut tollerentur, aut minuerentur, poſſet res verti vitio: ſed hoc tantum abeſt, vt potiùs officia multiplicentur, ac intendantur; quatenus voluptas eſt tanta, teſtatum amico facere affectum, & foris, ſeu opere ſuo eum amorem exprimere, quo intus præcordia exardeſcunt. Quinetiam inter ſe non pugnant, amare amicum propter ipſummet, ſeu quia per ſe amabilis eſt; & amare illum ſui gratiâ, ſeu quatenus amans gratè exinde afficitur: quoniam amicus ob proprias doteis eſſe non poteſt amabilis, quin ſit alicui amabilis, atque adeò quin ſit gratus, iucundúſque amico, qui ideò in ipſum amore feratur. Rursùs rem ſic exaggerant, quaſi Epicurus velit duntaxat Sapientem parare amicum, *vt habeat, qui ſibi ægro aſſideat, ſuccurrat in vincula coniecto, & inopi* (quod exſtat apud Senecam) & non etiam, *vt habeat aliquem, cui ipſe ægro aſſideat, quem ipſum circumuentum hoſtili cuſtodia liberet.* Et hoc ſanè tamen Epicurus quoque in deliciis habuit, fructúmque amicitiæ ampliſſimum duxit; ac non tacente præſertim Plutarcho, τὸ εὐθάρσημα, καὶ τὸ γῆθος, *alacritatem, gaudiúmque* illud, quo Metrodoro, Polyæno, & Ariſtobulo tum morbo laborantibus, tum vitâ functis operam, officiúmque impendit, vt iam antè notatum eſt. Quocirca & mirari ſubit Plutarchum ita aliàs interpretari Epicuri ſententiam, vt poſtquam propoſuit eſſe in theatris admirationi illum qui dicit:

Epiſt.9.

2.adu.Col.

de am.lib.

Mercede

Mercede nam quis hominis hominem diligit?

excipiat; *iuxta Epicurum, Pater filium; Mater prolem; ipſi liberi ſuos parentes:* Conſtat nimirùm quàm inuidioſa conſequutione hoc deducatur: cùm ex tot illis in parentes, amicóſque officiis intelligatur nullius minùs, quàm ipſius fuiſſe amorem mercenarium; & ex eo quòd ſibi tot, tamque conſtanteis amicos parauit, ac habuit, neminem meliùs intellexiſſe, ac proprio exemplo docere potuiſſe, quod Hecaton ait apud Senecam, Epiſt. 9. dum, *Ego*, inquit, *tibi monſtrabo amatorium ſine medicamento, ſine herba, ſine vllius veneficæ carmine; ſi vis amari, ama.*

At obiici quidem heic poteſt commune illud Epicuro, cum pleriſque aliis Effatum, Cic. orat. pro Sext. *Sapientem omnia ſui causâ facturum*; ſed cùm rursùs ſit de ipſo dicendum, tum hoc loco conſtat nihil aliud poſſe ex eo deduci, quàm Sapientem, dum amicum parat non poſſe non reſpicere ad oblectationem, quam ex illius amicitia percepturus ſit. Certè & tametſi quis aduerſus illud, Lucan.

Nulla fides vnquam miſeros elegit amicos;

miſerum amicum ſponte eligat; non tamen ſine aliquo tacito reſpectu ad ſe faciet, quatenus ſcilicet ſpes erit, vt res ſibi laudi vertatur, tanquam pleniſſima humanitatis; vt beneficentiam ſuauiſſimè exerceat in virum dignum experiri æquiorem fortunam; vt ſi illi res ſuccedant in meliùs, habiturus ſit amicum tantò obſtrictiorem; & niſi ſuccedant, agniturus ſaltem in eo ſit animum gratitudinis plenum. Prætermitti porrò hoc loco non poteſt, quod præclarè habet Ariſtoteles, cùm de Amicitia diſputans, dubitari ait inter cætera, Vtrùm amare maximè ſeipſum, an alium oporteat? Docet ſcilicet vnúmquemque amare maximè ſeipſum, & tum ex hac in ſe amicitia dimanare amicitiam in alios; tum quadrare in ipſam, & ea omnia, quibus amicitia vulgò definitur, & trita illa 9. Ethic. 8. Prouerbia, *Anima vna*, ſeu (vt Cicero habet, *Alter idem*) *Amicorum omnia communia*; *Amicitia æqualitas*, *Genu crure propius*: tum qui id negant eorum facta ab oratione diſcrepare. Nam cùm nonnulli maximi faciant pecuniam, honores, voluptates corporeas; alij honeſtatem, ſeu iuſtitiam, temperantiam, virtutes alias; ita omneis omnia ſui causâ facere, vt illi ſibi ex illis bonis, iſti ex iſtis ampliùs tribuant, vt putà in quibus habendis præcellere non-nemini velint. Id quidem diſcriminis eſſe, quòd reprehendi priores ſoleant, ac opprobrij loco φίλαυτοι quaſi *ſui* nimiùm *amantes* vocentur, quippe quod ferè improbi ſint, ſibique ipſis ſolùm proſint; poſteriores autem laudari, quòd ſui ſic amantes, vt ſimul viri boni ſint, & alios quammaximè iuuent. Cæterùm autem bonos hos viros tantò eſſe reuerâ φίλαυτοι μάλιστα, *amanteis ſui maximè*, quantò, cùm homo conſtet ex corpore, & animo, & animus ſit potior pars, cæteris illa amantibus, quæ ad deteriorem partem pertinent, ipſi illa depereunt, quibus potiori gratificentur. Heinc eſſe quamobrem pecuniam profundant, vnde amicorum res amplificentur; ſic enim amicis diuitias; ſibi id, quod eſt maius bonum, honeſtum quærunt: heinc honores quoque, & dignitates concedere, quia id ſibi decorum ſit; quin cedere etiam illuſtreis actiones, quia fieri amico authorem rerum agendarum, quàm agere ipſum, ſit plærumque præclarius. Atque ille quidem hæc fuſiùs, qui etiam declarat ſubinde, cùm quis pro amico moritur, idipſum facere ſui gratiâ, ac ſe quoque tunc amare, magiſquàm amicum: ſed res dicenda poſteriùs eſt. An addam heic quod habet Lucianus in Apologia pro mercede conductis, *Equidem apertè pronuntio*, ait, *neminem quicquam facere gratis, ne ſi vel maximarum rerum adminiſtratores obieceris, quando nec ipſe Princeps mercedis eſt expers. Non his dico tributa nec vectigalia, quæ per ſingulos annos à ſubditis penduntur; verùm Principi maxima fuerit merces ſi à laudatis laudetur, ſi nomen eius ab omnibus celebretur, ſi beneficiorum nomine Numinis vice adoretur*, &c. An addam etiam illud, quod Cicero habet, dum illos reprehendens, qui gratum ſe facere mortuis, ſi eos grauiter lugeant, arbitrantur, exiſtimantes ſe faciliùs Diis immortalibus ſatisfacturos, ſi eorum plagâ perculſi, afflictos ſe, & ſtratos eſſe fateantur, *Sed hæc inter ſe*, 3. Tuſcul. inquit, *quàm repugnent plerique non vident: Laudant enim eos, qui æquo animo moriantur; qui alterius mortem æquo animo ferant, eos putant vituperandos: Quaſi fieri vllo modo poſſit, quod in amatorio ſermone dici ſolet, vt quiſquam plus alterum diligat, quàm ſe? Præclarum illud eſt, &, ſi quæris, rectum quoque, & verum, vt eos, qui nobis cariſſimi eſſe debeant, æquè ac noſmetipſos amemus; vt verò plus, fieri nullo pacto poteſt. Ne optandum quidem eſt in amicitia, vt me ille plus, quàm ſe amet, ego illum plusquam me. Perturbatio vitæ, ſi ita ſit, atque officiorum omnium conſequatur.*

Sed ne longum faciam, & ad Epicuri ſententiam vt redeam; heic opponere id ſufficiat; quod de ea apud Ciceronem à Torquato diſſeritur. Is itaque poſtquam propoſuit quam-multos, quam-magnos, quantáque amoris conſpiratione conſentienteis amicos Epicurus tenuerit, ſubdit: *Tribus igitur mo-* 1. de fin. *dis eſſe à noſtris de Amicitia diſputatum. Alij enim cùm eas voluptates, quæ ad amicos pertinerent, negarent eſſe per ſeipſas tam expetendas, quàm noſtras expeteremus (quo loco videtur quibuſdam ſtabilitas amicitiæ vacillare) tuentur tamen eum locum, séque facilè, vt mihi videtur, expediunt. Vt enim virtutes, de quibus ante dictum eſt, ſic amicitiam negant à voluptate poſſe diſcedere. Nam cùm ſolitudo, & vita ſine amicis, inſidiarum, & metus plena ſit; ratio ipſa monet amicitias comparare, quibus partis confirmatur animus, & à ſpe pariendarum voluptatum ſeiungi non poteſt. Atque vt odia, inuidiæ, deſpicationes aduerſantur voluptatibus, ſic amicitiæ non modò fautrices fideliſſimæ, ſed etiam effectrices ſunt voluptatum tam amicis, quàm ſibi; quibus non ſolùm præſentibus fruuntur, ſed etiam ſpe eriguntur conſequentis, ac poſteri temporis. Quod quia nullo modo ſine amicitia firmam,*

&

& perpetuam incunditatem vitæ tenere poſſumus; neque verò ipſam amicitiam tueri; niſi æquè amicos, & noſmetipſos diligamus; idcircò & hoc ipſum efficitur in amicitia, & amicitia cum voluptate connectitur; nam & lætamur amicorum lætitiâ. æquè ac noſtrâ, & pariter dolemus angoribus. Quocirca eodem modo Sapiens erit affectus erga amicum, quo in ſeipſum; quoſque labores propter ſuam voluptatem ſuſcipiet propter amici voluptatem Et ſtatim: *Sunt autem quidam Epicurei timidiores paullo contra veſtra conuitia, ſed tamen ſatis acuti, qui verentur, ne ſi amicitiam propter noſtram voluptatem expetendam putemus, tota amicitia quaſi claudicare videatur. Itaque primos congreſſus, copulationéſque conſuetudinum. inſtituendarum amicitiarum. fieri propter voluptatem; cùm autem vſu progrediens familiaritatem effecerit, tum amorem efflorescere tantum, vt etiam ſi nulla ſit vtilitas ex amicitia, tamen ipſi amici propter ſeipſos amentur. Etenim ſi loca. ſi fana, ſi vrbeis, ſi gymnaſia ſi campum, ſi canes. ſi equos, ſi ludicra exercendi, aut venandi conſuetudine adamare ſolemus; quanto id in hominum conſuetudine facilius fieri poterit, & iuſtius?* Pergit: *Sunt autem, qui dicunt fœdus quoddam eſſe ſapientum, vt ne minus amicos, quam ſeipſos diligant; quod & fieri poſſe intelligimus & ſæpe id videmus, & perſpicuum eſt, nihil ad iucundè viuendum reperiri poſſe, quod coniunctione tali ſit aptius.*

Felicitatem ſoli Deo ſummam: Homini eam competere quæ magis, ac minùs recipiat, exiſtimaturum.

℣. 41. Τὴν εὐδαιμονίαν διχῆ νοεῖσθ: Addo, legóque ſtatim pòſt, καὶ ἄλλην, &c. ad vſque προσθήκην, pro τὴν ἔχουσαν καὶ τὴν. Videlicet, vt prius membrum cum poſteriore congrueret, addendum fuit, καὶ ἄλλην, & vt poſterius cum priore, cætera fuere interiicienda. Meminimus iam huiuſce Effati, cùm de beatitudine in tormentis. Proponitur autem, vt homo tentet in ſeſe deſcendere; ne cùm Felicitas
Cic. 5. Tuſc. definitur, vt ſolet vulgò fieri, *Secretis malis*
Boet lib. 3. *omnibus, cumulata bonorum complexio*; vel
proſ. 2. etiam, *Status omnium bonorum aggregatione perfectus* aut alio modo conſimili; præſumat, donec vitam hanc viuit, poſſe ſe huiuſcemodi felicitatem aſſequi, quippe quæ ſoli Deo competat, aut cuius certè non poſſimus participes euadere, niſi in vita alia, quæ nos poſt hanc mortalem maneat, vt nos equidem. profitemur, niſi iuxta illud Ariſtotelis, Τοῖς
10. Ethic. 8. μὲν γὰρ θεοῖς πᾶς ὁ βίος μακάριος, τοῖς δ' ἀνθρώποις ἐφ' ὅσον ὁμοίωμα τι τῆς τοιαύτης ἐνεργείας ὑπάρχει. *Diis enim immortalibus omnis vita beata eſt; hominibus autem, quatenus ſimulacrum aliquod talis functionis habent.* Quippe, iuxta iam memorata, Effati verba non aliò tendunt, quàm vt intelligamus, nullam eſſe inter homines felicitatem, quæ valeat, pluſquàm comparatè, felicitas dici; hoc eſt, cùm nulla, quæ abſolutè ſeu qualis deſcripta mox eſt, Ipſis competat; contingere ſolùm, vt, cùm omnes homines aliqua ratione infelices ſint (affecti nempe quibuſdam malis, aut priuati quibuſdam bonis) ſed hi quidem plus, illi verò minùs; hi iſto, illi alio modo; felices tamen illi dicantur, qui minùs infelices ſunt; & illi omnium feliciſſimi, in quibus eſt minimùm infelicitatis. At dices, quónam ergo euadent magnificæ illæ, quibus ſe efferre Philoſophi ſolent, pollicitationes? Scilicet, quæ modum excedunt, vt inanes ſunt, ſic fumus euadent; quæ non excedunt, ampliùs aut minùs, prout varietas circumſtantiarum erit, conſtabunt. Homines enim vtplurimum, qui qualéſque ſint non agnoſcunt; & vanitati, ambitioníque inexplebili connutriti, deberi ſibi felicitatem, non cuius pro naturæ ſuæ conditione capaces ſint, ſed qualem ſomniant, qualemque optarent ſibi obtingere, opinantur. Non nôrunt, quàm curta ſibi ſit ſuppellex, & non cogitantes ſe humi affixos, videntur ſibi ipſis caput inter Sidera condere, ac mortalitatis obliti, vno ſe Ioue minores ducunt, immò & dignos reputant, qui ex pari cum illo viuant. At qui bona fide ſecum ipſis agunt, ij aduertunt primùm, quàm ſit imbecilla humanæ naturæ conditio; quantæ malorum ſegeti ab exortu vſque ad mortem obnoxia, ac tum felicitati vertunt, ſi in eo ſtatu viuere liceat, non qui bonorum omnium, ſed qui aliquorum complexio ſit; & à quo mala non omnia, ſed quàm multa, & magna licet, ſecernantur. Nimirùm Sapientiam eò non euehunt, vt nos ab omni eximat malo, omni bono nos cumulet; vt omnem proinde miſeriam expellat, felicitatem omnem inducat; ſed multùm præſtare eam putant, ſi cùm omnes miſeri ſint, quam minimùm miſeros reddat; & cùm, quò minùs quis eſt miſer, eò habeatur felicior; inter eos, qui felices ſunt, feliciſſimos omnium faciat.

Imagines, ſi quas habuerit, in Porticibus, alibi-ve indifferenter collocaturum.

℣. 4. Εἰκόνας τε ἀναθήσει, εἰ ἔχοι. Quod ſe- Pag. 45.
quitur ſtatim, ἐν στοαῖς repoſitum eſt pro ἂν σχοίη, ex quo profectò nihil ſenſus elicias. Eò verò ſolùm rendit Effatum, vt intelligamus non fore præter decorum ſapientiæ, erigere, appendere, habere adeò imagines in
propatulo collocatas. Sic legimus certè Ari- ap. Laërt.
ſtotelem teſtamento mandaſſe Imagines va- lib. 5.
rias, vt Nicanoris, Proxeni, Arimneſti, matris ſuæ, & matris Nicanoris, quas fieri curârat, neque perfectæ adhuc erant, ἀναθεῖναι, *appendi*. Sic & Theophraſtum poſteà iuſſiſſe Ariſtotelis ipſius imaginem ſtatui in ſacello, & Lyconem ſuam ipſius ſtatuam, vbi maximè foret commodum. Interim verò illud, εἰ ἔχοι, *ſi habuerit quidem*, inſinuat nihil eſſe neceſſe, vt oſtententur imagines; vnde & ipſe Epicurus nihil ſimile ſuperioribus teſtamento ſuo cauit fieri; tametſi eius ſectatores ipſius imaginem non modò in cubiculis, tabuliſque, ſed etiam in poculis, annuliſque haberent, vt ex Cicerone, ac Plinio alibi memorauimus Negligi autem hæc poſſe cenſuit, quòd vt eſt in Ratis Sententiis, καὶ στεφάνου, καὶ ἀνδριάντων ἀναθέσεως, *Corona, & Statuarum collocationes*

collocationes(ſeu dicationes mavis)ex iis rebus ſint, quarum neque naturalis ſit, neque neceſſaria appetitio. Vnde & eòdem facit vox ἀδηφόρως. quæ ad loci delectum ſpectat, párque eſt pene voci illi Atiſtotelis εἰς Νεμέαν, ἢ ὅπου ἂν δοκῇ, *Nemea collocator, aut vbi viſum*
lib 1.ep.1. *fuerit.* Sic Cicero ad Atticum, *Hermathena tua valde me delectat; & poſita ita belle eſt, vt totum Gymnaſium* ἰδίᾳ *anathema eſſe videatur.*
Ep.3. *Quod ad me de Hermathena ſcribis per mihi gratum eſt ornamẽtum Academiæ proprium meæ: quòd & Hermes commune omnium, & Mineruæ ſingulare eſt eius Gymnaſij. Quare velim, vt ſcribis cæteris quoque rebus quamplurimis eum*
Ep. *locum ornes. Quæ mihi ſigna, &c. Tu velim quæ Academiæ noſtræ paraſti quam-primum mittas. Mirum, quàm loci illius non modò vſus. ſed*
lib.4.ep.9. *etiam cogitatio delectet. Sic literis ſuſtentor, & recreor, malóque in illâ tua ſedecula, quam habes ſub imagine Ariſtotelis ſedere, quam in iſtorum ſella curuli, tecúmque apud te ambulare, quàm, &c.*

Eum ſolum rectè de Muſica, Poëticáque verba facturum.

✝. 6. Μόνον τε τὸν σοφὸν ὀρθῶς. Quo ſenſu Epicurus putârit poſſe rectè verba inſtitui de huiuſmodi Artibus, intelligi debet ex iis, quæ fuſiuſculè diſſeremus libro Apologiæ octauo. Nimirùm cùm exiſtimarit, aut nihil, aut parum eſſe bonæ frugis, quod ex iis poſſit percipi; idcircò putaſſe videtur Sapientem ita de ipſis verba facturum, vt cùm vulgò eas cæteri aut commendent, aut complectantur; ipſe potiùs vituperet, declinandáſque doceat; aut ſeponendo certè pauca, quæ retineri valeant, quod ſupereſt, ipſas
lib.10. de Rep. omninò eliminandas ſuadeat. Quippe quod Plato de altera, Poëtica nempe, ſpeciatim cenſuit, dum ex ea nihil aliud, quàm laudes Deorum, virorúmque fortium retinendas voluit, &, cætera quod attinet, exterminandam penitùs è Republica autumauit, quòd & animos faciat humileis Inferorum formidine, & nullum ſit flagitij, nequitiæque genus, ad quod non exemplis Deorum, Heroúmque inſtituat: idem Epicurus de vtraque cenſuit, hoc eſt etiam de Muſica, quam corruptricem pariter morum bonorum re-
2.adu.Col. putauit. Hinc tametſi Plutarchus fortè, iuxta ante-dicta, aliquid impoſuit, ſcribens, ſuadere Epicurum ſtudioſis bonarum artium Regibus, στρατηγικὰ διηγήματα, καὶ φορτικὰς βωμολοχίας ὑπομένειν μᾶλλον ἐν τοῖς συμποσίοις, ἢ λόγους περὶ μουσικῶν, καὶ ποιητικῶν προβλημάτων περαινομένους, *vt ferant potiùs in conuiuiis militaria geſta narrari, aut ſcurrilitates faſtidioſas interſeri, quàm quæſtiones de Muſicis, & Poëticis rebus diſceptari:* id feciſſe tamen Epicurus poteſt, quòd nihil quoque bonæ frugis in his quæſtionibus contineri cenſuerit. Nempe ex
Epiſt.88. hoc genere erant, *Libidinoſior Anacreon, an ebrioſior vixerit? An Sappho publica fuerit? & alia, quæ erant*, inquit Seneca, *dediſcenda, ſi ſcires.* Et quamvis non omnes huiuſmodi ſint; reputauit tamen eas magis ſuperfluas, quàm vt vtiliora requiri non debeant. Sic certe ad mentem illius idem Seneca, *Quæris*, inquit, *vbi Vlyſſes errauerit, potius quàm efficias, ne nos ſemper erremus. Non vacat audire, vtrùm inter Italiam, & Siciliam iactatus ſit, an extra notum nobis orbem; neque enim potuit in tam anguſto error eſſe tam longus. Tempeſtates animi nos quotidie iactant, & nequitia in omnia.* Et mox: *Quid inquiris, an Penelopa impudica fuerit? an verba ſæculo ſuo dederit? an Vlyſſem illum eſſe, quem videbat, antequam ſciret, ſuſpicata ſit? Doce me quid ſit pudicitia, & quantum in ea bonum; in corpore an in animo poſita ſit? Ad Muſicam tranſeo. Doces me quomodo inter ſe acutæ, ac graues voces conſonent; quomodo neruorum diſparem reddentium ſonum fiat concordia: Fac potiùs, quomodo animus ſecum meus conſonet, nec conſilia mea diſcrepent. Monſtras mihi, qui ſint modi flebiles; monſtra potiùs, quomodo inter aduerſa non emittam flebilem vocem.*

Poëmata, ſiue figmenta Poëtarum, ignoraturum; necdum aliqua elucubraturum.

✝. 8. Ποιήματά τε ἀγνοεῖν, οὐκ ἂν ποιῆσαι. Retinueram quidem, Apologiam ſcribens, vulgarem lectionem, Ποιήματά τε ἐνεργεῖν, οὐκ ἂν ποιῆσαι, ac ipſi interpretationem non planè incongruam adhibueram; ſed planius eſt tamen ita legere, vt intelligamus placuiſſe Epicuro, non eſſe, cur ſapiens legendis, addiſcendiſve Poëmatibus (tantum abeſt vt etiam in conficiendis) tempus terat; quòd Poëmata leporem amittant, Poëmatáque adeò non ſint, niſi fictionibus, phraſibúſque hyperbolicis ſcateant, hoc eſt, niſi compoſita, comparatáque aduerſus veritatem ſint, cuius vnius ſtudio nihil eſſe debeat ſapienti antiquius. Suaderi autem lectio poteſt, tum ex variis locis, quæ citata in eadem Apologia ſunt, tum ex eo maximè, quo apud Plutarchum Epicurus iubet, ποιητικὴν de ſud.po. φεύγειν, καὶ παρεκκλίνειν, *Poëticem fugere, intactámque prætergredi*; & eo, quo apud Em- adu.Gram. piricum Poëſis declaratur ab Epicureis, οὐχ ὡς ἀνωφελὲς τῷ βίῳ, ἀλλὰ καὶ βλαβερώτατον, *non modò vita inutilis, verùm etiam maximè noxia*: & eo rurſus, quo apud Heraclidem habetur in Alleg. ab Epicuro, ὀλέθριον μύθων δέλεαρ, *pernicioſum* Homer. *fabularum ineſcamentum*; quod quidem eſt amplius, quàm illud Torquati de Epicuro loquentis, *An ille tempus in Poëtis euoluendis* 1.de fin. *conſumeret, in quibus nulla ſolida vtilitas, omniſque puerilis eſt delectatio?* Nempe eòdem ſpectat, quò illud Velleij, dum conqueritur, quòd *ſuauitate ipſa nocuerint vocibus Poëtarum* 1.de nat.D. *fuſa, qui & irâ inflammatos, & libidine furenteis induxerunt Deos, fecerúntque*, &c. planè quaſi ſubſcribens Xenophani, cuius verſus leguntur apud Empiricum,

> Πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρός θ' Ἡσίοδός τε
> Ὅσσα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνείδεα, καὶ ψόγος ἐστί,
> Κλέπτειν, μοιχεύειν τε, καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν.
> *Attribuere Diis cuncta Heſiodúſque, & Homerus,*
> *Quæ ipſi mortales probroſa, nefandáque ducunt,*

Furta,

Furta, & adulteria, & fraudeis queis mutua fallunt.

Cornelius Nepos in vita Attici, *Attigit quoque Poëticen*, inquit, *credimus ſic ei ne expers eſſet ſuauitatis; namque verſibus qui honore rerúmque geſtarum amplitudine cæteros Rom. Populi præſtiterunt expoſuit ita vt ſub ſingulorum imaginibus facta, Magiſtratus eorum non amplius quaternis quiniſque verſibus deſcripſerit, quod vix credendum ſit tantas res tam breuiter potuiſſe declarari.*

Alium alio ſapientiorem futurum.

℣. 10. Καὶ εἶναί τε ἕτερον ἑτέρου σοφώτερον. Lego initio Καὶ εἶ τε: cùm Aldobrandinus legat ἐκ εἶναί τε, Stephanus οὐ κατὰ τε, mss. habeant οὐ κατὰ τε, & in Baſileenſi Editione vt poſtremæ voculæ ſuperioris Effati, ſic quatuor primæ iſtius deſint, ſuperſintque ſolùm hæ duæ ἑτέρου σοφώτερον. Lego, inquam, non tam quòd hæc variatio ſubeſſe quidpiam mendi inſinuet, quàm quòd præter mentem Epicuri ſit, vt non ſit alius alio ſapientior. Quippe tum ipſe varios in Sapientia gradus agnoſcit, dum & Metrodoro inferiorem facit Hermachum; & gloriatur ipſe *non toto aſſe ſe paſci, Metrodorum, qui non tantùm profeceris, toto*, vt refertur à Seneca: tum res arguitur ex eo, quòd, vitia inæqualia conſtituens, vt non multò antè eſt viſum, non potuit non habere virtutes ipſis oppoſitas inæqualeis; neque adeò non inæqualeis ipſos ſapienteis, qui ob virtutes tales ſunt; cùm reipsâ virtutes, & ſapientia non diſtinguantur. Certè Cicero dum hæc Paradoxa Stoïcorum copulat, ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα, καὶ τὰ κατορθώματα, *Paria eſſe peccata & rectè facta paria*, in hunc modum argumentatur: *Quod ſi virtutes pares ſunt inter ſe; paria eſſe etiam vitia neceſſe eſt, Atqui pareis eſſe virtutes, nec bono viro meliorem, nec temperante temperantiorem, nec forti fortiorem, nec ſapiente ſapientiorem* (quo loco ſapientia pro prudentia accipitur) *poſſe fieri, facillime poteſt perſpici*. Quod quidem commemoro ſolum ob paritatem argumenti; cæterùm enim vt vitia, ſic inæqualeis eſſe virtutes probat Epicurus non modò cum Ariſtotele, Platone, cæteriſque Philoſophis, verùm etiam cum tota penè vniuerſitate generis humani, quæ vt illis probra, ſimpliciáque imparia, ſic iſtis encomia, præmiáque imparia diſtribuit. Pigeat autem aduerſus Stoicos vrgere quicquam aliud, quàm quod Plutarchus aduerſus Chryſippum habet, dum illum vel ex eo reprehendit, quòd fore admittat laudationem frigidam, ſi quis hominem commendare aggreſſus, efferat illum, *quòd digitum fortiter extenderit, quòd à vetula moribunda continenter abſtinuerit; quod morſum muſca conſtanter pertulerit; quòd dicentem tria non eſſe quatuor, non impatienter audierit. Si enim*, inquit, *frigidus eſt, qui iſthæc laudat; multò vtique frigidior eſt, qui vnumquodque horum pro rectè facto, non modò magno, ſed maximo etiam aſſumit. Nam ſi muſca morſum perferre æquale eſt cæteris, quæ ad virum fortem pertinent, & abſtinere à vetula cæteris, quæ ad temperantem; nihil, vt puto intereſt, ab vtris virum bonum laudemus.* Neque obſtat, quod Cicero in Stoicorum gratiam inſtat, dum allatis eorum exemplis, qui in leuiore materia rectè, in grauiore prauè ſe gerant, *Vna*, inquit, *virtus eſt, conſentiens cum ratione, & perpetua conſtantia Nihil huic addi poteſt, quo magis virtus ſit, nihil demi, vt virtutis nomen relinquatur.* Nam vniuersè quidem omnis virtus eſt conſentiens quædam cum ratione & perpetua conſtantia; ſed ſpeciatim tamen virtutes, manentes huiuſcemodi, tam eſſe inter ſe inæquales poſſunt; quàm cùm Homo vniuerſe conſtet ex capite, trunco, brachiis, cruribus; poſſunt ſpeciales homines, manentes huiuſcemodi, eſſe inter ſe inæquales. Eòdem ſpectat propemodùm quod Seneca ſpecialiùs de ipſa Sapientum æqualitate ait, *Quicumque*, inquit, *fuerint ſapientes, pares erunt, & æquales. Habebit vnuſquiſque ex his proprias doteis, alius erit affabilior, alius expeditior, alius promptior in eloquendo, alius facundior; illud, de quo agitur, quod beatum facit, æquale erit in omnibus.* Nempe vniuersè quidem, ſeu virtus eſt, ſeu ſapientia, quæ beatum facit; ſed ſpeciatim tamen virtus, ſeu ſapientia eſt in his, quàm in illis perfectior; vnde & efficitur quoque, vt iſte ſit, quàm ille beatior. Præoccuparat ille, *Inter cætera hoc habet boni Sapientia; nemo ab altero poteſt vinci, niſi dum aſcenditur; dum ad ſummum perueneris, paria ſunt; non eſt incremento locus: ſtatur.* At quotuſquiſque ille eſt, quem perueniſſe dicat ad ſummum? Qui non ſentiat ſe poſſe adhuc magis, magiſque proficere? Et, ſi arcendi ſunt à numero Sapientum, quicumque proficere adhuc poſſunt; ecquis denique non arcebitur? Et quàm erit proinde nomen Sapientis, ac Sapientiæ vanum? Et quàm iure omnia illa vrgebuntur, quæ Lycinus ille in Hermotimum apud Lucianum congerit?

Epiſt. 18.

in Parad.

de Stoic. repug.

loc. cit.

Epiſt. 79.

Lucian.

Si quid eguerit, pecuniam quidem, ſed ex ipſa ſola Sapientiæ profeſſione comparaturum.

℣. 12. Χρηματίσεσθαί τε, ἀλλ' ἀπὸ μόνης σοφίας ἀπορήσαντα. Congruit hoc Effatum cum ſuperioribus, μὴ πτωχεύσειν, *non mendicaturum*, & κτήσεως προνοήσεσθαι, *rei familiaris curam habiturum*. Et quod voluerit quidem Epicurus, niſi quæ ad vitam traducendam neceſſaria ſunt, ſuppetant, comparare illa Sapientem non mendicando, ſed ad Sapientiam ſtudioſos ita erudiendo, ſicque de ipſis bene merendo, vt experturus ſit non ingratos; ideò fecit, quòd hac ratione Sapiens non rem illiberalem faciat, ſed laudabiliſſimam potiùs; & ad ſapientiam alios inſtituens, inque eius ſtudio ſemper occupatus, tum inſtitutum ſemper tueatur, tum proficere quoque ſemper valeat. Quod ſupereſt, nihil eſt addendum ad ea, quæ circa Effata memorata dicta iam ſunt; niſi quòd iſtud ſatis expreſsè apud Porphyrium recenſetur, cùm 1. de Abſt.

de

de Epicureis loquens dicere eos ait: Δεῖν ἐν ἑτοιμαζόμενον τὰ ἀναγκαῖα προσθήκῃ τῇ φιλοσοφίᾳ χρῆσθαι, *oportere eum, qui parata non habet neceſſaria, adhibere ipſam quaſi in ſubſidium, Philoſophiam* Et ſtatim, Κακῷ γὰρ φροντιστῇ τὰ καθ' ἑαυτοὺς ἐπιτρέψομεν ἄνευ φιλοσοφίας, τὸ ἀναγκαῖον συμμετρήσομεν τῆς φύσεως, καὶ παρασκευάζοντες, *Malo ſcilicet conſultori earum rerum arbitrium, quæ noſtra interſunt, permittimus, ſi quod naturæ eſt neceſſarium, ſine Philoſophia & metimur, & apparamus.* Concluditur autem, Διὸ φιλοσοφοῦντα δεῖ καὶ τούτων φροντίζειν, *Quare oportet philoſophantem de huiuſmodi rebus ſibi prouidere.* Ac ne quis fortè hanc prouidentiam in Epicuro vituperet, vt videlicet quis ad vitam neceſſaria ſibi conquirat, priuſquàm deſideat, ſeu vitamquietam ad philoſophandum inſtituat; ecce Ariſtoteles inter cætera, quæ huic rei affinia habet, *Interdum*, inquit, *quæ ſunt meliora, non itidem magis eligenda ſunt; non enim, quòd meliora ſint, ideò ſunt magis eligenda.* Τὸ γὰρ φιλοσοφεῖν βέλτιον τοῦ χρηματίζεσθαι, ἀλλ' οὐχ αἱρετώτερον τῷ ἐνδεεῖ τῶν ἀναγκαίων, *Philoſophari enim eſt melius, quàm pecuniam conquirere; ſed non illi tamen magis eligendum, qui rebus neceſſariis eget.* Nempe, quo penè ſenſu docet, abſurdum eſſe ſimul ſcientiam, & modum ſciendi quærere, inſinuat, priuſquam quis ſe ad philoſophandum accingat, quærendum eſſe id, ſine quo philoſophari commodè non licet. Quippe quaſi animus diuertendus à ſuauiſſimis ſtudiis importunè ſit, ſi in dies intercurrat rerum neceſſariarum ſollicitudo. Collineat certè huc illud votum:

3. Topic. cap. 2.

Horat. 1. Epiſt. 18.

Sit bona librorum, & prouiſæ frugis in annum
Copia, ne fluitem dubiæ ſpe pendulus horæ.

Obſequium Principi, ſi occaſio popoſcerit, exhibiturum.

ꝟ. 14. Καὶ μόναρχον ἐν καιρῷ θεραπεύσειν. Talis occaſio præſertim erit, ſi aduocetur à Principe, qui ſit Sapientiæ adeò ſtudioſus, vt optaturus fuerit, quemadmodum Plutarchus ait, fieri ex Pericle, aut Catone, Simo ille Cerdo, aut literator Dionyſius, ſi modò Socratem aſſidentem, colloquentémque foret habiturus. Huiuſcemodi enim occaſione vetari non debet, ne, quod idem ait, *Aulicus* vocetur, ὡς θεραπευτικὸς, *Principis colens* vir; quando propter vtilitatem hinc publicè dimanaturam, facturus eſt rem honeſtatis, humanitatiſque pleniſſimam, & homine non ambitioſo, ſed virtutis ſtudioſo dignam. Heinc & commendat illam ſententiam ex Epicuro antè relatam, *Eſſe non modò pulchrius, verùm etiam iucundius beneficium dare, quàm accipere*: vt inferat longè pulcherrimam, iucundiſſimámque rem fore, beneficium conferre in Principem, ex quo ad tam multos ſit redundaturum. Prætereo quæ ſubdit ad hanc rem præclara, adnotóque ſolùm quod vbi retulit adſtitiſſe Anaxagoram Pericli, Platonem Dioni, Pythagoram Principibus Italis; & aliunde Catonem ab expeditione nauigaſſe ad Athenodorum, & Scipionem acceſſiſſe Panætium, rogat num Panætius abnuere debuiſſet, & ad Scipionem

de diſſer. cum Princ.

hæc dicere? *Si eſſes quidem Cato, vel Pollux, aliuſve aliquis priuatus, qui ciuitatem refugiens, & aliquo in angulo otiatus ſyllogiſmos retexeres, & de Elenchis philoſophareris, conditionem amplecterer, verſarérque tecum libenter. Nunc verò, quia Pauli Æmilij, eius, qui duos egit Conſulatus, es filius, ac Scipionis eius Africani nepos, à quo fuit deuictus Carthaginienſis Annibal; nolo tecum philoſophari.* Et quia poſſet quæri cur Plato non modò ad Dionem, ſed ad Dionyſium quoque acceſſerit, neque imitatus fuerit Heraclitum, qui ad Darium, honorificis licet inuitatus literis, quas Laërtius habet, proficiſci noluit: Reſpondet Plutarchus ſperaſſe Platonem, ſe conſequuturum, vt Dionyſius operibus dogmata, & præcepta Philoſophiæ repræſentaret; at Dionyſium repertum fuiſſe quaſi librum, in quo quæ ſcripta ſunt, rursùs expunguntur; quippe iam planè commaculatum, neque tincturam tyrannidis, quæ temporis longinquitate facta iam impenetrabilis, indelebiliſque fuerat, dimittentem. Heinc verò dixi Principem, *qui ſit adeò Sapientiæ ſtudioſus*, &c. Alioquin enim Sapiens ad illum, cuius non fuerit indoles ſatis explorata, non facile accedet; quòd magna ex parte probetur, quàm verè illud dictum ſit, *vt cum igne, ſic cum Principe*; & non ſit nequicquam quod admonet Solon, *eſſe libertatis in ipſo ingreſſu ad Principem iacturam procliuem.*

Vbi quiſpiam ſe in meliorem frugem receperit, gratulaturum.

ꝟ. 16. Καὶ ἐπιχαρεῖσθαί τινι, ἐπὶ τῷ διορθώματι. Videtur Effatum proponi, tum vt inſinuetur eſſe quidpiam maius facere ex vitio gradum in virtutem, quàm fieri incedentem iam in via virtutis, prouectiorem; tum vt Sapiens hanc occaſionem benefaciendi arripiat; hoc eſt, ad pergendum addat animos, quaſi qui eſt recens virtutem amplexus, adhortatione ad tuendum conſtantiam præſertim indigeat. Cùm ipſa autem gratulatio, quam adhortatio conſequitur, initium probè non valeat, quin, dum virtutis, ad quam itur, pulchritudo deſcribitur, exaggeretur ſimul vitij, quod deſeritur, turpitudo; ideò non abs re Epicurus emendationis vitæ initium petit ex notitia peccati, ex cuius fœditate ipſa vitij turpitudo cognoſcitur. Scilicet illius ſententia apud Senecam hiſce extat verbis: *Initium eſt ſalutis, notitia peccati.* Epiſt. 28.
Quod profectò maximè congruit cum eo, quod Sacri docent Theologi, dum ἐπιγνῶναι, inquiunt, καὶ συνορᾶν τὸ πλημμεληθὲν, οὐκ ἔστι μικρὸν, ἀλλ' ὁδός τίς ἐστι, καὶ ἀρχὴ, πρὸς διόρθωσιν ἄγουσα, καὶ τὴν ἐπὶ τὰ κρείττω μεταβολήν, *Peccatum agnoſcere intelligeréque, non parua res eſt: ſed via quædam eſt, & initiũ ad emendationem, mutationémque in meliorem ſtatum* Et vide quid Seneca addat Poſtquàm præmiſit videri hoc ſibi egregiè dixiſſe Epicurum, ſubdit: *Nam qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet antequam emendes; Quidam vitiis gloriantur. Tu exiſtimas aliquid de remedio cogitare, qui mala ſua virtutum loco numerant?*

Ideò quantum potes, te ipſum coargue; inquire in te, accuſatoris primùm partibus fungere, deinde iudicis, nouiſſimè deprecatoris Dicetes ipſum reſpexiſſe ad quotidianum illud examen, ad quod ante ſomnum ſe ipſe exegit, iuxta conſilium Pythagoræ ſibi dicere quemque adhortantis:

carm. aur. Πῇ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;

Quid prætergreſſus? quid geſtum in tempore? quid non?

Cur iſti facto decus abfuit aut ratio illi?

Siquidem poſtquam commemorauit quid huiuſmodi Sextius ageret; tum paucis interpoſitis, *Vtor*, inquit, *hac poteſtate, & quotidie apud me cauſam dico. Cùm ſublatum è conſpectu lumen eſt, & conticuit vxor, moris iam mei conſcia; totum diem mecum ſcrutor facta, ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipſe abſcondo; nihil tranſeo. Quare enim quidquam ex erroribus meis timeam, cùm poſſim dicere, vide, ne iſtud ampliùs facias: nunc tibi ignoſco. In illa diſputatione pugnaciùs loquutus es, noli poſtea congredi cum imperitis; nolunt diſcere, qui nunquam didicerunt. Illum liberiùs admonuiſti, quam debebas; itaque non emendaſti, ſed offendiſti; de cætero vide*, &c. 3. de Ira 36.

Scholam aperturum; ſed non eò vſque, vt populare Auditorium fiat.

℣. 18. Καὶ σχολὴν κατασκευάσειν. Intelligendum hoc Effatum, vt & plæraque alia, non abſolutè, quaſi ſit neceſſe, vt quis Sapientis nomen mereatur, aperiri ab eo Scholam; ſed ſuppoſita conditione, ſi vacet, aut iuuet; quaſi eo caſu nihil facturus contra Sapientiæ decorum ſit. Adhibet tamen limitationem, ἀλλ' οὐχ ὥστε ὀχλαγωγῆσαι. Quaſi videlicet habere auditorum delectum oporteat; ne ſi popularis, clamoſáque ſit turba, concurſus fieri quaſi ad agyrten, ſeu circulatorem videatur. Ac nihil ſanè etiam repugnat vocem ὀχλαγωγῆσαι ita accipi, quaſi ſit ſenſus Sapientis Scholam non debere ita inſtitui, quaſi debeat fieri factionum, contentionúmque ſeminarium; ac præſertim cùm ſuam ita inſtituerit, vt ſicut aliàs ex Seneca, Euſebio, Themiſtióque retulimus, ſumma ſemper conſenſio ſectatorum omnium in illa viguerit, ac ipſam proinde Numenius ſimilem dixerit Reipublicæ quam à ſeditione remotiſſimam vna communis mens, vnáque moderetur ſententia. Verùm, ne damnari videantur Philoſophorum aliorum Scholæ, in quibus ab ipſis initiis variæ ſubortæ factiones ſunt, vel ex eodem Numenio; ac ne eò quoque res extendatur, vt talis Schola non debeat quaſi factio quædam aduerſus alias fieri, ſicque ſentire quicquam repugnans aliorum placitis prohibeatur, idcirco potuit illa prior interpratio non diſplicere. Confirmari autem poteſt vel ex eo, quòd Seneca, poſtquàm illud præmiſit, *Cum his verſare, qui te meliorem facturi ſunt; illos admitte, quos tu potes facere meliores. Mutuo iſta fiunt; & homines, dum docent, diſcunt*; tum paucis interpoſitis, tria ſubiicit in eundem ſenſum, nempe illud De-

Epiſt. 33. 12. præp. Orat. 4.

Epiſt. 7.

mocriti, *vnus mihi pro populo eſt, & populus pro vno*: itémque illud alterius, *Satis ſunt mihi pauci, ſatis eſt vnus, ſatis eſt nullus*: ac tandem illud Epicuri, quòd alias quoque retulimus, *Hæc ego non multis; ſed tibi: ſatis enim magnum alter alteri theatrum ſumus.*

Scriptorum aliquid lecturum coram multitudine; ſed non vltrò tamen, neque non rogatum.

℣. 10. Καὶ ἀναγνώσεσθαι ἐν πλήθει. Quod ſequitur, ἀλλ' οὐχ ἑκόντα, poſſet quidem fortè meliùs legi ἀλλ' ἐπὶ ἐν πᾶσι verumtamen res eodem recidit, ac vtrumque congruit, eſtque conſentaneum recitato modò ex Seneca loco, vbi hoc interiicitur, *Non eſt ergo, quod te gloria publicandi ingenij producat in medium vt recitare iſtis velis, aut diſputare; quod facere te vellem, ſi haberes iſti populo idoneam mentem.* Imitatum dicas Horatium, cùm ait:

Non recito cuiquam, niſi amicis; idque coactus, 1. ſerm. ſat. 4.

Non vbivis, coramve quibuſlibet.

Ecce quid & Plato refert, *Cùm Zeno, & Parmenides ad magna Panathenæa veniſſent, & diuertiſſent apud Pythodorum extra mœnia in Ceramico eò veniſſe Socratem aiunt, cumque ipſo plureis alios, cupienteis Zenonis ſcripta audire, quæ adducta tum primùm ab iis fuerant. Legiſſe ergo illis Zenonem hæc ſcripta? erat Socrates tūc valde iuuenis, Zeno annis 40. Parmenides 66.* in Parmen.

Placita rata, & de quibus minimè hæreat, habiturum.

℣. 22. Δογματιεῖν τε, καὶ οὐκ ἀπορήσειν. Congruit hoc effatum cum eo, quod ſuperiùs ex Plutarcho retulimus, ἀμεταπείστως πεπεῖσθαι, *immobiliter perſuaderi.* Non quòd Epicurus etiam in aliquibus ſuſtinendum eſſe aſſenſum noluerit; inde enim eſt τὸ προσμενόμενον, *Exſpectabile*, de quo alibi dictum; ſed quòd eſſe quædam de quibus dubitare non liceret, voluerit, cuiuſmodi ſunt illa Placita, *ex nihilo nihil fieri, vniuerſum eſſe corpus, & inane*, vt iam obſeruatum circa præfationem Epiſtolæ ad Pythoclem eſt. Quia verò, tametſi eâ totâ Epiſtolâ cenſuerit non eſſe ratum habendum vllum ex ſpecialibus illis modis, quibus ſublimium cauſæ redduntur; nihilominus cenſuit vniuersè illud eſſe ratum habendum, quod nullus ſpeciatim modus ratus ſit; idcirco fit, vt Epicurus Dogmaticis potiùs, quàm Aporeticis, Scepticiſve Philoſophis videatur eſſe accenſendus: atque id quidem vel volente Lucretio, qui cætera inter carpit Scepticos, quòd de ſenſuum fallacia incertitudinéque multa diſputantes, illorum fidem abrogent, ac *Nihil ſciri* profiteantur.

Denique nil ſciri ſi quis putat id quoque neſcit, lib. 4.

An ſciri poſſit, quom ſe nil ſcire fatetur.

Hunc igitur contra mittam contendere cauſā,

Qui capite ipſe ſuo inſtitit veſtigia retro.

Et tamē hūc quoque vbi concedā ſcire at idipsū

Quæro; cùm in rebus verum nil viderit antè,

Vnde ſciat, quid ſit ſcire, & neſcire viciſſim.

Ac

Ac videretur quidem hoc loco quidpiam reponendum in Scepticorum gratiam : ſed quia res foret pluribus, quàm pati locus poſſit, dicenda; ideò adnotare ſufficiat, reſpondere illos ad iſtud Lucretij, argumentáque id genus alia, quæ ſolent vulgò obiici. Primùm, non dubitare ſe de eo, quod ex rebus apparet, ſed de eo, quod res ſecundum ſe ſunt. Scire enim ſe mel dulce apparere; at neſcire, reuera-ne in ſe potiùs dulce, quam amarum ſit; cùm ſint rationes, quæ ſuadeant huiuſmodi potius ex diſpoſitione ſenſorij, quàm ex ipſa rei natura videri. Deinde, cùm dicunt nihil ſciri, non ignorare ſe, quid ſit ſcire, eo modo, quod Dogmatici ſcire ſe & dicunt, & putant; ſed & profiteri ſe tale nihil ſcire, & ne ipſos quidem Dogmaticos, vtcumque glorientur, tale quidpiam ſcire. Denique non eſſe, quamobrem vrgeantur, aut neſcire ſe, aut ſcire nihil ſciri; & ſi neſciant quidem, id temerè aſſerere; ſi ſciant, ergo aliquid ſcire: quippe ſe id ſcire, ſed non eâ ſcientiâ qualem deſcribunt Dogmatici: cuius etiam notione ſuppoſitâ, idem dici poſſit de hac propoſitione *Nihil ſciri*, quod de purgante pharmaco, vt hoc ſcilicet cum humoribus, quos expellit è corpore, vnà ſeipſum deiicit: ſic propoſitionem *Nihil ſciri*, dum euertit cæteras, euertere vnà ſeipſam.

In ſomnis non alium (ob Mentem benè compoſitam) quàm vigilando, exſtiturum.

ψ. 23. Καὶ καθ' ὕπνους ὅμοιον ἔσεσθαι. Addo Interpretando, *ob mentem bene compoſitam*; quia niſi quis ſanas opiniones mente imbiberit, is nihilo ſeciùs ſomniando, quàm vigilando perturbabitur. Ex quo efficitur, vt Epicurus concludens ſequentem ad Menœceum Epiſtolam, polliceatur ipſi, fore, vt præcepta antè tradita meditatus, nullatenus οὔθ' ὕπαρ, οὔτ' ὄναρ, *neque vigilando, neque ſomniando perturbetur.* Videtur autem Epicurus eòdem omninò reſpexiſſe, quò apud Platonem Socrates, dum diſcrimen inſtituit inter voluptates cupiditatéſque, quæ in ſomnis, prout quiſque fuerit incompoſitus, compoſitúſve excitantur, *Nam in illis quidem, vbi pars Animæ, quæ rationis eſt particeps, conſopita eſt*, inquit, *ferina illa, & agreſtis, quæ cibo, & potu repleta eſt, exſultat, tentátque excutere ſomnum, & iis, quibus eſt aſſuefacta libidinibus indulgere. Quippe nihil eſt, quod tunc non auſit vt omni verecundia, prudentiaque fræno ſoluta; adeò vt pudori ſiue erga matrem, ſiue quemlibet non hominum modo, verùm etiam Deorum, beluarúmque non parcat: ſeſe quavis cæde cruentet; quouis ſe cibo ingurgitet; vt paucis dicam, nulli non ſe inſaniæ, impudentiæque dedat. At dum quis ſomno ſe comparat, rectè ſe ac temperatè habens, hoc eſt, parte ipſa rationis participe euigilante, bonis cogitationibus ſaturata, & pulchra contemplando in ſeipſam conuerſa; parte verò concupiſcente neque egente, neque affluente, vt quieſcat proinde, & eam, quæ optima eſt, neque lætitiâ, neque mœrore turbet, ſed eam per ſe ſolam, ac puram conſiderare, indagare, perſpicere ſinat, ſi quid verum eſt præteritarum, præſentium, aut futurarum, quod ignoret; ſimiliter autem, & parte iraſcente ita ſedata, vt nulli infenſa quieſcat; atque adeò partibus duabus pacatis, & compoſitis, tertiáque motus non alios, quàm quos ſapientiam docet, obeunte; dum quiſpiam, inquam, hac ratione ad ſomnum ſeſe comparat; tunc is veritatem maximè attingit, neque ſe illi quæ ſunt nefaria inſomniorum viſa obiiciunt.* Sic Ariſtoteles dicit, καὶ οἱ βελτίους βέλτιω τὰ ἐνύπνια ὁρῶσι, διὰ ταῦτα, ὅτι καὶ ἐγρηγορότες βελτίονα διανοοῦνται. *Et qui inſtructi virtutibus ſunt; meliora ſomnia vident, quòd etiam vigilantes meliora animaduertunt.*

lib. 9. de Rep.

ſect. 30. probl. 14.

Gaſſendi Miſcellanea.

Mortem pro Amico, occaſione poſtulante, oppetiturum.

ψ. 14. Καὶ ὑπὲρ φίλου ποτὲ τεθνήξεσθαι. Conſentaneum eſt hoc Effatum relatis iam antè circa amicitiam, ac Placito illi, quod memorat Plutarchus, dum oſtenſurus Epicurum ſibi ipſi contradixiſſe; dicit illum, τὸν ἡδονῆς ἕνεκα τὴν φιλίαν αἱρούμενον; *cùm ob voluptatem amicitiam expetat*; nihilominùs ὑπὲρ τῶν φίλων τὰς μεγίστας ἀλγηδόνας ἀναδέχεσθαι, *dolores grauiſſimos pro amicis ſubire*. Neque verò vlla propterea in Epicuro contradictio, cùm eſſe non poſſit voluptas, vt ſincerior, ſic maior illâ, quam experitur fidus amicus; dum ſeſe totum veluti effundit, quidvis adoriens, quidvis patiens, ac mortem etiam adiens in amici illius gratiam, quem quaſi alterum ſe habet; cui hærere ſe in viſceribus, medulliſque intimis ſentit; quem fuiſſe paria ſui causâ, ſi ſors tuliſſet, præſtiturum (& ſumma quidem cum animi alacritate) certus eſt; cuius in mente memoriam ſui non ſine ſenſu gratitudinis ſuauiſſimo perennaturam, penitùs prorsúmque confidit; ratus aliunde non poſſe ſe meliùs ſatisfacere ſibi ipſi, quàm hac ratione numeros omneis, vt veri, perfecti, conſtantis amici; ita viri boni, ſapientis, generoſique adimplendo. Hæc igitur voluptas eſt, cuius causâ amicus pro amico ſic moritur, vt ſeipſum quoque tunc maximè amet. Quare & ad hunc locum ſpectat, quod fuit ex Ariſtotele inſinuatum; cùm loquens de viro honeſti amante, ac vt ſibi id vendicet, non modò aliis concedente pecuniam, honores, & cætera id genus bona, de quibus tanta contentio eſt; verùm etiam ſibi pro amico, aut patria moriendi gloriam eligente, *Præfert*, inquit, *breui, ſed magna, quam longa, ſed breui voluptate frui: viuere annum vnum præclarè, quam multos vulgariter; vnicum facinus illuſtre, & grande, quàm multa minuta, & puſilla patrare.* Verùm cùm ſit quoque poſteriùs de hoc argumento dicendum; adnotari ſolùm heic debet, quod à Cicerone obſeruatum alibi iam retulimus, ipſum ſcilicet Epicurum *amicitias non oratione ſolùm, ſed multò magis vitâ, & factis, & moribus, comprobauiſſe.* Ac vt intelligamus tam ipſum, quam eius

9. Ethic. 8.

2. de Fin.

amicos non ſecus fuiſſe animatos, quàm raros illos qui celebrantur, quòd mortem pro ſe inuicem non dubitârint oppetere, ecce ille continuò ſubdit: *Quod quam magnum ſit, ficta veterum fabulæ declarant; in quibus tam multis, tamque variis ab vltima antiquitate repetitis, tria vix amicorum paria reperiuntur, vt ad Oreſtem peruenias, profectus à Theſeo.* : *At Epicurus vna in domo*, &c.

Ad III. Epiſtolam Epicuri ad Menœceum, de Vita, & Moribus.

℣. 17. ἘΠΙΚΟΥΡΟΣ Μενοικεῖ χαίρειν. Alterum hoc eſt ex capitibus quatuor, in quæ redegiſſe Laërtium ea, quæ ad Moralem Epicuri pertinent, ſuperiùs obſeruauimus. Nimirùm cùm iſta ſit tertia, poſtremáque Epiſtolarum, quas ab vſque initio referendas ſuſceperat, viſus quidem fuit, ſtatim ac Moralem aggreſſus eſt partem, eam exhibiturus; ſed ſimul tamen occupauit tradenda priùs ea de Sapiente Effata, quæ recenſuimus hactenus. Continet porrò Epiſtolæ Præfatio inſignem quandam adhortationem, de cuius textu, vt dicatur, lego ℣. 30. ὑγιαῖνον, quoniam videtur vtcumque meliùs, quàm ὑγιαίνειν legi apud Clementem Alexandrinum, qui Præfationem hanc tranſcripſit ad illud vſque, Μελετᾶν οὖν. Sic etiam aliquantò pòſt, ante παρεῖναι, meliùs ibidem legitur μήπω, quàm μὴ, cùm opponatur voci μηκέτι. Vti & ſtatim, poſt vocem τὸ, videtur non incongruè repeti vox τὴν ὥραν, quatenus repetita quoque in ſuperiore, contráque poſito membro fuit. Quod autem ſtatim pòſt legitur ibidem νεωτέρῳ pro νέῳ, nihil videtur fuiſſe neceſſe immutare; quando neque pro γέροντι legitur γεραιτέρῳ, neque initio Epiſtolæ, cui hoc membrum reſpondet, legitur νεώτερος, ſed νέος. Prætereo autem videri illeic deeſſe particulam ἢ, inter λέγων, & μήπω, ob conſequens membrum, vbi habetur ἢ μήπω, ἢ μηκέτι.

℣. 39. Μελετᾶν οὖν χρὴ τὰ ποιοῦντα τὴν εὐδαιμονίαν. Habens Epicurus pro abſurdo, dici tempus ad beatam vitam aut nondum veniſſe, aut iam præteriiſſe; ſuadet conſequenter ea meditari, quæ beatam vitam faciunt; ac tum ſubdit quædam huiuſce meditationis capita; ea nempe quæ ſunt ſentienda de Deo, de Morte, de Futuri exſpectatione, de Cupiditatibus; tum docet in quo beatam vitam, felicitatémve conſtitutam putet Interim verò *Felicitatem*, τὴν εὐδαιμονίαν meritò commendat ex eo, quòd ipſa præſente nihil non habeamus, abſente nihil non agamus, vt poſſimus eam conſequi: ſiquidem ex priore parte intelligi licet quemadmodum Felicitas idem cum Summo bono ſit; ex poſteriore, quemadmodum idem ſit cum Fine bonorum.

Pag. 46. ℣. 6. Πρῶτον μὲν τὸν θεὸν, ζῶον ἄφθαρτον, καὶ μακάριον. Iſtud primum caput eſt rerum, quarum meditationem ſuadet. At vt circa textum pauca adnotemus, præpono primùm ℣. 14. ipſi voci πολλοὶ particulam οἱ, vt intelligatur *populus*, ſiue vulgaris, vulgariúmve ingeniorum multitudo; quo ſenſu ſtatim aliquoties, non ſimpliciter πολλῶν, ſed τῶν πολλῶν legere licet. Deinde autem ℣. 20. lego καὶ μέγισται, &c. ad vſque τοῦ γὰρ, pro αἱ μέγισται βλάβαι αἴτιαι τοῖς κακοῖς ἐκ θεῶν ἐπάγονται, ἢ ὠφέλειαι, quoniam retenta vox αἴτιαι ſententiam inducit non modò illi, quam eſſe conſtat Epicuri, contrariam; ſed ſcopo etiam ipſi, ad quem Epicurus heic loci collineat, aduerſam: & deeſſe vocem τοῖς ἀγαθοῖς, videtur ipſa contextus ſeries facere ſatis manifeſtum.

℣. 26. Συνέθιζε δὲ ἐν τῷ νομίζειν. Alterum hoc eſt meditationis caput, quod ipſum quoque eſt maximi ad felicitatem momenti; quatenus nulla poteſt in eo eſſe vitæ tranquillitas, qui, cùm moriendi neceſſitas ſit, mortem quaſi rem malam exhorreſcit. Vult proinde Epicurus, vt mortis meditationi aſſueſcamus, quò diſcamus metum illius excutere; Platonem hac in re imitatus, cùm docet rectè philoſophanteis huic meditationi ſic incumbere, vt Mors illis pro reliquis hominibus ἥκιστα φοβερὸν, *res minimùm timenda* euadat. Nimirùm ſupponit Epicurus quod Ariſtoteles obſeruauit, haberi vulgò mortem τὸ φρικωδέστατον τῶν κακῶν, *malorum omnium maximè horrendum*, quatenus nulli non impendet, eſtque ineuitabilis. Siquidem ſeu ipſe apud Monachos, ſeu Metrodotus apud Stobæum, πρὸς μὲν τ' ἄλλα, inquit, δυνατὸν ἀσφάλειαν πορίσασθαι, χάριν δὲ θανάτου πάντες ἄνθρωποι πόλιν ἀτείχιστον οἰκοῦμεν, *Fieri quidem poſſe, vt aduerſus cætera ſecuritatem nanciſcamur; ſed quod ad mortem attinet, inhabitari ciuitatem ab omnibus hominibus, muris, præſidiiſque planè deſtitutam*: idque ſuccinente Lucretio:

in Phæd.
ſerm. 155.
ſerm. 117.

Certa quidem finis vitæ mortalibus adſtat, lib. 3.
Nec deuitari letum pote quin obeamus.

℣. 31. Οὐκ ἄπειρον προστιθεῖσα χρόνον. Eſſe hoc aliud poteſt non modò ferendum, ſed commendandum etiam, quòd ex recta mortis notitia addiſcamus reſcindere ſtultum id, quod mentem diuexat, nunquam moriendi deſiderium.

℣. 36. Ὥστε μάταιος ὁ λέγων. Meritò habet heic Epicurus ineptum illum, qui profeſſus nihil eſſe mali in morte, donec præſens eſt, diſcruciatur tamen ob venturæ metum; nempe quaſi ſit vel vmbra rationis, vt res diuexare, dum abſens eſt, debeat, quæ præſens vbi fuerit, nihil erit contriſtatura. Meritò, inquam, ſi attendatur præciſè mors, vt mors eſt, ac vt præſens eſt; cùm videatur aliunde poſſe timeri non iniuriâ mors, quatenus poteſt coniuncta quædam, quæ aut antecedant, aut conſequantur mala, habere.

℣. 45. τοὺς μὲν, pro ὡς μὲν. Siquidem partitio heic fit, cuius membrum alterum non relatiuè, ſed indicatiuè ſtatim ſubiicitur, οἱ δὲ.

℣. 1.

PAG.47. ℣. 1. Ἀνάπαυσιν τῶν ἐν τῷ ζῆν. *Ceſſationem* interpretor, non malorum, quibus in vita obnoxij ſumus, vt pronum videtur intelligere (tametſi ceſſatio à malis res optanda potius, quàm fugienda ſit) ſed potiùs *rerum omnium, quibus in vita fruimur & actionum quibus fungimur* quoniam his priuari vulgò habetur malum; ac idipſum eſt, quod exprobratur à Lucretio, dum vulgaria refert lamenta, quibus proſequi mortuos ſolent, quaſi illi hæc quæ moriendo dimiſerunt, deſiderent, illud &
1.Tuſcul. Cicero amplificat.

℣. eod Μάταιος δὲ, &c. ad vſque ὥσπερ δὲ, pro Οὔτε φοβεῖται τὸ μὴ ζῆν, οὔτε γὰρ αὐτῷ προσίσταται τὸ ζῆν, οὔτε δοξάζεται κακὸν εἶναι τὸ μὴ ζῆν. Quippe ex iſtis aut non cohærens, aut etiam repugnans elicitur ſenſus. Videtur autem ſenſus is eſſe, iuxta quem eſt illud Lucretij, quod alio loco innuimus:

Proinde, vbi ſe videas hominem indignarier ipſum,
Poſt mortẽ fore, vt aut putreſcat corpore poſto,
Aut flammis interfiat, maliſve ferarum:
Scire licet, non ſincerum ſonere; atque ſubeſſe
Cæcum aliquem cordi ſtimulum; quamvis neget ipſe
Credere ſe quemquam ſibi ſenſum in morte futurum
Non, vt opinor, enim dat, quod promittit, abundè;
Nec radicitùs è vita ſe tollit, & eicit;
Sed facit eſſe ſui quiddam ſuper inſcius ipſe,
&c.

℣. 5. ὥσπερ ὁ χρόνος, οὐχ ὁ μήκιστος, ἀλλ' ὁ ἥδιστος, pro χρόνον οὐ τὸν μήκιστον, ἀλλὰ τὸν ἥδιστον. Manifeſte enim apparet caſus in caſum facta mutatio; niſi modum mutatum putes, ac legendum καρπίζεσθαι, quod tamen erit minus congruum. Quanquam & fortè magis congruerit, ſi mutetur ſimul particula καὶ, in voculam δεῖ, ſed perinde eſt. Adnotare præſtat congruere hanc ſententiam cum eo,
loc.cit. quod Plutarchus ait, ὡς οὐχ ὁ μακρότατος βίος ἄριστος, ἀλλ' ὁ σπουδαιότατος, *Vitam, non qua longiſſima ſed qua virtute maximè adminiſtratur, optimam eſſe.* Quippe Epicurus ex infrà dicendis pro eodem habet *ſuauiter*, & *ex virtute* viuere; quòd vitæ ſuauitas, ac virtus ſeparari à ſe inuicem non poſſint.

℣. 7. Ὁ δὲ παραγγέλλων.. Videri poteſt primâ fronte perperam ille improbari, qui iuuenem monet, vt honeſtè viuat; ſenem, vt honeſtè moriatur; quatenus illi vita longior ſupereſt, iſti mors impendet. Attamen, vt conſtat ex ea ratione, quæ apponitur, non meditationem honeſtè viuendi, non item honeſtè moriendi Epicurus improbat; ſed improbat ſolùm iſta ſeiugari, vt ſi iuuenis deberet ſolùm de honeſte viuendo, ſenex de honeſtè moriendo ſolùm cogitare; quaſi non poſſet mors iuueni immatura contingere, aut poſſet nihil ſeni ſupereſſe vitæ, & qui actus poſtremus eſt, pars quædam fabulæ non foret. Docet itaque hæc non ſeiungenda; ſed & ſeni & iuueni meditationem honeſtè viuendi, & meditationem honeſtè moriendi, copulandas eſſe.

℣. 9. Οὐ μόνον διὰ τὸ τῆς ζωῆς ἀσπαστόν. Cùm verba hæc fuerint ſuperiori ſententiæ, quaſi quædam ſpecies probationis inſerta (& fortè quidem tranſpoſita ex ea, quæ conſequitur, vt illi probandæ accommodatiora) non emoui tamen, quòd ſenſus eius admonitionis, quam Epicurus reprehendit, is eſſe potuerit, vt, qui ſenex eſt, cuique adeò nihil, præter mala incommodáque innumera toleranda, ſupereſt, is diem honeſtè ſpontanea morte præueniat, potiuſquam ſe trahendæ vitæ miſeriarum plenæ ſubmittat. Nempe Epicurus huic ſenſui haud abs re oppoſuerit τὸ τῆς ζωῆς ἀσπαστὸν, *id, quod amabile eſt in vita.* Videtur porrò heic Epicurus eam ſententiam corrigere, quæ ipſi aliàs placuerit, vt vel ex vno Seneca conſtat. Heinc nimirùm eſt illud apud ipſum, *Ma-* Epiſt.12.
lum eſt in neceſſitate viuere; ſed in neceſſitate viuere, neceſſitas nulla eſt. Nimirùm, quia, vt ille excipit, *Patent vndique ad libertatem viæ, multæ, breues, faciles; agamus Deo gratias, quod nemo in vita teneri poteſt. Quocumque reſpexeris*, inquit alibi, *ibi malorum finis eſt. Vides illum præcipitem locum, illàc ad libertatem deſcenditur. Vides illud mare, vides illud flumen, illum puteum: libertas illeic in imo ſedet. Vides illam arborem, breuem, retorridam, infe-* 3 de ira.
licem: pendet inde libertas. Vides iugulum cap.15.
tuum, guttur tuum, cor tuum: effugia ſeruitutis ſunt. Nimis mihi operoſos exitus monſtras, & multum animi, ac roboris exigenteis. Quæris, quod ſit ad libertatem iter? quælibet in corpore
tuo vena. Et rurſus: *Nil melius æterna lex fecit,* Epiſt.70.
quàm quòd vnum introitum nobis ad vitam dedit, exitus multos.

℣. 12. Πολὺ δὲ χεῖρον καὶ ὁ λέγων. Quæ heic habetur percelebris ſententiæ impugnatio, eiuſdem eſt, cum mox ſelectis ſuperioribus verbis argumenti. Contendit quippe Epicurus, tametſi non tanti facienda ſit vita, vt quacumque demùm conditione redemptam velimus; & cùm aut natura, aut occaſio tulerit, mori fortiter recuſemus; attamen non eſſe eam quoque tam parui ducendam, vt quod ex illa vſui datur, temerè reiiciendum, & profundendum ſit, ac non potiùs gratè ſumendum, & quàm licet honeſtè, ac ſuauiter traducendum, producendúmque.

℣. 21. Μνημονευτέον δὲ ὡς τὸ μέλλον. Tertium hoc eſt, ad quod Epicurus attendendum eſſe meditando vult, vt aſſueſcamus videlicet indifferentem animum circa futura reddere, neque lactari inani ſpe, ab eo, quod non eſt, neque fortè eſt futurum, pendeamus. Quippe ob inſignem fortunæ varietatem, & inconſtantiam, nihil, in quod dominium habeat, ita certum proſpicitur, vt non proſpicientem, exſpectantémque plærumque deludat. Adeò proinde, vt nihil ſit tutius, quàm non quidem prorsùs de eo, quód proſpicitur, deſperare; ſed neque id tamen; tanquam haud-dubiè ſibi futurum polliceri: ac ſe interim ad vtrumvis euentum ita comparare, vt vtrumlibet accidat, nihil ideò abeſſe, aut adeſſe, quod ſit abſolutè neceſſarium exiſtimetur.

ψ. 26. ἀναλογιστέον δὲ, ὡς τῶν ἐπιθυμιῶν. Poſtremum hoc eſt ex præcipuis Meditationis capitibus, quæ Epicurus dicendis mox de beatæ vitæ fine præmittit. Lego autem, καὶ πρὸς, pro αἱ δὲ πρὸς, quia id quidem ἡ ἀοχλησία, τῆς εὐδαιμονίας pars eſt, non membrum ab ipſa diſtinctum; vt proptereà debeat ad exemplum potiùs quàm ad diuiſionis integritatem ſpectare. Quod addo verò ad interpretationem, eò facit, ne illud membrum πρὸς τὸ ζῆν, eſſe videatur incongruum, quando etiam cupiditates, quæ ad ipſum attinent, ad indolentiam, ſiue ad id quod dolet, eximendum tendunt. Cæterùm licet complura ſint circa Ratas Sententias, de cupiditatibus dicenda; adnotare tamen heic præſtat Ciceronem ita improbare diuiſionem cupiditatum, quatenus illeic traditur, vt quem diuiſionis modum fuiſſe tradendum ſubiicit, ille ipſe ſit,
2. de fin. qui hoc loco habetur. Ecce enim, *Quomodo*, inquit, *Philoſophus loquitur? Tria genera Cupiditatum; Naturaleis, & neceſſarias: naturaleis, non neceſſarias; nec naturaleis, nec neceſſarias. Primùm, diuiſit ineleganter: duo enim genera quæ erant, fecit tria; hoc eſt non diuidere, ſed frangere rem.* Sequitur, *Qui ſi diceret, Cupiditatum eſſe duo genera, naturaleis, & inaneis: Naturalium quoque item duo, neceſſarias, & non neceſſarias, confecta res eſſet.* Atqui Epicurus heic loci iſtu planè modo diuiſit: & in Ratis Sententiis, nihil aliud, quàm argutiem, quæ plærumque eſt importuna, ſubdiuidendi, declinauit; cùm alioquin ſubdiuidendo, tria eadem genera habeantur. Quod ſupereſt, tanti Epicurus facit Cupiditatum diſcrimen noſſe, & ſuos cuique fineis, ſicut par eſt, præſcribere, vt & proptereà Phyſiologiam eſſe neceſſariam contendat, ad diſcernendum videlicet, quænam reuerâ naturales, neceſſariæque dicendæ ſint, quænam inanes, ac ſuperuacaneæ; & poſſe putet tum ſolùm vitam feliciter tranſigi, cùm ſolis naturalibus, neceſſariiſque retentis, inaneis, & ſuperuacaneas procul amandauerimus. Quoniam verò, vt innui mox, plura hac de re ſunt dicenda circa Ratas Sententias, & deinceps quoque plura interiicienda; ideò nihil neceſſe eſt hoc loco ſuper addere.

ψ. 33. Τούτων γὰρ ἀπλανὴς θεωρία. Deducit heic iam Epicurus, quemadmodum ad Beatam Vitam rerum ſuperiorum meditatio tendat; declarat autem primùm Finem beatæ vitæ eſſe Tranquillitatem mentis, & Indolentiam corporis, ac ſubinde, quia huic vtrique Voluptatis nomen attribuit, declarat quemadmodum finis beatæ vitæ Voluptas ſit. Quo tamen loco notandum eſt, τέλος τοῦ μακαρίως ζῆν, *finem beatæ vitæ*, ſeu vt
adu. Ethic. habet Empiricus, τέλος εὐδαιμονίας, *finem beatitudinis*, dici Periphraſticῶs pro *beata vita*. Neque enim aut Tranquillitas mentis, & Indolentia corporis, aut ipſa voluptas, eſt finis, ob quem beata vita expetenda ſit: cùm ipſa quoque ſit vltimus finis; ac cætera bona ob ipſam; ipſa ſui ſolùm causâ expetatur. Nempe eadem Periphraſi vtitur hoc loco Epicurus, qua vſum Homerum obſeruat Euſtathius, cùm dixit τέλος γάμου *finem nuptiarum*, pro *Nuptiis*, & τέλος θανάτου *finem mortis* pro *morte*. Quo modo ſunt etiam aliæ ſimiles, ἲς Ὀδυσσῆος *vis Vlyſſis* pro *Vlyſſe*, βίη Ἡρακλῆος, *robur Herculis*, pro *Hercule*, μένος Αἰακίδαο, *impetus Æacidæ*, pro *Æacida*, ſeu Achille, &c.

Notandum etiam, quòd ψ. 41. lego πρός τι ὡς ἐνδεὲς βαδίζειν, pro βαδίζειν, ὡς πρὸς ἐνδεές τι, ideo fieri, quòd niſi voces ita tranſponantur, vel certe eo modo, vt vox ἐνδεὲς (aut, ſi mavis, ἐνδεής) intelligi de animali, potiuſquàm de eo, ad quod animal ſe conferat, poſſit; præpoſterum planè fieri ſenſum conſtet. Addo autem ad interpretationem, *beatitudinis capax* animal, vt vox pertinere intelligatur ad hominem; cùm ſolus homo eatenus dicatur propriè eſſe beatus, quatenus ipſe ſolus eſt, qui ſe putare beatum poteſt. Quippe & Seneca, vbi Epicureum illud retulit, *Si cui ſua non videntur ampliſſima, licet totius Mundi dominus ſit; tamen miſer eſt*; ſubiicit illud Comici, Epiſt. 9.

Non eſt beatus, eſſe ſe qui non putat.

Notandum rurſùs, quod ψ. 45. addo has voces, ὅταν δὲ μὴ ἀλγῶμεν, idcirco eſſe, quòd perſpicuè deficiant. Et poterat quidem lacuna ſuppleri ex Stobæo, apud quem verba hæc leguntur, ὅταν δὲ τοῦτο μὴ πάσχωμεν, ἐν αἰσθήσει καθεστῶτες, *quando vero in actu ſentiendi conſtituti id non patimur*, hoc eſt, *non dolemus*: verùm, quia vtcumque antecedentes voces parùm ab illis diſcrepent, quæ leguntur apud Laërtium, ſequentes tamen τότε ἐ-νδεία χρεία τῆς ἡδονῆς, idem licet ſignificantes, diſcrepant ab illis, ἀντὶ τῆς ἡδονῆς δεόμεθα, quas retinere præſtitit: idcircò, ob factam in his mutationem, viſum eſt potuiſſe in illis quoque fieri; cùm procliuius alioquin fuerit, ſententiam eo modo, quo eſt reſtituta, conſcribere. Res tamen videri indifferens poteſt. Illud potiùs eſt obſeruandum; ſeu Stobæus aliunde corrogauerit, ſeu ex hoc loco, quod iam deficiat (tametſi non ſatis apparet) deſcribere perrexerit, exſtare apud ipſum continenter hæc verba: Οὐ γὰρ ἡ τῆς φύσεως ἡδονὴ τοῖς ἀδικίαν ποιεῖ ἔξωθεν, ἀλλ' ἡ περὶ τὰς κενὰς δόξας, *Neque enim voluptas, quæ ſecundum naturam eſt, cauſa eſt, vt alij patiantur iniuriam; ſed cupiditas, quæ ex vanis opinionibus effrænis creatur*, cuius quidem ſententiæ is videtur ſenſus; cùm Natura, exempli gratiâ, fruges, & aquam fecerit res paratu facillimas, non eam voluptatem, quæ ex ipſis, famem, ſitimque expectando, maximè percipitur, cauſam eſſe latrociniorum, cæterarúmque iniuriarum, quas vulgò patrant homines; ſed inanem cupiditatem veſcendi lautiùs opulentiùſque, atque idcircò diteſcendi, vt ſit, quod in ſumptus ſufficiat. Quod idem dicendum de iis, qui ſimplici veſte, ſimplici domo, ſimplici coniugio, ſimilibuſque, præ ambitione, libidine, aliiſque paſſionibus non contenti, plura appetunt, quàm quibus Natura indigeat. Quod ſupereſt, illud, τότε ἡδονῆς χρείαν ἔχομεν, &c. ſupponit poſſe duplex genus voluptatum apperi; vnum earum, quæ percipiuntur, tum, cùm dolor ob indigentiam creatus detrahitur, vt dum famelici ſerm. 17.

comedimus,

comedimus, aut ſitibundi bibimus; alterum earum, quæ requiruntur, vbi dolor detractus eſt; vti dum poſt famem, ſitimque exemptam, proſequimur cibi, potúſque cupedias: adeò proinde, vt ſenſus ſit, eſſe quidem nobis voluptates priores neceſſarias, poſteriores verò nequaquam.

PAG. 48. ℣. 25. Καὶ τὴν αὐτάρκειαν δὲ, ἀγαθὸν μέγα νομίζομεν. Epicurus præmiſſa ſua de bonorum Fine opinione, & priuſquàm inculcet, quam voluptatem (cùm finem dicit Voluptatem) intelligat, interiicit heic generalem modum, quo & comparare, & tueri huiuſcemodi voluptatem (Tranquillitatem nempe in animo, & Indolentiam in corpore) liceat. Is eſt, quem nos paulò antè inſinuauimus; cultus ſcilicet Temperantiæ, quæ cupiditates ita moderetur, vt non-neceſſarias, vanáſque amputans, & ad neceſſarias, naturaleíſque nos referens, creet in nobis αὐτάρκειαν, hoc eſt, ita componat nos, vt ætatem paruo contenti degamus.

℣. 45. Ὅταν οὖν λέγωμεν ἡδονὴν τέλος. Hic locus eſt, qui fuit iam antè præoccupatus, recitatúſque integer, tanquam continens Apologiam, quam Epicurus aduerſus eos texuit, quos ſuis etiam temporibus expertus eſt interpretes ſuæ de Voluptate ſententiæ, iniquos. Circa textum porrò adnoto duntaxat; cùm hunc eundem locum in librum tertium Apologiæ, ſeu de Vita, & moribus Epicuri, tranſcripſerim, & vocem ἀπολαύσεως, priore loco vſurpatam, de quadam quaſi prolutione interpretatus fuerim, eâ ſcilicet Metaphorâ, quâ apud Virgilium:

3.Georg. *Proluit inſano contorquens vortice ſyluas*
Fluuiorum rex Eridanus;

1.Topic.5. 28 ſect. probl.7. &c. ac præſertim ob familiarem vſurpationem in malam partem (vt vel apud vnum Ariſtotelem obſeruatur) aggreſſo iam denuò interpretationem viſum mihi fuiſſe ſignificari ea voce ſimplicem fruitionem; tum quia prolutio, immodicáve profuſio attinet ad membrum præcedens, quod eſt τῶν ἀσώτων: tum quia vox hæc aliquoties antè in Epiſtolæ ſerie vſurpata (vt cùm dictum eſt, ἀπολαυστὸν τὸ τῆς ζωῆς θνητὸν, & ὄψα πολυτελείας ἀπολαύων) illaudatum nihil ſonat; tum quia, vt priore membro Epicurus à ſuo fine reiicit eas voluptates, quæ virorum luxu diffluentium, perditéque viuentium ſunt; ita videtur poſteriore excluſiſſe ab eodem fine, tanquam non neceſſarias, eas, quæ in ipſa fruendi actione, factáve actu ſenſus motione ſunt, vt Cyrenaici ſtatuebant (quod interiectâ etiam additiunculâ inſinuatum eſt) tum quia ille rem ſubinde declarat, oſtendendo ſe voluptatem motioni oppoſitam intelligere, Indolentiam nempe, ac Tranquillitatem. Ad ipſam rem quod attinet; germanus quidem heic foret locus, in quo & fusè probaretur non aliam fuiſſe Epicuro Voluptatem habitam Finem, quàm heic hiſce verbis expreſſam, Μήτε ἀλγεῖν κατὰ σῶμα, μήτε ταράττεσθαι κατὰ ψυχήν. *Neque dolere corpore, neque animo perturbari*; & ea deinceps deducerentur, ex quibus poſſet eius ſententiæ ſua conciliari probabilitas: Verùm, quia is præceſſit textus, ad cuius elucidationem, hoc vtrumque præſtandum fuerit; vti & fuit reipsâ (ac fortaſſis etiam æquo prolixiùs) præſtitum: illeinc idcircò, quæ heic poſſunt deeſſe videri, ſunt repetenda. Quin-etiam, cùm oſtenſum fuit Honeſtum bonum, ſeu Virtutem, ſecundum vtramque ſui partem ita ad voluptatem referri, vt germana exinde habeatur Voluptas; qualem ſcilicet declarauimus, vbi deinceps de illa ſpecialiùs, & iuxta correctionem ſapientiæ accepta, eſt actum; ideò factum quoque huic loco compendium, circa illud, quod dicitur, *Rationem eſſe ſobriam* (ſeu cum ſobrietate, animique adeò ſerenitate iunctam) *quæ cauſas rerum eligendarum, fugiendarúmque inueſtigans, iucundam vitam* (ſeu voluptatem, quæ Finis ſit germanus) *pariat*. Videlicet Ratio cauſas inueſtigans diuerſum eſt nihil à priore parte Virtutis, quæ cognitionem, ſpeculationem, ſcientiam rerum complectitur; neque eligendorum, fugiendorúmque inueſtigatio, ipſi præſertim praxi coniuncta, diuerſum quid à poſteriore, quæ circa hæc ipſa vnicè verſatur. Itaque poſſunt illeinc quoque, quæ ad hoc caput ſpectent, multa repeti; tametſi & plura deinceps circa Virtutem ſunt attingenda.

Hoc loco, id ſolum notandum, quod Epicurus poſtremò ait, *Expelli ratione* τὰς δόξας, δι' ἃς πλεῖστος τὰς ψυχὰς καταλαμβάνει θόρυβος, *opiniones illas, ob quas plurima menteis occupat perturbatio*. Siquidem ea celebris fuit Epicuri ſententia, quam Cicero ſpeciatim de Ægritudine loquens, hiſce verbis exprimit: *Epicuro placet opinione mali ægritudinem eſſe, non naturâ. vt quicumque intueatur in aliquod maius malum, ſi id ſibi accidiſſe opinetur, ſit continuo in ægritudine.* Speciatim, inquam; nam alioquin id intelligendum generatim eſt de omni importuna, ingratâ, moleſtaque perturbatione, quæ ægritudinem aliquam inuoluit. Non modò certè Epicurus perturbari animum, ac eſſe in ægritudine putat, opinione mali, quod acciderit; ſed maximè etiam opinione futuri, vt paupertatis, orbitatis, exſilij, ignominiæ, mortis, & ſimilium; quæ aliquis timens, ſollicitudine laboret, ac in ægritudine ideò ſit. Vnde & quia talis perturbatio, ſiue ægritudo, opinione eſt, non naturâ; quatenus iſta, ob quæ cruciamur, non reuerà ſunt mala; neque enim naturam noſtram per ſeſe attingunt, maléve afficiunt; ſed mala ſunt ſolùm quia mala eſſe opinamur; ac nos ſolùm attingunt, maléve afficiunt, opinione intercedente: cùm hac ſecluſa perinde ſint, reſpectu noſtri, ac ſi non eſſent. Quia, inquam, res ita ſe habet, ideò author eſt Epicurus, vt adhibeatur ratio, quæ ediſſerens, oſtendénſque non eſſe hæc reipsâ mala, falſam, quæ de ipſis habetur, opinionem eliminet, ac animum proinde reddat omni & ægritudine, & perturbatione immunem. Non reticendus porrò heic locus, in quo Cicero ſententiam quidem Epicuri fuſiùs declarat; ſed videtur interim tamen illa, affingendo, interiicere, ex quibus deinceps in eum inuebatur. Locus integer ſic ſe habet: *Epicuri*, inquit, *ſententiam videamus, qui cenſet, neceſſe eſſe omneis in ægritudine eſſe, qui ſe in*

3.Tuſc. — ibid.

malis eſſe arbitrentur; ſiue illa antè prouiſa, & exſpectata ſint, ſiue interuenerint. Nam neque vetuſtate minui mala, nec fieri præmeditata leuiora; ſtultámque etiam eſſe meditationem futuri mali, aut fortaſſe ne futuri quidem: Satis eſſe odioſum malum omne, cùm veniſſet; qui autem ſemper cogitauiſſet, accidere poſſe aliquid aduerſi, ei fieri illud ſempiternum malum: Si verò ne futurum quidem ſit, fruſtrà ſuſcipi miſeriam voluntariam; ita ſemper angi aut excipiendo, aut cogitando malo. Leuationem autem ægritudinis in duabus rebus ponit, auocatione à cogitanda moleſtia, & reuocatione ad contemplandas voluptates. Parere enim cenſet animum rationi poſſe, & quò illa ducit, ſequi. Vetat igitur ratio intueri moleſtias; abſtrahit ab acerbis cogitationibus hebetem aciem ad miſerias contemplandas, à quibus cùm cecinit receptui, impellit rurſùm, & incitat ad conſpiciendas, totáque mente contrectandas varias voluptates; quibus ille & præteritarum memoriâ, & ſpe conſequentium, ſapientis vitam refertam putat. Hæc noſtro more nos diximus; Epicurei dicunt ſuo. Quo imprimis loco agnoſcere licet, quod Epicuro Cicero tribuit, *Neque vetuſtate minui mala, nec fieri præmeditata leuiora*; videri admodùm ſuſpectum; cùm & inter Ratas Epicuri Sententias ſit, *dolorem, morbúmque diuturnum ſine admiſſione iucundi non eſſe*; & iam antè viderimus velle Epicurum vt non timere mortem aſſueſcamus, ex reputatione, quòd malum non ſit. Quò magis etiam ſuſpectum ſit, quod Epicuro tribuit, *ſtultam eſſe meditationem futuri mali*; quamobrem enim iuberet nos adeò attenta meditatione fieri comparatos ad mortem, quæ haberi ſolet maximum malorum? Quod ſequitur autem, *Fortaſſis ne futuri quidem; ſatis eſſe odioſum malum omne, cùm veniſſet*, &c. idipſum verò demùm ſubinnuit, quo ſenſu Epicurus dicere potuerit, *mali futuri meditationem ſtultam.* Quia enim malum, quod timetur; aut contingens eſt, fieríque poteſt, vt non eueniat; aut neceſſarium, neque poteſt, vt non eueniat, fieri: Noluit quidem priore caſu nihil nos de illo cogitare, neque ad vtrumque euentum, qua animi moderatione decet, excipiendum, comparatos non fieri; at cenſuit tamen ſtultum eſſe, animo ita excruciari, vt ſi malum ſit haud-dubiè euenturum; vt ſi, vbi euenerit; intolerabile ſit futurum; vt ſi iſthæc, aliáque mala ſint è veſtigio conſequutura; ac mentem in iſtarum rerum meditatione ſic defixam quis habeat, vt nocte, diéque ea verſans, efficiatur, quod ille ait, miſer, afflictus, ærumnoſus, calamitoſus. Poſteriore autem caſu, committi quidem noluit, vt malo patienter excipiendo parati non ſimus; vt vel ex eo conſtat, quod de morte iam innui; at extremæ eſſe dementiæ putauit, quod plærique faciunt; dum non valentes id ſemel ſibi leniter ferendum conſtituere, iraſcuntur fatis, in cælum, naturámque & prouidentiam rerum blaſphemant, neque poſſunt mentem ſic diuertere, quin ad eaſdem identidem cogitationes redeant, ſicque ante tempus, quo ſe putant fore miſeros, miſerrimi fiant. Quod ſubiicitur verò Epicurum *ægritudinis leuationem in duabus rebus ponere auocatione à cogitanda moleſtia, & reuocatione ad contemplandas voluptates*; patet quoque quam ſit ſuſpectum, vel ex eo, quod in Apologia ipſi Plutarcho obiectum eſt, ob ſimilem imputationem. Nam cenſuit quidem Epicurus leuandam ægritudinem auocando mentem, quantum fieri licet, à cogitanda moleſtia; at præſtare id, illam reuocando ad contemplandas voluptates (& quatenus illi quidem interpretantur, corporeas) ac non potiùs ad meditandum, quæ honeſtè ſimul, ſuauitérque ipſam diuertant; non ſomniauit ſanè, vt vel facto docuit; quod Plutarchus parùm candidè detorſit. Scripſit nimirùm Epicurus, ſe illis adeò grauibus nephritidis doloribus, ad quorum magnitudinem nihil poſſet accedere, oppoſuiſſe τὸ κατὰ ψυχὴν χαῖρον, ἐπὶ τῇ τῶν γεγονότων διαλογισμῶν μνήμῃ, *illud animi gaudium, quod perciperet ex ratiociniorum præteritorum recordatione*; Plutarchus autem oppoſuiſſe ſuos dolores obiicit τῇ μνήμῃ τῶν ἀπολελαυσμένων πρότερον ἡδονῶν, *perceptarum prius voluptatum memoria.* Quod repeto quidem, vt agnoſcas tem eſſe parem, quòd iam Cicero illi obiicit; vt poſſit nimirum, quaſi paſſis velis in eum inuehi, & ſubiecto præſertim loco, quem ait deſumptum ex libro de Fine (& de quo ſuperiùs tamen dictum eſt) *Nec equidem habeo, quod intelligam bonum*, &c.

Quamobrem iſta qualiſcumque à Cicerone facta declaratio Epicureæ ſententiæ, non obſtat, quò minùs Epicurus verè cenſuerit, opiniones illas, ob quas perturbationes occupant mentem, ſerenitatémque illius obfuſcant, ac tranquillitatem peruertunt, ſtudioſè abigendas eſſe; quatenus eæ ſunt, non ipſa natura, quæ perturbationibus huiuſcemodi occaſionem faciunt. Adeò proinde, vt ſi ad cuiuſquam, ad ipſius ſanè Epicuri mentem, quam maximè ſit, quod ipſemet alioquin Cicero de viro ſapiente, beatóque habet, quòdque adeò egregium eſt, vt hunc in locum tranſcribere, eſſe non poſſit importunum. *Ergo is*, inquit, *quiſquis eſt, qui moderatione, & conſtantia quietus animo eſt, ſibíque ipſe placatus, vt neque tabeſcat moleſtiis, neque frangatur timore, nec ſitienter quid appetens, ardeat deſiderio, nec alacritate futili geſtiens deliqueſcat; is eſt ſapiens quem quærimus; is eſt beatus: Cui nihil humanarum rerum, aut intolerabile ad demittendum animum, aut nimis lætabile ad efferendum videri poteſt. Quid enim videatur ei magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiúſque Mundi nota ſit magnitudo? Nam quid aut in ſtudiis humanis, aut in tam exigua vitæ breuitate magnum ſapienti videri poteſt, qui ſemper animo ſic excubat, vt ei nihil improuiſum accidere poſſit, nihil inopinatum, nihil omninò nouum? Atque idem, ita acrem in omneis parteis aciem intendit, vt ſemper videat ſedem ſibi, ac locum ſine moleſtia, atque angore viuendi, vt quemcumque caſum fortuna inuexerit, hunc aptè, & quietè ferat. Quod qui faciet, non ægritudine ſolùm vacabit, ſed etiam perturbationibus reliquis omnibus. His autem vacuus animus, perfectè, atque abſolutè beatos efficit.*

Pag. 49. ✝. 12. Τούτων δὲ πάντων ἀρχὴ, καὶ τὸ μέγιστον ἀγαθὸν φρόνησις. Quòd hoc loco vocem *φρονήσεως* non *Sapientiam*, vt Cicero, ſed *Prudentiam* interpretor; vti & ſtatim vocem *φρονίμως*, non *ſapienter*, ſed *prudenter* reddo; ambiguitatis deuitandæ causâ facio; ne cùm heic agatur de virtute morali, nihil videatur eſſe inter ipſam Sapientiámque, τῆς σοφίας voci reſpondentem, diſcriminis; vt prætercam lib. de Vniu. 2. de Inuent. 3. Tuſc. 1. offic. ipſum quoque Ciceronem, non modò interdum τῆς φρονήσεως vocem interpretari *Prudentiam*; ſed interdum quoque dum quatuor moraleis virtutes enumerat, illam, quæ primo loco eſt, non Sapientiam dicere, ſed Prudentiam; vtcumque etiam interdum ſimul nomina Sapientiæ, Prudentiæque adhibeat. Sed ne in hoc hæream, maximéque cùm vſus voces fecerit (etiam in noſtro idiomate) propemodùm ſynonymas; id potiùs notandum, quod Epicurus ait, *Prudentiam eſſe quoque præ ipſa Philoſophia honorabilem*; id quippe facere videtur, vt interpretando inſinuatum eſt, quatenus Prudentia virtus eſt ἡγεμονικὴ, *imperans*, ac ipſam etiam Philoſophiam ad vitæ finem, ſeu ad bene, beatéque viuendum diſponit; vt dum explorandum præſcribit, diuinitúſne, an per naturæ diſpoſitione, Eclipſes, Tonitrua, aliáque id genus contingant. Tametſi videtur res quoque eo ſenſu poſſe accipi, ad quem viſus eſt Cicero attendere, cùm Sapientiam potiùs quàm Prudentiam dixit; quaſi nimirùm Epicurus τῆς φρονήσεως nomine intellexerit tam ipſam Philoſophiam, ſeu peritiam rerum, & naturalium maximè, quàm ipſam virtutem moralem.

✝. 17. Οὐδὲ φρονίμως, καὶ καλῶς, καὶ δικαίως. Supplenda verba iſta fuiſſe, vt manifeſtè deficientia, indicauit quoque ipſi Stephano locus Ciceronis antè recitatus, in quo Tor- 1. de fin. quati verba ſunt: *Clamat Epicurus, is, quem vos voluptatibus eſſe deditum dicitis, non poſſe iucundè viui, niſi ſapienter, honeſtè, iuſtéque viuatur; nec ſapienter, honeſtè, iuſtè, niſi iucundè.* Quod interpretando verò τὸ καλῶς, *honeſtè*, idem eſſe inſinuo ac *fortiter*, *& temperanter*; idcircò facio, vt intelligatur, cùm virtus moralis diſtribui in quatuor parteis ſoleat, Epicurum, duabus diſertè recenſitis, comprehendiſſe reliquas duas ſub ipſo nomine *honeſtatis*, quæ illis ſpeciali titulo tribuitur; quatenus, qui gerunt ſeſe fortiter, gerere ſe honeſtè, decoréque dicuntur; & vt maximè honeſtum, decorúmque habetur mortem pro patria oppetere, ita & mortuis pro patria maximus ſolet haberi honos, ex quo eſt nomen honeſtatis; quatenúſque, qui ſobriè, continentérque vitam degunt, ij & honeſtè viuere, & decorum ſeruare dicuntur.

✝. 22. Ἐπεὶ, τίνα νομίζεις. Continetur heic quaſi quædam hactenus dictorum in Epiſtola ἀνακεφαλαίωσις, ac vnà habetur introductio ad diſſertatiunculam de Fato, Fortuna, Liberóque arbitrio. Et quod ad Summariam quidem recenſionem eorum, quæ pertractata huc vſque ſunt, ſpectat, ipſa eſt, quam 2. de fin. Torquatus apud Ciceronem imitari videtur, dum concluſurus ſuam illam de rebus Moralibus iuxta Epicurum diſputationem; poſtquam illud præmiſit; *Igitur neque ſtultorum quiſquam beatus, neque ſapientum non beatus; multóque hoc meliùs nos, veriúſque, quàm Stoici: Illi enim negant bonum quidquam eſſe, niſi neſcio quam illam vmbram, quod appellant honeſtum, non tam ſolido, quàm ſplendido nomine: virtutem autem nixam hoc honeſto, nullam requirere voluptatem, atque ad beatè viuendum ſeipſa eſſe contentam*: tum pergit: *Sed poſſunt hæc quadam ratione dici non modo non repugnantibus, verùm etiam approbantibus nobis; ſic enim ab Epicuro Sapiens beatus ſemper inducitur; finitas habet cupiditates: negligit mortem: De Diis immortalibus ſine vllo metu vera ſentit, non dubitat, ſi ita melius ſit, de vita migrare. His rebus inſtructus, ſemper in voluptate eſt; neque enim tempus eſt vllum, quo non plus habeat voluptatis, quàm dolorum. nam & præterita gratè meminit, & præſentibus ita potitur, vt animaduertat, quanta ſint ea, quàmque iucunda; neque pendet ex futuris, ſed expectat illa, fruitur præſentibus; ab iiſque vitiis, quæ paulò antè collegi, abeſt plurimum; & cùm ſtultorum vitam cum ſua comparat, magna afficitur voluptate: Dolores autem, ſi qui incurrunt, nunquam vim tantam habent, vt non plus habeat ſapiens, quod gaudeat quam quod angatur.* imitari etiam videtur apud eundem Epicureus Zeno, quatenus dicere ſolitus perhibetur, *Eum eſſe beatum, qui præſentibus voluptatibus frueretur, conſideretque ſe fruiturum aut in omni, aut in magna parte vitæ, dolore non interueniente; aut, ſi interueniret, ſi ſummus foret, futurum breuem; ſi productior, plus habiturum iucundi, quàm mali: hæc cogitantem fore beatum; præſertim, ſi antè præceptis bonis contentus eſſet, nec Deos extimeſceret.* 3. Tuſcul. Immò & videtur ipſe Seneca, dum ad cuiuſdam Epiſtolæ calcem, *Non cupiditas,* Epiſt. 75. inquit, *nos non timor pellet; inagitati terroribus, incorrupti voluptatibus, nec mortem horrebimus, nec Deos; ſciemus mortem malum non eſſe; Deos malos non eſſe. Tam imbecillum eſt, quod nocet, quam cui nocetur,* &c.

✝. 29. βραχεῖς τινὰ δὲ, pro βραχίστην. Sic enim optimè MSS. cùm & ſit perſpicuum vocem βραχεῖς neceſſariam eſſe ad illam Antitheſin, ὁ χρόνος, ὁ πόνος, ac ſecus non poſſe ſenſum congruum cum ſuccedente membro quadrare. Prætereo autem eandem ſenten- 1. de fin. tiam cùm inter Ratas numerari, tum à Torquato exprimi; quòd nimirum, *dolor in longinquitate leuis in grauitate breuis ſoleat eſſe: vt eius magnitudinem celeritas, diuturnitatem alleuatio conſoletur*; cùm & poſteà ab ipſo Cicerone breuiùs, *Si grauis, breuis; ſi longus, leuis.*

✝. 30. Ἀνάγκην μὲν ἐπὶ, &c. ad vſque παρ' ἡμᾶς, pro ἀγνοοῦντος ἃ μὲν διὰ τύχης, ἃ δὲ. Quippe nullus alioquin ſenſus; & manifeſtum eſſe lib. 2. videtur vocem ἀνάγκην fuiſſe ſupplendam, quòd & diſertè ſtatim ipſa neceſſitas cum eiſdem, hoc eſt, cum Fortuna, & Eo, quod in nobis eſt, comparetur; & ipſa proinde ea ſit δεσπότις, quam ab aliquibus inductam Epicurus conqueritur. Et quos ille quidem intellexerit, Stoici videri potiſſimùm poſſunt: ipſis ſiquidem eius æmulis, vix vlli fuere Neceſſitatis, ſeu Fati aſſertores acriores. Et res

vel

vel ex eo confirmari poſſet, quòd Balbum Stoïcum alloquens apud Ciceronem Velleius, (1. de nat. Deor.) *Itaque*, inquit, *impoſuiſtis ceruicibus noſtris ſempiternum Dominum, quem dies, noctéſque timeremus*. Et ſtatim: *Hinc vobis exſtitit primùm illa fatalis Neceſſitas, quam Εἱμαρμένην dicitis, vt quicquid accidat, id ex æterna veritate, cauſarúmque continuatione fluxiſſe dicatis*. Vt interim taceam, quod Agellius refert aliarum opinionum, diſciplinarúmque authores Chryſippo obſtrepere; (lib.6. c.2.) videri penè poſſe ex hoc Epicuri loco deſumptum; ac præſertim quà obiicitur, *eſſe iniquè pœnas conſtitutas legibus ſi omnia condicenda ſunt Neceſſitati cuidam, & inſtantiæ, quæ oritur ex Fato; omnium quæ ſit rerum Domina, & arbitra, per quam neceſſe ſit fieri quicquid futurum eſt*, &c. Verumtamen, quòd ſtatim pòſt eſſe autumat præſtabilius adhærere fabulis, quàm *Phyſicorum Fato ſeruire*, ij poſſunt iidem reputari, cum Phyſicis illis antiquioribus, (lib.de Fato.) Democrito, Heraclito, Empedocle, quos Cicero citat in eandem ſententiam, Ariſtotelem ipſis copulans, cùm deberet potiùs Leucippum, quem audiuit Democritus, & quem non longè ab initio Epiſtolæ ad Pythoclem, intellexiſſe Epicurum ſuo loco declarauimus, dum *vnum* dixit *Phyſicorum*. Nempe Leucippus quoque omnia (Ecl.Phyſ.) neceſſitate fieri docuit, vti apud Stobæum eſt, qui & Parmenidem aliùnde Democrito adiungit: ne aliquid dicam de Thalete, & aliis. Dico autem hos potiùs; nam Ariſtotelis quidem fuiſſe aliam de Neceſſitate ſententiam, (Iatrophil. quæſt.5.) tum Naudæus noſter præclarè oſtendit; (lib.de morb. ac.cap.14.) tum intelligi licebit ex iis, quæ erunt poſteà de illius opinione commemoranda. Taceo interim poſteriores, vt Aſclepiadem Medicum, apud Aurelianum, & alios.

ᵿ. 43. ὑπολάμβανε, pro ὑπολαμβάνειν, vt videlicet verbum ſit, quicum conſiſtat participium inſequens νομίζων, & ſenſus alioquin obſcurus, efficiatur non-nihil clarior, ac præſertim quidem, adhibita Parentheſi illa, quæ cœpta à verbo οἴονται, imperſonali facto ex οἴεται, deſinat in χαριζόμενος, & præmiſsâ verbo δεδοικὼς particulâ μὴ, vel ex indicatione aduerſatiuæ, quæ ſtatim ſequitur, μέμφεται.

(Pag. 50.) ᵿ. 9. Ταῦτα οὖν. Hæc eſt totius Epiſtolæ ad Menœceum concluſio, in qua σεαυτὸν, pro ἑαυτὸν, repoſui; quòd tametſi hæc vox perſonæ omnis haberi valeat; ſtatim nihilominùs ſequatur, non ἑαυτῷ, ſed σεαυτῷ. Eſt porrò Concluſio conſona Exordio: quatenus in Exordio quidem, tam eſſe Iuueni, quàm Seni philoſophandum docuit, ac illa eſſe meditanda, quæ vitam beatam faciunt; nunc autem, poſtquam ea ediſſeruit, hortatur Menœceum, vt in ipſorum meditatione aſſiduus ſit, ſiue continenter de illis philoſophando non fatigetur. Quò fatigari autem minùs, ſeu quaſi delaſſari poſſit, ſubmonet, deligat amicum ſibi ipſi quam-ſimillimum, quicum nihil non commune habeat, atque adeò quicum philoſophetur, meditationémve inſtituat. Hac certè de cauſa edicet poſteriùs inter Ratas Sententias: *Omnium rerum quas ad beatè viuendum comparauit Sapientia, nihil eſſe amicitiæ poſſeſſione maius*; &, vt interpretando addit Cicero, *nihil vberius, nihil iucundius*. Siquidem non aliâ re magis Sapientis vita beata eſt, quàm dum inter philoſophandum, poteſt amico, qui ſit perſpectæ ſinceritatis dicere; μόνω ἱερῷ, ſeu, vt aliquando ad Q. Fratrem Cicero, *Soli ſumus: licet verum exquirere ſine inuidia*.

ᵿ. 16. μαντικὴν δ᾽ ἀναιρεῖ. Tertium hoc eſt Membrum eorum, quæ à Laërtio circa Moralem Epicuri Philoſophiam congeſta ſunt. Continet autem ex ſuperiùs dictis paucula quædam capita, quæ, abſolutâ Epiſtolâ, Laërtius cenſuit ex aliis Epicuri Operibus corroganda, ac ſubiicienda. Primum autem caput inſtituitur *de Diuinatione*, de qua egiſſe Epicurum ait cùm in locis aliis, tum in *Magna Epitome*. Lego ſcilicet μακρᾷ, pro μικρᾷ, cùm Parua Epitome non alia exſtitiſſe videatur, quàm & ſuperſtes, & iam antè relata ad Herodotum Epiſtola, vt vel ex ipſa Epiſtolæ ad Pythoclem ſubiunctæ Præfatione intelligitur; & conſtet in ea de Diuinatione, refutationéque Artis diuinandi, mentionem nullam fieri; ac ſi id, quod Laërtius habet, fuit in duarum altera, id fuiſſe debere conſcriptum in Magna. Quod interpretando verò adiicio, præmittóque, ad indicandum, concluſam fuiſſe Epiſtolam; idcircò facio, quòd alioquin ſolitus interdum Laërtius aliqua interiicere, res videri poſſit non ſatis perſpicua; & quæ mox habentur verba Epicuri, Μαντικὴ ὡς ἀνύπαρκτος, &c. videri poſſint cum Epiſtolæ extremis eſſe continuanda: ac potiſſimùm, cùm Laërtius aliam veluti quandam eorum, quæ ad mores attinent, concluſionem inſinuet.

ᵿ. 22. Διαφέρεται δὲ πρὸς τοὺς Κυρηναϊκούς. Aliud hoc eſt Caput, quod Laërtius adhibet ad declarandum diſcrimen, quo Epicurus ab Ariſtippo, Cyrenaïciſque illius Sectatoribus circa opinionem de Voluptate differt. Lego autem ᵿ. 25. ἀμφοτέρας, pro ἀμφότερα, quòd phraſis ſit planior, & vox manifeſtè referatur ad Voluptates, καταστηματικὴν, καὶ ἐν κινήσει, mox nominatas. Lego etiam ᵿ 29. φιλοσόφους pro φίλους, quæ vox fieri ac retineri ex ipſa ſcripturæ abbreuiatione potuit; cùm alioquin inſcriptio πρὸς τοὺς ἐν Μιτυλήνῃ φιλοσόφους, non modò apud Empiricum, ſed etiam ſuperius apud Laërtium ipſum habeatur.

ᵿ. 4. Ἀποδείξει δὲ χρῆται. Aliud rurſùs caput hoc eſt à Laërtio adhibitum, Demonſtrationem continens, quâ Epicurus vſus eſt, vt Voluptatem eſſe finem beatæ vitæ conſtabiliret. (Pag. 51.) Illa porrò ſuperiùs iam & relata eſt, & fusè deducta; quare addendum heic ſolùm eſt, quibus eam verbis Epicurus apud Empiricum efferat. Ea igitur ſunt: Ὅτι φυσικῶς, καὶ ἀδιδάκτως τὸ ζῶον φεύγει μὲν τὴν ἀλγηδόνα, διώκει δὲ τὴν ἡδονήν. Γεννηθὲν γοῦν, καὶ μηδέπω κατὰ δόξαν δουλεῦον ἅμα τῷ ῥαπισθῆναι ἀσυνήθει ἀέρος ψύξει, ἔκλαυσέ τε, καὶ ἐκώκυσεν. Εἰ δὲ φυσικῶς ὁρμᾷ μὲν πρὸς ἡδονὴν, ἐκκλίνει δὲ τὸν πόνον, φύσει φευκτὸν τε ἐστὶν αὐτῷ ὁ πόνος, καὶ αἱρετὸν ἡ ἡδονή, *Animal ipſâ naturæ ſponte, & citra omnem eruditionem refugit dolorem, & proſequitur voluptatem*.

voluptatem. Quippe ſimul, ac natum eſt, & nulla adhuc opinionis ſeruitute præoccupatur, vbi inſueto aeris frigore percellitur, plorat, eiuláſque. Si natura autem duce voluptatem appetit, dolorem declinat; eſt ergo ipſi dolor quidpiam refugiendum, voluptas expetendum, ſecundùm naturam. Non addo Cyrenaicos fuiſſe eadem demonſtratione, vt voluptatem pariter eſſe
lib. 2. finem probarent, vſos; cùm apud Laërtium Voluptatem definientes λείαν κίνησιν, *ſuauem motionem*; & dolorem, τραχεῖαν, *aſperam*, dixerunt, τὴν μὲν εὐδοκητὴν πᾶσι ζώοις, τὴν δὲ ἀποκρουστικήν, *illam quidem eſſe, quam animalia omnia adſciſcant, hanc verò, quam omnia repellant.* Adnoto ſolùm B. Clementem, cùm ean-
2. Strom. dem illis tribuat, adiieiatque Epicurum definiiſſe τὸ αἱρετὸν, *ipſum Eligibile*, ὃ πρῶτον ἐξ ἑαυτοῦ ἐφ' ἑαυτὸ ἐπισπᾶται, *id, quod primum ex ſeipſo*, ſuáve naturâ, *ad ſeipſum allicit*; in-
Ecl. Eth. cap 3. ſinuari legendum quoque apud Stobæum ἑαυτὸ, vbi rursùs ex Epicuro eſſe Voluptatem finem declaratur.

ꝟ. 10. Δακρύει βοῶν. Ita certè legendum Caſaubonus putat (niſi etiam βοᾷ δακρύων) pro βοῷ δαίνων. Et fortè quidem pro δαίνων, legi potuit θανὼν, aut alio modo correctio inſtitui; ſed præſtat eruditi viri coniecturæ inſiſtere; quoniam tametſi tranſpoſitio duriuſcula eſt, redditur tamen verſus integrior, qualis in Trachiniis Sophoclis habetur; vtcumque præterea apud Poëtam non ἴσχων, ſed ἐκτύπων legatur. Immutanda verò non fuit hæc vox (vti neque fortè immutatio illa facienda) quòd Epicurus ad hunc locum alludens, videatur potiùs ſenſum tenuiſſe, quàm verba; ac ea habuiſſe fortè in mente, quod apud eundem Sophoclem legantur pari occaſione (eiulante nempe Philoctete) reddidiſſe montes γόον ἀντίτυπον. Prætereo autem Ciceronem veluti retorquere allatum de Hercule exemplum aduerſus ipſum Epicurum; vbi de dolore in eum diſputans, & poſtquàm illos Herculis queſtus, qui apud eundem Poëtam fusè ſequuntur, retulit,

2. Tuſcul. *O multa dicta grauia, perpeſſa aſpera, &c.*

ſubdit: *Poſſumus-ne nos contemnere dolorem, cùm ipſum Herculem tam intoleranter dolere videamus.* Et, ne memorem, quod de Prometheo addit, qui fruſtrà

Amore mortis terminum inquirit mali,
(Scilicet Caucaſea ſub rupe
Auſon. *Teſtatur Saturnigenam, nec nomine ceſſat.*
Incuſare Iouem, data ſit quod vita perennis.)

Obſeruo dumtaxat id, quod illeic loci ſubiicitur de Philoctete, (qui

——*Silueſtribus abditus antris*
Saxa mouet gemitu)——

vſurpari quoque alibi ab ipſo ſpecialiùs contra Epicurum. Quippe memorato Lemnio illo ſaxo,

Ouid. *Quod eiulatu, queſtu, gemitu, fremitibus,*
Reſonando multum flebileis voces refert:

pergit, *Huic Epicurus comparet ſe, ſi poteſt,* &c. Sed ad citatos quidem ab Epicuro verſus quod ſpectat; conſtat ipſum aliud nihil velle, quàm eſſe dolorem quidpiam per ſe malum; quando ipſi quoque, qui reputantur Deorum filij, ac fortiſſimus Hercules imprimis, eum tantopere exſecrantur.

Ad Ratas Epicuri Sententias.

ꝟ. 11 KAὶ φέρε δὴ νῦν. Poſtremum hoc eſt ex iis quatuor Membris, in quæ viſum eſt poſſe diuidi, quæ de Morali Epicuri Philoſophia Laërtius collegit. De titulo porrò, quo Epicuri liber inſcriptus eſt Κυρίαι δόξαι, *Rata Sententia*, dicemus in Apologia circa librorum Indicem. Ad rem quod ſpectat, libellus fuit, in quem Epicurus congeſſit præcipuas Sententiarum Moralium, vt vno quaſi faſciculo collectæ haberentur in promptu. Scilicet de illis ita Cicero: *In alio verò libro, vbi breuiter comprehenſis grauiſſimis ſententiis, oracula ediſſe ſapientia Epicurus dicitur ſcribit his verbis, quæ nota tibi profectò, Torquate, ſunt, Quis enim veſtrûm non edidicit Epicuri κυρίας δόξας, id eſt maxime ratas, quia grauiſſima ſint ad beatè viuendum breuiter enunciata ſententia.* Quibus ex verbis intelligitur, Epicureos facto probaſſe, quod ait Demetrius Cynicus apud Senecam; docens ſcilicet, *Plus prodeſſe ſi pauca præcepta Sapientia teneas, ſed illa in promptu tibi, & in vſu ſint, quam ſi multa quidem didiceris, ſed illa non habeas ad manum.* Et tales certè Sententiæ *feriunt animum*, ait Quintilianus, *& vno ictu frequenter impellunt, & ipſa breuitate magis hærent, & dilectione perſuadent.* Ac non ſunt illæ quidem ordine digeſtæ, ſed permiſtim compoſitæ, vt Plutarchus quidem non ſemel cauſatur; ſed ne memorem, quod Galenus habet circa Aphoriſmos Hippocratis; ne praxin ipſam Antonini, libros de vita ſua ſcribentis, & (ſi modò dicere liceat) ipſius quoque Salomonis mortalium ſapientiſſimi; addo id duntaxat quod ait Simplicius: videlicet celebre illud *Epicteti Enchiridium, contextum fuiſſe non ab ipſomet, ſed ab Arriano, qui ex ipſis Epicteti diſſertationibus excerpſerit; ad eum modum, quo Rata ſententia ex variis Epicuri libris, ceu florilegio collecta ſunt.* Cæterùm ipſarum quaſi argumentum Luciani verba continent, cùm de famoſo illo Pſeudomanti loquens, *Deſignauit*, inquit, *Alexander, quidpiam riſu digniſſimum Ratas Sententias Epicuri nactus (librum, vt noſti, pulcherrimum, & qui ſummatim decreta ſapientiæ ſummi viri complectitur) in medium forum deportauit, lignis et cremauit ficulneis (vt ſi Authorem ipſum cremaſſet) ac cineres in mare abiecit; edito etiam oraculo,*

Πυρπολέειν κέλομαι δόξας ἀλαοῖο γέροντος.
Hæc luſci Decreta ſenis comburere mando.

Non agnoſcens, ſceleſtus ille, quantorum bonorum ſit cauſa huiuſmodi libellus iis, qui in ipſum inciderint; quantamque illis & quietem & tranquillitatem, & libertatem pariat δειμάτων μὲν, καὶ φασμάτων, καὶ τεράτων ἀπαλλάττων, καὶ ἐλπίδων ματαίων, καὶ περιττῶν ἐπιθυμιῶν, νοῦν δὲ, καὶ ἀλήθειαν ἐντιθεὶς, καὶ καθαίρων, ὡς ἀληθῶς τὰς γνώμας, οὐχ ὑπὸ δᾳδὶ, καὶ σκίλλῃ, καὶ τῶν τοιούτων φλυαρίαις, ἀλλὰ λόγῳ ὀρθῷ, καὶ ἀληθείᾳ, καὶ παῤῥησίᾳ. *Abigens pauores, & ſpectra & prodigia & ſpes vanas, & cupiditates ſuperuacaneas; ac luſtrans omnino*

Marginal notes (right column): 2. de fin. — 7. de bene. 5. — lib. 12. c. 10. — de Pyth. orac. & de ſer. pun. — in aph. 1. — comment. in Enchir. — in Pſeud.

omnino animi conſilia, non ſanè tedâ, neque ſquillâ, neque id genus aliis nugamentis; ſed rectâ ratione, & veritate, & confidentia.

Quod beatum, æternúmque eſt, id nec habet ipſum negotij quicquam, nec exhibet alteri. Itaque neque irâ, neque gratiâ tenetur, quòd quæ talia ſunt, imbecilla ſint omnia.

1. adu. Col. ℣. 29. Τὸ μακάριον, καὶ ἄφθαρτον. Hæc eſt, quam Plutarchus, meritò cauſatur non per ambages, non clàm, non perplexâ ratione præaſſumptam eſſe τὴν πρώτην τῶν κυριωτάτων δοξῶν, *maximè Ratarum Sententiarum primam*; quippe, quæ pugnare adeò manifeſtè cum ipſa diuina prouidentia videatur. Prætereo autem, vt ipſius non nemo penè meminerit, ac ferè quidem cum aliqua, ſed leui tamen

in Apocol. immutatione. Nam v. c. Seneca ludens in Claudium Cæſarem, Ἐπικούρειος θεὸς οὔτε

Plaut. in Caſin. αὐτὸς πρᾶγμα ἔχει, οὔτε ἄλλοις παρέχει. (quâ ludendi occaſione adnotari poteſt Comicum quoque hunc reſpexiſſe, cùm ait, *Enimverò* πράγματά μοι παρέχεις. Stob. *Dabo* μέγα κακόν,

3. hypot. 24. &c.) Empiricus verò, τὸ μακάριον, καὶ ἄφθαρτον, μήτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, μήτε ἑτέροις παρέχει.

2. adu. Col. Plutarchus, τὸ μακάριον, καὶ ἄφθαρτον οὔτε ὀρ-

diſſert. 19. de γαῖς, οὔτε χάρισι συνέχεται. Maximus Tyrius,

nat. ho. 44. Τὸ ἀθάνατον οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει. Et, ne plureis conſecter, vnus Nemeſius eſto ſatis, qui poſtquàm integram, iiſdémque verbis retulit ſententiam, niſi quod pro πᾶν τὸ τοιοῦτον, habet πάντα τὰ τοιαῦτα, adiicit hæc verba, ὀργὴ γὰρ θεῶν ἀλλότριον, ἐπὶ γὰρ ἀβουλήτῳ γίνεται, θεῷ δὲ οὐδὲν ἀβούλητον, *Res enim aliena à Diis eſt ira; quoniam excitatur ob id, quod præter voluntatem fit; præter autem Dei voluntatem fieri nihil poteſt.* Ad interpretatio-

lib. 1. nem quod ſpectat, ea eſt ex Cicerone deſumpta, qui non modò in libris de Legibus ait, *Primum caput libri optimi eſſe, in quo Epicurus ſcripſerit, Nihil curare Deum, nec ſui, nec alieni:*

lib. 2. (quo modo in libris quoque de Diuinatione. *Illius enim Deus,* inquit, *nihil habens nec ſui, nec alieni negotij non poteſt hominibus diuinationẽ impertire*: ac rurſus, *Quis hoc vobis dabit? Epicurùs ne, qui negat quicquam Deos nec alie-*

lib. 1. *ni curare, nec ſui?*) ſed in libris etiam de natura Deorum, Velleium inducit illam his verbis referentem, *Quod æternum, beatúmque ſit, id, nec habere ipſum negotij quidquam, nec exhibere alteri. Itaque neque irâ, neque gratiâ teneri; quòd quæ talia eſſent, imbecilla eſſent*

lib. 3. *omnia.* Ac in libris de Officiis, *Quid eſt igitur,* inquit, *dixerit quis, in iureiurando? Num iratum timemus Iouem? At hoc quidem commune eſt omnium Philoſophorum; non eorum modò, qui Deum nihil habere ipſum negotij dicunt, & nihil exhibere alteri: ſed eorum etiam qui Deum ſemper agere aliquid. & moliri volunt, nunquam nec iraſci Deum, nec nocere.* Nihil verò neceſſe eſt adnotare Lactantium interpretationem feciſſe cauſalem, dum, poſtquàm id præmiſit, quod ſuperiùs retulimus, *Cùm puta-*

de ira Dei. *ret Epicurus alienum eſſe à Deo malum facere, atque nocere, quod ex affectu iracundiæ plerumque naſcitur; ademit ei etiam beneficentiam; quoniam videbat conſequẽs eſſe, vt ſi habeat iram Deus, habeat & gratiam; itaque ne illi vitium concederet, etiam virtutis fecit expertem;* tum ſubiicit, *Ex hoc,* inquit, *beatus, & incorruptus eſt, quia nihil curat, neque habet ipſe negotium, neque alteri exhibet.* Multò minus neceſſe eſt referre interpretationem verſibus expreſſam, qualis eſt illa Auſonij,

Quod eſt beatum, morte & æternum carens,
Nec ſibi parit negotium, nec alteri,

aut vberior illa Lucretij,

Omnis enim per ſe Diuûm natura neceſſe'ſt lib. 1.
Immortali æuo ſumma cum pace fruatur.
Semota à rebus noſtris, ſeiunctaque longè.
Nam priuata dolore omni priuata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri,
Nec bene promeritis capitur nec tangitur irâ.

aut quam ex Lucretio, & imitatione quidem illius verſus

Nam bene qui didicere Deos ſecurum agere lib. 5.
æuum, &c.

Horatius hiſce attigit,

——credat Iudæus Apella, 1. Sat. 5.
Non ego; namque Deos didici ſecurum agere æuum;
Nec, ſi quid miri faciat natura, Deos id
Triſteis ex alto cæli demittere tecto.

Ad rem ipſam quod attinet, cùm pari ratione Epicurus ſcripſiſſet ad Herodotum, οὐ συμφωνεῖν πραγματείας, καὶ φροντίδας, καὶ χάριτας μακαριότητι, ἀλλ᾽ ἀσθενείᾳ, καὶ φόβῳ, καὶ προσδεήσει τῶν πλησίον ταῦτα γίνεσθαι, *Non congruere cum felicitate negotia, ſollicitudines, iram, gratiam; ſed hæc, præ imbecillitate, metu, opiſque externæ indigentia contingere:* Anſam cepimus illeic loei, tuendi, quantum per vireis licuit, Diuinam Prouidentiam, ac adnixi ſumus ſic oſtendere eam, quam habet Deus rerum curam, non laborioſum eſſe negotium, neque ſollicitudinem anxiam; eam, qua tenetur, iram, aut gratiam, non eſſe affectionem quampiam turbulentam; nihil ideò iſtorum cum felicitate pugnare, aut imbecilitatem, metum; indigentiamque arguere; vt nihil videatur, quod hoc loco adiiciendum ſit, ſupereſſe. Hoc ſolùm, quaſi ad hominem prætereundum argumentum non eſt, quòd quæri ex Epicuro poteſt, Deus-ne (quilibet-ve Deorum in Intermundiis illis, aut, vt Lucretius vocat, *ſedibus quietis*, degentium) voluptate afficiatur quapiam, ſeu aliqua re delectetur, an-non? Nam ſi nulla re delectetur, & ne ſuam quidem felicitatem cognoſcat, ac ſentiat, Marpeſia eſt cautes, neque vlla in eo felicitas intelligi, magiſquam in lapide poteſt. Sin delectetur; perſpicuum eſt, delectationem eſſe affectionum, ſeu paſſionum vnam; atque ideò non omnem, omnive modo acceptam paſſionem alienam eſſe à Diuina natura; ac iſtam quidem tantò minùs, quantò eſt quaſi flos, ac veluti coronamentum omnis actionis elicitæ ſecundum naturam. Porrò, ſi in Deo delectatio eſt; quænam, amabò, eſſe maior, quàm quæ ex Beneficentia percipitur, poteſt? Quomodo autem poteſt Deus vberiùs, magnificentiúſque ſuam teſtari beneficentiam,

quàm

quàm toti Mundo prouidens, ac ſpeciatim hominibus, qui ſiot huius beneficentiæ, Prouidentiæque intelligeotes? Verùm homines quidem experiri huiuſmodi beneficentiam, ſeu largiri Deum illis beneficia, planum ſuperiùs factum eſt prolixo ex Seneca
4.benef.4. loco, quo ille, quaſi indignabundus, *Non das*, inquit, *Deus beneficia, ſed ſecurus, & negligens noſtri auerſus à Mundo aliud agit, nec magis illum beneficia, quàm iniuria tangunt?* &c. Quod ſupereſt autem, præclarè Lactan-
loc.cit. tius, *Quæ igitur in Deo poteſt eſſe beatitudo, ſi ſemper quietus, & immobilis torpet; ſi peccantibus ſurdus, ſi colentibus cæcus? Quid tam dignum, tam proprium Deo, quàm Prouidentia?* Hic verò locus reuocat in mentem, non id modò, quod aduerſus Marcionem habet Ter-
lib.1. tullianus; nam, *ſi aliquem*, inquit, *de Epicuri Schola Deum affectauit Chriſti nomine titulare, vt quod beatum, & incorruptibile ſit, neque ſibi, neque aliis moleſtias præſtet (hanc enim ſententiam remouens Marcion, remouit ab illo ſeueritates, & iudiciarias vices) aut in totum*
lib.5. *immobilem, & ſtupentem Deum concepiſſe debuerat; aut*, &c. ac iterum, *Sed Marcion principalem ſuæ fidei terminum, de Epicuri Schola agnoſcat Dominum, inferens hebetem, nec timeri dicat eum*, &c. Verùm etiam id, quod
diſſert.29. Maximus Tyrius, dum Philoſophos cum Poëtis circa opiniones de Deo comparans, Epicurum habet circa hanc ſententiam quouis Poëta ſocordiorem, diſſolutiorem, Numiniſque imperitiorem; & poſtquàm ipſam fabulam dixit, quæſiitque, in cuiuſmodi Voluptatibus, verſari Deum putet, ſubdit, *At ne Sardanapalus quidem negotio vacabat, qui degeret licet clauſis foribus, & in cælato recubans lecto, mulierum chorum circumſtantem haberet, nihilominus de ſalute Nini, déque Aſſyriorum felicitate conſilia habebat. Tibi ne ergo videtur Iouis, quàm Sardanapali voluptas languidior?*
de orac.def. ὦ μύθων ἀπίστων; *O incredibileis fabulas!* Dicit porrò etiam fabulas Plutarchus, qua occaſione ipſi Epicurei Prouidentiam μῦθον *fabulam* dixerunt: ac fatuum ſubinde pronunciat, quòd illi fuere argumentati aduerſus Empedoclem Dæmonas inducentem, *Non poſſe illos* (quod poſteà adnotabitur) *praui, & vitioſi cùm ſint, feliceis, longæuóſque eſſe, quòd prauitati inſit multa cæcitas, & ad afferentia interitum propenſio*; vt liceat proinde fatuum dicere, quod pari ratione argumentabantur commotionem illam, quæ per iram ſentitur, tendere ad diſſolutionem. Attexendum verò & hoc, quaſi ad hominem argumentum. Fatetur Epicurus, ex ſuperiùs dictis, eſſe in Deo, *non corpus, ſed quaſi corpus; non ſanguinem, ſed quaſi ſanguinem:* Quid-ni igitur ſimiliter fateatur eſſe in Deo, non Paſſiones, ſed quaſi Paſſiones? atque adeò non iraſci illum, ſed quaſi iraſci, nõ teneri gratiâ, ſed quaſi teneri? quatenus ſcilicet id præſtat, caſtigãdo improbos, quod hominum vulgus ſolet facere, dũ iræ ſuccumbens vlciſcitur, facítque iniuriam; & bene afficiẽdo bonos, quod homines faciunt, dũ capti alicuius indole geſtiendo lætantur? Et ſanè, ſi poteſt Vir ſapiens, vt ſuo loco obſeruabitur, famulum peccantem increpare, & corrigere, ac animo tamen quieto conſtare: ſi ſine geſtiente lætitia egenti benefacere, ac ita ſe quoque habere erga miſerum, vt nihil opis prætermittens, quò minùs illum ſubleuet, dolorem tamen fractâ mente non ſentiat, ſeu ipſa affectione miſericordiæ non perturbetur; erit-ne minor in Deo virtus, vt punire ſonteis, gratificari indigentibus, afflictis ſuccurrere, niſi imbecillitatem teſtetur, ac faciat ſimul ſuæ ſapientiæ felicitatíſque iacturam, non poſſit? An in Deo eſſe non poterit, quæ eſt in Iudice animi ſedatio; qui vbi de damnando reo agitur, vſurpare poteſt illud Senecæ, *Procedam in* 1.de Ira 16. *Tribunal, non furens, nec infeſtus, ſed vultu Legis; & illa ſolemnia verba, ſeuera magis, grauique, quàm rabida voce concipiam; & agi iubebo non iratus, ſed ſeuerus. Et cùm ceruicem noxio præcidi imperabo; & cùm parricidam inſuam culeo; & cùm mittam in ſupplicium militare; & cum Tarpeio proditorem, hoſtémve publicum imponam, ſine ira, eo vultu, animóque ero, quo ſerpentes, & animalia venenata percutiunt. Iracundiâ opus eſt ad puniendum? Quid? Tibi videtur lex iraſci his, quos non nouit, quos non vidit, quos non futuros ſperat? Illius ſumendus eſt animus, quæ non iraſcitur, ſed conſtituit.*

℣. 32. Ἐν ἄλλοις δέ. Laërtij eſt additamentum. Lego verò ſtatim οὓς μὲν, pro ὡς μὲν, & οὓς δὲ, pro ὡς δὲ, quòd ſecùs non appareat, quid ſenſus exinde poſſit elici. Nihil eſſe interim videtur, quod ad loci declarationem iis addatur, quæ ſunt de ipſo circa habitam Exiſtentiæ Dei notitiam ſuperiùs allata; ac indicatis potiſſimùm illis ex Cicerone verbis; *Eam eſſe vim & naturam Deorum, vt primùm non ſenſu, ſed mente cernatur; nec ſoliditate quadam, nec ad numerum, vt ea, quæ ille, propter firmitatem, στερέμνια appellas; ſed imaginibus ſimilitudine, & tranſitione perceptis, cùm infinita ſimillimarum imaginum ſpecies ex innumerabilibus indiuiduis exſiſtat; & ad eos affluat cum maximis voluptatibus. In eas imagines mentem intentam, infixámque noſtram intelligentiam capere, quæ ſit & Beata natura, & Æterna.* 1.de Nat. Deor. Vbi voces illæ, *nec ſoliditate, nec ad numerum*, ita videntur accipiendæ, vt intelligamus imagines, quæ nobis in ſomnis occurrunt, eſſe & tenuiſſimas, & animis noſtris continuo affluxo ſic appellere, vt aliæ aliis quaſi cohæreant, nec diſcerni, ac veluti numerari vt plures valeant; inſtar ſcilicet earum rerum, quæ ſolidæ ſunt, & interſtitiis diſtinguuntur, vt declaratum ſuo loco eſt. Ac tenuitatem quidem indicat Epicurus, cùm apud Plutarchum docet Deos omneis λόγῳ 1.plac.7. θεωρητοὺς (quod ſanè vocabulum in ipſo etiam contextu exſtans reponendum apud Stobæum eſt, pro διαιρετοὺς, ob quam vocem Ecl.Phyſ.3. Interpres *Sectileis* Deos fecit,) διὰ τὴν λεπτομέρειαν τῆς τῶν εἰδώλων φύσεως, *Cogitatione percipi, ob naturæ imaginum tenuem contexturam.* Cætera tum Cicero ipſe poſteà indicat, dum *fluentium*, inquit, *frequenter tranſitio fit imaginum, vt è multis vna videatur*; tum ipſemet textus ſuggerit non obſcurè. Extrema autem illa Ciceronis verba, *In eas imagines mentem intentam, infixámque noſtram intelligentiam capere, quæ*

ſit & beata natura, & æterna, apertè inſiouant, quò Laërtius ſpectarit, ſeu quamobrem ipſi venerit in mentem, vt ad ſententiam hæc adderet. Adnoto verò interim, vt Plutar-
[de Orac.def.] cho eſt ſubſcribendum, cùm, *Si quid ſit*, inquit, *in Philoſophia riſu dignum, videantur iſtæ imagines mutæ, cæcæ, inanimæ, quas illi neſcio vbi permanere aiunt, & infinitos annorum circulos conficere, apparendo, paſſimque oberrando; cùm aliæ à viuis, aliæ à pridem crematis, aut etiam putredine abſumptis corporibus defluxerint*: Ita dignum eſſe conſideratiooe, quod Metrodoro B. Clemens tribuit, de agnitione Dei per Viſa, ſeu Imagines (quas ille noo εἴδωλα, ſed φάσματα vocat) vbi animæ uoſtræ è corpore exceſſerint puræ. Ac non videtur quidem res genium ſiue Metrodori, ſiue Epicuri ſapere; at eiuſmodi tamen eſt, vt ſeu Metrodori, ſeu alterius ſit, noo videatur eſſe heic prætermittẽda. Itaq; ſuadens B. Clemẽs, vt ad diſciplinam veram acceſſurus aliquos ex Ethnicis audiat, poſtquàm præmiſit Par-
[5.strom.] menidem, ſubdit: Μητροδώρου τε, καίτοι Ἐπικουρείου γενομένου, ἐνθέως ταῦτα εἰρηκότος, Μέμνησο, Μενέστρατε, διότι θνητὸς φὺς, καὶ λαβὼν βίον ὡρισμένον, ἀναβὰς τῇ ψυχῇ, ἕως ἐπὶ τὸν αἰῶνα, καὶ τὴν ἀπειρίαν τῶν πραγμάτων κατεῖδες, καὶ τὰ ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα, ὅτε σὺν εὐδαίμονι χορῷ, κατὰ τὸν Πλάτωνα, μακαρίαν ὄψιν τε, καὶ θέαν ἐποπτεύοντες ἑπόμενοι, μετὰ μὲν Διὸς ἡμεῖς, ἄλλοι δὲ μετ' ἄλλων θεῶν τελετὴν, ἣν θέμις λέγειν, μακαριωτάτην τελούμενοι, ἣν ὠργιάσομεν ὁλόκληροι μὲν αὐτοὶ, καὶ ἀπαθεῖς κακῶν, ὅσα ἡμᾶς ἐν ὑστέρῳ χρόνῳ ὑπέμενεν, ὁλόκληρα δὲ, καὶ ἀτρεμῆ φάσματα μυούμενοί τε, καὶ ἐποπτεύοντες ἐν αὐγῇ καθαρᾷ, καθαροὶ, καὶ ἀσήμαντοι τούτου, ὃ νῦν σῶμα περιφέροντες ὀνομάζομεν, ὀστρέου τρόπον δεδεσμευμένοι. *Metrodorum quoque, qui licet Epicureus fuerit, diuinè tamen iſtud dixit, Memento, ô Meneſtrate, quandoquidem mortalis es, & limite clauſam accepiſti vitam, animo aſcendere; quouſque ipſam æternitatem, immenſitatẽmque rerum, & quæ ſunt futura, præteritáque peruideris. Id, quod eueniet, cùm iuxta Platonem, vnà cum felici choro beatam faciem, & ſpectaculum contuebimur; ac inſequentes, nos quidem cum Ioue, alij verò cum aliis Diis, myſteria peragemus, celebrabimúſque, ſi fas dicere, beatiſſima: & perfecti iam, malorúmque omnium, quæ nos manſerint poſteriùs, expertes, perfecta, & pacata viſa aſſequemur, contuebimurque in pura luce; puri ipſi, ac nullum ampliùs retinentes veſtigium huius, quod iam nominitamus corpus; cuique oſtrei inſtar illigati ſumus.*

Mors ad nos nihil pertinet. Quod enim diſſolutum eſt, id eſt ſine ſenſu. Quod autem ſine ſenſu eſt, id nihil omnino ad nos pertinet.

ψ. 38. Ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Eſt & hæc ſententia carbone notanda, qoatenus quidem nullum ſupereſſe à morte ſeoſum ita ſupponit, vt inferri exinde poſſit, eſſe Animum, oon minùs quàm corpus, diſſolutioni obnoxium; quod ſuperiùs eſt fusè refutatum. Quæ adbibita porrò eſt ad ipſum textum interpretatio, Ciceronis ad verbum eſt, nemóque penè eſt Authorum, qui Ipſam quoque verbatim non babeat. Cæteros inter, [adu.Gram.] Empiricus tum eam copulat cum iis, quæ hac eadem de re in Epiſtola ad Menœceum exſtant; tum illud, τὸ γὰρ διαλυθὲν, pro demonſtratione habet, dum *Mortem*, inquit, *nihil pertinere ad nos, dictum quidem fortè à Sophrone fuit; verùm demonſtratum eſt ab Epicuro; neque, quòd dictum fuerit, ſed quod demonſtratum, mirabile eſt.* Quo loco obiter obſeruari poteſt, cùm Sophron Mimogra- [lib.de poet.] phus fuerit, cuius Ariſtoteles, Athenæus, [lib.3.] Laërtius, alij meminerunt; interpretem ta- [lib.3.] men videri babuiſſe vocem εἴρηται, quaſi Epitbeton, quo Epicurus intelligere Epicharmum voluerit. Fortè, quòd Epicharmus quoque ſimile quidpiam edixerit, cuiuſmodi eſt v. c. carmen, quod Cicero ita expreſſit,

Emori nolo; ſed me eſſe mortuum, nihili [1.Tuſcul.]
æſtimo.

Huiuſcemodi porrò demonſtratio, ſiue argumentatio eſt, de qua A. Gellius hæc ha- [lib.2.c.8.] bet: *Plutarchus ſecundo librorum, quos de Homero compoſuit, imperfectè, atque præpoſterè, atque inſcitè, ſyllogiſmo eſſe vſum Epicurum dicit; verbáque ipſa Epicuri ponit*, Ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Τὸ γὰρ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ, τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. *Nam, prætermiſit, inquit, quod in prima parte ſumere debuit*, ὁ θάνατος ψυχῆς, καὶ σω- [-ματ]ος διάλυσις, *Tum deinde, eodem ipſo, quod omi[ſer]at, quaſi poſito conceſſóque, ad confirmandum aliud vtitur. Progredi autem hic, inquit, Syllogiſmus, niſi illo prius poſito, non poteſt. Verè hoc quidem Plutarchus de forma, & ordine Syllogiſmi ſcripſit. Nam ſi, vt in diſciplinis traditur, ita colligere, & ratiocinari velis, ſic dici oportet*, Ὁ θάνατος, ψυχῆς, καὶ σώματος διάλυσις, τὸ δὲ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ, τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. *Sed Epicurus cuiuſmodi homo eſt, non inſcitiâ videtur partem illam Syllogiſmi prætermiſiſſe. Neque id ei negotium fuit, Syllogiſmum, tanquam in Scholis Philoſophorum, cum numeris omnibus, & cum ſuis finibus reddere. Et profectò, quia ſeparatio animi, & corporis in morte euidens eſt, non eſt ratus neceſſariam eſſe eius admonitionem, quod omnibus prorſus erat obuium; ſicuti etiam, quòd concluſionem Syllogiſmi non in fine poſuit, ſed in principio. Nam id quoque non imperitè factum, quis non videt? Apud Platonem quoque*, &c. Quæ quidem ex parte telata libro Apologiæ octauo, heic iterum refero, tum quia controuerſia ob hunc locum fuit, tum vt innuam, niſi Agellius inſtituto à ſe Syllogiſmo concloſionem adhibuit, quæ eſſe potuit huiuſmodi, Ὁ θάνατος ἄρα οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, idcircò videri ab eo factum, qoòd cùm præmiſerit *ſic dici oportere, ſi velis ita colligere*, viſus fuerit nihil velle aliud quàm Antecedens, ſiue Præmiſſas proponere, quibus poſitis ea Concluſio neceſſariò conſequeretur. Quanquam & obſeruari poteſt debere iu eius Syllogiſmo, qui nihil aliud eſt, quàm Sorites, duas poſteriores propoſitiones ita copulatas haberi, vt pro vnica aſſumptione ſint, ne noo ſit Syllogiſmus tricorpor; & cùm hoc fuerit præſtitum, fore dumtaxat Syllogiſmum Galenicæ, vt vocant formæ, iuxta-

quam

quam in ea figura, quæ Ariſtoteli eſt prima, Medium prædicatur in Propoſitione de Minore extremo. Poſſet proinde Syllogiſmos hac fortè ratione efferri, ὃ τὸ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ, οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Τὸ θανάτῳ δὲ τὸ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ· ὁ θάνατος ἄρα οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς: poſſet & commodiùs cum ſubſumpto exprimi; verùm nihil eſt vitilitigandum; niſi quod prætereà adnotandum eſt, quod Cicero hanc in
2. de fin. rem habet. Is ergo prolatâ ſententiâ, *Hoc ipſum*, inquit *elegantiùs poni, meliúſque potuit. Nam quod ita poſitum eſt, Quod diſſolutum ſit, id eſſe ſine ſenſu, id eiuſmodi eſt, vt non ſatis planè dicat, quid ſit diſſolutum; ſed tamen intelligo quid velit. Quæro autem quid ſit quod cum diſſolutione, id eſt, morte exſtinguatur Et cùm reliqui nihil ſit omnino, quod pertineat ad nos tam accuratè, támque diligenter caueat, & ſanciat, vt Amynomachus, & hæredes ſui de Hermachi ſententia dent, quod ſatis ſit. ad diem agendum natalem ſuum quotannis menſe Gamelione*, &c. Adnotandum & (cæterorum vice) quid Ter-
lib. de an. tullianus eandem ad rem. Ille ſcilicet, *Epicurus*, inquit, *vulgari ſatis opinione negauit mortem ad nos pertinere. Quod enim diſſoluitur inquit ſenſu caret, & quod ſenſu caret, nihil ad nos. Diſſoluitur autem, & caret ſenſu non ipſa mors, ſed homo, qui eam patitur At ille ei dedit paſſionem cuius eſt actio. Quòd ſi hominis eſt pati mortem, diſſolutionem corporis, & peremptionem ſenſus; quam ineptum, vt tantâ vis ad hominem non pertinere dicatur? Multò coactiùs Seneca, Poſt mortem ait, omnia finiuntur etiam ipſa.* Prætereo autem hanc ſententiam affini illi in Epiſtola ad Menœceum ſunctam, locum feciſſe Patribus ſanctis, taxandi ſæpiùs Epicurum; præ cæteris autem B. Hieronymo, dum iis verba
cap. 22. illa Eſaiæ, *Ecce gaudium, & lætitiam: occidere vitulos, & iugulare arietes; comedere carneis, & bibere vinum: comedamus, & bibamus, cras enim moriemur*; intelligi id poſſe dicit *non ſolùm de hæreticis, ſed de omni peccatore, qui negligens peccata ſua, deſperatione fit peior, & voluptatibus irretitus, iungit peccato blaſphemiam, dicens illud Epicuri, Poſt mortem nihil eſt, & mors ipſa nihil eſt.* Itémque dum ſcribens aduerſus
lib. 2. Iouinianum, *Manduca*, inquit, *& bibe, & ſi tibi placet, cum Iſraële lude conſurgens, & canito, Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. Manducet, & bibat, qui poſt cibos exſpectat interitum; qui cum Epicuro dicit, Poſt mortem nihil eſt, & mors ipſa nihil eſt.* Quibus ſanè congruit, quod inter collecta veterum Poëtarum Epigrammata, illud Epicuro, tametſi non fuerit verſificator, tribuitur,

Cùm te mortalem nôris, præſentibus exple
Delitiis animum: poſt mortem nulla voluptas,

Prætereo hæc, inquam, aliáque id genus, & quæ prætereà ediſſeri aduerſus ſententiam heic poſſent; cùm ſufficere illa debeant, quæ pro animorum immortalitate aduerſus Lucretium diſputata ſuperiùs ſunt, tam circa primam illam rationem, qua de humore quaſſatis vaſis, diffluente, déque Nebula, ac fumo loquens,

lib. 3. *Crede*, inquit, *animam quoque diffundi, multóque perire*
Ocyùs, & citius diſſolui corpora prima,

Cùm ſemel ex hominis membris ablata receſſit;

quàm etiam circa cæteras, ac unam ſpeciatim, cuius concluſio eſt,

Quare etiam, atque etiam, reſoluto corporis omni
Tegmine; & eiectis vltra vitalibus auris,
Diſſolui ſenſus animi fateare neceſſe'ſt,
Atque animam; quoniam coniuncta'eſt cauſa duobus.

Voluptas ſumma ipſa eſt doloris amotio. Nam vbicumque voluptas adeſt, quamdiu quidem adeſt, vbi nihil eſt aut dolens, aut ægrum, aut vtrumque ſimul.

ỽ. 41. Ὅρος τῆς μεγέθους τῶν ἡδονῶν. Hanc quóque ſententiam, celebrem & ipſam, Ciceró locis pluribus attingit, & interpretatur Lego autem ỽ. 42. ὅτι γὰρ ἄν, pro ὅπου δ' ἄν, quòd ſenſus ſatis perſpicuè cauſalem exigat coniunctionem. Notandum verò, quod Cicero tributis illis Torquato verbis, *Omnis autem priuatione doloris putat Epicurus terminari* 1. de fin.
ſummam voluptatem, videtur ὑπεξαίρεσιν *priuationem* interpretari; reddere illum quoque deinceps *amotionem, detractionem*, &c. vt occurret etiam poſteà attingendum. Nemeſius de na. ho 18.
huiuſmodi vocem, quaſi Epicuri propriam habitam, interpretatur ἀπαλλαγήν, *libera-* 2. Symp 2.
tionem; & Plutarchus, cùm ipſius non ſe- 2. adu. Col.
mel meminerit (veluti dum ait non omoeis πλὴν τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσιν ὅρον ἡδονῆς, καὶ πέρας ſtatuere) dicit etiam interdum ῥύσιν, interdum φυγήν, &c. Empiricus autem declarans non deſumpſiſſe Epicurum ex Homero τὸν ὅρον τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν, multùm differre docet, quod ille ait,

Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος, καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο. adu. Gram.
At poſtquam exempta eſt, potúſque, cibíque cupido;

& dicere, ὅρον εἶναι τοῦ περὶ τὰς ἡδονὰς μεγέθους τὴν τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσιν, *Magnitudinis voluptatum terminum eſſe amotionem doloris.* Aduertendum interim circa vocem ἀλγοῦντος, quam cum Cicerone nomine *Doloris*, tum heic, tum priore ſententiæ loco reddimus (quod enim poſteriore reddimus τὸ ἀλγοῦν, *Dolens*, Ciceronianum quoque eſt) cepiſſe rursùs Plutarchum anſam intentandi Epicuro litem, quam rurſus ex Agellio quoque cognoſcere operæ pretium eſt. Verba itaque ipſius hæc ſunt:
In eodem libro idem Plutarchus eundem Epicu- lib. 2 c 9.
rum reprehendit, quòd verbo vſus ſit parùm proprio, & alienæ ſignificationis; ita enim ſcripſit Epicurus, Ὅρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν ἡ παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις. *Non, inquit,* παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος, *ſed* παντὸς τοῦ ἀλγεινοῦ *dicere oportuit: Detractio enim ſignificanda eſt doloris, inquit, non dolentis. Nimis minutè, ac propè etiam ſubfrigidè, Plutarchus in Epicuro accuſando* λέξεις τηρεῖ. *Has enim curas vocum, verbórumque elegantias, non modo non ſectatur Epicurus, ſed etiam inſectatur* Hæc ille, quæ etiã in Apologia notabimus. Ad rem ipſam quod attinet, nihil eſt, cur quidpiam addamus ad ea, quæ

tom paucis non multò antè circa diſcrimen Epicurum inter, & Ariſtippum attigimus; tum multis ſuperiùs circa naturam Voluptatis pro fine habitæ proſequuti ſumus: Quippe ex illis abundè conſtat, cupiditates, quas natura ingenuit, eſſe cum aliquo dolore, ad quem eximendum natura, tanquam ad ſuum finem, inſtiget; & quò ad actionem illi eximendo neceſſariam comparatiores ſimus; condire naturam huiuſmodi actionem ipſa voluptate in motu, quaſi dulcore aliquo; ac inde conſequi, vt tam ipſa actio, quam voluptas illius comes ad ipſam doloris exemptionem terminetur; ipsáque proinde exemptio doloris, tũ ſit voluptatis in motu, quantumvis magnæ, terminus; tum comparata ad ipſam ex eo ſummum teneat, quòd illius ſit (& à natura quidem inſtitutus) finis.

a.adu.Col. Ac multa quidem ſunt, quæ Plutarchus præ cæteris exaggerat, vt probet nos exemplo auium, animantiúmque cæterarum, quæ exſatiatæ canunt, & volant, & natant, & ludunt, aut alia ratione ſe oblectant, quærere etiam aliquid, præter exemptionem doloris; ne, ſi ea ſummum bonum ſit, tale ſolùm eſſe dicatur, quale eſt mancipiorum, atque captiuorum, quibus nihil ſit, quàm ſeruitute, & vinculis eximi. melius. Verùm deductum ſuperiùs eſt, longè abeſſe Epicurum, vt velit illum Indolentiæ, ſiue tranquillitatis ſtatum incapacem eſſe oblectamentorum, qualia Plutarchus deſiderat; ſed velle eum eſſe babendum, quaſi quandam ſummam, generalémque voluptatem, quæ cæteras omneis voluptates ſic condiat, vt ſine ipſa voluptates non ſint: veluti ſi quis habeat ſaccharum, quaſi ſummum quoddam, & generale dulcoramentum, cuius participatione omnes cibi dulces reddantur. Scilicet inferiùs ſpeciali ſententia docet, ſumma hac voluptate obtenta, *non augeri ipſam deinceps, ſed variari ſolummodò*; ob varia, putà, oblectamenta, quibus quaſi ſubſternitur; eo modo, quo habito ſacchari dulcore, non augetur ille quidem, ſed variatur tamen ob multiplicem ciborum miſturam. Ad huiuſmodi porrò oblectamenta, ſeu voluptates ſpectare etiam poſſunt, quæ plærumque viſu, auditúque, & non ſolùm olfactu, quem Plato obiicit, percipiuntur.

9.de Rep. Quippe tametſi hæ voluptates nullo præeunte dolore poſſint percipi; idcircò eſt, quia natura non fecit earum cupiditates, vt cæterarum, neceſſarias; ſed fecit ſolùm conducenteis ad variandam illam, quam ſummam inſtituit. Quod Plutarchus autem cauſatur, non fore aliud ſummum bonum, quàm cuiuſmodi mancipiorum, aut captiuorum eſt; quæſierim ſolùm, an-non pro mancipiis, captiuíſque habeat, quoſcumque homines aut corporis dolores, aut animi ægritudines, paſſionéſve, occupatos tenent? Quid-ni ergo, vt illi nihil ſuauius ducunt, quàm in libertatem aſſeri; ſic reputare omnes debeant nihil eſſe poſſe, quàm mentem ſanam in corpore ſano obtinere, iucundius. Accitat ille quidem Platonem, non admittentem ipſam doloris exemptionem voluptatem cenſeri; verùm, cùm, vt iam antè eſt dictum, ſola Platoni ratio ſit, quia pari modo voluptatis deſitio eſſet dolor exiſtimandus; quod tamen non ſequi declaratum eſt: tum videre profectò licet, longè eſſe Platonem, vt de Voluptatis deſitione paria afferat, ac de deſitione, ſiue exemptione doloris. Ecce nimirùm, vt colloquatur, *Dic, amabò, nunquid Dolorem Voluptati eſſe contrarium dicemus? Sic ſanè eſt. Nunquid etiam aliquis eſt, quo neque lætari, neque dolere contingat, ſtatus? Aliquis omninò. Cum is igitur inter vtraque ſit, tranquillitatem animi quandam circa ea verſari, dices-ne, an non? Dico penitus. An-non meminiſti, inquam, cuiuſmodi ſint verba; quæ ſcilicet donec laborant morbo, proferunt? Cuiuſmodi nam? Nempe, nihil eſſe ſanitate ſuauius: ſed ſe id latuiſſe, priuſquam ægrotarent, cùm foret tamen iucundiſſimum? Memini, inquit. An non & acerbiſſimis doloribus vexatos audis, vt dicant nihil eſſe quàm doloribus huiuſcemodi liberari iucundius? Cùm vides etiam homines in aliis id genus conſtitutos anguſtiis; an non, donec anguntur, mirè commendant ipſum non angi, & ab angore eximi; idque ipſum, non vero lætari, rem eſſe omnium iucundiſſimam dicunt? Ita eſt, inquit.* loc.cit.

Non diu perſeuerat in corpore continens dolor: ſed ſummus quidẽ definit breui (quoniam aut ſoluit, aut ſoluitur) *& qui moram trahit, non multos eſt dies abſque aliqua in ipſo corpore voptate. Qui verò morbi productiores ſunt, ij* per interualla *plus habent in corpore iucundi quàm mali.*

♱. 46. Οὐ χρονίζει τὸ ἀλγοῦν. Potuit contrahi Sententia in pauca, imitatione Ciceronis, cùm, *Doloris*, inquit, *medicamenta illa Epicurea, tanquam è Narthecio promant. Si grauis, breuis; ſi longus, leuis*, &c. Lego autem ♱. 48. τὸ δὲ μᾶλλον ὑπερτεῖνον ἄνευ τοῦ ἡδομένου, pro τὸ δὲ μόνον ὑπερτεῖνον τὸ ἡδόμενον. Siquidem, niſi ita fiat, aut nullus, aut etiam repugnans ipſi Epicuro elicietur ſenſus. Is verò, quem deducimus, & addiriunculà etiam ad interpretationem factà declaramus, confirmari poteſt ex variis Authorum, qui huius ſententiæ meminerunt, locis. Nam Plutarchus, exempli gratiâ, illud Æſchyli referens, a.de fin.

Θάρσει, πόνου γὰρ ἄκρον οὐκ ἔχει χρόνον, de aud po.

Confide: ſummus haud trahit tempus dolor:

ſubdit, *hoc idem eſſe cum famigerata illa & admirationi ſemper habita Epicuri ſententia*, Οἱ μεγάλοι πόνοι συντόμως ἐξάγουσιν, οἱ δὲ χρόνιοι μέγεθος οὐκ ἔχουσιν, *Summi dolores breui abducunt; diuturni verò magni non ſunt*; adiicitque *Æſchylũ illud perſpicuè dicere; hoc ipſius conſequẽs eſſe*, Εἰ γὰρ ὁ μέγας, καὶ σύντονος, οὐ παραμένει πόνος, ὁ δὲ παραμένων οὐκ ἔστι μέγας, οὐδὲ δυσκαρτέρητος, *Si enim magnus, intenſúſque dolor, nõ perdurat; is qui perdurat, non eſt magnus, neque intolerabilis.* Cicero verò, tũ inducit Torquatũ illud ex Epicuro referentem, quod iam antè retulimus, s.de fin.

Maximos

Maximos dolores morte finiri; paruos multa ha-
bere interualla quietis,&c. itémque, *Dolorem in*
longinquitate leuem in grauitate breuem eſſe ſole-
re, vt eius magnitudinem celeritas, diuturnitatem
alleuatio conſoletur? Ac rurſus, *Nunquam vim*
tantam dolores habent, vt non plus habeat Sapiens
2. de fin. *quòd gaudeat, quàm quòd angatur:* Tum quaſi
id exprobrans, *Quod autem*, inquit, *magnum*
dolorem breuem, longinquum leuem eſſe dicitis,
non intelligo quale ſit: Quod idem aliàs etiam
inculcat. Vt prætercam, quod ex Zenone Epi-
3. Tuſc. cureo refert, *Dolorem* nempe, *ſi ſummus foret,*
futurum breuem; ſi productior, plus habiturum
iucundi, quàm mali. Seneca autem huc, vt ap-
Epiſt. 94. paret, reſpectans, *Optimam doloris eſſe natu-*
ram ait, *quòd non poteſt, nec qui extenditur, ma-*
Epiſt. 78. *gnus, nec qui eſt magnus extendi.* Quod autem
dicit alibi, *longum morbum habere intercapedi-*
nem (vti & *breuem exſtinguere, aut exſtingui*)
quodque Cicero aliis verbis ait *habere inter-*
ualla quietis; illud ita ad poſteriorem ſenten-
tiæ partem attinet, vt etiam pertinere poſſit
ad acutos morbos, quibus laborare aſſuetus
quis ſit. Propterea enim videtur Epicurus
apud Plutarchum dicere, καὶ γελᾷν ἐν ταῖς ὑπερ-
βολαῖς τῆς περὶ τὸ σῶμα νοσήματος πολλάκις κάμνοντα
τὸν σοφὸν, *Sapientem ſæpius laborantem, etiam per*
ipſam morbi corpus afficientis vehementiam, ri-
dere. Quem ſanè locum, ſuperiùs licet rela-
tum, heic iterum cito, ad excuſandum, quòd
vocem σαρκὸς ſynonymam in hiſce locis cum
voce σώματος habitam, nomine *corporis* red-
7. de viſu. dam potiùs, quàm *carnis*. Denique M. Anto-
ninus, *In maxima*, inquit, *dolorum parte, illud*
Epicuri ſuccurrat, ὅτι οὐκ ἀφόρητον, οὔτε αἰώνιον,
ἐὰν τ᾽ ὅρων μνημονεύῃς, καὶ μὴ προσδοξάζῃς, *Ne-*
que intolerabilem, neque perpetuum eſſe dolorem,
ſi modo finium ipſis rebus præſcriptorum memi-
neris, nihilque adieceris ex tuo opinatu. Scilicet
hoc modo vocem προσδοξάζῃς, iuxta ea, quæ
dicta ſunt in Epiſtolam ad Herodotum in-
terpretor; ac ſimul ad illud Senecæ reſpicio,
Epiſt. 78. *Noli mala tua facere tibi ipſi grauiora, & te*
querelis onerare: leuis dolor eſt, ſi nihil illi opinio
adiecerit.

Qui præcipuè heic aliquid obiiciat, ipſe
eſt Cicero: nam, cætera inter, quæ variis
2. Tuſcul. in locis, *Venit Epicurus*, inquit, *homo mini-*
mè malus, vel potiùs vir optimus; tantum mo-
net, quantum intelligit. Neglige, inquit, dolo-
lorem. Quis hoc dicit? Idem, qui dolorem ſum-
mum malum: Vix ſatis conſtanter: audiamus.
Si ſummus dolor eſt, inquit, breuem eſſe neceſſe
eſt. Itera dum eadem iſta mihi: non enim intel-
ligo, quid ſummum dicas eſſe, quid breue. Sum-
mum, quo nihil ſit ſuperius; breue, quo nihil
breuius. Contemno magnitudinem doloris, à qua
me breuitas temporis vindicabit, antè penè, quàm
venerit. Sed ſi eſt tantus dolor, quantus Philocte-
tæ; bene planè magnus mihi quidem videtur, ſed
tamen non ſummus; nihil enim dolet, niſi pes.
Poſſunt oculi; poteſt caput, latera, pulmones;
poſſunt omnia. Longè igitur abeſt à ſummo do-
lore. Ergo, inquit, dolor diuturnus habet lætitiæ
pluſquam moleſtiæ. Hunc ego non poſſum tantum
hominem nihil ſapere dicere; ſed nos ab eo deri-
deri puto. Ego ſummum dolorem (*ſummum au-*
tem dico, etiamſi decem atomis eſt maior alius)
non continuò dico eſſe breuem; multóſque poſſum
bonos viros nominare, qui complures annos dolo-
ribus podagræ crucientur maximis; ſed homo cau-
tus nunquam terminas nec magnitudinis nec diu-
turnitatis modum; vt ſciam, quid ſummum di-
cas in dolore, quid breue in tempore. Omittamus
igitur hunc nihil prorſus dicentem, &c. Ad hæc
porrò, & conſimilia, non id oppono, quod
habet Plato, dum vehementiores eſſe per
morbum, quàm per ſanitatem voluptates
edisſerit; *Nam &*, inquit, *qui febre, aliiſque* in Philebo.
huiuſmodi morbis laborant, vt vehementiùs, quàm
cæteri ſitiunt, algent, & ſolita id genus alia in
corpore patiuntur, ac idcircò ſunt in maiore indi-
gentia, quàm cæteri; ita & auidiùs indigentiam
explentes, maiorem exinde capiunt voluptatem.
Non id, inquam, oppono; ſed illud potiùs,
quod Seneca, qui hanc Epicuri ſententiam
quaſi amplificans, & probans, *Magnos*, in- Epiſt. 78.
quit, *cruciatus habet morbus; ſed hos tolerabi-*
les interualla faciunt; nam ſummi doloris in-
tenſio inuenit finem. Nemo poteſt valde dolere,
& diu. Sic nos amantiſſima noſtri natura diſpo-
ſuit, vt dolorem aut tolerabilem, aut breuem
faceret. Maximi dolores conſiſtunt in macerri-
mis corporis partibus; nerui, articulique, &
quicquid aliud exile eſt, acerrimè ſæuit, cùm in
arcto vitia concepit. Sed citò hæ partes obſtupeſ-
cunt, & ipſo dolore ſenſum doloris amittunt;
ſiue quia ſpiritus naturali prohibitus curſu, &
mutatus in peius, vim ſuam, quâ viget, ad-
monétque nos, perdit; ſiue quia corruptus hu-
mor, cùm deſiit habere quò confluat, ipſe ſe eli-
dit, & his, quæ nimis impleuit, excutit ſen-
ſum. Sic podagra, & chiragra, & omnis verte-
brarum dolor neruorúmque interquieſcit, cùm
illa, quæ torquebat, hebetauit. Omnium iſtorum
prima verminatio vexat; impetus morâ exſtin-
guitur, & finis dolendi eſt, obtorpuiſſe. Den-
tium, oculorum, aurium dolor, ob hoc ipſum
acutiſſimus eſt, quod inter anguſta corporis naſ-
citur, non minus me hercule, quàm capitis ipſum.
Sed quo incitatior eſt, eò citiùs in alienationem,
ſtuporémque conuertitur. Hoc itaque ſolatium
vaſti doloris eſt, quòd neceſſe eſt deſinas illum
ſentire, ſi nimis ſenſeris. Illud autem eſt, quòd
imperitos in vexatione corporis malè habet; non
aſſueuerunt animo eſſe contenti; multum illis
cum corpore fuit. Ideò vir magnus, ac prudens
animum deducit à corpore, & multùm cum me-
liore, & diuina parte verſatur; cum hac que-
rula, ac fragili, quantum neceſſe eſt. Et poſteà,
Toto contra illum pugnet animo: vincetur, ſi
ceſſerit; vincet ſi ſe contra dolorem ſuum in-
tenderit. Nunc hoc plerique faciunt; attrahunt
in ſe ruinam, cui obſtandum eſt. Iſtud, quod
premit, quod impendet, quod vrget, ſi ſub-
ducere te cœperis, ſequetur, & grauiùs incum-
bet; ſi contrà ſteteris, & obniti volueris, repel-
letur. Athletæ quantum plagarum ore, quan-
tum toto corpore excipiunt? Ferunt tamen om-
ne tormentum gloriæ cupiditate; nec tantum,
quia pugnant, iſta patiuntur; ſed, vt pu-
gnent, exercitatio ipſa tormentum eſt. Nos
quoque euincamus omnia, quorum præmium non
corona, nec palma eſt, nec tubicen prædicatio-
ni nominis noſtri ſilentium faciens; ſed virtus,
& firmitas animi, & pax in cæterum parta,

ſi ſemel in aliquo certamine debellata fortuna eſt. Dolorem grauem ſentio. Quidni ſentias, ſi illum muliebriter tuleris? Quemadmodum pernicioſior eſt hoſtis fugientibus, ſic omne fortuitum incommodum magis inſtat cedenti, & auerſo. Sed graue eſt. Quid? nos ad hoc fortes ſumus, vt leuia portemus? Vtrum vis longum eſſe morbum, an concitatum, & breuem? Si longus eſt, habes intercapedinem, das refectioni locum multum temporis donas: neceſſe eſt, vt exſurgat, & deſinat. Breuis morbus ac praeceps, alterutrum faciet; aut exſtinguetur, aut exſtinguet. Quid autem intereſt, nō ſit annon ſim? in vtroque finis dolendi eſt. Illud quoque proderit, ad alias cogitationes auertere animū, & à dolore diſcedere. Cogita quid honeſtè, quid fortiter feceris; bonas parteis tecum ipſe tracta, memoriam in ea, quae maximè miratus es, ſparge. Tunc tibi fortiſſimus quiſque, & victor doloris occurrat. Ille, qui dum varices exſecandas praeberet legere librum perſeuerauit. Ille, qui non deſiit ridere cùm ob hoc ipſum irati tortores omnia inſtrumenta crudelitatis experirentur. Non vincetur dolor ratione, qui victus eſt riſu? Quicquid vis, nunc licet dicas. Diſtillationes, & vim continuae tuſſis egerentem viſcerum parteis, & febrem praecordia ipſa torrentem, & ſitim, & artus in diuerſum articulis exeuntibus tortos: plus eſt flamma & equuleus, & lamina, & vulneribus ipſis intumeſcentibus, quod illa renouaret, & altius vrgeret impreſſum. Inter haec tamen aliquis non gemuit. Parum eſt; non rogauit. Parum eſt; non reſpondit. Parum eſt; riſit; & quidem ex animo. Vis tu poſt hoc dolorem deridere? Sed nihil, inquis, agere ſinit morbus qui me omnibus abduxit officiis. Corpus tuum valetudo tenet non animum. Itaque curſoris moratur pedes; ſutoris ac fabri manus impediet. Si animus tibi eſſe in vſu ſolet; ſuadebis, docebis, audies, diſces, quaeres, recordaberis. Quid porrò? nihil agere te credis, ſi temperans aeger ſis? Oſtendes morbum poſſe ſuperari, vel certè ſuſtineri. Eſt, mihi crede, virtuti etiā in lectulo locus. Non tantū arma, & acies dant argumenta alacris animi, indomitique terroribus: & in veſtimentis vir fortis apparet. Habes, quod agas: bene luctare cum morbo. Si nihil te coegerit; ſi nihil exorauerit; inſigne prodis exemplum. O quam magna erat gloriae materia, ſi ſpectaremur aegri! Ipſe te ſpecta: ipſe te lauda. Praeterea duo ſunt genera voluptatum: corporaleis morbus inhibet, non tamen tollit; imò, ſi verum aeſtimes, incitat (Platonicum heic argumentum habes) *Magis iuuat bibere ſitientem: gratior eſt eſurienti cibus. Quicquid ex abſtinentia contigit, auidiùs excipitur. Illas verò animi voluptates; quae maiores, certioréſque ſunt nemo Medicus aegro negat. Has quiſquis ſequitur; & bene intelligit, omnia ſenſuum blandimenta contemnit.*

Non poteſt iucundè viui, niſi ſapienter, honeſtè, iuſtéque viuatur: neque ſapienter, honeſtè, iuſtè, quin viuatur ſimul iucundè. Adeò proinde, vt cui non contingit ſapienter, honeſtè, iuſtè viuere, illi nec iucūdè viuere cōtingat.

PAG. 52. ✝. 3. Οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν. Lego in hac ſententia, οὐδὲ φρονίμως, &c. ad vſque, ἡ ἐστι τοῦτον, pro ἄνευ τοῦ ἡδέως. Ὅτῳ δὲ τοῦτο μὴ ὑπάρχει, οὐ ζῇ φρονίμως, καὶ καλῶς, καὶ ὡ δικαίως ὑπάρχει. Scilicet ex his, vt ſe habent, qui intenditur, non elicitur ſenſus; & locus initio deprauatus perinde eſt, ac ſimilis ille in Epiſtola ad Menoeceum, qui ex Cicerone reſtitutus fuit. Ac poteſt quidem pars ſententiae poſterior videri ſuperflua; niſi aliunde reponatur, Ὅτῳ δὲ, & ad ipſum vſque, illa, οὐδὲ φρονίμως, & caetera, deleantur; ſed illud, ἄνευ τοῦ ἡδέως, indicat ſententiam fuiſſe enunciatam, vt in illa Epiſtola; ac poteſt pars poſterior adhibita fuiſſe quaſi conſequutio; ad exprimendum magis, vt cum virtute viuere quò cum voluptate viuatur, oporteat. Cùm tam multa verò ad hanc rem dicta in eum locū iam ſint; nihil ſupereſſe circa iſtum poteſt; niſi vt inculcemus, dignum admodum conſideratione videri, quantâ in Epicurum inuidiâ ſit actum; cùm haec etiam adeò praeclara, adeóque perſpicua ſententia eò deflexa fuerit, vt quod heic dicitur, *iucundè viuere*, ad illegitimas, obſcoenáſque Voluptates fuerit traductum: ac ipſo Epicuro praeſertim apertiſſimè profitente, non compotationes, non id genus alia iucundam vitam gignere, ſed Rationem ſobriam, ſed Prudentiam, ſed ortas ex ipſa virtutes, Fortitudinem, Temperantiam, Iuſtitiam, à quibus iucunda, beatáque vita ita inſeparabilis ſit, vt neque ipſae ſine illa, neque illa ſine ipſis poſſit vſquam conſiſtere. Hoc profectò ſuppoſito, iuuat ſolùm attendere; quàm parùm aequè magni alioquin Viri, etiam cognitâ, ſed detortâ ſententiâ, in Epicurum inuehantur. Cicero enim, v. g. *Negat*, inquit, *Epicurus iucundè poſſe viui, niſi* 3. Tuſc.
cum virtute viuatur. Negat vllam in Sapiente vim eſſe fortunae; tenuem victum anteferre copioſo: negat vllum eſſe tempus, quo ſapiens non beatus ſit. Omnia Philoſopho digna; ſed cum voluptate pugnantia. Non iſtam dicit voluptatem: dicat quamlibet; nempe eam dicit, in qua virtutis nulla pars inſit. Et rurſùs, alloquens Torquatum: *At negat*, inquit, *Epicurus* (*hoc enim* 2. de fin.
veſtrum lumen eſt) *quemquam, qui honeſtè non viuat, iucundè poſſe viuere; quaſi ego id curem, quod ille aiat, aut neget. Illud quaero, quid ei, qui in voluptate ſummum bonum ponit; conſentaneum ſit dicere: Quid affers, cur Thorius, cur Poſthumius, cur Chius, cur omnium magiſter Orata, non iucundiſſimè vixerit.* Quo loco, quia Oratam omnium magiſtrum vocat, iuuat obiter adſcribere verba, quae de eo B. Auguſtinus ex ipſo Cicerone citat: *Orata*, in- 1 b. de vi. be
quit, *homini ditiſſimo, amoeniſſimo, delicatiſſimo, neque ad voluptatem quidquam defuit, neque ad gratiam, neque ad bonam integrámque valetudinem, nam & praediis quaeſtuoſiſſimis, amicis iucundiſſimis, quantum libuit, & abundauit, & illis omnibus aptiſſimè ad ſalutem corporis vſus eſt: eiuſque, vt breuiter totum explicem, omne inſtitutum, voluntatémque omnem ſucceſſio proſpera conſequuta eſt.* Plutarchus verò, cùm integrum librum titulo illo ſcripſerit, Ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν ἡδέως κατ' Ἐπίκουρον, *Ne* 2. cont. Col.
iucundè quidem licere, iuxta Epicurum viuere; tum non longè ab initio aientem ad Theonem,

nem, Ariſtodemum inducit: *Quàm compendioſâ, planáque viâ ſermonem nobis intercepiſti; non ſinens putà Sectam illam, cauſam de honeſto priore loco dicere! Neque enim facile eſt à iucunda vita eos depellere homines, qui Voluptatem eſſe finem conſtituunt: verùm ſi honeſta exciderint vita, etiam à iucunda protinus excidunt,* Ἐπεὶ τὸ ἡδέως ζῆν τῷ καλῶς συμπαρεστὸν ζῆν, *quando, vt iucundè viuatur, niſi & honeſte viuatur, effici non poteſt, ſicut ipſimet autumant.* Tum & Theonem ſic excipientem: *Iſtud quidem ipſo in progreſſu ſi videbitur reponemus; nunc vtemur iis, quæ ipſi concedunt*, &c. Seneca quo-

lib. de vit. be. cap. 6. que, *Itaque*, inquit, *negant poſſe voluptatem à virtute diduci; & aiunt, nec honeſtè quemquam viuere, vt non iucundè; non iucundè, vt non honeſtè viuat. Non video quomodo iſta tam diuerſa in eandem copulam coniiciantur. Quid eſt, oro vos, cur ſeparari voluptas à virtute non poſſit? Videlicet, quod omne boni ex virtute principium eſt: ex huius radicibus etiam ea quæ vos & amatis, & expetitis, oriuntur. Sed, ſi iſta indiſcreta eſſent, non videremus quædam iucunda, ſed non honeſta; quædam vero honeſtiſſima,*

cap. 7. *ſed aſpera & per dolores exigenda. Addite nunc, quod voluptas etiam ad vitam turpiſſimam venit: at virtus malam vitam non admittit. Et infelices quidam non ſine voluptate, imò ob ipſam voluptatem ſunt; quod non eueniret, ſi virtuti ſe voluptas immiſcuiſſet, quâ virtus ſæpè caret, nunquam indiget. Quid diſſimilia, imo diuerſa componitis? Altum quiddam eſt Virtus, excelſum, regale, inuictum, infatigabile: Voluptas, humile, ſeruile, imbecillum, caducum; cuius ſtatio, ac domicilium, fornices, & popinæ ſunt. Virtutem in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem, puluerulentam, coloratam, calloſas habentem manus: Voluptatem latitantem ſæpius ac tenebras captantem: circa balnea, ac ſudatoria, ac loca Ædilem metuentia, mollē, eneruem, mero, atque vnguento madentem, pallidam, fucatam,*

cap. 9. *& medicamentis pollutam.* Et infrà: *Quid mihi voluptatem nominas? Hominis bonum quæro, non ventris, qui pecudibus, ac beluis laxior eſt.*

cap. 10. *Diſſimulas inquis* (ſupple Epicurus) *quid à me dicatur? Ego enim nego quemquam poſſe iucundè viuere, niſi ſimul & honeſtè viuat: quod non poteſt mutis contingere animalibus, nec bonum ſuum cibo metientibus. Clarè inquam, ac palàm teſtor hanc vitam, quam ego iucundam voco, non ſine adiecta virtute contingere. At quis ignorat pleniſſimos eſſe voluptatibus veſtris ſtultiſſimos quoſque? & nequitiam abundare iucundis; animúmque ipſum non tantum genera voluptatis praua, ſed multa ſuggerere? Imprimis, inſolentiam*, &c. Ac ſtatim, *Temperantia læſa eſt: Temperantia autem, cùm voluptates minuat, ſummi boni iniuria eſt. Tu voluptatem complecteris: ego compeſco. Tu voluptate frueris: ego vtor. Tu illam ſummum bonum putas: ego nec bonum. Tu omnia voluptatis causâ facis: ego nihil. Cùm dico me nihil voluptatis causâ facere; de illo loquor Sapiente, cui ſoli concedis volu-*

cap. 11. *ptatem. Non voco autem Sapientem, ſupra quem quidquam eſt; nedum voluptas. Atqui ab hac occupatus, quomodo reſiſtet labori, ac periculo, egeſtati, & tot humanam vitam circumſtrepentibus minis? Quomodo conſpectum mortis? quomodo doloris feret? Quomodo Mundi fragores, & tantum acerrimorum hoſtium tam molli aduerſario victus? Quicquid voluptas ſuaſerit, faciet Age? non vides quàm multa ſuaſura ſit. Nihil inquis, poterit ſuadere turpiter; quia adiuncta virtuti eſt. Non tu vides iterùm quale ſit ſummum bonum, cui cuſtode opus eſt, vt bonum ſit? Virtus autem, quomodo voluptatem reget, quam ſequitur*, &c. Quibus profectò omnibus quid reſponderi debeat, adeò eſt in promptu ex hactenus dictis, vt penè ſuperfluum ſit admonere ſequi non multis pòſt verſibus, apud ipſummet Senecam, egregiam illam Apologiam, quæ ſuis iam locis recitata eſt, *Ita non* cap. 12.
ab Epicuro impulſi luxuriantur: ſed vitiis dediti, luxuriam ſuam in Philoſophia ſinu abſcondunt. Et, *Non æſtimatur voluptas illa Epicuri, quàm ſicca, ac ſobria ſit.* Et, *Mea quidem iſta ſententia eſt, Epicurum ſancta, & recta præcipere, & ſi propius acceſſeris, triſtia.* Et, *Quam nos virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati*; &c.

Fuere qui vt ſecuritatem ex hominibus adipiſcerentur (ac pro conditione quidē principatus & regn', ex quibus eam vulgò, comparari putant) affectauerint gloriâ præfulgere, illuſtréſque euadere; exiſtimantes ſe hac ratione ſtatum ſecurum, tranquillúmque ex hominibus paraturos. Ac ſi ſecura quidem fuit, tranquilláque ipſorum vita, ij ſunt illud ipſum, quod eſt naturæ bonum conſequuti. Niſi autem ſecura tranquilláque fuit (vt reuera eſſe vix poteſt) *tum exciderunt ſanè ab eo quod naturæ congruum nacifſi ex principatu* fruſtrà *appetierunt.*

ϗ. 11. Ἕνεκα τοῦ θαῤῥεῖν. Fuere omnino aliqua, ad eruendum quempiam perſpicuum iſtius Sententiæ ſenſum emouenda. Nimirùm ϗ. 12. viſum eſt legi poſſe ἐξ ὧν ἀγαθὸν τοῦτο ὄντως, pro ἀγαθὸν ἐξ ὧν ἄν ποτε τοῦτο ᾖ τι ἦ. Et poſteà, εἴη, pro ἄν. Ac rurſus, τῆς ἀρχῆς, pro ἐξ ἀρχῆς. Siquidem, niſi aliqua ſimilis immutatio fiat; ac, niſi ex duabus periodis, Parentheſeos interiectu, fiat vnica; conſtat nihil confuſius, obſcuriúſque eſſe. Eſt porrò hæc ſententia vna earum, quas ſubnotari ex Epicuro à Plutarcho antè eſt dictum, cùm Plutarchus eſſe Philoſophorum dixit, quod adoleſcentes audire ex Poë-
tis poſſunt, *Mortem nihil ad nos pertinere, na-* lib. de aud. poë.
turæ diuitias eſſe definitas, & felicitatem, beatámque vitam parere, οὐ χρημάτων πλῆθος, οὐδὲ πραγμάτων ὄγκον, οὐδὲ ἀρχάς τινας, &c. *non numeroſam pecuniam, aut poſſeſſionem rerum amplam; non principatum, aut potentiam dominatricem*, &c. Eſt & eadem, quaſi antecedens ad illud Effatum, quo Epicurus contendit Sapientem, niſi quid interuenerit, οὐδὲ πολιτεύσεσθαι, οὐδὲ τυραννεύσειν, *neque ad Rempublicam acceſſurum, neque principatum geſturum.* Quippe hoc facere illum non debere, quòd in eo vitæ genere ſecuritatem, tranquillita-

témque nanciſci aut ægrè, aut prorſus non liceat: Heine, quæ hoc loco dicenda forent, proſequuti iam antè ſumus tum circa id Ef fatum, tum circa Ciuilem Prudentiam; adcò vt, ſi eſſe aliquid hoc loco videatur addendum, illud ſit maximè ſententia B. Ioannis Chryſoſtomi; quippe quæ (ſalua diſparitate) eodem penè ſenſu, ac modo, quod partim iſta, partim illa, quæ in Epiſtola ad Menœceum, continet veræ Voluptatis declarationem, conſcripta videatur: Ille itaque in Epiſtolam ad Romanos ſcribere aggreſſus, hom. 1. poſtquàm præmiſit, *eum, qui adoptionem diuinam, ſanctitatémque vitæ cuſtodit, eſſe longè illo, qui diademate exornatur, purpuráque induitur, illuſtriorem, ac feliciorem; & tranquillitate in hac vita affluentem, optima innutritum ſpei, ac nulli tumultui, perturbationique obnoxium, verùm continenti voluptate perfruentem,* tum ſubdit, Εὐθυμίαν γὰρ, καὶ χαρὰν οὐκ ἀρχῆς μέγεθος, οὐ χρημάτων πλῆθος, οὐ δυναστείας ὄγκος, οὐκ ἰσχὺς σώματος, οὐ πολυτέλεια τραπέζης, οὐχ ἱματίων κόσμος, οὐκ ἄλλο τι τῶν ἀνθρωπίνων ποιεῖν εἴωθεν, ἀλλ' ἡ κατόρθωμα μόνον πνευματικὸν, καὶ συνειδὸς ἀγαθόν· καὶ ὁ τοῦτο καθαρὸν ἔχων, κἂν ῥάκια περικείμενος ᾖ, καὶ λιμῷ παλαίων, τῶν σφόδρα τρυφώντων ἐστὶν εὐθυμότερος, *Animi enim tranquillitatem, & lætitiam, non principatus magnitudo, non pecuniarum copia, non potentia pompa, non corporis robur, non menſæ ſplendor, non veſtium decor, non aliud quidpiam rerum humanarum ſolet parere; ſed rectitudo ſpiritus, & conſcientia bona; quam puram quiſquis obtinet, ſit licet pannoſus, & luctetur cum fame, iis tamen, qui deliciis valde affluunt, tranquillior eſt.* Dixi hoc eſſe maximè addendum; cùm & prætereundum alioquin non ſit, reſpexiſſe videri ad hanc ipſam Epicuri ſententiam Lucretium, illis verſibus,

lib. 5.
At claros ſe homines voluere eſſe, atque potenteis,
Vt fundamento ſtabili fortuna maneret,
Et placidam poſſent opulenti degere vitam:
Nequicquam: quoniam ad ſummum ſuccedere honorem,
Et tamen è ſummo quaſi fulmen deiicit ictos
Inuidia interdum contemtim in tartara tetra;
Vt ſatius multò iam ſit parere quietum,
Quàm regere imperio res velle, & regna tenere.

Pergit autem admonendo:

Proinde, ſine incaſſum defeſſi ſanguine ſudent
Anguſtum per iter luctantes ambitionis;
Inuidiâ quoniam, ceu fulmine ſumma vaporãt
Plerumque, & quæ ſunt aliis magis edita cumque
Res ex auditis potiùs, quàm ſenſibus ipſis.
Nec magis id nunc eſt, neque erit mox, quam fuit antè.

Quo loco imitatos putes Lucretium Poëtas, cæteros, quorum protrita illa ſunt,

——— tolluntur in altum,
Vt lapſu grauiore ruant;
Et *——— feriúntque ſummos*
Fulmina monteis;

aliáque id genus.

Videntur interim ex iſtis duo quædam poſſe intelligere: Vnum; voluiſſe Epicurum docere primùm facto proprio, quanti eſſet boni, ab ambitione ſe continere, dum non modò Rempublicam, præ animi moderatione, vt aliàs viſum, non attigit; ſed ſic etiam vixit, vt id potuerit dicere, quod alibi quoque retulimus, *Nihil ſibi, & Metrodoro, inter bona tanta, nocuiſſe, quod ipſos illa nobilis Græcia non ignotos ſolùm habuiſſet, ſed penè inauditos.* Sen. Epiſt. 79. Nam quod alioquin Plutarchus ait, ad diſpoſitionem illam decantatam bene affecti corporis, nihil profuiſſe Epicuro, Epicureiſque πᾶσαν, καὶ φιλοτιμίαν ἐχόντας πράξεως ἀποδρᾶσιν, *quod omnem actionem, ac ſitam præſertim in gloriæ cupiditate fugeriat:* in præcep. coniug. quo ductus genio id dixerit, conſtat. Alterum, voluiſſe deinde, vt monere alios hac ſententia, ita conſilium contrahere in duas haſce voculas Λάθε βιώσας, *Occultus viue*; quod ipſi ad Themiſt. Iulianus Imperator tribuit; quódque licet in vo. Neocles. referat Suidas ad Fratrem eius Neoclem, ex ipſius nihilominùs, vt perſpicuum eſt, prodiit officina. Ac idipſum eſt quidem, quod ſpeciali Tractatu à Plutarcho impetitum eſt; ſed non deſiit tamen nullius non mereri comprobationem, ſi ambitioſos exceperis; ſuntque ex eo proinde decantata illa,

Nec vixit malè, qui natus, moriénſque fefellit. Horat.
Et, *Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit.* Ouid.
Et *Nullis nota Quiritibus* Sen.
Ætas per tacitum fluat;
Vt cùm tranſierint mei
Nullo cum ſtrepitu dies,
Plebeius moriar ſenex.
Illi mors grauis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur ſibi.

Certè & tametſi, Themiſtio dictum improbante, quaſi iis ſolis dignum ſit, quibus negotij expers otium, & illæ in Deambulationibus diſputationes iucundæ ſunt, videatur Iulianus ipſi conſentire; tanquam non debeat quis τὴν Ἐπικούρου θαυμάζειν ἀπραγμοσύνην, illam Epicuri à negotiis vacationem loc. cit. ſuſpicere; at ſubſcribere tamen Epicuro, circa habendum eorum, qui ad Rempublicam acceſſuri ſint, delectum, videtur. *Nam, vtrum,* inquit, *quemlibet ad capeſſendum Rempublicam etiam, qui ad hoc munus aut à natura minus comparatus, aut nondum ſatis idoneus ſit, adhortari oporteat; fuerit res fortaſſis diligentiore diſquiſitione digna. Quippe ferunt Socratem quoque à foro, & ſuggeſtu, cui non videremur admodum idonei, multos diuertiſſe: Glauconem quoque,* &c.

Nulla voluptas eſt per ſe malum: ſed ea quæ nonnullas voluptates pariunt, eiuſmodi ſunt, vt multò ampliores voluptatibus dolores inducant.

℣. 21. Οὐδεμία ἡδονή. Habetur hæc ſententia fuſè, vt declarata, ſic comprobata, quo loco occurrit ſuperiùs in Epiſtola ad Menœceum, ſed affirmante enunciatione, πᾶσα ἡδονὴ, διὰ τὸ φύσιν ἔχειν οἰκείαν, ἀγαθόν, *Omnis Voluptas quòd ſuapte natura accommodata ſit,* bona

bona eſt. Atque eo quidem præmiſſo, quòd dum interdum aliquas voluptates reiicimus, id non ipſarum merito fiat, verùm, quia πλεῖον ἡμῖν τὸ δυσχερὲς ἐκ τούτων ἕπηται, *grauior ſit, qui illas conſequitur, dolor*, ſiue vt repetantur verba ex Suida, οὐ δι᾽ αὐτὰς, ἀλλὰ δι᾽ ἃ τὰς ἐξακολουθοῦντα αὐταῖς δυσχερῆ, *non ob ipſaſmet*, ſeu *quia voluptates ſunt* (vt eum Cicerone ſic interpretet) *ſed quia dolores magni conſequuntur.*

Si Voluptas omnis ſic poſſet in ſeipſam colligi, vt *duratione complexúque* perfectis, moleſtiæ nihil extra eam foret, *foret ea collectio perinde* abſoluta, *ac ſunt opera naturæ præcipua: neque voluptates vllatenus inter ſe differrent*, poſſéntque idcirco indiſcriminatim optari.

ꝟ. 14. Εἰ κατεπυκνοῦτο πᾶσα ἡδονή. Videtur hæc ſententia quaſi Conſectarium eſſe præcedentis; ſaltem, ſi licuit quadamtenus illius ſenſum aſſequi; ad quem vtcumque eliciendum, legere eſt viſum, καὶ ἀεὶ ὁδοῦ, &c. ad vſque, ἐκ ἂν, pro καὶ ἀεὶ οὐδὲν τὸ ἄθροισμα ὑπῆρχεν, ἢ τὰ κυριώτατα μέρη τῆς φύσεως, ex quibus vt quidpiam ſani erui valeat, alio, quàm Dauo opus eſt. Videtur autem Epicurus ea naturæ opera habere *in præcipuis*, quæ ita abſoluta, perfectáque vndique ſunt, vt nihil ſit, quod deſideretur; ac exiſtimare, poſſe pari cenſu haberi quamvis voluptatem, ſi ea modò poſſet talis obtineri, vt omnis ab ipſa defectus, hoc eſt, omnis dolor tam præſens, quàm futurus excluderetur. Quod fore autem dicit, vt voluptates *nibil differrent inter ſe*; id commune habet cum Cyrenaïcis, qui lib. 2. autumant apud Laërtium μὴ διαφέρειν ἡδονὴν ἡδονῆς, μηδὲ ἥδιόν τι εἶναι, *Nihil à Voluptate Voluptatem differre; neque eſſe vnum quicquam altero iucundius.* Quanquam res habuit apud illos explicatum difficiliorem, ob tam varia & voluptatum, & iucundorum genera, in quibus magis, minúſque eſt; quoniam abſolutè loquuntur, ac voluptates quaſlibet, prout ſe habent, intelligunt: Epicurus autem, quoniam loquitur ex ſuppoſitione duntaxat, quòd omnis Voluptas doloris immunis, immiſtáque detur, eò videtur ſe expedire poſſe faciliùs, quòd intelligat, eo caſu, nihil interfore, qualemcumque demùm voluptatem exegeris; quatenus omnes peræquè ſunt abſque omni dolore, omni pœnitentia, futuræ, ac ſeſe habituræ circulorum inſtar, qui omnes licet non æquè magni, æquè tamen rotundi ſunt.

Si ea quæ ſunt luxurioſis efficientia voluptatum liberarent eos rerum ſublimium (ac Deorum proinde) *& mortis ac doloris metu, doceréntque, qui eſſent fines cupiditatum; nihil haberem quod reprehenderem, cùm vndique complerentur voluptatibus, nec haberent vlla ex parte aliquid aut dolens, aut ægrum; id eſt malum.*

ꝟ. 19. Εἰ τὰ ποιητικὰ τῶν περὶ τοὺς ἀσώτους ἡδονῶν. Eſt & hæc Sententia quaſi ad duas antecedenteis Corollarium. Interpretatio autem tota eſt Ciceronis (& verbis quidem illis præmiſſis, *Animaduerte, igitur, rectè-ne hanc ſententiam interpreter*) niſi quòd cùm vocem 2. de fin. μετεώρων interpretetur ſimpliciter *Deorum*, nos reddimus, *rerum ſublimium*; quo nomine Epicurus intellexit Siderum ortus, conuerſiones, Eclipſeis, fulmina, & ſimilia; & ob Ciceronem tamen, addimus, *ac Deorum proinde*, quatenus ex vilis ſublimibus rebus, Deorum metus conſequitur. Mirum porrò dictu, quanta illam ſuggillatione inſectetur; quippe, vbi integram recitauit, *Hoc loco*, inquit, *ſe tenere Triarius* (tertius ſcilicet interloquutorum) *non potuit. Obſecro, inquit, Torquate, quare hæc dicit Epicurus? quod mihi quidem viſus eſt, cùm ſciret, velle tamen confitentem audire Torquatum. At ille non pertimuit, ſanéque fidenter, iſtis quidem ipſis verbis, inquit; ſed quid ſentiat, non videtis. Si alia ſentit, inquam, alia loquitur, nunquam intelligam quid ſentiat; ſed planè dicit, quod intelligam; idque ſi ita dicit, non eſſe reprehendendos luxurioſos, ſi ſapientes ſint, dicit abſurdè. Similiter &, ſi dicat non reprehendendos parricidas, ſi nec cupidi ſint, nec Deos metuant, nec mortem, nec dolorem; & tamen quid attinet luxurioſis vllam exceptionem dare, aut fingere aliquos, qui cùm luxurioſi viuerent, à ſummo Philoſopho non reprehenderentur, eo nomine, dumtaxat cætera cauerent? Sed tamen, nonne reprehenderes, Epicure, luxurioſos, ob eam ipſam cauſam, quòd ita viuerent, vt perſequerentur cuiuſquemodi voluptates: cùm eſſet præſertim, vt ais tu, ſumma voluptas, nihil dolere? Atqui reperiemus Aſotos, primùm ita non religioſos, vt edant de patella, deinde ita mortem non timenteis, vt illud in ore habeant ex Hymnide,*

Mihi ſex menſes ſatis ſunt vitæ, ſeptimum Orco ſpondeo.

Ac ſtatim: *Quid ergo attinet dicere, Nihil haberem, quod reprehenderem, ſi finitas cupiditates haberent? Hoc eſt dicere, Non reprehenderem Aſotos, ſi non eſſent Aſoti, iſto modo, ne improbos quidem, ſi eſſent boni viri. Hic homo ſeuerus luxuriam per ſeipſam reprehendendam non putat. Et Hercule. Torquate, vt verum loquamur, ſi voluptas ſummum bonum eſt, rectiſſimè non putat. Nolim enim mihi fingere Aſotos, vt ſoletis, qui in menſam vomant, & qui de conuiuiis auferantur; crudique poſtridie ſe rurſus ingurgitent; qui Solem, vt aiunt, nec occidentem vnquam viderint, nec orientem; qui conſumptis patrimoniis egeant. Nemo noſtrum iſtius generis*

Aſotos

Aſotos iucundè putat viuere, mundos, eleganteis, optimus cocus, piſtoribus, piſcatu, aucupio, venatione, his omnibus exquiſitis, vitanteis cruditatem, quibus vinum diffuſum è pleno ſit œnophoro, vt ait Lucilius; cui nihil dempſerit nix, nec ſacculus abſtulerit: adhibenteis ludos, & quæ ſequuntur, illa, quibus detractis clamat Epicurus ſe neſcire quid ſit bonum. Adſint etiam formoſi pueri, qui miniſtrent; reſpondeat his veſtis, argentum, inlicium, locus ipſe, ædificium. Hos ego Aſotos bene quidem viuere: ac beatè nunquam dixerim. Et poſteà: *Ipſe negat, vt antè dixi, luxurioſorum vitam reprehendendam, niſi planè fatui ſint; id eſt, niſi cupiant, aut metuant; quarum ambarum rerum cùm medicinam pollicetur, luxuriæ licentiam pollicetur. His enim rebus detractis, negat ſe reperire in Aſotorum vita, quid reprehendat. Non igitur poteſtis, voluptate omnia dirigentes, aut tueri, aut retinere virtutem.*

Atque iſta quidem Cicero, & plura, in quibus tamen conditionalem Epicuri ſententiam deflectens, videtur paullò inuidioſiùs in Epicurum ſe gerere, ac potiſſimùm illud interiiciens. *Quibus detractis, clamat Epicurus ſe neſcire*, &c. quippe, non ea eſt Epicuri mens, vt luxurioſis patrocinetur; ſed ſupponendo id, quod mox dictum, quódque ſuperiùs probatum fuit, nullam voluptatem ex ſe, hoc eſt, præcisè, vt voluptas eſt, malum quidpiam eſſe, ſed bonum potiùs, quatenus eſt expetendum aliquid; hoc ſolùm contendit: Si eſſent quidem luxurioſorum voluptates eiuſmodi, vt puræ, & ab omni malo, ſeu diuinitùs, ſeu aliunde impendenti ſecluſæ forent; & neque damni, neque doloris quidpiam, ſiue præſentis, ſiue futuri; ſiue in animo, ſiue in corpore, ſiue in fama, ſiue in facultatibus, aliiſve id genus rebus timeretur; non peruidere ſe quamobrem, caſu hoc poſito, reprehenderentur. Et cùm ſubſumi valeat, Atqui eiuſcemodi ſunt luxurioſorũ voluptates, vt omni prorsùs malo vacẽt: vel, Atqui eiuſcemodi ſunt, vt omni prorsùs malo nõ vacent: cur aſſumatur illud potiùs, quod Epicurus nunquam dixit, ad inferendum, Non eſſe ergo luxurioſorum voluptates ex eius mente reprehendendas; quàm hoc, quod expreſsè aſſeruit, ad concludendum placuiſſe illi, Reprehendendas igitur eſſe luxurioſorum voluptates: vti & reipsâ illas reprehendit in Epiſtola ad Menœceum? Nam quòd Cicero quidem Aſotos fingit *non religioſos, non mortem timenteis*; vt tales dentur, non ij ſunt tamen, quibus timenda mala non ſint, quæ prouidentiæ Numinis, immortalitatiſque Animorum incredulos manent; aut ij, qui finitas cupiditates habeant. Et quamvis hoc ille idem eſſe cauſetur, ac dicere, *Aſotos, niſi eſſent Aſoti, reprehenſum non iri*: nihil tamen ea in re abſurdi, cùm ſit perinde, ac dicere, illos homines, qui Aſoti ſunt, non iri reprehenſum, niſi Aſoti eſſent. Neque enim exigitur, vt Aſoti ſimul, & non Aſoti ſint; ſed vt hominum ſermo pati poteſt, enunciatur illos, cùm eſſe non Aſoti poſſent, quo caſu non reprehenderentur, ideò reprehendi, quia Aſoti ſunt. Quod autem eſſe tales fingit, *non qui in menſam vomant, qui ſe ingurgitent*, &c. *ſed qui ſint mundi, elegantes, optimis cocis*, &c. aut non poteſt ex eorum victu nihil omnino mali ſequi dicere; aut, ſi admittat nihil prorsùs ſequi, dicat, amabò, quid reprehendat? Nam quicquid demum ſit reprehenſurus, id reprehendet, quia erit malum; porrò & idipſum, quia malũ erit, ab Epicuro reprehendetur. Niſi autem ſit quidquam mali, ac nihil ideò quod reprehendat; ecquid erit, quod Epicuro eſſe velit reprehendendum? Videri certè poteſt 7.Ethic vlt.
hoc loco audiendus Ariſtoteles, cùm loquens de Aſotis, qui Voluptatum præclariorum (ipſius nempe animi) percipiendarum incapaces, eas perſequuntur, quæ corporis, ac vehementes maximè ſunt, ſitímque earum etiam arceſſunt (ſcilicet, vt interpres habet, totum bibere diem volentes, ſalſamenta comedunt, vt ea ratione ſitientiores fiant) ſubdit; *Ὅταν μὲν ἀβλαβεῖς, ἀνεπιτίμητον, ὅταν δὲ βλαβεραί, φαῦλον, Donec igitur innoxias ſequuntur, id reprehendendum non eſt; donec verò noxias, id malum.* Eadem penè reponi poſſent ad quædam loca Sanctorum Patrum; niſi quòd illi fuiſſe videntur, quàm Cicero fuerit, æquiores. Nam, v. c. D. Ambroſius reprehendens Aſotos quoſdam, *Quæ,* 3.Epiſt.25.
inquit, *iſtos Epicureos noua Schola miſit? Non Philoſophorum, vt ipſi aiunt, ſed imperitorum, qui voluptatem prædicent, delicias ſuadeant, caſtimoniam nulli vſui eſſe dicant.* Et paucis interpoſitis, *Ipſe quoque Epicurus, quem iſti ſibi magis ſequendum, quàm Apoſtolos putant, aſſertorem voluptatis; etſi neget inuectricem mali eſſe voluptatem, non negat tamen ex ea fieri quædam, ex quibus generentur mala.* Pergit; *Denique nec luxurioſorum vitam reprehenſibilem videri, quæ repletur delectationibus; niſi vel doloris, vel mortis quatiatur metu.* Quo loco, & Aſotis illis nihil aliud, quàm nomen Epicureorum tribuit (cum alioquin idem penè quod Seneca dicat, loquente de illis, qui *non ab Epicuro impulſi luxuriantur ſed vitiis dediti*, &c) & fatetur non negare quidem Epicurum voluptatem eſſe per ſe malum; ſed tamen, non negare, quin ex ea mala ſequi poſſint, ob quæ iure fugienda ſit: & ſententiam commemorans, qua de hoc loco agitur, admittit Epicurum id mali in luxurioſis agnoſcere, propter quod ſint reprehendendi. Sic etiam D. Auguſtinus, *Diſputabam*, inquit, 7.confeſſ.16.
cum amicis meis Alipio, & Nebridio de finibus bonorum, & malorum, Epicurum accepturum fuiſſe palmam in animo meo, niſi ego credidiſſem poſt mortem reſtare animæ vitam, & tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit. Et quærebam, ſi eſſemus immortales, & in perpetua corporis voluptate ſine vllo amiſſionis terrore viueremus, cur non eſſemus beati, aut quid aliud quæreremus. Neſciens idipſum ad magnam miſeriam pertinere; quod ita demerſus, & cæcus, cogitare non poſſem lumen honeſtatis, & gratis amplectendæ pulchritudinis, quam non videt oculus carnis, & videtur ex intimo.

Si nihil conturbaret nos, quod ſuſpicamur, veremúrque *ex rebus ſublimibus; neque item quod ex ipſa morte, nequando nimirum ad nos pertineat aliquid: ac noſſe præterea poſſemus, qui* germani *fines dolorum atque cupiditatum ſint, nihil Phyſiologiâ indigeremus.*

¥.38. Εἰ μηδὲν ἡμᾶς αἱ ὑπὲρ τῶν μετεώρων ὑποψίαι ἠνώχλουν. Hæc ſeotentia eſt, ob quam aliquoties ſuperiùs inſinuauimus Epicurũ tanti feciſſe Moralem Philoſophiam, vt primas ipſi detulerit, ac Phyſiologiam jdcircò ſolùm, quòd ad eam conferret, eſſe neceſſariam cenſuerit. Repóno autem in contextu voculam
a. adu. Col. ὑπὲρ ex Plutarcho; & cùm ſtatim, pro καὶ, ille habeat ὅτι τὰ, legendum puto ὅτι τε ἀεὶ. Subinde verò poſt vocem ἡμᾶς, lego ἐῶ τι, ὅτι τ' ἰδωμεθα, pro εἴ τι, ὅτι τετόλμηται, quæ eſſe cottupta perſpicuum videtur, maximéque ad verbum quod ſpectat, quod eo numero, temporéque clarum interſeri (ne de ſignificatu quid dicam) videtur noo parum incongruum. Plutarchi porrò locus, in quo hanc ſententiam refert, ſic habet: Εἰ μηδὲν ἡμᾶς αἱ ὑπὲρ τῶν μετεώρων ὑποψίαι ἠνώχλουν. ὅτι τὰ περὶ θανάτου, καὶ ἀλγηδόνων ἐν ἄν ποτε προσδεόμεθα φυσιολογίας εἰς τοῦτο. Non heic adnoto Epicurum tam io Epiſtola ad Herodotum, *eſſe* admonuiſſe *Phyſiologici muneris cauſas præcipuarum, quæ in natura ſunt rerum, accuratè peruestigare, & heinc profluxiſſe quicquid felicitatis eſt*, &c. quàm in Epiſtola ad Pythoclem, edixiſſe, *Non alium eſſe ſtatuendum finem cognitionis rerum ſublimium, quàm ſtatum mentis imperturbatum*; ac ideò deinceps oulla non occaſione inculcaſſe; *nihil eſſe timendum à rebus illis ſublimibus.* Adnoto dumtaxat Lucretium ipſi crebrò ſuccinere; & ferè quidem ab vſque ioitio:

lib. 1. *Tutemet à nobis iam quovis tempore Vatum*
Terriloquis victus dictis deſiſtere perges.
Quippe etenim, quàm multa tibi iam fingere poſſum
Somnia, quæ vitæ rationes vertere poſſint,
Fortunáſque tuas omneis turbare timore:
Et merito: nam ſi certam finem eſſe viderent
Ærumnarum homines, aliqua ratione valerent
Religionibus, atque minis obſiſtere Vatum;
Nunc ratio nulla'ſt reſtandi, nulla facultas.
Ignoratur enim quæ ſit natura animai;
Nata ſit, an contrà naſcentibus inſinuetur;
Et ſimul intereat nobiſcum morte dirempta:
An tenebras Orci viſat, vaſtáſque lacunas:
An pecudes alias diuinitùs inſinuet ſe, &c.

Ac ſtatim:

Quamobrem bene cum ſuperis de rebus habenda
Nobis eſt ratio: Cæli, Lunæque meatus
Quâ fiant ratione; & quâ vi quæque genantur.
In terris, tum cùm primùm ratione ſagaci,
Vnde anima, atque animi conſtet natura, videndum,
Et quæ res nobis vigilantibus obuia menteis
Terrificet morbo affectis ſomnóque ſepultis;
Cernere uti videamur eos, audiréque coràm,
Morte obitâ quorum tellus amplectitur oſſa.

Qood ſupereſt; vtcumque Epicurus Phyſiologiæ ſcopum non malè conſtituat, quòd ſpectat quidem ad dolorum, & cupiditatum fineis; quatenos exinde poteſt aliqua vitæ tranquillitas comparari, vt ex ſupra-dictis intelligitur; perperam tamen omnino facit, quatenus eò ipſam inferuire volt, vt excotiatur Numinis metus, ex Prouidentia non agnita; ac metus etiam Inferorum, ex non agnita Animi immortalitate. Et quòd conferat quidem potiùs Phyſiologia imprimis ad agnoſcendum diuinum Numen, eiúſqua prouidentiam, ſuo fusè loco deduximus. Quod exinde autem ille ſequi putat, vt animus metuere, ac perturbari debeat; hoc tantom abeſt, vt potiùs ſit, vnde alacritate humaniſſima, ac ſuauiſſima perfundatur. Id nempe, tum ex ea notitia, quam aſſequitur præclariſſimæ maieſtatis; tum ex iuſta veneratione auguſtiſſimi Principis; tum ex agnitione, & recordatione Optimi benefactoris; tum ex ſpe, quâ ſibi nihil malè cooſcius, noo-niſi fauſta omnia exſpectanda ab illo ducit. Certè, cùm ita fuerit affectus, loogè erit: vt percellatur iis pauoribos, quibus terretur ſuperſtitioſus. Nouit enim Deum, ſiue primam Cauſam, ita moderari vniuersè omnia, vt patiatur tamen cauſas naturaleis ſuas agere vices; & cùm perſpectas habeat cauſas conuerſiooum, exortuum, occaſuom, eclipſeoo, cometarum, fulminum, oſtentorum, monſtrorum, aliorúmque ſimilium; non ea ſibi mala metuit, & adſciſcit, quæ metuunt, & adſciſcunt ij, qui iſta ad Deos, aut Genios malos ſic referuot, vt eſſe alias cauſas non putent; ac proinde aliquid ſemper à confictis illis Numinibus metuant; & vel minimâ occaſione impendere ſibi malum ſoſpicentur, quod ſit ſuperſtitioſo cultu, quâ fieri poſſit, auertuocandum. Deinde, quòd etiam Phyſiologia, naturalisve ratio conferat potiùs ad ſtabiliẽdum Animi immortalitatem, deductum copiosè ſuo loco eſt. Quòd ille autem fieri heinc credit, vt Inferorum metus ſequatur, ex qoo inſignis ſit perturbatio; id in prauis quidem contingit, quos expauere, perturbarique, nihil ſanè incommodum eſt; quoniam cùm malitiam probitati præferant, ideò omnibus potiùs Furiis, quàm tranquillitate ſunt digni. At verò, bonus vir qui fuerit, quid eſt, quod ſibi metuendum putet? Nam quæ ſupplicia poſt mortem manent, nihil ad ipſum attinent. Ea viris malis deſtinata ſunt; ipſum felicitas exſpectat. Et quantâ potiùs voluptate non continenter afficitur, cùm præſentit ſeſe io morte ooo iri omnino abſumptum; ſed ſuperſtite parte ſui meliore, futurum adhuc, & longè meliùs qoàm in hac vita fuerit? Verùm lib. 3.
hac de re dicta plura ſunt, cùm præſertim repreſſimus Lucretianum illud,

Et metus ille foras preceps Acherontis agendus, &c.

Videtur etiam vnum prætereà perperam feciſſe Epicurus; nempe qoatenus Phyſiologiam non fecit neceſſariam, cùm ad alia, tum maximè

maximò ad mirificam voluptatem, quæ ex ipſa Naturæ contemplatiooe paritur, ac illam per ſe, aliiſque ſeclusis deſideratiſſimam facit. Præclarè enim Cicero tum illa præmittit: *Similia dici poſſunt de explicatione naturæ, quâ hi vtuntur, & veſtri. Neque enim ob duas modò cauſas, quod Epicuro videtur, vt pellatur mortis, & religionis metus; ſed etiam modeſtiam quandam cognitio rerum cæleſtium affert iis, qui videant, quanta ſit etiam apud Deos moderatio, quantus ordo; & magnitudinem animi, Deorum opera, & facta cernentibus: Iuſtitiam etiam, cùm cognitum habeas, quod ſit ſummi Rectoris, & Domini numen, quod conſilium, quæ voluntas; cuius ad naturam apta ratio vera illa, & ſumma Lex à Philoſophis dicitur.* Tum cohætenter ſubiicit: *Ineſt in eadem explicatione naturæ inſatiabilis quædam è cognoſcendis rebus voluptas, in qua vna, confectis rebus neceſſariis, vacui negotiis, honeſtè, ac liberaliter poſſimus viuere.* Sed plura ad hanc rem, cùm de voluptate, quæ ex virtute percipitur, iam antè diſſeruimus. Quædam illeic, cætera inter, ex Seneca relata ſunt: Heic non tam illud eſt memorandum, quod penè ex parte cum Epicuro habet:
7.qu.nat.vlt. dum poſtquam præmiſit, *Non aliunde animo venit robur, quàm à bonis artibus, quàm à contemplatione naturæ,* ſubdit: *Proinde, ſi volumus eſſe felices, ſi nec hominum, nec Deorum, nec rerum timore vexari; ſi deſpicere fortunam ſupervacua promittentem, leuia minitantem; & ſi volumus tranquillè degere, & ipſis Diis de felicitate controuerſiam facere: anima in expedito eſt habenda,* &c. Non tam, inquam, hòc memorandum, quàm illud attingendum eſt, quod habet dum ita requirit: *Quid, inquis, erit pretium operæ?* ac ita reſpondet: *Quo nullum maius eſt; noſſe naturam. Neque enim quidquam habet in ſe huius materiæ tractatio pulchrius, cùm multa habeat futura vſui, quàm quòd hominem magnificentiâ ſui detinet; nec mercede, ſed miraculo colitur. Inſpiciamus ergo quid ſit, propter quod accidant hæc, quorum eſt adeò mihi dulcis inſpectatio, vt,* &c. Adderem, quæ Plato interdum, ſed in Theæteto cumprimis, huc attinentia ediſſerit; ac declarando quidem
diſſert. præſertim quos hæc Philoſophia addat animos, dum *tam parui facere docet, quæ homines vulgò mirantur, vt, inter cætera, principatum, cui texuntur encomia; vt nobilitatem, quâ quis genus, & proauos, & quæ ipſe non fecit, iactat;* &c. Adderem item, quod Maximus Tyrius, dum multis in eandem ſententiam præmiſſis, & comparato Philoſophiæ ſpectaculo cum perſpicuo ſomnio, quo animus terram vniuerſam perluſtrat; cum Sole, & Luna circumfertur; Siderum choro adſidet; parúmque abeſt, quin habenas cum ipſo Ioue te-
præfat. in Phyſ. neat: tum exclamat: *O peregrinationem felicem! ô pulchra ſpectacula! ô vera inſomnia!* Adderem rurſùs quod Simplicius ſcitè fuſéque proſequitur; dum oſtendit quantum Phyſiologia inſeruiat, vt ad Numinis agnitionem, & cultum; ita ad Iuſtitiam, ad Temperantiam, ad Fortitudinem, ad Prudentiam, & ad Magnanimitatem, Magnificentiámque vel ex eo, quòd exinde agnoſcitur, nihil eſſe magnum in rebus humanis; hominem quoque ipſum vix eſſe partem Vniuerſi ſenſibilem; ac totam eius durationem vix quicquam eſſe Æternitatis, &c. Adderem quin-etiam, quod habet Quintilia- lib.12.c.2. nus, dum ad artem ſuam reſpiciens, *Pars verò naturalis,* inquit, *cùm eſt ad exercitationem dicendi tantè cæteris vberior, quantò maiore ſpiritu de diuinis rebus, quàm de humanis loquendum eſt; tum illam etiam Moralem, ſine qua nulla eſſe, vt docui, oratio poteſt, continet. Nam, ſi regitur Prouidentiâ Mundus; adminiſtranda certè bonis viris erit Reſpublica. Si diuina noſtris animis origo; tendendum ad virtutem, nec voluptatibus terreni corporis ſeruiendum.* Adderem proinde id, quod Cicero, cùm poſtquam docuit Oratorem, quò grandior, & excelſior de orat.perf. ſit, non debere eſſe Phyſicæ ignarum: *Nam omnia profectò,* inquit, *cùm ſe à cæleſtibus referet ad humana, excelſiùs, magnificentiùſque & dicet, & ſentiet.* Adderem plura; ſed iſta nimis.

Fieri non poteſt, vt metu perculſus circa res, quæ ſunt in rerum naturâ, vitáque *præcipua, ipſo eximatur, qui qualis ſit natura rerum vniuerſitas non perſpexerit, ſed quidpiam eorum ſuſpicetur, quæ iuxta fabulas traduntur: adeò proinde vt ſinceras voluptates percipere citra Phyſiologiam nō liceat.*

℣. 44. Οὐκ ἦν τὸ φοβούμενον λύειν, ὑπὲρ τῶν κυριωτάτων. Lego heic τὸν φοβούμενον, pro τὸ φοβούμενον, ex ipſa ſenſus neceſſitate. Eſt autem hæc ſententia eadem reipsâ cum ſuperiore; ſed abſolutè poſita, ac adhibita inſuper conſequutione. Exprimit ipſam paucis Torquatus, cùm, *E Phyſicis,* inquit, *& fortitudo ſumi-* 1.de fin. *tur contra mortis timorem; & conſtantia contra metum religionis; & ſedatio animi, omnium rerum occultarum ignoratione ſublata; & moderatio cupiditatum, naturâ, generibúſque earum explicatis.* Lucretius eandem ſæpiùs inculcat, ſæpiúſque concludit illis iiſdem carminibus:

Hunc igitur terrorem animi, tenebráſque neceſſe'ſt lib.1.2.3.6.
Non radij Solis, neque lucida tela diei
Diſcutiant; ſed naturæ ſpecies, ratióque.

Quibus poſtremis verbis exprimi Phyſiologiam vides; vti & illis, quibus cùm docuit quemque ſe fruſtrà fugere, id fieri pergit:

Propterea, morbi quia cauſam non tenet ager; lib.3.
Quam bene ſi videat; iam rebus quiſque relictis,
Naturam primùm ſtudeat cognoſcere rerum.

Quod Epicurus autem hoc loco ἀκεραίας ἡδονὰς, *ſinceras voluptates* dicit; id videtur Lucretius exprimere voluiſſe illis verſibus, quibus admonuimus illum perperam ideò contendiſſe Acheruntis metum agendum foràs funditus eſſe, quia nullam

Eſſe voluptatem liquidam, puramque relinquit,

Cùm & videatur Virgilius eòdem reſpexiſſe, dum magni ducens poſſe cauſas rerum naturalium pernoſſe; ac imprimis

Defectus

2.Geo1g. *Defectus Solis varios, Lunaque labores;*
Vnde tremor terris: quâ vi maria alta tumeſcant
Obicibus ruptis, rurſúſque in ſeipſa reſidant:
Quid tantum Oceano properent ſe tingere Soles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.

Subiicit ſtatim, id, quod eſt etiam recitatum ſuperiùs,

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas!
Ille metus omneis, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, ſtrepitúmque Acherontis auari.

Succurrit hoc loco, quod Horatius habet, dum eum reprehendens, qui non instar Democriti, in contemplatione naturæ totus erat, ſic canit:

1.Epiſt.12. *Miramur, ſi Democriti pecus edit agellos,*
Cultáque, dum peregrè eſt animus, ſine corpore velox;
Cùm tu, inter ſcabiem tantam, & contagia lucri,
Nil paruum ſapias, & adhuc Sublimia cures?
Quæ mare compeſcant cauſæ? quid temperet annum?
Stellæ ſponte ſuâ iuſſæ-ne vagentur, & errent?
Quid premat obſcurum Lunæ, quid proferat orbem?
Quid velit, & poſſit rerum concordia diſcors?

Sim Boſ.de non fœner. Succurrit, inquam, vt tametſi res præclarè quadret in Democritum, inſinuem non deeſſe, qui putent attribuiſſe illi Horatium, quod competeret Anaxagoræ, ob id, quod ſcriptum eſt à Plutarcho, reliquiſſe eum agros depaſcendos pecudibus; dum eam ſibi naturæ rerum cognitionem acquireret, quá
In Pericl. Periclem deinceps inſtituens, magnum virum fecit. Intereà certè, quæ ex eius conſuetudine conſequutus eſt Pericles, *Illud fuit*, inquit Plutarchus, *quòd euaſit longè omni ſuperior ſuperſtitione, quæ terrorem parere ex rebus Sublimibus ſolet apud eos, qui cauſas ignorant, & circa diuina, ob inexperientiam mentis impotes, plenique perturbationis fiunt; quam eximens λόγος φυσικὸς, naturalis ratio, pro tremenda illa, æſtuantéque ſuperſtitione, ſecuram ſpe bonâ ſanctitatem facit.* Denique verò, quod Epicurus habet de Superſtitione, κατὰ τοὺς μύθους, *quod attinet ad fabulas*; id Lucretius ſic explicat, vt oſtendat ea, quæ Poëtæ ſunt fabulati de Inferorũ ſuppliciis, tropologicõs accipienda eſſe,

Atque ea nimirum, quæcunque Acheronte profundo
Prodita ſunt eſſe, in vita ſunt omnia nobis,
&c.

lib. 1. in ſomn.c.10. Similia leguntur apud Macrobium, vbi docet iuxta Theologos, & ante Philoſophiam non alios fuiſſe Inferos, quàm corpus, in quo quiſque ſuos patimur maneis, illius hæc ſiquidem ſunt verba, *Antequam ſtudium Philoſophiæ circa naturæ inquiſitionem ad tantum vigoris adoleſceret, qui per diuerſas genteis Auctores in conſtituendis ſacris cæremoniarum fuerunt, aliud eſſe Inferos negauerunt, quàm ipſa corpora, quibus incluſa anima, carcerem fœdum tenebris, horridum ſordibus, & cruore patiuntur; hoc animæ ſepulcrum, hoc Ditis concaua, hoc Inferos vocauerunt*, &c.

Notum porrò eſt, ex ſuperiùs dictis, quid ad hæc reponendum ſit; vti & ad conſimilia illa,

Eſſe aliquos Maneis, & ſubterranea regna Iuuen.ſatyr.
Et contum, & Stygio ranas ſub gurgite nigras;
Atque vnâ tranſire vadum tot millia cymbâ;
Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lauantur.

Quocirca & hiſce dimiſſis; ſupereſt ſolùm attexamus ex Cicerone egregium locum, qui 2.de diuin. heic potiſſimùm ad rem faciat. Ille enim loquens de prodigiis, tum illud habet, *Aratum fluuium fluxiſſe ſanguine, Deorum ſudaſſe ſimulacra, num cenſes his nuntiis Thaletem, aut Anaxagoram, aut quemquam Phyſicorum credituros fuiſſe? Nec enim ſanguis, nec ſudor niſi è corpore eſt: ſed & decoloratio quædam ex aliqua contagione terrena*, &c. tum paucis interpoſitis, in hunc modum excipit: *Nos autem ita leues, atque inconſiderati ſumus, vt ſi mures corroſerint aliquid, quorum eſt opus, hoc vnum, monſtrum putemus. Ante vero Marſicum bellum, quod Clypeos Lanuuij, vt à te eſt dictum, mures roſiſſent, maximum id portentum haruſpices eſſe dixerunt. Quaſi vero quidquam interſit, mures diem ac noctem aliquid rodentes, ſcuta, an cribra corroſerint. Nam, ſi iſta ſequimur, quòd Platonis Politiam nuper apud me mures corroſerint, de Republica debui pertimeſcere; aut ſi Epicuri de Voluptate liber corroſus eſſet, putarem annonam in macello cariorem fore? An verò illa nos terrent, ſi quando aliqua portentoſa aut ex pecude aut ex homine nata dicuntur? Quorum omnium ne ſim longior, vna ratio eſt. Quicquid enim oritur, qualecunque eſt, cauſam habeat à natura neceſſe eſt; vt etiam ſi præter conſuetudinem extiterit, præter naturam tamen non poſſit exſiſtere. Cauſam igitur inueſtigato in re noua, atque admirabili ſi potes. Si nullam reperies; illud tamen exploratum habeto, nihil fieri potuiſſe ſine cauſa; eúmque terrorem, quem tibi rei nouitas attulerit, naturæ ratione depellito. Ita te, nec terræ fremitus, nec cœli diſceſſus, nec lapideus aut ſanguineus imber, nec traiectio ſtellæ, nec faces viſæ terrebunt.*

Nihil prodeſt ſecuritatem, quod ad homines attinet, parare, ſi ſuperſit eorum ſuſpicio, quæ aut supernè impendeant, aut inferiùs ſub Terra maneant, aut vniuersè vſquam ſint in ipſa rerum immenſitate. Nam ſecuritas quidem quæ haberi poteſt ex hominibus, aliquatenus ſolùm eſt; **ac nequicquam eſt, niſi quis ſit à ſeſe ipſo maximè ſecurus.**

℣.1. Οὐδὲν ὄφελος ἦν τὴν κατ' ἀνθρώπους ἀσφάλειαν. PAG.53. Eòdem quoque ſententia hæc, quò & duæ ſuperiores, ſpectat: ac ſimul prætereà declarat fruſtrà ſperare homines ſecurum tranquillúmque ſtatum; ſi, cùm ſe extra metum à tyrannis, ab improbis, ab inimicis, ab inuidia, ab ignominia, à paupertate, aliiſque id genus conſtituerint; non inſuper ſe à ſeipſis, hoc eſt, à propriæ opinionis tyrannide ſecuros reddant; quà nempe ſuſpicentur ſibi supernè,

infernè, vndique mala impendere; ac omnia etiam tuta timentes, fingant ſibi, quod ille ait,

Horat. 1. Epiſt. vlt. *Somnia, terrores magicos, miracula, ſagas,*
Nocturnos lemures, portentáque Theſſala,

& quicquid denique terroris incutiendi eſſe poteſt capax. Adiicitur autem ſecuritatem ab hominibus aliquatenus eſſe: Imprimis, quia poteſt quidem loci munimentum, ſtipatio ſatellitum, exercitus robur, ſplendor maieſtatis, amplitudo imperij; poſſunt id genus cætera tutum vtcumque facere, ſeu aliquam ſecuritatem præſtare ab hominibus; at præſtare tamen non poſſunt ſecuritatem à ſeipſos neque obſtare, quin ſuperſtitio, quin metus, quin ſollicitudo, quin cupiditates, quin auaritia, quin ira, quin ambitio, quin paſſiones cæteræ, quaſi aurum illud Poëtarum, & ſatellites, & aheneas turreis fulmine potentiùs perrumpant, ac in miſerum inuolantes cor, ipſum exedant, canéque peius, & angue conficiant. Hoc ipſum eſt, quod aliquoties, ſed verſibus illis, præſertim expreſſum à Lucretio eſt,

lib. 3. *Quapropter quoniã nil noſtro in corpore gazæ*
Proficiunt, neque nobilitas, neque gloria regni:
Quod ſupereſt, animo quoque nil prodeſſe putandum'ſt,
Si non fortè, ſuas legiones per loca campi
Feruere cùm videas belli ſimulacra cienteis,
Feruere cùm videas claſſem, lateque vagari;
His tibi tum rebus timefacta relligiones
Effugiunt animo pauidæ, mortiſque timores
Tum vacuum pectus linquunt, curáque ſolutum.
Quòd ſi ridicula hæc, ludibriáque eſſe videmus
Reueráque metus hominum, curæque ſequaces
Nec metuunt ſtrepitus armorum, nec fera tela,
Audactérque inter Reges, rerúmque potenteis
Verſantur, neque fulgorem reuerentur ab auro;
Nec clarum veſtis ſplendorem purpureai!
Quid ſupereſt, niſi vt omne ſit hoc rationis egeſtas,
Omnis cùm in tenebris præſertim vita laboret?

Deinde, quia licet quidem ſic defugere homines, vt magis, magiſque ab iis recedendo, nihil ab ipſis timendum ſit; at non licet tamen ſeipſum ſic defugere, quin in media etiam ſolitudine ſecum ipſo habitandum ſit, & à ſeipſo ſummè timendum; quatenus animo non purgato, ea paſſionum turba, de qua dictum mox, ita comitatur, vt quaſi arundo lethalis hæreat lateri, aut quaſi aſilus,

3. Georg. *Quo quondam monſtro horribileis exercuit iras,*
Inachiæ Iuno peſtem meditata iuuencæ:

Epiſt. 17. Iure profectò Seneca, poſtquàm illud ex Epicuro retulit, *Multis paraſſe diuitias, non finis miſeriarum fuit, ſed mutatio*; ſubdit: *Non hoc miror, non eſt enim in rebus vitium, ſed in ipſo animo. Illud, quod paupertatem grauem fecerat, & diuitias graueis fecit. Quemadmodum nihil differt, vtrùm ægrum in ligneo lecto, aut in aureo colloces; quocumque illum tranſtuleris, morbum ſuum ſecum transfert: ſic nihil refert, vtrùm animus æger in diuitiis, an in paupertate ponatur: Malum ſuum, illum ſequitur.* Facere huc poſſet, quod Charinus apud Plautum, aut Chorus apud Ennium, referente Agellio habet; ſed referre præſtat, quod Lucretius attingit, cùm docet homines plærumque, in mercat. lib. 9 c. 10. lib. 3.

Quid ſibi quiſque velit, neſcire, & quærere ſemper,
Commutare locum, quaſi onus deponere poſſet.

Pergit ſcilicet,

Exit ſæpe foras, magnis ex ædibus ille,
Eſſe domi quem pertæſum'ſt, ſubitóque reuertit;
Quippe foris nihilo meliùs qui ſentiat eſſe.
Currit, agens mannos ad villam hic præcipitanter,
Auxilium tectis quaſi ferre ardentibus inſtans:
Oſcitat extemplò, tetigit cùm limina villæ;
Aut abit in ſomnum grauis, atque obliuia quærit;
Aut etiam properans vrbem petit, atque reuiſit.
Hoc ſe quiſque modo fugit, &c.

Quæ ſecuritas habetur ex trãquillitate, deuitationéque multitudinis, eadem paratur per facultatem, quâ ſibi ipſi temperando, ex cupiditatibus, quicquid neceſſarium naturæ non eſt, *detrahitur, ac per ſimpliciſſimam* facillimámque rerum neceſſariarum *parabilitatem.*

ỷ. 7. Δυνάμει τῇ ἐξαιρετικῇ. Cohæret hæc ſententia quadamtenus cum ſuperiore. Lego autem ἐξαιρετικῇ, pro ἐξεταστικῇ, quoniam huius vocis (vtcumque eſſe poſſe in vſu fingatur) nullus eſſe poteſt hoc loco, niſi aut alienus, aut repugnans ſignificatus: Quam ſubſtituo autem, eiuſmodi eſt, quæ à Seneca penè demonſtretur, dum & refert illam, quam *nobilem* dicit, (quamque iam ſuperiùs memorauimus) Epicuri ſententiam, *Si vis Pythoclea diuitem facere, non pecuniæ adiiciendum, ſed cupiditatibus detrahendum eſt* & admonet ſtatim, ne iſtud tantum exiſtimemus de diuitiis dictum; nam, *quocumque*, inquit, *tranſtuleris, idem poterit. Si vis Pythoclea honeſtum facere, non honoribus adiiciendum ſed cupiditatibus detrahendum. Si vis Pythoclea eſſe in perpetua voluptate; non voluptatibus adiiciendum eſt, ſed cupiditatibus detrahendum. Si vis Pythoclea ſenem facere, & implere vitam; non annis adiiciendum eſt ſed cupiditatibus detrahendum.* Hæc igitur tam latè patens, videtur ea eſſe, quæ hoc loco dicitur facultas ἐξαιρετικὴ, *detractoria.* Notauimus certè iam antè placere Epicuro ὑπεξαίρεσιν, vtcumque fortaſſis in Epiſtola ad Idomeneum Senecæ citata non verbo ἐξαίρειν, ſed ὑποτέμνειν fuerit viſus; quòd Stobæus ſcribat Epicurum interrogatum, πῶς ἄν τις πλουτήσειεν; *qua quis arte ditesceret?* reſpondiſſe, εἰ τοῖς οὖσι προστιθοὶς, ἀλλὰ τῆς χρείας τὰ πολλὰ περιτέμνων, *Non iis, quæ iam habeas adiiciens, ſed ex iis, quorum eſſe putes vſum neceſſarium, multa reſecans;* ſerm. 17.

verum

verumtamen perinde eſt; ac præſertim quidem, cùm ipſe etiam Plato apud eundem Stobæum pari modo interrogatus, paritérque reſpondens, verbo μειῶσαι, minuendi vſus fuerit. Interim autem ex hac *detractione*, vnà cum adiuncta *parabilitate* rerum naturæ neceſſariarum, ſecuritatem fieri confirmari poteſt ex eo, quod habetur in Epiſtola ad Menœceum; illos videlicet, qui ſeſe ad tenuem victum reduxerint eſſe πρὸς τὴν τύχην ἀφόβους, *interritos aduerſus fortunam*. Quamobrem & cùm illeic loci rem ſatis abundè deduxerimus, nihil eſt neceſſe hoc loco addatur. Obſeruo dumtaxat, ob comparationem, quæ hoc loco fit, ſecuritatem hac ratione partam iure haberi ſimilem illi, quæ ex quieta, ſeu priuata vita; aut ex ſeceſſu, atque fuga multitudinis, obtinetur. Quippe qui in ſocietate degit, & in gerendis rebus occupatur, ſi inaneis modò ex animo cupiditates detraxit, deſideriúmque ſuum eluſit; hic nihilo magis quicquam affectat, nihilò magis iniurius eſt, nihilo magis vindictam metuit, nihilo magis ruinam timet, quàm is, qui negotia omnia refugit, qui in claritate populi non eſt; qui extra omnem ſocietatem degit. Adeò proinde, vt ille verâ, ereditáque adeſſe ſolitudini ſecuritate, tranquillitatéque animi fruatur; non qui in Eremum, ſed qui in ſeipſum ſecedit; quique non ipſos homines, ſed ſuas cupiditates fugit; ac ſibi eſſe non tam ab aliis, quàm à ſeipſo cauendum putat: quemadmodum dictum mox eſt. Quanquam id ita eſt accipiendum, non quòd non laudabile ſit, tranquillitatem, ſecuritatémque in vita priuata, ac ſolitaria quærere, & maximè quidem, cùm adeò difficile ſit in mediis negotiis, inque communi ſocietate cupiditates reſcindere, vbi tot exempla, totque occaſiones veluti incentiua ſunt: ſed quòd ſingulari ſapientiæ, virtutiſque ſtudio fieri valeat, vt quis etiam in ſocietate, mediiſque negotiis, animum ſecurum, tranquillúmque poſſideat; quódque aliunde præſtet, cupiditates reſecantem cum hominibus viuere, quàm deuitantem homines, deuehere ſecum cupiditates.

Diuitiæ, quibus natura contenta eſt, terminatæ, & parabiles ſunt; earum verò, quæ iuxta inaneis opiniones concupiſcuntur, nec modus vllus, nec finis inueniri poteſt.

1. de fin. ꝟ. 10. Ὁ τῆς φύσεως πλοῦτος. Sententiæ interpretationem ex Cicerone deſumptam verbis accommodauimus leuicula immutatione: Nempe, Torquatus apud illum; *Natura*, inquit, *diuitias, quibus contenta eſt, & parabiles, & terminatas habet: inanium autem cupiditatum nec modus vllus, nec finis inueniri poteſt.* Poteramus verò etiam breuiùs interpretari ex Seneca, apud quem, poſtquàm Epicurus dixit; *Si ad naturam viues, nunquam eris pauper; ſi ad opinionem, nunquam diues;* tum ſententiam ſic exprimit;

Exiguum natura deſiderat, opinio immenſum. Agnoſcis porrò hanc ipſam eſſe Epicuri ſententiam, quam alibi obſeruauimus Athenæum comprehendiſſe illo diſticho.

> Τῆς φύσεως δ' ὁ πλοῦτος ὅρον τινὰ βαιὸν ἐνίσχει,
> Αἱ δὲ κεναὶ κρίσεις τὴν ἀπέραντον ὁδόν.
> *Proſcripſit natura opibus finémque modumque;*
> *Vani at opinatus fine, modóque carent.*

Quia verò etiam Solonis verſum in eandem ſententiam ex Plutarcho retulimus; placet nunc integram ſententiam apud Stobæum exſtantem referre,

> Πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται. ſerm. 9.
> Οἳ γὰρ νῦν ἡμέων πλεῖστον ἔχουσι βίον,
> Διπλασίως σπεύδουσι. τίς ἂν κορέσειεν ἅπαντας;
> *Finis opum apparens non eſt mortalibus vllus:*
> *Nam quibus ex nobis copia turget opum,*
> *Hi duplum affectant. Ecquis ſatiauerit omneis?*

Prætereo porrò in contextu particulam εἰς, ante voces τῶν κενῶν δοξῶν, fuiſſe repoſitam ex Porphyrio, qui aliunde & Antitheſeos ac 1. de Abſtin. breuitatis gratiâ, vice earum vocum, εἰς ἄπειρον ἐκπίπτει, habet vocem δίψος, & ſubiicit plura (vt conſtat ex loco ſuperiùs citato) in eandem ſententiam. Neque verò eſt prætereà neceſſe congerere in hunc locum plura: cùm multa oppidò hac de re allata iam ſint, dum eiuſmodi retulimus locum circa illa verba ex Epiſtola ad Menœceum, αὐτάρκειαν ἀγαθὸν μέγα, & aliqua etiam paullò pòſt attingenda ſint circa inaneis cupiditates. Heic ſufficiet, quod Seneca, ad ea, quæ ſunt mox ex ipſo commemorata, ſubiungit: *Congeratur*, inquit, *in te quicquid multi locupletes poſſederunt. Vltra priuatum pecuniæ modum fortuna te prouehat; auro tegat, purpurâ veſtiat; & eò deliciarum, opúmque perducat, vt terram marmoribus abſcondas, & non tantum habere tibi liceat, ſed calcare diuitias. Accedant ſtatuæ & picturæ, & quicquid ars vlla luxuriæ laborauit; maiora cupere ex his diſces. Naturalia deſideria finita ſunt; ex falſa opinione naſcentia vbi deſinant, non habent: nullus enim terminus falſo eſt. Viâ eunti, aliquid extremum eſt: error immenſus. Retrahe te à vanis, & cùm voles ſcire, quod petis, vtrùm naturalem habet, an cæcam cupiditatem; conſidera, an poſſit alicubi conſiſtere. Si longè progreſſo ſemper aliquid longius reſtat; ſcito id naturale non eſſe.* An verò & poſſit huc appoſitè adhiberi Horatianum illud;

> ——— *tolle querelas* 1. Epiſt. 12.
> *Pauper enim non eſt, cui rerum ſuppetit vſus.*
> *Si ventri bene, ſi lateri eſt, pedibúſque tuis, nil*
> *Diuitiæ poterunt regales addere maius.*

Exigua fortuna ſapienti interuenit: maxima verò & grauiſſima res conſilio ipſius, & ratione, in vitæ ſerie adminiſtrantur.

℣. 13. Βραχεῖα σοφῷ τύχη παρεμπίπτει. Eſt etiam penè tota huiuſmodi ſententiæ inter-
3. Tuſcul. pretatio ex Cicerone: tametſi alicubi breuiùs, & quaſi non βραχεῖα, ſed οὐδεμία τύχη legeretur, dixerit negare Epicurum *Vllam in ſapientem vim eſſe fortunæ*; vti & cùm Sapiens ab Horatio deſcribitur,

2. ſat. 7. *In quem manca ruit ſemper fortuna.*

Lego autem κατὰ τὸν τοῦ βίου συνεχῆ χρόνον διοικεῖ, pro διοικεῖ καὶ κατὰ τὸν συνεχῆ χρόνον διοικεῖ, καὶ διοικήσει. Imprimis enim vocem τοῦ βίου repono ex
Ecl. Eth. Stobæo, apud quem poſt vocem λογισμὸς, habetur, tametſi etiam illeic corruptè legi videtur, διῴκηκε, καὶ τὸν βίον, ὁ συνεχῆ χρόνον. Deinde verbum διοικεῖ, poſt vocem χρόνον relinquo, propter aliud præſens παρεμπίπτει, repetitum autem præterito, futuróque temporibus expungo, non modò, quòd partim ſuperfluat, partim orationis tenorem perturbet; verùm etiam quòd, neque apud Stobæum repetitum exſtet; neque repetitum inſinuetur ipsâ
1. de fin. tam Ciceronis, quàm Vitruuij Sententiæ totius interpretatione. Nam apud illum quidem Torquatus, *Optimè, vere*, inquit, *Epicurus, quod exiguam dicit fortunam, interuenire ſapienti; maximáſque ab eo, & grauiſſimas res conſilio ipſius, & ratione adminiſtrari.* Vitruuius
in præfat. lib. 6. autem; *Epicurus verò*, inquit, *non diſſimiliter ait, Pauca ſapientibus fortunam tribuere; quæ autem maxima, & neceſſaria ſunt, animi, mentiſque cogitationibus gubernari.* Et quomodo quidem Librarij gloſſemata multa ſæpè induxerint, non ediſſero: vt neque mordicùs contendo non fuiſſe eas voces ex textu: quod Magni illi Interpretes reputare potuerint omnia tempora præſente ſolo repræſentari: eo modo, quo etiam videntur illo comprehendiſſe, quod de continuo tempore, ſeu de ſerie vitæ tam apud Stobæum, quàm apud Laërtium diſertè exprimitur. Adnoto hoc potiùs, videri Vitruuium alio modo ſententiam, quàm aut Ciceronem, aut cæteros accipere. Nempe iuxta ipſum, ſenſus eſſe videtur, quòd Fortuna ſapientibus bona pauca largiatur; iuxta alios, quòd mala quidem, verùm quibus Sapiens parùm admodùm moueatur, immittat. Videtur autem eſſe poſterior interpretatio legitima; quoniam mala fortuna eſt, in qua præſertim excipienda ſtrenuè, eadémque ſapientia elucet. De hac certè intelligi videtur, quod congruè iſti ſententiæ à Metrodoro dictum celebratur (vti & ſuperiùs inſinuatum eſt) προκατείλημμαί σε, ὦ τύχη, καὶ πᾶσαν
5 Tuſc. τὴν σὴν παρείσδυσιν hoc eſt, vt Cicero ipſemet eſt interpretatus, *Occupaui, te, Fortuna, atque cepi, omneiſque aditus tuos intercluſi, vt ad me adſpirare non poſſes.* Quod quidem poteſt concipi factum, cùm ille ſe vnà cum Epicuro ad tam pauca reduxit, vt iam ali-
Epiſt. 18. de conſt. op. c. 15. quoties ex Seneca retulimus, *quæ nulla eripere fortunæ iniquitas poſſet.* Prætereo autem illud quoque recitatum ex Seneca, *Epicurus, quem vos Patronum inertiæ veſtræ aſſumitis, putatiſque mollia, ac deſidioſa præcipere, & ad voluptatem ducentia. Raro, inquit, ſapienti interuenit fortuna.* Prætereo & quod de munimento, quaſi Metrodoreo verbis illis
habet: *Philoſophia circumdanda eſt, inexpugnabilis murus, quem fortuna multis machinis laceſſitum non tranſit. In inſuperabili loco ſtat animus, qui externa deſeruit, & arce ſe ſua vindicat: infra illum omne telum cadit. Non habet, vt putamus, fortuna longas manus; neminem occupat, niſi hærentem ſibi. Itaque quantum poſſumus, ab illa reſiliamus; quod ſola præſtabit ſui, naturæque cognitio. Sciat quò iturus ſit; vnde ortus, &c.* Hæc, inquam; aliáque prætereo, vt egregium vnum duntaxat ex Plutarcho attexam locum, quo docens, quemadmodum eſſe aduerſus Fortunam præmunitos oporteat; *Illud*, inquit, *eſt* de an. tranquill.
exercitatione, & meditatione dignum; vt quo pacto is, qui iacto in canem lapide, cùm ab eo aberrans, nouercam feriiſſet, neque ſic, inquit, malè ceſſit; pari nos modo putemus ea, quæ nobis præter voluntatem fortuna obtulerit, poſſe in quidpiam nobis commodum transferri. Actus Diogenes in exilium eſt; nec ſic quidem malè; nam factus exterris philoſophari cœpit. Zenoni Cittienſi nauis vnica oneraria ſupererat: illam ſimul cum mercibus vi fluctuum ſubmerſam accipiens; Bene, inquit, Fortuna facis, quæ nos ad palliolum, & Porticum mittis. Quid obeſt, quò minùs iſtos imiteris, Magiſtratum affectans, voto excidiſti? In agro deges; res tuas curans, Principis amicitiam ambiens, paſſus repulſam es? Viues, periculis, negotiiſque immunis. Geſſiſti aliunde negotia occupationibus, & ſollicitudinibus plena? Nec calida quidem, iuxta Pindarum, ita fouebit mollia membra, vt gloria, honóſque potentia alicui coniunctus, & laborem iucundum, & moleſtiam non moleſtam facit. Fecit calumnia, aut inuidia, vt negotium tibi infeliciter, & cum exſibilatione ſucceſſerit? Nauigare ſecundo vento ad Muſas, & Academiam licet, Platonis inſtar, poſtquàm naufragium amicitia cum Dionyſio fecit. Iuuat proinde maximè ad animi tranquillitatem illuſtreis viros conſiderare, an non tale quid paſſi fuerint. Moleſtum eſt, exempli causâ, liberis carere? Attende ad Romanorum Reges, quorum nemo fuit, qui regnum filio ſuo reliquerit. Eſt tibi præſens paupertas grauis? Ecquem Bœotorum eſſe te, quam Epaminondam malles; aut Romanorum, quàm Fabricium? Adulterata vxor eſt? An non legiſti inſcriptionem in Delphis?

Agis me poſuit, qui eſt Rex terraque, mariſque.

Et nonne etiam inaudiiſti vxorem illius Timæam ab Alcibiade vitiatam, ac filium vocaſſe Alcibiadem, id ancillis inſuſurrando? Et hoc tamen non obſtitit, quò minùs Agis clariſſimus, maximúſque fieret Græcorum. Vti neque Stilponem, iucundiſſimè omnium ætatis ſuæ Philoſophorum viuere prohibuit intemperans filia.

Ita

Vir iuſtus eſt maximè omnium à perturbatione immunis: iniuſtus ex oppoſito perturbationis pleniſſimus.

ψ. 16. ὁ δίκαιος ἀταρακτότατος. Cùm in hanc ſententiam dicta ſint iam multa aliquot occaſionibus, ac de ipſa potiſſimum Iuſtitia cùm diſſereremus, & ſuperſint etiam nonnulla attingenda inferiùs; adnoto heic ſolùm B. Clementem Alexandrinum, poſtquam fuiſſe ait ſcriptum ab Ariſtophane,

Βιώσει ἔχων τὸν βίον, δίκαιος ὤν,
Χωρίς τε θορύβου, καὶ φόβου ζήσεις καλῶς.
Sis iuſtus, & ſecura vita erit tibi:
Viues decorè, ſine tumultúque, & metu:

ſubiicere hanc ex Epicuro ſententiam, Δικαιοσύνης καρπὸς μέγιστος ἀταραξία, *Fructus Iuſtitiæ maximus eſt vacuitas perturbationis.* Senecam verò ralatà illà, quæ occurſura poſterius eſt, Epicuri ſententiâ, *Poteſt nocenti contingere, vt lateat, latendi fiducia non poteſt:*
Epiſt. 97. paucis interpoſitis ſubiicere, *Illcic diſſentiamus, cum Epicuro; vbi dicit nihil Iuſtum eſſe naturâ; & crimina vitanda eſſe, quia vitari metus nonpoſſit. Heic conſentiamus, mala facinora conſcientiâ flagellari, & plurimùm illi tormentorum eſſe, eo quod perpetua illam ſollicitudo vrget, ac verberat; quod ſponſoribus ſecuritatis ſuæ non poteſt credere.* Et poſteà, *Proprium eſt nocentum trepidare. Malè de nobis,* &c. Ac poſſet quidem illud præſertim, quod eſt apud B. Clementem, ex eo confirmati, quòd
lib. 1. Socrates vbique docet (ſcribente apud eundem Cleanthe) *eſſe eundem virum iuſtum, & beatum.* Docet autem potiſſimùm tum in libro de Republica primo, vbi allatis variis aduerſus Traſymachum argumentis, concluditur denique, *eſſe virum iuſtum felicem, iniuſtum verò miſerum:* tum in ſecundo de Legibus; vbi iuſto habito felice, ſubditur, *iniuſtum, Cynirâ licet, ac Midâ ditiorem, eſſe nihilominus infelicem inque angore viuere,* confirmati, inquam, ex hoc poſſet, provt vacuitas perturbationis, ſeu animi tranquillitas ſummum bonum eſt, quo ſumus felices, quóque adeò maior fructus nullus eſt: Poſſent & alia innumera in eandem ſententiam attexi; verùm ſufficiet adſcribere, quæ apud Stobæum à Diogene ediſſeruntur. *Iuſtitia,*
ſerm 9. inquit, *animæ tranquillitatem vberem præbet. Siquidem, ita viuere, vt neminem timeas, apud neminem erubeſcas, voluptas eſt quædam, & ſibi ipſi ſufficiens vita. Porrò enim, qui iuſtitiam animo complectitur, non aliis ſolùm vtilis eſt; ſed eſt maximè etiam ſibi ipſi. Aberit quippe, vt ſe conetur vlla ex parte offendere; neque enim ſibi doloris, morbive vllius cauſa erit; ſed ipſa ſenſuum inſtrumenta naturæ quaſi diuina eſſe reputans, iis iuſtè vtitur; nihil ſupra vireis aggrediens; cuſtodiens illa maximè, & voluptates ex ipſis, vtilitatémque percipiens. Quippe & ex auditu, & ex viſu, & ex alimenti, ac Venereorum vſu, voluptates illi, qui iuſtè ſeipſo vtetur, contingent. Secus autem agendi pericula erunt circa eas res, quarum maximè intereſt, quæque cumprimis ſunt neceſſaria. Niſi non aliquos vidiſti, qui nocte, diéque animo perturbati præcipites ſeſe in mare, aliòque egerunt?*

Non augetur in corpore voluptas detracto dolore, qui ex indigentia eius rei, quâ naturæ opus eſt, *oritur, ſed dumtaxat variatur.*

ψ. 18. Οὐκ ἐπαύξεται ἡ ἡδονὴ ἐν τῇ σαρκί. Sententia hæc eſt, quam Cicero innuit, dum Torquatus apud ipſum, *Omnis autem*, inquit, 1. de fini.
priuatione doloris putat Epicurus terminari ſummam voluptatem; vt poſteà variari voluptas, diſtinguique poſſit: augeri, amplificarique non poſſit. Ac rurſùs, *Cùm omnis dolor detractus eſſet, variari, non augeri voluptatem.* Et poſteà, dum ipſe diſputans aduerſus Torquatum, *Quid ſi efficio*, inquit, *vt fateare, me non modò quid ſit voluptas, ſcire (eſt enim iucundus motus in ſenſu) ſed etiam quid eam tu velis. Tum enim eam ipſam vis, quam modo ego dixi, & nomen imponis in motu, vt ſit, & faciat aliquam varietatem: tum aliam quandam ſummam voluptatem, cui addi nihil poſſit; eam tu adeſſe, cùm dolor omnis abſit, eámque ſtabilem appellas.* Elicitur porrò ex hoc loco, quî valeat ſententia quadamtenus intelligi iuxta ea, quę dicta iam ſunt circa amotionem doloris, magnitudinis voluptatum finem. Videlicet, quòd Indolentia, quæ eadem eſt cum Sanitate, ſumma quædam voluptas ſit; ſine qua nulla, & cum qua omnis ſit, quæ prætereà poteſt haberi voluptas; eo modo quo ſaccharum haberi poteſt quaſi ſummum dulce, cuius admiſtione cætera dulcia intelligantur; vel generaliùs ipſum Sal haberi ſummè ſapidum, cuius participatione cætera omnia ſapida fiant. Quo item modo calida omnia cenſeri poſſunt calida participatione ſummè calidi, putà ignis; omnia humida participatione ſummè humidi, putà aquæ; atque ita de cæteris: adeò vt ſummo habito in vnoquoque genere, non illud augeri, intenſiuſve effici valeat, ſed pro diuerſitate rerum, quibus applicetur, variari dumtaxat. An verò poteſt Epicurus habuiſſe quoque indolentiam quaſi maſſam ceream, quæ diuerſimodè formetur; quaſi pannum, qui diuerſimodè complicetur; quaſi tabulam, quæ diuerſimodè pingatur; quoniam, vt rerum iſtarum moles non ideò augetur, ſed variatur ſolummodò; ita perfectio illius ſtatus non amplificatur ex ſuperuenientibus diuerſimodè iis, quæ in motu ſunt, voluptatibus, ſed variatur ſolùm? Vtcumque ſit; quò ſaltem liceat intelligere Epicurum, Indolentiâ, ſeu ſtabili illâ voluptate obtentâ, habere iſtas mobileis, quaſi non neceſſarias; adiici poteſt ad antedicta, quod Plutarchus ait, ad hanc ſententiam attinens. Nam de voluptatibus loquens, *Epicurus*, inquit, πέρας αὐταῖς κοινὸν πάσαις τὴν τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσιν ἐπιτίθενται, ὡς τῆς φύσεως ἄχρι τοῦ λῦσαι τὸ ἀλγεινὸν αὐξούσης τὸ ἡδύ, περαιτέρω δὲ προελθεῖν οὐκ ἐώσης κατὰ μέγεθος, ἀλλὰ ποικιλμούς τινας, οὐκ ἀναγκαίους, ὅταν οὐκ ἐν τῷ μὴ πονεῖν γένηται, δεχομένης, *Finem iis communem præſtituit doloris omnis amotionem; videlicet, quaſi natura, quouſque prorſus exemerit dolorem, voluptatem augeat; non patiatur verò vlteriùs ſecundùm magnitudinē prouehi, ſed admittat ſolùm varietates quaſdā minimè neceſſarias; vtpote,*

quæ ad id, ne doleamus, non comparentur. Porrò & ex hoc intelligitur, eas voluptates in motu, quas Epicurus, vt varianteis ſolùm,& vt non neceſſarias reſpuit,non eſſe illas, quæ percipiuntur, donec, quæ parta ob indigentiam moleſtia eſt, detrahitur; veluti donec fames leuatur,aut ſitis reſtinguitur; ſed illas, quæ hac detracta moleſtia intemperanter capeſſuntur. Iſtæ nempe ſunt, quas natura nobis neceſſarias non fecit; quaſi aſſequuta ſemel Indolentiam, nihil affectet ampliùs, ſed in ea conſiſtat,vt in apice: cùm & priores illas eò vſque dumtaxat neceſſarias fecerit, quovſque fuerit indolentiam nacta; ac veluti inſuſurrare vnicuique illud potuerit, quod occaſione diuitiarum naturæ,non multò antè retulimus,

——tolle querelas,

Si ventri bene,ſi lateri eſt,pedibuſque tuis——

Intelligitur verò etiam tum ex his, tum ex ſæpe dictis, quid ad Ciceronem reſponderi valeat; cùm exaggeratis illis ex libro de Fine Epicuri verbis, *Nec equidem habeo, quid intelligam bonum,* &c. ſubiicit tandem: *At idem ait, non creſcere voluptatem dolore detracto, ſummámque eſſe voluptatem, nihil dolere. Paucis verbis magna tria peccata. Vnum, quòd ſecum ipſe pugnat: modò enim ne ſuſpicari quidem ſe quidquam bonum, niſi ſenſus quaſi titillarentur voluptate: nunc autem ſummam voluptatem eſſe, dolore carere. Poteſt-ne magis ſecum ipſe pugnare? Alterum eſt peccatum,quòd cùm in natura tria ſint, vnum gaudere, alterum dolere, tertium nec gaudere, nec dolere; hic putat primum,& tertium idem eſſe,nec diſtinguit à non dolendo voluptatem. Tertium peccatum commune cum quibuſdam,quòd cùm virtus maximè expetatur eiúſque adipiſcendæ causâ Philoſophia quæſita ſit; ille à virtute ſummum bonum ſeparauit.*

Id quod mentis finem (*ſummámve*, quæ in animo *voluptatem*) *peperit, ipſa fuit expunctio earum opinionum* (*illiſque affinium*) *quibus metus maximè ipſi menti incutiebantur.*

✝. 21. Τῆς δὲ διανοίας τὸ πέρας. Vt ſententia ſuperior ſpectat ad voluptatem corporis ſummam, quæ in indolentia eſt ſita; ſic attinet iſta ad ſummam voluptatem animi, quæ in vacuitate perturbationis, ſeu tranquillitate conſiſtit. Summam verò dico, propter vocem πέρας,ex qua intelligimus inſinuare Epicurum voluiſſe,poſtquàm aliquis ad eiuſmodi perturbationis vacuitatem peruenit,variari quidem per ſtudiorum, ſpeculationúmque lepores;at non augeri nihilominùs ſummam animi voluptatem. Quin-etiam proinde intelligimus, quamobrem non cenſuerit eſſe Phyſiologiam neceſſariam,niſi ad vacuitatem illam perturbationis comparandam; nempe, quaſi ipsâ ſemel habitâ, voluptates ſpeculationum neceſſariæ magis non ſint, quàm fame ſublatâ ciborum cupediæ. Quippe à pari intelligitur; neque opus eſt,vt quidpiam hoc loco ſpeciatim addatur; & maximè quidem cùm res fuerit mox antè circa Phyſiologiæ neceſſitatem declarata.

Ex infinito tempore ætatis non maior voluptas poteſt percipi,quàm percipiatur ex hoc, quod videmus eſſe finitum; ſi quis modò illius fineis recta ratione dimetiatur.

✝. 26. Ὁ ἄπειρος χρόνος ἴσην ἔχει τὴν ἡδονήν. Sententiæ interpretationem ſuggeſſit Cicero, cùm Torquati ore Epicurum dicentem induxit, *Non maiorem voluptatem ex infinito tempore ætatis percipi poſſe, quam ex hoc percipiatur,quod videamus eſſe finitum.* (1. de fin.) Prætereo autem, quòd poſt-modum illam iterùm recenſet his verbis: *Negat Epicurus diuturnitatem temporis ad beatè viuendum aliquid afferre, nec minorem voluptatem percipi in breuitate temporis,quam ſi illa ſit ſempiterna.* (lib. 2.) Et rurſùs. *Negat infinito tempore ætatis voluptatem fieri maiorem, quàm finito, & modico.* Tametſi verò Cicero, non improbatâ alioquin ſententiâ,ipſam Epicuro non congruere cenſeat; id facit tamen ob præſumptam,& quæ afficta tamen ſit, de voluptate opinionem. Et certè conditio,quæ apponitur, *Siquis modò*,&c. declarat ſatis Epicurum voluptati modum, non libidine, ſed ratione præſcripſiſſe. At quomodo poteſt voluptas tempore finito percepta, reputari æqualis illi,quæ infinito, ſi vita foret ſempiterna, perciperetur? Quatenus, inquiet, voluptatis finem rectâ ratione dimetiendo, ac ſummam proinde voluptatem, non aliam, quàm vacuitatem, tum doloris, tum perturbationis eſſe reputando, conſtat illam neque maiorem, intenſioremve fieri longinquitate temporis; neque minorem, remiſſioremve eiuſdem breuitate reddi. Et qui hoc bono, donec viuit communem vitam, fruitur, tam eſſe eum beatum,quàm foret, donec viueret, ſi fieri poſſet,vitam ſempiternam. Et quamvis ſperata productior, ſeu longioris æui, voluptas videatur præſentem voluptatem facere intenſiorem; id tamen apud eos, qui voluptati finem non recta ratione, ſed cupiditate inani metiuntur; quique ſic ſe habent,quaſi cùm non erunt, ſeu vita deſierit, ſenſuri ſint moleſtiam ob priuationem voluptatis,quam ſentirent,ſi ſupereſſent. Addet ipſam Sapientis vitam, æternitati æquiparari, vt ſuperiùs deduximus; quatenus non modò præſentia intuetur; ſed ea etiam,quæ prætetierunt,ſibi ponit ob oculos; ac ea,quæ futura ſunt,vniuerſim proſpicit; ortus Siderum, & occaſus; tempeſtatum viciſſitudines; generationum, & corruptionum varietates; Rerumpublicarum,motúmque mutationes; bellorum,& pacis alternanteis vices; fidei, & perfidiæ; crudelitatis,& clementiæ exempla,cęteráque id genus omnia,quæ extitura in futurum,ex iis,quæ præextiterunt,coniicere in promptu ſit; adeò proinde,vt ille habeat,quaſi in proſpectu æternitatem totam; intereſſe ſe illi putet; neque vitam breuem conceſſam queratur, quam ſapientia in omne æuum tam præteritum, quàm futurum extenderit. Spectare huc proinde poteſt, tum illud Ciceronis,cùm Philoſophiam alloquitur, *Eſt enim vnus dies bene, & ex præceptis tuis actus penè toti* (5. Tuſc.)

Epiſt. 78. *toti immortalitati anteponendus* : tum illud Poſidonij apud Senecam, *Vnus dies hominum eruditorum plus patet quam imperitorum longiſſima ætas*; tum id genus alia, quæ iam ante attigimus. Nihil porrò neceſſe eſt ipſius Poſidonij occaſione admoneam fuiſſe eandem, quam Epicuri, Stoicorum ſententiam, cùm vtcumque Plutarchus Chryſippum contradictionis redarguat; ſcripſiſſe eum tamen variis in locis referat, ὅτι πρὸς τῷ πλείονα χρόνον οὐδὲν μᾶλλον εὐδαιμονοῦσιν, ἀλλ' ὁμοίως, καὶ ἐπίσης τῷ ἀμερῆ χρόνον εὐδαιμονίας μετέχουσιν, *Nihilo eſſe homines feliciores longinquitate temporis, ſed perinde eſſe, & ex æquo cum iis, qui ſunt vel momento temporis felices.*

Præſcripti ſunt quidem à natura *fines voluptati corporis, ſed illos temporis æterni deſiderium ipſi ademit. Superuenit porrò mens, quæ de corporis fine, extremóque*, vt par fuit, *ratiocinando, & ſempiterni temporis deſiderium eliminando, vitam vndique perfectam conſtituit, effécitque, vt eà contenti, haudquaquam ipſa temporis infinitate indigeremus. Quin etiam voluptate quoque fruſtrata non eſt, ne tum quidem cùm rerum* mortalium *conditio exceſſum è vita molitur, quippe prout optimæ vitæ perfectum*, atque adeò delectabilem, *nanciſcitur finem.*

℣. 29. Ἡ μὲν σὰρξ ἀπέλαβε τὰ πέρατα. Perſpicuum eſt textum huiuſce ſententiæ fuiſſe admodum deprauatum. Quamobrem & ad eliciendum, quatenus licet aliquem ſenſum, Lego ℣. 30. ἀπέραντον ἢ ἄπειρα πόθου χρόνου, pro ἄπειρα, καὶ ἄπειρος αὐτὴν χρόνος. Alioquin enim quomodo ſint, quæſo, τὰ πέρατα ἄπειρα; quóve modo ἄπειρος χρόνος οὐδ' αὐτὴν παρεσκεύασεν; ſic verò etiam ℣. 33. lego πόθους ἐκκλείσασα, pro φόβους ἐκκλείσασα, non quòd alioquin voces iſtæ cum iis, quæ præcedunt, cohærere non poſſent; ſed quia non ſimul congruunt cum conſequutione, quæ deducitur, quatenus infertur, *effectum eſſe ratiocinando, vt nihil egeremus infinito tempore*; quippe cùm hoc fiat non metum doloris æterni tollendo, ſed diuturnioris temporis cupiditatem detrahendo. Id videlicet iuxta illud non ita pridem repetitum, *Si vis Pythoclea ſenem facere, & implere vitam, non annis adiiciendum eſt, ſed cupiditatibus detrahendum* : &, *Qui deſiderium clauſit*, &c. Denique lego, ὡς τελείαν λαβοῦσα τὴν τοῦ ἀρίστου βίου καταστροφὴν, pro ὡς ἐλλείπουσά τι τοῦ ἀρίστου βίου κατέστρεψεν. Nempe non apparet, quid poſſit germani ſenſus heinc colligi. Habeo autem vocem ἀρίστου, pro ἀείστου, ex ms. cùm & videatur Epicurus voluiſſe heic ſcripto docere, quod reipsà facto oſtendit, dum moriens illud extulit, *Cùm ageremus vitæ beatum & eundem ſupremum diem, ſcribebamus hæc.* Obiter porrò videre licet, quàm Epicurus abfuerit, vt idem, quod Theophraſtus conquereretur, *qui moriens*, inquit Cicero *accuſaſſe naturam dicitur, quod ceruis & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil intereſſet; hominibus, quorum maximè interfuiſſet tam exiguam vitam dediſſet. Quorum ætas ſi potuiſſet eſſe longinquior, futurum fuiſſe, vt omnibus perfectis artibus, omni doctrinà hominum vita erudiretur. Querebatur igitur*, pergit Cicero, *ſe tum, cùm illa videre cœpiſſet, exſtingui.* Quod quidem 3. Tuſcul. viſus Seneca in Ariſtotelem transferre, exprobrat illi, *cum rerum natura exigenti minimè conuenientè ſapienti viro litem eſſe; illam animalibus tantum indulſiſſe, vt quina, aut dena ſæcula educent; homini in tam multa, ac magna genito tantò citeriorem terminum ſtare.* Lucretius certè ex oppoſito conquerentem ipſam naturam, iuxta Epicurum inducit, aduerſus illos, qui ſibi vitam non eſſe longiorem congemunt, ac flent, verſibus illis ſuprà relatis,

Quid tibi tantoperé'ſt, mortalis, &c. lib. 3.

ac illis demum propoſitis,

—eadem tamen omnia reſtant,
Omnia ſi pergas viuendo vincere ſæcla,
Aut etiam potius, ſi nunquam ſis moriturus.

ſubdit :

Quid reſpondeamus, niſi iuſtam intendere litem
Naturam, & veram verbis exponere cauſam.

Sed, ne hæc repetantur, attexere præſtat, quod Seneca relatà illà Ariſtoteleà ſententià in hunc modum ſubiicit : *Non exiguum temporis habemus, ſed multum perdimus. Satis longa vita, & in maximarum rerum conſummationem largè data eſt, ſi tota bene collocaretur. Sed vbi per luxuriam, ac negligentiam defluit, vbi nullì rei bonæ impenditur, vltima demum neceſſitate cogente, quam ire non intelleximus, tranſiiſſe ſentimus. Ita eſt : non accepimus breuem vitam, ſed fecimus; nec inopes eius, ſed prodigi ſumus. Sicut ampla, & regiæ opes, vbi ad malum Dominum peruenerunt, momento diſſipantur : at quamuis modica, ſi bono cuſtodi tradita ſunt, vſu creſcunt; ita ætas noſtra bene diſponenti multum patet. Quid de rerum natura querimur? illa ſe benignè* capit. *geſſit : vita, ſi ſcias vti, longa eſt. Alium inſatiabilis tenet auaritia; alium in ſuperuacuis laboribus operoſa ſedulitas; alius vino madet, alius inertià torpet, alium defatigat ex alienis iudiciis ſuſpenſa ſemper ambitio; alium mercandi præceps cupiditas circa omneis terras, omnia maria ſpe lucri ducit. Quoſdam torquet cupido militiæ, nunquam non aut alienis periculis intentos, aut ſuis anxios; ſunt quos ingratus ſuperiorum cultus voluntaria ſeruitute conſumat. Multos aut affectatio alienæ fortunæ, aut ſuæ odium detinuit; pleroſque nihil certum ſequenteis, vaga & inconſtans, & ſibi diſplicens leuitas per noua conſilia iactauit.* Et infrà : *Non eſt itaque, quod quemquam propter canos, aut rugas, putes diu vixiſſe;* cap 8. *non enim ille diu vixit, ſed diu fuit. Quid enim, ſi illum multum putes nauigaſſe, quem ſæua tempeſtas à portu exceptum huc, & illuc tulit, ac viribus ventorum ex diuerſo furentium per eadem ſpatia in orbem egit? Non ille multum nauigauit, ſed multum iactatus eſt. Mirari ſoleo, cùm video aliquos tempus petere & eos qui rogantur, facillìmos. Illud vterque ſpectat propter quod tempus petitum eſt; ipſum quidem neuter. Quaſi nihil*

petitur ; quaſi nihil datur ; re omnium pretioſiſſima luditur. Fallit autem illos, quia res incorporalis eſt, quia ſub oculos non venit, ideóque viliſſima æſtimatur : imò penè nullum pretium eius eſt. Annua cõgiaria homines clariſſimi accipiunt, & his aut laborem, aut operam, aut diligentiam ſuam locant : nemo æſtimat tempus ; vtuntur illo laxiùs, quàm gratuitò. At eoſdem ægros vide ; ſi mortis periculum admotum eſt propius, Medicorum genua tangentes ; ſi metuunt capitale ſupplicium, omnia ſua, vt viuant, paratos impendere ; tanta in illis diſcordia affectuum eſt. Quod ſi poſſet, quemadmodum præteritorum annorum cuiuſque numerus proponi, ſic futurorum ; quomodo illi, qui paucos viderent ſupereſſe, trepidarent, quomodo illis parcerent ? Atqui facile eſt, quamuis exiguum diſpenſare, quod certum eſt ; id debet ſeruari diligentiùs, quod neſcias, quando deficias. Nec eſt tamen, quòd ignorare putes illos, quàm cara res ſit. Dicere ſolent eis, quos valdiſſimè diligunt, paratos ſe partem annorum ſuorum dare. Dant, nec intelligunt : dant autem ita, vt ſine illorum incremento ſibi detrahant : ſed hoc ipſum an detrahant, neſciunt ; ideò tolerabilis eſt illis iactura detrimenti latentis. Nemo reſtituet ; nemo iterùm te tibi reddet. Ibit quà cæpit ætas, nec curſum ſuum aut reuocabit, aut ſupprimet : nihil tumultuabitur, nihil admonebit velocitatis ſuæ ; tacita labetur. Non illa ſe regis imperio, non fauore populi longiùs proferet : ſicut iuſſa eſt à primo die, curret ; nuſquam remorabitur. Quid fiet ? tu occupatus es, vita feſtinat : mors interim aderit ; cui, velis, nolis, vacandum eſt. Hæc, recitata licet prolixiùs, obſtare non debent, quin illud addamus, quod idem aliàs præclarè habet, cùm nos docet, quemadmodum horrere mortem deſinamus : *Deſinemus autem*, inquit, *ſi fineis bonorum, ac malorum cognouerimus ; ita demùm nec vita tædio erit, nec mors timori. Vitam enim occupare ſatietas ſui non poteſt, tot res varias, magnas, diuinas percenſentem ; in odium illam ſui adducere ſolet iners otium. Rerum naturam peragranti, nunquam in faſtidium veritas veniet ; falſa ſatiabunt. Rurſus, ſi mors accedit, & vocat, licet immatura ſis ; licet mediam præcidat ætatem ; perceptus longiſſimè fructus eſt. Cognita eſt illi ex magna parte natura : ſcit tempore honeſta non creſcere. His neceſſe eſt videri vitam breuem, qui illam voluptatibus vanis, & ideò infinitis metiuntur.*

Qui fineis in vitâ degenda à natura præſcriptos *perſpexit, nouit quàm parabile ſit, quod ad detrahendum quicquid ob indigentiam in corpore dolet, ſufficiat : nouit & ſeriem vitæ totius præclarè conſtituere ; adeò vt rebus aleæ periculíque plenis nullatenus egeat.*

†. 40. Ὁ τὰ πέρατα, τοῦ βίου κατειδώς. Intelligendam eſſe ſententiam, non de durationis vitæ, ſed de concomitantium vitam cupiditatum finibus, præſcriptove ipſis à natura modo, vt interpretando expreſſum eſt ; videtur ex eo ſatis colligi, quòd ſubiicitur, *parabile id eſſe, quod cupiditatibus ſedandis tollendave moleſtiæ ex ipſis creatæ eſt ſatis.* Illud verò πραγμάτων ἀγῶνας κεκτημένων, accipiendum eſſe de rebus aleæ, & periculi plenis, ex eo videtur intelligi, quòd qui ita vitam inſtituit, vt ſit rebus paucis, iiſque facilè parabilibus contentus, ille, nihil indigeat iis opibus, quas quærere eſt labor, tueri angor, amittere dolor. Spectat hue præſertim Lucretianum illud,

Ergo hominum genus incaſſum, fruſtráque laborat, lib. 5.
Semper, & in curis conſumit inanibus æuum.
Nimirum, quia non cognouit, quæ ſit habendi
Finis, & omnino quoad creſcat vera voluptas.

Pertinet verò eodem quoque, quòd Democritus apud Stobæum, author eſt illi, qui inſtituit tranquillè vitam degere, *vt neque priuatim, neque publicè multa agat ; vtcrque quicquid fuerit ſupra ſuas vireis, ſuámque naturam, non adoriatur ; ſed eam ſui curam habeat, quæ fortunam, etiam fauentem, & quicquid poteſt ad decorem ſpectare, offerentem, declinet ; neque plura attingat, quàm quibus præſtandis par ſit ; cùm moles commoda, parua licet, tractatu tutior, quàm magna ſit.* Verum plura in hanc ſententiam deducta paſſim hactenus ſunt. ſerm. 101.

Oportet porrò ſibi finem, ſiue vitæ ſcopum, *ratum conſtantémque præfixum habere, ratione bene initâ ſecundum omnem euidentiam, quâ vulgò ſolemus, ſi quid opinamur, expendere : omnia quippe, niſi id fiat, indiſcretæ temeritatis, confuſioniſque plena euadent.*

†. 1. Τὸ ὑφεστηκὸς δὲ τέλος δεῖ ἐπιλογίζεσθαι. PAG. 54.
Adhibeo heic particulam δὲ, vt Phraſis conſtet ; ac ſtatim lego κατὰ pro καὶ, & poſteà, οἱ δὲ μὴ, pro οἱ μὴ, vt ſenſus ſit planus. Porrò tam multa diximus, quæ ad hanc ſententiam pertineant, vbi de Prudentia Priuata eſt actum, vt nihil heic adiiciendum ſit, ſed notandum ſolùm, τοῦ ὑφεστηκότος τέλους nomine, intelligi quidem tum generalem illum ſcopum, quem homines omnes ſibi præfixum habere debeant ; vt nempe quam minimùm ſit, & doloris in corpore, & perturbationis in mente ; quòd euidentiæ innixa ratio nos demùm præclarè docuiſſe comprobabitur, cùm quacumque demùm conditione fuerimus, deſideria noſtra reduxerimus ad contentam paucis naturam, nec nos permiſerimus vanis, & fine, modóque carentibus cupiditatibus, ob quas effici perturbatam, tumultuoſámque vitam contingit : ſed intelligi quoque maximè ſpecialem ſcopum, ſeu genus vitæ, quod niſi quis ſibi inita ratione ex ſua indole, ex naſcendi conditione, ex aliis circumſtantiis conſtituerit ; neceſſe eſt ſemper ab incerto pendeat, & quaſi in ſalo continenter fluctuet : quemadmodum illeic eſt vberiùs dictum.

Si omnibus ſenſibus fidem adimas, ne habebis quidem, quoſcunque ipſorum falli dixeris, ad quid reuocans examen, id diiudices.

☩. 5. Εἰ μάχῃ πάσαις ταῖς αἰσθήσεσιν. Occaſione eius, quod obiter dictum ſuperiore Sententia fuit, κατὰ πᾶσαν τὴν ἐνάργειαν, ἐφ' ἣν τὰ δοξαζόμενα ἀνάγομεν, *Secundum omnem euidentiam, qua vulgò ſolemus, ſi quid opinamur, expendere*; ſubiiciuntur heic tres, aut quatuor ſententiæ circa veritatis Criteria; vtpote, quæ non iis modò, quæ ad Phyſicam attinent, verùm etiam iis, quæ Ethicæ ſunt conſiderationis, inſeruiant. Certè & hæc ipſa ſententia, quæ eſt de fide non adimendâ omnibus planè ſenſibus, generatim quidem eſt vera, ſed ſpeciatim nihilominùs ideò ſpectat ad Ethicen, quòd ea verſetur in moderandis cum paſſionibus cæteris; tū potiſſimum voluptate doloréque ſenſu perceptis; &, ſi abrogatâ fide omnibus, aſſumamus vnum, qui falli cenſeatur dum dicitur quidpiam iucundum, aut moleſtum percipere, nulla ſuperſit regula, quâ ipſa cenſura expendatur, ſeu iudicium legitimum, illegitimumve probetur; vt putà nullâ ſuperſtite (& quæ ſola tamen eſſe vſui poſſit) ſenſuum euidentia. Verùm nihil heic addendum ad ea, quæ de Criteriis, cùm ageremus, dicta in Canonica ſunt.

Si quempiam ſenſuum abſolutè explodas, neque id quod eſt opinabile, diſtinguas in id quod expectabile eſt (tempuſve quaſi nondum ſit debitè perſpectum depoſcit, priuſquàm quale ſit pronuncietur) *& in id quod præſens* (*poſitumve* coràm, exploratúmque) *eſt, ac rurſus in id quod ſecundum ſenſus, ſecundum paſſiones*, affectioneſve animi; *ſecundum omnem mentis intuitum, pro rerum apparentia factum: tum ſenſus quoque cæteros opinione vanâ ita conturbabis, vt nullum* tibi *criterium*, quo ſolidè quidpiam iudices, *ſit ſuperfuturum.*

☩. 8. Εἴ τινα ἐκβαλεῖς ἁπλῶς αἴσθησιν. Sententia quoque iſta ex iis, quæ in Canonica dicta ſunt, explicari debet, ac intelligi, alioquin enim nimis multa intempeſtiuè mouenda heic forent. Adnoto ſolùm, propter contextum, fuiſſe circa illud ☩. 9. διαιρῇς τὸ δοξαζόμενον, expunctam particulam εἰς, quæ vulgò habetur ante ipſum τὸ, quoniam non ipſe ſenſus eſt, qui hoc loco diuiditur, ſed ipſum Opinabile, quod alioquin fieret diuiſionis membrum, & ſpecies ſenſus aliqua. Lego autem ſtatim προσμενόμενον, iuxta antè dicta, & vt habetur etiam mox, non verò προσμένομενον, aut περιμένομενον, vt vulgò. Rurſus autem ☩. 10. ἐστὶ, pro ἤδη, quòd adiecta ſpecies diuiſionis ſit; & mox τὰς αἰσθήσεις, pro τὴν αἴσθησιν, vt ſit numeri cum ſequentibus conſonantia. Additiunculæ ad interpretationem factæ, patet ratio ex aliàs dictis.

Si id *omne*, quod heic appellatur *Exſpectabile, cùm opinabilia mente agitabuntur, firmiter habueris vt tale: neque* leuiter *prætericris* (quaſi conſtans & admittendum) *id quod nullius euidentiæ ſuffragium habens, falſum eſt*: eo caſu *geres te pro eo, qui ab omni ambiguo cauet, attenditque ſollicitè, quale omne iudicium ſit, quod de re opinabili, aut rectè, aut perperàm fertur.*

☩. 15. Εἰ βεβαιώσεις καὶ τὸ προσμενόμενον. Hæc rurſus Sententia ex dictis in Canonica eſt intelligenda. Addo autem ad calcem, vocem δοξαζομένου, quoniam alioquin ſententiæ ſenſus, vt ſatis conſtat, mutilus eſt; ac aliunde ſatis attentione egens.

Niſi qualibet occaſione vnamquamque actionum tuarum ad ipſum naturæ finem referas, ſed ad aliud quidpiam ſiue proſequendo, ſiue refugiendo deflectas: non erunt tibi vitæ actiones propriis ſermonibus conſentaneæ.

☩. 21. Εἰ μὴ παρὰ πάντα καιρὸν ἐπανοίσεις. Hæc iam Sententia, quæ attinet ad Criteriorum tertium (Paſſionem nimirùm, qua de proſequendo, fugiendóque fertur iudicium) cohæret cum illa, cuius occaſione, tres, quæ mox præcedunt, ceu Parentheſi interiectæ ſunt. Scopus autem ipſius eſt, vt quacumque agendi occaſione oblata, meminerimus generalis illius, & ſecundum naturam inſtituti finis; ne paſſione quadam, vt fieri ſolet, abrepti, à recto tramite diſcedamus, ac viam virtutis tenere profeſſi, deprehendamur lapſi in vitium; & ex duobus oppoſitis, vnum collaudemus, proſequamur aliud. Ecce verò ad hoc cauendum, quidnam Epicurus eximij conſilij apud Senecam ſuadeat. *SIC fac*, inquit, *omnia tanquam ſpectet aliquis*; quod Seneca quidem excipit his verbis: *Prodeſt ſine dubio, cuſtodem ſibi impoſuiſſe, & habere quem reſpicias, quem intereſſe cogitationibus tuis iudices. Hoc quidem longè magnificentius eſt, ſic viuere, tanquam ſub alicuius boni viri, ac ſemper præſentis oculis: ſed ego etiam hoc contentus ſum, vt ſic facias, quæcumque facies tanquam ſpectet aliquis. Omnia nobis mala ſolitudo perſuadet. Cùm iam profeceris tantum, vt ſit tibi etiam tui reuerentia, licebit dimittas pædagogum: interim te aliquorum authoritate cuſtodi. Aut Cato ille ſit, aut Scipio, aut Lælius, aut cuius interuentu perditi quoque homines vitia ſupprimerent, dum te efficis eum, coram quo peccare non audeas. Cùm hæc effeceris, & aliqua cœperit apud te tui eſſe dignatio; incipiam te tibi permittere; quod idem ſuadet Epicurus.* Hæc Seneca, qui & rurſus aliàs: *Iam clauſulam*, inquit, *Epiſtola poſcit; accipe, & quidem vtilem, & ſalutarem, quam te affigere animo volo.* Epiſt. 25.

volo. Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, vt ſic tanquam illo ſpectante viuamus; & omnia tanquam illo vidente, faciamus. Hoc, mi Lucili, Epicurus præcepit: Cuſtodem nobis, & Pædagogum dedit; nec immerito. Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis adſiſtat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius authoritate etiam ſecretum ſuum ſanctius faciat. O felicem illum, qui non adſpectus tantum, ſed etiam cogitatus emendat! O felicem, qui ſic aliquem vereri poteſt, vt ad memoriam quoque eius ſe componat, atque ordinet! Qui ſic aliquem vereri poteſt, citò erit verendus. Elige itaque Catonem. Si hic videtur tibi nimis rigidus, elige remiſſioris animi virum, Lælium. Elige eum, cuius tibi placuit, & vita, & oratio; & ipſius animum ante te ferens, & vultum; illum ſemper tibi oſtende, vel cuſtodem, vel exemplum. Spectat huc illud Epicteti: (in Enchir.) *Congreſſurus cum aliquo, ac eorum præſertim, qui eminentem locum tenent; propone tibi, quid ea occaſione Socrates, aut Zeno feciſſet, ac non haribis, quid facto opus, vt decorè te pro re nata geras.*

Cupiditatum aliæ ſunt naturales & neceſſariæ; aliæ naturales, nec tamen neceſſariæ; aliæ neque naturales, neque neceſſariæ, ſed ex opinione inani prognatæ.

℣. 26. Τῶν ἐπιθυμιῶν, αἱ μὲν φυσικαὶ, καὶ ἀναγκαῖαι. Repono poſt hanc, & ſequentem ſententiam treis alias, quæ ſolent ipſas præcedere, vt tranſpoſitas ſatis manifeſtè. Quæ certè eſt illarum prima, cum ſequente iſtarum cohærenter effertur; & diuiſionem cupiditatum in hac ipſa factam ſupponit. Poteſt verò tranſpoſitionis occaſio ex eo fuiſſe facta, quòd incipiat quoque hiſce vocibus, τῶν ἐπιθυμιῶν, pertractis vnà aliis duabus, per quas fit iſtarum de cupiditatibus interruptio ℣ porrò 27. addo, interſerόque has voces ἀναγκαῖαι; αἱ δὲ φυσικαὶ, καὶ, tanquam perſpicuè deficienteis, vt Stephano quoque indicauit ille Torquati apud Ciceronem locus, (1. de fin.) *Quæ eſt enim aut vtilior, aut ad bene viuendum aptior partitio, quàm illa, qua eſt vſus Epicurus; qui vnum genus poſuit earum cupiditatum, quæ eſſent & naturales, & neceſſariæ; alterum, quæ naturales eſſent, nec tamen neceſſariæ; tertium, quæ nec naturales, nec neceſſariæ.* Adde verò Ciceronem heinc reſumere, quod poſtea cauſatur his verbis: (lib. 2.) *Tria genera cupiditatum, naturaleis, & neceſſarias: naturaleis, non neceſſarias: nec naturaleis, nec neceſſarias.* Alio autem loco, (3. Tuſcul.) *Vides, credo,* inquit, *vt Epicurus Cupiditatum genera diuiſerit, non nimis fortè ſubtiliter, vtiliter tamen: Partim eſſe naturaleis, & neceſſarias: partim naturaleis, & non neceſſarias; partim neutrum.* Vbi, quod vides, (2. de fin.) *non nimis fortè ſubtiliter*, dici, eò ſpectat, quod innui Ciceronem cauſari, diuiſionem cupiditatum hac ratione inſtituere, eſſe, *non diuidere, ſed frangere rem:* Id nempe iam retulimus circa Epiſtolam ad Menœceum; vbi & adnotauimus, cùm Cicero velit, Inſtituendam potiùs hoc modo diuiſionem fuiſſe; *Cupiditatum eſſe duo genera, Naturaleis, & Inaneis; Naturalium quoque item duo, Neceſſarias, & non Neceſſarias*; adnotauimus inquam Epicurum diuiſionem illic hoc potiùs modo inſtituiſſe; τῶν ἐπιθυμιῶν αἱ μέν εἰσι φυσικαὶ, αἱ δὲ κεναί· τῶν φυσικῶν, αἱ μὲν ἀναγκαῖαι, αἱ δὲ φυσικαὶ μόνον, ac ſimul inſinuauimus, eo modo diuidere, quo factum in hac ſententia videmus, non fuiſſe rem frangere, ſed ſcrupuloſitatem illam, quæ in diuidendo, ſubdiuidendóque plerumque importuna eſt, deuitare; idque præſertim, cùm nullum membrum neceſſarium prætermittatur, & nihil magis in promptu ſit, quàm rem ad illam argutiem, ſubtilitatemve ſubdiuidendi reducere. Prætermitti verò non debet Nemeſium diuiſionem hanc Epicuri fuiſſe æmulatum, (de natur. hom. c. 18.) cùm cupiditatum vice, voluptates diuidens, αἱ μὲν, inquit, εἰσιν ἀναγκαῖαι, ἅμα καὶ φυσικαὶ, αἱ δὲ φυσικαὶ μὲν, οὐκ ἀναγκαῖαι δέ, αἱ δὲ οὔτε ἀναγκαῖαι, οὔτε φυσικαί, admoneo interim videri corrigendum exinde eſſe illum apud Euſtratium locum, vbi in Ariſtoteleam cupiditatum diuiſionem ſcribens, (in 3. Ethic. cap. 12.) *Epicurus*, inquit, *& qui eum ſequuntur, ita diuidunt*. τῶν ἐπιθυμιῶν τῶν ἰδίων, αἱ μὲν τινες ἀναγκαῖαι, αἱ δὲ φυσικαὶ μὲν, οὐκ ἀναγκαῖαι δέ, αἱ δὲ οὔτε ἀναγκαῖαι, οὔτε φυσικαί, manifeſtum ſiquidem eſt, vocem τινὲς eſſe ſuperfluã, ac vice illius reponendum eſſe, φυσικαὶ καὶ.

An-non verò pari ratione corrigendus apud Athenæum locus, (lib. 12.) cùm, *Plato* inquit, *primus oſtendit, quod ſemper in ore Epicureorum eſt*, ὅτι τῶν μὲν ἐπιθυμιῶν αἱ μέν εἰσι φυσικαὶ μὲν, οὐκ ἀναγκαῖαι δέ. αἱ δὲ οὔτε φυσικαὶ, οὔτε ἀναγκαῖαι. Conſtat nimirum inde abeſſe totum primum membrum, ſiue genus cupiditatum, cuius aliunde quaſi veſtigium ſit illud μὲν ante verbum εἰσὶ, quod ſtatim non repeteretur poſt vocem φυσικαὶ, niſi ad aliud membrum ſpectaret. Quóque minus dubites, ecce Plato in (8. de Rep.) eo, quem Athenæus citat, ac recitat, loco, non diuidit quidem Cupiditates in Naturaleis, & non Naturaleis; ſed cùm diuidat tamen in Neceſſarias, cuiuſmodi ſunt σίτου, καὶ ὄψου, *cibi, & obſonij*, attinenteis ad ſanitatem, bonamque habitudinem; & non Neceſſarias, cuiuſmodi ſunt ἀλλοίων ἐδεσμάτων, *variorum eduliorum*, à quibus, corpori, animæque ad prudentiam, temperantiámque noxii difficile non ſit rectè inſtitutum abſtinere; cùm, inquam, Plato ſic diuidat, patet non omitti ab ipſo cupiditates neceſſarias, quæ in illa tamen apud Athenæum diuiſione, quatenus extat, prætermittuntur. An non rurſùs pari de cauſa apud Plutarchum corrigendus, (in Gryllo) cùm ille ſub perſona Grylli recenſiturus tria iſta cupiditatum genera, præfatur primùm, Ταῖς δὲ ἐπιθυμίαις ἰσχυρὰς τινὰς μυρίων διαφορῶν, *Agnoſcis eſſe cupiditatum innumeras diuerſitates*; ac tum legitur cohærenter, πλὴν πάσαι ἅμα τῷ φυσικῷ, καὶ τὸ ἀναγκαῖον ἔχουσι. Scilicet, aut tota diuiſio eſſe videtur interiicienda; aut primum ſaltem membrum diſertè inſerendum; aut demùm, quia illud heic obliquè habetur, videtur ſaltem ita legendum, αἱ μὲν γὰρ πεὶ πλὴν πάσαν (legerem etiam potiùs περὶ βρῶσιν, καὶ πόσιν, & non facio tamen, quòd apud Laërtium in adhibitis ad textum exemplis, ὡς ποτῶν dumtaxat legatur) ἅμα τῷ φυσικῷ, καὶ τὸ ἀναγκαῖον ἔχουσι.

Nam

Nam quæ ſpectant quidem, verbi gratiâ, ad potum, illa cum eo, quod naturale eſt, etiam id quod eſt neceſſarium habent. Confirmatur verò, quoniam pro ſecundo membro illud ſequitur, αἱ δὲ τῶν ἀφροδισίων, &c. φυσικαὶ μὲν, οὐκ ἀναγκαῖαι δὲ ἐληλύθασιν. Et pro tertio illud, τὸ δὲ τῶν μήτε ἀναγκαίων, μήτε φυσικῶν, γένος, &c.

cap.13.
Verùm, hæc vt mittam; quoniam memini obiter Ariſtoteleæ cupiditatum diuiſionis, quam citatus Euſtratius cum Epicurea com-
cap.6.
patat: Ecce illa ſic inſtituitur libro Nicomachiorum tertio, & ſupponitur ſeptimo, vt dicantur, Cupiditatum αἱ μὲν κοιναὶ, αἱ δὲ ἴδιαι, καὶ ἐπίθετοι, *Aliæ quidem communes, aliæ verò propriæ, & appoſititiæ*, ſiue adſcititiæ. Vbi communes appellantur, quæ omnibus competunt, cuiuſmodi eſt vniuersè cupiditas cibi, & potus; propriæ verò, quæ ſingulis, vt talis cibi, aut talis potus. Et cùm priores ſint naturales, inque ipſis ſolo exceſſu peccetur (quo nomine dicit appellari γαστριμάργους, *ventri inſanè indulgentes*, taleiſque eſſe λίαν ἀνδραποδώδεις, *ingenio admodum ſeruili*) poſteriores quadamtenus ſolùm naturales ſunt; ac adeò in ipſis non exceſſu ſolùm, ſed qualitate etiam peccatur, cùm ea nimirum appetuntur, quæ odio potiùs digna ſunt, qua ex parte dicuntur ἐπίθετοι, quaſi non à natura nobis inſitæ, ſed à nobis ipſis præ intemperantiá adſcitæ, & ſuper adiunctæ. Eſt verò & alia di-
cap 11.
uiſio, quâ primo libro Rhetoricorum, Cupiditatum αἱ μὲν ἄλογοι, αἱ δὲ μετὰ λόγου, *aliæ irrationales, aliæ cum ratione* dicuntur: ac priores eædem cum naturalibus ſunt (videlicet cibum, & potum ſine diſcurſu appetimus) poſteriores eæ perhibentur, quibus perſuaſione præeunte, aliquid concupiſcimus, vt dum videre, poſſideréve aliquid, de quo audimus loqui, auemus; eædémque adeò ſunt cùm ἐπιθέτοις, ſeu iis, quas neque naturaleis, neque
cap.6.
neceſſarias *ex vana opinione progigni* Epicurus dicit. Nota verò has eaſdem eſſe, quæ eandem ob cauſam dicuntur apud Plutarchum & ἐπεισάκτοι, *ſuper-inductæ*, aduentitiæve, & ἐπικεχυμέναι ὑπὸ δόξης κενῆς, *ab opinione vana ſuperfuſæ.* Præterea verò Ariſtotelem ſeptimo Moralium, vtraſque partim laudabileis, partim vituperabileis facere. Quippe, vt poſteriores, alioquio habitæ honeſtæ, & laudabiles, qualis eſt honoris cupiditas, vituperantur tamen, cùm modum excedunt, qualis eſt eadem cupiditas, cùm oimia euadens appellatur ambitio; ita priores aliquando laudatæ, qualis eſſe in liberos, parentéſque affectus ſolet; tom, cùm excedunt, vituperantur; qualis idem fuit in Niobe affectus, quæ propter liberos auſa eſt ſe etiam Latonæ præferte; aut in Satyro, qui Patrem ſuum ita deperiit, φιλοπάτωρ exinde dictus, vt eo vitá functo, ſe ſuſpenderit, viſúſque adeò ſit λίαν μωραίνειν, *valde deſipere*, inquit ille.
9.de Rep.
Præterea id, inquam, vt obſeruem Platonem videri diuiſionem Cupiditatum εἰς ἀλόγους, καὶ μετὰ λόγου *in irrationaleis, & cum ratione*, in genere naturalium quidem, ſed non neceſſariarum tamen, ſic accipere, vt eas eſſe velit, quæ aut rationi pareant, aut irrationalem, ſeriámque partem ſequantur; ac vtrum nam fiat, coniiciendum ducas ex iis, quæ io ſomnis contingunt. Quoniam qnatenus temperanter, aut intemperanter; leuiter, aut ferociter viuitur, inſomnia honeſta, vel turpia; mitia, immaniáve creantur, arguúntque adeò quid per vigiliam pronum ſit agi, vel non agi,

Cæterùm, cùm Laërtius primùm in exemplum Cupiditatum naturalium, & neceſſariarum, afferat cupiditatem *rei potulentæ, dònec viget ſitis*, & Plutarchus ſimiliter, vti adnotatum mox eſt; ecce à Nemeſio Naturales, & Neceſſariæ deſcribuntur, ὧν χωρὶς ζῆν ἀδύνατον, ὡς αἱ τροφαὶ, αἱ τῆς ἐνδείας ἀναπληρωτικαὶ, καὶ τὰ ἐνδύματα ἀναγκαῖα, *quæ ſunt einſcemodi rerum, ſine quibus vita tranſigi non poteſt, cuiuſmodi ſunt cibi, qui indigentiam expleant, ac neceſſaria indumenta.* Ab Euſtratio verò dicitur ἡ τῆς τροφῆς ἐπιθυμία καὶ τῆς ἐσθῆτος ἀναγκαίας, *cupiditas cibi, ac veſtis neceſſaria.* Vbi rurſùs corrigendum, ſupplendúmque eſt, καὶ φυσικὴ, *& naturalis.* Nam ſi dicas fortè legendum eſſe ἀναγκαίας, vt, quemadmodum apud Nemeſium, relatio fiat ad vocem ἐσθῆτος, tunc totum membrum deerit, quo cupiditas φυσικὴ, καὶ ἀναγκαία exprimatur. Deinde, cùm Laërtius cupiditates natutaleis, & non neceſſarias eas eſſe declaret, *quæ nihil aliud quàm voluptatem variant, non verò abſolutè dolori detrahendo neceſſaria ſunt, vt quæ eduliorum ſunt delicatiorum*; Plutarchus verò in exemplum illos afferat, quæ ſunt venereorum, αἷς ἀρχὰς ἡ φύσις ἐνδίδωσιν, ἔστι δὲ τῷ καὶ μὴ χρώμενον ἔχειν ἱκανῶς ἀπαλλαγῆναι, *quibus*, inquit, *præbet natura principium, & à quibus tamen poteſt quis non incommodè abſtinere*; ecce imitantur cæteri Plutarchum, dum ab Euſtratio quidem proponitur ſimpliciter in exemplum ἡ τῶν ἀφροδισίων, *cupiditas rerum venerearum* (vtcumque Ariſtoteles, non-niſi præmiſſis cibi, & potus cupiditatibus, ſibiiiciat illam, quæ εὐνῆς, *lecti* eſt, ſecundùm Homerum, in eo, qui eſt νέος, καὶ ἀκμάζων, *adoleſcens, florénſque ætate*) & à Nemeſio cum diſtinctione cupiditates tales dicuotur, ὡς αἱ κατὰ φύσιν, καὶ κατὰ νόμον μίξεις, αὗται γὰρ εἰς μὲν τὴν διαμονὴν τοῦ παντὸς γένους συντελοῦσι, δυνατὸν δὲ καὶ χωρὶς αὐτῶν ἐν παρθενίᾳ ζῆν, *cuiuſmodi ſunt, qui ſecundum naturam, aut ſecundùm leges ſiunt concubitus; nam illi quidem ad generis totius perpetuitatem faciunt; ſed poteſt tamen ſine iis, veluti in ſtatu virginitatis, viui.* Denique, cùm apud Laërtium neque naturales, neque neceſſariæ dicantur, *quales coronarum, ſtatuarúmue erigendarum ſunt*; & Plutarchus texat longam earum ſeriem, vt *quæ ſunt cultus elegantis, pretioſarum veſtium, auri, argenti, eboris*, &c. Ecce ab Euſtratio talis dicitur, qualis eſt ἡ τῶν τοιῶνδε σιτίων, ἢ τοιᾶσδε ἐσθῆτος, ἢ τοιῶνδε ἀφροδισίων, *cupiditas talium ciborum, talis indumenti, talium venereorum.* A Nemeſio autem tales perhibentur, ὡς ἡ μέθη, καὶ ἡ λαγνεία, καὶ αἱ πλησμοναὶ χρείας ὑπερβαίνουσαι. οὔτε γὰρ εἰς διαδοχὴν τοῦ γένους ἡμῶν συμβάλλονται, οὔτε εἰς σύστασιν τῆς ζωῆς, ἀλλὰ καὶ προσβλάπτουσι, *cuiuſmodi ſunt temulentia, & ſalacitas, eaque expletiones, quæ neceſſitatem excedunt. Quippe*

neque

neque ad propagationem noſtri generis, neque ad vitam conferunt ; quin imò inferunt etiam noxam.

Iam cùm ſint multa vt paſſim, ſic fusè plerumque hactenus deducta, quæ, quod ad rem ſpectat hiſce confirmandis poſſunt facere ; nihil ſanè aliud addendum heic eſt, lib. 5. quàm quod Cicero in Tuſculanis, relata trimembri, quæ hoc loco fit, cupiditatum diuiſione, ſubdit. Docet nimirum ex Epicuro Cupiditates naturales, & *Neceſſarias ſatiari poſſe penè nihilo* ; ac ſubinde pergit : *ſecundum autem genus cupiditatum, nec ad potiendum difficile cenſet, nec verò ad carendum. Tertias, quod eſſent planè inanes, neque neceſſitatem modò, ſed ne naturam quidem attingerent, funditus eiiciendas putauit.* Ac ſubiicit quidem Cicero prætereà, diſputari multa ab Epicureis, *de extenuatione voluptatum obſcœnarum* ; additque *iis ſimilia ad victum transferri, extenuarique magnificentiam, & ſumptus epularum, quòd paruo cultu natura contenta ſit*, &c.

Quæ naturales cupiditates ad nullum dolorem, licet non expleantur, deducunt ; ſi vehemente cum ſtudio ſint, illæ ob vanam opinionem euadunt huiuſcemodi, ac non ex ſua ipſarum natura (quâ parte nimirum naturales ſunt) *ſed præ ipſa, quæ in homine eſt opinionum inanitate vltra modum diffunduntur.*

ỳ. 37. Ἐν αἷς τῶν φυσικῶν ἐπιθυμιῶν. Sententia hæc, cum inſequente, attinet ad cupiditates ; hæc quidem generis ſecundi ; illa verò tam ſecundi, quàm tertij. Vtræque enim eo charactere à cupiditatibus generis primi diſcernuntur ; quòd cùm iſtæ, niſi explesntur, dolorem creent, immò & noxam (in corpore videlicet) illæ ex oppoſito non creent ; adeò proinde, vt non ex quadam naturæ indigentia oriantur, ſed ex inani opinione, quâ iis frui rebus, quæ concopiſcuntur, oportere, præſumitur. Repono autem ỳ. 41. διαχέονται ex MSS. pro διὰ χρείαν τινά, quòd & ob has voces inanis fiat repetitio, & phraſis idoneo alioquin verbo deſtituatur ; vt taceam potuiſſe vocem indicari vel ex ſequente ſententia, in qua legimus ἀδιάχυτον ὄρεξιν, itémque ex loco paullò antè citato, quo Plutarchus meminit cupiditatum ἐπικεχυμένων. Interpretor verò τὴν κενοδοξίαν, non *ambitionem*, aut *vanam gloriæ appetitum* ; ſed *opinionum inanitatem*, quatenus de ea, & generaliùs quidem, quàm vt ad ſolam gloriam referenda ſit, agitur. Quòd ſpeciatim porrò adhibetur, τοῦ ἀνθρώπου, *hominis* ; an-non huc videtur idem Plutarchus reſpexiſſe, cùm tribuit Animali Bruto (illi nempe vni ex Vlyſſis ſociis In Gryllo. à Circe in feras mutatis) tribuit, inquam, exprobrationem huiuſcemet inanitatis ; & factam quidem homini habito ſapientiſſimo (vt ideò poſſit tanto magis aliis fieri hominibus) cùm ſint tamen ipſæ, quas dicimus brutas animanteis, illius expertes ? An-non proinde facere quoque Ariſtoteles citatus videtur, vt rationis noſtræ ſuppudere nos debeat ; cùm cupiditates illæ, quæ ſunt ἄλογοι, quaſque Bruta habent nobiſcum communeis, naturales ſint ; cæteræ, quæ præter, vel contra naturam, eiuſmodi ſint, vt illis bruta careant, ſint verò nobis propriæ, & μετὰ λόγου *cum ratione* quidem. Sed ne iſtis hæream, affero dumtaxat, quæ habet Lucretius, cùm diſſerendo de Artibus, quas

—paullatim protrahit ætas lib. 5.
In medium, Ratióque in luminis eruit oras.

Quippe vbi illa primùm de primis interſeruit hominibus,

Sæpe itaque inter ſe proſtrati in gramine molli,
Propter aquæ riuum, ſub ramis arboris altæ,
Non magnis opibus iucundè corpora habebant ;
Præſertim quom tempeſtas ridebat, & anni
Tempora pingebant viridanteis floribus herbas,
Tum ioca, tum ſermo, tum dulces eſſe cachinni
Conſuerunt ; agreſtis enim tum muſa vigebat.

Ac iſtud ſubiunxit ;

Sic odium cœpit glandis ; ſic illa relicta
Strata cubilia ſunt, herbis, & frondibus aucta.
Pellis item cecidit, veſtis contempta ferina'ſt,
Quam reor inuidia tali tunc eſſe repertam, &c.

Tum proſequitur :

Tunc igitur pelles, nunc aurum, & purpura curis
Exercent hominum vitam, belloque fatigant ;
Quò magis in nobis, vt òpinor, culpa reſidit.
Frigus enim nudos ſine pellibus excruciabat
Terrigenas : At nos nil lædit veſte carere
Purpurea, atque auro, gemmiſque inſigniter apta,
Dum plebeia tamen ſit, quæ defendere poſſit.

Concludit proinde :

Ergo hominum genus incaſſum, fruſtráque laborat
Semper, & in curis conſumit inanibus æuum.
Nimirùm, quia non cognouit, quæ ſit habendi
Finis, & omninò quoad creſcat vera voluptas.

Quæcumque

Quæcumque cupiditates ad nullum dolorem, licet non expleantur, deducunt, eæ neceſſariæ non ſunt, ſed appetentiam continent diſſolutam, temeréve diffluentem; *quando vel difficilè explebiles ſunt, vel cauſæ etiam* alicuius *nocumenti* iure *reputantur.*

Pag. 55. ℣. 1. Τῶν ἐπιθυμιῶν ὅσαι μὴ ἐπ' ἀλγοῦν. Reponuntur heic iam intermiſſæ ſententiæ. Hæc verò trium prima eam habet cum ſuperiore connexionem, de qua mox dictum circa eam eſt; ac illam prætereà, quòd, cùm in vtraque agatur de cupiditatibus, quæ non expletæ licet, in moleſtiam tamen nullam deſinunt, huiuſmodi cupiditates declarentur, in illa quidem ex vana opinione ortæ, quatenus in ipſis explendis vehemens ſtudium impenditur: in iſta verò non neceſſariæ, quatenus & citra moleſtiam poſſunt negligi; & inexplebiles alioquin ſunt, ac ſæpe detrimentum creant. Lego verò, ἢ καὶ βλάβης, pro ἢ βλάβης, phraſi, ſenſúque inuitante, & quaſi præeunte non modò citato paullò antè Nemeſio, ὀλιγὰ καὶ περιβλέπτων, ſed ipſo quoque Epicuro in iis, quæ Sapienti attribuit, ἂν μὴ καὶ ἰσλαψω. Ne quidquam porrò heic repetam ex iis, quæ partim circa illud, partim circa aliud affine de Amore Effatum recitata ſunt; adnoto dumtaxat ob illud ἐνδέχοντο ὀρέξιν, videri poſſe Lucretium hac de cauſa vaſis Metaphorâ vſum, cùm obſeruaſſe docet Epicurum, quod ſuprà quoque retulimus,

ib.6. *Diuitiis homines, & honore, & laude potentes*
Affluere, atque bonâ natorum excellere famâ;
Nec minùs eſſe domi quicquam tamen anxia corda,
Atque animum infeſtis cogi ſeruire querelis.

Subiicit verò,

Intellexit ibi vitium vas efficere ipſum,
Omniáque illius vitio corrumpier intus,
Quæ conlata forent, & commoda cùmque venirent;
Partim, quòd fluxum, pertuſúmque eſſe videbat
Vt nulla poſſet ratione explerier intus;
Partim quòd tætro quaſi conſpurcare ſapore
Omnia cernebat, quæcumque receperat intus.

Vbi illa diuitiarum inexplebilitas declaratur potiſſimùm fluxo illo pertuſóque vaſe, ſeu quaſi Danaïdum dolio, quod nulla ratione expleri poſſit. Cùm ſint autem in promptu innumera exempla, ſuccurrit tamen præ aliis in mentem, quod de Co Lentulo augure habet Seneca, à quo exſtitiſſe dicitur *diuitiarum maximum exemplum*; cùm & fuiſſe eum cenſu maximo à Suetonio ſcribatur. Fuit illi nempe ex Seneca quater millies ſeſtertiûm, hoc eſt, monetæ quæ iam nobis in vſu, trecenties ſeptuagies bis centena librarum Turonicarum millia. *Hic* ergo, inquit Seneca, *cùm omnia incrementa ſua D. Auguſto deberet, ad quem attulerat paupertatem ſub honore nobilitatis laborantem, princeps iam ciuitatis, & pe-* 2.de benef. 17.in Tiber.

cuniâ & gratiâ, ſubinde Auguſto ſolebat queri, dicens, à ſtudiis ſe abductum; nihil tantum in ſe congeſtum eſſe, quantum perdidiſſet relictâ eloquentiâ (at illi inter alia, hoc quoque D. Auguſtus præſtiterat, quod illum deriſu, ac labore irrito liberauerat) Pergit autem; *Non patitur auiditas quemquam eſſe gratum: nunquam enim improbæ ſpei quod datur ſatis eſt. Eo maiora cupimus, quo maiora venerunt; multóque concitatior eſt auaritia in magnarum opum congeſtu collocata. Vt flammæ infinito acrior eſt vis, quæ ex maiore incendio emicuit.* Verùm ad Lucretium vt redeam, is declarare pergit quid remedij ad hoc Epicurus contulerit,

Veridicis igitur purgauit pectora dictis,
Et finem ſtatuit cuppedinis, atque timoris;
Expoſuitque bonum ſummum, quo tendimus omnes,
Quod foret; atque viam monſtrauit tramite prono,
Quà poſſemus ad id recto contingere curſu
Quidve mali foret in rebus mortalibu' paſſim, &c.

Quod obiter porrò commemini vaſis, doliive Danaïdum, quicum vulgò ſolet inexplebilis diuitiarum cupiditas comparari; taceri non debet docere Lucretium eo ſignificari viuendi deſiderium, quod inexplebile quoque ſit,

Deinde animi ingratam naturam paſcere ſemper, lib.3.
Atque explere bonis rebus ſatiaréque nunquam,
Quod faciunt nobis annorum tempora, circùm
Cùm redeunt, fœtúſque ferunt, variòſque lepores,
Nec tamen explemur vitai fructibus vnquam:
Hoc, vt opinor, id eſt, æuo florente puellas
Quod memorant, laticem pertuſum congerere in vas,
Quod tamen expleri nulla ratione poteſtur.

Habet verò & paullò pòſt, quod ſuprà de eodem recitauimus,

Sed dum abeſt, quod auemus, id exſuperare videtur
Cætera; poſt aliud cùm contigit, illud auemus;
Et ſitis æqua tenet vitai ſemper hianteis.

Omnium rerum, quas ad beatè viuendum Sapientia comparauerit, nihil eſt amicitiæ poſſeſſione maius, nihil vberius, nihil iucundius.

℣. 6. Ὧν ἡ σοφία παρασκευάζεται. Sententiæ huius Interpretatio Ciceronis ipſius eſt, apud quem Torquatus dicere Epicurum ait, *Omnium rerum, quas ad beatè viuendum Sapientia comparauerit, nihil eſſe maius amicitiâ, nihil vberius, nihil iucundius.* Vbi vides τὸ μεῖζον amplificatione quadam exprimi; quod autem nos pro *amicitia, amicitiæ poſſeſſionem* reddimus, ideò facimus, vt magis ad verbum declaretur, quæ dicitur τῆς φιλίας κτῆσις. Videtur ipſe Cicero ſententiam aliàs imitatus, cùm, *Eſt autem*, inquit, *amicitia,* 1.de fin. lib.de amic.

nihil aliud, niſi omnium diuinarum, humanarúmque rerum, cum beneuolentia, & caritate ſumma conſenſio; quâ quidem haud ſcio, an, exceptâ ſapientiâ, quicquam melius homini ſit à Diis immortalibus datum. Videtur & Maoilius,

lib. 2. *Idcircò nihil ex ſemet natura creauit*
Pectore amicitiâ maius, nec rarius vnquam.

Vbi tametſi naturam dicat, cùm Epicurus ſapientiam; notum tamen eſt illud Iuuenalis,

ſat. *Non aliud natura, aliud ſapientia dicet.*

9. Ethic. 9. Quin-etiam Ariſtoteles id videtur ſuppooere, cùm de beato loquens, quem niſi natura, ſapientiáque non fioxerit, quærit, *An beatus amicis indigeat*; & ea dubitandi ratione allata, quòd, cùm beatus affluat bonis omnibus, ac bonis ſuis contentus ſit, nihílque ſit, quod deſideret; nulla re proinde indigeat; ac ideò, oe amieo quidem, qui alter idem cùm ſit, id amico ſuppeditet, quod ille per ſe conſequi non poſſit; vnde & citatur ſenarius:

Ὅταν ὁ δαίμων εὖ διδῷ, τί χρὴ φίλων;
Quid, quando Damon fauet, amicis eſt opus?

Excipit, hoc eſſe abſurdum, bona beato omnia tribuere, amicos non tribuere, *ὃ δοκεῖ τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν μέγιστον εἶναι*, *quod externorum quidem eſſe videtur optimum.* Interim porrò ipſa hæc quæſtio ab Ariſtotele diſputata, eſt, ad qoam Epicurus, propter illa verba; *Ad beatè viuendum*, reſpexit. Neqoe enim alioquin fuit cauillaturus, vt Stoici, quos inter Chry-

Epiſt. 9. ſippus apod Senecam ait, *Sapientem nulla re indigere, & tamen multis illi rebus opus eſſe. Nam illi quidem, & manibus, & oculis & multis ad quotidianum vſum neceſſariis opus eſſe: ſed egere eum nulla re; egere enim, neceſſitatis eſſe; nihil autem eſſe neceſſe ſapienti.* Vnde & concludit, *Sapienti, quamvis ſeipſe contentus ſit, amicis tamen opus eſſe.* Clariùs vtcumque Seneca ipſe, dum circa Effatum, *Se contentus eſt ſapiens*; *Hoc, mi Lucili*, inquit, *perperam plerique interpretantur. Sapientem vndique ſubmouent, & intra cutem ſuam cogunt. Diſtinguendum autem quid, & quatenus vox iſta promittat. Se contentus eſt ſapiens ad beatè viuendum, non ad viuendum. Ad hoc enim multis illi rebus opus eſt: ad illud tantum animo ſano, & erecto, & deſpiciente fortunam.* Vode & ſtatim; poſtquam quæſiuit, *Qualis vita ſit ſapienti futura, ſi ſine amicis relinquatur, in cuſtodiam coniectus, vel in aliqua gente aliena deſtitutus, vel in nauigatione longa retentus, aut in alienum littus eiectus?* Reſpoodet, *Qualis eſt Iouis, cùm reſoluto Mundo, & Diis in vnum confuſis paulliſper ceſſante natura, acquieſcit ſibi, cogitationibus ſuis traditus.* Verumtamen, certum eſt quidem ſic affectum eſſe debere Sapientem, vt, ſeu ipſe amicis, ſeu ipſi amici, fortunæ iniotiâ ſubdueantur; id æquo ferat animo, neque ægtitudine ſe conficiat, ſed, quantum quidem licitum erit, beatè ſecum habitet: At cùm mottalium beatitudo intenſiooem, ac temiſſionem, ſeo magis, minúſque, vt ſuperiùs eſt, iuxta Epicutum, oſtenſum, ſuſcipiat; ſiet, recurtétque de nomine quæſtio, etiam niſi admittatur Sapientem, quem & beatum volunt, beatiùs ſaltem cum amicis, quàm ſine amicis degere; ac illum idcircò amicis, niſi ad viuendom beatè, ſaltem ad viuendum beatiùs, egere. Ecquid certè, ſibi volt illud, quod aliâs idem Seneca, dum, *Nihil aquè*, inquit, *oblectauerit animum, quàm amicitia fidelis, & dulcis? Quantum bonum eſt,* de tranq. an. cap. 7. *vbi ſunt præparata pectora, in qua tutò ſecretum omne deſcendat; quorum conſcientiam minùs, quàm tuam timeas; quorum ſermo ſollicitudinem leniat, ſententia conſilium expediat, hilaritas triſtitiam diſſipet, conſpectus ipſe delectet.* Eadem penè habet Ariſtoteles; ſed præclariſſimè omnium Cicero, nam, *Cui poteſt*, ioquit, *eſſe* loc. cit. lib. de amic. *vita vitalis, vt ait Ennius, qui non in amici mutua beneuolentia conquieſcit? Quid dulcius, quàm habere amicum, quicum omnia audeas ſic loqui, vt tecum? Quis eſſet tantus fructus in proſperis rebus, niſi haberes, qui illis aquè, ac tu ipſe, gauderet? Aduerſas verò ferre difficile eſſet, ſine eo, qui illas grauiùs etiam, quàm tu, ferret. Denique cæteræ res, quæ expetuntur, opportunæ ſunt ſingula rebus ferè ſingulis; diuitiæ, vt vtare; opes, vt colare; honores, vt laudere; voluptates, vt gaudeas; ualetudo, vt dolore careas, & muneribus fungare corporis: amicitia res plurimas continet; quoquò te verteris, præſtò eſt; nullo loco excluditur; nunquam intempeſtiua, nunquam moleſta eſt. Itaque non aqua, non igni, non aëre, vt aiunt, pluribus locis vtimur, quàm amicitiâ.* Vode & illud Adagium Eraſmi, *Amicus magis neceſſarius quàm ignis & aqua.* Quæ ſanè, cùm ita ſe habeant; eſt, cur non ipſi Senecæ modò, ſed cæteris etiam Stoïciſſimis Stoïcis habeatur amicitia bonum pluſquàm indifferens, ac eiuſmodi, ſine quo, non modò quiſquam beatior, ſed beatus quoque cenſeri vix poſſit.

Heinc non videtur eſſe hoc loco id prætermittendum, quod Epicurus apud Seoecam habet, dum præmiſsâ illâ egregiâ Sententiâ, *ANTE circumſpiciendum eſt, cum quibus edas, & bibas, quàm quid edas, & bibas*, ſubiicit, *Nam ſine amico, viſceratio* (hoc eſt cum carne epulum, ſiue generaliùs, cibatio, ac paſtus) *leonis, ac lupi vita eſt.* Scilicet exinde arguitur, quàm iucundus ſit, qui eſt cum ſinceris amicis conuictus, præ illa ſolitudine, quâ quis amicis deſtitutus, ferarum inſtar veſcitur. Sanè & cùm ſit homo ſuapte natura animal ſocietatis amans, ſi ægrè adeò carere communi hominom ſocietate poteſt; quî poſſit non ægrè carere illorum ſpeciatim conſuetudine, quorum quivis ſit *ἕτερος αὐτός*; *alter idem?* Poterat verò ipſe præ aliis Epicurus id dicere, qoem vt aliàs retulimus, admitatur Cicero *vna in domo, & ea quidem anguſta, tam magnos,* 1. de fin. *tantáque amoris conſpiratione conſentienteis tenuiſſe amicorum greges*; cùm & Laërtij verba ſint, *Amicos ad illum vndequaque conueniſſe, cúmque eo in horto vixiſſe.* Appoſitè autem illeic Cicero (neque enim hoc quoque repetere pigeat) *Quod, quàm magnum ſit*, inquit *fi-* lib. de amic *cta veterum fabula declarant, in quibus tam multis, támque variis ab vltima antiquitate repetitis, tria vix amicorum paria reperiuntur, vt ad Oreſtem peruenias, profectus à Theſeo.* Ecce verò vt alibi; *Quanta vis*, inquit, *amicitia ſit, ex hoc*

intelligi

intelligi maximè poteſt, quod ex infinita ſocietate generis humani, quam conciliauit ipſa natura; ita contracta res eſt, & adducta in anguſtum, vt omnis caritas aut inter duos, aut inter paucos iungeretur. Prætereo porrò, vt Cicero videatur his locis eòdem collineare, quò & Ariſtoteles, qui circa quæſtionem, *An plures amici adſciſcendi ſint?* tum eſſe difficile docet, multos habere taleis amicos, qui communi vitæ conſuetudine coniungantur: tum videri dicit commodius, non quamplurimos quærere, ſed quot dumtaxat eſſe videatur ad vitæ ſocietatem ſatis: tum fieri ait non poſſe videri, vt quis ſit multis valde amicus, multóſque adeò valde amet (eſſe enim quemdam exceſſum amicitiæ, qui niſi vnius reſpectu eſſe nequeat, ſicque amor valde intenſus, niſi erga paucos eſſe non poſſit) tum declarat hoc ipſum eſſe, quod re factóque comprobetur; nam & ὑμνούμεναι, inquit, φιλίαι ἐν δυοῖν λέγονται, *Illa, quæ ſermone omnium celebrantur, fuiſſe inter duos amicitiæ dicuntur.* Et vide, vt pergat; *Quos amicorum multitudo delectat, quique familiariter, comiterve verſantur cum omnibus, y nemini eſſe amici, niſi ciuili more videntur, quos & blandos appellitant. Quare & fieri quidem poteſt, vt ciuili more quiſpiam multis amicus ſit, ac, niſi blandus, ſaltem vir bonus, modeſtuſque eſſe cenſeatur: At vt quis multos propter virtutem, propterque ipſoſmet, adamet, non poteſt: præclaréque agatur, ſi vel paucos taleis reperire liceat.* Ex quibus intelligitur felicitatis miræ fuiſſe, tot poſſe in Epicuri domo, Scholáque homines reperiri, qui vt in eandem planè ſententiam, ſic in amorem illum mutuum, quem in Apologia vitæ Epicuri deſcriptum habes, conſpirarint. Certè ipſe quoque Epicurus, quàm difficilè id occurrat in ſocietate vitæ communi, ac citra ſpeciale inſtitutum, in quod conſentiatur, perſpexit, cùm Epiſtolam ad Menœceum concludens, non multos, ſed vnum amicum deligendum ſuaſit, quicum, vt ſui ſimillimo, habeat omneis meditationes, cogitationéſque communeis. Verumtamen de Amicitia aliquot iam locis plura diximus.

Eadem ſcientia confirmauit Animum, ne quod aut ſempiternum, aut diuturnum timeret malum, quæ perſpexit in hoc ipſo vitæ ſpatio amicitiæ præſidium eſſe firmiſſimum.

℣. 9 Ἡ αὐτὴ γνώμη θαῤῥεῖν τι ἐποίησεν. Eſt etiã huiuſce ſententiæ interpretatio ex Cicerone tota. Lego autem ℣. 13 κατιδοῦσαν, pro κατεῖναι, cum Stephano, ob adhibitum à Cicerone verbum *perſpexit.* Facit verò hæc eadem vox, vt quam γνώμην Cicero eſt interpretatus *Scientiam*, videatur debere accipi pro mente, animóve ſciente, ſeu inſtructo ſcientia naturalium, humanatúmque rerum. Nempe interdum quoque vox γνώμη, pro mente, *animove* vſurpatur; ac eſt aliunde proprium mentis, ſiue animi κατιδοῦσαν, *perſpicere* Vtcumque ſit, ſenſus videtur, ex eadem eſſe ſcientia, tum quòd certum eſt nullum eſſe nobis perpetiendum dolorem ſiue in hac vita diuturnum, ſiue poſt mortem ſempiternum; tum quòd ſecuri reddimur aduerſus huius vitæ caſus, ſeu calamitates, atque infortunia ex amicitiæ præſidio, quo eſſe maius nullum poſſit. Et de dolore quidem, ſeu malo non diuturnu, nec ſempiterno ea ſupponere Epicurus poteſt, quæ expreſſit in aliquot ex ſuperioribus ſententiis. Quod ad caſus autem, ſiue infortunia per vitæ ſeriem occurrentia ſpectat, ſupponere licet ea, quæ dicentur circa ſententiam vltimam, ac adnotare heic interim, quod Cicero iſtam veluti amplificans habet, dum in Lælio ita effatur: *Cùm plurimas, & maximas commoditates amicitia contineat; tum illa nimirùm præſtat omnibus, quod bonam ſpem prælucet in poſterum, nec debilitari animos, aut cadere patitur; verùm etiam amicum qui intuetur, tanquam exemplar aliquod intuetur ſui. Quocirca & abſentes adſunt, & egentes abundant, & imbecilli valent; &, quod difficilius dictu eſt, mortui viuunt; tantus eos honos, memoria, deſiderium proſequitur amicorum, ex quo illorum beata mors videtur; horum vita laudabilis.*

Ius, ſiue *Iuſtum naturale eſt teſſera vtilitatis*, ſeu ea, conſpirantibus votis, propoſita vtilitas *vt* homines, *ad inuicem neque lædant, neque lædantur*, atque adeò ſecurè degant: quòd naturâ duce quiſque expetit.

℣. 14. Τὸ τῆς φύσεως δίκαιον. Multa ſunt profectò, quæ ediſſerenda in hanc ſententiam videntur; ſed illa iam fusè anteuertimus, cùm de Iuſtitia diſputaremus. Quocirca, obſeruo heic ſolùm non fuiſſe me nudè interpretatum τὸ δίκαιον, *Ius*, ſed addidiſſe, *ſiue Iuſtum*; quoniam cùm vox Iuris, cætera inter, vſurpari plærumque ſoleat pro dominio, & facultate in aliquid; ac proinde Ius naturale intelligi poſſit generale illud, quod, primæuo ſtatu naturæ ſpectato, homines omnes æquè habent ad omnia (quippe, cùm ea omneis pareis fecerit, neque meum, ac tuum definierit) de Iure eo ſenſu accepto heic non agitur, ac potiſſimùm, quia illo quis vſus, non continuò dicitur iuſtus, quin etiam plærumque, ſi, vt res ſunt, illo vtatur, iniuſtus habeatur, & ſit: Sed agitur ſolùm de Iure, quatenus eſt idem quod Iuſtum, ſeu mavis ſancitum, & præſcriptum quid, quod tueri ſit æquum; quodque adeò tuens, vt iuſtus, ſic iuris, & æqui ſeruans appelletur; non tuens verò, ſed violans, iniuſtus, iniurius, iniquus. Subinde autem, ſi phraſis tuliſſet, interpretatus fuiſſem σύμβολον τοῦ συμφέροντος, *pactum conuentum de vtilitate*, quòd ob non diſſimilem ſenſum Harpocration doceat ex Demoſthene, & Iſæo, σύμβολα eſſe τὰς συνθήκας, ἃς ἂν ἀλλήλαις αἱ πόλεις θέμεναι τάττωσι τοῖς πολίταις, ὥστε διδόναι, καὶ λαμβάνειν τὰ δίκαια, *Pacta conuenta, quæ ciuitates ad inuicem ſancientes, ciuibus præſcribunt, vt dent,* in Lex.

accipiántque ea, quæ iuſta ſunt: verùm interpretati licuit *vtilitatis teſſeram*; cùm hac voce intelligi poſſit *hominum vota conferentium in communem vtilitatem conſpiratio*; atque id quidem eo penè ſenſu, quo Ariſtoteles eſſe refert genteis, apud quas ſint *Pacta de rebus importandis, tabulæ de bello ſociatim ineundo*, καὶ σύμβολα περὶ τοῦ μὴ ἀδικεῖν, *& teſſera, de iniuria non inferenda.* Tandem, cùm conſtet verba illa, εἰς τὸ μὴ βλάπτειν ἀλλήλους, μηδὲ βλάπτεσθαι, *vt ad inuicem neque lædant, neque lædantur*, æquiparati illis ex Platone relatis, cùm docet *tum cœpiſſe leges, cùm viſum eſt vtile* ξυνθέσθαι ἀλλήλοις μήτ' ἀδικεῖν, μήτ' ἀδικεῖσθαι, *paciſci mutuò, ne facerent, paterenturve iniuriam*; addo ad interpretationem, *atque adeò ſecurè degant; quod natura duce quiſque expetit*; vt intelligatur quorſum tale Ius, Iuſtumve naturale dicatur. Cùm res ſit porrò, vt admonuimus copiosè ſuperiùs deducta; idcircò ſufficiet conſectaria quædam ex eo loco deducere, ex quibus Epicuri mens, quantum ſpectat quidem ad hanc, & inſequenteis ſententias, pateat.

Itaque iuxta antè dicta, dicturus eſt Epicurus *Primùm*, Legem propriè eſſe, quæ vocetur Ius. Nam habere quidem à natura hominem facultatem quidpiam agendi, vtendive re aliquâ, ſed hanc nihilominus facultatem, donec vaga eſt, & incerta, non debere appellari Ius; debere verò ſolummodò, cùm lege definita eſt, ſeu ad quidpiam certum, determinatúmque relata. Videlicet, qui ante legem, ſecundùm facultatem agat, dici quidem poſſe naturaliter agere, at non tamen agere Iure; quia tunc ſolùm poſſit dici Iure agere, cùm tueri ſe Iure, hoc eſt lege, quæ Ius eſt, poteſt; veluti etiam, qui ante legem, talem facultatem impedit, aut violat, dici quidem poteſt damnoſus, aut nocens; at non tamen iniurius, quoniam contra ius, ſeu legem non facit. *Secundò*, vt à Iure pro lege ſumpto, ipſa naturalis facultas appellatur Ius; ita ipſam Legem, à facultate naturali certa, firmáque per eam redditâ, appellari Ius naturale. Et quia Iuſtitia virtus eſt, quâ vnuſquiſque velle debet ſeruari cuique ſuum Ius; ideò dici poſſe Iuſtum naturale id, quòd ſecundùm legem, ſiue Iure fit; Iniuſtum, quod contrà, ſeu quod fit iniuriâ. *Tertiò*, quia Lex, vt ſit verè lex, ſiue Ius, tendere debet ad eundem-met eum ipſa facultate ſcopum; hoc eſt ad eorum vtilitatem, qui obſeruant legem; adeò vt, ſi ex lege agant, vt iuſtè, ſic vtiliter agant; idcircò iuſtam dici eam Legem, quæ vtilis eſt, ſeu quæ vt iuſtitiam, ita vtilitatem parit, eam verò iniuſtam, quæ non vtilis, hoc eſt, noxia eſt, ſeu quæ vt iniuſtitiam, iurisve detrimentum; ita nocumentum, ſiue damnum creat. *Quartò* proinde bene repeti naturale Ius ex pactionibus, ob vtilitatem communem inter homines initis; nempe, cùm pactiones ſint ipſæmet Leges, ſeu Iura, quibus naturæ ſcopus, ſeu bonum, vtilitáſve attingitur. *Quintò*, ſi quis quærat Ius Gentium, ſeu quod ad omneis homines vniuersè attineat; illud non eſſe aliud, quàm ipſum vniuersè factum de vtilitate Rationis dictamen; quippe hanc eſſe ſolam legem, ſecundùm quam omnes vniuersè agant; ac ideò nullum aliud poſſe aſſignari Ius Gentium, quòd non modò homines omnes non expreſſe inierint pacta inter ſe, ſed ne tacitè quidem id egerint; cùm ne vllo quidem tacito conſenſu ad comprobandum vllos mores, quibus inter ſe omnes vtantur, conſpirauerint. *Sextò*, ſi quis quærat naturale Ius, ſiue, quo vtuntur omnia animalia; illud non eſſe quoque aliud, quàm ipſum Naturæ de vtilitate, ſeu de commodo, bonóque dictamen. Nempe iſtam quoque eſſe ſolam legem, quâ ad quidlibet agendum regantur; ac nullum poſſe aliud naturale Ius aſſignari; quòd animalia omnia neque tacitè, neque expreſsè inter ſeſe aut pepigerint, aut ad eoſdem mores approbandos conſenſerint. *Septimò*, ſolum Ius ſociale, ſeu à ciuibus vocatum Ciuile, eſſe propriè Ius; quatenus id ſolùm continetur pactis, ſiue legibus propriè dictis, quibus, qui eiuſdem ſocietatis ſunt, ob commune bonum, communémve omnium ſociorum vtilitatem præſcriptis vtuntur. *Octauò*, iſto etiam Iure contineri pacta, quæ cum finitimis ineuntur; quatenus ex pluribus Societatibus (ſeu mavis, Ciuitatibus, Prouinciis, Nationibus, Rebuſpublicis) vna quædam, quaſi generalis conſtituitur, dum ob vtilitatem mutuam, pacta inuicem ineunt de non impetendo, lædendóve ſe inuicem; de ferendis ad oppugnandum, propugnandúmque ſuppetiis; de eundo, redeundo, commercium profitendo, & quæ ſunt alia huiuſmodi: idque vnaquaque ſpeciali ſocietate ſuis interim legibus, moribúſque ſeorſim vtente. *Denique*, hoc ſociale, ſeu Ciuile Ius, cenſeri poſſe nihil aliud eſſe, quàm ipſummet vulgò admiſſum Ius Naturale, & Gentium; verùm ſpecialius, definitius, diſtinctius, exploratius, tutius; hocque ſenſu accipi poſſe, quod vulgò admittunt *Ius Ciuile, neque in totum à Naturali, ac* l 6.ff.de iuſt. &iur.
Gentium Iure recedere, neque per omnia ei ſeruire; adeò, vt cùm Iuri communi aliquid additur, vel detrahitur, Ius proprium, id eſt, Ciuile efficiatur.

Inter quæcumque Animalia conuenire non potuit, vt nec læderent, nec læderentur adinuicem; nulla eſt iuſti aut iniuſti, ſeu Iuris, iniuriæve *ratio. Pari autem modo nulla* eſſe cenſenda *eſt inter eas nationes, quæcumque non potuere aut noluere vt adinuicem neque læderent, neque læderentur, paciſci.*

ψ. 17. Ὅσα τῶν ζώων μὴ ἐδύνατο συνθήκας ποιεῖσθαι. Cohæret ſententia hæc cum ſuperiore. Lego autem ψ. 18. ἄλλα, pro ἀλλὰ, tum ex ipſo ſenſu, tum ex phraſi antecedente. Porrò, cùm ſint huius ſententiæ duæ partes, videtur pars prior, ſeu quæ attinet ad animalia, poſſe admitti non

tam

tam ſanè, quatenus eſt comparationis propoſitio, quàm prout aliunde eſt ipſi naturæ inſtituto conformis. Etenim naturâ comparatum eſt, vt ſint accipitres, leones, lupi, cæteráque id genus animalia carniuora, quæ ſi iniuſtè agerent, dum columbas, ceruos, oueis, aliáque captant, occidunt, vorant, cenſendum foret, quod nefas eſt, naturam, eiuſve Authorem optimum, ſapientiſſimúmque, inſtituiſſe quidpiam iniuſtum. Ex quo fit, vt poſſit quidem dici lupus, v. c. inferre damnum, aut noxam oui, eſſéve illi noxius; at non tamen propriè inferre iniuriam, eſſéve iniurius, quod nullum intercedat ius, nulláve iuſtitia, quam violare cenſeatur. Id
lib. de ſolert. anim. certè vel ab ipſo Heſiodo obſeruatum adnotat Plutarchus, locum referens, quo dicitur *Iupiter*, ὁ Ζεὺς (ſupplenda ſcilicet vox eſt,
2. de Abſtin. lib. 1. ope. & di. vel ex Porphyrio, qui hunc locum, & plura ex Plutarcho deſumpſit) *cùm naturas rerum diſtribueret, conſtitueréque, permiſiſſe*,

Ἰχθύσι μὲν, καὶ θηρσὶ, καὶ οἰωνοῖς πετεηνοῖς
Ἔσθειν ἀλλήλους, ἐπεὶ οὐ δίκη ἐστὶ μετ' αὐτοῖς,
Piſcibus, atque feris, auibúſque, vt mutua ſeſe
Exederent; quoniam Ius non interuenit ipſis.

At, quare dixit Epicurus ὅσα τῶν ζώων, quaſi aliqua eſſent animalium genera pactionis ineundæ capacia? Fortè, quia ſuppoſuit comparari poſſe animalia cætera cum hominibus; ſicque ſaltem ob facultatem paciſcendi, quæ in homine eſt, dubitari poſſe Ius ne aliquod ipſi interueniat cum brutis. Dubitatio certè excitari potuit non modò ob Homerum, cuius illud eſt,

Iliad. 2. *Ὡς οὐκ ἔστι λέουσι καὶ ἀνδράσιν ὅρκια πιστά,*
Vt non ſunt homini atque leoni fœdera tuta.

Verùm maximè ob Pythagoreos, qui & communionem poſuerunt inter bruta, & hominem, propter communem Animam, ex qua docuerunt

Virgil. 4. Georg. *—homines, armenta, viros, genus omne ferarum,*
Quemque ſibi tenueis naſcentem arceſſere vitas;

& celebrem illam innexêre μετεμψύχωσιν, cuius causâ eſt illa apud Empiricum declamatio Empedoclis,

1. adu. Phyſ. *Οὐ παύσεσθε φόνοιο δυσηχέος—*
Non deſiſtetis crudeli à cæde, &c.

(quòd ſic nimirum parentes filios, & filij parentes perimant, ac vorent) itémque illa Pythagoræ ipſiuſmet, apud Ouidium,

15. Metamorph. *Ergo ne pietas ſit victa cupidine ventris,*
Parcite, vaticinor, cognatas cæde nefanda
Exturbare animas; ne ſanguine ſanguis alatur.

Et, *Cumque boum dabitis cæſorum membra palato,*
Mandere vos veſtros ſcite, & ſentite colonos.

Enimverò hæc μετεμψυχώσεως fabula meritò habetur, & aduerſus illud ex Anima Mundi ſumptum argumentum ſufficere poteſt, quod
loc. cit. habet Empiricus, obiiciens, *Non, ſi ſpiritus bruta ſimul, ac nos peruadit, interuenire continuò ipſis, nobiſque aliquam Iuſtitiam. Nam ecce conſimiliter lapides, plantáſque peruadit; & nihil tamen inter plantas, lapidéſque, & nos, interuenit iuris.* Ex quo efficitur, vt (quod mox dicebam de Animalibus) ipſe quoque homo dici quidem poſſit reſpectu aliorum animalium noxius, damnoſus, pernicioſus, ferus, ſæuus, immitis, crudelis; & interdum quoque ingratus, ac intemperanter, malignéque abutens eâ facultate, quâ ipſis præpollet; at non poſſit tamen propriè loquendo dici iniurius, ſeu iniuſtè agens, defectu iuris intercedentis, vti neque ex eodem defectu videtur poſſe dici Leo iniurius, aut iniuſtè agens, erga hominem, cùm eum vice verſâ dilaniat, ac vorat. Notandum verò obiter, non videri Pythagoram vetare voluiſſe omnium penitus animalium cædem; excepiſſe enim videtur ea, quæ hominibus pernicioſa ſunt, referente Laërtio placuiſſe illi, *Plantæ manſuetæ non nocendum, veluti neque animali, quod non noceat hominibus.* Addi heic poſſet, ad oſtendendum non interuenire Iuſtitiam bruta inter, & homines, quod Peripatetici, Stoicique apud iam citatos Plutarchum, Porphyriúmque diſſeruerunt; verùm id ſufficere poteſt, quod idem Porphyrius refert, ſubiicitque ex Epicureis, rationem iuxta Epicurum ex eo repetentibus, quòd fieri non poſſit, vt aliqua pacta inter homines, brutáque ineantur. Id porrò habetur ad eius loci calcem, quem, de Iuſtitia cùm ageremus, tranſcripſimus integrum, quemque repetere nihil eſt neceſſe.

At verò pars Sententiæ poſterior videtur non legitimè inferri; non quatenus ſanè ſunt aliquæ leges, quibus ij dumtaxat teneantur, qui in illas conſenſerint, vt ſunt pleræque gentium, ſiue ciuitatum ſpecialium, quibus competit illa Demoſthenis, etiam apud Iuriſconſultos commendata, & ſuperiùs quoque relata deſcriptio, quâ Lex dicitur πόλεως συνθήκη κοινή, *commune ciuitatis pactum*; ſed quatenus ea in parte ſpectantur homines inter ſe collati, qui vnius ſunt omnes generis; cùm in priore ſpectentur animalia, quæ generum ſunt diuerſorum, vt lupi, & oues; columbæ, & accipitres: atque idcircò, licet nulla inter illa iuſtitia ſit, eò quòd paciſci inter ſe nequeant; non ſequitur tamen nullam eſſe inter homines, qui mutuò paciſci non poſſunt, aut nolunt. Videlicet præter pactionem ſupereſt generis cognatio, ob quam ſint mutuò ſociabiles, ac ideò ad mutua officia, ſine quibus ſocietas conſtare non poſſit, teneantur. Quòd ſi opponas, fore ergo aliquam Iuſtitiam inter ea bruta, quæ & eiuſdem ſunt generis, & gregaria, ſeu ſociabilia adinuicem ſunt; nam ex Prouerbio veteri, etiam Ariſtoteli non ſemel vſurpato, κολοιὸς πρὸς κολοιόν, *Graculus cum graculo*; & , vt eſt apud 1. Rhet. 11. 8. Eth. 12.
Theocritum, Idyll. 9.

Τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ
Ἴρηκες δ' ἴρηξιν,
Formica formicæ, placétque cicada cicadæ,
Accipitri accipiter.

Excipio poſſe quoque in illis admitti quandam ſpeciem naturalis Iuſtitiæ, cuius exempla apud Plutarchum, alióſque obuia congerere, foret in communem excurrere locum: Tametſi ea longè illuſtrior, agnitiórque

ſit in hominibus; qui, vt iotelligentiâ, atque ratione præditi, ipſam diſertè cognoſcere, & ex ea agere explicitè poſſunt; ita magis propriè tueri, violaréque Iuſtitism, æquitatémve naturalem dicantur. Quo nomine etiam adnorarum ſuperiùs eſt homines eſſe, penes quos attenditur propriè naturale ius, ſeu quæ lex dicitur Naturæ. Sed res dicenda vberiùs eſt circa ſeotentias inſequenteis.

Iuſtitia per ſe (& quatenus quidem id quod heic eſt iuſtum, illeic eſt iniuſtum) *nihil eſt*; ac in homine ſolitariè ſpectato repetitur nulla, *ſed* dumtaxat *in mutuis hominum ſocietatibus, pro ea cuiuſque regionis amplitudine, in qua poſſunt pacta de non inferendo, accipiendove nocumento iniri.*

ỿ. 24. Οὐκ ἦν τὶ καθ' ἑαυτὸ δικαιοσύνη. Lego ἦν, pro ἐστὶ, nam alioquin & verbum deeſt ad phraſin neceſſarium; & Aduerbium ſuperfluit, ac ſenſum perturbat. Quod interpretando porrò interiicio, eò tendit, vt intelligatur, quo ſenſu, aut quo argumento permoneri Epicurus potuerit, vt exiſtimaret Iuſtitiam per ſe nihil eſſe. Nam primùm quidem illud, *Quod iuſtum habetur in vna regione, haberi iniuſtum in alia*; idipſum videtur, quod locus ex Porphyrio memoratus inſinuat. Siquidem tametſi initio legatur, *Eſſe fortè quandam inter homines naturalem conciliationem, quæ, ne ſint procliues ad cædem, impediat*; ac ſequi exinde videatur abſtinentiam à tali cæde rem eſſe per ſe, ſeu ſuapte naturâ iuſtam, & legem, quæ eam prohibet, conſtituere id, quod, ipſâ etiam lege ſeclosâ, ſit iuſtum. Legitur tamen poſteà, *ea quæ legibus conſtituta ſunt, non eſſe iuxta propriam naturam, ſiue per ſe iuſta; quòd aliquibus indifferentia ſint, aliquibus etiam iniuſta habeantur; eo modo, quo Pharmacum, quod iſtis prodeſt, illis nocet, non poteſt dici ex ſua natura ſalubre potiùs quàm inſalubre; cùm ſi eſſet quidem ſalubre per ſe, omnibus prodeſſet; ſi per ſe inſalubre, omnibus noceret.* Conſtat verò idem eſſe argumentum; quo ſunt non modò Sceptici vſi, ſed aliqui etiam ex Do-
lib. 2. gmaticis, vt Ariſtippus, qui apud Laërtium
5. Ethic. cenſuit nihil eſſe iuſtum naturâ, ſed νόμῳ, καὶ ἔθει, *lege & conſuetudine*; & quos Ariſtoteles in Ethicis notat, cùm diuiſo Iure Ciuili (vt ſuperiùs retulimus) *in naturale, & legitimum*, φυσικὸν, καὶ νομικὸν, propoſitiſque aliquot huius poſterioris exemplis, *Exiſtimant*, inquit, *nonnulli eſſe omnia iura eiuſcemodi; quoniam id, quod naturâ conſtat, immutabile eſt, ac vbiuis gentium eandem habet vim, vt ignis, qui heic, & apud Perſas vrit; ipſa autem iura eſſe mutationi obnexia deprehendunt.* Quod Ariſtoteles quidem reprehendit; ſed ita tamen, vt Ius quoque naturale mutabile faciat, quod priùs tamen eandem vim vbique habere definierat, exemplo licet nullo allato; vt mi-
ràs ſit mirum, ſi loco ex Rhetoricis recitato, non demonſtrare, ſed diuinare dicat ali-
quos, *eſſe quidpiam iuſtum, iniuſtúmque natu-* lib. 1. c. 13.
râ, tametſi nulla ſocietas, nulláque pactio inuicem ſit; ac non afferat aliud in exemplum, quàm, quod Sophocles ait, *Sepelire mortuos*; & Empedocles, *Non occidere, quod animatum eſt.* Prætereo autem Empedoclem iuſta, & iniuſta νόμῳ *lege*, definientem; itém-
que Carneadem, *cuius*, inquit Lactantius, in Epit.
hæc fuit diſputatio, Nullum eſſe ius naturale; cæteróſque huiuſmodi. Illod deinde, *In homine ſolitariè ſpectato iuſtitiam reperiri nullam*, congruēs eſt cum eo, quòd Epicurus nullam agnoſcit Iuſtitiam, niſi ἐν τῇ συστροφῇ, *in congreſſibus*, cœtibúsve; quaſi homo per ſe, priuatímque ſpectatus oullam neque iuſtitiam, neque iniuſtitiam exerceat. Quod idem docent volgò omnes, *Iuſtitiam* nimirùm *eſſe ad alterum*, ac ideò cenſeri, dicíque ἀλλότριον
ἀγαθὸν, *alienum bonum*, vt notat Ariſtoteles, 5. Ethic. 10.
qui etiam addit, *Eiuſdem in ſeipſum, aut in ea, quæ poſſidet, vt ſeruos, filióſque non emancipatos, quatenus ipſius veluti pars ſunt nullam ſimpliciter iniuſtitiam eſſe.*

Enimverò, quod heic inculcatur, Nullam eſſe Iuſtitiam, niſi inter eos homines, qui in eadem, finitimíſve habitantes regionibus, pacta inire de non inferendo, accipiendóque damno poſſunt; ſuccinente etiam Lucretio, de primis illis temporibus,

Tunc & amicitiam cœperunt iungere habentes lib. 5.
Finitima inter ſe nec lædere, nec violare:

Hoc ſanè, quatenus excludit Naturalem Iuſtitiam, quaſi ipſa quoque citra pactionem nulla ſit, ac idcircò ſit res merè factitia, & ab hominum arbitrio dependens; id profectò iam eſt minùs ferendum. Nam verum eſt quidem barbaras eſſe genteis, & detectas potiſſimùm nuperis hiſce temporibus, quæ in peregrinas, ac finitimas, quibuſcum pacti nihil ſit, non ſecùs ac feræ immanes deſæuiant, vix quoque eſſe vllas excultas, quæ non perſtrepant inteſtinis diſcordiis, rixis, litibus, inſidiis, furtis, rapinis, cædibus, &c. ac non ſe cum finitimis inuicem diuexent, conficiántque bellis; & nihil requirentes, dolus-ne, an virtus, ſtrageis excitent, carnificinámque exercentes crudeliſſimam, nihil minùs, quàm quod dicuntur, hoc eſt, homines, humaníve ſint; ſed immites potiùs, efferatæque potiùs beluæ, vt proinde merito iure abierit in Prouerbium, *Hominem eſſe homini lupum*; neque abs re queratur Lucretius non tantam fuiſſe initio perniciem à feris, quàm nunc ſit ab hominibus:

Vnus enim tum quiſque magis deprenſus ibid.
eorum
Pabula viua feris præbebat dentibus hauſtus;
At non multa virûm ſub ſignis millia ducta
Vna dies dabat exitio.

Id, inquam verum: ſed non videtur ex deprauatione, quæ naturæ contingit, de ipſa
natura ferendum iudicium. Sic arguit Ari- 5. Ethic. 10.
ſtoteles, non ex eo, quòd aliqui ambidextri naſcantur,

naſcantur, eſſe minùs dexteram manum ſiniſtrâ valentiorem naturâ; ac eius Interpres, non ex eo quòd monſtrâ naſcantur aliqua, eſſe minùs hominem naturâ conſtantem binis pedibus, binis oculis; digitis quinis,&c. Addi poteſt; cùm homo ſit duplicem ſortitus naturam, animalem purà, atque rationalem; & quatenus quidem eſt homo, ſeu quatenus differt ab animalibus cæteris,natura ipſius rationalis ſit; ideò explorando quid illi conueniat, aut non conueniat, provt homo eſt; attendendum id potiùs eſſe ſecundum rationalem naturam, ſeu mavis ſecundum ſinceram, intaminatámque; quàm ſecundum animalem, ſeu mavis paſſionem bruti appetitus, quæ ipſum rationis ſplendorem obfuſcat. Ex hoc enim fit, vt dum quæritur, Sit-ne quæpiam in homine naturalis Iuſtitia, an non? ſpectandum non ſit quid illi conueniat, dum paſſione abripitur; ſed quid, dum rationem conſulit, auditque. Siquidem quemadmodum lux ineſſe Soli non deſinit, vtcumque ſuborti ex Terra vapores ipſius radios intercipiant; ita neque Iuſtitia deſinet ineſſe naturæ, ſeu meliori illi parti hominis; vtcumque ſubortæ ex appetitu paſſiones illius iubar,quod *Heſpero, Luciferóque*, vt ille ait, *eſt admirabilius*, præripiant. Ecquis certè eſt hominum, qui in ſe deſcendens, ac rationis lumine vtens, non agnoſcat, exempli gratiâ, lædendum eſſe neminem, aut non eum ſaltem, à quo laceſſitus non fueris, & à quo mali nihil metuas? Opem præſtandam indigenti, ſeu ſubleuandum miſerum; ſaltem, cùm citra incommodum, aut exiguum, aut nullum, licet; veluti lapſum erigendo, erranti viam demonſtrando, aliáque id genus ſimilia, quæ & ſuperiùs attigimus? Dicet fortè quis, pertinere iſta ad bonitatem, lenitatem, benignitatem, comitatem, aliamve ſimilem virtutem, quam pernegaturus Epicurus non ſit, ipſe præſertim non modò bonus, verùm etiam optimus vir (vt iam aliquoties ex Cicerone notatū eſt)non verò ad Iuſtitiam,quæ eſſe debeat lege,pactóve præſcripta,& adiunctam habere pœnam, qua in tranſgreſſorem animaduertatur. Verumtamen, cùm talis virtus dici *Ἐπιείκεια*, ſeu tam *æquitas*, quàm *lenitas* valeat; non eſt, cur non etiam dicatur *διαφερόντων Iuſtitia*, cùm non modò virtus ſit ad alterum, ſeu bonum alienum reſpiciat, ſed etiam in iure, ſeu æquo verſetur; quando tametſi non ſit vis cogens, non eſt minùs tamen ſecundum naturam obligatio, qua tenetur is, qui beneficium accepit, aut iniuriæ nihil patitur, ad agnoſcendum benefactorem, & ad abſtinendum ab inferenda iniuria; ex quo rurſus natum eſt illud, de quo ſuperiùs quoque eſt dictum, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Profectò enim ipſa exhibitio gratitudinis, venerationis, obſeruantiæ, obſequij, qua proſequi Natura iubet rerum Authorem, Parentes, Principes, bene de nobis meritos, ac eminenteis virtute Viros, aliud nihil eſt, quàm præſtatio debiti, & quaſi compenſatio quædam, qua par pari reddera, ſicque ſuum illi, ad quem ſpectat, tribuere, quantum in nobis eſt, conamur. Quòd verò præterea lex quædam, qua præſcribatur, exigitur; ecce præſtantior alia non eſt, quàm ipſum Rationis dictamen, quod familiare, receptúmque eſt, vt etiam iam antè obſeruauimus vocari Legem naturalem; vti neque aliud eſt præſtantius pactum, quàm tacitus ille conſenſus omnium hominum rationem audientium; nam *quid intereſt*, inquit Iuriſconſultus, *ſuffragio populus voluntatem ſuam declaret, an rebus ipſis, & factis?* Ad pœnam quod ſpectat, licet non ſit Princeps, populuſve eam exigens, exigit tamen ipſa conſcientia, quæ vt delectat ob benefacta, ſic ob malefacta excruciat; ac iure ideò Chilon, *Damnum*, inquit apud Laërtium, *turpi quæſtui anteponendum; nam illud quidem, damnum, ſemel (hoc eſt, præſentem ſolummodo, hic verò perpetuum dolorem inducit.* Graphicè autem Satyricus verſibus illis, quorum extremi recitati iam antè ſunt,

Auſt. 5. Ethic. 3. — l. 32. ff. de leg.

——Cur tamen hos tu
Euaſiſſe putes, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos & ſurdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum,
Pœna autem vehemens, ac multò ſæuior,
&c.

Iuuen. ſat. 13.

Iniuſtitia (quatenus rurſus quod heic eſt iniuſtum, illeic iuſtum eſt) *non eſt aliquid ſecundum ſe malum; eſt autem malum in eo metu, quo* exſtimulante conſcientiâ *ſuſpicatur quis*, veretúrque, *ne quæ iniuſtè patrata ſunt, animaduerſores ſcelerum non lateant.*

℣. 58. Ἡ ἀδικία, οὐ καθ' ἑαυτὴν κακόν. Iſthæc iam Sententia eiuſmodi eſt, vt vniuersè intellecta ferri nulla ratione valeat. Nam, quod interpretando quidem interiicio, eò ſolùm tendit, vt innuam Iniuſtitiam patratam tranſgrediendo leges, quæ heic iniuſtæ, illeic iuſtæ habentur, naturaléſque minimè ſunt, verſari poſſe in actione, quæ mala per ſe, ſeu ex ſua natura non ſit, ſed indifferens; vt provt vel iuſſa, vel prohibita fuerit; vel bona euadat, vel mala. Quod Ariſtoteles quoque ipſe proponit vniuersè de Iure legitimo, *quod à principio*, inquit, *conſtitui, indifferens eſt; ſemel conſtitutum intereſt ſeruari.* 5. Eth. 10. At verò, quatenus res poteſt præterea ſic intelligi, quaſi cùm ſint omnia ipſo naturæ iure communia, ſeu competat ius omnibus in omnia, cuilibetve in quidlibet; nulla per ſe, ſeu ſecundum naturam iniuſtitia ſit, quicquid vſurpet quis, aut reiiciat; quicquid moliatur, aut non moliatur; ſed Iniuſtitia ſolùm ſit, quatenus eſt *Meum, Tuúmque* diſtinctum, & hoc vetitum, præſcriptúmve: ea de cauſa dixi ferri rem non poſſe. Etenim, vt omnis lex alia tollatur; at ſupereſt tamen ipſa Lex naturæ, ipſumve Rationis dictamen, quo cauetur ne quis in alium, quod

in ſe nolit peccatum, peccet: ac ne re, priùs quidem communi, ſed occupatione tamen facta propria, vi, aut dolo alterum ſpoliet. Nec verò etiam ferenda eſt quatenus, cùm aliunde Epicuri ſententia ſit, non aliud eſſe hominis malum, quàm vel dolorem in corpore, vel perturbationem in mente; ideò videatur illi placuiſſe, non eſſe per ſe Iniuſtitiam aliquid malum, ſi neutrius malorum huiuſcemodi fuerit cauſa. Ac ſupponit quidem eſſe Iniuſtitiam mali ſaltem illius cauſam, quòd continenter mens angatur, ob metum illum perpetuum, ne iniuſtè factum innoteſcat, ſicque meritas pœnas det: Verùm, ſecluſo etiam hoc metu, Iniuſtitia res eſt ſuapte natura, ſiue per ſe mala, quatenus eſt in anima priuatio boni ſummè naturalis. Deformat videlicet illam rationis rectitudinem, in qua eius decor præcipuus conſiſtit; ſicque eam deturpans deiicit è ſtatu, in quo ſolo mens bene conſcia tueri poteſt tranquillitatem, ac in eum demittit, in quo ipſa mali facti conſcientia, ſepoſito quoque illo metu, quaſi fera Erinnys regnat, eſtque verus ille Poëtarum vultur, qui

6. Æneid. *Immortale iecur tundens, fœcundáque pœnis*
Viſcera, rimatúrque epulis, habitáſque ſub alto
Pectore; nec fibris requies datur vlla renatis.

Heinc fit, vt tametſi Epicurus noluerit Iniuſtitiæ patrocinari, imprudens tamen id dixerit, ex quo anſam fuerint improbi ſumpturi patrandi Iniuſtitiam, ſi ſemel ſibi eam facere perſuaſionem potuerint, quòd ea ſit perpetuùm futura occulta; aut quòd ipſi ſint eius potentiæ, authoritatis, gratiæ, vt à nemine vnquam metuant pœnas: Quo nomine apud Platonem Traſimachus ille de- 7. de Rep. fendit, *Nihil eſſe melius, quàm facere iniuriam, neque dare pœnas; nihil peius, quàm pati, nec poſſe vlciſci; medio autem modo ſe habere iuſtitiam, cùm quis nec facit, nec patitur; quod vt fiat, eſſe optabile; ſed nempe imbecillibus, quorum proinde intereſt paciſci, ac ſeruare pacta; non autem valentioribus, qui, ſi viri fuerint, ac ſapuerint, nullatenus pactum de iniuria inferenda, accipiendave ſint inituri.* Quin-etiam poteſt exinde deduci, nihil eſſe neceſſe, vt ſapiens oderit peccare virtutis amore, potiuſquàm pœnæ formidine; vt proinde mirum 4. Strom. non ſit, ſi vtrumque coniungens B. Clemens Alexandrinus aut doceat, aut ſaltem deducat dictum fuiſſe ab Epicuro, ἀδικεῖν ἐπὶ κέρδει τινὶ βούλεται, κατ' αὐτὸν, σοφὸν, πίστιν γὰρ λαβεῖν περὶ τοῦ λαθεῖν οὐ δύναται, ὥστε αἱ ἐπιστάσεις λύουσι, ἀδικήσει, κατ' αὐτὸν, *Velle eum, quem ipſe deſcribit, ſapientem agere iniuſtè. Non poſſe enim illum* (ait) *ea eſſe fiducia, vt lateat; quamobrem, ſi nouerit futurum, vt lateat, aget, ex ipſius ſententia, iniuſtè.* Ne adüiciam illi à 5. adu. Col. Plutarcho exprobrari, quòd in Dubitationibus interrogârit ſeipſum, εἰ πράξει τινὰ ὁ σοφὸς, ὧν οἱ νόμοι ἀπαγορεύουσιν, εἰδὼς, ὅτι λήσει; *Siue-ne facturus Sapiens aliquid eorum, quæ leges vetant, ratus fore, vt lateat?* ac reſponderit, οὐκ εὔοδον τὸ ἁπλοῦν ἐπὶ κατηγόρημα, *Non poſſe id ſimpliciter, vnóque verbo expediri*: hoc eſt, addit Plutarchus, πράξει, οὐ βούλομαι δὲ ὁμολογεῖν, *Faciet; ſed nolo confiteri.* Dico autem, tametſi noluerit iniuſtitiæ patrocinari; ac ideò feciſſe imprudentem; nam aliam quidem fuiſſe eius mentem ſuadent, tum quòd inſequente ſententiâ deterrere homines ab iniuſtitia voluit, ob perpetuam illam diffidentiam latendi: Tum quòd apud eundem Plu- de Stoic. rep. tarchum, vt ſuperiùs retulimus, nullum non mouit lapidem, ὑπὲρ τοῦ μὴ καταλιπεῖν ἀνεγκλητον τὴν κακίαν, *ne ſineret malitiam abire inculpatam*: Tum quòd apud eundem Cle- 6. Strom. mentem: vt antè quoque relatum eſt, tantoperè commendauit Iuſtitiam, cùm eius καρπὸν μέγιστον, *fructum maximum* eſſe dixit ἀταραξίαν, *pacatum ſtatum ſecuritatémve conſcientiæ*; ac vna proinde Rararum Sententiarum iam antè fuit, *Eſſe virum Iuſtum omnium maximè perturbationis immunem: Iniuſtúmque ex oppoſito perturbationis pleniſſimum*; tum aurea, & ex Seneca etiam recitata ſententia, Epiſt. 11. *Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, vt ſic, tanquam ille ſpectante viuamus, & omnia, tanquam illo vidente, faciamus*: Tum deſcripta illa ſuo loco erga omneis humanitas, ac incomparabilis bonitas, quæ illi tam caram, tam multorum amicitiam conciliauit: Tum quod Cicero ait, 5. de fin. dum Torquato reſpondens, & facta illa, quam ſuperiùs quoque obiecit, hypotheſi, *Si te amicus tuus moriens rogauerit, vt hereditatem reddas ſuæ filiæ, nec vſquam id ſcripſerit, vt ſcripſit Fadius, nec cuiquam dixerit, quid facias?* ſic pergit, *Tu quidem reddes; ipſe Epicurus fortè redderet, vt Sex. Peducæus Sex. filius*, &c. Ac ſtatim, *Nonne intelligis eò maiorem vim eſſe naturæ, quòd ipſi vos, qui omnia ad veſtrum commodum, & vt ipſi dicitis, ad voluptatem referatis, tamen ea faciatis, quibus appareat, non voluptatem vos, ſed officium ſequi; pluſque naturam rectam, quàm prauam rationem valere.* Tum demum, quia relata eius ex Sto- ſerm. 4. bæo ſententia, *Poſita ſunt leges in Sapientum gratiam; non ſanè, ne iniuſtè agant, verùm ne iniuſtè in ipſos agatur*; ſatis arguit voluiſſe illum, etiam ſine legibus, atque adeò ſine legum metu, nihil eſſe iniuſtè acturum ſapientem.

Fieri non poteſt, vt qui clam violauerit aliquid iuris *pactorumve eo ſancitorum, ne quis faciat, patiaturve iniuriam, ſecurus reddatur, vt facinus lateat. Scilicet quantumvis id millies impræſentiarum occultum ſit: incertum eſt tamen, an ad mortem vſque ſit futurum occultum.*

ỹ. 32. Οὐκ ἔστι λαθεῖν τὸ ποιοῦντα. Idcircò hæc Sententia ſuperiori ſubiicitur, quòd ſit quaſi inſtantia aduerſus eum, qui ſibi ſcelus clanculum, neminéque conſcio, perpetranti pollicetur impunitatem. Ea euaſit percelebris, & quantum ex ſe quidem eſt, digna videtur commendatione; vtcumque nonnulli ſic ipſam detorqueant, vt concluſionem eliciant,

eliciant, qua Epicurus nihil minùs ſomniâ-
2.de fin. rit. Talis videri Cicero poteſt, non eo modò loco, quem ſuperiùs retulimus, cùm Torquatum alloquens, *Cur*, inquit, *Iuſtitia laudatur, aut vnde conſtitum eſt hoc vetuſtate Prouerbium, Quicum in tenebris?* &c. verùm etiam
1.de leg. illo, quo alloquens Atticum; *Nam quid faciet*, inquit, *is homo, ſi in tenebris, qui nihil timet, niſi teſtem, vel iudicem? Quid in deſerto loco, nactus, quem multo auro ſpoliare poſſit, imbecillum, atque ſolum? Noſter quidem hic naturà iuſtus vir, ac bonus, etiam colloquetur, iuuabit, in viam deducet: Is verò, qui nihil alterius cauſà facit, & metitur ſuis commodis omnia, videtis, credo, quid ſit acturus. Quòd ſi negabit ſe illi vitam erepturum, & aurum ablaturum, nunquam ob eam cauſam negabit. quòd id naturà turpe iudicet, ſed quòd metuat, ne emanet. id eſt, ne malum habeat.* Talis videri & Epictetus: Siquidem, poſtquam illud præmiſit, *Stultè facit, ſi quis, cùm ſit iudex, & eripere aliis poſſit, ab alieno abſtinet: ut ſi videbitur, id ſolum attendamus, vt res fiat clàm, vt tutò, vt ne quis ſit conſcius*; tum pergit, Τὸ γὰρ κλέψαι, οὐδ᾽ αὐτὸ ὁ Ἐπίκουρος ἀποφαίνει κακὸν, ἀλλὰ τὸ ἐμπεσεῖν, καὶ ὅτι πίστιν περὶ τοῦ λαθεῖν λαβεῖν, ἀδύνατον, διὰ τοῦτο λέγει, μὴ κλέπτετε, *Quippe Epicurus, ne furari quidem eſſe reputat per ſe malum, verùm deprehendi, nec ſecuritatem perpetuò latendi poſſe accipere; vnde &, Ne furemini, inquit.* Poſſent &
5.adu.Col. citari Plutarchus, B. Clemens, & alij. Verumtamen vtcumque ſeu alij cauſentur: ſeu ipſe ſpeciatim Plutarchus obiiciat docere Epicurum, οὐκ ἄλλῳ τινὶ τὴν ἀδικίαν δεῖν ἀνείργειν, ἢ φόβῳ κολάσεων, *Non alia re vlla arcendos ab iniuſtitia homines, quàm ipſo ſuppliciorum metu*: ſaltem certum eſt, eam eſſe malitiam maximæ partis hominum. vt nihil virtutem veriti, nihil non flagitiorum aggreſſuri ſint, ſi ſe euaſuros ſupplicia confidant; adeò proinde, vt Epicuro non ſuccenſendum, ſed annuendum ſit, dum hanc confidentiam tollere allaborat. Hinc, prout verba quidem ſonant, admitti poteſt amplificatio, qua ille ſententiam veluti exornans
ibid. dicere Epicurum ait, Τοὺς ἀδικοῦντας, καὶ παρανομοῦντας ἀθλίως καὶ περιφόβως ζῆν τὸν πάντα χρόνον, ὅτι κἂν λαθεῖν δύνωνται, πίστιν περὶ τοῦ λαθεῖν λαβεῖν ἀδύνατόν ἐστιν. ὅθεν ὁ τοῦ μέλλοντος ἀεὶ φόβος ἐγκείμενος, οὐκ ἐᾷ χαίρειν, οὔτε θαρρεῖν ἐπὶ τοῖς παροῦσι, *Iniuſtè, ac præter fas agenteis, totum vitæ tempus perquàm miſerè, trepidéque exigere; quòd tametſi valeant, dum flagitiosè agunt, latere; effici tamen, vt fiduciam perpetuò latendi aſſequantur, non poteſt: Vnde & euentus futuri impendens indeſinenter metus non patitur ipſos nec lætitiam capere, nec*
Epiſt.97. *ſecuritatem circa res præſenteis.* De Seneca verò vt dicam, ille ſententiam bifariàm effert. Siquidem poſtquàm retulit, quod ſuperiùs meminimus, *Putare ſe dictum eleganter ab Epicuro, Poteſt nocenti contingere, vt lateat, latendi fides* (ſeu fiducia) *non poteſt*: ſubdit: *Aut, ſi hoc modo meliùs hunc explicari poſſe iudicas ſenſum, ideo non prodeſt latere peccantibus, quod latendi, etiamſi felicitatem habent, fiduciam non habent.* Prætereo autem, quod ſubiicit: *Ita eſt: tuta ſcelera eſſe poſſunt; ſecura non poſſunt.* Et ſtatim pòſt, *Hoc enim ipſum argumentum, Epicure, eſt, natura nos à ſcelere abhorrere, quòd nulli non etiam inter tuta, timor eſt. Multos fortuna liberat pœnis; metu neminem. Quare? quia infixa nobis eius rei auerſatio eſt, quam natura damnauit. Ideò nunquam fides latendi fit etiam latentibus, quia coarguit illos conſcientia, & ipſos ſibi oſtendit. Proprium eſt autem nocentium, trepidare. Malè de nobis actum erat, quòd multa ſcelera legem, & iudicem effugiunt. & ſcripta ſupplicia; niſi illa naturalia, & grauia de præſentibus ſoluerent, & in locum patientiæ timor cederet.* Vidimus ſuprà a Torquato præoccupatum veluti fuiſ- 3.de fin.
ſe, quod obiici poterat, ſceleſtum, cui nemo eſt conſcius, ſeſe ipſum non proditurum. Siquidem, poſtquam illud præmiſit, *Cuius in mente iniuſtitia conſedit. hoc ipſo, quòd adeſt, non poteſt turbulenta non fieri, etſi vero molita quidpiam eſt, quamuis occultè fecerit nunquam tamen confidet id fore ſemper occultum*; tum ſequitur illud, *Plerumque improborum facta primo ſuſpicio inſequitur, deinde ſermo, atque fama; tum accuſator, tum iudex; multi etiam, vt te Conſule* (Cicerone purà) *ſe indicauerunt.* Porrò quia poſſet excipi, ſtare per illos qui ſeſe produnt, vt ſi velint, minimè prodant:
Ecce duos caſus regerit Lucretius, quibus lib.4.
prodant ſe, non valentes noſſe, aut conſiderare quid agant, ſomnium ſcilicet, ac delirium. Et de ſomnio quidem;

Multi de magnis per ſomnum rebu' loquuntur;
Indicióque ſui facti perſæpe fuêre.

De ſomnio verò, ac delirio ſimul:

Quippe vbi ſe multi per ſomnia ſæpe loquentes, lib. 5.
Aut morbo delirantes protraxe feruntur,
Et celata diu in medium peccata dediſſe.

Poterat verò & tertiam cauſam, ebrietatem adiicere: Quippe experientia quotidiana docet pleróſque vino largiùs epoto propria crimina prodere: neque anni ſunt multi, ex quo veneficus fuit occaſione hac detectus, conuictus, combuſtus in Neuſtria. Vt proinde non malè Horatius Vinum, iràmque habuerit, quaſi duo quædam tormentorum genera, quibus arcanum elici poſſit;

Arcanum neque tu ſcrutaberis vllius vnquam, 1.Epiſt.
Commiſſúmque teges, & vino tortus, & ira.

Sed ad Lucretium vt redeam, is duas adhibet cauſas, poſtquam ſententiam ſic extulit,

Nec facile'ſt, placidam, ac pacatam degere vitam,
Qui violat factis communia fœdera pacis.
Etſi fallit enim Diuûm genus, humanúmque;
Perpetuò tamen id fore clàm diffidere debet.

Quo loco, vbi dicit, *Diuûm genus, humanúmque*, reuocat in mentem; tum quod 9.de Rep.
Plato tyrannorum occaſione legem ferens, adiiciendum cenſuit, ἐάν τε λανθάνωσι τοιοῦτοι ὄντες, ἐάν τε μὴ πάντας ἀνθρώπους τε, καὶ θεούς, *ſeu tales cùm ſint, lateant homineſque, Deóſque, ſeu non lateant.* Tum quod præclarè Laërt.l.x.
reſpondit

reſpondit Thales, cùm interrogatus, *an iniuſtè agens latere Deos poſſet*; ἀλλ' οὐδὲ διανοούμενος, *imò ne cogitans quidem*, inquit. (Epiſt. 10.) Tum, nuu modò, quod Seneca, *Sic viue*, inquit, *cum hominibus, tanquam Deus videat; ſic loquere cum Deo, tanquam homines audiant*; ſed etiam, quod appoſitè D. Auguſtinus, *Si peccare*, inquit, *vis, quære, vbi te Deus non videat, & fac, quod vis.* Tum demùm quod Agellius refert audiiſſe ſe à Peregrino Philoſopho (Proteo illo videlicet, cuius eſt prolixa apud Lucianum mentio) quæque opportunè attexi heic poſſint: Textus itaque Agellij ſic habet: (lib. 12. cap 11.) *Virum quidem Sapientem non peccaturum eſſe dicebat; etiam ſi peccaſſe eum Dij, atque homines ignoraturi forent. Non enim pœna, aut infamia metu, non eſſe peccandum cenſebat; ſed iuſti, honeſtique ſtudio, & officio. Si qui tamen non eſſent tali vel ingenio, vel diſciplinâ præditi, uti ſe vi ſuâ, ac ſponte facilè à peccando tenerent, eos omneis tunc peccare proclinius exiſtimabat, cùm latere poſſe id peccatum putarent, impunitatémque ex ea latebra ſperarent. At ſi ſciant, inquit, homines nihil omnium rerum diutius poſſe celari; ſuppreſſiùs, pudentiùſque peccabitur. Proptereà verſus iſtos Sophoclis prudentiſſimi Poetarum in ore eſſe habendos dicebat,*

Πρὸς ταῦτα κρύπτε μηδὲν, ὡς ἅπανθ' ὁρῶν
Καὶ πάντ' ἀκούων, πάντ' ἀναπτύσσει χρόνος,
Nihil age adhuc clàm; namque cuncta quod videt,
Auditque cuncta, cuncta tempus detegit.

Alius quidam veterum Poetarum, cuius nomen mihi nunc memoria non eſt, Veritatem temporis filiam eſſe dixit. Hactenus Agellij textus.

Vniuersè quidem Ius, ſeu quod iuſtum eſt, *idem eſt apud omneis genteis (vtile nempe aliquid in ſocietate hominum mutua) verùm ſpectatis ſingulatim tum regionibus, tum cauſis* apud varias *variis, euenit vt non idem ius*, ſiue iuſtum *ſit apud omneis.*

ỳ. 38. Κατὰ μὲν τὸ κοινόν. Articulum τὸ, interiicio eadem ratione, quâ habetur ſtatim, κατὰ δὲ τὸ ἴδιον. Sententia hæc autem nihil aliud eſt, quàm quædam veluti declaratio illius, quâ iam viſum eſt, Ius, ſiue Iuſtum naturale teſſeram eſſe vtilitatis. Videlicet eò ſolùm tendit, vt intelligamus nationes vniuersè omneis in iure condendo, ferendisve legibus, attendere quid Societati obſeruatu vtile ſit; neque præſcribere aliquid, quod ipſi obfuturum putetur. Quare & cùm Iuſtitia in iuris, legúmque obſeruantia ſit conſtituta, notionem Iuſti vniuersè ſumpti non eſſe aliam, quàm notionem eius, quod obſeruatu vtile eſt. Ac eſſe quidem ſpecialia iura, ſpecialeiſque leges, quas ſingularis quæque natio, ciuitáſve ſibi præſtituit; & ea, quæ ab vna ſanciuntur, eſſe plerumque contraria iis, quæ ſtatuuntur ab alia; verumtamen tam hanc, quàm illam reſpicere ad vtilitatem, quam ex obſeruantia propriarum conſtitutionum percipit; eâ exſiſtente varietate circumſtantiarum in variis locis, vt quod in vno incommodum eſt, commodum in alio plerumque habeatur. Heinc verò eſt illud Lactantij, *Cur enim per omneis populos diuerſa, & varia iura ſunt condita, niſi quod vnaquæque gens id ſibi ſanxit, quod putauit rebus ſuis vtile.* (lib. 6. c. 5.) Et mox ſpeciatim de Romanis, *Sicut illi duodecim Tabularum conditores, qui certa publicæ vtilitati pro conditione temporum ſeruierunt.* Verùm de hac vtilitate ſuperiùs longè plurima, etiam ex ipſo Cicerone; quem proinde eſt, cur quiſpiam miretur hæc interdum exaggerantem, *Si populorum iuſſis, ſi Principum decretis, ſi ſententiis Iudicum iura conſtituerentur, ius eſſet latrocinari, ius adulterari, teſtamenta falſa ſupponere; ſi hæc ſuffragiis, aut ſcitis multitudinis probarentur.* (1. de leg.) Nimirùm, quaſi ipſi quoque, in quo verſabatur, populo Romano non eſſet, quod ipſe & ſequebatur, & commendabat, Ciuile Ius, ea, quam heic improbat, ratione (& ab ipſis quidem vſque XII. Tabularum conditoribus, qui inſeruierint publicæ vtilitati) conſtitutum. Et nonne de hoc Iure pro Cæcinna agens, hæc habet? *Nam qui Ius ciuile contemnendum putat, is vincula reuellit, non modo iudiciorum, ſed etiam vtilitatis, vitæque communis. Qui autem Interpretes iuris vituperat, ſi imperitos iuris eſſe dicit, de hominibus, non de iure ciuili detrahit. Sin peritis non putat eſſe obtemperandum; non homines lædit, ſed leges, ac iura labefactat. Quod vobis venire in mentem profectò neceſſe eſt, nihil eſſe in ciuitate tam diligenter, quàm Ius ciuile retinendum. Etenim hoc ſublato, nihil eſt, quare exploratum cuiquam poſſit eſſe quid ſuum, aut quid alienum ſit; nihil eſt, quod æquabile inter omneis, atque vnum omnibus eſſe poſſit.* Heic non addo, quemadmodum quæ eſt vtilitas communis ſit vtilitas ſingulorum; eſt enim res abundè quoque declarata ſuperiùs. Adnoto ſolùm, cùm idem Cicero ſic in Trebatium Iuriſconſultum Epicureum factum iocatur, *Quonam modo Ius ciuile defendes, cùm omnia tuâ cauſâ facias, non ciuium? Vbi porrò erit illa formula fiduciæ, VT inter bonos bene agier oportet? Quis enim eſt bonus, qui facit nihil, niſi ſuâ cauſâ? Quod ius ſtatues communi diuidundo, cùm commune nihil poſſit eſſe apud eos, qui omnia vtilitate* (ita videtur, pro voluptate) *ſuâ metiuntur?* (li. 7. Epiſt. 12.) Adnoto, inquam, Ciceronem rem ſic accipere videri quaſi quis ad propriam vtilitatem reſpiciens, reſpicere ſimul non poſſit ad vtilitatem communem; neque idcircò poſſit communi vtilitati conſulere, niſi priuatæ quaſi renunciet, quam intelligere tamen liceat communi illa contineri. Et ſpectare quidem proinde huc poſſet, quod Torquatus habet; dum ad Ciceronis obiecta de maiorum factis reſpondens, illum, qui filium morte mulctauit, declarat *ſaluti ciuium proſpexiſſe, quâ intelligebat contineri ſuam.* Sed res memorata ſuperiùs iam eſt.

Quod

Quod experientiâ comprobatur vtile eſſe ad mutuos vſus in ſocietate, **communive eorum participatione,** ***quæ eſſe iuſta reputantur, illud iuſti naturam habet, ſi tale quidem ſit, vt vtilitas ad omneis attineat. Quod ſi tale quidem quis ponat, & contingat tamen vt mutuò ſociatis vtile non ſit, id iam*** **veram** ***iuſti naturam non habet.***

ỽ. 43. Τὸ μὲν ἐπιμαρτυρούμενον, ὅτι συμφέρει. Quod huius ſententiæ contextus admodum
Pag. 56. corruptè legatur; viſum eſt poſſe ỽ. 1. haſce voces interiici, τὴν τοῦ δικαίου φύσιν, quod alioquin ſenſus ſit nullus, & non obſcurè res indicetur ex iiſdem vocibus eidem verbo ἔχει, in parte ſententiæ poſteriore præmiſſis. Potuit verò etiam vtcumque ex mss. ſuggeri, vbi verbo ἔχει, adhibentur voces τὴν τοῦ δικαίου, cùm & præterea adſcribantur ad marginem hæ χώραν ἔχει (neſcio an coniectura ducta ex ſuperioris ſententiæ calce) & Aldobrandinus ex ſimili fortè ms. deſumpſerit, quod legit (viderit quo ſenſu) νομισθὲν ἔχει, δίκαιον ἔχει τοῦ δικαίου χώραν. Subinde autem lego, ἐὰν μὲν, pro ἐάν τε, & rursùs, ἐὰν δὲ, pro ἐάν τε, ob manifeſtam diſtributionem. Sic & conſequente particulâ μὴ, vt repugnante ſenſui, expunctâ, lego μὲν, pro μόνον, ob particulam δὲ ſubiunctam. Legerem quoque δύναται (vel potiùs ἐνδύναταί τι, pro δύναταί τις, vel etiam νομοθετεῖταί τι, pro μόνον δύναταί τις, &c. ſed quòd poſſit ſenſus alioquin vtcumque conſtare, tale nihil moueo. Hæc porrò Sententia addere id ſolùm ad ſuperiorem videtur, quòd cùm omnis lex, dum conſtituitur, eſſe iuſta exiſtimetur; ea tamen dumtaxat ſit reuerâ iuſta, quam deinceps euentus probat eſſe reuerâ vtilem, quod quæ deinceps non comprobatur ipſo euentu vtilis, ea non ſit iuſta reuerâ cenſenda. Prætereo autem taleis Leges ſolere aut oppoſitis, aut ſolo non-vſu abrogari. Qui videlicet illas ferunt, eâ æquitate habendi ſunt, vt eas laturi haudquaquam eſſent ſi non vtileis fore prouiderent. Hinc eſt illud Ciceronianum non prætermiſſum
ſ.de inuent. ſuperiùs: *Neque enim* Maiores noſtri *ipſi* Reipub. *quod obeſſet ſcribere volebant; &, ſi ſcripſiſſent, cùm eſſet intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. Nemo enim leges legum cauſâ ſaluas eſſe vult, ſed Reipub. quod ex legibus omnes Rempub. rectè putant adminiſtrari.* Et ſtatim; *Nam, vt ex Medicina nihil oportet putare proficiſci, niſi quod ad corporis vtilitatem ſpectet, quoniam eius cauſa eſt inſtituta: ſic à legibus nihil conuenit arbitrari, niſi quod Reipub. conducat, proficiſci; quoniam eius cauſa ſunt comparatæ.* Quo loco dum Lex cum Medicina comparatur, ſubit in animum, quod Pla-
in Polit. to Legiſlatorem cum Medico, cúmque Gubernatore confert. Id nempe, vt intelligamus, ſicut Medico propoſitus ſcopus, ægrotorum eſt ſalus, & gubernatori nauigantium; ſic ciuium eſſe legiſlatori. Et quemadmodum Medicus illud remedium prætermittit, quod profuturum prius ratus, deprehendit deinceps eſſe inſalubre; & gubernator inhibet curſum, quem rectum eſſe arbitratus, obſeruat poſteà deuium; ſic Legiſlatorem abrogare eam legem, quam opinatus profuturam, progreſſu tamen temporis ſecùs eſſe animaduertit. Quanquam, vt præclarè Ariſtoteles monet, magna adhibenda cautio eſt: *Quo-* 2.Polit.8.
niam, cùm legibus mutandis ciueis aſſuefacere malum ſit, non decet ſanè ob paruam quandam vtilitatem eas mouere; ſed præſtat intacta aliqua peccata tum Legumlatorum, tum Magiſtratuum relinquere. Neque enim tantum emolumenti, qui eas mouebit, attulerit, quantum aſſuefaciendo ciueis ad non obediendum Magiſtratibus, importauerit nocumenti. Quin-etiam Plato id 2.de Rep.
exigit, vt *ſi qua interdum vigere neceſſitas videbitur, deliberent vnà & Magiſtratus omnes, & vniuerſus populus, ac ipſorum quoque Deorum omnia oracula conſulantur; & ſi vnus quidem exſtiterit omnium conſenſus, tum demum legem moueant; ſin verò minùs, nullatenus; ſed qui mouere prohibuerit* (vnus, puto ex tribus, h. e. Deorum, Magiſtratuum, populique ordinibus) *is ſecundum legem obtineat.* Dixi autem Legem interdum ſolo non vſu abrogari, quoniam non modò experientiâ id vſu-venire obſeruamus; ſed rationi quoque conſentaneum eſt, vt ſicut aliquando Leges ſola conſuetudine inducuntur, ita ſola excedant deſuetudine; quatenus exinde arguitur, vt in conſueſcendo vtilitas, ſic in deſueſcendo eiuſdem defectus: cùm & aliunde, minus timendum periculi exinde ſit, quàm dum momento fit abrogatio, & lex ipſa vſu vegeta, quaſi ex arbore immaturus decerpitur fructus. Hinc proinde, *Rectiſſimè*, inquit Iuriſ- l.32. ff.de
conſultus, *illud receptum eſt, vt leges non ſolùm* leg.
ſuffragio, ſed etiam tacito conſenſu omnium, per deſuetudinem abrogentur.

Tametſi interdum ex eo, quod fuerit iuſtum habitum, vtilitas excidat, ſi nihilominus interdum **vtilitas aliqua ſit, ac idcircò** ***ad prænotionem*** **quæ habetur de iuſto** ***congruat; id pro illo quidem tempore eſt iuſtum:*** **certè** ***apud illos, qui ſeſe inani loquacitate non confundunt, ac res humanas generaliùs perſpiciunt.***

ỽ. 6. Κἂν μεταπίπτῃ τὸ κατὰ τὸ δίκαιον συμφέρον. Id etiam dumtaxat Sententia hæc addit, vt, ſi contingat legem ſancitam, eſſe interdum quidem damnoſam, ſed interdum tamen etiam vtilem; ea nihilominus ſit habenda iuſta pro eo tempore, quo vtilis exſtiterit; quaſi tum congruens ad prænotionem, qua legis iuſtitiam vtilitate eius metimur. Eſt verò eadem penè Sententia, quæ apud Platonem à Socra-
te ediſſeritur; nimirùm, *cùm ſcopus ciuitatis* in Theæt.
ſit, quàm vtiliſſimas leges condere, euenire quidem ſæpenumerò, vt ea, quæ ſunt conſtituta, ab hocce ſcopo excidant; ſed ἕως ἂν κεῖται, *quamdiu quidem non excidunt, eſſe nihilominus iuſta.*

Vbi

Vbi nullâ nouâ ſuperueniente rerum circumſtantiâ, ea quæ fuerant habita iuſta circa actiones hominum, deprehenduntur ad prænotionem habitam de iuſto *non congruere; ipſa iuſta haudquaquam ſunt. Vbi verò nouatis rebus, ea, quæ fuerint decreta iuſta, eſſe vtilia deſierint; ea quidem illeic exſtitère iuſta, quanto tempore ad mutuam conciuium ſocietatem permanſère vtilia; deinceps verò ſtatim atque deſierunt eſſe vtilia, deſierunt ſimul eſſe iuſta.*

ỷ. 12. Ἔνθα μὲν χωρῶν προσφερόμενον. Lego heic χωρῶν, pro καὶ τὸ, quòd ita videatur exigere ſenſus, quo poſterior ſententiæ pars prioris quaſi redditio eſt. Hæc autem denique Sententia addit ſolùm comparationem non aſſequutæ vtilitatem legis ex non interuenientibus, aut interuenientibus circumſtantiis quibuſdam nouis. Nam, ſi nullis quidem interuenientibus ipſa lex ab initio ſtatim deprehenſa fuerit ab vtilitate aliena, eam non potuiſſe cenſeri iuſtam. Si verò, cùm nullæ interuenerint, vtilis quidem ab initio fuerit, ſed quibuſdam poſteà incidentibus rebus ab vtilitate exciderit, fuiſſe illam iuſtam, quouſque ceſſauit eſſe vtilis; ex quo verò eſſe ceſſauit, iniuſtam. Ex vtroque porrò capite eſſe

2. polit. 8. poteſt, cur iuxta Ariſtotelem leges mutandæ καὶ τινὲς, καὶ ποτὲ, *& aliqua, & aliquando* ſint; tametſi cautione, de qua mox dictum, adhibita, & cui conſentit Iuriſconſultus, dum,

l. 2. ff. de conſt. princ. *In rebus nouis conſtituendis*, inquit, *euidens eſſe vtilitas debet, vt recedatur ab eo iure, quod diu æquum viſum eſt.*

Qui ſibi fiduciam ſecuritatemque ex rebus externis, quâ optimâ ratione licet, comparare aggreſſus eſt, is poſſibilia quidem paratu, tanquam à ſe non aliena quæſiuit; at impoſſibilia pro alienis habuit. Quinetiam poſſibilium bene multa non attigit, ac ea omnia, quæ obtinere nihil fuit neceſſe, abdicauit.

ỷ. 22. ὅ τὸ θαῤῥεῖν ὑπὸ τῶν ἔξωθεν. Scilicet eliciendo ſenſui, & congruè ad ſequentem ſententiam, viſa eſt expungenda ante vocem θαῤῥεῖν particula μὲν, quæ etiam reipſa à Baſileenſi editione abeſt; & qua occaſione congruit ſine illa vox θαῤῥεῖν in inſequente ſententia, eadem heic quoque magis congruit. Lego autem poſteà, καὶ ἀλλόφυλα ὡρίσατο, &c. ad vſque finem ſententiæ, pro ἐν ἀλλόφυλα γε οὐδὲ μηδὲ τοῦτο δυνατὸς ἦν ἀντιλαμβανόμενος ὡρίσατο καὶ ἐξεβάλετο οὐδὲ τοῦτο ἐλυσιτέλει πράττειν. Et nimiâ profectò licentiâ: ſed quid facias tamen, vbi manifeſtè deprauatiſſimus eſt locus? Reputâram quidem τὰ ἔξωθεν intelligi poſſe, vel potiùs debere, non de rebus externis (ſeu quæ præter corpus, & animum ſunt) ſed de extraneis gentibus, à quibus deberet ſe quiſpiam, quo poſſet modo, facere tutum; idque ob quandam connexionem cum ſuperioribus ſententiis argumenti Politici, ac ob illas voces, ὁμόφυλα, ἀλλόφυλα, ἀντίπαλον, præter vocem ὁμορούντων, quæ in inſequente haberetur ſententia; quaſi in illa ageretur de gentibus conterminis, in iſta verò de diſſitis, ſeu quomodocumque externis. Verùm ea eſſe ſagacitate, ſolertiáque non potui, vt motis etiam pleriſque licet, attingere potuerim ſenſum, qui eſſet veriſimilis, & vt ad vſum accommodatus, ſic eiuſmodi, in quem collineaſſe Epicurum probabile foret. Quamobrem, ne hoc quoque loco non balbutirem aliquid, eò adductus ſum, vt ipſius textus veſtigia, quam-proximè licuit, ſectatus, legerim ſententiam, quo propoſui modo. Ea ſaltem hoc modo nihil continet à ſuperioribus diſſonans, cuiuſmodi ſunt tum ea, quæ habentur, de non negligenda rei familiaris (ſed citra tamen diteſcendi cupiditatem) cura; tum ea, quæ traduntur de frugalitate, abſtinentiáque à rebus iis, quas nobis natura neceſſarias non fecit. Nihil verò ipſis addendum iam eſt, niſi quòd videtur Plutarchus ex Epicuro illud deſumpſiſſe, quod de diuitiarum cupiditate ſcribens, τῷ ἀρκοῦντι, inquit, οὐδεὶς πένης ἐστίν, *Ad ea, quæ ſufficiunt, nemo pauper eſt.* Ita nimirùm Seneca eſt ex Epicuro interpretatus; ac non modò Lucretius expreſſit paucis vocibus, Epiſt. 25.

——*Nec enim eſt vnquam penuria parui,* lib. 5.

ſed Horatius quoque verſibus illis pluſculis, quibus, vt illud inferat,

Neſcis, quò valeat nummus, quem præbeat vſum: 1. ſat. 1.
Panis ematur, olus, vini ſextarius; adde
Queis humana ſibi doleat natura negatis:

(vbi τὴν τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσιν, *eius, quod dolet, exemptionem* Epicuream vides) hæc præmittit;

Millia frumenti tua triuerit area centum;
Non tuus hoc capiet venter plus, quàm meus: vt ſi
Reticulum panis, venaleis inter, onuſto
Forte vehas humero, nihilo plus accipias, quàm
Qui nil portarit. Vel dic, quid referat intra
Naturæ fineis viuenti iugera centum, an
Mille aret? At ſuaue eſt ex magno tollere aceruo?
Dum ex paruo nobis tantumdem haurire relinquas;
Cur tua plus laudas cumeris granaria noſtris?
Vt tibi ſi ſit opus liquidi non amplius vrnâ,
Vel cyatho; & dicas, magno de flumine mallem,
Quàm ex hoc fonticulo tantumdem ſumere: eò fit,
Plenior vt ſi quos delectet copia iuſto,
Cum ripa ſimul auulſos ferat Aufidus acer.
At, qui tantulo eget, quanto eſt opus, is neque limo
Turbatam haurit aquam, neque vitam amittit in vndis.
At bona pars hominum decepta cupidine falſo,

Nil

Nil ſatis eſt, inquit, quia tanti, quantum habeas, ſis.
Quid facias illi? iubeas miſerum eſſe libenter, &c.

Quibuſcumque plenam fiduciam, ſecuritatémque parare fas fuit ex ſocietate hominum pari ſententiâ affectúque viuentium, ij firmiſſimo freti pignore, quàm ſuauiſſimè inter ſe vixerunt; ac pleniſſimâ neceſſitudine iuncti, præoptauere ſine lamentis, pro illo, qui foret ad mortem deſtinatus, mortem ſubire.

ỽ. 28. Ὅθι τὴν δύναμιν ἔσχον. Vltima hæc eſt Sententiarum Ratarum, in qua lego imprimis ỽ. 29. ὁμονόῳ, pro ὁμορούντων, quoniam tametſi vox ὁμορούντων, quemadmodum dictum mox eſt, ſubinſinuare valeat, agi heic de finitimis, conterminiſve Nationibus; non licuit nihilominùs, veſtigiis textus, vtcumque ſeruatis, ita verſare ſententiam, vt congruus ſenſus ſeu ad vſum, ſeu ad Epicuri mentem haberetur. Ex voce autem ὁμονούντων illi ſubſtituta, is viſus eſt ſenſus poſſe fieri, qui non omninò malè quadraret tum ad ſuperiorem illam, de amicitiæ fructu ſententiam, ἡ αὐτὴ γνώμη θαῤῥεῖν τε ἐποίησεν, &c. tum ad illud, quod Effatorum de Sapiente vltimum fuit, καὶ ὑπὲρ φίλου ποτὲ τεθνήξεσθαι. Ex hoc certè capite eſt, cur poſteà ỽ. 33. repoſuerim, οὐκ ὀδυρόμενοι, &c. ad finem vſque, pro οὐκ ὀδύραντο ὡς ἔλεον, (habent MSS. ὀδύραντο ὡς πρὸς τὸ ἔλεον. Aldobrand. ὡς πρὸς ἔλεον) τὴν τοῦ τελευτήσαντος προκαταστροφήν. Quibus ex verbis velle quidpiam congrui ſenſus exigere, eſt aquam, quod aiunt, ex pumice poſtulare. Sed nimirum, cùm tot in textum reliquum irrepſerint menda, vt exinde remora paſſim iniiceretur lectoribus; mirum non eſt, ſi hæc ſententia, quæ fuit toti non modò vitæ, doctrinæque Epicuri, ſed operi etiam Laërtiano quaſi coronis impoſita, ſic deprauata euaſerit, vt lectores eâ ſuperatâ, quaſi impranſi, aut malignè paſti, querulique diſcederent. Quò magis profectò excuſandus videor, ſi qualemcumque tandem ſenſum conatus fuerim exprimere; tametſi procul abfuerim, vt ſicut in pleriſque aliis, ſic in iſto maximè loco mihi ipſi fecerim ſatis. Cogitâram quoque ita legere, οὐδ᾽ ὀλιγώρως ἀντ᾽ ἀλλήλων δ᾽ εὐπρεπῶς τελευτήσαντες προκατέστρεφον, *Ne præmori quidem, decorè occumbentes pro ſe inuicem, neglexerunt:* verùm, cùm ſententia videretur clarior; viſa eſt tamen ſimul à textus veſtigiis aliquantò remotior. Vtcumque ſit verò, tacendum non eſt, videri vocem ὁμονούντων, ac totam interpretationem de fructu amicitiæ ſuggeri potuiſſe vel ex ſolo illo Chryſoſtomi loco, qui apud Antonium, & Maximum eſt, ſerm. 135. quemque ſi huc retulero, pretium operæ fortè erit. Is nimirum ſic incipit, Οὐδὲν ὁμονοίας ἴσον. *Nihil eſt concordia equiparandum.* Sequitur autem, *Videlicet, qui Vnus eſt, Multiplex redditur in hunc modum. Si vnanimes ſint duo, vel decem, non iam ampliùs vnus eſt vnus, ſed illorum quiſque decuplex euadit, ac vnum in decem, decem in vno deprehendes; inimicóſque ſi habuerint, qui in vnum impetum faciet, perinde erit, ac ſi in decem faciat, hacque ratione opprimatur. Eget ipſorum aliquis, at in egeſtate non eſt; quoniam indigentia à maiori parte, quâ abundans eſt, obfuſcatur. Eorum cuilibet viginti ſunt manus, ac totidem pedes, & anima decem; neque enim ſuis ſolùm membris, ſed aliorum etiam, perinde ad omnia vtitur, ac ſuis. Si verò illi centum fuerint, idem rurſus multiplicando, pari proportione continget. Poteſt hoc modo idem ſimul in Perſide, ac Romæ eſſe; ſicque quod non eſt in natura, in amicitia eſt facultate. Quòd ſi etiam mille amicos, aut bis mille habueris, cogita rurſus, quò facultas excreſcat. Mirabile profectò, vnum efficere primum, & milleſimum ſimul. Præſtat exſtingui nobis Solem, potiuſquam amicis orbari. Plerique enim, Solis videndi capaces in tenebris ſunt; at quibus amici ſuppetunt, ij ne incidere quidem in calamitatem poſſunt. Nihil profectò, nihil amicitiâ iucundius eſt; ecquid enim verus amicus non faciat? ecquam voluptatem non pariat? ecquam vtilitatem non afferat? ecquam ſecuritatem non præſtet? Tametſi ingenteis theſauros recenſueris; nihil tamen, quod ſit cum vero amico comparandum inuenies. Et, vt corpora lucida ſplendorem emittunt in loca circumſtantia; ſic ipſi amici, vbivis loci exſtiterint, gratiam effundunt. Prorſus, vt optabilius ſit in tenebris degere, quàm in amicorum orbitate eſſe.* Hactenus ille; & ita quidem, vt videri aliunde poſſit illuſtrare eum id voluiſſe, quod Ariſtoteles reſpondit; qui, cùm ex eo quæreretur, quid eſſet amicus, μία ψυχὴ, inquit apud Laërtium, lib 5. δύο σώμασιν ἐνοικοῦσα, *Anima vna, quæ in duobus inhabitat corporibus.* Ad alias voces quod attinet, dicas præſertim occaſionem ipſius verbi, εἵλοντο (cuius in voce ἔλεον, eſt aliquod veſtigium) fieri potuiſſe ex pari ſententia, quæ apud Sanctum Patrem ita legitur, ὑπὲρ φίλων τῶν ὄντως φίλων πολλοὶ καὶ ζημιωθῆναι εἵλοντο πολλάκις, *Elegêre multi ſæpe-numerò pro amicis, qui reuerâ eſſent amici, mulctam ſubire.* Chryſoſt. hom 11 in 1. ad Tim.

De re ipſa, nihil adiiciendum; quando exempla protrita ſunt, imprimis illorum, qui Patriam, ſuóſque vniuersè conciueis ea caritate ſunt proſequuti, vt læti, alacréſque illorum ſalutem morte ſua redemerint; adeò vt nequicquam proinde non ſit, quod Seneca exaggerat; dum, *Vir fortis, & iuſtus,* inquit, *cùm mortalitatis ſuæ pretia ante ſe poſuit, libertatem patriæ, ſalutem omnium pro quibus dependit animam, in ſumma voluptate eſt, & periculo ſuo fruitur. Sed ille quoque, cui etiam hoc gaudium eripitur, quod tractatio operis maximum, & vltimum præſtat, nihil cunctatus deſiliet in mortem, facere rectè, piéque contentus. Oppone etiam nunc illi multa, quæ dehortentur; Dic, Factum tuum matura ſequetur obliuio, & parum grata exiſtimatio ciuium: Reſpondebit tibi: Iſta omnia extra opus meum ſunt; ego ipſum contemplor: hoc eſſe honeſtum ſcio.* Deinde illorum, qui pro amicis ſpecialibus mori præoptauerint, & de quibus, non fabuloſæ modò, ſed veræ quoque hiſtoriæ exſtant. Tametſi tacendum non eſt, quod de fabuloſis Cicero

attingit. Siquidem poſtquam Lælius apud
lib. de amic. ipſum illud præmiſit; *Itaque, ſi quando aliquod officium exſtitit amici in periculis aut adeundis, aut communicandis, quis eſt, qui id non maximis efferat laudibus?* tum ſubdit: *Qui clamores tota cauea nuper in hoſpitis, & amici mei M. Pacuuij noua fabula: cùm ignorante Rege, vter eorum eſſet Oreſtes, Pylades Oreſtem ſe eſſe diceret, vt pro illo necaretur; Oreſtes autem, vt erat, Oreſtem ſe eſſe perſeueraret; ſtantes autem plaudebant in re ficta.* Subiude verò exclamat, *Quid arbitramur in vera fuiſſe facturos?* Vt habeas portò quid fuiſſent facturi, intelligi poteſt ex facto Dionyſij, quod Cicero aliàs, dum verum exemplum commemo-
3. Offic. rat, habet. *Damonem*, inquit, *& Pythiam* (habent Porphyrius, Iamblicus, & Phintiam)
de vit. Pythag. *Pythagoreos ferunt hoc animo inter ſe fuiſſe, vt cùm eorum alteri Dionyſius tyrannus diem necis deſtinauiſſet, & is, qui morti addictus eſſet paucos ſibi dies commendandorum ſuorum cauſa poſtulauiſſet, vas factus eſt alter eius ſiſtendi, vt ſi ille non reuertiſſet ad diem, moriendum eſſet ipſi. Qui cùm ad diem ſe recepiſſet, admiratus eorum fidem tyrannus, petiuit, vt ſe in amicitiam tertium adſcriberent.* Quæ vberiùs apud eoſdem Iamblicum & Porphyrium recitat Ariſtoxe- in vita Pythag.
nus, tanquam audita ex ore Dionyſij, dum è regno pulſus literas Corinthi doceret: memorabiléque eſt quod ſubiicitur non potuiſſe illum vlla ratione impetrare vt tertius in eorum virorum amicitiam adſcriberetur Hoc autem de Damone, & Pythia exemplum ſubiicio, quòd Manilius quoque videatur ipſum delegiſſe, vt illi de Oreſte, ac Pylade ſubtexeretur. Videlicet ſic primùm habet:

Vnus erat Pylades, vnus qui mallet Oreſtes lib. 2.
Ipſe mori. Lis vna fuit per ſecula, mortis
Alter quòd raperet fatum, nō cederet alter.

Ac ſubinde iu hunc modum pergit:

Et duo, qui potuere ſequi vix noxia pœnis;
Optauitque reum ſponſor non poſſe reuerti,
Sponſorémque reus timuit, ne ſolueret ipſum.

Verumtamē eſto heic demum Notarum noſtrarum in decimum librum Diogenis Laërtij, qui totus eſt de Epicuri Vita, Moribus, ac Placitis, modus.

FINIS.

DE
VITA, ET MORIBVS
EPICVRI.

Mea quidem iſta ſententia eſt (inuitis hoc noſtris popularibus dicam) ſancta Epicurum, & recta præcipere, & ſi propiùs acceſſeris, triſtia.

Itaque non dico, quod plerique noſtrorum, Sectam Epicuri flagitiorum magiſtram eſſe : ſed illud dico ; malè audit, infamis eſt ; & immeritò : nec hoc ſcire quiſquam poteſt, niſi interiùs fuerit admiſſus. Seneca lib. de vita beata, cap. 13.

VIRO ILLVSTRI FRANCISCO LVILLERIO PARISINO, RATIONVM MAGISTRO INTEGERRIMO,

Amico longè optimo,

PETRVS GASSENDVS χαίρειν.

POSTVLAS à me FRANCISCE LVILLERI, Amicorum Suauiſſime, vt quando heic longiores moras, quàm fuerim pollicitus, traho, digeram, mittámque ad te, quos mihi eſſe de Epicuro commentarios perſpectum habes. Quippe licet paria audieris de cæteris Philoſophis, cùm ſermones aliàs de ipſis in ſeceſſu confereremus; meminiſſe me tamen iubes, vt te præcipuè affecerint, quæ præter tuam exſpectationem, de huius Viri continentia, diſciplináque ediſſerui. Scilicet Te candoris plenum, ac mirificè erga omneis bene merenteis animatum, ſtatim ac ille Tibi eſt viſus merito non ſuo fuiſſe diffamatus, mirè delectauit eximi eum poſſe ab iis, quibus eſt oppreſſus calumniis; poſſéque eius non modò vitam ab omni labe repurgari, ſed Philoſophiam quoque (expunctis, vt circa Ariſtoteleam, erroribus quibuſdam paucis) tum de Natura ſolertiſſimè, tum de Moribus ſapientiſſimè Dogmata tradentem oſtendi.

Inſinuas quoque bene multos, quibuſcum rem communicâris, tecum agere, vt à me, quod legere poſſint, obtineas; vnde & inſtas, vt ſaltem ea, quæ ſpectant ad Vitam, moréſque conſcribam; cætera enim, quæ ad Doctrinam, Placitáque attinent, longioris operæ cùm ſint, patientiùs deinceps exſpectatum iri. Itaque, cùm obtendere tenuitatis conſcientiam poſſem, excuſaréque, quicquid id eſt, non eſſe tanti, vt tanto tuo, eorúmque ardore debeat experi, ac repertum denique iri exſpectatione longè inferius: aggredior tamen, præferóque ineptus videri, quàm non obſequens; Tibi præſertim, cui nihil eſt, quod abs me negari aut poſſit, aut debeat. Etenim, Tu ſic amas me, vt pectore primùm effuſo, profuſus deinde ſis in cæteris; ac per te non ſtet, quin fortunis tuis omnibus ſic vtar, vt meis. Tu ſic agis mecum, vt cùm nihil ſit, quod non polliceri tibi de mea qualicumque induſtria poſſis; nihil tamen velis vnquam me, niſi reputes me currentem (quod dici ſolet) incitari, aut aliquid, quod ſit communium vtrique ſtudiorum depoſci. Videlicet hæc non poſtrema bonæ meæ ſortis pars eſt, quòd eaſdem mecum literas literatiſſimus ipſe ames; & huc-vſque ætatis florem, qui ab aliis ſeu ambitioni, ſeu auaritiæ, ſeu nequitiæ datur, gratum habueris ſacrare Muſis, impenderéque bonis Artibus. Ecquánam proinde ratione non ingratum tibi laborem refugiam, qui gratitudinem teſtaturus erga Virum mei amantiſſimum, agnoſcam eumdem munuſculi mei intelligentiſſimum futurum? Non pauca ſunt ſanè, quibus ipſemet pro rara illa linguæ Græcæ eruditione feceris lucem; vt proinde ſit, cur meum iſtud opus vel hoc nomine exiſtimes tuum, ac ipſo abundè vtaris, fruaris, & quibuſcum omnibus voles liberali illa communices manu. Neque verò ego is ſum, qui ægrè ducam, aut inuideam, ſi quicquid id ſit, alij nouerint; cùm ſit futurum etiam pergratum, ſi quàm-plurimis innoteſcat, non quid ego commentus fuerim, ſed qualem te Amicum habuerim; &, ſi fortaſſis cuipiam contingat, vt

bonæ frugis quid demetat, id non tam mihi, qui laborârim, quàm tibi, qui præſcripſeris operam, referat acceptum. Vt paucis vota complectar mea:

Virg. in Ciris.

Qualis Erechthæis Peplus portatur Athenis,
Debita cùm caſtæ ſoluuntur vota Mineruæ,
Tardáve confecto redeunt quinquennia luſtro:
Tali te vellem, Iuuenum doctiſſime, ritu
Purpureos inter Soleis, & candida Lunæ
Sidera cæruleis orbem pulſantia bigis,
Naturæ rerum magnis intexere chartis.
Æternum Sophiæ coniunctum carmine nomen
Noſtra tuum ſenibus loqueretur pagina ſæclis.

Cæterùm quoniam fieri poteſt, vt demirentur aliqui, me, Epicurum dum excuſo, tum niti aduerſus torrentem receptæ vulgò opinionis, tum ôpus moliri, quod videri noxium, tanquam & bonis moribus, & Religioni aduerſum poſſit: idcircò neceſſe eſt pauca de vtroqne hoc capite, iis quæ ſum deinceps dicturus, præmittam.

Ac circa prius quidem non video cauſam ſubeſſe, cur valde mouear, quòd vulgari ſententiæ repugnare exiſtimer; quando iampridem perſpectum eſt, quàm malus veritatis iudex cenſeri debeat multitudo. Pendere etenim res debet non profectò ex numero, aut claritate opinantium; ſed ex momentis teſtimoniorum, rationúmque ex quibus valeat (ſepoſitis vulgaribus præiudiciis) diiudicari. Sanè verò, ſi ita bene ageretur cum rebus humanis, vt ea, quæ optima ſunt, probarentur à plurimis, ipſe me quoque eò deuouerem, quò plurimi confluerent: ſed nempe præeuntium exemplo, potiuſquàm ratione maxima pars abripitur; & rariſſimi ſemper ſunt, qui pedem ſiſtant, vt expendant, an quò itur, pergendum ſit. Ac non contendo quidem propterea Epicurum aut nihil peccaſſe, aut vnum inueniſſe verum, vt eſt à quibuſdam illius Sectatoribus iactatum; innuo dumtaxat ipſum iniuriâ fabulam vulgò fieri, quòd Sectatores aliarum partium, vt olim inuidiâ, & authoritate, ita iam deſpectu, & multitudine illum obruant. Quid enim, ſi causâ pleniùs cognitâ, eâ fuiſſe probetur vitæ innocentiâ, puritate, auſteritate, quâ Philoſophorum alius nemo fuerit? ſi eâ ingenij perſpicaciâ, iudiciíque maturitate, quâ non facilè cæteris concedat? Sed nimirùm ita-ne ſit, nôn ex ipſa fronte iudicandum eſt, ſed penetrandum interiùs, vt vel ipſe Seneca monet. Nam aliæ quidem factiones ſunt, quæ Sectatorum vigent frequentia; cùm inſtitutum eius ſqualore præ ſolitudine obducatur: verùm non ideò minùs tentandum, an-non herbeſcens ſemita, potiusquàm lata, tritáque via ad Veritatem mortalibus tantoperè inuiam deducat; non minùs fodiendum, atque explorandum, an-non ex neglecto, & ſterili monte eruatur aurum, quicum non valeant occurrentes paſſim lapides conferri.

Addo, me eum ſanè non eſſe, quem hominum vulgariter ſentientium turbam commouere, & quaſi crabrones excitare iuuet; ſed eum eſſe nihilominus, quem humanitatis officia delectent; cùm non indignè ferre non poſſim opprimi à turba quem Virum eſſe reputem innocentem, & ſuaue habeam, ſi quas illi, tenueis licet, ſuppetias feram. Nam, ſi perſuaſus quidem forem fuiſſe Epicurum luxui deditum, ac ſeſe proluiſſe obſcœnis voluptatibus, vt Sardanapalum, Heliogabalum, ac ſimileis peſteis generis humani; tum ſanè diris eum deuouerem, ac faces, & ſaxa cum tota factione non poſtremus coniicerem: at dum mihi videor eum agnoſcere, quo temperantiùs vixerit nemo; piget, imò pudet omninò, dilacerari ipſum ab iis, qui ſimulantes Curios, viuunt interim Bacchanalia, & ab illius moderatione prolixiſſimis abſunt interuallis. Quinetiam, cùm in ipſa turba aliqui haud-dubiè ſint adeò ingenui, vt abrepti ſolo vulgaris perſuaſionis impetu, malè afficiantur, quòd exiſtiment virum perditum fuiſſe Epicurum, ſecus comparandi, ſi conſtiterit frugi adeò eum extitiſſe, vt non immeritò proponi in exemplum Virtutis poſſet; idcircò delectat me quoque vel in horum gratiam ea congerere, quibus, niſi prorsùs flectantur, ſaltem moueantur, vt eſſe ſibi aſſenſum continendum putent.

Hinc patet penè quid ſit dicendum de poſteriore capite. Quippe non poſſet me

me id quidem non grauiſſimè permouere; ſi nempe, cùm mihi nihil ſit antiquius, quàm vt pro virium modulo prodeſſe quam-plurimis velim, ex meis tamen conatulis quempiam aliquid detrimenti percepturum ſubodorarer. Attamen eſt, quod longè melius de meo affectu ominer, quàm vt tale quid extimeſcam. Nam quod ad bonos attinet mores, euincam facilè, opinor, id, quod inſinuatum mox eſt, Epicurum putà maximè & ſobrium, & continentem exſtitiſſe, ac Sectam nullam Philoſophorum illius Sectâ fuiſſe ſanctiorem: cùm circa id quidem quod de Voluptate potiſſimùm obiicitur, haud difficile declaratu ſit, quàm immeritò optima vt vita, ita & ſententia peſſimam ſubierit interpretationem. Id ſi minùs præſtitero, vt mihi nimium de me non ſpondeo, at dabo ſaltem operam, vt Virtus pretium ſemper obtineat, nullúmque voluptatis genus, niſi honeſtum defendatur. In id enim ſemper incumbam, vt innuam quid veriſimilius ex Epicuri mente appareat: ſi fortè verò id non ferendum, vel minùs probandum videatur; ipſe primus exauthorabo, & cenſurâ omnium ſeueriſſima, nigrum quaſi *theta* præfigam.

Quòd ad Dogmata verò Religionis, non ibo quidem inficias, quin, vt inſinuatum iam eſt, Placita Epicuri quædam è diametro cum illis ſtent, vt quæ ſunt præſertim circa Prouidentiam, Animorúmque immortalitatem. Sed primùm quis Philoſophorum poteſt hac labe eſſe immunis? Nihil de Platone, & cæteris dico; de vno Ariſtotele loquor, quem nemo neſcit exoſum fuiſſe priſcis Eccleſiæ Patribus, ob eoſdem, pluteiſque errores Quòd ſi non obſtant illi tamen, quò minùs libri Ariſtotelei etiam publicè prælegantur: quid eſt, cur non ſaltem priuatim hominum manibus terantur quæ ex Epicuro superſunt: licet aliquoties (quæ mentis humanæ extra Fidem Sacram vagantis imbecillitas, & caligo eſt) fuerit in eaſdem cum cæteris impietatis ſpecies prolapſus? Indignum profectò ob aliqua mala, tam multa bona expungere, ac roſetum exſcindere, quod ſpinas roſis intextas ferat. Sapientiùs illi Sanctorum Patrum, qui hac occaſione cenſuerunt id agendum, quod Deus olim circa mulierem captiuam iuſſit, quam habere quis in vxorem vellet: nimirùm, vt prauis opinionibus, quaſi capillis, vnguibus, captiuitatiſque veſtibus detractis, id, quod doctrinæ ſanioris eſt, vt non inuenuſtum corpus, retineatur. Deinde, ea mihi mens eſt, vt quoties non modò ad grauiora illa capita peruenero; ſed etiam quoties quidpiam occurret, quod videri poſſit vel quam minimùm Fidei Sacræ diſſentaneum, in Epicurum neruos contendam, ac eius ſententiam quam-maximo ſemper rationis vigore potero, conuellam. Nam licet confectâ vitæ Apologiâ, doctrinæ quoque explicationem aggreſſurus ſubinde ſim: non proptereà tamen illi nomen do, neque Placitorum ipſius vadem me, aut ſponſorem præſto. Quin-etiam, vt in aliis rebus rationem ſolam audio, neque, niſi illam admittat, magis me mouet Epicurus, quàm quivis alius Philoſophorum (& noſti certè, vt alioquin ex æquo affectus erga omneis ſim, omnibúſque honorem habeam, ac ſolùm veritatis ſtudio, exercendique animi gratiâ nunc in huius, nunc in illius cognoſcendis Placitis non-nihil ſtudioſiùs incumbam) ſic in Religione Maiores, hoc eſt Eccleſiam Catholicam, Apoſtolicam, & Romanam ſequor, cuius hactenus Decreta defendi, ac porrò defendam, nec me ab ea vllius vnquam docti, aut indocti ſeparabit oratio.

Iam, vt de Vita, Moribúſque Epicuri dicere incipiam; partiri poſſe rem totam videor in libros, libellóſve octo. Primus ſcilicet, ac ſecundus nudam continebunt hiſtoriam vitæ, mortíſque Epicuri: ac ſimul breuem nomenclaturam tum editorum ab eo librorum; tum familiarium, quibus conuixit; tum ſucceſſorum, quos habuit. Et quia deinceps de Moribus, circa quos infamia eſt illi quæſita, diſſerendum erit; Ideò adhibebitur tertius, qui occaſionem, authoréſque huiuſce infamiæ vniuersè aperiat. Quartus ſubinde impietatem ipſi circa mores obiectam depellet. Quintus obiectam malignitatem, ſextus obiectum gulæ vitium; ſeptimus obiectam Venerem; octauus tandem obiectum odium Liberalium Diſciplinarum. Etenim hæc ſunt capita præcipua totius, quæ in Epicurum inſtituitur, criminationis. Nihil interim neceſſe eſt Epicurum hunc, de quo agitur, à cæteris diſcernere, qui nomine eodem fuiſſe perhibentur. Nam Laërtius quidem treis aliosptætereà commemorat, Epicurum

Leontei, & Themiſtæ filium; Epicurum Magneſium: Epicurum ὁπλομάχον; quibus adiici poteſt alins Metrodori filius, de quo noſter in Teſtamento. Memorat etiam Thucydides Epicurum Pachetis patrem; & Plutarchus alium Demophili ſocium: ac rursùs Galenus alium, cuius Emplaſtrum viride multa promittens refert. Verùm nos heic de Epicuro Philoſopho illo ſatis cognito ſermonem inſtituimus. Habes ipſe iam penes Te duplicem illius effigiem; alteram ex gemma expreſſam, quam dum Louanio facerem iter, communicauit mecom vir ille eximius Erycius Puteanns, quámque etiam ſuis in Epiſtolis cum hoc Eulogio euulgauit: *Intuere, mi Amice, & in lineis iſtis ſpirantem adhuc mentem magni Viri. Epicurus eſt; ſic oculos, ſic ora ferebat: Intuere imaginem dignam iſtis lineis, iſtis manibus, & porrò oculis omnium.* Alteram ex ſtatua, quæ Romæ ad ingreſſum eſt interioris Palatij Ludouiſianorum Hortorum, quam ad me miſit Naudæus noſter, vſus operâ Henrici Hovvenij in eadem familia Cardinalitia Pictoris. Tu huc inſerito vtram voles; quando & non malè altera, vt vides, refert alteram: & memini vtramque congruere cum alia apud Virum Nobilem Gaſparem Monconiſium Lierguium, Proprætorem Lugdunenſem exſtante, necnon cum illa ex gypſo, quam Burdelotius noſter, (nunc Maſſenſis Abbas) nobis ex Suecia rediens nuper attulir, expreſſam ex ſtatua, in ampliſſimo Cimeliarchio Chriſtinæ Reginæ Sereniſſimæ aſſeruata (apertis niſi quòd labiis edentatus appareat) quæ penes eſt Illuſtrem Mon-morium Libellorum Supplicum Regium Magiſtrum.

Ipſe ſic de Viro ſcribere aggredior.

DE VITA, ET MORIBVS EPICVRI.

LIBER PRIMVS.

DE ORTV AC SERIE VITÆ EPICVRI.

CAPVT PRIMVM.

Epicuri Patria, Parentes, Fratres.

EPICVRVS patriâ Samius creditus nonnullis videtur. lib.10. Siquidem Timon apud Laërtium, vltimum dicit Phyſicorum, qui è Samo prodierint; & Conſtantinus Porphyrogenneta illum perinde, ac Pythagoram ex Samo oriundum facit. lib. 1. de themat. Verùm cauſa fuit, quòd pueritiam, primámque adoleſcentiam exegerit Sami cum patre, & fratribus; in eam ſcilicet pater eius agripeta venerat, vt Ciceronis verbis dicatur. l.1. de nat. Deor. lib.13. Parem ob cauſam apud Strabonem Lampſacenus habitus eſt; quippe Lampſaci commoratus, & familiaritate vſus Virorum ibi principum. Epicurus igitur patriâ Athenienſis fuit, vt Laërtius, Suidas, & alij innumeri ſcribunt. loc.cit. In voce Epicurus lib.6. Hinc Lucretius ipſius laudes proſequuturus, ſic exorditur:

Prima frugiferos fœtus mortalibus ægris
Dididerunt quondam præclaro nomine Athenæ,
Et recreauerunt vitam, legéſque rogârunt,
Et prima dederunt ſolatia dulcia vitæ,
Cum genuere Virum tali cum corde repertum,
Omnia veridico qui quondã ex ore profudit.

Cùm populus verè Athenienſis Tribubus diſtinctus, effuſus eſſet per τοὺς δήμους, ſeu affinia oppida, ex Theſeo vſque facta municipia; Epicurus natus eſt Gargetti, quod oppidum fuit, vt Phauorinus, & Heſychius habent, in Lexicis. ex Tribu Ægeide; vbi nimirùm Theſeus, ex Plutarcho, Pallantidas Ægeo, ſibíque inſidianteis oppreſſerat; & vbi Eurystheus, vt à Stephano narratur, fuerat conſepultus. in Theſeo. de vrb. loc. cit. l.1.& 2.Silu. l.15.ep.16. l.4.var. hiſt. Ea de cauſa δήμου Γαργήττιος à Laërtio dicitur, à Statio Gargetticus author, & ſenex Gargettius; à Cicerone, Æliano, & aliis, ſimplici adiuncto, Gargettius. lib.10.

Cæterùm ſcribit Laërtius, ex Metrodoro in libro *de Nobilitate*, Epicurum fuiſſe γένους τῶν Φιλαϊδῶν, *ex genere Philaïdarum*. Conſtat verò Philaïdas denominatos à Philæo, altero illo Aiacis filio, qui habitauit in Melite, & cuius meminit Plutarchus, adiiciens Piſiſtratum quoque ex Philaïdis exſtitiſſe. in Solone. Ex hoc itaque genere, Epicuri pater, apud Laërtium, & alios, fuit Neocles, mater verò Chæreſtrata. loc.cit. Et frequenter quidem citatur, Græcanico more, *Epicurus Neoclis*; interdum tamen Neoclides ſimpliciter appellatur; vt cùm à Menandro confertur cum Themiſtocle, in Anthol. l.3. cuius etiam patri fuit Neocles nomen. Prætereo Epicuri patrem fuiſſe ex Strabone, lib.14. vnum ex duobus ciuium millibus, quos Athenienſes κληρούχους in Samum miſerunt, cùm iam antè Pericle, & Sophocle miſſis, rebellanteis Samios obſidione graui afflixiſſent. Omitto fuiſſe & Ludi-magiſtrum, quod præter Strabonem notat Cicero, dum ſuggillare quaſi pergens: *Sed cùm agellus*, inquit, *eum non ſatis aleret, vt opinor, Ludi-magiſter fuit*. l.1.de nat. Deor.

Fratres Epicuri duos ſolùm Suidas memorat, Neoclem, & Chæredemum: at Laërtius tertium addit ex Philodemo Epicureo, In voc. *Epicur.* loc. cit. Ariſtobulum ſcilicet, quem Plutarchus videtur interdum nominare Agathobulum. l.2.adu.Col. Quâ curâ, ac beneuolentiâ Epicurus fuerit ipſorum reuerentiam ſimul, & affectum promeritus, declarat eximiè Plutarchus, dum ſtupore dignum iudicat, quomodo ille ſic animârit, iſti affecti ſic fuerint. lib.de amor. frat. Hos omneis ante Epicurum diem obiiſſe vel ex ipſius Teſtamento intelligi licet; cùm neque illis, neque de illis, vt viuentibus, quicquam mandet; ſed celebrari ſolùm præcipiat fratrum diem menſe Poſidæone. Et quamuis de Chæredemo nihil certius conſtet, de Ariſtobulo tamen liquet clariùs, ex eo, quod Plutarchus ſcribit Epicurum totum fuiſſe in Metrodoro, l.2.adu.Col.

crodoro, Polyæno, & Ariſtobulo tum ægrotantibus curandis, tum deflendis mortuis. De [ibid.] Neocle autem apertiſſimè ex eodem Plutarcho, dum memorat Epicurum voluptate quadam lacrymis permiſtâ diffuſum, ex recordatione verborum extremorum Neoclis. Vt illi grauibus morbis adflicti interierint, à [ibid.] Plutarcho, & Suidâ ſatis, ſupérque exag- [loc.cit.] geratur.

CAPVT II.

Tempus Natale.

NATVS eſt autem Epicurus, referente [lib.10.] Laërtio, ex Apolloduro in Chronicis, Olympiadis CIX. anno III. ſeptima die menſis Gamelionis; quo quidem natali, ex Pli- [l.35.c.1.] nio, fuit Luna XX. Porrò, cùm Hecatombæon (primus nempe menſis) huius anni, incidat in Æſtatem anni periodi Iulianæ, quâ iam Chronographi vtuntur, MMMM, CCC, LXXII. conſtat Gamelionem eiuſdem ab Hecatombæone ſeptimum, incidere in principium anni MMMM, CCC, LXXIII. qui inluit ante vulgarem Chriſti Epocheo annis completis CCCXLI. Quoniam verò Ianuario menſe, in quem principium Gamelionis cadere deprehenditur, Nouilunium contigit in Horizonte Attico, ex Tabulis cæleſtium motuum, die IV. manè, (ſeu, ſi mavis die III. [lib.de dinat.] iuxta Atticos, qui ex Cenſorino, ſupputabant dies ab occaſu in occaſum) ideò, cùm Luna XX. coïncidat diei Ianuarij XXIII. ſequetur Epicurum natum die Ianuarij XXIII. nempe, ſi ponè Cæſaris tempus eandem anni formam eſſe productam ſnoxerimus. Atque id quidem vetere ſtylo, iuxta quem etiam fuit eo anno cyclus Solis V. ſeu literarum Biſſextilis anni Dominicalium B, A, vnde & dies Ianuarij vigeſimus tertius eſſe debuit dies Solis, ſeu Dominicus. At ſi ad ſtylum Gregorianum decem diebus maturiorem (quòd is nobis iam vſui ſit) componamus negotium, colligemus Epicurum natum die Februarij ſecunda, exſiſtente Dominicâ (literæ nempe Dominicales fuiſſe debere intelliguntur E, D,) anno ante Chriſtum, ſeu Æram Chriſtianam CCCXLI. ac proinde ante huius à Chriſto anni M. DC. XXXIV. Februarium ineuntem, anno completo M. DCCCC. LXXIV. Prætereunda heic aliqua non ſunt,

[lib.10.] Primò, obſeruare Laërtium quo anno natus eſt Epicurus, Archontem fuiſſe Soſigenem, húncque ipſum annum fuiſſe ſeptimum à morte Platonis. Adde & fuiſſe decimum ſextum Alexandri Macedonis; fuit enim ex [lib.5.] eodem Laërtio proximus ab eo, quo Ariſtoteles euocatus eſt ad ipſum natum iam annos quindecim.

[in Chron.] Secundò, excuſari vix poſſe erroris Euſebium, quòd florentem Epicurum faciat Olympiade CXII. quippe eo tempore Epicurus vix pueritiam exegerat, ſolúmque florere in Lyceo Ariſtoteles incipiebat, reuerſus pu- [loc.cit.] tà ex Macedoniâ Olympiade præcedente, vti apud Laërtium eſt.

Tertiò, ferendum non eſſe mendum, quod irrepſit in Suidam, impoſuítque interpreti [in voc. Epic.] eius, dum Epicurum natum facit Olympiade LXXIX. Nihil attinet memorare quantum hoc repugnet non cæteris modò hiſtoriis, verùm iis etiam, quæ apud Suidam ſequuntur, vt dum Epicuri ætatem productam facit ad tempora vſque Antigoni Gonatæ. Obſeruo ſolùm, cùm pro numero Olympiadum Suidas videatur haud-dubiè poſuiſſe ρθ, quibus notis deſignaretur Olympias CIX. facilè obliteratam in Exemplaribus caudam τῦ ρ, vt remaneret, quaſi ο, ſicque ex οθ, ſignificaretur Olympias LXXIX.

Quartò, nihil eſſe morandum, quòd Chronicon Alexandrinum, Georgius Sincellus & alij, platicè nimis de tempore, quo Epicurus floruerit, loquantur, ac nihil curandas Virorum quorumdam alioquin celebrium hallucinationes, dum Ariſtippum Epicuro poſteriorem faciunt, & quædam ſimilia. Notandum ſolùm quod B. Hieronymus refert [de vi. Cler.] ex Cicerone pro Gallio: memoratur enim Poëta, Epicurum, & Socratem colloquenteis faciens, *quorum ætates*, inquit Cicero, *non annis, ſed ſæculis ſcimus eſſe diſtinctas.*

Quintò, Epicuri natalem ex Laërtio, Pliníoque deſumptum argumento eſſe videri, quòd alia menſium Ciuilium, alia Lunarium principia apud Atticos olim fuerint. Mirum profectò eſſe videatur, niſi quis putet colligi poſſe cœpiſſe menſem Gamelionem ab ipſo duntaxat antecedente Plenilunio: cùm ſi diem Lunæ XIV. primam diem menſis numeraueris, efficiatur, vt XX. Luna ſeptimæ menſis coïncidat. Vt taceam quòd Epicurus viſus ſit Teſtamento ſuo conſtituere celebrandum natalem ſuum in Decade prima dierum menſis Gamelionis, quòd ipſorum nempe vno natus eſſet; ac deinceps etiam aliquid ſpecialius de XX. Luna ordinarit, quòd & ipſa natalis fuiſſet, vt referemus poſteà. Niſi fortè audiendum putes Anonymum illum, qui Epicurum natum ſcribit Gamelionis εἰκάδι, ſeu die XX. ſed neſcio an authoritate præponderare Laërtio debeat. In illo certè plurimos errores, eóſque grauiſſimos vel vnus Meurſius animaduertit. Vt omittam Gamelionis εἰκάδα poſſe fortaſſis intelligi de Luna XX. intra Gamelionem menſem incidente, ex Cicerone infrà citando: tametſi iſta obiter.

CAPVT III.

Vbi Pueritiam, Adoleſcentiam, Iuuentutem exegerit.

IAM Laërtius ex Heraclide in Sotionis [lib.10.] Epitome, refert Coloniâ ab Athenienſibus in Samum deductâ, Epicurum ibi nutritum ad annum vſque ætatis XVIII. quo Athenas venit, Xenocrate in Academia, Ariſtotele verò in Chalcide commorantibus. Addit Strabo partim Sami, partim Tei edu- [lib.14.] catum pubertatem egiſſe Athenis, cùm Menander

loc. cit. nander Comicus vnà adoleſceret. Pergit Laërtius mortuo Alexandro Macedone, & afflictis ſub Perdicca Athenienſium rebus, Colophonem ad patrem tranſiiſſe, anno videlicet ætatis circiter XXII. Scribi aliquandiu ibi commoratum, & ſubiungit poſteà ex Apollodoro ab anno ætatis circiter XXXII. ad annum vſque XXXVII. vixiſſe partim Mitylenæ, partim Lampſaci (quò aliquando cùm pergeret, non ſine diſcrimine nauigauit, vt

l. 2. adu. Col. apud Plutarchum obſeruatum eſt.) Definit

in Epic. Suidas quantum temporis vtrobique manſerit, annum putà vnum Mitylenæ, quatuor Lampſaci. Subdit Laërtius rediiſſe Athenas Archonte Anaxicrate. Quia verò Anaxicrates (ſucceſſor ſcilicet Charini, ſub quo Se-

Epiſt. 18. neca obſeruauit datas ad Polyænum ab Epicuro literas) præfuit Olympiadis CXVIII. anno II. ac proinde Epicuri nouniſi XXXVI. neceſſe eſt metachroniſmũ vnius anni heic fieri.

Huc-vſque porrò eſt locorum, temporúmque ſeries, quibus Epicurus pueritiam, adoleſcentiam, ac iuuentutem exegit, partim addiſcens, partim docens, priuſquàm pede Athenis fixo ſuam Sectam inſtitueret.

CAPVT IV.

Quos Præceptores audierit.

VT aliquid verò dicamus de Magiſtris,

lib. 10. quos habuit; legimus ecce apud Laërtium traditum ab aliquibus Epicurum auditorem fuiſſe Pamphili Platonici; quod Sui-

in Epic. lib. 1. de nat. deor. das quoque aſſeuerat. Cicero etiam memorat Epicurum ipſum referentem illum à ſe Sami auditum, quamuis doctrinam ipſius mirificè contemneret. Idem iidem: ac prætereà

lib. 1. Strom. loc. cit. Clemẽs Alexandrinus, & alij tradũt de Nauſiphane Pythagoreo Pyrrhonis auditore; quanquam Sextus Empiricus ſcribit inficiari

lib. 1. adu. Math. ipſum, quòd Nauſiphanis diſcipulus extiterit. Quin Apollodorus in Chronicis tradidit quidem Epicurum audiuiſſe Lyſiphanem, &

loc. cit. Praxiphanem; verùm *hoc*, inquit Laërtius, *non aſſerit ipſe in ſua ad Eurydicum epiſtola.* Xenocratem quidem audire potuit, & *ſunt*,

l. 1. de nat. Deor. inquit Cicero, *qui putent audiuiſſe*, (vt Demetrius Magneſius apud Laërtium) *ipſe Epicurus non vult.* Dicerem de Democrate, cum quo Plutarchus Epicurum contendiſſe no-

l. 2. adu. Col. tat *περὶ συλλαβῶν, ἢ κεραιῶν, de ſyllabis, & apicibus*; niſi ſuſpicarer mendosè Democratem legi pro Democrito, vel ex eo, quòd ſubiicit Plutarchus Epicuri decreta omnia fuiſſe ab illo ſuffuratum; quæ eſt circa Democritum celebris facta obiectio, vt infrà memorabitur. Dicerem & de Metrodoro, quem

Iſag. in Arat. phæn. cap. 5. Ecl. phyſ. cap. 1. Achilles Tatius *διδάσκαλον Magiſtrum*, Stobæus *καθηγητὴν*, Interpres *doctorem* Epicuri vocat; ſuſpicatúrque illum eſſe poſſe, quem Diogeni Cynico Solinus facit contemporaneum; niſi opinio illi attributa de Mundorum infinitate, déque Atomis, argueret Metrodorum Chium Democriti diſcipulum, quem Epicurus non voce *doctorem*, ſed ſcripto *doctorem* habere potuerit.

Quo modo etiã accipiendum, quod Lucianus iocatur fuiſſe Epicurũ Democriti diſcipulum, dum diſcipulum etiã facit Ariſtippi, ob opinionem de Voluptate. quam tamen fuiſſe longè diuerſam vtrique probatam, ſuo loco conſtabit. Vtcumque ſe res habeat, ex iis, quæ deducta ſunt, Cicero, Plutarchus, Empiri- locis citatis.

cus, alij, ſcribunt Epicurum ſolitum gloriari, quòd Magiſtrum habuerit nullum, ſed *αὐτοδίδακτος* exſiſtens, ſuopte ingenio, ac induſtriâ Philoſophus euaſerit. Etſi verò illi videantur non ſine probro id memorare, facilè tamen concedi debet illum marte ſuo adinueniſſe plurima; cùm & hæc ipſa illi fuerit extrema conſolatio, & tot libros conſcripſerit propriis ſolùm dictis refertos, vt referemus paulò pòſt. Certè Athenæus egre- apud Laert. lib. 10.

giam illius ſententiam Epigrammate complexus, ſic concludit, quaſi Epicurus, non aliunde edoctus illam, quàm à Muſis, aut Apolline fuerit. Quo etiam Lucretianæ illæ commendationes faciunt:

Pectore parta ſuo, quæſitáque præmia liquit.

Et, *Virtutem irritat animi, confringere vt arcta*

Naturæ primus portarum clauſtra cupiret,

& conſimiles alias referendæ. Hîc noto, ſi quis requiſierit quemnam ſaltem ex antiquis Epicurus magni fecerit, reſpondere Laër- loc. cit.

tium, illum, Diocle authore, fuiſſe maximè amplexatum Anaxagoram (etſi in aliquibus illi contradixerit,) atque etiam Archelaum, qui fuerat Socratis Magiſter. Dicetur poſteà de Democrito: adiicio ſolùm Epicurum cùm admiraretur Pyrrhonis conſuetudinem, quæſiuiſſe de illo aſſiduè ex ipſius auditore Nau- lib. 9.

ſiphane, vt Laërtius habet in Pyrrhonis vita.

CAPVT V.

Quando, & quâ occaſione ad Philoſophiam ſe contulerit, Sectámque inſtituerit.

SCRIPTVM porrò Suidas reliquit cœpiſſe illum Philoſophiæ dare operam in Epic. lib. 10.

anno ætatis XII. Idem etiam alij, referente Laërtio, ſcripſerunt, dum vitam eius ſcribe- ibid.

rent. Verùm ipſemet Epicurus apud eundem Laërtium teſtis eſt, non attigiſſe ſe Philoſophiam, niſi anno XIV. *ἐπιβαλέσθαι τε φιλοσοφίας ἔτη γεγονὼς τέτταρα καὶ δέκα.* Tradidit verò Hermippus, ex eodem Laërtio, illum, cùm ibid.

fortè incidiſſet in libros Democriti, ad Philoſophiam ſe applicuiſſe. Sed & ſcribit Laërtius ex Apollodoro Epicureo in primo de vita Epicuri, ad Philoſophiam illum acceſſiſſe, Sophiſtas damnantem, & Grammaticos, poſtquàm ipſi non poterant quid apud Heſiodum *Chaos* dicerent, interpretari. Verùm, quia Sextus Empiricus hanc occaſionem l. 2. adu. phyſ.

philoſophandi luculentiùs ediſſerit, non pigebit ipſius verba in hunc locum tranſcribere. itaque, poſtquàm propoſuit difficultatem circa illa Heſiodi carmina,

Ητοι

Ἤτοι μὲν πρώτιστα Χάος γένετ' αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ' εὐρύστερνος πάντων ἕδος, &c.
Exortum primùm Chaos eſt, dein pectore lata
Tellus, cunctorum ſedes,

ſubiicit: *Et hanc nonnulli cauſam fuiſſe Epicuro dicunt ſubitanei ad philoſophandum inſtinctus. Prorſus enim adoleſcentulus cùm eſſet, rogauit Grammaticum, illud ſibi prælegentem, Exortum primùm Chaos eſt, ἐκ τίνος τὸ Χάος ἐγένετο, εἴπερ πρῶτον ἐγένετο; Ex quonam Chaos exortum eſſet, ſiquidem primum exortum erat? Dicente illo, talia docere, non eſſe ſui muneris, ſed illorum eſſe, qui vocarentur Philoſophi, τοίνυν, ἔφησεν ὁ Ἐπίκουρος, ἐπ' ἐκείνους μοι βαδιστέον, εἴπερ αὐτοὶ τὴν τῶν ὄντων ἀλήθειαν ἴσασιν, Igitur, inquit Epicurus, ad illos mihi accedendum eſt, quando ipſi ſunt, qui rerum veritatem perſpectam habent.* Simile quidpiam narrat Agellius ſibi contigiſſe, dum rogatus Grammaticus quid verba hæc Enniana eſſent, Ex SVRA MANV CONSERTVM? *Aut erras, inquit, adoleſcens, aut ludis. Rem enim doceo Grammaticam, non Ius reſpondeo.* Sed ad Epicurum. Omitto hoc primùm, quod nonnulli dicunt, fuiſſe illum *Ludi-magiſtrum*, γραμματοδιδάσκαλον, & priuſquam quidem ſe ad Philoſophiam conferret, ex Hermippo apud Laërtium. Prætereo etiam quòd infeſti erga illum Stoici, apud eundem, ipſi exprobrârunt exiguâ quadam, & inuidioſâ mercede literas cum patre docuiſſe, cum matre verò καθαρμούς, *preculas luſtraleis* legiſſe, circumeundo ædiculas. Hoc obſeruo: poſtquàm Philoſophiam attigit, cœpiſſe illum Scholæ præeſſe annos natum XXXII. vt Laërtius memorat; Idque primùm Mitylenæ, ac deinde Lampſaci: vt vel ex iis, quæ ſunt ex Suida relata, intelligitur. Quanquam ex Colophone vſque diſcipulos coëgerat, vt idem quoque Laërtius habet.

lib. 20. cap 9. loc cit. ibid. Ibid. Ibid.

Verùm poſtquàm eſt Athenas reuerſus anno ſeu XXXVI. ſeu XXXVII. primùm quidem *ad aliquod tempus in congreſſu cum cæteris*, inquit Laërtius, *eſt philoſophatus; at priuatim deinde Sectam à ſe vocatam conſtituit:* Videlicet Democriti admiratus primùm doctrinam, Democriteum ſe profeſſus eſt, quemadmodum Plutarchus refert: Quia verò plurima deinceps vel immutauit, vel de ſuo adiecit, idcircò is fuit, à quo Sectatores *Epicurei* nominarentur.

lib. 10. l. 1. adu. Col.

Quædam heic dicenda de Secta hac forent; vt ſcilicet propago fuerit appellatæ Italicæ, quæ à Pythagora originem ducens, per Xenophanem, ac Parmenidem, ad Zenonem peruenerit Eleaticæ Sectæ authorem, ac deinceps per Leucippum, & Democritum, interceptóſque alios (etiam Pyrrhonem Scepticæ authorem) ad Epicurum fuerit deducta: Vt item varia Placita, quibus à Sectis cæteris diſcerneretur habuerit, ac fusè adeò diſſeruerit de rebus attinentibus ad omneis Philoſophiæ parteis: Verùm quia res ad Philoſophiam, ipsámque adeò doctrinam ſpectat, ideò prænettenda hoc loco non eſt.

CAPVT VI.

Vbi Scholam habuerit.

CÆTERVM cùm alij principes Sectarum quædam Athenis loca delegiſſent, vt Academiam, Lyceum, & alia; coëmit ipſe Hortum peramœnum, comparauitque pretio minarum LXXX. (ſeu aureorum Solatorum, quingentorum ſeptuaginta trium, quales nobis vſui ſunt) ibique cum ſuis familiaribus, diſcipuliſque, & vixit, & philoſophatus eſt. Ita Laërtius, præ cæteris, ex citato Apollodoro. Scribit autem Plinius *Epicurum primum hoc inſtituiſſe Athenis, agrorum, villarúmque delicias, nomine Hortorum in ipſa vrbe poſſidere; cùm vſque ad eum mos non fuiſſet in oppidis habitari rura.* Ex quo fit anſa ſuſpicandi hunc locum fuiſſe τὸ χωρίον *eam regiunculam*, quam Pauſanias adhuc temporibus ſuis appellatam memorat *Hortos*; adiiciens in ea exſtitiſſe ſtatuam Veneris, Alcamenis opus, inter cætera, quæ Athenis celebrarentur, ſpectatu dignum (quod vel ex Luciano colligere licet) ipsíque adiacuiſſe templum Veneris, cum ſtatua Veneris cæleſtis. Taceo exinde Hortum perſæpe multitudinis numero efferri; vt videre licat apud Ciceronem, Iuuenalem, & alios. Interdum verò etiam cum diminutione, vt cùm à Virgilio appellatur *Hortulus.* Quomodocumque autem vſurpetur, accipi ſolet pro ipſa Secta, ſeu Doctrina, quæ ab Epicuro, Sectatoribúſque in illo tradita eſt. Vnde & Epicurei dicuntur eſſe, exempli gratiâ, ab Empirico, οἱ ἀπὸ τῶν κήπων, *ex Hortis Philoſophi:* (ſicuti οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς intelliguntur Stoïci) & nominatim Apollodorus, quòd *princeps Hortorum* ſuo tempore haberetur, κηποτύραννος dictus eſt, vt à Laërtio perhibetur. Obſerua obiter emendari hinc poſſe diſtichon illud Petroniani Epigrammatis vltimum, quod ex antiqua editione in hunc modum legitur,

loc. cit. lib. 19 c 4. lib. 1. ſeu in Attic. in imag. l. 2. ad Att. ep 24. Sat. 14.

Ipſe pater veri doctus Epicurus in arte
Iuſſit, & hoc vitam dixit habere τέλος.

Id ſic eruditos exercet, vt alij legendum cenſeant, *doctus Epicurus in arce*, alij *doctrina Epicurus in arce*: alij, *doctus Epicurus amare*; alij, *doctos Epicurus amare iuſſit, & hanc vitam dixit habere Deos.* Enimverò, quod ſpectat quidem ad carmen Pentametrum, nihil immutandum videtur; cùm celebre ſit Epicuri Dogma τὴν ἡδονὴν τὸ τέλος τοῦ μακαρίως ζῆν, *Eſſe voluptatem beatæ vitæ finem*; & dici aliunde non poſſit, quis vnquam, etiam obtrectatorum Epicuro tribuerit, vt exiſtimârit eſſe apud Deos illam ſeu vitam, ſeu voluptatem, qua de illeic agitur. Quod attinet verò ad Hexametrum, planum videtur ſic legere,

Ipſe pater veri doctis Epicurus in Hortis,

quippe immutatio non magna, *doctis* pro *doctus*; *hortis* pro *arte*; & res aliunde non modò quadrat cum eo, quod in Hortis Epicurus docuit; ſed etiam penè indicatur illo Propertij Diſticho,

Illeic aut ſtudiis animum emendare Platonis
Incipiam; Elig. 21. ad Cinth.

Incipiam; aut Hortis, docte Epicure tuis. quippe *doctis hortis* pro *docto Epicuro* Metonimicȏs, appellatis; eo modo, quo idem Propertius Elegiam ſic inchoat,

Magnum iter ad doctas proficiſci cogor Athenas.

Præter porrò Hortum, Hortóſve, qui cum adiunctis ædibus ciuitati adiacebant, fuit Epicuro domus, ad quam aliquando cum diſcipulis, amicíſque diuerteret, ſita in Melite; quod oppidum fuit Cecropiæ Tribus ex Suida; in Lexic. inhabitatum à Philæo, maiorum Epicuri vno, vt ſuprà memorauimus, habénſque celeberrimum, ex Phauorino, in Lex. lib. de vrb. Herculis templum. (Stephanus certè vt Inſulam, ſic aliam ab hac intellexiſſe vrbem videtur, cùm & Tribus Oeneidis, & Carthaginienſium Coloniam deſcripſit.) In hanc Epicurus interdum cum diſcipulis ſecedebat; ipsámque deinde, teſtamento ſuo reliquit Sectatoribus, vt recitabimus poſteà.

Heic aduerte locum illum epiſtolæ XIX. libri V. ad Atticum, qui hactenus torſit erudita ingenia, non incommodè explicari. Locus ſic vulgò legitur: *Etiam, atque etiam vale, De Patrone, & tuis condiſcipulis, quæ de Tarentinis in militia laboraui, ea tibi grata eſſe gaudeo.* Vtcumque verò aliqui legant, *vale dic Patroni, &c.* nemo tamen dicere poteſt qui ſint illi *Tarentini*, quæ illa *militia*, quid illud quod Cicero *laborauit*: ſiue egit. Itaque nobis videtur non *in militia* legendum, ſed *in Melite*, & pro *Tarentinis* reponendam vocem *Parietinis*, cuius Cicero aliàs meminit; ſícque ſenſum planum futurum. Sciendum nimirum ædeis illas, quas in Melite Epicurus habuit, parietinas iam fuiſſe factas Ciceronis temporibus. Cùm verò illas C. Memmius exædificandas decreto Areopagi obtinuiſſet, Patro, alíſque Epicurei id ægrè ferentes, popoſcere ex Cicerone literas ad Memmium, quibus illum hortaretur, vt à cœpto deſiſteret. Cicero ergo ad Memmium ſcripſit, illúmque enixè rogauit, vt vel ipſius Attici causâ, parietinas illas Patroni, cęteríſque concederet. Exſtat hac de re Epiſtola prima libro familiarium XIII. eiúſque exemplum ad Atticum miſſum conſtat ex Epiſtola XI. libri ad Atticum V. cùm autem & res ſucceſſiſſet, & Atticus id gratum habuiſſet (nempe & ipſe Epicureus, adeò vt Patro, alíſque haberentur eius condiſcipuli) tum ſequente epiſtolâ XIX. Cicero poſtquam vale dixit, quaſi poſtſcripto, appoſuit: *De Patrone, & tuis condiſcipulis* (ſupple, quod reſtabat dicendum, ſeu quod oblitus fueram:) *quæ de Parietinis in Melite* (nimirū ſitis) *laboraui, ea tibi grata eſſe gaudeo.*

CAPVT VII.

Vt Amicis, & illis quidem quàm numeroſis conuixerit.

AD Epicurum ipſum vt redeam, is, ex quo Athenas rediit, Archonte Anaxicrate, ſolùm bis, aut ter in Ioniam ad inuiſendum Amicos excurrit; ac reliquam porrò ætatem, eámque cælibem exegit Athenis; neque patriam vnquam deſerere voluit, quantumvis ea temporibus difficillimis vrgeretur, vti à Laërtio adnotatum eſt. lib. 10. Difficillima autem illa tempora videntur potiſſimum fuiſſe, quibus Demetrius obſedit Athenas, in Dem. circa annum Epicuri XLIV. quanta tum fames ciuitatem oppreſſerit, deſcribit Plutarchus. Memoriâ verò dignum eſt, quòd enarratâ digladiatione circa præoccupandum murem, qui fuerat mortuus è tecto delapſus, inter patrem quendam, & ipſius filium, ſubdit: *Ferunt etiam Epicurum Philoſophum familiareis ſuos ſuſtentaſſe, partitum cum ipſis ad numerum fabas.* Viſit itaque Epicurus reliquo tempore Athenis in tot amicorum, diſcipulorúmque conſuetudine, & inſtitutione, vt ciuitates integræ iis capiendis impares eſſent: quæ ſunt verba Laërtij. loc. cit. Scilicet non ex Græcia modò, ſed vndique, vt ille habet ex Apollodoro, ad illum confluebant, ſimúlque cum illo in Horto viuebant. Intellige verò præſertim ex Aſia, ac nominatim Lampſaco, atque etiam ex Ægypto, vt vel ex vno Plutarchi loco facile eſt colligere. de occ. viu. De victus continentia, frugalitatéque inferiùs dicendum. De conuictu cum amicis notari id poteſt, quod ex Diocle apud Laërtium, alíiſque intelligitur; Epicurum nempe, non vt Pythagorani amicorum omnia communia dicentem, bona in commune conferri voluiſſe; quippe id eſſe diffidentium, atque idcirco non amicorum; ſed ab vnoquoque, ſi quid opus foret, hilariter ſuppeditari. Innoteſcet res ex infrà dicendis. Reticendus heic interim non eſt egregius Ciceronis locus: lib. 2. de fin. *Neque verò*, inquit, *Epicurus amicitias oratione ſolùm, ſed multò magis vitâ, & factis, & moribus comprobauit. Quod quàm magnum ſit, ficta veterum fabula declarant; in quibus tā multis tamque variis ab vltima antiquitate repetitis, tria vix amicorū paria reperiuntur, vt ad Oreſtem perueniās, profectus à Theſeo. At verò Epicurus vnâ in domo, & eâ quidem anguſtâ, quàm magnos, quantáque amoris conſpiratione conſentienteis tenuit amicorum greges? quod fit etiamnunc ab Epicureis.* Hæc Cicero. Addo cùm inter varios amicos Polyſtratus etiam à Laërtio commemoretur, loc. cit. atque is ille eſſe videatur, de quo Valerius Maximus, ſimúlque de Hippoclide altero Epicureo, mirabile aliquid narrat, idcircò verba Valerij meritò heic attextum iri; ac præſertim cùm exinde illuſtrari valeat, quod referetur poſteà ex Epicuri teſtamento, de communicatis Sectatorum bonis. Ea ſunt: lib. 5. cap. 8. *Hoc loco aptè referantur Polyſtratus, & Hippoclides Philoſophi, eodem die nati, eiuſdem præceptoris Epicuri Sectam ſecuti, patrimonij etiam poſſidendi, alendaque Schola communione coniuncti, eodémque momento temporis vltimâ ſenectute exſtincti. Tam æqualem fortunæ pariter, atque amicitiæ ſocietatem, quis non ipſius cæleſtis Concordiæ ſinu genitam, nutritam, atque finitam putet?* Sic ille.

CAPVT VIII.

Qui præcipui illi amici, ſiue familiares, diſcipulique exſtiterint.

VERVM vt elenchum heic interſeramus eorum, qui præcipui illius amici, ſiue familiares, diſcipolique ſunt habiti, prætermittere in primis non decet treis illos Epicuri fratres, quorum initio meminimus, Neoclem, Chætedemum, & Ariſtobulum. Illi nempe, eius hortatu, philoſophati cum ipſo ſunt, ex Philodemo apud Laërtium. Addit
lib. 10. Plutarchus arreptam ab ipſis, vt à Numine percitis, συνενθουσιῶντες, fratris Philoſophiam, cùm videlicet à teneris annis perſuaſum haberent, ac profiterentur exſtitiſſe neminem
lib. de amor. frat. Epicuro ſapientiórem. Celebertimus porrò trium fuit Neocles. Is, cùm à puero prædicaret fratrem ſuum mortalium ſapientiſſimum, adüciebat, quaſi rem miram, matrem ſuam tot, tantáſque continuiſſe Atomos, ex quarum congreſſu ſapiens gigneretut, vt apud
l. 2. adu. Col. eundem Plutarchum eſt. Heinc, quia Neocles non ſuam, ſed fratris Philoſophiam amplexatus eſt, neſcio quotsùm aliqui dicant Se-
vt Genebr. lib. 2. chronol. ctam fraternæ ſimilem, fuiſſe à Neocle introductam. Niſi fortè nixi videntur loco illo
in Epic. Suidæ, quo dicitur Neocles ſcripſiſſe de ſua Secta: quis tamen non videat intelligi poſſe ſcripſiſſe illum de Secta, quam profiteretut, etſi inductam ab alio; & maximè cùm de hac Néoclidarum Secta altum vbique ſilentium.

lib. de eo. Nota obiter dictum illud λάθε βιώσας, *delitesce viuens*, ſeu *occultus viue*, quod à Plutarcho impugnatur, éſtque relatum inter Adagia, iſtius eſſe Neoclis, vti Suidas citatus docet.
Eraſm. Chil. 2. Cent. 10. in Neoc.

Tribus fratribus ſubiiciendi ſunt tres ij familiares quos ex Epicuri contubernio ma-
Epiſt. 6. gnos viros prodiiſſe apud Senecam legitur.

Metrodorus primus occcurrit, ipſe enim penè alter Epicurus fuit, vt Cicero loquitor.
lib. 2. de fin. Lampſacenus autem is fuit, vt Strabo apertè
lib. 13. declarat. Etſi enim Laërtius videatur Athenienſem dicere, locus eſt tamen valde mendoſus, cùm præſertim conſtet Atheoienſem
loc. cit. non fuiſſe ex illa Ciceronis antitheſi: *Quí beatior Epicurus, quòd in patria, quàm quod Athenis Metrodorus?* Quia ſcilicet non erant
lib. 10. Athenæ Metrodori patria. Laërtij locus ita habet: Μαθητὰς δ' ἔσχε (ὁ Ἐπίκουρος) πολλοὺς μὲν, σφόδρα δ' ἐλλογίμους Μητρόδωρον Ἀθηναῖον, καὶ Τιμοκράτην, καὶ Σάνδην Λαμψακηνὸν, ὃς ἀφ' οὗ τὸν ἄνδρα ἔγνω, οὐκ ἀπέστη ἀπ' αὐτοῦ, &c. id eſt; *Diſcipulos multos ille quidem, admodum verò illuſtreis habuit Metrodorum* Ἀθηναῖον, *& Timocratem, & Sanden Lampſacenum, qui ex quo agnouit virum, ab eo non diſceſſit,* &c. Crediderim, quod me attinet voces illas, Ἀθηναῖον, καὶ Τιμοκράτην, καὶ Σάνδην, expungendas ab eo loco eſſe. Quippe eas ſi detraxeris, reliqua optimè cohærent; ſi admiſeris, protsùs diſſonant. Metrodorus ſcilicet fuit, quem verè dicas Λαμψακηνὸν, & cui illa omnia, quæ ſequuntur, conueniant, non verò Sandes, cuius falſum eſt (præter cætera) Epicurum in teſtamento, de quo poſtea, meminiſſe. Et quamvis Caſaubonus putet Ἀθηναῖον eſſe poſſe nomen viri proprium; mirum tamen, quomodo nuſquam aliàs tam de Athenæo, quàm de Sande, vt Epicureis aliquid audiatur, cùm heic tamen Laërtius recenſeat ἐλλογίμους μαθητὰς. His certè detractis tres iidem, putà Metrodorus, Polyænus, Hermacbus continua ſerie deſcribuntur, quos Senecam, vt ἐλλογίμους coniunxiſſe iam diximos. Quod ſpectat ad Timocratem, ille obiter, cùm de Metrodoro, vt illius fraret poſteà memoratur, ac videtur proinde eo loci præter rem interpoſitus. Quomodo autem voces illæ in textum irrepſerint, cauſam ſuſpicor, quòd fortaſſis Librarius quiſpiam adnotaſſet in margine ea, quæ in textu haberentur, haberi etiam apud Atheoæum (authorem deipnoſophiſtarum) is enim habet aliqua, & apud Timocratem, is enim etiam à Laërtio citatut; & apud Sanden neſcio quem, (fortè Suidam, aut alium.). Perſpectum verò eſt quàm multa marginibus appoſita in textum olim inſerta fuerint, ex Librariorum oſcitantia. — in not. ad Laërt.

Metrodorus ergo patriâ Lampſacenus (aliúſque, vt conſtat, ab illo Anaxagoræ familiari, cuius Laërtius quoque meminit) natus videtur Epicuro annum agente duodecimum. Siquidem cùm ex Laërtio mortuus fuerit anno ætatis LIII. (cohærẽtia enim verborum, & ſenſus efficit vt legendum cenſeam Μητρόδωρον ἄγοντα) eóque ſeptimo ante obitum Epicuri, qui attigit annum ſeptuageſimum ſecundum, clatum eſt annum eius natalem debuiſſe in duodecimum Epicuri incidere. Ex quo porrò tempore Metrodorus Epicurum nouit (potuit hoc autem contingere, cùm ageret annum ſecundum & viceſimum, Epicuro ſcilicet Lampſaci degente) nunquam ab eo (quod ex Laertio cœperamus dicere) diſceſſit, niſi ſex menſeis, quibus cùm domi abfuiſſet, ad Epicurum reuetſus eſt. Is & ſororem Batidem Idomeneo collocauit, & Leontium concubinam habuit. Liberos ſuſcepit, quos Epicurus in teſtamento, & in ea Epiſtola, quam ſcripſit moriens, commendauit, ac nominatim filium Epicurum nominatum. Vir omnioò bonus, & aduersùs moleſtias, mortémque ipſam intrepidus, vt ipſe quoque Epicurus teſtatus eſt apud Laërtium. Intercutis morbo laborauit: ſcribit enim Cornelius Celſus il- — lib. 3. cap 21.
lum, cùm hoc morbo tentaretur, neque æquo animo ferret neceſſatiam ſitim, vbi diu abſtinuerat, bibere ſolitum, ac deinde euomere, An hoc morbo, an alio interierit non conſtat. Quos libros ipſius Laërtius recenſet, eiuſmodi ſunt: Aduerſus Medicos, tres. De Senſibus, ad Timocratem. De Magnanimitate. De Epicori infirmitate. Aduerſus Dialecticos. Aduerſus Sophiſtas IX. De itinere ad Sapientiam. De mutatione. De diuitiis. Aduerſus Democritum. de Nobilitate. Citat præterea Plutarchus libros de Philoſophia: de — adu. Col.
Poëtis:

Poëtis: aduerſus Timarchum. Citat & Clemens Alexandrinus librum, lib. 2. ſtrom. *Quod qua cauſa eſt ex nobis ad felicitatem, maior ſit eâ, quæ ex rebus eſt.* Sed de Metrodoro ſatis.

Ex aliis duobus alter fuit Polyænus Athenodori filius, ipſe quoque Lápſacenus. Is fuit lib. 4. Acad. magnus Mathematicus, vt Ciceronis verbis vtar; & vt paucis multa complectar, modeſtus, & amabilis; quod apud Laërtiū Philodelib. 10. mus habet. Alter fuit Hermachus Agemarchi filius Mitylenæus. Paupere patre is natus eſt; ab initio Rhetoricæ ſtuduit, ac deinceps in Philoſophia ſic ſe idoneum præſtitit, vt ipſum Epicurus moriens Scholæ ſuæ præfecerit. Apud Lyſiam mortuus eſt. Multa illius mentio in Epicuri teſtamento. Quos eius libros memorat, pulcherrimóſque dicit Laërtius, hi ſunt: Epiſtolica de Empedocle XXII. De Diſciplinis (bene enim, Caſaubonus legit non μαθητῶν, ſed μαθημάτων) libri duo. Aduerſus Platonem. Aduerſus Ariſtotelem.

Attexendi iſtis ſunt Leonteus Lampſacenus, quem vnum ex ſummis Epicuri diſci-L. 1. adu. Col. pulis Plutarchus appellat, adiiciens hunc ipſum eſſe, qui ad Lycophronem ſcripſerit honorem haberi Democrito ab Epicuro. Rursùm Colotes, & Idumeneus, ipſi quoque Lampſaceni. Prioris facienda ſæpius erit mentio, occaſione potiſſimùm duorum illorum librorum, quos aduerſus ipſum Plutarlib. 6. chus compoſuit. Scribit Laërtius alicubi diſcipulum illius fuiſſe Menedemum Cynicum, (niſi fortè alius Colotes Lampſacenus fuit) Eiuſdémque eſt locus ille quo apud Macrobium docet non oportuiſſe Eri fabulam à lib. 1. in ſomn. Platone *confingi, quoniam, nullum figmenti genus Veri profeſſoribus conueniret.* Poſteriorem celebrem reddere Epicurus voluit ſuis literis, vti reipſa reddidit, quemadmodum Seneca Epiſt. 21. demonſtrat, *Exemplum enim*, inquit, *Epicuri referam: cùm Idomeneo ſcriberet & illum à vita ſpecioſa ad fidelem ſtabilémque gloriam reuocaret rigidæ tunc potentiæ miniſtrum & magna tractantem; Si gloriâ, inquit, tangeris, notiorem te epiſtola mea facient, quàm omnia iſta, quæ colis, & propter quæ coleris. Quis Idomenea noſſet, niſi Epicurus illum ſuis literis incidiſſet? Omneis il-* * Megiſtanas. *los * magiſtratus, & Satrapas, & Regem ipſum, ex quo Idomenei titulus petebatur, oblinio alta ſuppreſſit.* Hæc ille. *Atque hi quidem*, inquit Laërtios, *illuſtres diſcipuli ſunt.*

Adnumerari tamen iis poſſunt cùm alij, tum maximè duo ex Valerio iam memorati, Polyſtratus & Hippoclides; potiſſimùm verò cùm Laërtius connumeret Polyſtratum, qui Hermacho poſteà ſucceſſit: niſi tamen Polyſtratus, qui Hippoclidi copulatur, cenſeri debet alius à ſucceſſore Hermachi.

Subiungi poſſet Timocrates Lampſacenus Metrodori frater; ſed is videtur defeciſſe, quòd reprehenſiones fraternas non ferret, vt referendum eſt poſteà. Subiiciatur itaque potiùs ſeruos Epicuri *Mus* quem inter philoſophanteis clariſſimum, ἐνδοξότατον, lib. 1. c. 12. euaſiſſe Lërtius teſtatur, neque Agellius, & lib. 1 Saturn. c. 11. Macrobius obliuioni dant inter eos, qui Philoſophi ex ſeruis non incelebres euaſerunt.

Vt præteream verò Appellem, quem alicubi Plutarchus ſubſannat, tres heic dicendæ mulieres ſunt, ex iis quæ ſunt cum Epicuro philoſophatæ. Vna eſt Leontium, quam Philoſophiæ ſub Epicuro operam dediſſe, tum Athenæus recitat, tum ex eo intelligitur, lib. 13. quòd, Cicerone referente, librum ſcripſerit lib de nat. Deor. aduerſus Theophraſtum, & ſermone quidem ſcito, Atticóque, vt rurſus occurret dicendum inferiùs. Altera eſt Themiſta Zoili filia Lampſacena, & memorati Leontei vxor, de qua etiam, præter ea, quæ attingenda inferiùs ſunt, Clemens Alexandrinus apertè te-lib. 4. ſtrom. ſtatur. Tertia Philænis, quam etiam aliqua ſcripſiſſe Athenæus indicat, ſimul innuens lib. 8. & 10. libros obſcœnos, qui illi tribuerentur, ſuppoſitos fuiſſe à Polycrate Sophiſta, vt fœminam calumniaretor.

Adiiciantur iam Herodotus, ille ſcilicet, ad quem Epicurus Epitomen paruam Phyſices, quæ eſt apud Laërtium, ſcripſit, & qui inter cætera, ex eodem Laërtio, librum edidit de pubertate Epicuri. Pythocles, ad quem Epicurus ſcripſit de Rebus ſublimibus, quæ apud Laërtiom ſuperſunt, & cuius, cùm eſſet annos duodeviginti natus, indolem in Græcia non haberi parem, Epicurus cenſuit, vt habet Plutarchus. Menœceus, ad quem Epicurus ſcripſit Epiſtolam illam de rebus ad mores pertinentibus, quæ eſt etiam apud Laërtiom, & cuius initium refertur à Clemente Alexandrino. Timocrates Demetrij, filius Potamios, ſimúlque Amynomachus Philocratis filius Batithes, quos ambos Epicurus fecit teſtamenti ſui curatores. Nicanor, cuius ſtudium Epicurus mandat prædictis curatoribus. Eurydicus, vnus ex iis, ad quos, ex Laërtio, Epiſtolas miſit. Doſitheus, eiúſque filij Pyrrhon, & Hegeſianax, ad quos conſolatoriam ob parentem mortuum Epicurus ſcripſit, vti apud Plutarchum eſt. Prætereo Polymedem, Antidorum, & alios, poſteà, cùm de libris, dicendos.

CAPVT IX.

Quàm multa conſcripſerit.

NEc verò Epicurus viuâ modo voce diſcipulos erudiendo tempus contriuit; ſed & plurimùm operæ in variis libris conſcribendis poſuit. Vt factâ autem comparatione ad cæteros Philoſophos, quantum in ea re deſudârit, intelligas, vnicum iuuat audire Laërtium. Is nimirum in præfatione dum Philoſophos comparat: *Multa*, inquit, *Ze-* lib. 1. *no ſcripſit, plura Xenophanes, plura Democritus, plura Ariſtoteles, plura Epicurus, plura Chryſippus.* Quo loco vides Epicurum multitudine ſcriptorum vni Chryſippo concedere. Ne verò te lateat, vt etiam Chryſippum cenſeri poſſit ſuperauiſſe, citat alio loco Laër-lib. 7. tios Apollodorum Athenienſem, *qui volens*, inquit, *oſtendere ea, quæ eſſent ab Epicuro proprio Marte ſcripta, neque aliunde appoſita, Chryſippi libros longè ſuperare, ita ad verbū loquitur:*

ſi quis enim tollat ex Chryſippi libris quæ aliena adiexta ſunt, inanis ipſi charta relinquetur. Hoc autem ne mirum videatur, docet aliàs idem [lib. 10.] Laërtius, Chryſippum, cùm æmularetur Epicurum in multis ſcribendis, *paraſitum* librorum eius ideò appellatum à Carneade, quod, *ſi Epicurus quidpiam ſcriberet* (legendum enim γράψαι, non χαίψαι) *ſcribere tantundem ille affectaret. Quare illum, & ſæpe eadem, & quicquid occurrebat, ſcripſiſſe, idque proinde inemendatum præ feſtinatione irruſiſſe, ac tot induxiſſe teſtimonia, vt iis ſolis libri compleantur; quemadmodum etiam inuenire tum apud Zenonem, tum apud Ariſtotelem licet.* Et hæc [ibid.] de Chryſippo Laërtius; non idem verò de Epicuro. Refert enim eius Cylindros (*volumina*, nempe ἀπὸ τοῦ κυλίνδειν, ſeu *voluendo* dicta) ad trecentos exſtitiſſe, *in quibus*, inquit, *nullum alienum teſtimonium exſcriptum exſtat; ſed ipſamet voces Epicuri ſunt.* Quæ [Laërt. ibid.] memoro, vt videas, cùm Epicurus ſcripſerit tam multa, πολυγραφώτατος, quod ille ait, καὶ πλήθει βιβλίων πάντας ὑπερβαλλόμενος, adeò vt etiam Origenes temeritatem Celſi coarguens, ac veluti rem quampiam factu im- [lib. 1. adu. Celſ.] poſſibilem iudicans, id obiecerit, *Nemo noſtrûm dicit ſe noſſe quæ Epicuri ſunt omnia*; videas, inquam, diuitem venam, quâ ille ſcaturierit, ſimúlque, quæ res maximè illum habuerit occupatum.

CAPVT X.

Qui libri illius ſpeciatim ab Authoribus memorentur.

OPERÆ-PRETIVM porrò eſt texere hoc loco quaſi Indicem librorum, non profectò omnium, qui conſcripti ab illo ſunt, ſed eorum, quorum vel tituli apud Authores occurrerunt: Tituli, inquam, nam libri ipſi temporum iniuriâ ſic interciderunt, vt præter paucula compendia apud Laërtium aſſeruata, prætérque fragmenta heic, illeic apud varios variè reſperſa, nihil ex ipſis ſuperſtes ſit, ſaltem quod hucvſque nobis innotuerit.

Vt primùm ergo recenſeamus quos optimos Laërtius ait, en quâ illi ſerie habeantur.

Περὶ φύσεως λζʹ *De Natura* XXXVII. lj citantur aliquando ſimpliciter, τὰ περὶ φύσεως, *de Natura*; aliquando cum adiuncto libri ordine, vt [comment. in 1. lib. Hipp. de nat. hum.] cùm inferiùs ab eodem Laërtio citantur libri I. XI. XII. XIV. XV. Facit Galenus & tituli & multitudinis librorum mentionem.

Περὶ ἀτόμων, καὶ κενοῦ, *De Atomis, & Inani.* [lib. 2. cap. vi] Ita citari ſolet hic liber; ſed & Cleomedes videtur illum indicare ſub nomine *de Rerum omnium principiis*, ἐν τῷ τῶν ὅλων ἀρχῶν.

Περὶ ἔρωτος, *De Amore.*

Ἐπιτομὴ τῶν πρὸς τοὺς φυσικούς, *Compendium eorum, quæ ad Phyſicos.* Duplex autem fuit hæc Epitome, μεγάλη, καὶ μικρὰ, *magna, & parua:* Siquidem vtraque citatur deinceps à Laërtio, & parua quidem dicitur, quæ ad Herodotum ſcripta eſt.

Πρὸς τοὺς Μεγαρικοὺς διαπορίαι, *Aduerſus Megaricos* (ſeu appellatos Dialecticos) *addubitationes.* Videntur autem hæ Dubitationes attigiſſe maximè argumenta quædam moralia, vt circa Iuſtitiam, circa Connobia, &c. cùm hic præſertim liber videatur, quem interdum [l. r. adu. Col.] citant & Laërtius, & Plutarchus τὰς διαπορίας, ſine adiuncto πρὸς τοὺς Μεγαρικούς.

Κύριαι δόξαι, *Ratæ Sententiæ*, vel, vt Cice- [lib. 2. de fin.] ro vertit, *maximè ratæ: quia*, inquit, *grauiſſimæ ſint ad beatè viuendum breuiter enunciatæ Sententiæ:* appellat alibi *ſelectas, breuéſque* [l. 1. de nat. Deor.] *Sententias:* appellare Sextus videtur λέξεις ῥητὰς; *Dictiones memorabileis.* Ipſas & Laërtius [lib. 1. adu. phyſ.] ad calcem appoſuit, & Lucianus alicubi per- [in Pſeudom.] inde commendauit, ac Cicero Crantoris li- [lib. 4. Acad.] brum, qui eſt quidem, *non magnus*, inquit, *verùm aureolus, & vt Tuberoni Panætius præcipit, ad verbum ediſcendus libellus.* Secùs nimirùm ſenſit, quàm Suidas, qui has ſententias appellauit κατ' ἐπιτομὰς *ſelecta inſignia.*

Περὶ αἱρέσεων, *de Electionibus.* Ita vertendum potiùs duco, quàm de Sectis: quod in hoc libro Epicurus proſequutus non videatur Sectarum hiſtoriam, ſed moralem inſtitutionem, quæ circa delectum rerum occupetur, vt Laërtius quoque indicat ſub finem Epiſtolæ ad Menœceum. Ne memorem, quod idem docet, genus Ethicum totum eſſe περὶ αἱρέσεως, καὶ φυγῆς, *de proſequutione, ſeu electione, & fuga.* Ex quo efficitur, vt citatum vulgò & conſequenter librum.

Περὶ φυτῶν *de Plantis*, cenſuerim potiùs inſcribendum, περὶ φευκτῶν, *de Fugiendis*; tum ob titulorum cohærentiam; tum quia Epicurus penè totus in moribus argumenta ſpecialia ex Phyſica vix attigit, niſi ea conducerent ad hominum animos à vanis terroribus eximendos, cuiuſmodi illud *de Plantis* non fuit. Quin etiam quia in MSS. hic titulus cum ſuperiore copulatur voculâ καὶ, conіicere licet inſcriptionem fuiſſe περὶ αἱρέσεων καὶ περὶ φυγῶν, vel etiam ſub vno ſolùm titulo περὶ αἱρέσεων, καὶ φυγῶν, *de electione & fugâ*, quatenus fieri potuit inſcriptio etiam numero multitudinis, ob id, quod poſtmodùm habetur, *ex voluptate & dolore diiudicari* τὰς αἱρέσεις καὶ φυγὰς, *electiones & fugas*, ſeu *proſequutiones, & declinationes* Niſi fortè magis arrideat inſcriptio περὶ αἱρετῶν, καὶ φευκτῶν, *de Eligendis, & Fugiendis.*

Περὶ τέλους, *de Fine.* Ita hic liber citatur paſ- [L. 2. adu. Col.] ſim, & nominatim à Plutarcho: nec verò alium Cicero videtur intelligere, etſi librum *de Finibus bonorum, & malorum* citat.

Περὶ κριτηρίου, ἢ κανὼν, *de Iudicio, ſeu Regula:* [lib. 1. de nat. Deor.] vel, vt Cicero ipſe vertit, *de Regula, & Iudicio.* Porrò, ſi pro iudicio iudicatorium verteris, vim nominis exprimes magis.

Χαιρέδημος, ἢ περὶ θεῶν, *Chæredemus, ſeu de Diis.* Hic eſt vnus ex iis libris, quos Epicurus inſcripſit ſeu fratrum, ſeu amicorum nominibus, vt ne illorum quidem mortuorum nomina ignorarentur: quod obſeruatum à [lib. de oc. vi.] Plutarcho eſt.

Περὶ ὁσιότητος, ἢ Ἡγησιάναξ, *de Sanctitate, ſeu Hegeſianax.* Hic fortaſſis eſt, qui apud Plu- [l. 2. adu. Col.] tarchum legitur *Hegeſianax*, is ſcilicet de cuius morte ab Epicuro ad parẽtes ſcriptũ infrà notabimus.

lib.3 & 9. notabimus. Niſi fortè velis eſſe illum, qui hiſtorias, & Troïca apud Athenæum ſcripſit; quippe qui fuerit Alexandrinus, cùm Epicurus etiam amicos ex Ægypto habuerit.

Περὶ βίων δʹ. *De vitis* IV. perinde eſt, ac ſi inſcriptio foret, *de vita & moribus*. Neque enim Epicurus complexus his libris videtur inſignium quorumdam Virorum hiſtoriam, vt à Plutarcho, & Laërtio factum intelligimus, dum ipſorum libri *de vitis* citantur (quod tamen viro erudito, & amico placuit) ſed rationes, quibus vitam degere tranquillam liceat; vt vel ea deſignatione librorum moralium, & locis etiam ab ipſo Laërtio citatis, apertè ſatis colligitur. Videlicet in Lycurgo. hoc loco βίοι ita accipiuntur, vt apud Plutarchũ, dum dicit, διαφορὰν τῶν βίων, καὶ τῶν πολιτειῶν, quod interpres præclarè vertit *diſcrimen morum, publicorúmque inſtitutorum* Ex his libris citãtur poſteà à Laërtio primus, & ſecundus.

Περὶ δικαιοπραγίας, *De iuſta actione.*

Νεοκλῆς, πρὸς Θεμίσταν, *Neocles ad Themiſtam.* Videtur iſte Neocles non parens, ſed frater fuiſſe Epicuri: ſic enim & aliorum fratrum inſcripſit libris nomina.

lib.1.ſymp. qu.1. lib 5.deip. l.1.adu.Col. Συμπόσιον, *Conuiuium.* Meminerunt huius libri Plutarchus, Athenæus, & alij. Plutarchus porrò meminit quæſtionum in eo agitatarum de calefactione vini, de tempore concubitus, & Laërtius de difficultatibus circa coniugium, &c. lib.3.ſymp. qu.5.

Εὐρύλοχος πρὸς Μητρόδωρον: *Eurylochus ad Metrodorum.* Crediderim facilè hunc Eurylochum eundem eſſe ad quem Epicurus ſcripſiſſe iam dictus eſt ſub nomine Eurydici; res tamen incerta.

Περὶ τοῦ ὁρᾶν, *de Viſione.*

Περὶ τῆς ἐν τῇ ἀτόμῳ γωνίας, *de Angulo, qui eſt in Atomo.*

Περὶ ἁφῆς *de Tactu*, ſeu Atomorum, opinor, apud Laërt. tangibilitate. Quippe & Inane appellat Epicurus τὸ ἀναφές, *id quod tangi nequit.*

Περὶ εἱμαρμένης, *De Fato.*

Περὶ παθῶν δόξαι πρὸς Τιμοκράτην, *De Perturbationibus ſententia, ad Timocratem.*

Προγνωστικόν, *Præcognitorium*, ſic enim liceat vertere: ſiquidem videtur hoc libro Περὶ τῆς προγνωστικῆς δυνάμεως diſputaniſſe.

Προτρεπτικός, *Exhortatorius*, intellige, *Sermo.* Sic enim, & Iſocrati, & Clementi expreſsè eſt προτρεπτικὸς λόγος.

Περὶ εἰδώλων, *de ſimulacris, imaginibus, ſpeciebus, formis, ſpectris*; ſic enim varij variè verterunt, & interpretati ſunt, quas vulgò iam vocant intentionaleis ſpecies.

Περὶ φαντασίας, *De Imaginatione*, ſeu impreſſione eius, quod apparet in facultate cognoſcente. Neque enim ſeu Epicurus, ſeu plerique alij ea antiquis Philoſophis intellexerunt hoc nomine, vt iam ferè fit, ipſam facultatem.

Ἀριστόβουλος, *Ariſtobulus.* Et hic liber tertij Epicuri fratris nomen præ ſe fert.

Περὶ Μουσικῆς, *de Muſica*, quatenùs nempe ad mores facit, vt colligi poſſe videtur ex [illegible] Col. Plutarcho, & Empirico. lib. adu. Math.

Περὶ δικαιοσύνης, καὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν, *de Iuſtitia, cæteriſque Virtutibus.*

Περὶ δώρων, καὶ χάριτος, *de donis, & gratia.* Huius meminit Empiricus, aliquid ex eo circa Grammaticam citans. lib. adu. Gram.

Πολυμήδης, *Polymedes* Et hic videtur fuiſſe Epicuri familiaris, ac diſcipulus.

Τιμοκράτης γʹ, *Timocrates*, III. ſeu is fuerit Metrodori frater, ſeu teſtamenti curator, ſeu alius. Hinc credidiſſem à Laërtio citari Timocratis (ſiue à Timocrate conſcriptum) librum tertium; niſi ἀντὶ τοῦ Τιμοκράτους, legendum ſuſpicatus fuiſſem Τιμοκράτει, indicato, putà, libro tertio ab Epicuro ita inſcripto. Inſpectio textûs argumentum facit.

Μητρόδωρος εʹ, *Metrodorus V.* Hunc Metrodorum eſſe, de quo ſuprà, non videtur poſſe ambigi. Ex citato porrò apud Laërtium Metrodoro primo, colligi videtur deſcriptam fuiſſe ab Epicuro vitæ Metrodori hiſtoriam.

Ἀντίδωρος βʹ, *Antidorus II.* Huius Antidori meminit Plutarchus, ac fortè etiam Laërtius in Heraclide, ſi nihilominùs Antidorum pro Autodoro legeris. l.1.adu.Col. lib 5.

Περὶ νότων δόξαι, πρὸς Μίθρην. *de Auſtris ſententia, ad Mithren.* Fortaſſis autem legendus potiùs hic titulus Περὶ νόσων, *De morbis* tum ob pareis cauſas, quæ dictæ ſunt circa titulum Περὶ φυτῶν, tum quia δόξαι illæ non tam videntur fuiſſe varia placita de ſpeciali vento, quàm morales ſententiæ ad aſperitatem morborum leniendam. Iam verò videtur hic Mithres Syrius ille fuiſſe, ad quem aliquando Metrodorus opem laturus accurrit, vti Plutarchus non ſemel notauit, & quem Laërtius Lyſimacho fuiſſe domus procuratorem dicit, non modò in Epicuro, ſed etiam in Theodoro, vbi narrat Mithren Theodoro dixiſſe: *Videris tu non modo Deos, ſed etiam Reges non agnoſcere*; Theodorum verò excepiſſe: *Quomodo non agnoſcam Deos, qui te Deorum hoſtem exiſtimo eſſe?* adu. Col. lib.10. lib.2.

Καλλιστόλας, *Calliſtolas.* Et hic etiam Epicuri fuiſſe familiaris præſumendus eſt.

Περὶ βασιλείας, *de Regno.* Meminit libri iſtius Plutarchus. l.2.adu.Col.

Ἀναξιμένης, *Anaximenes.* Fortaſſis hic fuit Lampſacenus ille, cuius Strabo meminit, & quem indicare videntur tum Plutarchus, tum Laërtius ipſe. Etſi enim is fuit vnus ex Alexandri præceptoribus; & illi tamen ſuperuixit (vt cuius geſta deſcripſerit) & ex Suida diſcipulus fuit Diogenis Cynici, ac proinde illo iunior; cùm Diogenes tamen obierit Epicuro iam agente annum ætatis decimum octauum, initio nempe Olympiadis CXIV. lib.14. in Public. lib.2.

Ἐπιστολαί, *Epiſtolæ.* Exſtant adhuc apud Laërtium Epiſtolarum eiuſmodi quatuor; vna eſt ad Herodotum, (quam eſſe iam diximus minorem epitomen, hoc nomine etiam citatam ab Achille Tatio) *de Rebus Naturalibus*; altera ad Pythoclem de Meteoris, *ſeu ſublimibus* (hoc eſt tam cæleſtibus, quàm cæteris ad vſque Terram) *rebus*; tertia ad Menœceum *de Moribus*; poſtrema breuis illa eſt, quam Epicurus moriens ſcripſit ad Idomeneum. Præter has autem, innumeras alias conſcriptas fuiſſe ex Plutarcho, Laërtio, & aliis colligimus. Plutarchus enim, exempli causâ, Epiſtolam ad Anaxarchum citat. In Phæn. Arat. l.1.adu.Col. lib.7.

lib.10. Laërtius epiſtolam ad Ariſtobulum: itémque Epiſtolam πρὸς τοὺς ἐν Μιτυλήνῃ φίλους *ad Amicos Mitylenæ degentes.* Et videtur quidem hæc eadem eſſe cum illa, quam Sextus Empiricus citat πρὸς τοὺς ἐν Μιτυλήνῃ φιλοσόφους; verùm plureis hac inſcriptione agnoſcit Laërtius iis verbis: ἐν ταῖς πρὸς τοὺς ἐν Μιτυλήνῃ φιλοσόφους; adeò vt aliqua ex illis potuerit eſſe ſuppoſititia. Potuit ex eodem cenſu eſſe Epiſtola illa περὶ ἐπιτηδευμάτων, *de* lib.9.in Protag. *variis vitæ inſtitutis*, quam & Laërtius innuit, & Athenæus ac Euſebius citant. Prætereo lib.8. deipn. lib.15. de præp. eumdem Athenæum facere mentionem Epiſtolarum ad Hermachum: & ne plureis conlib.13.deipn. ſecter, præclariſſimæ omnium fuiſſe videntur ſcriptæ ad Idomeneum; quantùm quiin epiſt. epiſt.15. dem ex Seneca intelligere poſſumus, qui præclarum etiam quid citat in Epiſtolis, quas ad Polyænum ſcriptas dicit. In iis, quæ ad Idomeneum illa præter cæteras fuit, ex qua Michaël Apoſtolius refert fragmentum continens originem illius Adagij, ταῦτά σοι καὶ Πυθία, cent.16. parœm.95. καὶ Δήλια, *Hæc eadem sibi & Pythia, & Delia:* quòd vſurpatur aduerſus eos, qui morituri breui putantur; vtcumque Adagium citari ex Menandro Eraſmus ſcribat.

Portò circa Epiſtolas adnotari obiter poteſt fuiſſe Epicurum iis præmittere ſolitum ex vocibus ſalutatoriis, nunc χαίρειν, *gaudere*, nunc εὖ πράττειν *bene agere*; nunc εὖ διάγειν *bene degere*; nunc σπουδαίως ζῆν, *bene viuere*; nunc ὑγιαίνειν, *valere*, ſiue *ſanum eſſe.* Nam quod lib.10. apud Laërtium quidem in eius vita legitur, καὶ ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς, ἀντὶ τοῦ χαίρειν, εὖ πράττειν καὶ σπουδαίως ζῆν ἄριστον, mendi aliquid ſubeſſe videtur: deeſt quippe verbum phraſi neceſſarium; & tum vox ἄριστον non videtur ad ſalutandi ritum ſpectare, tum voces illæ, ἀντὶ τοῦ, excludunt τὸ χαίρειν ab Epicureo ſalutandi more: cùm tamen ea vox & præmiſſa exſtet ſuperlib.2.de fin. ſtitibus apud Laërtium Epiſtolis, & Cicero eandem interpretatus fuiſſe videatur, cùm Epiſtolam retulit, quam moriens Epicurus ſcripſit. Heinc cùm pro duabus iis voculis repoſuiſſem olim, ἐπέθετο (vt minor nimirùm eſſet immutatio, quàm ſi vocẽ προὔθηκε, aut aliam ſimilem ſubſtituiſſem) id probauit quidem eximius Puteanus, ſed ἄριστον vocem retinendam cenſuit: Præclarus autem *Menagius*, cùm verbum deſideraretur, cenſuit quidem loco vocis ἄριστον reponendam vocem ἔγραφεν lib.4. (alias ſimili occaſione eidem Laërtio vſurpatam) verùm retinendas contendit ipſas voculas ἀντὶ τοῦ, quòd Epicurus minimè vſus ipſa de lapſu in ſalut. voce χαίρειν videatur, vt quam fuiſſe Cleonis lib.3. propriam memoretur tam à Luciano, quàm ab ipſo Laërtio. An verò loco vocis ἄριστον, reponi poſſet ἀρέσκει, aut etiam ad minimam omnium immutationem, ἀρεστόν, ad ſignificandum placuiſſe inter ſalutandum eas voces, εὖ πράττειν, καὶ σπουδαίως ζῆν; an retineri poſſent voces, ἀντὶ τοῦ, ad innuendum non vocem χαίρειν repudiatam penitùs fuiſſe, ſed eius vice illas duas fuiſſe interdum vſurpatas; quaſi nimirùm voce ποτὲ *aliquando*, aut deſideratâ, loc.cit. aut ſubintellectâ? Videtur profectò Lucianus id non obſcurè ſuggerere, cùm referendo Epicurum impensè alioquin delectatum τῷ χαίρειν, inſinuat eum tamen interdum aliâ, quàm iſtâ vſum voce; & in Epiſtolis quidem *accuratioribus, grauioribúſve* σπουδαιοτέραις (quas quidem fuiſſe paucas ait) vel cùm ad *amiciſſimos* πρὸς φιλτάτους ſcriberet, fuiſſe præſertim, μάλιστα, ipsâ ὑγιαίνειν, voce vſum. Laërtius verò cùm heic relinquat Epicuro vocem εὖ πράττειν, cenſeri debet pari iure vocem χαίρειν relinquere; quando attribuens ipſi aliàs vocem εὖ διάγειν, tam facit Platonis proprium τὸ εὖ πράττειν, quàm ipſius Cleonis τὸ χαίρειν.

Atque hactenus ſeries eſt librorum, quam Laërtius contexuit. Aduerte verò cùm ſtatim poſt vocem illam ἐπιστολαί, ſequatur, μίαν δὲ αὐτῶν, &c quaſi Laërtius ſit adſcripturus vnam ex illis epiſtolis, cùm tamen & adferat treis, & ſe id ſtatim facturum recipiat; ea de cauſa non prorsùs malè cenſuiſſe Caſaubonum reponendum ἐπιτομὴν, loco vocis μίαν. Addo autem vocem αὐτῶν non ad ſolas epiſtolas videri eſſe referendam, ſed ad libros omneis recitatos, quorum Epitomen tres illæ deinceps integræ afferendæ contineant.

Prçter hos porrò omneis libros, citari alios videas tam à Laërtio, quàm ab aliis; quippe ipſe Laërtius citârat iam anteà librum Περὶ ῥητορικῆς, *de Rhetorica*, ſeu *arte oratoria*, cuius etiam apud Scholiaſten Hermogenis habetur mentio. Quod citatur verò *De perſpicuitate in oratione exigenda*, id ſpectat ad Canonicen in Dialectices locum ſubſtituendam.

Citare etiam viſus eſt Προηγούμενα, ſeu *Antecedentia*, ſeu *Præcipua* dicas, vt accipiunt Stoïci. Profectò libros iam citatos intelligerem, ſi aliqui citati forent, in quibus id, quod memoratur, fuiſſet ab Epicuro ſcriptum.

Vtcumque ſit, citantur quoque poſtmodum Στοιχειώσεως δώδεκα, *Inſtitutiones*, ſeu *Elementalia* XII.

Quin-etiam citari videntur Περὶ τῶν κόσμων ιβ', *De Mundis* XII. Siquidem varios Mundos deſcribens, egiſſe id dicitur ἐν τῷ ιβ' περὶ τούτου, ſeu, vt MSS. habent, περὶ αὐτοῦ, *In* XII. *de hoc ipſo*, ſeu *de hac materia*: idque præſertim, cùm non appareat intelligi vnum ex triginta ſeptẽ, qui περὶ φύσεως *de Natura* conſtantiſſimè citantur.

Adderem Προβλήματα φυσικά, *Quæſtiones Naturales*, itémque Ἠθικὰ δόγματα, *Placita Moralia*; niſi poſſent iis vocibus ea omnia intelligi, quæ Epicurus circa naturam, & mores enucleauit, aut ediſſeruit.

Ad-hæc verò à Cicerone citatur liber *De* lib.3.Tuſc. *Summo Bono*: niſi quis fortè eundẽ putet cum eo, quem *de Fine* inſcriptum iam retulimus.

Citatur etiam ab eodem liber *de Voluptate*. lib.2. de Fortaſſis Laërtius hunc ſignificauit, cùm diuin. retulit quoſdam obiecîſſe Ariſtippi librum *de Voluptate* ab Epicuro vſurpatum, tanquam proprium.

Prætereà citat Cicero librum *De pietate* l.1.de nat. *aduerſus Deos*, & diſtinctũ quidem, vt videtur, Deor. ab eo, qui *de Sanctitate* ex Laërtio citatus eſt; ſic enim habet Cicero; *At etiam de Sanctitate, de pietate aduerſus Deos libros ſcripſit.*

Rurſùs Plutarchus indicat libros conſcriptos *aduerſus Theophraſtũ*, Πρὸς Θεόφραστον, cùm ἐν δευτέρῳ *in ſecundo* illorũ cõtineri dicit *Diſputationẽ de Coloribus*. Verùm de libris hactenus.

LIBER

LIBER SECVNDVS, *DE* MORTE ET SVCCESSIONE EPICVRI.

CAPVT PRIMVM.

Quod Teſtamentum fuerit ab Epicuro conditum.

CVm Epicurus tum docendo, tum ſcribendo iam conſenuiſſet, Teſtamentum ſub vitæ finem, vt moris erat, condidit. Quoniam verò id integrum apud Laërtium
lib.10. adhuc habemus, nihil neceſſe eſt corrogare, quæ ex eo à Cicerone, aliiſque ſparſim attinguntur. Illius capita hæc ſunt:

I. Hæredum inſtitutio. Δίδωμι, inquit, τὰ ἐμαυτοῦ πάντα Ἀμυνομάχῳ Φιλοκράτους Βατῆθεν, καὶ Τιμοκράτει Δημητρίου Ποταμίῳ, κατὰ τὴν ἐν τῷ Μητρῴῳ ἀναγεγραμμένην ἑκατέρῳ δόσιν. *Dono mea omnia Amynomacho, Philocratis filio Batitha* (ſcilicet
in Lex. ex oppido Bate in Tribu Ægeide, vt eſt apud Heſychium) *& Timocrati Demetrij filio, Potamio* (ex oppido nempe Potamo in Leontide
in Lex. Tribu, vti eſt apud Phauotinum) *iuxta eam, quæ in Metroo relata inter acta eſt, vtrique factam donationem.* Fuit enim *Metroon* magnæ Deæ Templum Athenis, ſubeuntibus primùm ex portu occurrens: in quo leges, iudicia, cæteráque acta aſſeruabantur, ex Athe-
lib.9. in voc. Metr. næo, Suida, & aliis.

II. Scholæ, ſeu Sectatorum ſtudium. Κατὰ τάδε, *ea conditione* (ſupple bona omnia prædictis Amynomacho, & Timocrati trado) ἐφ᾽ ᾧ τε τὸν μὲν κῆπον, καὶ τὰ προσόντα αὐτῷ παρέξουσιν Ἑρμάρχῳ Ἀγεμάρχου Μιτυληναίῳ, καὶ τοῖς συμφιλοσοφοῦσιν αὐτῷ, καὶ οἷς ἂν Ἕρμαρχος καταλίπῃ διαδόχοις τῆς φιλοσοφίας ἐνδιατρίβειν κατὰ φιλοσοφίαν, καὶ ἀεὶ δὲ τοῖς φιλοσοφοῦσιν ἀπὸ ἡμῶν. *Vt Hortum, & ipſi adiuncta Hermacho Agemarchi filio Mitylenæo, iiſque, qui cum illo ſimul philoſophabuntur, & quibus ipſe Hermachus reliquerit Philoſophiæ ſucceſſoribus, ac iis etiam perpetuò, qui ex nobis profecti; philoſophaturi ſunt, vt commorari illeic poſſint inter philoſophandum, præbeant.* Et poſteà: Τὴν δὲ οἰκίαν τὴν ἐν Μελίτῃ παρεχέτωσαν Ἀμυνόμαχος, καὶ Τιμοκράτης ἐνοικεῖν Ἑρμάρχῳ, καὶ τοῖς μετ᾽ αὐτοῦ φιλοσοφοῦσιν, ἕως ἂν Ἕρμαρχος ζῇ. *Domum etiam, quæ in Melite* (de hac eſt iam ſuperiùs dictum) *Hermacho, iiſque, qui cum eo philoſophabuntur, quamdiu Hermachus vixerit, Amynomachus, & Timocrates inhabitandam tradunto.* Deinde: Ποιείσθωσαν δὲ μετ᾽ αὐτῶν καὶ Ἕρμαρχον κύριον τῶν προσόδων, ἵνα μετὰ τοῦ συγκαταγεγηρακότος ἡμῖν ἐν φιλοσοφίᾳ, καὶ καταλελειμμένου ἡγεμόνος τῶν συμφιλοσοφούντων ἡμῖν, ἕκαστα γίνηται. *Hermachum verò redituum Dominum ſecum habento; vt cum eo, qui nobiſcum in Philoſophia conſenuit, quique illorum, qui nobiſcum ſunt philoſophati, dux relictus eſt, ſingula gerantur.* Et paulò pòſt, Δοῦναι δὲ τὰ βιβλία τὰ ὑπάρχοντα ἡμῖν πάντα Ἑρμάρχῳ, *Libros verò, qui mihi ſunt, omnes daro* (ſupple, *iubeo*) *Hermacho.* Denique poſtquàm hæc præmiſit: Ἐπιμελείσθωσαν δὲ καὶ Νικάνορος, καθάπερ καὶ ἡμεῖς, *Nicanoris curam, ſicuti & nos, ſuſcipiunto*, ſubiicit. Ἵν᾽ ὅσοι τῶν συμφιλοσοφούντων ἡμῖν χρείαν ἐν τοῖς ἰδίοις παρεσχημένοι, καὶ τὴν πᾶσαν οἰκειότητα ἐνδεδειγμένοι, συγκαταγηράσκειν μεθ᾽ ἡμῶν προείλοντο ἐν φιλοσοφίᾳ, μηδενὸς τῶν ἀναγκαίων ἐνδεεῖς καθεστήκωσιν ἐπὶ τὴν ἡμετέραν δύναμιν, *Vt quotquot ex iis, qui nobiſcum philoſophati, propriarum rerum vſum præbuerunt, & omnimodam familiaritatem declarantes, conſtituerunt in Philoſophia nobiſcum conſeneſcere, nulla rerum neceſſariarum, quantum in noſtra ſitum eſt facultate, indigeant.*

III. Pupillorum ab Amicis relictorum prouidentia. Ἐπιμελείσθων δὲ καὶ Ἀμυνόμαχος, καὶ Τιμοκράτης, τοῦ υἱοῦ τοῦ Μητροδώρου Ἐπικούρου, καὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ Πολυαίνου, φιλοσοφούντων αὐτῶν, καὶ συζώντων μεθ᾽ Ἑρμάρχου, ὡσαύτως δὲ τῆς θυγατρὸς τῆς Μητροδώρου τὴν ἐπιμέλειαν ποιείσθωσαν. Καὶ εἰς ἡλικίαν ἐλθοῦσαν ἐκδότωσαν ᾧ ἂν Ἕρμαρχος ἕληται τῶν φιλοσοφούντων μετ᾽ αὐτοῦ, οὔσης αὐτῆς εὐτάκτου, καὶ πειθαρχούσης Ἑρμάρχῳ. Διδότωσαν δὲ Ἀμυνόμαχος, καὶ Τιμοκράτης ἐκ τῶν ὑπαρχουσῶν ἡμῖν προσόδων εἰς τροφὴν τούτοις, ὅ, τι ἂν αὐτοῖς κατ᾽ ἐνιαυτὸν ἐπιδέχεσθαι δοκῇ, συσκεπτόμενοι μεθ᾽ Ἑρμάρχου, *Etiam Epicuri Metrodori filij, itémque filij Polyæni, qui ipſi philoſophabuntur, viuéntque vnà cum Hermacho, Amynomachus, & Timocrates curam capeſſunto. Ipſius Metrodori filiæ ſimiliter curam habento, eámque, vbi ad ætatem nubilem peruenerit, illi, quem Hermachus ex ſecum philoſophantibus delegerit, collocanto. Sit modò illa & modeſta, & Hermacho obtemperans. Ex noſtris autem reditibus Amynomachus, & Timocrates his, vnde alantur, quod quidem ipſis videatur quotannis ſufficere, idipſum vnà cum Hermacho prouidentes, ſuppeditanto.* Deinde, τὴν προῖκα τῷ θήλει παιδίῳ ἐπειδὰν εἰς ἡλικίαν ἔλθῃ, μερισάτωσαν Ἀμυνόμαχος, καὶ Τιμοκράτης ὅσον ἂν ἐπιδέχηται ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων ἀφαιροῦντες μετὰ τῆς Ἑρμάρχου γνώμης, *Ipſam verò puellæ dotem, poſtquam matura viro fuerit, Amynomachus, & Timocrates, quantum bonorum facultas feret, ex ſententia Hermachi accipientes,*

impertiuntor. Ac poſteà: ἐὰν δέ τι τῶν ἀνθρωπίνων περὶ Ἕρμαρχον γίνηται, πρὸ τοῦ τὰ Μητροδώρου παιδία εἰς ἡλικίαν ἐλθεῖν, δοῦναι Ἀμυνόμαχον, καὶ Τιμοκράτην, ὅπως ἂν εὐτακτοῦντα αὐτῶν ἕκαστα γίνηται τῶν ἀναγκαίων, κατὰ τὸ δυνατὸν, ἀπὸ τῶν καταλελειμμένων ὑφ' ἡμῶν προσόδων. *Quod ſi aliquid humani Hermacho contigerit, priuſquàm liberi Metrodori ad ætatem adultam peruenerint, Amynomachum, & Timocratem, vt ipſis decenter curatis, ſingula gerantur neceſſaria, quantum fas erit, ex iis, quos reliquerimus reditibus, dare illis conſtituo.*

IV. Celebritatum, in ſui, ſuotúmque memoriam, inſtitutio. Ἐκ δὲ τῶν γινομένων προσόδων τῶν δεδομένων ἀφ' ἡμῶν Ἀμυνομάχῳ, καὶ Τιμοκράτει, κατὰ τὸ δυνατὸν μεριζέσθωσαν μεθ' Ἑρμάρχου σκοπούμενοι (connectenda iſta eſſe cum ſequentibus, vel ex Cicerone colligere licet) εἴς τε τὰ ἐναγίσματα τῷ τε πατρὶ, καὶ τῇ μητρὶ, καὶ τοῖς ἀδελφοῖς, καὶ ἡμῖν, εἰς τὴν εἰθισμένην ἄγεσθαι γενέθλιον ἡμέραν, ἑκάστου ἔτους, τῇ προτέρᾳ δεκάτῃ τοῦ Γαμηλιῶνος, ὥσπερ καὶ εἰς τὴν γινομένην σύνοδον ἑκάστου μηνὸς ταῖς εἰκάσι τῶν συμφιλοσοφούντων ἡμῖν, εἰς τὴν ἡμῶν τε, καὶ Μητροδώρου μνήμην κατατεταγμένην. συντελείτωσαν δὲ καὶ τὴν τῶν ἀδελφῶν ἡμέραν, τοῦ Ποσειδεῶνος, καθάπερ καὶ ἡμεῖς, συντελείτωσαν δὲ καὶ τὴν τοῦ Πολυαίνου, τοῦ Μεταγειτνιῶνος: *Ex reditibus bonorum, quæ Amynomacho, & Timocrati donata à nobis ſunt, quantum licuerit, ſeponunto (id proſpicientes cum Hermacho) ad parentandum noſtris, & patri, & matri, & fratribus, ac etiam nobis, pro conſueto celebrari natali die in decade prima menſis Gamelionis cuiuſlibet anni, atque adeò ad conuentum* (epularem, ex Cicerone) *eorum, qui nobiſcum ſunt philoſophati, cuiuſque menſis vigeſimâ* (ſeu, vt Cicero loquitur, omnibus menſibus viceſimo die Lunæ) *ad noſtri ſimul, ac Metrodori inſtitutum memoriam. Fratrum verò diem menſe Poſideone* (qui ex parte noſtro Decembri reſpondet) *vt & nos fecimus, agunto; & Polyæni etiam diem Metagitnione menſe* (qui in Auguſtum cadit) *celebranto.*

lib. 2. de fin

Loc. cit.

V. Seruorum manumiſſio. Ἀφίημι δὲ τῶν παίδων ἐλεύθερον Μῦν, Νικίαν, Λύκωνα, ἀφίημι δὲ καὶ Φαίδριον ἐλευθέραν, *Ex ſeruis manu-mitto Murem, Niciam, Lyconem; dimitto etiam Phædrium liberam.*

VI. Denique generalis omnium, ſed Scholæ præſertim demandata cura. Ὅπως ἂν συνδιασώζουσιν, Ἀμυνομάχῳ, καὶ Τιμοκράτει κατὰ τὸ δυνατὸν, τὴν ἐν τῷ κήπῳ διατριβὴν παρακατατίθεμαι, τοῖς τε αὐτῶν κληρονόμοις, ἐν ᾧ ἂν τρόπῳ, ἀσφαλέστατον ᾖ, ὅπως ἂν κἀκεῖνοι διατηρῶσι τὸν κῆπον, καθάπερ καὶ αὐτοὶ, οἷς ἂν οἱ ἀπὸ ἡμῶν φιλοσοφοῦντες παραδιδῶσι, *Depoſiti iure committo Amynomacho, & Timocrati, vt quantum fieri poterit, conſeruent Scholam, quæ in horto eſt. Itémque eorum hæredibus, eo modo, quo maximè ratum ſit, vt ipſi quoque hortum ſeruent. Quâ etiam curâ tenebuntur ij, quibus ſucceſſores noſtri Philoſophi commiſerint. Et poſtremò,* Καὶ τῶν λοιπῶν ἁπάντων, ὡς συντετάχαμεν, ἐπιμελείσθωσαν, ὅπως δὴ κατὰ τὸ ἐνδεχόμενον ἕκαστα γίγνηται, *Cætera quoque omnia, prout à nobis conſtituta ſunt, quò peragantur ſingula, quatenus licebit; curanto.*

CAPVT II.

Quæ fuerint illius extrema.

De morbo extremo, ac morte conſequuta vt iam dicamus, ſciendum eſt Epicurum fuiſſe conſtitutionis haud multum firmæ. Id innuit vel titulus libri à Metrodoro conſcripti, περὶ τῆς Ἐπικούρου ἀῤῥωστίας, *de Epicuri infirmitate*, ſeu *aduersâ valetudine.* Innuit & inuidioſa illa exaggeratio Suidæ, quòd neque iniectionem veſtium Epicurus ferret, neque facilè è lecto deſcenderet, & neque Solem, neque ignem contueri poſſet, & ſimilia. Nempe vt iſta aliud non ſuadeant, ſaltem inſinuare poſſunt Epicurum fuiſſe habitus, ſeu complexionis non robuſtæ. Porrò, vt in vitæ decurſu ſanitate vſus conſtante non fuerat, ſic graui tandem morbo interiit, calculo videlicet; quo etiam probabile eſt eumdem ſæpius vexatum fuiſſe. Recitat ecce Laërtius ex Hermacho in Epiſtolis, vt lapide vtinam cohibente diem clauſerit, cùm quatuordecim diebus ægrotaſſet. Memorabile verò eſt, quòd *iam morti proximus*, ἤδη τελευτῶν, ſcripſerit illam Epiſtolam, quam ad Idomeneum ſcriptam memorat Laërtius, ad Hermachum Cicero. Fortè ſcripta eſt ad vtrumque, propter τὸ ὑμῖν: vel ad Idomeneum potiùs, quàm ad Hermachum, quòd Metrodori liberi ſatis fuiſſent Hermacho ex teſtamento commendati. Adde Hermachum, ſucceſſorem proximum, non videri fuiſſe abſentem, cùm etiam Epicuri mortem literis miſſis deſcripſerit; vt taceam illum ἐκ μειρακίου ad Rhetoricam potiùs, quàm ad Philoſophiam ſeſe comparaſſe, vt ex Laërtio perſpicuum eſt. Sed vtcumque ſit, Epiſtolam ecce, Τὴν μακαρίαν ἄγοντες, καὶ ἅμα τελευτῶντες, ἡμέραν τοῦ βίου, ἐγράφομεν ὑμῖν ταυτί. Στραγγουρία τε παρηκολουθήκει, καὶ δυσεντερικὰ πάθη, ὑπερβολὴν οὐκ ἀπολείποντα τοῦ ἐν ἑαυτοῖς μεγέθους. Ἀντιπαρετάττετο δὲ πᾶσι τούτοις τὸ κατὰ ψυχὴν χαῖρον, ἐπὶ τῇ τῶν γεγονότων ἡμῖν διαλογισμῶν μνήμῃ. Σὺ δ' ἀξίως τῆς ἐκ μειρακίου παραστάσεως πρὸς ἐμὲ, καὶ φιλοσοφίαν, ἐπιμελοῦ τῶν παίδων Μητροδώρου. Poſſemus verba verbis reddere; cùm Epiſtolam tamen integram Cicero ipſe verterit, aliis, quàm ipſius verbis interpretari pigeat. Ille ergo ſic: *Cùm ageremus vitæ beatum, & eumdem ſupremum diem, ſcribebamus hæc. Tanti autem morbi aderant veſicæ, & viſcerum, vt nihil ad eorum magnitudinem poſſet accedere. Compenſabatur tamen cum his omnibus animi lætitia, quam capiebam memoriâ rationum, inuentorúmque noſtrorum. Sed tu, vt dignum eſt tuâ erga me, & erga Philoſophiam voluntate ab adoleſcentia ſuſceptâ, fac vt Metrodori tueare liberos.* Addit Laërtius ex Hermippo, Epicurum ſeſe in balneum calidâ aquâ plenum demiſiſſe; eúmque popoſciſſet merum, id hauſiſſe; & dum commendaret amicis, vt dogmatum ſuorum forent memores, hæc inter verba defeciſſe: Subiicit continuò Laërtius hoc ex ſeipſo Tetraſtichon:

Apud Laërt. lib. 10. in Lex.

L. 2. de fin.

loc. cit.

Χαίρετε, καὶ μέμνησθε τὰ δόγματα, τοῦτ' Ἐπίκουρος
ὕστατον

Ὕστατον εἶπε φίλοις τοῦτ' ἀποφθίμενος.
Θερμὴν ἐς πύελον γὰρ ἐσήλυθε, καὶ τὸν ἄκρατον
Ἔσπασεν, εἶτ' Ἀΐδην ψυχρὸν ἐπεσπάσατο.
Extremum hoc moriens Epicurus dixit Amicis:
Saluete, & Placitis inuigilate meis.
Quippe iniit peluim calidam, vinóque ſubhauſto
Plutonis gelidas protinus hauſit aquas.

CAPVT III.

Quo tempore obierit.

EFLVXXAT porrò, quo tempore Epicurus interiit, CXXVII. Olympiadis annus II. Archonte Pytharato. Siquidem poſt δεύτερον ἔτος, quod ex Apollodori Chronicis retulit Laërtius, bene legit Caſaubonus (lib.10.) ἑ αἰκοςῆς ἑβδόμης, καὶ ἑκατοςῆς ὀλυμπιάδος: quippe cùm vulgò deſit vox, εἰκοςῆς quis capiat Epicurum natum Olympiade CIX. mori potuiſſe CVIII? Et verò CXXVII. eſt, in quam annus Epicuri LXXII. quo obiiſſe dicitur, cadit. Iam & menſem, & diem anni, quo Epicurus è viuis exceſſit, indicat Clemẽs Alexandrinus (lib.1.Strom.). Memorat enim Antilochum ab ætate Pythagoræ ad mortem vſque Epicuri, numerantem annos CCCXII. adiicientémque huiuſmodi mortem contigiſſe menſis Gamelionis die decimâ. Quo loco nota, ſi Pythagoræ ætatem numeraueris ab Olympiade LX. quâ ille floruiſſe apud Laërtium dicitur, non reperiri plureis annos ad mortem vſque Epicuri, quàm CCLXX. ac proinde calculo Antilochi deeſſe annos XLII. Quocircà ἀκμὴν illam, ſeu ætatem accipiendam eſſe à nato vſque Pythagora, qui anno deinde ætatis circiter XL. florere occeperit. Cùm Epicurus porrò dicatur à prædicto Apollodoro vixiſſe annos LXXII. quod confirmat etiam Cicero, dum (lib.de fato.), *ſemper*, inquit, *verum fuit, morietur Epicurus cùm duos, & ſeptuaginta annos vixerit, Archonte Pytharato*; (& ex quo nonnulli coniiciunt Epicuri mortem in annum climactericum, qui nouennario menſuretur) non eſt tamen annus extremus, ſeu LXXII. vt completus accipiendus. Siquidem illum Epicurus ſolummodò attigerat, vt puta tribus adiectis diebus ad LXXI. cùm fuerit natus VII[a]. mortuus X[a]. menſis Gamelionis (interpoſitis ab ortu ad interitum Olympiadibus, ſeu tetraëteridibus completis XVIII. vno anno minùs.) Quamobrem, perinde hoc eſt, ac dum Plinius (lib.7.c.48.), Lucianus (in Macrob.), Cenſorinus (de die nat.) Siculum, ſeu Leontinum Gorgiam vixiſſe dicunt annos CVIII. cùm illum tamen Cicero (in Cat. mai.), & Valerius Maximus (lib.8.c.13.) compleſſe tantùm dicant CVII. Notanda verò heic comparatio, quam Plutarchus (lib. de orac. def.) inſtituit Epicurum inter, & Gorgiam. Poſtquàm enim ſcripſit Alexidem Comicum (ſcilicet Menandri filium, & Stephani Comici patrem, vt refertur à Suida (in Lex.)) vixiſſe duplum vitæ Metrodori, hoc eſt annos CVI. cùm Metrodorus, ex Laërtio (lib.10.) LIII. vixerit; ſubiicit Gorgiam Sophiſtam vixiſſe πλεῖον, ἢ ἐπίτριτον, *amplius triente*, ſeu proportione ſeſqui-tertia, quàm Epicurum. Id nempe, quia ſi accipiamus numerum XXXVI. is ipſe erit, quem duplicatum Epicurus vixerit, triplicatum Gorgias. Quod Plutarchus verò dixit, *amplius*, reſpexit fortè ad opinionem, quam deinde ſequuti ſunt Quintilianus (lib.3.cap.1.), & Suidas, quòd videlicet Gorgias vixerit annos CIX. Non video porrò quorſum Interpres Clementis Alexandrini (in Lex. Heruetut.) pro Gamelione verterit *Octobri*. Etſi enim ſit aliqua circa ordinem menſium Græcorum controuerſia; neminem tamen reperias, qui Gamelionem non faciat ſextum, ſeptimum, vel octauum ab Hecatombæone, qui cùm altiùs, quàm à Iunio non poſſit incipere, profectò ſemper Gamelion longè aberit ab Octobri. Cùm itaque multis argumentis Gamelion fuiſſe conuincatur ab Hecatombæone ſeptimus, ille ad Ianuarium potiùs videtur fuiſſe referendus. Quia verò annus ille ſecundus Olympiadis CXXVII. cœpit ab æſtate anni periodi Iulianæ MMMM, CCCC, XLIII. debuit Gamelion eiuſdem anni incidere in Ianuarium anni incipientis periodi Iulianæ MMMM. CCCC. XLIV. In quem autem diem Ianuarij dies decima Gamelionis incidere potuerit, determinatu facile non eſt. Si liceat tamen Gamelionem incboare (vt tempore natiuitatis factum obſeruauimus) à decima quarta Luna, ſeu à Plenilunio, quod ſeptimo loco poſt Solſtitium Æſtiuum contigerat; cùm Nouilunium celebratum fuiſſet die Decembris XXX. ac proinde Luna decima quarta numarata fuiſſet die Ianuarij XII. idcircò vbi iſtum primum Gamelionis fecerimus, decimus eius incidet in Ianuarij XXI. tali igitur die debuit mors Epicuri contingere. Ex quo notandum vlteriùs eſt, cùm Epicurus dicitur attigiſſe annum LXXII. debere illud de Græcorum anno, non de Iuliano accipi; ſic enim duo deeſſent dies, cùm die Ianuarij XXIII. natum fuiſſe probatum ſit. Nunc facile eſt Epicuri mortem ad ea referre tempora, quæ iam nobis in vſu ſunt. Siquidem vbi X. dies detraxerimus, & pro Solari cyclo illius anni (ſcilicet XX.) ac literâ D in veteri ſtylo, noſtrum G repoſuerimus, perſpicuum euadet Epicurum mortuum die Ianuarij XXXI. exſiſtente feriâ quartâ, ſeu die Mercurij, ante Christi Æram CCLXX. ac proinde ante huius à Chriſto anni Ianuarium exeuntem M. DCCCC. XII.

CAPVT IV.

Quàm cara Sectatoribus eius memoria fuerit.

SVPEREST cognoſcamus paucis vt Epicuri mortui memoriam Sectatores coluerint. Nam miſſum quidem imprimis

facio, quòd Patria illum *ſtatuis æreis hono-*
lib. 10. *rauerit*, χαλκαῖς εἰκόσι τιμήσασα, vt Laërtius lo-
quitur. Adnoto verò ſtatas dies, ac Teſta-
mento cautas cæremonias fuiſſe à Sectato-
ribus ſtudioſiſſimè obſeruatas. Poſt enim
lib. 35. c. 2. CCCL. annos ſcribens hac de re Plinius,
Natali eius, inquit, XX°. *Luna ſacrificant,*
feriáſque omni menſe cuſtodiunt, quas Icadas
vocant. Ex hoc intelligere licet Epicureos
lib. 7. à Græcis authoribus (vt ab Athenæo) εἰκαδι-
σταὶ, dici, quòd εἰκάδας obſeruitarent, vt
Rhodiginus quoque animaduertit. Tametſi
non deſunt, qui putent Icadiſtas dictos, quod
Riuier. ἡ εἰκάς nomine oon modò viceſima ſeu
dies, ſeu Luna ſignificetur, verùm etiam
effigies, ſeu imago, εἰκών, Epicuri, quâ eo-
rum nullus deſtituebatur. Porrò de hiſce
imaginibus audiendus etiam Plinius eſt:
loc. cit. *Vultus*, inquit, *Epicuri per cubicula geſtant,*
ac circumferunt ſecum. Cicero autem ſub per-
lib. 5. de fin. ſona Attici: *Nec tamen*, inquit, *Epicuri li-*
cet obliuiſci, ſi cupiam, cuius imaginem non
modò in tabulis noſtri familiares, ſed etiam in
Alexand. ab *poculis, & annulis habent.* Sunt qui addant,
Alex. *aliquibus magnæ curæ fuiſſe Epicuri imagines*
lib. 2. c. 19. *non annulis modo, ſed & poculis habere, ar-*
bitrantibus hoc genti, & nomini ſuo fauſti eſſe
ominis. Ad hæc, vt affectum erga ipſum
verbis expreſſum habeas, audi Patronem
illum loquentem circa Melitenſium Parieti-
lib. 13. fam. narum negotium: *Honorem*, inquit Cicero,
ep. 1. *officium, teſtamentorum ius, Epicuri authori-*
tatem, Phædri obteſtationem, ſedem, domici-
lium, veſtigia ſummorum virorum ſibi tuenda
eſſe dicit; Maximè verò ipſum Torquatum:
lib. 2. de fin. *Nonne ei maximam gratiam habere debemus,*
inquit, *qui exaudita quaſi voce naturæ, ſic*
eam firmè, grauitérque comprehenderit, vt
omnes bene ſanos in viam placatæ, tranquillæ,
Ibid. *quietæ, beatæ vitæ deduceret?* Et rurſus: *Quem*
ego, inquit, *arbitror vnum vidiſſe verum,*
maximiſque erroribus hominum animos libe-
raniſſe, & omnia tradidiſſe, quæ pertinerent
ad bene, beatéque viuendum. Heinc quia
Epicurus ſuos moriens admonuerat, vt pla-
Lib. de fin. citorum ſuorum meminiſſent, docet Cicero,
cùm omnes ad verbum ediſceteut Ratas Epi-
curi Sententias, fuiſſe etiam, qui dogmata
omnia memoriâ tenerent, ac imprimis Scy-
lib. 4. ronem illum, de quo in Academicis. Verùm
ſufficiat heic pauca ex Lucretio attexere, vt
vberius intelligas, quanto affectu & docto-
rem, & dogmata proſequerentur. Sic igitur
ille tertium librum inchoat:

E tenebris tãtis tam clarum extollere lumen
Qui primus potuiſti, inluſtrans commoda
vitæ,
Te ſequor, ô Graiæ gentis decus, inque tuis
nunc
Fixa pedum pono preſſis veſtigia ſignis:
Non ita certandi cupidus, quàm propter
amorem,
Quòd te imitari aueo. Quid enim conten-
dat hirundo
Cygnis? aut quidnam tremulis facere artu-
bus hœdi
Conſimile in curſu poſſint, ac fortis equi vis?
Tu pater es rerũ inuentor; tu patria nobis
Suppeditas præcepta, tuiſque ex, inclute,
chartis,
Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta,
Aurea, perpetuâ ſemper digniſſima vitâ.

Et ſtatim,

His tibi me rebus quædam diuina voluptas
Percipit, atque horror, quòd ſic natura tuâ vi
Tam manifeſta patet ex omni parte retecta.

Ac poſteà:

Ipſe Epicurus obit decurſo lumine vitæ,
Qui genus Humanum ingenio ſuperauit, &
omneis
Præſtinxit, ſtellas exortus vti ætherius Sol.

CAPVT V.

Quantâ conſtantiâ, conſenſio-néque Schola ipſius ſuc-ceſſio viguerit.

DIGNVM verò quoque memoratu eſt
tum Scholæ ipſius ſucceſſionem fuiſſe
conſtantem admodum; tum ſucceſſores, ſe-
ctatoréſque ita perpetuò conſenſiſſe, vt vi-
deri res admirationis digniſſima poſſit. Et
quod attinet quidem ad conſtantiam, notum
eſt præſides hortorum, ſeu præfectos Scho-
læ, ab ipſa morte Epicuri ad tempora vſque
Iulij, & Auguſti Cæſarum continuâ ſerie
ſibi ſuccedenteis memorari à Suida exſtitiſſe in vo. Epi.
quatuordecim; idque per annos CCXXXVII.
Illis verò temporibus, quam-multi eſſent
Epicurei etiam viri ſummi, & in Republica
principes, vel ex vnius Ciceronis monumen-
tis poſteà dicetur. Deinde Lucianus ſcribit in Eun.
temporibus ſuis ſtipendia Epicureis, haud
ſecùs quàm aliis Profeſſoribus, ab Impera-
tore fuiſſe conſtituta; adiiciens illorum ali-
quo demortuo, probatiſſimum quemque in
locum ipſius fuiſſe ſolitum ſubrogari. At lib. 10.
Laërtius poſt Lucianum ſcribens, declarat
quemadmodum cæteris Philoſophorum ſuc-
ceſſionibus propè deficientibus, Epicuri ſuc-
ceſſio continenter perſeueraret, præfectu-
ráſque diſcipulorum, alias aliis ſucceden-
teis innumetas efficeret. Addit Numenius l. 14. præp.
apud Euſebium, eiuſcemodi ſucceſſionem
ad ſua vſque tempora ſic perſeueraſſe, ac
etiam-num perſiſtere, vt impoſterùm etiam
perduratura videretur. Heinc ſequutos La-
ctantius, *Epicuri*, inquit, *Diſciplina multò* lib. 3. cap. 17.
celebrior ſemper fuit. Vno verbo, quandiu
literæ in Græcia floruerunt, & Roma ipſa
à Barbarorum deuaſtatione immunis fuit,
Epicuri Schola, atque diſciplina non ince-
lebris conſtitit.

Circa Conſenſionem, prætereo illud Ci- 4. Acad.
ceronis, *Suſtinuere Epicureos tot meos fami-*
liareis tam bonos, tam inter ſe amanteis viros,
cæteráque loca ſimilia. Illud potiùs adnoto;
cùm cæteræ Sectæ ab ipſis vſque initiis di-
ſcerptæ ſemper inteſtinis diſſidiis fuerint,
Epicuream longè abfuiſſe, vt tale quidpiam
pateretur. Scribit enim Themiſtius *ea, quæ* orat. 4.
Epicuro placuerunt, vt quaſdam Solonis, aut

Lycurgi

Lycurgi leges ab Epicureis omnibus ſeruari. Et quaſi omneis vnus, idémque animaret ſpiritus, epiſt.33. *Apud iſtos*, inquit Seneca, *quicquid dicit Hermachus, quicquid Metrodorus, ad vnum refertur. Omnia, quæ quiſquam in illo contubernio loquutus eſt, vnius ductu, & auſpiciis dicta ſunt.* Epiſt.34. Inde eſt & illud eiuſdem, cùm propoſita hac ſententia, *Is maximè diuitiis fruitur, qui minimè diuitiis indiget;* & quaſi juſſus à Lucilio auctorem eius edere, *Vt ſcias*, inquit, *quàm benigni ſimus, propoſitum eſt aliena laudare. Epicuri eſt, aut Metrodori, aut alicuius ex illa officina.* Verùm res fiet adhuc illuſtrior, ſi Numenij Pythagorici locum, qui eſt apud Euſebium, lib.14. præp. iſthuc traduxerimus. Ille enim poſtquam doluit, quòd Platonis ſucceſſores conſenſionem non defendiſſent, propter quam Pythagorei in pretio forent, ſubiicit, *Hoc verò modo Epicurei (immerentes licet) inſtituti, nullâ omninò in re diſſidere ab Epicuro viſi ſunt; profeſſique eadem cum Sapiente ſuo Placita habere, non iniuriâ ſuum attigêre ſcopum. Ex eo deinceps Epicureis longo iam tempore euenit, vt neque ſibi inuicem, neque Epicuro vlla in re contradixerint, quæ digna quidem ſit memoratu. Quin apud ipſos delictum eſt, vel impietas potiùs, & damnandum piaculum, ſi quidpiam fuerit innouatum: Quare id nemo audeat. Hinc propter conſtantem illorum inter ſe conſenſionem, dogmata placidiſſimè, pacatiſſiméque ſe habent, ha eque Epicuri Inſtitutæ Reſpublicæ cuipiam veræ, germanæque perſimilis eſt, quam nempe à ſeditione remotiſſimam, vna mens communis, vnáque moderatur ſententia. Ex quo nec defuerunt, nec deſunt, neque, vt apparet, defuturi ſunt, qui perlubenter illam ſequantur. At Stoicos inter factiones, &c.* Poſſet quiſpiam exiſtimare nihil iſti loco deeſſe, niſi vt de Epicureis omnibus illud diceretur, quod de duobus lib.1. cap.8. dictum à Valerio ſuprà vidimus, vt ſcilicet quis talem Societatem cœleſtis concordiæ ſinu genitam, nutritam, ac finitam putet.

CAPVT VI.

Qui Succeſſores, Sectatoréſque Epicuri commemorentur.

NVNC, cùm videatur Catalogus illorũ eſſe ſubtexendus, qui Epicuro mortuo in illius Secta claruerunt; notum eſt quidem ex antè dictis, ſucceſſiſſe Epicuro Hermachum, & Hermacho Polyſtratum, conſtatque ex Laërtio ſucceſſiſſe Polyſtrato Dionyſium, & Dionyſio Baſilidem; at qui fuerint illi decem ſucceſſores à Baſilide ad eum vſque, qui temporibus Auguſti Scholam tenuit, non eſt nobis dicere promptum. Fortaſſis tamen Baſilidi ſucceſſit Protarchus Bargyleites, ille ſcilicet, qui Straboni *illuſtris Vir* dicitur. lib 14. Docet verò idem Strabo Protarchi diſcipulum extitiſſe Demetrium lib.10 cognomento Laconem, cuius Laërtius etiam meminit, & quem Sextus Empiricus dicit inter Sectatores Epicuri fuiſſe inſignem. lib 2. adu. Log. Fortè huic ſucceſſit Diogenes Tarſenſis Selectarum Scholarum auctor, quarum Laertius in Epicuro ad viginti vſque libros citat; citat verò etiam dogmatum Moralium eiuſdem Epitomen. Memorat prætereà Laërtius (incertum tamen an ad ſeriem ſucceſſorum pertineant) duos Ptolemæos Alexandrinos, ex quibus ſeu color, ſeu aliud diuerſitatem fecerit, vnus *Niger* dictus fuit, alter verò *Albus*. Memorat etiam Orionem. Memorare etiam videtur Democritum quemdam, qui intellectæ Epicuro voluptatis meminerit in Timocrate.

Sequuntur præter ordinem duo, quos videre licet apud Athenæum. lib.13. Vnus eſt Diogenes ex Seleucia Babyloniæ vicina, quem ille facundum quidem inter diſſerendum deſcribit; ſed cætera malè moratum, vt referendum inferiùs eſt. Alius eſt Lyſias, quem idem ſcribit apud Tarſum imperaſſe, & electum à Patria Stephanephorum, Herculis nempe Sacerdotem, principatum cum regiis ornamentis retinuiſſe. Hic eſt, qui diuitum fortunas in pauperes diſtribuens, multos etiam ex iis occidit, qui dare abnuerent. Quo tempore is vixerit, definire non poſſumus; Diogenes ille cùm fuerit Alexandri Syriæ Regis, & Antiochi illius ſucceſſoris temporibus, referri poteſt ad Olympiadem circiter CLV. Videtur per hæc tempora floruiſſe Eucratidas ille, de quo apud Ianum Gruterum in inſcriptionibus hæc leguntur: *Brundiſij pro foribus ædium Diomedis Athenæi Medici, in baſi*, ΕΥΚΡΑΤΙΔΑΣ Πεισιδάμου Ῥόδιος φιλόσοφος Ἐπικούρειος ὁ τόπος τῆς Βρενδεσίνων βουλῆς [illegible]. *Eucratidas Peiſidami F. Rhodius, Philoſophus Epicureus L. P. D. D. D.*

At non longè poſt ea tempora floruiſſe videtur in Schola Apollodorus ille, quem Laërtius & *illuſtrem* dicit, & κηποτύραννον, vt opinor, vocat, quòd ſic in hortis regnauerit, vt in iudiciis regnaſſe Demoſthenes dictus eſt. Hic ſuprà libros trecentos ſcripſit, ac nominatim Epicuri vitam aliquot libris complexus eſt: Laërtius enim περὶ τοῦ Ἐπικούρου βίου primum citat. Suſpicetur quiſpiam eundem eſſe, cuius & Laërtius, & alij Chronica citant. Apollodori auditor fuit Zeno Sidonius, ex Laërtio, qui addit ipſum multa ſcripſiſſe. lib.7. Memorat etiam alicubi eumdem fuiſſe ſententiâ, & eloquutione clarum; ex quo fit, vt hunc eſſe putem, quem Zenonem Cicero ſcribit dixiſſe diſtinctè, grauiter, ornatè, 1.1. de nat. Deor. adiiciens dictum *Coryphæum*, & *Principem Epicureorum*. Niſi fortè ſit; tam ipſe, quàm Apollodorus ſuperiorum ſunt temporum; ſin autem ſit, tum pertinet ad tempora Imperatorum, quando Cicero ibid. & ipſum audiuit, & de eodem ad Atticum l.5. epiſt.11. ſcribens: *Zenonem*, inquit, *tam diligo, quàm tu.*

Aliquantò vetuſtior, ſed Romæ, fuit T. Lucretius Carus (obiit enim iuxta Euſebium Olympiade CLXXI. cùm ageret annum ætatis quadrageſſimum tertiũ) Poëta nempe

ille inſignis, cuius ſex libri de Rerum na-
tura hactenus ſuperſtites vbetiorem, quàm
aliàs vſquam, Epicureæ Philoſophiæ expli-
cationem continent, & qui viderentur præ-
ſertim hoc loco eſſe celebrandus, niſi quot-
quot magni Viri ſcripta eius attigerunt, ma-
Cic.1. ad ximopere ipſum commendaſſent. Dictus ni-
Qu. fr. mirùm illis eſt *vir multa artis, præſtans ele-*
Epiſt.10. *gantiâ, doctus, magnus*, & alia. Hinc cùm
Quintil. elogio noſtro non egeat, ſufficiat heic ap-
Stat. Silv. &c. ponere egregium de ſcriptis illius, Ouidij
lib.1. vaticinium:
Amor. eleg.15.

Carmina ſublimis tunc ſunt peritura Lu-
creti,
Exitio terras cùm dabit vna dies.

lib.4. Minimè porrò videtur dubium, quin
de lingua mendum apud Varronem ſubſit, ne ſit pro
Lat. *Lucretio* legendum *Lucilius*, vel quid ſimile,
dum, *Lucretius*, inquit, *ſuorum vnius, &*
viginti librorum initium fecit hoc,

Æthonis, & terra genitabile quærere tẽpus.

Nimirum neque hoc librorum Lucretia-
norum initium eſt, neque dici poteſt quid
Lucretius in quindecim libris deſideratis
ediſſeruiſſet; neque (quod mirum) cùm Gram-
matici veteres, aliique authores memoratos
ſex libros citent, vllus tamen vnquam ci-
tauit aliquem ex iis quindecim.

Vetuſtior adhuc Romæ fuerat Pompilius
lib. de Illuſt. Andronicus natione Syrus, quem Suetonius
Gram. inter illuſtreis recenſet Grammaticos, quí-
que opuſculum annalium Elenchorum ſe-
decim millibus nummûm preſſus inopiâ,
vendidit. Ne memorem verò Aurelium Opi-
lium Epicurei cuiuſdam libertum, qui Phi-
loſophiam primò, deinde Rhetoricam, no-
uiſſimè Grammaticam docuit, ex eodem
ibid. Suetonio; placet potiùs eos memorare, quos
Cicero refert vt contemporaneos, & ma-
xima parte etiam familiareis.

Ex illorum numero fuit T. Pomponius
Atticus, quem Cicero colloquutorem in
libris de legibus facit; cui dicat librum de
Senectute; ad quem ſcripta ſedecim ſuper-
ſunt Epiſtolarum volumina. De præclaro
huius ingenio, virtutéque eximiâ nihil eſt,
quod heic adiiciamus; cùm præter ea, quæ
colligere ex Ciceronis operibus licet, vita
ipſius egregia per Cornelium Nepotem
ſcripta teratur omnium manibus.

L. Torquatus, ex Nobili, & antiqua illa
Torquatorum familia; & alius tamen ab eo,
lib. de fin. qui cum Cn. Octauio Conſul fuerat; quem
Cicero colloquutorem in libris *de Finibus*
facit, appellans ipſum hominem omni do-
ctrinâ eruditum. Hic obierat, cùm Cicero
huiuſmodi opus conſcripſit, vt teſtatum ex
iis habemus, quæ ſunt ſcripta ad Atticum.
l.13. ep.19. Videtur verò & idem eſſe, aduerſus quem
accuſatorem pro P. Sylla oratio eſt.

C. Velleius Senator, quem colloquuto-
lib.1. rem facit Cicero in libris de natura Deorum,
eloquentiam eius commendans, ipſúmque
eſſe prædicans, ad quem qui tum Romæ eſ-
ſent Epicurei primas deferrent; cùm eundem
quoque L. Craſſus omnibus togatis ſine du-
bio anteferret, & paucos cum illo è Græcia
Epicureos compararet.

C. Caſſius, cuius, & ad quem Epiſtolæ
quædam inter Ciceronianas extant. Iſte ex lib.15. famil.
inita cum Bruto ad tuendam patriæ liberta-
tem ſocietate euaſit illuſtris. Multa de eo in Brutn.
habet Plutarchus: multa etiam variis in lo-
cis ipſe Cicero; ſed in Philippicis præſertim; Philip.2.
vbi & geſta ipſius in Oriente commendat, &
generoſam familiam prædicat, & nullam
cenſet poſteritatem tam immemorem, nullas
literas tam ingratas, quæ non eius gloriam
memoriâ immortalitatis proſequantur.

C. Trebatius, quem factum Epicureum,
& idem cum Attico ſentientem iocatur in
Epiſtolis. Is eſt, ad quem Topica miſit, & l.7. epiſt.12.
quem apud Cæſarem ita commendauit, vt
probiorem hominem, meliorem virum, pru- ibid. ep.19.
dentiorem neminem dixerit. Et, *accedit*, in- ibid. ep.5.
quit, *quòd familiaritatem inducit, in iure*
ciuili ſingularis memoria, ſumma ſcientia. Sed,
ne multa conſecter, vide vel vnicum locum
in VI. Epiſtolarum, in quo quanti virum Epiſt.6.
faciat, & quantopere ipſum amet, facit lu-
culentiſſimum: addéque, ſi lubet, illud Ho-
ratianum

— Niſi quid tu, docte Trebati, — Diſſentis.

L. Papirius Pætus, cuius illuſtrem fami- lib.2. ſat.1.
liam Papiſiorum antiquitùs dictam Cicero lib.9. ep.21.
texerit, ſimúlque eloquentiam, ac peritiam
rei militaris, & virtutes cæteras, atque or-
namenta commendat in Epiſtolis. Nomina- ibid. ep.25.
tim verò ad Atticum ſcribens, *L. Papirius* lib.1. ep. vlt.
Pætus, inquit, *vir bonus, amatórque noſtri,*
mihi libros eos, quos Ser. Claudius reliquit,
donauit.

Vettius, qui Pæti familiaris, cum ipſo lib.9. ep. vlt.
ſimul Attico, idcircò dici videtur, quòd ex
eadem quoque fuerit Epicuri familia.

L. Sauſeius, cuius Cicero in Epiſtolis ad lib.2. ep.4.
Atticum meminit. De eo ſic habet Cornelius in vit. Att.
Nepos, cùm de Attico loquitur: *Cùm L. Sau-*
feij Equitis Rom. æqualis ſui, (qui cum eo com-
plureis annos ſtudio ductus Philoſophiæ habi-
tàrat, habebátque in Italia pretioſas poſſeſſio-
nes) Triumviri bona vendidiſſent, conſuetudi-
ne ea, qua tum res gerebant, Attici labore, at-
que induſtria factum eſt, vt eodem nuncio
Sauſeius fieret certior ſe patrimonium amiſiſſe,
& recuperaſſe.

T. Albutius, cuius fit mentio in libris de lib.1.
natura Deorum, & qui in Bruto doctus
Græcis, vel potiùs penè Græcus dicitur. Sci-
licet Athenis adoleſcens fuit, vbi & per-
fectus euaſit Epicureus, ac orationes dein-
de ſcripſit, vt ex eo loco intelligitur. *Quid* in Piſon.
T. Albutius inquit in Tuſculanis? *Nonne* lib.5.
æquiſſimo animo Athenis Philoſophabatur?
Cui tamen illud ipſum non accidiſſet, niſi in
Repub. quieſcens, Epicuri legibus paruiſſet.
Colligi interim ex hoc loco poteſt eſſe iſtum
eundem cum Albutio illo, quem Cicero in
orationibus ait, cùm triumphaſſet in Sardi-
nia, fuiſſe poſteà damnatum Romæ.

L. Piſo, quem Cicero cum prædicto Al-
bucio confert, poſſet heic adiungi: verùm ita
depingitur, vt videatur moribus corruptiſſi-
mis extitiſſe. In ipſa porrò in Piſonem Ora-
tione memoratur, Græcus ille, qui fuit vir
non Philoſophiâ ſolùm, ſed literis etiam per-
politus:

politus : Homo verè humanus , ac eo ſolùm nomine infelix , quod Piſonem (etſi Senatorem) nactus fuit diſcipulum.

lib. 2. Acad. 4. Tuſc.

C. Amafanius, cuius dicendi rationem etſi Cicero improbat, non negat tamen, quin eius libris (quibus ſcilicet Epicuri diſciplinam explicabat) multitudo commota, ad eam ſe contulerit. Hic ille idem eſſe videtur, quem Caſſius in Epiſtolis ad Ciceronem Amafinium dicit, & vnum cenſet eſſe ex malis verborum interpretibus. (lib. 15. ep. 19.)

ibid.

Catius Inſuber, quem idem Caſſius cenſet alium malum verborum interpretem. Hic eſt, quem Cicero ſcribit dicta Epicuro, & Democrito εἴδωλα nominaſſe *ſpectra*. Doctum appellat Horatius, & Quintilianus leuem quidem, ſed non iniucundum auctorem. (ibid. ep. 16. 2. ſerm. ſat. 4. lib. 10. c. 1.)

lib. 15. ep. 19. lib. 7. ep. 12.

Panſa, cuius idem Caſſius commendat probitatem, & clementiam, laudans Virum, quòd ἡδονὴν ſequens virtutem retineat. Hunc Cicero vocat ſuum. Cùm verò Torquatus illum interemptum à Medico ipſius Glaucone ſuſpicaretur, & hominem in vinculis vt parricidam cuſtodiret; Medicum Cicero purgauit in Epiſtolis ad Brutum. (Epiſt. 6.)

lib. 7. ep. 26.

M. Fabius Gallus, ad quem Cicero de morbo ex inteſtinis, quo, decimo iam die laboraret, ſcripſit, ſignificans ſimilem illi, quo Epicurus interierat, hocque adiiciens; *confectus languore, & fame magis tuum officium deſideraui, quàm abs te requiri putaui meum.* Hunc Gallũ fuiſſe aliũ ab iis, quos Virgilius in Eclogis memorat, ſatis manifeſtum eſt.

ecl. 6. & 10. lib. 1. de fin. lib. 13. ep. 1. lib. 5. de fin. Phil. 5. lib. 1.

Phædrus, quem Cicero audiuit, & Atticus valde amauit. Nobilis fuit Philoſophus, ſic enim illum Cicero in Philippicis appellat, dum Lyſiadem Athenienſem illius filium commemorat. Quin etiam illo nihil elegantius, nihil humanius fuiſſe ſcribit in libris de natura Deorum: *ſed ſtomachabatur*, inquit, *ſenex, ſi quid aſperius dixeram*, opinor, contra Epicurum.

Patro, quicum Cicero dicit omnia ſibi fuiſſe præter Philoſophiam. Videtur autem fuiſſe ex hæredum Epicuri ſucceſſoribus; ſcilicet non oſcitanter curabat legatam domum. Quippe cùm, vt eſt antè adnotatum, ab Areopago, Polycharmo Prætore, C. Memmius locum obtinuiſſet, in quo exædificaret, id ſummè contendit, vt ὑπομνηματισμὸν, ſeu decretum in tabulas relatum Areopagus tolleret, vnde & Ciceronem induxit vt eâ de re ad Memmium Epiſtolam ſcriberet, de qua, ipſiúſque ſucceſſu, nihil eſt heic loci repetendum. (lib. 13. ep. 1.)

Et Memmius quidem aliquis videri poteſt accenſendus Sectatoribus Epicuri, is nimirum, cui Lucretius libros ſuos dicans, *Pangere conor*, inquit, *Memmiada noſtro*; &, *Inclute Memmi*, &c. Verùm aſſentiri Lambino non poſſum exiſtimanti illum eſſe C. iſtum Memmium; nec Giſanio adiicienti voluiſſe ipſum parietinas illas in honorem Epicuri ædificare, vti Cicero ædificauit Academiam. Certè enim, qui illam ad Memmium Epiſtolam legerit, nihil minùs intelliget, quàm ipſum aut fuiſſe Epicuri doctrinã ſequutum, aut ædificationem illam in Epicuri honorem voluiſſe ſuſcipere. (in Lucret. in Lucret.)

Plato Sardianus, qui ſolebat multùm eſſe Athenis; is ſcilicet, qui Licinium Æſopi tragœdi ſeruum, cùm aufugiſſet, ac apud Patronem pro libero fuiſſet, re cognitâ comprehendit, & in cuſtodiam Epheſi tradidit, vt Cicero Quintum fratrem monet.

Timagoras, quem Cicero dicit negauiſſe ſibi vnquam, cùm oculum torſiſſet, duas ex lucerna flammulas eſſe viſas. (lib. 2. ep. 2. lib. 4. Acad.)

Denique Syron, & Philodemus, quos cùm optimos viros, tum doctiſſimos homines Cicero appellat. Videtur porrò hic Syron, quem amicum ſuum alicubi dicit, idem eſſe quem Scyronem aliàs nominat. Sed & notum eſt, quod adnotat Seruius, Syronem eſſe, quem Virgilius in Eclogis ſub Sileni perſona loquentem inducit: cùm Chromis, & Mnaſylus ſint Virgilius, & Varus, qui docente Syrone Sectam Epicuream didicerint. Philodemus autem idem eſſe videtur cum eo, quem Strabo Gadareum dicit, & cuius Laërtius librum decimum de Philoſophorum compoſitione citat; ac Horatius ſententiam circa parabilem facilè voluptatem. Aſconius Pedianus in illud Orationis in Piſonem, *Eſt quidam Græcus*, &c. *Philodemum*, inquit, *ſignificat, qui fuit Epicureus illa ætate nobiliſſimus, cuius & Poëmata ſunt laſciua.* (lib. 2. de fin. lib. 6. epiſt. 11. Ecl. 6. lib. 16. 1. ſat. 2.)

Præter hoſce verò, quorum nomina apud Ciceronem habentur, commendatur ecce non ſemel à Plutarcho Statyllius ille, *qui forti*, inquit, *pectore erat, & Catoni addictus, Cæſarique infenſus, infractum ipſius Catonis æmulabatur animum; & cùm inuitus prohibitus, ne ſibi manus inferret, fuiſſet à cæteris Philoſophus; inſignem poſteà Bruto fidem, operámque præſtitit, Philippenſique in acie occubuit; vtcumque Brutus ex eius ſententia non ſuſcepiſſet negotium; quatenus non decere aiebat cordatum, ſapientémque virum prauorum, ſtultorúmque causâ periclitari, ac perturbari.* An is idem eſt cum Statyllio Flacco, cuius hocce in Anthologia elegans exſtat diſtichon? (in Cat. Min. & in Bruto. lib. 1.)

Χρυσὸν ἀνὴρ εὑρὼν, ἔλιπε βρόχον, αὐτὰρ ὁ χρυσὸν
Ὃν λίπεν, οὐχ εὑρὼν, ἧψεν ὃν εὗρε βρόχον.

Hic aurũ inueniens laqueum ſinit; ille relictũ
Non aurũ, at laqueum, quẽ ſubeat, reperit.

Et apud Stobæum Ex Platone, aut Antipatro, (Ser. 10.)

Χρυσὸν ἀνὴρ, ὁ μὲν εὗρεν, ὁ δ' ὤλεσεν. ὧν ὁ μὲν εὑρὼν,
Ῥίψεν, ὁ δ' οὐχ εὑρὼν, λυγρὸν ἔδησε βρόχον.

Ille aurũ reperit, perit hic, námq; ille reperto
Liquit, hic amiſſo ſe dedit in laqueum.

Legitur & apud Quintilianum L. Varus, qui Cæſaris amicus fuit, & cui, cùm feciſſent conuitium Caſſij Seueri Aduocati, ipſe Caſſius, & à Prætore fuit obiurgatus, & tranſtulit crimen, neſcire ſe dicens qui conuitiati, &c.

Iam Auguſti tẽporibus notũ eſt claruiſſe, quem fuiſſe Epicureũ ex Seruio mox retulimus, P. Virgilium Maronem Latinorum Poëtarũ abſque controuerſia Principem. Poſſemus varia loca proferre, quibus ipſum ſub Epicuro militaſſe Seruius notat; ſed ſufficit principium illud elegantis Poëmatis, (Ceiris.)

Etſi me vario iactatam laudis amore,
Irritáque expertum fallacis præmia vulgi,
Cecropius ſuaueis expirans Hortulus auras
Floreatis viridi Sophia complectitur vmbra.

De Quintilio Varo, quòd Epicureus fuerit, præter recitatum Seruij teſtimonium, coniectura eſt quædam, quòd Horatius Epicureus Virgilium Epicureum ob Vari mortem conſolatur (interfectus nimirùm fuit cum tribus legionibus, dolo ab Arminio circumuentus, cùm Auguſtus illum præfeciſſet exercitui Germanico) inter cætera ſic canit Horatius:

Vell. Pat. Tacit. 1. Annal.

1. ode. 24.

Ergo Quintilium perpetuus ſopor
Vrget; cui pudor, & iuſtitia ſoror
Incorrupta fides, nudáque veritas
Quando vllum inuenient parem?

Quòd portò Q. Horatius Flaccus ad hanc quoque Sectam pertineat, omnes propè conſentiunt, cùm propter varia dogmata, quæ Epicuri genium ſapiunt, tum propter illud in omnium ore, quod ipſe iocando de ſe euulgauit dicterium:

lib. 1. epiſt. 4.

Me pin uem, & nitidum, &c.

Addere etiam poſſumus Sex. Aurelium Propertium: ſcilicet vt non Epicuri minùs, quàm Platonis Sectam affectauerit, indicat elegiâ ad Cinthiam, in qua declarans ſe Athenas proficiſci velle, illud inſerit:

lib. 3.

Illic vel ſtudijs animum emendare Platonis
Incipiam, aut Hortis, docte Epicure, tuis.

Poſtmodum, hoc eſt ſub Nerone, ſcribit Origenes exſtitiſſe Epicureum quendam nomine Celſum.

lib. 1. adu. Celſ.

Seneca verò eo tempore ſcribens, duos memorat, ac imprimis Diodorum illum, qui cùm finem vitæ ſuæ manu ſuâ impoſuiſſet, *Ille*, inquit Seneca, *beatus, ac plenus bona conſcientia reddidit ſibi teſtimonium vitâ excedens, laudauitque ætatis in portu, & ad anchoram actæ quietem, & dixit, quod vos inuiti audiſtis, quaſi vobis quoque faciendum ſit:*

lib. de vit. be. cap. 19.

Vixi, & quem dederas curſũ fortuna peregi.

4. Æneid.

Deinde Baſſum Aufidium, eum nempe, quem dicit virum optimum, & ad quem extrema ætate decumbentem ipſe ſæpius venerit, fidem facturus inſignis conſtantiæ, ſummæque alacritatis, qua mortem iam iam imminentem exciperet. *Et dicebat quidem ille*, inquit, *Epicuri præceptis obſequens primùm ſperarè ſe nullum dolorem eſſe in illo extremo anhelitu; ſi tamen eſſet, habere aliquantulum in ipſa breuitate ſolatij*, &c.

Epiſt. 30.

Artemidorum adderem eidem Senecæ memoratum; ſed is fortè non eſt ex ſola Atomorum poſitione Epicureus iudicandus.

lib. 7. q. nat. cap. 13.

An addendus potiùs eſt ille Lucilius, quem Seneca illuſtrem fecit, ſcriptis ad ipſum Epiſtolis? Certè cùm aliæ cauſæ ſunt, tum Seneca illum ſic alloquitur: *Poſſum vocem tibi Epicuri tui reddere*. An addendus Seneca ipſe? Profectò non modò innumeras propè præclaras ſententias ex Epicuro & refert, & probat; non modò agit compilatorem Epicureorum operum, ac ſe Epicuri Angelum, ſeu quaſi interpretem dicit; non modò à Stoicis audit, quòd ad Epicurum transfugiat; verùm etiam videtur planè ſub Epicuro militare, dum hiſce verbis vtitur: *Habeant ſanè nomen, quod illis Epicurus noſter impoſuit.*

Epiſt. 23. epiſt. 8. epiſt. 10. lib. de vit. be. cap. 18. Epiſt. 107.

Ad hæc Statius ſub Domitiano memorat Pollium Surrentinum, dum illius ſtudia deſcribens, ſic canit:

Hic ſua Siderias exercet Pollius arteis,
Seu voluit monitûs, quos dat Gargetticus author,
Seu noſtram quatit ille chelyn, ſeu diſſona nectit
Carmina, ſiue minax vltorem ſtringit Iambon.

lib. 2. ſylu.

Ad eadem tempora pertinet Anonymus ille, quem Origenes acceſſiſſe cum famoſo Euphrante ad Apollonij magiam ſcribit. Sed, ſi magus quidem eſſe voluit, haud dubiè ſpurius Epicureus fuit, vt & duo illi Alcæus, & Philiſcus, quorum eſt inferiùs ex Æliano facienda mentio, quíque hac tempeſtate, an aliâ expulſi Româ fuerint, compertum ſatis non habeo.

lib. 1. adu. Celſ. lib. 9. var. hiſt. cap. 12.

Haud multò pòſt eſſe debuerunt, quos Plutarchus Traiani præceptor inducit: nempe Boethus Geometra, qui enarrauit hiſtoriam de Pauſonis Pictoris equo currente, & ſolâ tabulæ inuerſione factâ, ſeſe volutante. Alexander, quem Plutarchus dicit fuiſſe & elegantem, & valde literatum. Is eſt, qui de gallina, & ouo quæſtionem propoſuit, vtrum ſcilicet priùs exſtitiſſet. Zopyrus Medicus, quem idem apprimè verſatum in Epicuri Philoſophia ſcribit. Is eſt, qui expoſuit, quemadmodum Epicurus in ſuo ſympoſio de Temperantia verba feciſſet, oſtendiſſétque, cùm res venerea facilè aliàs noceat, tum potiſſimùm ſi quis illam ſtatim à conuiuio exerceat.

lib. de Pyth. orac. lib. 2. ſymp. q. 3. lib. 3. ſymp. q. 6.

Sequuti ſunt, quos habet Lucianus, qui ab ipſo vſque Traiano florere cœpiſſe videtur. Videlicet Damis, quem ille facit cum Timocle de Deorum exſiſtentia, & prouidentia diſputantem. Hermon, quem genere primum inter ciueis, & Sacerdotem τοῖν ἀνάκοιν, ſiue Caſtoris & Pollucis, inducit in conuiuium. Hermodorus, quem Menippus iocatur, & ob mille nummos peierantem, & à Ioue fulmine percuſſum. Hæc nomina me admonent vt Hermoclem huc inſeram, quem Theodorus Prodromus in Amarantho colloquentem facit.

in Io. trag. in conuiu. ſeu Lapith. in Icaromen. Dial. ſen. Am.

Sed ad Lucianum vt reuertar, adiici poteſt ille Celſus, ad quem Lucianus perſcribit hiſtoriam de Alexandro pſeudomante. Nempe, cùm Alexander famam Epicuri laceraſſet, poſtquàm Lucianus Celſum commendauit; propter ſapientiam, & amorem veritatis; propter morum manſuetudinem, & modeſtiam; propter vitæ tranquillitatem, comitatem, amicitiam, quibus permotus tale opus conſcripſerit, ſubdit: *Tum magis, quod tibi fuerit etiam iucundum, vt Epicurum vlciſcerer*. Porrò hic Celſus eſſe videtur, cuius à Galeno fit mentio in iis, que aduersùs Epicurum, aut Epicureos conſcripſit. Quin etiam idem eſſe videtur cum eo, aduersùs quem Origenes octo illos libros compoſuit: cùm videlicet emiſiſſet librum aduersùs Chriſtianos ſub titulo *veri ſermonis*, cuius

in pſeudom. lib. de l. b. pro. lib. 8. adu. Celſ.

Euſebius

Con. Hierocl.

Euſebius quoque, dum librorum Origenis mentionem facit, meminit: ac pollicitus etiam fuiſſet alium, in quo traderet rationem viuendi ſecundum propria dogmata. Tempora certè congruunt; ſcribit enim Origenes hunc Celſum vixiſſe Adriani, ſequentibúſque temporibus, quibus & Lucianus, & Galenus etiam vixerunt.

lib. 1.

Subiici heic poſſe videtur ille Lepidus, cum quo etiam alij Epicurei erant, in Pontica vrbe Amaſtri, quando, vt idem Lucianus habet, Alexander illos inſectatus eſt. Vt nihil dicam de eo, in quem impoſturas detegentem Alexander lapides mouit.

in pſeud.

Poteſt ipſe quoque Lucianus, qui appetitus inſidiis ab eodem Alexandro eſt, quòd Epicureus eſſet, arteiſque varias detegeret. Epicureum certè fuiſſe declarat, & communis vox, & viri doctrina, & multiplex quidem commendatio; ſed illa præſertim, quâ Epicurum poſtremò laudans, ſcribere ad Celſum pergit fuiſſe Epicurum virum verè ſacrum, diuinóque ingenio; & qui, inquit, ſolus, quæ verè ſunt honeſta & nouerit, & tradiderit; ſolúſque exſtiterit, qui liberos reddere ſolitus ſit eos, qui ſecum haberent conſuetudinem.

ibid.

Addantur iam duo alij, quos præter Celſum Galenus habet: Pudentianus videlicet, cuius aliquam Epiſtolam memorat; & Antonius, cui librum quendam meminit ſcriptum.

lib. de lib. pro. de paſſion. an. &c.

Ad hæc tẽpora ſpectare videtur Zenobius ille, aduersùs quem teſtatur Simplicius librũ ſcriptum ab Alexandro Aphrodiſæo, quem ſub Antoninis floruiſſe manifeſtum eſt.

in 3. phyſic. comm. 49.

Quoſdam longo pòſt interuallo citauit D. Ambroſius, verbi causâ Philomarum. De Epicuro enim loquens, *Hic*, inquit, *quàm alienus à vero ſit, vel ex eo deprehenditur, quod voluptatem in homine Deo auctore creatam aſſerit principaliter, ſicut Philomarus eius Sectator in Epitomis ſuis diſputat.* Fortè etiam Demarchum illum, ex quo vir ſanctus mutuatus eſt quod dicetur infra haberi in Epiſtola ad Menœceum.

lib. 1. offic. cap. 13.

lib. 5 ep. 25.

Sunt qui adiungant Decium Auſonium, celebrem illum Poëtam, cùm ob expreſſas alias Epicuri opiniones, exempli gratiâ,

Quod eſt beatum, morte & æternum carens, &c.

lib. 1. epig. 109.

tum propter iſtam maximè,

————tenuiſſima tantùs
Principia, & noſtros non admittentia viſus
Paruarũ ſerie conſtant connexa atomorũ, &c.

An poſtremò adiiciam quod Albertus Magnus in libro de Animi immortalitate habet, dum Epicureorum antiquiſſimos fuiſſe Heſiodum, Atalium (qui ab aliis, ait commentator, nuncupatur Achalius) & Cecinnam (qui vocatur à quibuſdam, ait idem, Tetinnus) ſubiicitque ſequutum hos fuiſſe Iſaacum Iſraëlitam Philoſophum? De Atalio certè nihil habeo quod dicam; imò neque de Cæcinna, quãdo neque illum Ciceronis familiarem, pro quo Oratio, & ad quem, cuiuſque Epiſtolæ exſtant; neque vllum alium ex iis, qui eodem fuerunt nomine, Epicureum comperio. Iſaacus Iſraëlites ille eſſe potuit, qui Salomonis Arabiæ Regis adoptiuus filius dictus eſt, & cuius duo ſuperſunt libri, de diætis vniuerſalibus, & particularibus: nihil tamen reperias in illis, quod Epicureum declaret. At Heſiodum cur non potuerit Poëtam intelligere; cùm aliunde ex Stoicorum Secta faciat Speuſippum, Platonem, Socratem, Pythagoram? Scilicet vir alioquin doctus (niſi & librum alterius dicas) tam eſſe potuit temporum ignarus, quàm germanarum opinionum, quas attribuit Philoſophis. Sed de Sectatoribus ſatis.

ep. fam. l. 6.

LIBER TERTIVS, DE OCCASIONE, *ET* AVTHORIBVS QVÆSITÆ EPICVRO INFAMIÆ.

CAPVT PRIMVM.

Non fuiſſe Epicurum eo faſtu, quo Zenonem Stoicum, de Sapiente, ac virtute loquutum.

HVc vſque fuit vita, & mors Epicuri. Quòd autem nudè recitata, ac ſine morum deductione, commendationéque vlla fuerit, in cauſa fuit, quòd res præſtanda inter eleuandum præcipuas criminationes videretur. Nunc cùm iſtæ criminationes diluendæ deinceps occurrant, ac ſit imprimis operæpretium factam illarum occaſionem, originémque retegere; ideò eſt de hac initio dicendum. Et quoniam ipſi Stoici ſunt, ad quos ea referenda eſt, tanquam ad præcipuos authores, propagatoréſque infamiæ; idcircò res altiùs repetenda eſt.

Imprimis conſtat Epicurum, & Zenonem illum Citrienſem Stoicorum Principem fuiſſe contemporaneos. l.17.cap.21. Siquidem Aulus Gellius in Lex. celebreis ſcribit extitiſſe eodem tempore; ſcilicet ad annum ferè à condita Vrbe CCCCLXX. & Suidas teſtatur Zenonem floruiſſe Olympiade CXX. quâ Epicurus etiam ex ſuprà deductis florebat. Videtur autem Epicurus fuiſſe paulò iunior. Etſi enim prior obierit (mortuus eſt enim Olympiade lib.7. CXXVII. cùm Zeno, ex Laërtio viueret adhuc iam ſenex Olympiade CXXX.) Zeno tamen diutiùs vixit, ad vſque nempe annum ætatis nonageſimum octauum, vti & Ibid. Laërtius, & Lucianus ſcribunt. in Macrob. Certè cùm Zeno iam octogenarius ad Antigonum Regem ſcripſerit, miſeritque Perſæum, ac Philonidem, & Epicurus tantam ætatem non attigerit, meminerit verò vtriuſque illorum, vt videlicet apud Regem Antigonum fuerint, in Epiſtola ad Ariſtobulum fratrem, oe.cit. quod Laërtius commemorat; certè, inquam, iunior eſſe Epicurus non nihil debuit. Nihil autem moror, quod Perſæus apud eumdem Laërtium ſcribit vixiſſe dumtaxat ibid. Zenonem annos LXXII. apud Laërt. Id enim vt dictis repugnat, ita cohærere cum eo non poteſt, quod ſcripſit Apollonius Zenonem Scholæ ſuæ præfuiſſe annos LVIII. Vtcumque ſit, Scholam habuêre ſimul, ac multo tempore, tam Zeno in ſua Porticu, quàm Epicurus in ſuis Hortis.

Iam Zeno, vt erat naturâ ſubtriſtis, auſterus, & vultu contracto, præparcus, &c. ſic enim illum deſcribit Laërtius, ϛυγνόν τε, καὶ lib.7. πικρὸν, καὶ τὸ πρόσωπον συνεσπασμένον, &c. Sectatoréſque etiam ipſius ad ſui Ducis imitationem ſic ſe componebant, vt ſe exhiberent terricos aſpectu, & maximâ parte ad cutem deraſos, ἐξυρημένους ἐν χρῷ κουρίας τοὺς πλείςους, in Hermot. quod à Luciano obſeruatum eſt; hinc effectum eſt, vt Stoica virtus, ſeu Sapientia ea deſcripta ſit, quæ eximiam aliquam auſteritatem præ ſe ferret. Quia verò iſti propterea admirationi, & venerationi apud vulgus erant: ea de cauſa ſic ſeipſos exiſtimârunt ſolos ſapere, vt iactârint ſolum Sapientem (Stoicâ nempe virtute inſtructum) eſſe Regem, belli ducem, magiſtratum, ciuem, Rhetorem, amicum, pulchrum, nobilem, diuitem; prætereáque ipſum ſolum non pœnitere, non miſereri, non iniuriâ affici, non ignorare, non opinari, paſſionum eſſe expertem, ſemper liberum, ſemper in gaudio, Deo parem, &c. quæ magna ex parte relata, impetitáque à Plutarcho ſunt; cùm Stoi- in abſurd. Stoic. cos docuit, longè abſurdiora, quàm Poëtas docere.

At Epicurus provt erat naturâ humanior, ita bonâ fide, & ſimpliciter agens, probare non potuit haſce iactationes; ſed humanæ cõſcius imbecillitatis, expendit, portare quid poſſent, quid recuſarent humeri. Facilè peruidit ea, quibus intonaret Porticus, ſi apparatum, faſtúmque verborum quis detraheret, haberi dumtaxat in votis; quare virtutem, & Sapientiam, cuius natura humana eſſet capax, excogitauit. Cùm videret porrò omneis homines naturæ ductu, quicquid agerent, ad voluptatem aliquam ferri; expenſis verò omnibus voluptatum generibus deprehenderet nullam eſſe generaliorem, conſtantiorem, expetibiliorem eâ, quæ in corporis ſanitate,

ſanitate, animíque tranquillitate (ſed iſtâ præſertim) conſtitura eſſet; idcirco hunc finem bonorum conſtituit; adiecítque ſolam virtutem eſſe inſtrumentum maximè idoneum, quo voluptas hæc paretur: Defendit proinde Sapientem, ſeu virtute præditum virum eſſe illum, qui primùm quidem ſobrietate, & continentiâ, hoc eſt virtute temperantiæ, ſanitatem corporis, quatenus per conſtitutionem natiuam liceret, tueretur; deinde verò operam potiſſimùm impenderet, vt virtutum choro adiutus, ac ſedatis libidinis, gulæ, auaritiæ, ambitionis, cæteriſque affectibus, tueretur quàm maximè poſſet tranquillitatem animi. Scilicet veram, germanámque voluptatem conſiſtere non in ipſo actu, ſeu motu, vt Ariſtippus definiebat; ſed in ſtatu, ſeu vacuitate rum doloris in Epiſt. 66. corpore, tum perturbationis in mente. *Apud Epicurum*, inquit Seneca, *duo bona ſunt, ex quibus ſummum illud, beatúmque componitur, vt corpus ſine dolore ſit, animus ſine perturbatione:* Et ſic ille quidem ingenuè, ſimplicitérque diſſerebat, vt & paulò poſt rurſus attingetur, & pleniùs ſuo loco demonſtrabitur; neque curabat interim, quòd Zeno auram popularem magnificis illis vocibus captaret, & geſtu, habitúque morum grauitatem exprimeret: quippe egit ſemper candidiùs, quàm vt populo imponere vellet, cui noſſet nihil eſſe acceptius oſtentatione earum rerum, quas nec intelligentiâ, nec opere aſſequitur. *Nunquam volui*, inquit, apud Senecam, *populo placere; nam quæ ego ſcio, non probat populus: quæ probat populus, ego neſcio.* Et ad Amicum, *Hæc ego*, inquit, *non multis ſed tibi; ſatis enim magnum alter alteri theatrum ſumus.*

CAPVT II.

Hinc Zenonis, itémque Cleanthis, Chryſippi, aliorúmque Stoicorum odia, & calumniæ.

ITAQVE Zeno, Stoicique agnoſcentes iſtâ & motû, & doctrinæ ſimplicitate bullata ſua verba, pollicitationéſque ingenteis apud viros vel minimùm cordatos detumeſcere; ea propter ingens, ac perpetuum erga Epicurum concepêre odium. Cepêre autem occaſionem ex voluptatis voce captate, calumniarique, quòd obſcœnam, ſeu in ingluuie, ac Venere poſitam intelligeret, & ad illam, vt dominam, virtutem vt ancillam referret. Res certè eò deducta fuit, vt Epicurus ad Menœceum (eâ Epiſtolâ, quæ eſt apud Laërtium) ſcribens, hac vti velut Apologiâ, ſuæve ſententiæ declaratione fuerit coactus: ὅταν οὖν λέγωμεν ἡδονὴν τέλος ὑπάρχειν, οὐ τὰς τῶν ἀσώτων ἡδονὰς, καὶ τὰς τῶν ἐν ἀπολαύσει κειμένας λέγομεν, ὥς τινες ἀγνοοῦντες, καὶ οὐχ ὁμολογοῦντες, ἢ κακῶς ἐκδεχόμενοι νομίζουσιν, ἀλλὰ τὸ μήτε ἀλγεῖν κατὰ σῶμα, μήτε ταράττεσθαι κατὰ ψυχήν. οὐ γὰρ πότοι, καὶ κῶμοι συνείροντες, οὐδὲ ἀπολαύσεις παίδων, καὶ γυναικῶν οὐδ᾽ ἰχθύων, καὶ τῶν ἄλλων, ὅσα φέρει πολυτελὴς τράπεζα τὸν ἡδὺν γεννᾷ βίον, ἀλλὰ νήφων λογισμὸς, καὶ τὰς αἰτίας ἐξερευνῶν πάσης αἱρέσεως, καὶ φυγῆς, καὶ τὰς δόξας ἐξελαύνων, ἀφ᾽ ὧν πλεῖστος τὰς ψυχὰς καταλαμβάνει θόρυβος. τούτων δὲ πάντων ἀρχὴ, καὶ τὸ μέγιστον ἀγαθὸν, φρόνησις. διὸ καὶ φιλοσοφίας τιμιώτερον ὑπάρχει φρόνησις, ἐξ ἧς αἱ λοιπαὶ πᾶσαι πεφύκασιν ἀρεταί. διδάσκουσα ὡς οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν, ἄνευ τοῦ φρονίμως, καὶ καλῶς, καὶ δικαίως, οὐδὲ φρονίμως, καὶ καλῶς, καὶ δικαίως (nimirùm has ſex voculas reſtituendas eſſe ex primo de finibus Ciceronis libro Stephanus iure autumat) ἄνευ τοῦ ἡδέως. συμπεφύκασι γὰρ αἱ ἀρεταὶ τῷ ζῆν ἡδέως, καὶ τὸ ζῆν ἡδέως, τούτων ἐστὶν ἀχώριστον. *Quando igitur voluptatem eſſe finem dicimus, non aſotorum (perditorúmve) neque eas, quæ in fruendo* (ſeu quaſi proluendo) *poſitæ ſunt, voluptates dicimus: veluti quidam ignorantes, aut à nobis diſſentientes, aut malè affecti exiſtimant; ſed non dolere corpore, ac animo non perturbari. Siquidem non compotationes, comeſſationéſque perpetuæ; non item puerorum, mulierúmq; fruitiones, vti neque piſcium, aliarúmque quarum vis rerum, quas lautior menſa ſuppeditat, iucundam vitam pariunt; verùm ratiocinatio ſobria, quæ cauſas, cur, quidque eligendum, fugiendúmve ſit, inueſtigat, opinionéſque abigit, ob quas plurimas mentem occupat conturbatio. Horum verò omnium principium, maximúmque bonũ prudentia eſt, quocirca Philoſophia quoque antecellit prudentia, è qua aliæ omnes virtutes ſunt ortæ, docentes viui iucundè non poſſe, niſi ſapiẽter, honeſtè, iuſtéque viuatur; vti neque viui ſapienter, honeſtè, iuſtè, niſi iucũdè. Sunt nimirùm iucundæ vitæ virtutes congenitæ, nec fieri poteſt, vt ab ipſis vita iucũda ſeparetur.* Hæc fuſiuſculè refero, licet ad doctrinã pertineant, tum quia operæ-pretium eſt, quæ fuerit Epicuri mens ab initio cognoſcere, tum quia exinde intelligitur, extitiſſe obtrectatores ab eius vſque tẽpore, qui rem prauè interpretantes fecerint conquerendi anſam.

Porrò illos Stoicos fuiſſe, intelligi imprimis licet ex ea Epiſtola, quâ Zeno, apud Laërtiũ, lib. 7. ad Antigonum Regem ſcribens, ipſúmque commendans, quod ſua illi doctrina placeret: *Laudo*, inquit, *tuum diſciplinæ ſtudium, quod Philoſophiæ cupidus, inſtitutionem verum, & quæ ad vtilitatem ſpectet, non verò popularem illam, & quæ ad morum corruptionem tendat, retineat.* Subnotauit nempe his verbis ipſam Epicuri doctrinam, quàm ex ſpuria ſua interpretatione ideò vocauit *popularem*, quòd homines vulgò tametſi virtutem voce magnifaciant, reipsâ tamen ad obſcœnas voluptates prolabantur. Deinde verò ex genio qui ab vſque Zenone in eius Secta viguit, quatenus ea in Epicurũ ita conſtanter declamauit, vt ſi culinam, aut lupanar, non verò Philoſophiæ inſtituiſſet gymnaſium; ac in eo ſemper inſtitit, non vt voluptati dolor, aut virtuti vitium (quemadmodum ſanè oportuit) ſed vt virtuti oppoſita eſſe voluptas videretur; videlicet quaſi ipſa honeſtatem, Epicurus obſcœnitatem ſpeciali ſtudio ſectaretur, dicique adeò poſſet, quod & à Poëta eſt dictum,

Stoicus hac parte, hac Epicurus agit. Auſon. epigr. 9.

Atqne vt ab ipſo Cleanthe, Zenonis ſuc-
ceſſore exordiat, ipſe, frugi alioquin vir, vt
Epicurum maiote quadam inuidiâ obrueret,
confinxit illam tabulam, in qua, referente
lib.2. de fin. 5. ciuit. M.Tullio, & memorante etiam D.Auguſtino
voluptatem vt Reginam, Virtutes verò vt
voluptati ancillanteis exhibuit. Chryſippus
autem præter libros, quos ſcripſit illis titu-
lis, qui ſunt apud Laërtium, *Demonſtrationem,*
lib.7. *quod voluptas finis non ſit; quod voluptas bo-*
num non ſit; itémque præter cætera, quæ
ſpeciatim eſt in Epicutum *conuiſiatus*, βλασ-
φημίας, ἢ λοιδορίας, veluti ipſi Oenomaus
apud Euſebium obiicit, deſcripſit, ac repræ-
lib.6. præp. cap.6. ſentauit, quaſi diſcipulum illius Archeſtrati,
qui Autbor Gaſtrologiæ, ſolertiſſimè de
gulæ, ventriſque voluptatibus diſſeruit; quod
apud Athenæum eſt. Diotimus illi ſucceſſit,
qui, ne nihil ageret, euulgauit quinquaginta
impudicas epiſtolas, & eas etiam, quæ ad
Chryſippum referuntur, contexuit, ac poſtre-
mò Epicurum, quaſi illarum eſſet author,
calumniatus eſt, διεβέβληκεν, vt habet Laër-
lib 10. tius. Quid Poſidonium memorem, cæteróſ-
ibid. que ex eadem familia, quos Laërtius quoque
recenſet? Vnus Cleomedes ſufficiat, qui &
ipſe Stoicus fuit, vt totum eius opus clamat,
in commēt. & demonſtrat Balfoteus. Ipſe, cùm ſatis non
iudicaret comparaſſe Epicutum cum Ther-
ſita Homerico, inuexiſſéque alia id genus, hac
lib.1. cap.1. peroratione demum vſus eſt: *Non heinc*
abibis, Piamentum, ad Crocotas, & Pellices,
quibuſcum in lectis dies totos decumbas, nunc
purpuram vens, nunc corollis redimitus, non-
nunquam etiam oculis fucum infricans, aut etiam
in multa, & fœda ebrietate tibiarum cantu ti-
tillatus, denique his alia conſentanea faciens,
tanquam vermis in valde ſpurio, & ſtercoreo
cœno volutatus? Nonne etiam tu audaciſſimum,
& impudentiſſimum caput, abortus Philoſophia,
heinc ad Leontium & Philanidem, meretricéſque
alias abibis, & ad ſacras acclamationes cū Mu-
ſcrida. & Sardanapalo, cæteriſque omnibus con-
uiualibus tuis ſociis? Neſcis Philoſophiam Her-
culem, & viros Herculeos ad ſe, non verò, per
Iouem, cinædos, & voluptatem vocare?

CAPVT III.

Confirmatio ex Seneca; & in Epicteto etiam, aliiſque Sectæ Genius.

ISTA ad verbum refero, vt Sectæ Ge-
nium meliùs agnoſcas. Id enim erat
illis præſcriptum, vt ſeu iure, ſeu iniuriâ,
Epicurum, quantum poſſent acerbè inſe-
ctarentur, & atrociter diuexarent. Scilicet
hanc ſibi viciſſim tradebant quaſi lampada,
illéque ſpurius, ac degener habitus fuiſſet
Stoicus, qui non Epicurum damnaret, qui
laudem illi quàm-minimam, tametſi iuſtam
tribueret. Id colligere potiſſimum licet vel
ex vno Seneca. Etenim cùm is penè vnus
Stoicæ Sectæ ſtudio ita captus fuerit, vt ta-
men etiam veritatis amorem retinuerit, co-
actus fuit ſæpenumerò candorem ſuum; in-
uitis licet conſectatoribus, teſtari. Siquidem
non plurima modò ex Epicuro laudanda de-
cerpſit, ac, vt par erat, commendauit; verùm
& ipſum Epicurum *fortem virum fuiſſe* dixit, Epiſt.32.
& ipſius diſciplinam aliam eſſe cenſuit; quàm
reluctantes Stoici alij populares obiicerent.
Verba illius hæc accipe: *Mea quidem,* inquit, lib.de vit. be.cap.13.
iſta ſententia eſt (inuitis hoc noſtris popularibus
dicam) ſancta Epicurum. & recta præcipere, &
ſi propius acceſſeris, triſtia. Et rursùs: *Non* ibid.
dico, inquit, *quod plerique noſtrorum, Sectam*
Epicuri flagitiorum magiſtram eſſe; ſed illud
dico: male audit, infamis eſt, & immeritò. Cæ-
terùm ad iſta, aliáque id genus, en vt reliqui
Stoici, ipſo etiam Seneca referente, excande-
ſcerēt: *Quid agis, Seneca? deſeris partes? Quid* ibid.cap.18.
nobis Epicuri præcepta in ipſis Zenonis princi-
piis loqueris? Quin tu bene, & grauiter, ſi par-
tium piget, transfugis potiùs, quàm prodis?
Quo ſanè loco Stoicos vides non ad ipſam
rei veritatem reſpexiſſe; ſed populari ſolùm
more ſtudia partiū ſic defendiſſe, vt cœptum
ſemel fuerat. Eodem ſpectat quod relata, Epiſt.12.
commendatáque illâ ſententiâ, *Malum eſt in*
neceſſitate viuere; ſed in neceſſitate viuere, neceſ-
ſitas nulla eſt, ſubiungit, *Epicurus, inquis, di-*
xit; quid tibi cum alieno? Quod verum eſt,
meum eſt. Perſeuerabo Epicurum tibi ingerere;
vt iſti, qui in verba iurant, nec quid dicatur
æſtimant, ſed à quo, ſciant, quæ optima ſunt, eſſe
communia. Non curârunt itaque illi quid
Epicurus dixiſſet, introſpicere, ad nomen
ſolùm voluptatis, vt ad frontem reſpexe-
runt; *frons verò hæc fuit,* vt Seneca habet, cit. cap 13.
quæ dedit locum fabulæ; neque hoc, inquit, *ſcire*
quiſquam poteſt, niſi interius fuerit admiſſus.
Ex quo mirari ſatis non poſſum, quare Epi-
ctetus vir alioquin optimus, non Senecam
potiùs, quàm cæteros illos populareis imi-
tatus fuerit. Ecce enim quàm oleat Stoicum
illum adflatum, dum apud Laërtium dicit lib.10.
Epicurum digna Cinædo loquutum fuiſſe, ἢ
τὰ μάλιστα λοιδορεῖ, *quam-maximéque & un-*
dis conuitia. Et apud Arrianum ſic inuehi-
tur: *Dormi, & ea facito, quæ vermes ſolent,* lib.2.c.20.
quibus tute ipſe dignum indicaſti. Ede, bibe,
indulge veneri, caca, ſterte, &c. Itemque cur lib.9. cap.5.
Hierocles, vir, vt habet Agellius, & ſanctus,
& grauis, Epicurum etiam meretricis nomi-
ne infamauerit; in quo Taurus eſt illum
imitatus. Sed nimirùm Epictetus in ſuis il-
lis concionibus, cæteríque ſimiles, iuxta
rumorem de Epicuro diſſeminatum, loque-
bantur; neque enim aliter aures auditorum
præoccupatæ ſatis æquæ fuiſſent percipien-
dis cæteris, quæ de virtute diſſererentur.
Sic ſæpè fit, vt præconceptam apud popu-
lum opinionem accuratè fouere præſtet,
quàm obiter conuellere. Id autem mirum;
cùm morbus ille, quo Epicurus obiit, cau-
ſas alias naturaleis veriſimiliores habue-
rit, Stoicos hanc denique anſam ex Cicerone lib.7. fam. ep.26.
arripuiſſe, quâ Epicurum edacitatis, ac
turpioris etiam intemperantiæ arguerent.
Non ſatis nempe memorabâtur, aut diſſimu-
labant Chryſippum eodem interiiſſe morbo,
vt

vt colligitur partim ex Galeno, partim ex lib. quod qualit. incorp. lib. 7. Laërtio. Verùm, vt patet, nullum vnquam non mouerunt lapidem, quò Epicurum facerent exoſum. Dicerem, vt hunc Sectæ Genium etiam in ipſos Epicuri Sectatores ſic retinuerint, vt fuerint in ipſos nihilo æquiores: verùm & res eſt ſatis nota, & obiter poteſt vel ex eo ſolo intelligi, quòd cùm lib. 6. c. 3. Caſſius ille Seuerus, cuius antè eſt ex Quintiliano facta mentio, obiurgatus à Prætore fuiſſet, quòd eius aduocati L. Varo Epicureo Cæſaris amico feciſſent conuitium; non alia ipſi excuſatio expeditior occurrerit, quàm vt Stoïcos cauſaretur. *Nam neſcio*, inquit, *qui conuitiati ſint; & puto Stoicos fuiſſe.*

CAPVT IV.

Aliæ Stoïci odij cauſæ.

ATQVE huc-vſque quidem vnam odij cauſam commemoro, ipſam ſcilicet opinionem de voluptate, vt fine bonorum: fuêre verò aliæ itidem complures. Quippe Epicurus non ea in re modò contradixit Stoicis, ſed etiam in aliis oppidò quam-multis. Vt autem cætera prætercam, veluti de Deorum formâ, ac dæmonibus; de diuinatione, & inſomniis, de peccatorum æqualitate: itémque de Elementorum craſi, de diuiſione continui, de magnitudine Siderum, aliiſque innumeris, quæ ſuis locis ſunt referenda; duo quædam ſolùm heic attingo: vnum, quod ad Dialecticam; alterum, quod ad Prouidentiam ſpectat. Et circa Dialecticam quidem manifeſtum eſt Stoicos fuiſſe in ea penè totos (cùm vel vnus Chryſippus ſcripſerit de ea ſupra trecenta volumina, quæ à Laërtio recenſentur) ac ſeſe mirè extuliſſe, quòd reducendo omnia ad apices Dialecticos, ſubtiliſſimè concluderent omnia. Exinde fuit nempe, quòd ferri vix poſſent in ſuis diſputationibus, ac illis non modò Cicero 2. & 3. Tuſc. 4. Acad. obiecerit, quod *ratiunculis ſqualidiùs vterentur*, quod *oſſa nudarent*, *ſpinas vellerent*, *contortius concluderent*, &c. ſed ipſe quoque Seneca ep. 82. affectatam, ac inutilem ſubtilitatem carpſerit, quâ, vt ſubulâ, (aut etiam ariſtâ, quâ nihil eſt ſubtilius) leonem exciperent; interdúmque etiam ita exclamârit: ep. 113. *Hæc diſputamus attractis ſuperciliis, fronte rugosâ? ô triſtes ineptias!* Et iterùm: ep. 48. *O pueriles ineptias! In hoc ſupercilia ſubduximus? in hoc barbam demiſimus? hoc eſt, quod triſtes docemus, & pallidi?* &c. Itaque cùm Epicurus quoque Dialecticam illam Stoïcorum contempſerit lib. 1. adu. log. (vt apud Empiricum eſt) ac vno, alteróve ſolùm canone circa vſum vocum præſcripto, omneis eorum technas & facilè diſſoluerit, & ridiculas exhibuerit; idcircò magnâ impatientiâ ſic inſectati illum ſunt, vt quem affectu deprauatum ob voluptatem prædicabant, eumdem mente captum ob Dialecticæ ignorationem inclamârint. Siquidem tum ſe erga ipſum modeſtiſſimè gerere ſunt viſi, cùm 2. de fin. *rudem*, atque *hebetem* apud Ciceronem dixerunt. Itémque cùm *tardum*; nam, *vide*, inquit idem Cicero, *quàm ſit cautus is, quem* 4. Acad. *iſti tardum putant*, &c. Miſſum autem facio, quod poſteà apud eumdem Ciceronem habetur, ad oſtendendum, vt Stoïci, licet inter ſe in Dialecticis mirè diſſiderent, impatientiſſimè tamen tulerint ſibi ab aliis contradici. *Quid me igitur in inuidiam*, inquit Cicero Ibid. alloquens Lucullum profeſſione Stoïcum, *& tanquam in concionem vocas? & quidem, vt ſeditioſi tribuni ſolent, occludi tabernas iubes? Quò enim ſpectat illud, cùm artificia tolli quereris à nobis, niſi vt opifices concitentur; qui ſi vndique omnes conuenerint, facilè contra vos incitabuntur: expromam primùm illa inuidioſa, quòd eos omneis, qui in concione ſtabunt, exſules, ſeruos, inſanos eſſe dicatis*, &c.

Circa Prouidentiam, præmittendum eſt, commendandos Stoïcos eſſe, quòd illam defenderint, Epicurúmque ipſam negantem, improbauerint; ſcilicet is fuit Epicuri grauiſſimus lapſus, quòd non capiens quemadmodum immortalis, beatáque natura ſibi habere, aut alteri exhibere negotium poſſet, cenſuerit Deum non gerere nec generalem totius Mundi, nec ſpecialem hominum curam; vt conſtabit cùm hunc errorem, Deo bene propitio, refutabimus; tanquam non Religioni modò, ſed naturali etiam rationi penitùs aduerſum. Præmittendum etiam Epicurum non tam Stoïcis repugnaſſe, quòd Prouidentiam defenderint, quàm quod cum Fato eam copulârint: quippe, quòd fati neceſſitas, cui Iouem quoque ſubiiciebant, non modò ipſam hominum libertatem euerteret, ſed perueteret etiam ipſammet Prouidentiam, ac hominum & ſpes inaneis, & vanas preces redderet, ſi Dij quidem nihil, niſi quod eſſet in fatis, vt aiebant, poſſent. Id nempe ſuo loco fuſiùs deducetur, cùm heic adnotare ſufficiat, Velleium apud Ciceronem appellaſſe ob hanc cauſam Prouidentiam *fatidicam anum* Stoïcorum. 1. de nat. Deor. Cùm his autem præmiſſis, quæſtio iam non ſit, iure-ne, an iniuriâ ex hoc capite Stoïci infenſi Epicuro fuerint; ſed cùm iure fuerint, monſtrandum ſit ſolùm, quemadmodum fuerint; ſufficit ad hoc vel vnus Plutarchus, quo loco refert Stoïcos in Epicurum ſic inuehi, *vt impenſius* adu. Stoic. *non valeant* (οὐδὲν ἀπολείπουσι τῶν πραγμάτων,) *& proh! proh! vah! vah! inclamare* (ἰὼ, ἰὼ, φεῦ, φεῦ βοῶντες) *quòd tollens Prouidentiam, anticipationem de Diis labefactet.* Ac oſtendit quidem ſubinde Plutarchus Stoïcos errare, quàm Epicurum grauiùs; ſed grauiúſ-ne, an leuiùs, heic non quæritur; cùm ſatis ſit Stoïcos anſam quoque hanc inuehendi in Epicurum arripuiſſe: & tantò quidem ardentiùs, quantò ex hoc quaſi prætextu procliue fuit facere cæteris in ipſum obiectis probabilitatem.

CAPVT V.

Quorſùm exinde Epicuro creata, atque propagata apud vulgus infamia.

HAM, cùm Stoici nihil æquè, ac virtutis nomen in ore haberent, quam ipſi poſſidere ſe præ cæteris profitebantur: cùm facilè virtutis ſuæ fidem facerent apud vulgus, quatenus illam vultu auſtero, cute deraſâ, inceſſu graui, habitu incompto, aliiſque id genus quaſi indiciis præ ſe ferebant: cùm proinde captatâ, afflantéque populi aurâ in Epicurum, vt in authorem, ſectatorémque obſcœnarum voluptatum debaccharentur; nihil mirum profectò, ſi vulgus, cui, ex iis ſolùm, quæ apparent omnia iudicanti, nihil eſt facilius, quàm quidvis ſuadere, ac imponere; cui cordi non eſt ipſam veritatem aut profundiùs inquirere, aut cum errore, ſi ille quidem ſemel placuerit, commutare; nihil, inquam, mirum, ſi Stoïci adeò acriter in id incumbentes, Epicurum fecerint apud vulgus adeò infamem. Cæterùm poſtquàm is rumor fuit de Epicuro diſſeminatus;

lib. 3. 7 &c. connutriti illicò cœpit ab ipſis Poëtis (vt citatis ab Athenæo) qui populi captui, perſuaſioníque ſe accommodantes, Epicurum variis fabellis, ſcommatibúſque impetierunt.

apud Phot. Incrementum etiam habuit à Sophiſtis, & declamatoribus, vt Himerio, & aliis, qui & ipſi populares, nihil magis emphaticum, nihil magis auribus vulgi acceptum fore reputarunt, quàm ſi Epicurum cum ſpurciſſimis quibuſque vitiis compararent. Habuit etiam robur ab illis ſuperſtitionum authoribus, è

in pſeudom. quorum fuit numero apud Lucianum Alexander, qui vt ſuis artibus authoritatem quæreret, in Epicurum, à quo illæ fuerant exploſæ, deblaterabat. Confirmatus quin etiam fuit à Viris alioquin doctis, & non malis, quibus dignum applauſu viſum eſt conſilium, ſi vt horrorem obſcœnarum voluptatum incuterent, inuſtam ob illas Epicuro notam, cauſtico acriore agerent profundiùs. Seligendi nobis ex iis aliqui; ſed priùs tamen dicendum eſt de quibuſdam aliis hominum generibus, qui fouerint, adauxeríntque occaſionem infamiæ.

Itaque triplex quoddam genus hominum ſemper exſtitit, à quibus mali labes profundiùs impreſſa. Vnum Pſeudo-Epicureorum; neque enim negandum eſt, quin aliqui ſæpe fuerint, qui Epicuro, eiuſque Sectæ dantes nomina, *παρανόμως*, ſeu præter leges ipſius vitam duxerint. Ij ſunt, *οὓς οἱ γνήσιοι Ἐπικούρειοι σοφιστὰς ἀποκαλοῦσι*, *quos germani Epicurei Sophiſtas appellant*, vt notauit Laërtius;

lib. 10. indignati ſcilicet illos, à laudabili inſtituto inhoneſtè deſciſcere. Eiuſmodi fuerunt Al-

lib. 9. var. hiſt. cap. 21. cæus, & Philiſcus apud Ælianum, qui Româ pulſi fuiſſe dicuntur, quòd eſſent turpium voluptatum adoleſcentibus authores. Non memoro autem quàm ſæpe ſocietates ampliſſimæ, eædémque ſanctiſſimæ commaculatæ vulgò cenſeantur, propter paucorum priuatorum, aut ſingularium etiam vitia.

Et Lucianus certè, vt Pſeudo-Epicureos, ita in ſect. vit. & Pſeudo-Platonicos, & Pſeudo-Zenonios recenſet. Alterum virorum intemperatiſſimorum, quibus, cùm libidinibus ſuis patrocinium quoddam in Philoſophia quærerent, ſatis fuit ſe Epicuri Philoſophi nomine tueri, à quo voluptas commendata eſſet, curantibus parùm quâ de voluptate ſermo illi foret

habitus. Talis fuit Piſo, de quo Cicero: *Ita-* Orat. in Piſ. *que admiſſarius iſte ſimul atque audiuit à Philoſopho voluptatem tantoperè laudari, nihil expiſcatus eſt; ſic ſuos ſenſus voluptuarios omneis incitauit; ſic ad illius* (præceptoris Epicurei) *hanc orationem adhinniit, vt non magiſtrum virtutis, ſed authorem libidinis à ſe illum inuentum arbitraretur. Græcus primùm diſtinguere, atque diuidere illa, quemadmodum dicerentur; iſte claudus, quemadmodum aiunt, pilam retinere, quod acceperat, teſtificari, tabulas obſignare vello, Epicurum diſertum decernere*, &c.

Talis Gabinius, de quo iterum Cicero, *Lau-* Orat. pro Sext. *dabat*, inquit, *homo doctus Philoſophos neſcio quos, neque eorum tamen nomina poterat dicere, ſed eos tandem laudabat maximè, qui dicuntur præter cæteros, auctores & laudatores voluptatis; cuius, & quo tempore, & quo modo, non quærebat; verbum ipſum omnibus modis animi, & corporis deuorabat, eoſdémque præclarè dicere aiebat ſapienteis omnia ſuâ cauſâ facere: Rempub. capeſſere hominem bene ſanũ non oportere: nihil eſſe præſtabilius otioſa vita, & plena, & conferta voluptatibus: eos autem, qui dicerent dignitati eſſe ſeruiendum, Reipub conſulendum, &c. vaticinari, atque inſanire dicebat.* Quamvis porrò illud veriſſimè dictum inter cætera à Seneca

ſit, *Non ab Epicuro impulſi luxuriantur; ſed vi-* lib. de vit. beat. cap. 12. *tiis dediti, luxuriam ſuam in Philoſophiæ ſinu abſcondunt, & eò concurrunt, vbi audiunt laudari voluptatem:* Nihilominùs notum eſt nullum argumenti genus appoſitum magis ad reprehenſionem eſſe, quàm ſi quis declamet aduersùs illam Philoſophiam, quam hac ratione poſſit vt aſylum intemperantiæ coarguere. Tertium illorum, qui fronte perfrictâ, & malignitate quadam naturæ, non alio fine currunt ad incendium, quàm vt picem, quod dicitur, lignáque iniiciant. Qui cùm nullam habeant nec veri, nec boni rationem, aut diſſimulant, aut certè extenuant quicquid præfertur laudabile: auidè arripiunt, ſi quidquam occurrit, quod vituperio dignum videatur. Qui demùm, ſi defuerit anſa, comminiſcuntur, & diuendunt quicquid creat infamiam; vt feciſſe haudubiè debet Theotimus ille, qui cùm libros aliquot ſcripſiſſet contra Epicurum, accuſatus propterea fuit à Zenone Epicureo, capitéque etiam mulctatus, quod apud Athe- lib. 13.

næum eſt. Vt nihil dicam de Menippo, qui tametſi aliquid etiam aduerſus Epicurum ſcripſit, ſtudioſè tamen nihil egit, quod notauit Laërtius; ſed riſu ſolùm libros com- lib. 6.

pleuit: Vt nihil de Theodoro; cuius citat

quidem

quidem Laërtius librum quartum ex iis, quos ſcripſit in Epicurum; ſed illum poſteà cum iis, quos dicit inſanire, connumerat. Addo & multa ſemper fuiſſe Epiſtolarum Diotimi exemplo iactata ab aliquibus, quaſi conſcripta ab Epicuro; quæ, cùm libri adhuc ipſius exſtarent, reperta in illis non ſunt, ſtudioſè licet requiſita; vti vel ex Theone Sophiſta in progymnaſmatis comprobatur. progymn. 2.

CAPVT VI.

De magnis Viris in Epicurum non ex rei veritate, ſed ex vulgari opinione ſcribentibus, ac ſpeciatim de Cicerone.

SED ad genus aliud Virorum vt redeam, quos & doctos dixi, & bonos; ij quoque nominis ſui exiſtimatione, & famâ nocuerunt, dum probitati, honeſtatique ſtudioſiſſimè incumbentes de Epicuro loquuti ſunt, non prout ipſi eum nouerant, ſed prout ipſum habebat vulgus, cui conſultum eſſe volebant. Vt res innoteſcat, ſeligo imprimis treis Authores ex Ethnicis, qui ſtudioſè præ cæteris ſcripſerunt contra Epicurum. Primus eſt M Tullius, quem notum eſt in Epicurum congeſſiſſe quàm plurima in libris de Legibus, de Finibus, de natura Deorum, & aliis in locis. Cùm certè amici ipſius ex Epicurea familia ſæpiſſimè conquererentur, quòd præter rei veritatem tam multa in vulgus efferret; ille nihilominùs ſemper, vt erat homo popularis, populariter loqui maluit. Ecce locum ex Tuſculanis, vnde id poſſis coniicere, lib. 3. *Negat Epicurus,* inquit, *iucundè poſſe viui, niſi cum virtute viuatur; negat vllam in ſapientem vim eſſe fortunæ; tenuem victum antefert copioſo; negat vllum eſſe tempus, quo ſapiens non beatus ſit; omnia Philoſopho digna; ſed cum voluptate pugnantia. Non iſtam dicis voluptatem: dicat quamlibet; nempe eam dicit, in qua virtutis nulla pars inſit. Age ſi voluptatem non intelligimus, ne dolorem quidem. Nego igitur eius eſſe, qui dolore ſummum malum metiatur, mentionem facere virtutis. Et conqueruntur quidem Epicurei, viri optimi, (nam nullum genus eſt minùs malitioſum) me ſtudioſè dicere contra Epicurum. Ita credo, de honore, aut de dignitate contendimus. Mihi ſummum in animo bonum videtur; illis autem in corpore: mihi in virtute, illis in voluptate. Et illi pugnant, & quidam vicinorum fidem implorant; multi autem ſunt, qui ſtatim conuolent. Ego ſum is, qui dicam me non laborare ratum habiturum quod egerint. Quid enim?* &c. Vides ergo vt Cicero aureis veluti obturârit, ne ex rei potiùs veritate, quàm ex præconcepta vulgari opinione loqueretur. Sic audiuiſti illum paulò antè memorare Epicureum quendam circa voluptatem diſtinguere, ac diuidere illa, quemadmodum dicerentur; & ipſe tamen non multò priùs: in Piſon. *Audiſtis profectò dici,* inquit, *Philoſophos Epicureos omneis res, quæ ſunt homini expetendæ, voluptate metiri. Rectè, an ſecus, nihil ad nos; aut, ſi ad nos, nihil ad hoc tempus.* Sic alio loco: lib. 3. de Orat. *Nec vlla tamen ei Philoſophiæ* (Epicuri videlicet) *fiet iniuria à nobis. Non enim repelletur inde, quò aggredi cupiet: ſed in Hortulis quieſcet ſuis, vbi vult; vbi etiam recubans, molliter & delicatè, nos auocat à roſtris, à iudiciis, à curia; fortaſſe ſapienter, hac præſertim Repub. Verùm ego non quæro nunc quæ ſit Philoſophia veriſſima; ſed quæ Oratori coniuncta maximè.* Alia id genus proferrem loca; ſed ſufficiat addere illud quod aliquando ſcripſit ad Caſſium: *In iſta ipſa αἱρέσει* (Secta nempe Epicuri) *metuo ne plus neruorum ſit, quàm ego putârim; ſi modò eam tu probas.* lib. 15 famil. ep. 16. Itemque, quod de Philone Academico ait, *Nam Philo,* inquit, *noſter ferre non poterat aſpernari Epicureos molleis & delicatas voluptates.* 1. de nat. Deor. Nempe quaſi illi aſpernarentur quidem, ſed ſimulatè facerent; parum dextre id interpretabatur.

CAPVT VII.

De Plutarcho.

ALTER eſt Plutarchus, cuius filius Lamprias ſex prodidit libros aduerſus Epicurum ſcriptos; præter duos illos, in Ind. libr. pat. qui adhuc ſuperſunt in Coloten Epicureum. Tituli fuerunt, περὶ τῆς Ἐπικούρου ὀκρίασιν (&, vt Stephanus legit) περὶ θεῶν, *in Epicuri auditionem de Diis.* Ἐπικουρείων ἐναντιωμάτων, *contradictionum Epicurearum.* περὶ τοῦ ἐφ' ἡμῖν πρὸς Ἐπίκουρον σχολαὶ Ἀκαδημαϊκαί, *de eo, quod in noſtra poteſtate ſitum eſt, Scholæ Academicæ.* Ὅτι παραδοξότερα οἱ Ἐπικούρειοι τῶν ποιητῶν λέγουσιν, *Epicureos, quàm Poëtas incredibiliora dicere.* Στωϊκῶν, καὶ Ἐπικουρείων ἐκλογαί, καὶ ἔλεγχοι, *Stoicorum, & Epicureorum ſelecta Sententiæ, earúmque redargutiones.* περὶ δεισιδαιμονίας πρὸς Ἐπίκουρον, *de ſuperſtitione aduerſus Epicurum.* Quidnam verò in hiſce libris aut obiecerit, aut inſinuare in Epicuri excuſationem potuerit, librorum iactura dicere non ſinit. Nam quem librum adhuc habemus, de Superſtitione inſcriptum? præterquam quòd adiunctum illud, *aduerſus Epicurum*, non præfertur in titulo, ille ſanè neminem minùs, quàm Epicurum attingit. Vt ergo potiſſimùm dicam de duobus libris reſiduis, quorum vni titulum fecit, πρὸς Κολώτην ὑπὲρ τῶν ἄλλων φιλοσόφων, *aduerſus Coloten, de aliis Philoſophis*; alteri, ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν ἡδέως κατ' Ἐπίκουρον. *Ne viui quidem ſuauiter ſecundum Epicurum poſſe*: occaſione nimirùm ſumptâ ab eo libro, cui Colotes titulum fecerat, ὅτι κατὰ τὰ τῶν ἄλλων φιλοσόφων δόγματα οὐδὲ ζῆν ἔστιν, *Ne viui quidem iuxta aliorum Philoſophorum decreta poſſe*; vt de his, inquam, libris dicam, illud præmitto, nullum authorem omni memoriâ extare, quem cum Viro illo eximio comparandum exiſtimem; ita videtur vbique mihi inſignem morum ſuauitatem cum eruditione maxima teſtari. Quod attinet autem ad ea, quæ in hiſce libris aduerſus Epicurum vrget, exiſtimauit,

quantum

quantum opinor, tum meliùs honeſtatis ſtudium in animis defixum iri, cùm Epicurum calculo ſuo pergeret facere infamem, quem fama iam feciſſet authorem nefandæ turpitudinis. Ego quidem ſic ſentio, ſicque inter- lib.2.c.9. pretari malo, quàm cum Agellio dicere, Epicurum carpi à Plutarcho minutè nimis, ac propè etiam ſubfrigidè. Non credes fortaſſe Plutarchum potiùs ex diuulgata opinione, quàm ex rei veritate in Epicurum diſputauiſſe; ſed attende quæſo quid habeat poſteriore horum librorum. Nimirùm, poſtquàm attigit dogmata præcipua, ob quæ Epicurus, Sectatoréſque ipſius malè audiunt, cuiuſmodi ſunt, *Amicis carere, Actione priuari, Deum nullum putare, Voluptati indulgere, Res omneis negligere*; ſubdit imprimis, *iſta eſſe, quæ homines omnes, ipſis exceptis, huic Sectæ attribuant.* Deinde verò ſibi obiicit ἀδίκως φήσει τις, *immeritò hoc, dicet aliquis*; tum autem ipſemet reſpondet: ἀλλὰ τὴν δόξαν, οὐ τὴν ἀλήθειαν σκοποῦμεν, *verumtamen nos opinionem, non veritatem attendimus.* Vides quàm apertè Plutarchus ſe φιλόδοξον, non φιλαλήθη profiteatur, de Epicuro cùm agitur. Vis porrò locum indicem ex quo videatur maior adhuc in illo candor deſiderari? Vidimus iam relata illa tum ex Cicerone, tum ex Laërtio epiſtola, quam Epicurus moribundus ſcripſit, doloribus ipſum ſuis oppoſuiſſe *animi gaudium*, τὸ κατὰ ψυχὴν χαῖρον, *quod perciperetur ex recordatione ſuorum olim ratiociniorum*, ἐπὶ τῇ τῶν γεγονότων διαλογισμῶν μνήμῃ. At Plutarchus, vt Epicurum poſſet feliciùs carpere, verba detorſit, ac immutauit. Ecce enim in eodem libro Epicurum dolores ſuos oppoſuiſſe ſcribit τῇ μνήμῃ τῶν ἀπολελαυσμένων πρότερον ἡδονῶν, *perceptarum priùs voluptatum memoria.* Quo loco iterùm notanda vox illa ἀπολελαυσμένων, ſiquidem illam etiam Epicurus expreſsè te- apud Laërt. l.10. ſpuit ſcribens ad Menœceum; cùm perſpectum alioquin ſit in quam malam partem ſoleat accipi, vel ex eo, quòd opponi ſolet ipſi virtuti, vt cùm apud Ariſtotelem quæri- lib.1.Top. cap 5. Sect.28. probl.7. tur, *ſit-ne vita iuxta virtutem*, ἢ κατ᾽ ἀπόλαυσιν, *iucundior?* Exaggerare id non contendo, ne accuſare Plutarchum videar; indigitandum tamen cenſui, vt Epicurus excuſaretur.

CAPVT VIII.

De Galeno.

lib. de libb. pro. TERTIVS eſt Galenus, qui libros proprios enumerans, ſic recenſet eos, quos ſpecialiter aduerſus Epicurum ſcripſit, τὰ πρὸς τὴν Ἐπικούρου φιλοσοφίαν ἀνήκοντα, *De iis, quæ ad Epicuri Philoſophiam pertinent.* περὶ τῆς κατ᾽ Ἐπίκουρον εὐδαίμονος καὶ μακαρίου βίου, β. *De beata, ac felici ſecundum Epicurum vita, libri duo.* περὶ τῆς κατ᾽ Ἐπίκουρον ἀμόρου ἡδονῆς, β. *De eo, qui iuxta Epicurum eſt voluptatis expers, duo.* ὅτι τὰ ποιητικὰ τῆς ἡδονῆς ἐλλιπῶς Ἐπικούρῳ λέλεκται, ἕν. *Quòd ea, quæ voluptatem creant imperfectè ſint ab Epicuro expreſſa, vnus.* Τὰ περὶ τῆς ἡδονικῆς αἱρέσεως. *De Secta voluptaria.* Εἰ ἡ φιλολογία χρήσιμος εἰς τὴν ἠθικὴν φιλοσοφίαν, ἕν, *an Philologia ad moralem Philoſophiam conferat, vnus.* περὶ τῶν πρὸς τοὺς σοφιστὰς, ἕν, *de iis, quæ ad Sophiſtas ſpectant, vnus.* Μητροδώρου ἐπιστολὴ πρὸς Κέλσον Ἐπικούρειον, *Metrodori Epiſtola ad Celſum Epicureum.* Ἐπιστολὴ Πουδεντιανοῦ Ἐπικουρείου, *Pudentiani Epicurei Epiſtola.* Cùm huiuſmodi porrò libri deſiderentur, plurima tamen adhuc leguntur in libris ſuperſtitibus, quæ Epicurum feriant. Cur autem Galenus, vir tantus, adeò malè animatus in Epicurum fuerit, occaſionem factam opinor, quòd malè affectus erga Aſclepiadem, qui Hippocraticam Medicinam penitùs ſubruerat, viderit Epicurum eſſe, ex quo Aſclepiades ſua principia deſumpſiſſet: tametſi Sectæ Princeps fieri, vt ambitioſus erat, vellet. Iam vt videas Galenum quoque aliud de Epicuro ſciſſe, euulgauiſſe aliud; nôrat imprimis Epicurum in deſcri- lib.10. prione viri ſapientis, quæ exſtat adhuc apud Laërtium, venereorum vſum damnaſſe. Nimirùm cùm aliis locis ſuo tempore referendis, tum præſertim in librum tertium Epi- comment.1. demiorum Hippocratis ſcribens, hanc inde deſumpſit Epicuri ſententiam; μηδέποτε μὲν ὠφελεῖν ἀφροδισίων χρῆσιν, ἀγαπητὸν δ᾽ εἰ μὴ βλάψειεν, *Nihil vnquam prodeſſe venereorum vſum; præclarè agi, ſi nihil noceat.* Quin ex eadem conſequenter deſcriptione nouerat eum, qui ſapiens fuerit; amore captum non iri; quæ Epicuri ſententia, eſt deinde mirè à Lucretio lib.4. amplificata. Sed & ſcrutator adeò curioſus Epicureorum operum ignorare non poterat, quòd citatum ſuperiùs eſt ex Epiſtola ad Me- apud Laërt. lib.10. nœceum, de ſuaui vita, quam non puerorum, mulierúmque fruitio pariat, non piſcium vſus, &c. quæque omninò ſeparari a virtutum choro non poſſit. Niſi verò id ex illa Epiſtola cognouerat, ignorare ſaltem non poterat ex Ratis ſententiis, apud omneis notiſſimis, quarum aliquæ Galeno interdum citantur, & ex quibus occaſio ſumpta conſcribendi librum illum, εἰ ἡ φιλολογία χρήσιμος, &c. nempe & in Ratis ſententiis habetur, *viui non poſſe ſuauiter*, ἄνευ τοῦ φρονίμως, καὶ καλῶς, &c. cùm Galenus ergo hæc non ignoraret, in libris tamen de placitis Hippocratis, lib.5.cap.9. & Platonis, diſtinxit primùm tria quædam tribus Animæ partibus accommodata, ſeu familiaria, voluptatem concupiſcenti, victoriam animoſæ, honeſtatem ratiocinanti, ac deinde ſubiunxit: *Epicurus quidem ſolum id, quod peſſimæ animæ parti eſt familiare, ſpectauit* (voluptatem videlicet) *Chryſippus verò id, quod optimæ, aſſerendo nos conciliari* πρὸς μόνον τὸ καλόν, *ad id ſolum quod eſt honeſtum.* Quaſi ſcilicet Epicurus aut *honeſtatem* abiu- lib.1.cap.12. raſſet, τὸ καλῶς ζῆν, aut nullam, niſi indecoram voluptatem affectauiſſet? Sic alio loco de facultatibus naturalibus ſcribens, & Epicurum præſertim, eiúſque Sectatores notans: *Ex horum*, inquit, *ſententia, nulla eſt intelligentia animæ congenita; nulla ratio conſequutionis, repugnantiæ, diuiſionis, compoſitionis; rerum iuſtarum, iniuſtarúmque; honeſtarum, ac turpium: ſed ex ſenſu, & per ſenſum fieri dicunt in nobis omnia, & imaginationibus quibuſdam, memoriiſque regi animalia. Ad hæc, nullam*

in Anima, quâ ratiocinamur, facultatem eſſe, ſed ſenſibus, paſſionibuſque pecorum ritu duci nos, cùm ſcilicet renuere, reſpuerêve nihil poſſ m ... Hu authoribus, Fortitudo, Prudentia, Temperantia, Continentia, mera ſunt nugæ Sic rurſus aliàs, licet nomen Epicuri reticeat, haud obſcurè tamen in illum inſultat, vt conſtat ex iis, quæ ſuprà attigimus ex Suida, & ex opinione circa vſum partium ſuo loco commemoranda. *Attende iam,* inquit, *in vtram familiam, qui in hiſce libris verſaris, cooptari debeas,* lib.3.de vſ. part.cap.10. *Platoniſne, Hippocratis, cæterorúmque virorum, qui opera naturæ ſuſpiciunt; an aliorum, qui eam reprehendunt, quod non ſtatuerit, vt per pedes excrementa effluerent. Diffluebat enim adeò deliciis, qui dicere hæc mihi eſt auſus, vt graue eſſet ipſi è lecto ſurgere ad exonerandum ventrem. Præſtitiſſet nempe hominem ita comparatum eſſe, vt ſola pedis exporrectione excrementa ſecerneret. Quid hunc vel pati, vel agere exiſtimes, cùm ſolus eſt? quas exercere contumelias in omneis parteis corporis? quomodo deprauare, & corrumpere pulcherrimas Animæ doteis? qui nempe mutilam, & cæcam facultatem diuinam fecit, quâ ſolâ homo potis eſt veritatem contemplari; inexplebilem verò voluptatem magnam reddidit, ac potentem, quæ præter legem, ac iniuſtè exercet tyrannidem, quæque vim & peſſimam, & maximè ferinam habet.* Sic ille.

CAPVT IX.

De ſanctis Patribus, ac nominatim Clemente, Lactantio, Ambroſio.

EX his iam intelligi licet, quid agere potuerint, debuerintve Eccleſiæ Patres, quibus ſtudium incuboit, & veritatis eminentioris, & honeſtatis auguſtioris. Æquiores certè in Epicurum eſſe non potuerunt, quàm authores Ethnici; cùm præſertim magna ex parte ipſoſ-met Epicuri libros, vt apparet, non viderint: Neque verò etiam debuerunt; cùm potiſſimùm Epicurum talem eſſe crediderint, qualis vulgò depingeretur. Cæterùm, quòd etiam aliqui ex iis, quos germana Epicuri ſcripta minimè ignoraſſe conſtat, præ feruore aliquando, quo virtutem populis perſuadere conabantur, iuxta rumorem popularem in Epicurum dixerint, manifeſtum facient ſeligendi tres, vnus ex Græcis, duo ex Latinis.

Ille eſt Clemens Alexandrinus, qui, vt erat per eruditus, ita legerat ſanè illam ad Menœceum epiſtolam, in qua Epicurus nihil magis, quàm voluptates obſcœnas exhorret, vt ex relatis mox antè conſtat. Legiſſe argumento eſt quod bonam Epiſtolæ partem in ſuis habeat Stromatis, ac præfationem illam imprimis, Μήτε νέος τις ὢν, μελλέτω φιλοσοφεῖν, μήτε lib.4. γέρων ὑπάρχων κοπιάτω φιλοσοφῶν. οὔτε γὰρ ἄωρος οὐδείς ἐστιν, οὔτε πάρωρος πρὸς τὸ κατὰ ψυχὴν ὑγιαῖνον, &c *Neque inuenit quis exſiſtens philoſophandi moram trahat: neque ſenex cum fuerit, philoſophando defatigetur. Ad Animæ quippe ſanitatem neque immaturus, neque intempeſtiuus eſt quiſquam* &c. Et tamen illam Epicuri de voluptatibus ſententiam, velut non aduertens, aut diſſimulans, Epicurum perinde notat, *quaſi decernentem beatam victoriam, ſeu felicitatem non vt hominum ratione præditorum, ac Philoſophorum, ſed vt quorundam pecorum victitantium ſtercoribus.* lib.2. Legerat quin-etiam recitatam illam ex Galeno de venereorum vſu Epicuri ſententiam; quippe in ſuo Pædagogo illam retulit, ac iiſdem quidem proximè verbis, quibus exſtat apud Laërtium; ſed certo tamen conſilio Epicuri nomen reticendum cenſuit, dicere contentus, ἐν γοῦν τις εἰρηκέναι φαίνεται Συνουσία ὤνησε μὲν οὐδέποτε, ἀγαπητὸν δὲ εἰ μὴ ἔβλαψεν. *Bene ergo quiſpiam dixiſſe videtur, venereorum vſus prodeſt nemini; ac præclarè agitur, niſi etiam noceat.* Quare & minùs mirabere, ſi eùm talia diſſimulet, dicat nihilominùs Epicurum *veritatem poſthabere voluptati, & bonam carnis conſtitutionem deificare,* aliaque id genus, quæ profectò cognouerat ab Epicuri mente aliena.

Ex iſtis vnus eſt Lactantins, cuius cùm libro tertio Inſtitutionum verba ſint, *Epicurus ſummum bonum in voluptate animi eſſe cenſet, Ariſtippus in voluptate corporis,* &c mirum cap.7. quomodo eodem libro verba deinceps hæc habeat, *verùm ille fortaſſe impunitatem vitiis ſuis ſpopondit* (de Epicuro loquitur) *fuit enim turpiſſimæ voluptatis aſſertor, cuius capiendæ causâ naſci hominem putauit.*

Alter Diuus Ambroſius, qui cùm in ſuis Epiſtolis illam etiam partem, citatæ ad Menœceum Epiſtolæ, quæ de voluptate eſt, proferat, Etenim, *clamat ille,* inquit, *quia non potationes, neque comeſſationes, neque filiorum ſoboles, nec fœminarum copula, nec piſcium copia, aliorúmque huiuſmodi, quæ ſplendido vſui parantur conuiuiꝗ, ſuauem vitam faciunt; ſed ſobria diſputatio,* &c. lib.3.ep.15. Cùm etiam ibidem vir ſanctus hoc addat de Epicuri Sectatoribus, *quòd illis, non immoderata epulæ, non potationes voluptatis ſuauitatem generant, ſed continens vita:* Nihilominùs idem ſanctus Præſul exaggerat alibi *Epicuri Scholam dirumpi corporis delectatione, & Epicureos aſſerenteis ſummum bonum voluptatem eſſe, æſtimare magis illam inquinamento corporis, quàm ſobrietate mentis,* & ſimilia. Sed heic iſtorum modus eſto. lib 1. de Abrah. cap.1.& 11.

LIBER QVARTVS,

DE

OBIECTA EPICVRO IMPIETATE.

CAPVT PRIMVM.

Epicurus arguitur, quòd Deum aut non prorsùs, aut ſimulatè coluerit.

NVNC vt præcipuas atingamus in Epicurum criminationes, exordium façimus ab ea, quæ eſt omnium grauiſſima, nimirum circa impietatem. Tametſi porrò quæ præcipua obiicitur impietas ad doctrinam ſpectet, de qua ſeorſim dicendum eſt; non deſunt tamen qni mores etiam, de quibus iam agimus, impietate ſuâ norent; ſeu Deos, ſeu patriam, parentes, cæteróſque reſpexeris. Ac primùm quidem Seneca ex opinione eius deducit, quòd veteri Deum non debnerit. En
lib. 4. de benef. cap. 19. illius verba: *Tu Epicure, Deum inermem facis; omnia illi tela, omnem detraxiſti potentiam, & ne cuiquam timendus eſſet, proieciſti illum extra murum.* Pergit: *Hunc igitur ſeptum ingenti quodam. & inexplicabili muro, diſiunctúmque à conſpectu mortalium non habes quare verearis. Nulla illi nec tribuendi, nec nocendi materia eſt.*
lib. 1. de nat. Deor. Senecæ Cicero conſentit; nam, *quamobrem*, inquit, *Dij colendi ſint, non intelligo, nullo nec accepto ab iis, nec ſperato bono.* Videtur proinde Plutarchus non immeritò Epicuro, Secta-
l. 1. adu. Col. toribúſque obiicere, *quòd aboleant ſacrificia, myſteria, pompas, feſtoſ dies; quódque proinde adimant quæ ſacra ſunt debita Baccho, cæteriſque Diis, ſeu ſeruatoribus, ſeu nuptiarum præſidibus,*
lib. 4. c. 27. *ſeu aliis.* Sic Athenæus: *Apud Epicurum*, inquit, *non libatio, non primitiæ Diis offeruntur; ſed quod de indecora quadam muliere Simonides dicit;*

Non immolatas ſæpe victimas vorant.

Deinde, quamvis Epicurus viſus fuerit Deos colere, hypocriſeos tamen, ſeu ſimulationis impietas inuritur. Hac de re ecce Plu-
l. 1. adu. Col. tarchi locum: *Precationes*, inquit, *& adorationes, non vt quidpiam his indigens, ſed præ multitudinis metu ſimulat, votéſque contrarias iis, quas inter philoſophandum ederet, pronunciat. Ac ſacrificans quidem mactanti ſacrificulo, vt coquo aſſiſtit, ſacrificio tamen peracto diſcedit, illud ſubmurmurans: quod quidem hominem oportuit facere, ſacrum feci; verumtamen Diis ad me nequaquam aduertentibus. Ita ſcilicet Epicurus fingendum eſſe exiſtimat; neque inuidendum eſſe, aut infenſum fieri vulgo hominum, qui cum gaudio peragunt iſta.* Hactenus Plutarchus, qui & poſt-modùm vbi oſtendit nec Epicurum, nec Epicnreos ſuperſtitioſis feliciores eſſe, quatenus ſacris, myſteriiſque, neceſſitate compulſi, aſſiſtunt, ſubiicit, *illos id agere timenteis, & expaueſcenteis, ne detegantur, atque idcircò cum fallacia populo imponere; apud quem etiam libros de Deo, naturáque diuinâ componant, inuolutos illos, nihilque bonæ frugis continentes; dum opiniones interim ſuas omnimodè ſeu ſuperueſtiunt, ac propter metum operiunt.* Ex hoc eſt, cur apud Lucianum, cùm Epicureus Hermon inſinuaſſet honorem ſibi aliquem, quod eſſet Sacerdos, deberi; Zenothemis Stoicus id cum riſu exceperit, quaſi facetum prorsùs foret Epicureum Sacerdotem eſſe. in Sympoſ.

CAPVT II.

Itémque quòd ſe, & ſuos Sectatores in Diis haberi voluerit.

SEQVITVR alia impietatis ſpecies. Videtur enim Epicurus Deos è Mundo ſuſtuliſſe, vt ſeſe quaſi nouum quemdam Deum mortalibus inueheret, & qnos luberet faceret Deos. Siquidem Plutarchus commemorans illam Colotæ adorationem, quâ Epicurum de Natura diſſerentem proſequutus fuerat: *Epicurus ipſe*, inquit, *gloriabundus* Col. l. 1. adu.
σεμνυνόμενος, *ſic illam deſcribit*; ὡς σεβομένῳ γάρ σοι τὰ τότε ὑφ' ἡμῶν λεγόμενα προσέπεσεν ἐπιθύμημα ἀφυσιολόγητον τὸ περιλαβεῖν ἡμᾶς, γονάτων ἐφαπτόμενον, καὶ πάσης τῆς εἰθισμένης ἐπιλήψεως γίνεσθαι, κατὰ τὰς σεβάσεις τιμῶν, καὶ λιτὰς. ἐποίησας οὖν (φησι) καὶ ἡμᾶς ἀνθιεροῦν σεαυτὸν, καὶ ἀντισέβεσθαι. *Tibi enim, tanquam veneranti ea, quæ tum à nobis dicebantur, inceſſit cupiditas, cauſam non habens naturalem, vt genua attingens nos complecterere, & quicquid vſurpari ſolitum eſt circa cultum adorationes, precationéſque exhiberes.*

Quo

Quo effeciſti, inquit, vt & nos te viciſſim ſacrum deputaremus, ac veneraremur. Et paulò pòſt: ἄφθαρτος μοι διατέλει (φησὶ) καὶ ὑμᾶς ἀφθάρτους δόξαζε, *incorruptibilis perge, inquit, nóſque incorruptibiles etiam reputa.* Ex quo Plutarchus cenſet ignoſcendum iis, qui dicunt ſe quovis pretio ſpectaturos Tabulam, in qua ille quidem exhiberetur procidens, genuáque complecteos; iſte verò reciprocè & ſupplex, & venerabundus. His adde, quod idem Plutarchus ab Epicuro ad Idomeneum ſcriptum fuiſſe commemorat, πέμπε οὖν ἀπαρχὰς ἡμῖν εἰς τὴν τοῦ ἱεροῦ σώματος θεραπείαν, *Itaque mitte ad nos primitias ad ſacri huius corporis cultum.* En vt affectarit honores Diuinos. Quin affectaſſe quoque videtur, dum tot cæremonias in ſui memoriam teſtamento fieri mandauit, ac id comprobante præſertim ſucceſſu, cùm Sectatores ipſum inter Diuos collocauerint, & celebreis effecerint θρησκευομένας ὑπ' αὐτῶν εἰκάδας *ſuperſtitioſo ritu cultas à ſe dies vigeſimas*, vt apud Laërtium Menippus obiecit. Quòd porrò inter Deos relatus à Sectatoribus fuerit, declarat abundè vel vnus Lucretius, hæc enim de illo profatur:

eod.libro.

lib.5.init.

Quis potis eſt dignum pollenti pectore carmen
Condere pro rerum maieſtate, hiſque repertis;
Quiſve valet verbis tantùm, qui fundere laudes
Pro meritis eius poſſit, qui talia nobis
Pectore parta ſuo, quæſitáque præmia liquit?
Nemo, vt opinor, erit mortali corpore cretus.
Nam ſi, vt ipſa petit maieſtas cognita rerum,
Dicendum'ſt, Deus ille fuit, Deus, inclute Memmi,
Qui princeps vitæ rationem inuenit eam, quæ
Nunc appellatur ſapientia, quique per artem
Fluctibus è tantis vitam, tantiſque tenebris
In tam tranquillo, & tam clara luce locauit.

lib.5.c.14. Neque verò eſt cur Lactantius exiſtimet Lucretium laudare hoc loco voluiſſe aut Pythagoram, aut Thaletem; ſiquidem ſatis manifeſtè Epicurum indicat, dum commendationem concludens, hæc habet:

Cuius ego ingreſſus veſtigia, nunc rationes
Perſequor, ac doceo dictis, quo quæque creata
Fœdere ſint, &c.

Quod denique Epicurus Sectatores ſuos facere Deos voluerit, confirmare videtur, tum quod ille ſcripſit ad Menœceum, *fore, vt ſuis præceptis parens viueret vt Deus inter homines*, ζήσῃ δὲ ὡς θεὸς ἐν ἀνθρώποις: tum quod Plutarchus proprium fuiſſe Epicureorum aſſerit, *vt ſeſe Deorum æqualeis iactarent.*

CAPVT III.

Declaratur vt Epicurus cenſeri poßit legitimè coluiſſe Naturam Diuinam.

IAM, cùm eleuare aggrediar quæ Epicuro obiiciuntur, abſit aliâ mente id præſtem, quàm exercitationis gratiâ. Neque

enim ſi ille fuit, vt eſſe potuit, impius, malignus, aut aliâ ratione vitioſus, ego is ſum, qui patrocinium ipſius mordicùs ſuſcipiam, & vel fuco facto, exſtitiſſe pium, bonum, temperantem defendam. Quin etiam, ſi quando perſpicuum euadat ea, quæ obiiciuntur, calumnias non eſſe, ac ipſum reuerà peccaſſe, neque reprehendi iniuriâ, non ero ſanè ipſe poſtremus, qui accuſationem inſtituam, (vel & inſtituo in illis doctrinæ capitibus, in quibus perſpicuè errasſe eum conſtat) cùm & iam dumtaxat excuſationem texam, quòd ille videatur præter fas, & æquum, niſi in rebus omnibus, at certè in quàm plurimis, meâ ſententiâ reprehendi. Itaque rei veritate ſaluâ per me, ac integra, explicationes ſolummodo, atque coniecturas propono, quæ niſi moueant cæteros, mihi tamen bonâ fide agenti probabilitatem inducunt. Quod ſpectat ſanè ad rem præſentem, moueor loco illo Laërtij, quo *affectus pietatis Epicuri erga Deos, ineffabilis fuiſſe dicitur*, τῆς μὲν γὰρ πρὸς θεοὺς ὁσιότητος ἄλεκτος ἡ διάθεσις. lib.10. Moueor, quòd in ea ciuitate, in qua Epicurus incolumis vixit, &, vt adnotauit D. Auguſtinus, *gloriâ etiam floruit*, adeò malè mulctarentur quotquot ex Philoſophis, vel leuiculam impietatis ſuſpicionem exhiberent, vt exemplo eſſe poſſunt Anaxagoras, Protagoras, Socrates, & florente iam Epicuro, ipſe Ariſtoteles. lib.18 ciuit. cap.41. Tum, vt obiectis ſatisfiat, hærendum in eo non opinor, an Epicurus Deum coluerit; id diſquirendum potiùs, an ſe in cultu naturæ Diuinæ exhibēdo ritè geſſerit. Principio verò nemo dicat exigendum ex ipſo cultum, quem ſolum temporibus illis profitemur verum fuiſſe, ac legitimum, Iudæis ſcilicet præſcriptum: ſiquidem qui exigeret, Platonem, Zenonem, cæteróſque omneis Epicuro faceret pareis. Quocirca inſpiciendum reſtat, quid in communi tam Epicuro quàm cæteris caligine, decuerit magis naturam Diuinam. Circa hoc porrò, vide vt etiam noſtris hiſce temporibus de pietate philoſophemur; & Epicurum præ cæteris, quotquot ipſum reprehendunt, maximè pium fortè comperies. Duplicem ſolemus aſſignare cauſam, quare Deum homines colant: Vnam dicimus excellentem, ſupremámque Dei naturam, quæ ſeipsâ, & ſine vllo ad noſtram vtilitatem reſpectu, cultus, ac reuerentiæ digniſſima ſit: Alteram, beneficia, quæ Deus ſeu bona largiendo, ſeu à malis auocando, aut contulerit, aut, quod magis mouet, collaturus ſit. Hinc, ſi quiſpiam ad Deum colendum priore cauſâ alliciatur; hunc ſe affectu verè filiali componere aſſerimus; ſin poſteriore, prorsùs ſeruili. Et quamvis honor, amórque ſeruilis, non ſit omninò improbandus, ac ne præſertim in Benefactorem ingrato ſimus animo; nemo eſt tamen qui ſuſtineat filialem non longè præſtare, quòd is exhibeatur ob ipſummet Deum, cuius ſanè altaria aliunde frigerent, ſi dominante affecto ſeruili, homines nihil ab ipſo, (quantumcumque excellens foret) aut acciperent, aut metuerent. Iam cùm Cicero, Seneca & alij affectu

planè ſeruili ducti fuerint, quid-nam aliud Epicuro reliquum fecerunt, quàm vt filialis eius pietas (non illa ſanè ſupernaturalis, ſeu ex gratia iuſtificante, ſecundùm quam filij Dei nominamur, & ſumus; verùm naturalis, & qualem recta ratio ſuggerit; ſecundùm quam etiam agnoſcitur Deus vt pater) vt, inquam, eius pietas magis, magiſque commen- lib. I. de nat. Deor. daretur. Cicero ſic inſtat: *Quid eſt, cur Deos ab hominibus colendos dicas, cùm Dij non modo homines non colant, ſed omninò nihil curent?* Pergit: *Quæ porrò pietas ei debetur, à quo nihil acceperis? aut quid omninò, cuius nullum meritum ſit, ei deberi poteſt?* Agnoſcis vt alium, quàm ſeruilem cultum Cicero non probauerit: At filialem in Epicuro non probauit ille quidem, ſed tamen non ignorauit. Quippe Velleio pro Epicuro reſpondente, inter cæ- Ibid. tera hanc rationem audiit: *Habet venerationem iuſtam quicquid excellit.* lib. 4. de benef. cap. 19. Seneca autem ſic quidem vrget: *Atqui Deum, Epicure, Deum vis videri colere, non aliter, quam parentem? grato, vt opinor, animo. Aut, ſi non vis videri gratus, quia nullum habes illius beneficium, ſed te Atomi, & iſta mica tua fortè, ac temerè conglobauerunt, cur colis?* Verùm cùm ſolam reuerentiam ſeruilem Seneca agnoſcat, nonne filialem in Epicuro, vel nolens, ſatis indicat, cùm ab ipſo Deum, *tanquam parentem* coli dicit? Quid quod Epi- loc. cit. curus ſtatim à Seneca inducitur *Deum colere, nulla ſpe, nullo pretio inductus; ſed propter eius maieſtatem eximiam, ſupremámque naturam?* An-ne pietas Epicuri fieri poterat commendatior?

CAPVT IV.

De ſuperſtitioſis ritibus ab Epicuro contemptis, & de obiecta ſimulatione.

QVod Epicurus libationes, primitiarúmque oblationes in ſuo conuiuio neglexerit: quòd feſta, aliáque id genus (quanquam doctrinâ potiùs, quàm exemplo ſuo) abolere curauerit, non videtur eſſe cur vitio vertamus. Profectò nemo negauerit, quin alia religio ſit pura, & alia ſpuria, quæ ſuperſtitio proprio nomine dicitur; nemo conſequenter, qui, cùm illam probet, improbare iſtam non debeat. Quid-nam verò aliud egit Epicurus? Obſeruauimus vt contenderit Religionem puram amplecti; quòd ſi aliunde vel contempſit, vel etiam radicitùs conuellere ſtuduit ritus illos, ac cæremonias, quæ ſincerum in Deum affectum prorsùs opprimentes, crucem prætereà mentibus figunt; nihil ſanè voluit aliud, quàm improbare ſuperſtitionem. Plura ſunt de his ſuo loco dicenda. Addo heic ſolùm, ſi hac ratione repurgauit Epicurus ſuperſtitionibus homines; ſi cultum illum neglexit, & Deos illos ſuſtulit, putà Bacchum, & cæteros, quos neque nos probare debemus, neque ferre poſſumus; traducere autem curauit exemplo ſuo homines ad cultum veræ diuinitatis (etſi aliunde, quia homo fuit, neque iis, quibus nos iam, illuſtratus luminibus, non attigerit vndequaque ſcopum) quamobrem à nobis dicatur ex hoc capite culpam contraxiſſe? Admoneo proinde, non de vera Religione, ſed de ſpuria, ſeu ſuperſtitioſa intelligendum Lucretium, cùm ab Epicuro inſtructus concludit:

Quare Relligio pedibus ſubiecta viciſſim lib. 2.
Obteritur; nos exæquat victoria Cælo.

Nempe & ſtatim profert exemplum ſuperſtitioſi, ac nefarij immolandorum hominum ritus:

——Sæpius olim
Relligio peperit ſceleroſa, atque impia facta,
Aulide quo pacto Triuiaï Virginis aram
Iphianaſſaï turparunt ſanguine fœdè
Ductores Danaum delecti, prima virorum.
Cui ſimul infula virgineos circumdata comtus
Ex vtraque pari malarum parte profuſa'ſt,
Et mæſtum ſimul ante aras adſtare parentem
Senſit, & hunc propter ferrum celare miniſtros,
Aſpectúque ſuo lacrumas effundere ciueis;
Muta metu terram genibus ſummiſſa petebat;
Nec miſeræ prodeſſe in tali tempore quibat
Quod patrio Princeps donârat nomine Regem;
Nam ſublata virûm manibus, tremebundáque ad aras
Deducta'ſt; non vt ſolemni more ſacrorum
Perfecto, poſſet claro comitari hymenæo:
Sed caſta inceſtè nubendi tempore in ipſo
Hoſtia concideret mactatu mæſta parentis,
Exitus vt claſſi felix, fauſtúſque daretur.
Tantum Relligio potuit ſuadere malorum!

Superſtitioſa videlicet. An quæ Diis alioquin fuiſſent offerenda, Epicurus præ intemperantia deuorauerit, diiudicandum eſt ex iis, quæ dicentur inferiùs.

Circa obiectam ſimulationem, is non ſum, qui tueri velim ſimulatè eum nihil egiſſe; vnus, qui corda, renéſque ſcrutatur, ſcire id poteſt, ac dicere. Dico ſolùm, ſi Epicurus quibuſdam Religionis patriæ interfuit cæremoniis, quas mente tamen improbaret, videri poſſe illi quamdam excuſationis ſpeciem obtendi. Intererat enim, quia ius ciuile, & tranquillitas publica illud ex ipſo exigebat: Improbabat, quia nihil cogit animum Sapientis, vt vulgaria ſapiat. Intùs, erat ſui iuris; extra, legibus obſtrictus ſocietatis hominum. Ita perſoluebat eodem tempore quod & aliis debebat, & ſibi. Ac fateor quidem veracitate, non in verbis modò, ſed etiam in actionibus nihil eſſe poſſe laudabilius: Quid facias tamen; vbi ſpectâris hominem extra Religionem, in qua debemus cogitatione, verbo, opere conſentire? Pars hæc tum erat Sapientiæ, vt Philòſophi ſentirent cum paucis, loquerentur verò, ageréntque cum multis. Sanè enim quod Epicuro, Epicureiſque obiectũ à Plutarcho eſt, aliis propè omnibus Doctores noſtri obiiciunt; exempli causâ, Origenes, qui adu. Celſ. in hac ipſa ſeu ſtultitia, ſeu impietatis ſpecie copulat non ſemel Peripateticos, & alios. Quod quidem attingo, vt intelligas Epicurum nihil peccaſſe, quod alij nõ peccauerint.

Quanquàm

Quanquàm neſcio quiſpiam-ne ſit, qui cùm eæremonias illas improbet, exiſtimet tamen debuiſſe ab Epicuro probari? Id, quod Plutarchus vrget de turbata Epicuri fœlicitate ob neceſſitatem, & metum, declarandum alio eſt loco, vt & cætera quæ exaggerantur. Illud Hermonis, ſi nihil aliud, ſaltem indicat eiuſmodi fuiſſe Epicureos habitos, à quibus Sacerdotium, cultúſque Deorum non foret alienus.

CAPVT V.

Affectarit-ne honores Diuinos?

SEQVITVR quod Plutarchus vrget circa Colotæ adorationem. Attamen, quis non belè peruideat tam puerilem commentationem, vt refutatione non egeat? Epicurus Deos ex omnium ſententia extra hunc Mundum conſtituebat; ipſe ſe verò intra hunc Mundum non ambigebat degere. Deos docebat experteis eſſe ortus, atque interitus; ipſe ſe non corpore modò, ſed & animo prædicabat eſſe ortui, ac interitui obnoxium. Quomodo ſe ergo pro Deo habere, aut incorruptum reputare? quomodo cæteros mortaleis diuinæ eſſe conditionis exiſtimare poterat? Et dicere quidem poſſet aliquis hac in re ipſum deliraſſe, ac ſibi ipſi contradixiſſe: verùm ex iis, quæ ſequentur facile erit colligere aliam fuiſſe viri grauitatem, modeſtiam, ſapientiam, quàm vt nugaretur tam auileis nugas. Quare cùm tam multa Epicuro fuerint affiicta à Stoïcis, vt anteà obſeruauimus; quis non credat hanc Epicuri ad Colotem Epiſtolam in ſuppoſititiis habendam? Negare quidem noluerim, quin Colotes aliquando præceptoris ſui doctrinam miratus, ipſum ad genua complecti potuerit: quin Epicurus viciſſim, quaſi ſeſe excuſando, quod modeſti facere ſolent, complexus illum fuerit; ſed actio huiuſcemodi anſam præbere non debuit commentis illis ſubtexendis. Prætereo Epicuri factum, vbi conceſſum fuerit, eleuari poſſe, ſi dicas Epicurum voluiſſe duntaxat commendare Colotæ affectum, quaſi ſcilicet enthuſiaſmo quodam ad ſapientiam fuiſſet correptus: Si defendas non propterea opinatum fuiſſe Epicurum diuinos ſibi honores delatos (niſi quis cenſeat quotquot patiuntur ſibi deferri complexiones, genuflexiones, aliáque huiuſmodi, quæ, tametſi alio affectu, ad Deum etiam deferri nôrunt, vſurpare ſibi velle honores, qui diuini ſint:) Si incorruptibilitatem illam, aut pro nominis immortalitate accipiendam eſſe ſuſtineas; qualem Metrodorus poſt ſe, póſtque Epicurum vitâ functos, Senecâ teſtante, præſenſit; aut pro ipſamet poſſeſſione bonorum immortalium, cuiuſmodi virtutes ſunt; ſic enim ſumpſit Epicurus, vt referetur paulò pòſt, in Epiſtola ad Menœceum. Hæc inquam prætereo, cùm dicere præſtet, & veriſimilius ſit, rem fuiſſe confictam, & à Plutarcho, vt ille erat, ex ſuptà dictis, animatus, pro vera fuiſſe diuenditam. Quod idem dicendum de primitiis ad cultum ſacri corporis ab Idomeneo poſtulatis. Ad illud de impenſis, & celebritatibus, quas in ſui honorem haberi Epicurus teſtamento cauit, reſpondere facile eſt, nihil ipſum proptereà diuinum appetiiſſe, ſed honores tantùm quoſdam ſolitos deferri viris bene merentibus. Is mos olim fuit, ac iam perſeuerat, vt, pro innato famæ appetitu, quiſque mandet aliquid in ſui commendationem poſt obitum fieri, ſeu illud funera attineat, ſeu ſepulcra, ſeu ſtatuas, ſeu annuas commemorationes, ſeu largitiones nataleis, ſeu ſimilia, quæ varia ſunt pro perſonarum, temporum, & locorum varietate. Epicurus quid tale fecit: an poteſt quiſpiam illum damnare, niſi ſtatim damnet magnos viros, qui fuerunt & priſcis, & noſtris temporibus? Vt Epicuri æuum attingamus, nonne, ſi ille quidpiam de celebritatibus mandauit, ipſi apud Laert. l. 5. etiam Ariſtoteles, Theophraſtus, Lycon, & alij de ſtatuis ſibi ponendis mandârunt? An dices videri fuiſſe modeſtiores Lyconem, Stratonem, & alios, qui circa celebritates ſuis ſucceſſoribus nihil præſcripſerunt; ſed mandârunt ſolùm vt funera ſibi nec illiberalia curarentur, nec ſuperflua? Vt dicam ſanè quod res eſt; videntur illi fuiſſe hac in re Epicuro longè vaniores. Et nôrant enim ſe ob hanc ſpeciem moderationis laudatum iri, & ſperabant maiores ſibi honores ex illa indefinitione à ſucceſſoribus deferendos, quàm fuiſſent auſi præſcribere: cùm Epicurus ex oppoſito, nihil aliud verbis, aut votis oſtendens, quàm animo conceptum haberet, ſimpliciſſimè egerit. Prætereo auten. Epicurum videri potiùs proſpexiſſe ſuis ſucceſſoribus, quàm reſpexiſſe ad ſeipſum, dum conuentus illos inſtituit. Certè grata illa eius recordatio cum liberali conuictu, non poſtremum fuiſſe videtur demulcendæ Sectæ condimentum. Quid de Menippo ſentiendum ſit, ex ſuperiore libro conſtat.

CAPVT VI.

Quonam ſenſu Lucretius dixerit Epicurum Deum.

QVOD ad Lucretium attinet, nemo dicat illum cenſuiſſe Epicurum reuerâ Deum: cùm & mortuum deprædicâ it, & nos exemplo eius monuerit, vt fortiter mortem oppetamus. Poëticè ergo loquutus eſt, Deum inſinuans Epicurum eâ ratione, quâ hominum vulgus illos pro Diis habet, qui de genere humano fuerunt bene-meriti. Vt enim Plinius alicubi, *Deus eſt mortali, iuua re mortalem:* ac ſtatim: *Hic eſt vetuſtiſſimus referendi benemerentibus gratiam mos, vt tales numinibus adſcribantur.* Cùm itaque homines in Deos pridem retuliſſent Bacchum, Cererem, Herculem, Theſeum, qui ſuis inuentis, ac laboribus generi humano non

lib. 3. (margin, beside "nemo dicat")

lib. 2. c. 7. (margin, beside "enim Plinius alicubi")

non parùm profuiſſent, exiſtimauit Lucretius Epicurum potiori iure Deorum numero adſcribendum, hoc eſt, habendum eſſe vt virum beneficum, & celebrandum, quòd Sapientiam adinueniſſet, ea qua ampliores vtilitates promanarent ad homines. Sed reticendi verſus non ſunt quos ille ſuperiùs obiectis attexuit. Iſthæc nimirum ſubiiciuntur:

lib.5. *Confer enim diuina aliorum antiqua reperta:*
Namque Ceres fertur fruges, Libérque liquoris
Vitigeni laticem mortalibus inſtituiſſe;
Cùm tamen his poſſet ſine rebus vita manere:
Vt fama'ſt aliquas etiam nunc viuere genteis.
At bene non poterat ſine puro pectore viui;
Quò magis hic meritò nobis Deus eſſe videtur,
Ex quo nunc etiam per magnas didita genteis
Dulcia permulcent animos ſolatia vitæ.

Comparationem habes inuentorum Cereris, & Bacchi cum Epicurea ſapientia; accipe iam comparationem laborum Herculis cum eadem ſimiliter eaſuperante:

Herculis antiſtare autem ſi facta putabis,
Longiùs à vera multò ratione ferêre.
Quid Nemæam enim nobis nunc magnus hiatus
Ille Leonis obeſſet, & horrens Arcadius ſus;
Denique quid Cretæ Taurus, Lernæáque peſtis
Hydra venenatis poſſet vallata colubris?
Quidve tripectora ter-gemini vis Geryonai?
Et Diomedis equi ſpirantes naribus ignem,
Thracen, Biſtoniáſque plagas, atque Iſmara propter
Tantoperè officerent nobis? vncíſque timenda
Vnguibus Arcadiæ volucres Stymphala colentes?
Auréáque Heſperidum ſeruans fulgentia mala,
Aſper, acerba tuens, immani corpore ſerpens,
Arboris amplexus ſtirpem: quid denique obeſſet,
Propter Atlantæum littus, pelagéque ſeuera,
Quo neque noſter adit quiſquam, neque Barbarus audet?
Cætera de genere hoc quæ ſunt portẽta perempta,
Si non victa forent, quid tandem viua nocerent?
Nil, vt opinor; ita ad ſatiatem terra ferarum
Nunc etiam ſcatit, & trepido terrore repleta'ſt
Per nemora, ac monteis magnos, ſyluáſque profundas;
Quæ loca vitandi plærumque'ſt noſtra poteſtas.
At niſi purgatum'ſt pectus, quæ prælia nobis,
Atque pericula tunc ingratis inſinuandum?
Quantæ conſcindunt hominẽ cuppedinis acres
Sollicitum curæ, quantique perinde timores?
Quidve ſuperbia, ſpurcities, petulantia quãtas
Efficiunt cladeis? Quid luxus, deſidiéſque?
Hæc igitur qui cuncta ſubegerit, ex animóque
Expulerit dictis, non armis; nonne decebit
Hunc hominem numero Diuûm dignarier eſſe?

CAPVT VII.

Quo ſenſu Epicurus ſuos quaſi Deos eſſe voluerit?

PArs iam modo, cùm Epicurus Sectatores ſuæ ſapientiæ quaſi Deos quoſdam futuros aſſeruit, ridiculum foret putare, illum ad germanam naturæ diuinæ conditionem attendiſſe. Nimirùm eâ ſolùm fuit mente, vt cùm naturam diuinam deſcriberet ex felicitatis, immortalitatiſque adiunctis, cenſuerit ſapientem aliquâ ratione, tum ad Deum accedere, cùm, quatenus ipſi liceret, euaderet felix, atque immortalis: felix, inquam, quatenus fieret perturbationum vacuus; immortalis, quatenus bonis immortalibus frueretur, videlicet virtutibus. Ecce etenim quid præcedat obiecta verba ad Menœceum: Ταῦτα οὖν, καὶ τὰ τούτοις συγγενῆ μελέτα διηνεκῶς, ἡμέρας, καὶ νυκτὸς πρὸς ἑαυτὸν, καὶ πρὸς τὸν ὅμοιον σεαυτῷ, καὶ οὐδέποτε οὔθ' ὕπαρ, οὔτ' ὄναρ διαταραχθήσῃ. *Iſta igitur, ipſiſque affinia, diebus, noctibúſque ſemper meditare ſiue ipſe tecum ſiue cum eo qui ſit tui ſimilis; ſic fiet vt nec vigilans, nec ſomnians perturberis vnquam.* En quid ſequatur: οὐθὲν γὰρ ἔοικε θνητῷ ζώῳ ζῶν ἄνθρωπος ἐν ἀθανάτοις ἀγαθοῖς. *Animali quippe mortali haudquaquam ſimilis eſt homo immortalibus immortalibus bonis.* Itaque talem hortabatur Epicurus Menœceum fieri, vt nempe in tanta morum prauitate, virtutem ipſe tueretur, ac proinde vt Deus quiſpiam inter homines corruptiſſimos emineret. Taleis conſequenter potuerunt Epicurei ſeſe habere; quanquam non negem eſſe potuiſſe in Epicurea Secta, qui indigerent elleboro. Quid enim mirum, cùm ſatis conſtet ſanctiſſimis etiam ſocietatibus euenire, vt ambitioſiſſimos quoſdam, & flagitioſiſſimos nutriant. Porrò, ſi cùm illi ſe Deos, Deorúmve æqualeis iactarent, nihil aliud ſibi arrogarunt, quàm celebratam illam apud ſuos, exteróſque ſapientiam; vti veriſimile eſt nihil eos aliud cogitaſſe: id ſanè egerunt, quod tum licitum per Ethnicam profeſſionem fuit. Horatium audi: apud Laërt. lib.10.

——*Sapiens vno minor eſt Ioue:* lib 1.epiſt.1.

æqualis ergo Diis cæteris. Cicero *animum humanum cum nullo alio, niſi cum ipſo Deo comparari poſſe* dicit: Quid Sapientis ergo animum? Seneca, *Sapiens ille*, inquit, *plenus gaudio, hilaris, & placidus, inconcuſſus, cum Diis ex pari viuit.* Ac rurſus: *Hoc eſt ſummum bonum, quod ſi occupas, incipis Deorum ſocius eſſe, nõ ſupplex.* Verùm res nimis perſpicua eſt. Epiſt.31.

CAPVT VIII.

Quæ Epicuri pietas fuerit erga Patriam, Parentes, alios.

REſtabat iam impietas, quæ in patriam, parentéſque Epicuro obiicitur, maximè verò ab Epicteto: ſed cùm illa ad placita Epicuri præſertim ſpectet, nihil heic preuertendum eſt: Id refero ſolùm, quod Laërtius habet. Imprimis enim poſtquàm lib.10. ſcripſit pietatem eius in patriam fuiſſe inexplicabilem, ſubiicit illum abſtinuiſſe à publicæ rei adminiſtratione, *præ ſumma modeſtia*, ὑπερβολῇ ἐπιεικείας: cùm patriam tamen difficillimis temporibus non deſeruerit; veluti ſuprà attigimus. Vidimus etiam vt patria ſtatuis æneis

æneis eum honorârit; ſcilicet tanquam teſtibus *eminentis illius candoris, quo ſe in omneis* geſſerat, ἀνυπερβλήτῳ πρὸς πάντας εὐγνωμοσύνης. Deinde commendans illius erga parentes pietatem, ipſam vocat εὐχαριστίαν, hoc eſt, *gratam animi grati ſignificationem*, & recordationem; vt & charitatem eiuſdem in fratres ἐπιείκειαν, hoc eſt *Beneficentiam* appellat, eam ſcilicet, quæ cauſa fuit admirabilis illius amoris, cuius ex Plutarcho iam meminimus; ne aliquid dicam de iis, quæ inſinuantur ex teſtamento. Deſcribitur continuò à Laërtio *manſuetudo* viri in ſeruos, ἡμερότης, concluditúrque demùm *in omneis omninò homines humanitas*, καθόλου γὰρ ἡ πρὸς πάντας αὐτοῦ φιλανθρωπία. Ex quibus ſanè intelligitur fuiſſe Epicurum ſummâ pietate, charitate, bonitate in vniuerſum genus humanum. Heinc Cicero optimo iure, *Epicurus*, inquit, *homo minimè malus, vel potiùs vir optimus.* Alibi, quaſi indignabundus: *Coluit Epicurus*, inquit, *amicitias; quaſi quis illum neget, & bonum, & comem, & humanum fuiſſe.* Huc illud etiam pertinet: *Redarguitur ipſe à ſeſe, vinciúntque ſcripta eius probitate ipſius, ac moribus. Nam iſta commendatio puerorum* (ſic pergit ille, etſi ſuo ſenſu) *memoria, & charitas amicitiæ, ſummorum officiorum in extremo ſpiritu conſeruatio, indicat innatam eſſe homini probitatem gratuitam, non inuitatam voluptatibus, nec præmiorum mercedibus euocatam. Quod enim teſtimonium maius quærimus, quæ honeſta, & recta ſint, ipſa eſſe optabilia per ſeſe; cùm videamus tanta eſſe officia morientis?* Denique tacendum non eſt, quod habet Laërtius, cùm adhærenteis Epicuro diſcipulos memorans, illos *detentos dogmaticis ipſius Sirenibus* dicit; ac Metrodorum Stratoniceum, qui vnus ab illo defecit, & ad Carneadem ſe contulit, ideò videri defeciſſe, *quòd nimia viri bonitate veluti obrueretur*, βαρυνθέντος ταῖς ἀνυπερβλήτοις αὐτοῦ χρηστότησιν.

lib. 2. Tuſc. — lib. 2. de fin.

Quo loco obiter notanda non leuis difficultas eſt, quâ ratione fieri poſſit, vt Metrodorus Stratoniceus ad Carneadem deficere ab Epicuro potuerit, cùm Carneades ne fuerit quidem moriente Epicuro natus. Quippe cùm ex Apollodoro apud eundem Laërtium (lib. 4.) Carneades obierit Olympiadis CLXII. anno IV. natus annos octoginta quinque, vel, vt Cicero habet, nonaginta (lib. 4 Acad.): non potuit natiuitas eius Olympiadem CXXXVII. præcedere, ſicque obitum Epicuri decem Olympiadibus, ſeu quadraginta annis non ſequi. Et fuit quidem præter illum Anaxagoræ diſcipulum, cuius meminit Suidas (in voc. Carn.), Carneades quidam alius Epicuro contemporaneus: is ſcilicet, cui, cùm inuiſiſſet Arceſilam podagræ doloribus ardentem, & triſtis exiret, *Mane*, inquit ille, *Carneades noſter* (amore intellige, non Sectâ) *nihil illinc peruenit huc*, oſtendendo pedes, & pectus. Attamen præterquàm quòd ille fuit Epicuri perfamiliaris, vt adnotauit Cicero (lib. 5. de fin. in f.), adeò vt proinde fieri ad ipſum non potuerit celebris defectio; conſtat profectò Metrodorum Stratoniceum auditorem illius non fuiſſe; ſed ſubſequuti celebris Academiæ innouatoris, & ſucceſſione quarti ab Arceſila. Nempe de hoc Cicero (lib. 4. Acad.) loquens: *Bene autem noſſe Carneadem* inquit, *Stratoniceus Metrodorus putabatur.* Et alibi (lib. 1 de Orat.) rurſùs: *Erat etiam*, inquit, *Metrodorus, qui cum illis* (Clitomacho, & Æſchine) *vnà ipſum illum Carneadem diligentiùs audierat*, &c. quid putas ergo heic dicendum? Exiſtimârim Laërtium interpretari ſic licere, quaſi voluerit dicere: Ex omnibus iis, quæ Epicuro ipſiúſve Sectæ aliquando nomen dediſſent, neminem vnquam defeciſſe præter Metrodorum illum Carneadis temporibus. Quòd bonitas verò Epicuri grauis illi fuiſſe dicatur, intelligi poteſt de ea, quam Epicurus tametſi mortuus ſpiraret adhuc in ſumma illa confeſsione, charitate, & ſui memoriâ apud Sectatores. Sanè verò ſi Metrodorus à viuente adhuc Epicuro defeciſſet, quæſitum non fuiſſet ex Arceſila (qui duodecim annis Epicuro ſupervixit) *cur homines à cæteris ad Epicureos, ab Epicureis verò ad cæteros non commigrarent* (apud Laërt. l. 4.); quâ de re infrà dicendum eſt.

LIBER QVINTVS,

DE

OBIECTA EPICVRO MALIGNITATE.

CAPVT PRIMVM.

Accuſatur Epicurus ingratitudinis erga Præceptores.

DVo ſunt præcipua obiectæ malignitatis capita; ingratitudo in Præceptores, & maledicentia aduersùs omneis Philoſophus; præter ambitionem vtrique commiſtam. Prius caput libro iam primo ferè indicauimus. Vt ſpecialiùs nunc declaretur; quod ſpectat quidem ad Nauſiphanem, ſcribit Sextus Empiricus Epicurum aduersùs ipſum geſſiſſe inimicitias; contendiſſe exiſtimationem illius obliterare; ac in Epiſtola ad Philoſophus Mitylenæ degenteis conſcripta de eodem memoraſſe hæc: οἶμαι δ᾽ ἔγωγε τοὺς βαρυστόνους καὶ μαθητήν με δόξειν τοῦ Πλεύμονος εἶναι, μετὰ μειρακίων τινῶν κραιπαλώντων ἀκούσαντα αὐτοῦ (meritò enim videtur αὐτοῦ pro τοῦ Caſanbonus reponere.) *Opinor ſuſpirioſos iſtos exiſtimaturos me eſſe Pulmonis diſcipulum, qui ſcilicet audierim ipſum cum adoleſcentibus quibuſdam propter crapulam delirantibus.* Nauſiphanem autem Pulmonem vocauit, quaſi vellet ſensûs dicere expertem, vt notat idem Empiricus, qui obſeruat etiam appellaſſe illum *virum improbum* πονηρὸν ἄνθρωπον, carpſiſſéque in illo ſtudium, peritiámque diſciplinarum. Confirmata hæc habentur apud Laërtium, qui & Epiſtolæ illius ad Mitylenæos meminit, & adiicit ex Timocrate, Epicurum pluríma contra Nauſiphanem ſcripſiſſe, ac inter alia, ad verbum, ſic: ἀλλ᾽ ὅ τις ἄλλος ὄχει κακοῦργος ὠδίνων τὴν ἀπὸ τοῦ στόματος καύχησιν τὴν σοφιστικήν, καθάπερ καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν ἀνδραπόδων, *Verùm habuit ille, ſi quis alius, quam ore ſuo laborioſè parturiret, iactationem ſophiſticam, vt & pleraque alia mancipia.* Rursùs ipſummet Epicurum in Epiſtolis de Nauſiphane dicere; ταῦτα ἤγαγεν (interpunctio enim videtur haſce voces præcedere debere, non dirimere) αὐτὸν εἰς ἔκστασιν τοιαύτην, ὥστε μοι λοιδορεῖσθαι, καὶ ἀποκαλεῖν διδάσκαλον, *Hæc in eam mentis exturbationem ipſum deduxerunt, vt, ne probris impeteretur, magiſtrum etiam (ſe meum fuiſſe) oſtenderet.* Sequitur, quòd eumdem vocârit πλεύμονά τε, καὶ ἀγράμματον, καὶ ἀπατεῶνα, καὶ πόρνον, *& Pulmonem, & indoctum, & impoſtorem, & cinædum.* Hæc dubio procul Cicero innuit, cùm Epicurum notat, quòd Nauſiphanem magiſtrum tam malè acceperit, & rursùs, *quod illum vexârit omnibus contumeliis.* Prætereo, quod ex aliis Magiſtris Pamphilum Platonicum mirificè contempſerit, quòd negauerit ſe quidpiam didiciſſe à Xenocrate, quod Lyſiphanis, & Praxiphanis inſtitutionē diſſimulârit, atque id genus cætera, quæ ſunt iam antè inſinuata. Addo ſolùm quod Cicero de Democrito obiicit, *Epicurum nempe in ipſum, quem ſecutus eſt, fuiſſe ingratum.* Confirmari verò poteſt, quoniam, vt ille idem refert, *Democriti fontibus Hortulos ſuos irrigauit Epicurus,* & Metrodorus apud Plutarchum profeſſus eſt, *niſi præiuiſſet Democritus, Epicurum nunquam fuiſſe ad ſapientiam peruenturum.* Quò ſpectat illud, quod ſuprà innuimus, Epicurum ſe longo tempore Democriteum fuiſſe profeſſum, honoraſſéque Democritum, quia rectam notitiam primus attigiſſet. Itémque, quòd Epicurum Vitruuius appellat ſucceſſorem, D. verò Auguſtinus hæredem Democriti. Et cùm hæc tamen ita ſe habeant, Democritum cauillatus eſt, λημώδη appellando, quaſi *gramiis laboraſſet,* hoc eſt, in cognitione rerum naturalium cæcutiiſſet, vt eſt apud Laërtium. Cicero verò in Tuſculanis apertè docet Democritum ab Epicuro inſimulatum; & alibi: *Quæ mutat,* inquit, *ea corrumpit; quæ ſequitur, tota ſunt Democriti, Atomi, Inane, &c.* Concludit, *Democritum laudatum à cæteris, ab hoc, qui eum vnum ſequutus eſt, nollem vituperatum.* Huc referri poteſt, quod tam Epicurus, quàm Hermachus negarunt Leucippum Philoſophum quempiam exſtitiſſe; cùm Apollodorus tamen Epicureus, & alij Democriti magiſtrum fateantur, vt eſt apud Laërtium. Quaſi nimirùm Epicurus profiteri noluerit debere ſe quidpiam aut Democrito, aut illi, qui Democrito principia illa oſtendiſſet, quæ ipſe ſuffuratus eſt.

lib. 1. adu. Mathem.

ibid.

lib. 10.

lib. 1. de nat. Deor.

ibid.

eod. lib. 1. de nat. Deor.

l. 2. adu. Col.

lib. 2. c. 2.

lib. 3. Acad. c. 10.

loc. cit.

lib. 1.

lib. 1. de fin.

CAPVT II.

Arguitur id præ ambitione, vanitatiſque ſtudio feciſſe.

ETanim ſeſe ita geſſiſſe Epicurus arguitur præ nimio quodam vanitatis ſtudio, vt videlicet ex ſeipſo doctus, ſapiénſque factus videretur. Id primùm circa Nauſiphanem ex Empitico demonſtratur. lib. 1. adu. Math. *Cùm Epicurus enim*, inquit, *ipſius fuiſſet diſcipulus, prorſùs tamen id pernegauit, vt videretur à ſeipſo doctus, ac per ſe factus Philoſophus.* lib. 1. de nat. Deor. De Pamphilo Cicero declárat; oſtendens enim quare Epicurus eum contemneret, *metuis*, inquit, *ne quid vnquam didiciſſe videatur.* Ibid. Ac rurſus idem Cicero hallucinatum Epicurum dicit, *cùm quidem gloriaretur*, inquit, *vt videmus in eius ſcriptis, ſe magiſtrum habuiſſe nullum. Quod & non prædicanti* (ſic pergit) *tamen facilè equidem crederem, ſicut mali ædificij Domino glorianti ſe Architectum non habuiſſe.* Huc facit, quòd cùm Apollodotus ſcripſiſſet Epicurum audiuiſſe Lyſiphanem, & Praxiphanem: lib. 10. *Hoc ipſe non dixit*, inquit Laërtius, ἀλλ' ἑαυτ. *ſed audiuiſſe ſeipſum.* Quod ſpectat ad Democritum (quem pro Democrate ſubſtituendum iam monuimus) ecce vt l. 2. adu. Col. occinat Plutarchus. Poſtquàm enim propoſuit aliquas ex gloria, iuxta Epicurum, voluptates proficiſci, excipit: *Quid-ni ita faciat, ipſe tam inſanè tumeſcens, furénſque gloriæ ſtudio, vt præceptores ſe habuiſſe abnuat, & de ſyllabis, ac apicibus cum Democrito rixetur, à quo tamen totidem verbis decreta ſuffuratus eſt.* Notanda hæc poſtrema verba; ſiquidem aliud continent damnatum ambitionis caput, quod exſtat etiam apud Clementem, lib. 2. Strom. dum Epicurum præcipua decreta à Democrito ſurripuiſſe dicit. Mentio quoque eius loc. cit. fit apud Laërtium, memoratur quippe Epicurus Democriti libros de Atomis, & Ariſtippi de Voluptate tanquam ſuos vſurpauiſſe. Videtur etiam Laërtius iudicare librum, qui *Canon* inſcribitur, cùm dicit fuiſſe, qui in Epicuri vita tradiderint Canonem ipſum deſcripſiſſe ex Nauſiphanis Tripode Hic porrò Tripus fuiſſe videtur liber ſic inſcriptus à Nauſiphane. Neque enim intelligi poteſt, quòd Epicurus ex dictamine (quaſi nempe viuæ vocis oraculo) librum illum ſcripſerit; cùm qui id aſſerunt, Nauſiphanem negent ab Epicuro fuiſſe auditum. Cæterùm ex hac vanitate, atque ambitione factum eſſe conuincitur, quòd Epicurus iactauerit ſe vnum inueniſſe verum, ac primas ſibi idcircò deberi omneis inter Philoſophos. Id cùm Plutarchus, tum alij innuunt; nullus eſt tamen, qui rem apertiùs, quàm Cleomedes lib. 2. c. 1. conficiat: *Epicurus*, inquit, *perinde, ac ſi aliquis eſſet, gloriatur, ſeſe reputans dignum, qui in Philoſophis numeretur: neque id ſolùm, ſed & primas etiam ſeſe occupare affirmans. In quo ſanè ſeipſum Therſitâ audaciorem eſſe oſtendit. Ille enim gloriatur ſolum tanquam ex optimatibus vnus, & Regum ipſorum æqualis; nequaquam verò ſibi ipſi partes primas arrogat. At iſte præ multa ſapientia, & ſcientia affirmat ſe ſolum verum inueniſſe, ac ſe idcircò indicat dignum, qui parteis primas teneat. Quocirca videtur quis mihi multò iuſtiùs in ipſum dicturus,*

Therſita loquutuleie, tametſi canorus concionator, Tace. Ac paucis interpoſitis: *Non pudet eum*, inquit, *ſeipſum Pythagoræ, Heraclito, & Socrati interponere, ac vti primam inter ipſos ſedem occupet, poſtulare: Quod ſimillimum eſt, ac ſi ſacrilegi inter ſacerdotes, & ſacrorum Antiſtites ſeſe collocare tentauerint, primum inter eos locum ſibi vendicantes: aut ſi quis Sardanapalum cogitet de laborum tolerantia cum Hercule contendere conantem, & Clauam, Leoniſque exuuium vſurpantem, ipſíque dicentem: hiſce ego rebus ſum te dignior.* Huc-vſque Cleomedes. Adiici poſſet ad declarandum Epicuri ambitionem, atque vanitatem quod legitur apud Laërtium, ipſum laudibus extuliſſe, & aſſentatione proſequutum fuiſſe Idomeneum, Herodotum, Timocratem, vt quæ ex operibus ſuis inuulgata adhuc forent, euulgata facerent.

CAPVT III.

Accuſatur etiam maledicentiæ erga omneis antiquiores Philoſophos.

CVm eâ itaque ambitione Epicurus fuiſſe videatur, vt præferri omnibus Philoſophis voluerit, effectum eſt, vt quemadmodum Præceptores ſuos inſectatus eſt, ne ab illis quidpiam didiciſſe videretur; ita aduerſùs Philoſophos omneis, qui ipſum præceſſerant, arguatur fudiſſe ſcommata, & probra, vt illos videretur longo poſt ſe habere interuallo. Iſtud declarat imprimis Plutarchus, cùm de Epicuro, ac Metrodoro loquẽs: l. 2. adu. Col. *Quæ ſunt*, inquit, *inter homines fœdiſſima vocabula, ſcurrilitates, cauillationes, iactationes, ſcortationes, homicidia, ſuſpiratus, corruptela, grauedines, ea aduerſùs Ariſtotelem, Socratem, Pythagoram, Protagoram, Theophraſtum, Heraclidem, Hipparchum, & aduerſùs quem non virorum illuſtrium congerentes effuderunt?* Idem prope Cicero teſtatur, docet enim, vt lib. 1. de nat. Deor. Epicurus *aduerſùs Pythagoram, & Empedoclem dixerit, cùm & contumelioſiſſimè*, inquit, *Ariſtotelem vexârit, Phædoni Socratico turpiſſimè maledixerit, Metrodori ſodalis ſui fratrem Timocratem, quia neſcio quid in Philoſophia diſſentiret, totis voluminibus conciderit.* Videre etiam ſcómata licet, quibus ſingulos proſciderit, apud Laërtium. Nam Platonem lib. 10. appellauit χρυσοῦν, *aureum*; faſtum, vt puto, innuere volens, quem faſtu alio Diogenes calcârat: Platonis verò diſcipulos Διονυσοκόλακας, *Dionyſij aſſentatores*, moram, opinor Platonis taxans in aula Dionyſij: Heraclitum κυκητὴν, ſeu *perturbatorem*, acta innuens circa Epheſum: Antidorũ Σαννίδωρον, quaſi *donis adblandien*

blandientem. (Quis fuerit tamen iſte Antidorus, ille-ne cuius nomine inſcriptus eſt Epicuri liber, an alius, incompertum habeo.) Cyzicenos ἐχθροὺς τῆς Ἑλλάδος, *inimicos Græciæ.* Notare fortè Apollodorum, & ſi-
lib. 5. Strom. mileis voluit, cùm ex Clemente Alexandrino felicitatem ille poneret ἐν ψυχαγωγίᾳ in oblectatione animi; quaſi ſecus ipſe ſentiret. Alioquin enim pro Cyzicenis Cyrenaicos ſubſtituerem, cùm heic ſcilicet de Philoſophis, non de nationibus agatur; Cyrenaicorum autem celebris Secta tunc fuerit, quam ipſe quoque potuerit facere velle exoſam, vt à qua etiam circa voluptatem non mediocriter diſſentiret. Taceo autem commutationem factu faciliorem inter iſtas voces, quam ſi quis ſupponere velit Cyrræos, aut Cynicos: vt taceam & Coloten ipſum à Plutarcho redargui, quòd aduersùs Cyrenaicos dixiſſet. Adhæc Dialecticos dixit πολυφθονερούς, *valde inuidos.* Notauit autem Megaricos, ſeu qui ex Euclidis Secta Dialectici dicti
lib. 2. ſunt; *litigioſiſſimi* enim fuerunt, φιλονεικότατοι; vt alibi Laërtius teſtatur. Ipſum Pyrrhonem ἀμαθῆ, καὶ ἀπαίδευτον, *indoctum & ineruditum:* quaſi ipſius cohibitionem in aſſentiendo redarguens.

Verùm duo potiſſimùm ex Laërtio ſunt ſeligendi, quos Epicurus infamare præcipuè voluiſſe videtur. Vnus eſt Ariſtoteles, quem dixit ἄσωτον καταφαγόντα τὴν πατρῴαν οὐσίαν, στρατεύεσθαι, καὶ φαρμακοπωλεῖν, *deploratum, & qui, voratâ paternâ ſubſtantiâ, militaſſet, ac medicamenta vendidiſſet.* Fortaſſis autem notare voluit ſeu ipſius, ſeu præcipuè Nicomachi patris profeſſionem; vel indicare etiam illud pharmacon, ſeu venenum, quo Alexander interiit, quódque Plinius *Magnâ Ariſtote-*
lib. 3. c. vlt. *lis infamiâ excogitatum* ait. Vtcumque ſit, conſtare videtur verba hæc deſumpta eſſe ex Epicuri Epiſtola, quæ inſcripta eſt περὶ ἐπιτη-
lib. 8. deipn. δευμάτων, *de vita rationibus, ſiue inſtitutis.* Siquidem & Athenæus, & Ariſtoteles apud Euſebium ex Epiſtola illa idem citant. Ac
lib. 15. præp. Euang. deſumit quidem ex ea Athenæus ὅτι καταφαγὼν (ſupple Ἀριστοτέλης) τὰ πατρῷα (habet Euſebius, νέον μὲν ὄντα καταφαγεῖν αὐτὸν τὴν πατρῴαν οὐσίαν) ἐπὶ στρατείαν ὁρμῆσαι· καὶ ὅτι ἐν ταύτῃ κακῶς πράττων, ἐπὶ τὸ φαρμακοπωλεῖν ἐλθεῖν· εἶτα ἀναπεπταμένου τοῦ Πλάτωνος περιπάτου πᾶσι (ita enim videtur pro φησὶ, ex Euſebio reſtituendum) παραβαλὼν ἑαυτὸν, προσκαθῆσθαι τοῖς λόγοις, οὐκ ὢν ἀφυὴς, καὶ κατὰ μικρὸν εἰς τὴν θεωρίαν) non, vt opinor, θεωρητικὴν) ἐξελθεῖν. *Quòd cùm Ariſtoteles (adoleſcentulus adhuc exſiſtens) paterna bona conſumpſiſſet, impetu quodam repentinè arripuit militiam; ac ipſa malè ſuccedente, ſeſe ad vendendum medicamenta applicuit. Deinde verè, cùm pateret omnibus Platonis Schola,* (quippe & Academia propter commodam deambulationem dici potuit Peripatus) *ſeipſum illi adijciens, orationi (idque naturâ non repugnante) incubuit, ac non ita poſt conuerſus ad contemplationem eſt.* Alter eſt Protagoras, hunc etenim dixit, vt Laërtius habet, φορμοφόρον τε, καὶ γραφέα Δημοκρίτου, καὶ ἐν κώμαις γράμματα διδάσκειν, *Baiulum, Democriti ſcribam, & per vices ludi-magiſtrum.*

Porrò quia heic Δημοκρίτου lego, non Δημοκρίτῳ, vt vulgo; hînc fit, vt *ſcribam, & ludi literarium fuiſſe* non referatur ad Democritum, ſicut Interpretes accipiunt; non aduertentes duobus pòſt verbis ſpecialem, ac propriam fieri mentionem de Democrito. Sed & Δημοκρίτου legerat Illuſtrius, cùm iſta tranſcriberet, & res planè conuincitur ex loco Athenæi, qui fuit ex eadem deſumptus epiſtola. Adſcribere hoc loco placet, quia valde illuſtrat quod Laërtius habet tum heic, tum etiam in vita Protagoræ: ὁ Ἐπίκουρος καὶ Πρωταγόραν φησὶ τὸν σοφιστὴν ἐκ φορμοφόρου in Epic. lib. cit. lib. 9.
(vult Caſaubonus φορτοφόρου legi, quod apud Suidam ſit φορτοβαστάκτης; ſed duarum rerum diuerſarum φορμοῦ, καὶ ξύλου videtur ordo concinnior, quàm ſi φόρτου genere præmiſſo ſpeciem ſuperfluè appoſueris) καὶ ξυλοφόρου πρῶτον μὲν γενέσθαι γραφέα Δημοκρίτου, θαυμασθέντα δ' ὑπ' ἐκείνου ἐπὶ ξύλων τινὶ ἰδίᾳ συνθέσει, ἀπὸ ταύτης τῆς ἀρχῆς ἀναληφθῆναι ὑπ' αὐτοῦ, καὶ διδάσκειν ἐν κώμῃ τινὶ γράμματα, ἀφ' ὧν, ἐπὶ τὸ σοφιστεύειν ὁρμῆσαι, *Narrat Epicurus Sophiſten Protagoram ex fiſcarum, ac lignorum baiulo amanuenſem primùm Democriti fuiſſe; admirationi habitum, propter ſcitam lignorum quorundam poſituram adinuicem: Hiſce initiis adſcitum ab ipſo; tum in quodam vico literas docuiſſe, deincépſque ad argutationem applicuiſſe animum.* Legere porrò totam hiſtoriam vberiùs licet apud Agellium. lib. 5. c. 3.

CAPVT IV.

Quod vitium etiam tribuitur Sectatoribus ipſius.

CONFIRMARI porrò Epicuri in Philoſophos dicacitas poteſt, ex eo, quòd videtur Sectatoribus maledicendi fuiſſe exéplo. Vt nihil enim dicam de Colote, cuius virulentiam, & mordacitatem duplici volumine Plutarchus repreſſit; cùm tam malè fuiſſet loquutus nominatim de Democrito, Platone, Empedocle, Parmenide, Meliſſo; lib. 1. de nat. Deor.
docet ecce Cicero, vt Metrodorus etiam, atque Hermachus contra Pythagoram, Platonem, Empedoclem dixerint; ac meretricula etiam Leontium aduersùs Theophraſtum ſcribere auſa fuerit: addente Plinio *ad-* Præfat. ad Veſp.
uerſus Theophraſtum ſcripſiſſe etiam fœminam; & Prouerbium inde natum, Suſpendio arborem eligendam. Memorat etiam, vt Zeno, Albutius, & alij, quos tum nouerat, litigarent, ac Zeno præcipuè. Is enim, *non eos ſolùm,* inquit, *qui tum erant, Apollodorum, Sylleum, cæteróſque figebat maledictis; ſed Socratem ipſum parentem Philoſophiæ, Latino verbo vtens, ſcurram Atticum fuiſſe dicebat: Chryſippum nunquam niſi Choſippum* (quaſi cacaturientem equum) *vocabat.* Adiicit Cicero, Velleium Epicureum ſub perſona Cottæ alloquens: *Tu ipſe paulò antè, cùm tanquam Senatum Philoſophorum citares; ſummos Viros deſipere, delirare, dementes eſſe dicebas.*

dicebat. An cæterorum omnium vice mentionem faciam Diogenis illius Babylonij, lib.5. quem Athenæus deſcribit *malè moratum, maledicum, obtrectatorem, βλάσφημον, καὶ φθονερὸν, & riſu captatio in Regibus quidem parcentem?* Antiochus certè, qui Alexandro Antiochi Epiphanis Syriæ Regis filio ſucceſſit, iugulari ipſum mandauit, eius *maledicentiam, κακολογίαν,* non ferens.

CAPVT V.

Generalis eorum, quæ ſunt obiecta, Refutatio.

LONGA hucuſque obiectio eſt; ſed breuis occurrit facienda reſponſio. lib.10. Paucis nempe illam indicat Laërtius, dum enumeratis iis, quæ citata ex ipſo ſunt, ſeu ad ingratitudinem, ſeu ad ambitionem, ſeu ad maledicentiam pertineant; ac vt declaret ſeu Timocratem, ſeu Stoicos, ſeu alios, illa de viro innocente, ac immerito confinxiſſe, hoc vno verbo rem explicat: *Μαίνονται δ᾽ οὗτοι, Iſti verò inſaniunt.* Quare & ſtatim elogia, ſeu quaſi argumenta contraria opponit ex pietate, humanitate, manſuetudine, & aliis, quæ ſub finem libri ſuperioris retulimus. in Epic. Idem porrò etiam Illuſtrius vno verbo inſinuat, dum illa eadem obiectionum capita commemoraturus, eos qui illa obiicerent præfatur eſſe *calumniatores, διαβάλλοντας.* Et ſanè cum Epicurus non lib.2.Tuſc. modò vir bonus, verùm etiam optimus fuerit, vt ex Cicerone eſt antè perſpectum; qui poterat eſſe erga cæteros adeò lenis, adeò comis, adeò gratus, adeò amans; in ſuos autem præceptores, ac profeſſores ſapientiæ, quos à pubertate vſque tantoperè coluit, adeò acerbus, adeò auſterus, adeò ingratus, adeò infenſus? Quâ ratione ſe amici tam multi poterant illi addicere, ſi eius erat virulentiæ, mordacitatis, malignitatis, quam, vt quid cane, & angue peius mortales omnes refugiunt? Accepimus iam vnde illi quæſita fuerit inuidia; vnde euulgati etiam libri ſpurij, propter quos illius fama laborarit: quidni igitur Cicero, Plutarchus, Empiricus, alij, turbidos riuos deduxerunt ex cœnoſis fontibus? Id conſideratione dignum; cùm tam multa in Zenone Stoicorum principe reprehendenda fuiſſe prædi- lib.7. centur, vt eſt apud Laërtium; nihil tamen aduersùs illum ab Epicuro euulgatum legi. Inde profectò conuincitur vel Epicurum extitiſſe mitiſſimum virum, vt qui illi maximè pepercerit, quicum gereret grauiſſimas ſimultates; vel Stoicos illi impoſuiſſe circa cætera; quod ad Zenonem ipſum ſpectaret, nihil auſos fuiſſe comminiſci, veritos, ne ea, quæ obiicerentur, ſeu ea vera eſſent, ſeu falſa, fidem aliquam obtinerent.

CAPVT VI.

De ambitione, ob quam arguitur in Præceptores fuiſſe ingratus.

VT aliquid autem ſpecialiter dicam de ſcopo, quem ipſi propoſitum obijciunt, cùm fuiſſe arguitur erga Præceptores ingratus; probabile quidem imprimis non eſt, ipſum vlla vnquam effudiſſe conuitia aduersùs eos, quos proximo à parentibus habuit loco; at non eſt fortaſſis penitùs negandum, quin illos non agnoſcere pro Magiſtris potuerit, à quibus nihil frugi forſan didiciſſet. Si res porrò ita ſe habuit, vides quàm leuis culpa hæc ſit. Profectò ſatiùs longè videtur Præceptores habere nullos, quàm ſortiri minimè bonos. Siquidem poteſt natura ſeſe excitare; poteſt lux illa ingenita veritatem peruestigare; at prauâ quadam inſtitutione præoccupatus animus, mirum, niſi ſe obſtinatum aduersùs veritatem gerat. Ex quo ille merito iure mercedem duplam ab iis poſcebat, qui ab aliis iam inſtituti fuiſſent; alteram, vt dedoceret aliena, alteram vt doceret ſua. Ac non poſſum quidem ſatis Stoicos mirari, qui Epicurum hebetem, ignarúmque appellitantes, ægrè tulerint quòd magiſtros noluerit vllos agnoſcere. Arguere potiùs debuerant, quod ad Magiſtros non accedens, hebes remanſiſſet, ac rudis. Verùm quia vrgerut præſertim ipſa αὐτοδιδαξία, quæſierim ſolùm an non plurimi αὐτοδίδακτοι celebrentur; Pherecides Suidæ, Heraclitus eidem, in Lex. ac Laërtio, & plerique alij? Quid ni igitur lib.9. Epicurus ex hoc numero eſſe potuit? aut quid inuideant, ſi

Optimus eſt, ſeſe qui nouit cuncta Magiſtro,

vt Heſiodus habet apud Ariſtotelem? Sectæ lib.1. cuiuſdam princeps fuit; niſi igitur omnia, Nicom. c.3. aliqua tamen habere ſua debuit. Si damnatur, quòd ſupra maiores innouare quidpiam auſus ſit; damnentur Zeno, Ariſtoteles, & quotquot vnquam fuêre celebres Sectarum, partiúmque authores. Cætera quod attinet, cùm quæ ratio alios docuit, eadem docere ipſum potuerit, quid eſt, quod ſi quidpiam inuentum, dictúmque bene ab aliis ſit, idem potuiſſe inueniri, ac dici ab eo pernegetur? Quàm multa ſunt ab ipſo primùm, vt videtur, inuenta, & dicta, quæ vſurpata ab aliis ſint, & cuius tamen vſurpationis conqueri ille non debuerit? Senecam audi: *Poteſt fieri vt me interroges, quare ab Epicuro tam multa bene dicta referam, potiùs quàm noſtrorum. Quid eſt tamen quare tu iſtas Epicuri voces putes eſſe, non publicas? Quàm-multa Poetæ dicunt, quæ à Philoſophis aut dicta ſunt, aut dicenda,* &c. Atque id quidem maximè Epiſt.8. attingo propter ipſum Democritum, qui tametſi facem Epicuro prætulerit, eius tamen dux,

dux, non dominus fuit. Potuit Epicurus in eadem multa ſimilia incidere: potuit imperfecta ab ipſo relicta illuſtriora facere. potuit in multis contradicere, (vt Anaxagoræ etiam contradixit, etſi illum ſuſpiceret,) potuit multa noua ex ſe inuenire. Hoc ſatis eſſe Democrito debuit, ſi, propter accepta ab ipſo, Epicurus illi honorem habuerit. Porrò id ita contigiſſe Leonteus Epi-
l. 2. adu. Col. cureus apud Plutarchum teſtatus eſt. Idem conuincit quod ex Metrodoro in obiectione eſt allatum: arguit nimirùm gratam fuiſſe in Epicuri contubernio Democriti commemorationem. Vt agnoſcas verò illam apud poſteros propagatam, ecce Lucretius, tametſi illius opiniones impugnaturus, propter viri tamen reuerentiam non ſemel ita præfatus eſt,

lib. 3. & 5. *Democriti quod ſancta viri ſententia ponit.*

Quin-etiam ex loco, quo obiicitur Leucippum ab Epicuro non agnitum Philoſophum, poſſet fortaſſis ſolùm deduci Epicurum adeò ſublime ſenſiſſe de Democrito, vt non putârit Magiſtrum vllum, ac ne Leucippum quidem fuiſſe, à quo ſuas illas opiniones ipſe adeò ſolers ac induſtrius Democritus accepiſſet. Quòd Epicurus vſurpârit, ac pro ſuis iactauerit aliquos ſeu Democriti, ſeu etiam Ariſtippi libros, inter illa eſt, quæ Laërtius inficiatur. Inficiandum eſt pari modo quod affertur de Canone ex Nauſiphane deſcripto. Profectò in tanta & rerum, & verborum copia, vt ille tot volumina propriis repleret ſententiis, facilè ſibi nemo perſuadeat, illum ſibi aliorum libros, atque labores vſurpaſſe; ac præſertim perſpectam habens eorum temporum claritatem, quibus, vigente Philoſophiâ, clariſſimorum Philoſophorum clariſſima opera erant; adeò vt quis, niſi prorsùs hebes, non potuerit præſumere, fore vt illud omneis lateret, quod eſſet vulgatiſſimum.

CAPVT VII.

De conuitÿs in Philoſophos fuſis.

ADDO, quod ſpectat ad cæteros: Cùm videam in ſimili cauſa dici ab aliquibus, licere nonnunquam infamare vitam Auctorum; quòd eâ ratione poſſint faciliùs dogmata ipſorum improbanda diſſuaderi; longè me abeſſe, vt velim quidpiam tale vel aſſerere, vel in Epicuro probare. Videtur mihi hoc ipſo fieri magna veritati iniuria, ſi quis illam ſtabiliri non poſſe exiſtimet, niſi ad calumnias, & maledicta confugiatur. Heinc ſi Epicurus conuitia obiecta in maximos viros fortè ſparſerit, non excusârim ſanè illum, quantumvis egiſſe id potuerit, vt Sectatores longiùs à dogmatibus peruerſis arceret. Pythagoras quidem, & Plato, & cæteri omnes fuêre homines, ac proinde non modò multa, eáque grauia potuerunt peccare, verùm etiam fortè peccarunt: Quid hoc tamen ad veritatem, quæ per ſeipſam ſatis clareſcens, non eget, vt illuſtris fiat denigratione, ſeu falsâ criminatione illorum, qui ipſam proſequuti ſunt, etſi fortè non aſſequuti? Alia eſt redarguendi, & repugnandi ratio. *Et* lib. 1. de fin. *diſſentientium quidem*, inquit Cicero, *inter ſe reprehenſiones vituperandæ non ſunt: at maledicta, contumelia, contentiones, concertationéſque Philoſophiâ indignæ videntur.* Ex quo fit, vt centies damnare Epicurum maluerim, quàm patrocinium quærere, ſi, quæ ſunt obiecta, extiterint vera. Enimverò, aut longè fallor, aut longè alia ipſi fuit mens: nimirum ſatis nouerat, quantum eſſet condonandum humanæ imbecillitati. Vidimus iam vt pepercerit Zenoni omnium infeſtiſſimo, vt honorârit Democritum, vt de Pyrrhone audierit, vt Anaxagoram fuerit & Archelaum amplexatus; quid coniectandum de cæteris, ad quos tam ardenter (valete iubens Grammaticos) veritatis ergò confugit?

CAPVT VIII.

De obiecta Sectatorum dicacitate.

QVOD attinet ad Sectatores, minimè negandum imprimis, quin potuerint quidam inter illos eſſe malè morati, ac maledici. Nunquam hactenus tam bene eſt actum cum rebus humanis, vt (quod iam inculcauimus) ſocietates initæ ſint, in quibus næui nulli eſſent. Non ea videtur ex vllo viro, tametſi probatiſſimo, exigenda conſtantia, vt non aliquando peccet, ſecúmque ipſe diſſentiat. Quantò minùs id requirendum ex ea multitudine, quæ non poteſt non conſtare mirâ varietate ingeniorum, vt nemo à recto tramite deerret. Deinde dico, vt Epicuro multa falsò adſcripta ſunt; ſic adſcribi etiam potuiſſe Epicureiſmi profeſſoribus, vt qui eandem cauſam tuerentur. ac fatendum quidem eſt libros ab ipſis fuiſſe conſcriptos aduersùs alios Philoſophos; verùm neque fieri id cœptum ab ipſis, neque in ipſis deſiit. Ea ſemper fuit, ac etiamnum eſt opinionum diuerſitas, vt nullus vnquam dicat pro vno, quin ſimul dicat aduersùs decem. Hoc eſt, quod arguit veritatem in obſcuro poſitam eſſe, dum ſingulis diuerſa ſequutis, ſic quiſque ipſam ab aliis prætermiſſam exiſtimat, vt vero fiat ſimile abs nemine arreptam fuiſſe. Damnandum heic proinde eſt, ſi quis ita ſuæ confidat ſolertiæ, vt non modò verum ſe adinueniſſe glorietur, ſed etiam eos, qui ſecùs ſentiant, dicteriis auſit impetere. Magna hæc eſt infirmitas mentis, ac ſpecies quædam malitiæ. Quamobrem abfuiſſe ab ea videntur Epicuri Sectatores, cùm vel ipſomet Cicerone teſte, *nullum fuerit genus hominum minùs malitioſum.*

lib. 1. *ſum.* Deſunt nobis libri ipſorum, ex quibus rei veritatem liceat pleniùs olfacere; cùm vnus ſuperſit Lucretius, coniicere ex ipſo licet, vt in antiquos Philoſophos cæteri fuerint animati. Is igitur refutaturus opinionem Empedoclis, inter cætera ſic præfatur; loquens de Sicilia, ex qua ille erat oriundus:

Rebus opima bonis multa munita virûm vi,
Nil tamen hoc habuiſſe viro præclarius in ſe,
Nec ſanctum magis, & mirum, carúmque videtur.
Carmina quin etiam diuini pectoris eius
Vociferantur, & exponunt præclara reperta:
Vt vix humanâ videatur ſtirpe creatus.

Et vide vt lenire pergat, quæ ſiue in ipſum, ſiue in alios dicturus eſt:

Hic tamen, & ſuprà quos diximus, inferiores
Partibus egregiè multis, multóque minores,
Quanquam multa bene, ac diuinitus inuenientes
Ex adyto tanquam cordis reſponſa dedêre
Sanctiùs, & multò certâ ratione magis, quàm
Pythia, quæ Tripode ex Phœbi, lauróque profatur:
Principijs tamen in rerum fecêre ruinas, &c.

LIBER

LIBER SEXTVS; DE OBIECTA EPICVRO GVLA.

CAPVT PRIMVM.

Exprobratur Epicuro gula immodica.

AGGREDIMVR hoc, & ſequente libro accuſationes retexere, quæ ſunt maximè populares. Siqoidem nemo non nouit Epicurum, dum humaniùs audit, appellari delicatum, mollem, eneruem, laſciuum, effœminarum; dum verò aſperiùs, heluonem lurconem, ganeonem, temulenrum, perditum, nequam, efferarom; & id genus cætera, quæ Theologi, Philoſophi, Orarores, & omnes ferè cuiuſcunque conditionis homioes in ipſum effutiunt, perinde ac ſi traduxerit fœdiſſimam, nefandiſſimam, luxu ſolutiſſimam vitam, ac Bacchanalia, Saturnalia, Lupercalia introduxerit, & Philoxeno, Ariſtoxeno, Apicio, Heliogabalo, Sardanapalo, ſimilibúſque intemperantior fuerit. Vt pauca porrò ſeligamus, quæ apod Authores celebrara ſunt, mitto, quod ſuprà iam viſum eſt, Epicurum à Chryſippo induci illius Archeſtrati diſcipulum, qui fuit author Gaſtrologiæ. Hoc adooro potiùs ioter Comicos, qui Epicurum circa Gulæ voluptates proſciderunr, memorari Damoxenum, apud quem Coquus in Syottophis, vbi totam artem ſuam verſibus ſanè pluri-
lib.3. mis ab Athenæo recitatis peritiſſimè expoſuit, præfatus ſe tribus propè annis Epicuri diſcipulum fuiſſe (quo loco inret cætera non eſt oblitus Canonem, ſeu Epicuti Dialecticam, vt rem coquo pernecellariam, & quouis prerio comparandam) hiſee carminibus concludit:

Epicurus ipſo ſic voluptatem aggerit,
Manditque ſtudioſè; ille quid bonum ſiet,
Agnouit vnus. At qui in ipſa Porticu,
Semper requirunt, neſciúntque quale ſit.
Quare nec ipſi quod bonum ignorãt, habent,
Nec dare alys valent.

Mitto etiam quod obſeruatum à Timone obiici, debitas Diis victimas apud Epicorum vorari; illúdque ſubnecto, quod idem apud
Athenæum, dum in libro tertio Sillorum de lib.7.
Epicuro loquitur, ait:

Indulget alno, quâ proteruius nihil.

Mitto demùm quod ſequitur, Epicurum
Idomeneo, ac Metrodoro adulatum fuiſſe,
vt gulam expleret, aliiſque corporis volu-
ptatibus inſeruiret; irémque, quod Laërtius lib.10.
habet fuiſſe turpiter aſſentatum Mythri Ly-
ſimachi adminiſtratori, cùm illum in Epi-
ſtulis *παιᾶνα, καὶ ἄνακτα, Apollinem, & Re-*
gem diceret; nempe vt ille, vnde gulæ con-
ſuleretur, ſuppeditaret. Illud attexo, quod L. adu. Col.
Plutarchus refert Metrodorum ſcripſiſſe ad
fratrem ſuum Timocratem: *Quanto ſum*, in-
quit, *gaudio perfuſus, quantâ audaciâ anima-*
tus, quòd ventri ritè gratificari ab Epicuro
didici (nempe illius contubernalis,) & *nihil,*
ô Timocrates, iuuat Græcorum Seruatorem fieri,
nihil item coronas ab iis propter ſapientiam ob-
tinere. Iuuat mandere, ac potare vinum, quan-
tum quidem ventri non noceat, & illi tamen
gratum ſit. Et rurſùs: *Quippe, ô natura per-* lib.1.
ſcrutator Timocrates, circa ventrem eſt ſum-
mum bonum. Quæ quidem etiam de Metro-
doro refero, vt intelligas, quorſum ſancti
Patres, vt Olympiodorus, aſſerant vitam Enarrat.
Epicuri, ſociorúmque eius apud Salomonem in Eccleſ.
deſcribi, cùm dixiſſe refert intra ſe cogitao- Salom c.7.
tes noo rectè: *Exiguum, & cum tædio eſt* Sap.2.
tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in
fine hominis, & non eſt, qui agnitus ſit reuer-
ſus ab inferis. Quia ex nihilo nati ſumus, &
poſt hoc erimus, tanquam non fuerimus; quo-
niam fumus afflatus eſt in naribus noſtris, &
ſermo ſcintilla ad commouendum cor noſtrum,
&c. Ac ſtatim: *Venite ergo, & fruamur bonis,*
quæ ſunt, & vtamur creaturâ, tanquam in iu-
uentute celeriter. Vino pretioſo, & vnguentis
nos impleamus, & non prætereat nos flos tem-
poris. Coronemus nos roſis, antequam marce-
ſcant: nullum pratum ſit, quod non pertran-
ſeat luxuria noſtra. Nemo noſtrum exſors ſit
luxuriæ noſtræ; vbique relinquamus ſigna læ-
titiæ; quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt
ſors. Plura ſancti Patres obiiciunt, ac nomi lib.1. offic.
natim B. Ambroſios, dum Epicurum appel- cap.13.
lat ebrium, & voluptaris patronum, irride-
ríque dicit ab iis, qui ſobrij putantor Phi-
loſophi, &c. Itemque D. Auguſtinus, ac in Pſalm.73
illum ſequutus Iſidorus, dum commemo- & al. l.8.
rant Epicurum à Philoſophis nominatum Orig. c.6.
Porcum.

Porcum. Fortaſſis etiam reſpexerunt ad illud Horatij in ore omnium frequentiſſimum:

Epiſt. lib. 1. ep. 4.

Me pinguem, & nitidum, bene curatâ cute viſes,
Cùm ridere voles, Epicuri de grege Porcum.

Hinc Epicurus à pleriſque comparatur cum Prodigo, cuius in Euangelio eſt mentio. En vt parabolam attingẽs loquatur B. Chryſologus: (Serm. 5. de duob. fil.) *Cùm nil diuinum, nil ſalutare, nil profuturum, nil gentilis inueniret; in talibus deſperans, de Deo, de Prouidentia, de Iudicio, de futuris, ab Schola ad ventris ſe deponebat ingluuiem, cupiens ſaturari de ſiliquis, quas Porci manducabant. Hoc norunt Epicurei, qui cùm Platonicas & Ariſtotelicas percurrerent Scholas, nullámque illic aut diuinitatis, aut ſcientiæ inuenirent diſciplinam, Epicuro ſe tradunt vltimo deſperationis, & voluptatis auctori. & manducant ſiliquas, hoc eſt, voluptatibus corporis malè dulcibus inhiant, & paſcunt Dæmones, qui ſemper corporum vitijs ſaginantur, & ſordibus.*

CAPVT II.

Exprobratur præſertim gula fœda, & noxia.

SED leuiùs fortaſſe iſta obiiciuntur, niſi proferamus Timocratem, illum ſcilicet Metrodori fratrem, qui poſtquàm deſeruit Epicuri Scholam, ſe ea, quæ in ipſa vidiſſet, declarare profeſſus eſt. (lib. 10.) Is ergo in libris εὐφραντοῖς, *hilaribus* inſcriptis, refert, vt eſt apud Laërtium, Epicurum bis in die vomere ſolitum præ luxu; commemorátque, vt ipſemet effugere vix potuerit nocturnam illam Philoſophiam, ac myſterijs plenum conuenticulum. Vt luxum verò intelligas Philoſophicâ frugalitate indignum, idem Timocrates narrat paulò pòſt, Epicurum, cùm bene multa ignoraſſet in vita, conſueuiſſe minam quotidie in menſam impendere, hoc eſt aureos noſtrates ſeptem, cum paulò plus ſextante. Ex quo mirari nemo debeat, ſi Seneca, dum præcipuorum Philoſophorum affectum circa pecuniam comparans, hoc habeat: (l. de vi. be. cap. 27.) *Obiicite Platoni, quòd petierit pecuniam; Ariſtoteli, quòd acceperit; Democrito, quòd neglexerit; Epicuro, quòd conſumpſerit.* Ad Laërtium porrò vt redeam, cùm teſtetur ipſe bonâ fide, noluiſſe è viuis Epicurũ excedere, quin meri hauſtum priùs ſorpſiſſet; nonne quis inde arguat, extremum actum aptè reſpondiſſe anteactæ fabulæ? Audiuimus ſuprà Stoicos extremum Epicuri morbum ad edacitatem referentes; quid tum porrò contigit? (in Lex.) *Non eſt paſſa*, inquit Suidas, *diuina Iuſtitia pompa ipſum intereſſe: sim delirio diutius non ſolet, inſanam rabiem compreſſit, cum pernicie valere iuſſit.* Cùm hæc autem verba legantur apud eumdem Suidam: *Saxeas menſas, & donaria in ſepulchro hic beluo, & obſoniorum venator collocari iuſſit*; non eſt quòd mirêre, ſi ſint, qui comparent ipſum cum Sardanapalo: hic ſcilicet, vt Cicero refert, incidi iuſſit in buſto:

Hæc habeo, quæ edi, quæq; exſaturata libido lib. 5. Tuſc.
Hauſit; at illa iacent pulchra, & præclara relicta.

Siue, vt Athenæus habet, Chærili verſus referens, qui ex Chaldaica ſcriptura Epitaphiũ Græcè interpretatus fuerat: *Ego regnaui, & quamdiu lucem Solis ſum intuitus, bibi, comedi, venerem exercui; quia ſcirem breue tempus eſſe, quo viuunt mortales, idque multis perturbationibus, atque moleſtiis inquietum; ac eorum bonorum, quæ ſum relicturus, fructum, & delicias alios percepturos. Itaque nullo ceſſaui die, quin id agerem.* (lib. 12.) Nihil verò opus, vt referam Aſſyriam illam inſcriptionem quam idem Athenæus habet: (ibid.) *Sardanapalus Anacyndaraxis filius, Anchialen, & Tarſum vno die condidit. Ede, bibe, lude; reliqua ne digitorum quidem ſtrepitu digna ſunt.*

CAPVT III.

Epicuri ſobrietas, frugalitáſque eximia probatur.

HÆc ſunt præcipua, quæ circa gulam obiici Epicuro ſolent. Cæterùm, vt videas, quàm immeritò ſobrietas viri diſſimuletur, teſtatur imprimis Laërtius, ex ipſius Epiſtolis, ὕδατι μόνῳ ἀρκεῖσθαι, καὶ ἄρτῳ λιτῷ, (lib. 10.) *aquâ ſolum contentum fuiſſe, & ſimplici pane.* Et quia interdum aliquid erat ex auſteritate tantâ relaxandum, πέμψον μοι τυροῦ, φησὶ, κυθνιδίου (ſic enim puto, non vt vulgò κυθρίδιου, quòd caſeus afferri ſolitus videatur ἐκ τῶν Κυθήρων, quod oppidum fuit ex Tribu Pãdionide, vt Suidas, Heſychius, Phauorinus habent: (in Lex.) niſi quòd Menagius legendum mauult, ἐκ Γυθίου, quod apud Lucianum legatur caſeus ἐκ Γυθίου allatus) (in dial. meretr.) ἵν᾽ ὅταν βούλωμαι πολυτελεύσασθαι, δύνωμαι, *Mitte ad me, inquit* (ſupple ad amicum) *caſei Cytheridij aliquantulum, vt poſſim ſumptuoſius, cùm lubuerit, conuiuari.* (loc. cit.) Ad hæc citatur Diocles ab eodem Laërtio, qui in tertiò Incurſionis libro de Epicuro, ipſiuſque ſodalibus ſcribens: *frugaliſſimus, inquit, & viliſſimis cibis victitabant; quare & contenti erant vinuli heminâ* (ſic nimirum verto κοτύλην, authoritate Athenæi; (lib. 11.) cùm & poſſem vertere ſemiſextarium Pariſinum, exploratum ſcilicet habens, heminam, ſeu dimidium ſemiſextarij Romani, duodecimámve partem congij vix quicquam excedere ſemiſextarium Pariſinum: vtpotè quod heminæ ſex cum ſemiſextariis huiuſcemodi ſeptem, exæquentur) *& qualibet, ſeu primùm occurrens aqua illis potui erat.* Notum verò eſt fuiſſe etiam, qui vinum nunquam guſtauerint, ſed totâ vitâ biberint aquam, vt de Caſſio Seneca refert. (Epiſt. 83.) Iam Plutarchus ipſe, cùm exaggeret impenſas, (l. 2. adu. Col.) quæ Epicuro faciendæ forent, ſi obiectas illas voluptates aucuparetur, ſubindicat illum *in Maza* (conſtante nempe ex farina, aqua, oleo, aut etiam lacte) *& lenticula*

ſuauitatem ſummam quaſiiſſe. Porphyrius autem: lib. 1. de abſtin. *Notum eſt*, inquit, *vt pleriſque Epicureorum ab ipſo vſque principe exorſis maza, fructúſque ſufficiant.* Bene proinde Cicero lib. 5 Tuſc. de Epicuro loquens: *hic verò ipſe*, inquit, *quam paruo eſt contentus?* quaſi nempe velit coarguere illum, qui, vt Iuuenalis loquitur,

Sat. 13. *——non Epicurum*
Suſpicit exigui latum plantaribus horti.

Illi profectò, omni luxu, apparatúque ſemoto ſatis fuit, ſi quomodocumque famem, ſitim, frigúſque poſſet propellere. Hoc enim idem Poeta demonſtrat, dum poſtquàm prudentiam cum fortuna comparauit, vt oſtendat quis ſit finis cupiditatum conſtituendus, pergit:

Sat. 14. *——Menſura tamen quæ*
Sufficiat census, ſi quis me conſulat, edam.
In quantum ſitis, atque fames, & frigora poſcunt;
Quãtũ, Epicure, tibi paruis ſuffecit in hortis.

Epiſt. 21. De conuictu in hiſce Hortis attexere hæc ex Seneca iuuat: *Eò libentiùs Epicuri egregia dicta commemoro*, inquit, *vt iſtis qui ad illa confugiunt ſpe malâ inducti, qui velamentum ipſos ſuorum vitiorum habituros exiſtimant, probem, quocumque ierint, honeſtè eſſe viuendum. Cùm adierint hos hortulos, & inſcriptum hortulis: Hoſpes heic bene manebis, heic ſummum bonum voluptas eſt: paratus erit iſtius domicilij cuſtos, hoſpitalis, humanus, & te polentâ excipiet, & aquam quoque largè adminiſtrabit, & dicet: Ecquid bene acceptus es? Non irritant, inquam, hi hortuli famem, ſed extinguunt; nec maiorem ipſis potionibus ſitim faciunt, ſed naturali & gratuito remedio ſedant. In hac voluptate conſenui.* Sic ille. Vt magis autem Epiſt. 18. adhuc mirêre, vide quid idem alibi, *Et quidem*, inquit, *gloriatur* Epicurus *non toto aſſe ſe paſci: Metrodorum, qui non tantum profecerit, toto.* Erat autem aſſis valor monetâ noſtrâ æſtimatus, cùm Seneca hæc ſcriberet, Turonicorum denariorum nouem. Quæſo te verò quàm malignè deberet famem extinguere, cùm parciùs adhuc victitaret? ibid. Scilicet idem Seneca, *Quin etiam*, inquit, *certos habebat dies ille magiſter voluptatis Epicurus, quibus malignè famem extingueret, viſurus an aliquid deeſſet ex plena, & conſummata voluptate, vel quantum deeſſet, & an dignum, quod quis magno labore penſaret.* Heinc nihil eſt mirum, ſi in illo conuictu, maza, aqua, hordeaceus panis, fabæ, lenticulæ, & ſimilia ſæpè audita fuerint, frumentum, & vinum perrarò; nunquam autem caro, piſcis, obſonium, aut ſplendidus cibus. Ille enim eſitare panem, & bibere aquam ſummas ducebat delitias. Serm. de contin. & ſobriet. βρυάζω (inquit apud Stobæum) τῷ κατὰ τὸ σωμάτιον ἡδεῖ, ὕδατι, καὶ ἄρτῳ χρώμενος, καὶ προσπτύω ταῖς ἐκ πολυτελείας ἡδοναῖς, *Aquâ, & pane vtens, ſuauitate perfundor in corpuſculo, inſpuóque in voluptates, quas ex ſplendidis capiant menſis*. hoc eſt, quod apud eumdem dicebat: ἑτοίμως ἔχειν καὶ τῷ Διῒ ὑπὲρ εὐδαιμονίας διαγωνίζεσθαι, μᾶζαν ἔχων, καὶ ὕδωρ, *habentem ſe mazam, & aquam, paratum eſſe etiam cum Ioue de felicitate certare.* Hæc fuit cauſa cur procuraret, ne domi ſuæ ſeu frumentum, ſeu hordeum, ſeu legumina deeſſent. Optimè verò id cùm illi, tum familiaribus ceſſit, quòd Demetrianæ obſidionis tempore aſſeruaſſet fabas; vt primo libro dictum iam eſt. Nimirùm non ſolùm ſibi prouidebat, ſed diſcipulis etiam, indigentibúſque amicis. Sic legimus apud Plutarchum, quòd interdum, & frumentum, l. 1. adu. Colot. & farinæ hordeaceæ, ἀλφίτων, modios, ad aliquos miſerit. Et deridet quidem Plutarchus (vide tamen an meritò) quod hiſce verbis ad amicos ab Epicuro ſcriptum eſt: ibid. ἐπεμελήθητε ἡμῶν τὰ περὶ τὴν τοῦ σίτου κομιδὴν, καὶ οὐρανομήκη σημεῖα ἐνδέδειχθε τῆς πρὸς ἐμὲ εὐνοίας, *Quod attinebat ad frumentum nobis comparandum, ſtudioſè egiſtis, & ſigna veſtra erga me beneuolentiæ edidiſtis ad cælum vſque pertingentia.* Quid feciſſet, ſi obſeruaſſet Epicurum commendâſſe non rei neceſſariæ, ſed ſuperuacaneatum deliciarum curam? Eſto vox illa, *ad cælum vſque*, paulò figuratior: quàm ſunt tamen huiuſmodi figuræ frequentes, dum viris præſertim de nobis bene meritis, & amicis gratitudinem teſtamur? At res non eſt magni momenti, ſeu frumentum, ſeu quid ſimile. Ita quidem apud vulgus, quod ambitioni inſeruiens vera bona pro vilibus habet: verùm Epicurus vt cuiuſque rei pretium genuinum nouerat; ſic naturæ bona ſummè æſtimabat: & hac quidem in parte Æſchinem imitatus, in epiſt. qui nihilò ſeciùs commendârat Cleocratem, quòd oleum, mel, frumenti modios, alia id genus ſuppeditaſſet. Hac de re aliàs; ſufficiat iam laudaſſe illum, & procuraſſe, ac *ad ea ſe reduxiſſe, quæ cùm ſibi eripere non vlla fortuna iniquitas poſſet*, vt verbis vtar Epiſt. 15. Senecæ, maximam poſſet percipere, vel ex hoc ipſo voluptatem. Hanc veriſimile eſt ſenſiſſe ipſum Metrodorum, cùm ſic fidenter apud Ciceronem exclamaſſe legitur: *Oc-* Tuſcul. 5. *cupaui te, Fortuna, atque cepi omneſque aditus tuos intercluſi, vt ad me aſpirare non poſſes.* Quippe, vt ex Seneca iam ſuperiùs Epiſt. 6. retulimus, Metrodorum, & alios *Epicuri contubernium*, potiùs quàm Schola magnos viros fecit.

CAPVT IV.

Soluuntur ea, quæ obiecta de gula immodica ſunt.

QVæ cùm ita ſe habeant, non eſt, quòd multùm immoremur in diluendis iis, quæ obiecta ſunt. Quòd enim tam multi ſeu ex media plebe, ſeu plebi gratificantes innocentem lacerent virum, pro genio ſuo faciunt. Popularem autem ſequútur populares homines; perpaucis veritas eſt cordi. Epicurus non cauponarius, non edax, non bibax fuit; adeò fuit frugi, & ſobrius, vt vix cum ipſo Curij videantur eſſe comparandi. Contra tamen audit; quid facias? neque is

fuit

fuit primus, neque erit poſtremus, cuius virtuti vulgus obloquatur. Satis eſſe illi debet, ſi, cùm paucis bonis viris innotuerit, ſuam apud illos laudem conſequatur. Dicerem de Chryſippo iam, niſi ea ſufficerent, quæ ſunt ſecundo libro allata. Quod ſpectat ad Damoxenum, cæteróſque Comicos, nihil dicendum apud illos; quibus perſpectum quæ fuerit veteris Comœdiæ libertas. Etenim apertè non Socrates ſolùm, ac Plato, cæterique Philoſophi à Comicis proſcindebantur; verùm etiam & Pericles, & Alcibiades, & quotquot erant principes, illuſtréſque in ciuitate. Porrò aduersùs Epicurum tantò erat libertas maior, quantò erat anſa captatu facilior, tum ex verbis, tum ea fama, & rumuſculis, quos oſores diſſeminarent. Timon non ſolùm in Epicurum, ſed in omneis etiam alios dogmaticos Philoſophos, ipſe Scepticus, effudit conuicia. lib.9. Id teſtatur Laërtius, memorans treis libros ab ipſo conſcriptos, quos inſcripſit *σίλλους*, hoc eſt *Maledicta*. Fidem porrò faciunt antè recitata, Epicurus ne ſuo ventri ſic indulſerit, vt victimas etiam fuerit voraturus? Ipſi certè aqua abundè in potum ſuffecit, cùm Timon *φιλοινότης*, quaſi *inexplebilis potor*, vini ſcilicet, dictus fuerit, vt ibid. à Laërtio eſt adnotatum. Circa obiectam aſſentationem, cogita, quæſo, quâ ratione ſeu Idomeneo, ſeu aliis adulari potuerit, vt gulam expleret impenſiùs, cui tam pauca erant ſuperque, & ſatis; ac præſertim quidem cùm ad illos ſcribens, præſcindendarum cupiditatum mentionem ſæpè fecerit, vt ad Idomeneum: *Si vis*, inquit, *Pythoclea diuitem facere, non pecunia adiiciendum, ſed cupiditatibus detrahendum eſt*. Quam ſententiam nobilem dictam, memoratamque Senecæ, ſuo loco pleniùs referemus. Epiſt.21. Heic verò attingo, vt intelligas futurum fuiſſe vt Epicurus coram Idomeneo, aliiſque erubeſceret, ſi aliâ ratione voluiſſet apud illos viuere, quàm viuendum eſſe ipſis perſuaderet. Vt taceam ipſum non tam ad lautas illorum menſas acceſſiſſe, quàm illi ad ipſum venerunt edocendi frugalitatem. Penè enim tempore toto, ex quo virum agnouerunt, commorati apud illum ſunt.

CAPVT V.

Satisfitque proinde iis, quæ ſancti Patres attigerunt.

IAM illa fuiſſe ſuppoſititia, ea quibus plerique Sanctorum Patrum deſumpſerunt, quæ Epicuro exprobrârunt, partim ex dictis libro ſecundo manifeſtum fit, partim conuincitur ex dictis circa viri frugalitatem. Illud certè de Metrodoro ſic à Plutarcho inducitur, vt planè confictum appareat: quando apparet ex ſupradictis, quæ Plutarchi mens iis in libris fuerit; & aliunde perſpectum eſt, quod paulò antè retulimus, vt frugalitati ſtudens Metrodorus ſeſe aduersùs fortunam compoſuerit, magnus vir Senecæ dictus, & quem aliàs diuinè loquutum B. Clemens aſſeruit. Hinc propter illa, quæ ſequuntur ex Salomone deſumpta, Sectatoribúſque Epicuri attributa, cùm opponi poſſent varia teſtimonia circa vitam Epicureorum, ſatis erit tamen ſi loco ex Porphyrio antè citato illud Ciceronis adiunxerimus: *Ita viuunt quidam, vt eorum vitâ refellatur oratio. Atque vt cæteri exiſtimantur dicere meliùs, quam facere; ſic hi* lib.2.de fin. (loquimr de Epicureis) *mihi videantur facere meliùs, quàm dicere*. Vt tamen habeas victûs exemplum, ac veluti ſpecimen in germano Epicureo, accipe vt de Pomponio Attico Cornelius loquatur: *Nemo*, inquit, *in conuiuio eius aliud acroama audiuit, quàm anagnoſtea, (quod nos quidem iucundiſſimum arbitramur) neque vnquam ſine aliqua lectione apud eum cœnatum eſt, vt non minùs animo, quàm ventre conuiuæ delectarentur. Nunquam eos vocabat, quorum mores à ſuis abhorrerent.* in vi. Att. Pergit: *Cùm tanta pecunia facta eſſet acceſſio, nihil de quotidiano victu mutauit, nihil de vita conſuetudine; tantáque vſus eſt moderatione: vt neque in ſeſtertio viciés, quod à Patre acceperat, parùm ſe ſplendidè geſſerit, neque in ſeſtertio centiés, affluentiùs vixerit, quàm inſtituerat; parique faſtigio ſteterit in vtraque fortuna.* Hactenus ille. Quæ memoro, vt intelligas quantæ honeſtatis menſa fuerit profitentium Epicureiſmum; cùm vix etiam ſimile quidpiam obſeruetur in cæteris. Nihil attexendum de Philoſophis, qui Epicurum apud Sanctos Patres & irriſerunt, & porcum vocarunt: cùm manifeſtiſſimum ſit etiam inter Philoſophos regnauiſſe inuidiam; & non eſſe ſtatim quempiam ſeu ex barba, ſeu ex pallio iudicandum Philoſophum. Præ cæteris Stoicos fuiſſe, qui hanc Epicuro infamiam quæſierint, ſuperiùs declarauimus; eoſdem iam eſſe, quos Patres innuant, indicare videtur vel illud, quod allatum eſt ex B. Ambroſio. Clarum eſt Philoſophos, *qui ſobrij putantur*, ipſos eſſe Stoicos, cùm videri tales ſemper affectauerint, tametſi Curios ſimulantes Bacchanalia ſæpè deprehenſi ſint viuere. Certè haud abs re videtur interdum ex ipſo Zenone quæſitum, *quanobrem, auſterus cùm eſſet, inter potandum tamen hilareſceret?* (ne protutionem, aut nimiam potationem interpretetur illud *ἐν τῷ πότῳ διαχεῖται*, quod lib.7. eſt apud Laërtium) cùm ille reſpondit, *etiam madefactos aquâ lupinos dulceſcere*. Haud abs re etiam memorant Chryſippum idcircò interiiſſe, quòd ſuaue merum, *γλυκὺν ἄκρατον*, ebibiſſet inter ſacrificia. Tandem ibid. haud abs re Stoici notantur aliter dixiſſe, aliter vixiſſe, propter illud Satyrici:

> *Fugerunt trepidi vera, ac manifeſta canentem*
> *Stoicidæ* ——— Iuuen.Sat.2.

nec deſunt, qui putent ad eos pertinere, quod Quintilianus habet, dum, *Non*, inquit, *virtute, ac ſtudiis, vt haberentur Phi-*

leſephi laborabant, ſed vultum, & triſtitiam, & diſſentienem à cæteris habitum peſſimis moribus prætendebant. Quanquam vt id de omnibus interpretandum cenſeam, abſit. Ad Horatium quod attinet, ille, cùm eſſet Epicureus, ſcomma id vulgare iocando admiſit, vt ſuauem, & tranquillam vitam meliùs perſuaderet amico, cui ſtatim antè dixerat:

[lib.1.ep.4.] *Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum;*
Grata ſuperueniet, quæ non ſperabitur hora.

Ad illud B. Chryſologi nihil aliud dicendum eſt; quàm quod elicitur ex dictis libro ſecundo circiter finem de affectu Sanctorum Patrum in Epicurum declamantium.

CAPVT VI.

Reſpondetur demùm obiectis de gula fœda, & noxia.

RESPONDENDVM foret ſpecialius, & accuratiùs ad ea, quæ allata ſunt ex Timocrate circa fœditatem vomitionum quotidianarum, & ſimilia; ſed ea excutiuntur vno verbo à Laërtio, [lib.10.] dum inſanire illos dicit, qui Epicuro talia obiiciunt. Et fortaſſis quidem potuit Epicurus vomitione vti ad ſtomachum exonerandum humoribus ſuperfluis, ac præſertim longè à paſtu, digeſtionéque iam peractâ; cùm & hanc praxim fuiſſe Romæ ante tempora Aſclepiadis fre[lib.26.c.3.]quentiſſimam narret Plinius: ſed vomere illum ſolitum præ luxu, aut potatione liberiore, ingurgitationéque quadam, adimit ſibi ipſi fidem. Vt enim prætereeam quantum id repugnet iis, quæ memorata ſunt de ſumma viri frugalitate, iiſque etiam, quæ de tenui victu ab ipſo conſcripta referentur aliàs; quæſo quæ frons adeò perfricta, vt huic viuendi inſtituto ſapientiæ ſtudium prætexere auſit, præcipuè verò in oculis tantæ Ciuitatis, in qua profeſſorum ſapientiæ tantus numerus, & æmulorum obſeruantium, obtrectantiúmque tantum ſtudium. Fidem quoque derogat ſibi quod obiicitur de immodicis, ac fortunæ Epicuri imparibus ſanè, impenſis. Vbi certè panis hordeaceus; fabæ, aqua, aſſis vnius viritim impendium, & ſimilia ſolùm audiuntur; nihil eſt opus tantâ profuſione. Quanquam etiam illæ impenſæ eleuarentur, ſi diceres tantum fuiſſe conuiuentium, (ſimul nempe cum Epicuro philoſophantium) numerum; vt vix etiam Attica mina tam multis, licet parciſſimè victum curarent, foret ſatis: cúmque reditus Epicuri tanti eſſe nequiuerint, factum ſupplementum ex iis, quæ opulenti amici conferrent. Verùm, ſeu Timocratis libri ſunt ſuppoſititij; ſeu Timocrates reuerá ab Epicuro diſceſſit, grauiter videlicet ferens illius obiurgationem ob Metrodorum [l.adu.Col.] fratrem offenſum, vti apud Plutarchum eſt; poſſunt eſſe omnia prorsùs commentitia. Quod ad vinum attinet ab Epicuro poſtulatum, cùm iam propè deficeret; quæſo te, cui, niſi inhumano, intolerabile ſit, hominem vexatum tam magnis, támque diuturnis doloribus, atque etiam præ balnei debilitatione animo deficientem, vini puri aliquid ad exhilarandum cor, excitandúmque ſpiritus ſorbere? Niſi verò tantâ agendum, cenſendúmque inuidiâ eſt, vt illud crapulæ tribuatur: quemadmodum fieri videas apud aliquos, qui ex vulgata verſuum Laërtij Interpretatione illud deſumunt, ac [loc.cit.] in ore habent:

——ſitientiùs hauſit
Suaue merum; hinc Stygias ebrius hauſit aquas.

Sanè & textus Græcus id non habet, &, ſi haberet, luſus foret, ac licentia Poëtica; cùm præſertim noſſet Laërtius Epicurum non vino ingurgitatum, neque inter vomitus exhalaſſe animam; ſed ſanâ mente præditum; ad abſenteis amicos ſcribentem; eos, qui aderant, commonentem. Quid dicerent iſti, ſi vt Plato in nuptiis cœnans mortuus eſſet? Si vt Arceſilas, *fœcundis calicibus hauſtis; ἄκρατον ἐμφορηθεὶς πολλὸν*; ſi vt Lacydes, factus priùs Paralyticus *ex vberiore potatione, ἐκ πολυποσίας*; quæ omnia ſunt apud Laër[lib.3 & 4.]tium, & ex Hermippo maximè. Ne referam quod Athenæus memorat de Xenocra[lib.10.]te, illum ſcilicet vno hauſtu ſorpſiſſe vini congium, hoc eſt pintas treis Pariſinas, atque ſemiſſem. Vt iſta autem prætereeam, ſufficiat mortem obitam ab ipſo conſtantiùs, quàm aut à Zenone Stoicorum patre, qui ex Laër[lib.7.]tio ſeſe ſtrangulauit; aut ſexcentis ſimilibus; qui pari modo vitam finierunt; Speuſippo, Menippo, Metrocle, & aliis. Fortitudinem certè eius in ſtranguria, & torminibus Ci[lib.2.Tuſc.]cero apertè commendat; & cùm Stoici hos morbos ad edacitatem potiùs, quàm ad natiuam complexionem, cuius ſibi nemo eſt author, referunt, patet quo genio ducti id faciant. Ac declamat quidem, & meras Grammatici excedit Suidas. Quis tamen non videat frequenter viros optimos eodem morbi genere, & cum eiſdem doloribus, quibus obiit Epicurus, interire? Sunt, qui id ſtatim referant ad vltricem Dei iuſtitiam, quemadmodum Suidas. Sed hoc vt negandum omninò non eſt, ita omninò aſſeri non poteſt, quin iniuria fiat eidem iuſtitiæ, quæ pleroſque ſonteis prætergreditur. Si enim ex acerba morte inferas prorsùs vltionem diuinam, nonne prorsùs ex tranquilla beneuolentiam inferes? Quid dices verò vel de vno Dionyſio, cuius impietatibus grauiſſimis enumeratis pergit Cicero: *hunc nec Olym*[lib 3.de nat. Deor.]*pius Iupiter fulmine percuſſit, nec Æſculapius miſero, diuturnóque morbo tabeſcentem interemit; atque in ſuo lectulo mortuus in Tympanidis rogum illatus eſt.* Sed hæc altioris ſunt diſquiſitionis: & quod præſentem attinet locum, memorare ſufficit Ariſtotelem optimè ſenſiſſe defectus, qui nobis à natura inſunt, eſſe non exprobratione, ſed commiſeratione dignos. Plutarchus certè humanè ſe in [l.2.adu Col.] eo vno geſſit erga Epicurum, quòd referens morbos, qui tam Epicurum, quàm

amicos

amicos eius abduxerunt: *Hæc quidem*, inquit, *non exprobramus; quippe qui nouerimus & Pherecydem, & Heraclitum grauibus morbis laborauiſſe: ſed poſtulamus*, &c. Vt Pherecydem portò memorauit, qui mortuus eſt phthiriaſi, & Hecraclitum, qui intercute; ſic adiicere poterat Antiſthenem, & Polemonem, qui interiêre phthiſi; Lyconem, qui podagrâ; Cleanthem, qui gingiuæ putredine; & ſic de innumeris aliis. Quod poſtremò ſpectat ad ea, quæ Epicurus ſepulcro ſuo incidi iuſſiſſe vrgetur; conſtat profectò Suidam ſtudiosè nimis collegiſſe rumuſculos omneis in Epicurum ventilatos, diſſimulatis intereà iis, quæ ſeu vera, ſeu fide digna aut comperetat, aut comperire potuerat. Verba ſanè quæ obiiciuntur, nullo modo exſtant in tota ſerie teſtamenti, quod apud Laërtium conſeruatum integrum eſt. Seu verò teſtamento, ſeu codicillis Epicurus illud mandaſſet, Cicero non prætermiſiſſet, qui curiosè adeò obſeruauit Epicuri omnia, quibus poſſet diſciplinam illius coarguere. Heinc nihil neceſſe refellere comparationem Epicuri cum Sardanapalo, cæteriſve ſimilibus; maximè cùm perſpicuum ſit, eos, qui huiuſcemodi comparationes inſtituunt, longè prorsùs abeſſe ab ea Epicuri ſobrietate, quæ ſuperiùs deſcripta eſt. lib. 2. de fin.

LIBER SEPTIMVS, DE OBIECTA EPICVRO VENERE.

CAPVT PRIMVM.

Declamatur in Epicuri Hortum, quaſi in Lupanar infame.

VIDETVR imprimis Epicuri hortus, fuiſſe quaſi proſtibulum, quò Scorta Græciæ conuenirent. Ecce enim partim à Plutarcho, partim à Laërtio, partim à Cleomede recenſentur meretrices Leontium, Themiſta, Philænis, Nicedium, Erotium, Hedia, Marmarium, Bodium, Phædrium; præter Cyzicenam illam meretricem, quâ communi iure cum Polyæno Epicurum fuiſſe in hortulo vſum Plutarchus teſtatur. Scribitur porrò apud Laërtium Epicurum ſimul, atque Metrodorum rem habuiſſe cum eiſdem meretricibus, ac nominatim cum Leontio: Ac ne munus quoddam ad Lupanar neceſſarium deeſſe poſſet, ibidem adiicitur, vnum ex memoratis illis Epicuri fratribus lenocinium exercuiſſe. Cùm autem Clemens Alexandrinus ſapientem in Horto quaternionem cum meretrice memorat, ſignificare, opinor, vult Epicurum, Metrodorum, Polyænum, Hermachum, ac meretricem Leontium. Vt verò de ipſa Leontio, quoniam euaſit præ cæteris celebris, aliquid adiiciam, Athenæi verba hæc ſunt: *Iſto igitur Epicurus amicam habuit Leontium, quæ propter artem meretriciam rumore crebro celebrata eſt. Hæc verò tùm Philoſophiæ cœpiſſet operam dare, ſcortari non deſtitit; ſed in hortis rem habuit cum Epicureis omnibus, ac propalàm cum Epicuro; adeò vt ipſe fuiſſe ſe multùm de ea ſollicitum in ſuis ad Hermachum Epiſtolis declarauerit.* Non memoro heic Danaën huius Leontij filiam ſcortatam ſimiliter fuiſſe exſtitiſſéque nominatim Sophronis Epheſij amaſiam, vti apud eundem Athenæum eſt. Poſſemus iam attexere, quod ſuperiùs attigimus circa nocturnam illam Philoſophiam, ſynagogénque myſticam. Siquidem præter comeſſationes, & compotationes poſſunt ea intelligi, quæ in nocturnis Bonæ Deæ ſacris patrari quondam obiecta ſunt: Et non ineptè quis intelligat ex hoc contubernio deſumptum, quod Plutarchus ſcribit Corniadem quaſi ex Ephemeride repetere ſolitum, quoties cum Hedia, & Leontio rem habuiſſet, Thaſium bibiſſet, opiparè cœnaſſet. Ex hoc certè eſſe videtur cur Epicurus iterùm cum Sardanapalo conferatur, dum inter ſcorta purpuram nens, ſua illis penſa diſtribueret. Cur item illud ſodalitium comparetur gregi ſociorum Vlyſſis, ac iam à noſtrorum pleriſque dictæ Magorum Synagogæ. Cur denique hortus Epicuri ſimilis dicatur Circes, Augiæque ſtabulis, & vt noſtrorum plerique declamant, Paradiſo illi Mohammedis, in quo, vt ipſe Mohammedes (ex vulgati verſione) ait: *Quicquid volunt beati preſtò eſt, & quaſcumque, & quomodocumque volunt, voluptates habent, & qualiter, & vbi, & quando, & quantum, & quoties volunt, ſine mora, & difficultate. Ita quidem, vt quas hîc vxores habuerunt fideles, habeant & illic; cæteræ concubinæ erunt; ancillarum verò non erit numerus*, &c.

l.2.adu.Col. lib.10. lib.2. cap.1. loc.cit. loc.cit. lib.2.Strom. lib.13. loc.cit. dial cum ſap. Iud.

CAPVT II.

Iterùm Epicuri amores, & accepta ex iis damna.

SED vt ſpecialiùs aliquid circa Epicuri amores dicamus, exſtat ecce apud Laërtium velut fragmentum Epiſtolæ, quam ille ad Leontium ſcripſit: Παιὰν ἄναξ, φίλον Λεοντάριον, οἵου κροτοθορύβου ἡμᾶς ἐνέπλησας (ſic enim videtur meliùs apud Suidam, quam ἐνέπλησεν apud Laërtium legi) ἀναγνόντας σου τὸ ἐπιστόλιον, *O Regem Apollinem, chara Leontiola, quo nos tumultuoſo plauſu impleuiſti, tuam legentes epiſtolulam.* Quo loco tibi quis penè perſuadeat audire illas delicatulas Poëtarum cantillationes,

Pande puella, pande capillulos, &c.

Vt appareat verò Epicurum ad extremum vſque ſenium deperiiſſe Leontium, cùm ipſa eius moroſitatem ægerrimè interim ferret, exſtat ecce in ſerie Epiſtolarum Græcanicarum Epiſtola quædam Leontij ad Lamiam ex ſecundo libro Alchiphronis, hocce initio: οὐδὲν δυσαρεστότερον, ὡς ἔοικεν, ἐστι πάλιν μειρακιευομένου πρεσβύτου. οἷά με Ἐπίκουρος οὗτος διοικεῖ, πάντα λοιδορῶν, πάντα ὑποπτεύων, ἐπιστολὰς ἀδιαλύτους

lib.10. not. in 10. Laert.

λῶντες μοι χλαῖναν ἐνδέδυκεν ἐκ τῆ πίνου καὶ τῆς Ἀφροδίτην, οἱ Ἄδωνις ἦν, ἤδη ὀγδοήκοντα γεγονὼς ἔτη· ἐκ ἂν αὐτῷ ἦν σχέμενον, φθειριῶντος, καὶ πιλοποιῶντος (puto, pro φιλοποιῶντος) καὶ κατασπιλωμένος, ὦ μάλα πόκους, ἀντὶ πίλων, &c. *Nihil eſt, vt mihi videtur, repuéraſcente ſeno importunius: Quo ſanè modo erga me Epicurus iſto ſo habet, omnia improbans, omnia in ſuſpicionem vertens, literas ad me ambagioſas ſcribens; abacturus ſanè ex Horto ipſam Venerem, tametſi Adonis foret, natus iam, vt eſt annorum octoginta. Abſit illius amore tenear, qui & ſcatet pediculis, & planè morbidus eſt, contractus præ ſenio, nec iniuriâ vellera geſtans pro pileis*, &c. Verùm vt ad amatorias Epicuri ipſius Epiſtolas

loc. cit. redeam, idem Laërtius iſtud ad Themiſtam Leontei vxorem ſcriptum ab ipſo memorat, οἷός τε, φησὶν, εἰμὶ, ἐὰν μὴ ὑμεῖς πρὸς με ἀφίκησθε, αὐτὸς τρικύλιστος, ὅπου ἂν ὑμεῖς, καὶ Θεμίστα παρακαλῆτε, ὠθεῖσθαι, *Is ſum, qui niſi vos ad me acceſſeritis, quò me cumque vos, & Themiſta euocaueritis, poſſim, vel ſæpius volutatus, impelli.* Ac paulò pôſt idem Laërtius: Rursùm, inquit, ad Themiſtam ſcribens, adhortandum eſſe ipſam putat, vti ait Theodotus in libro præſertim quarto contra Epicurum. Addit Laërtius ſcripſiſſe eumdem ad alias quoque meretrices. Sed ecce quid ad Pythoclem formoſum adoleſcentem, ſcriptum ab illo referat, Καθεδοῦμαι, φησὶ, προσδοκῶν τὴν ἱμερτὴν, καὶ ἰσόθεόν σου εἴσοδον, *Sedebo, inquit, operiens exoptatum tuum, & veluti Dei alicuius, ingreſſum.* Pythocles hic eſt, quem natum annos duo-

l. t. adu. Col. deuigmti Plutarchus ſcribit fuiſſe monſtroſè ab Epicuro deprædicatum, cuique muliebria cùm pateretur, fuerit apprecatus vt omnia ſine reprehenſione, inuidiáque contingerent. Ad eumdem pætorum amorem pertinere poſſunt blandulæ illæ appellatio-

ibid. nes, vt cùm Epicurus ex eodem Plutarchò diminutâ, ac infractâ voce Coloten vocare conſueuit Κολωτάριον, καὶ Κολωτάριον, *Colotulum, & Colotillum.*

Attexi iam poſſet obiecta Epicuro deſidia, quæ, præter hortorum ad delicias comparatorum amœnitatem, impromptu cauſa eſſe videatur quamobrem fuerit tantoperè ad venerea intemperans. Sed adnotare ſolùm iuuat, cùm ex molli deſidia, adiunctáque intemperantiâ notum ſit corpus effici eorrue, fluxum, effœminatum; nihil mirum videri, ſi corpus Epicuro contigerit, cujuſmodi ſuprà obſeruauimus deſcriptum à Suida fuiſſe.

lib. de ſan. tuen. Heinc cùm Plutarchus obiiciat nihil profuiſſe nec Epicuro, nec Epicureis ad decantatam illam corporis εὐσταθῆ *bonam affectionem*, ſeu *probam conſtitutionem*, quòd omnem actionem deuitauerint, quæ honoris ſtudium attineret; augeri id ſane videtur ex eo, quod

in Epic. apud Suidam legimus, Epicurum fuiſſe adeò miſerabiliter corpore affectum, vt ſurgere per multos annos è lecto non potuerit.

lib 7 fam. ep. 16. Omitto autem quod Stoïci, vt ex Cicerone iam retulimus, extremos illos Epicuri morbos ad hanc quoque ſpeciem turpioris intemperantiæ retulerint.

CAPVT III.

Abactus proinde Epicurus è Philoſophorum Choro.

ATQVE ex his tandem arguitur Epicurum videri indignum, qui Philoſophorum adſcribatur cœtui. Prætereo enim quæ ex Cleomede ſuperiùs relata ſunt, cùm Epicurum abigeret ex Philoſophorum choro. Prætereo vt ab Epicteto, Hierocle, & aliis relegatus potiùs ſit ad Cinædos, & meretrices. Alia vt attingam, Themiſtius patrem ſuum

commendans: *Ille*, inquit, *Epicurum quàmcelerrimè è catalogo dimittebat, vnguento in caput ipſius effuſo, vt qui amans eſſet voluptatis. Epicuri*, inquit Maximus, *ne nomen quidem ipſum fero. Neque enim Philoſophiam admitto, quæ laſciniat, vti neque Imperatorem, qui diſcedat ex acie.* Ipſe Lactantius, cùm aliàs ſæpe Epicurum ſtultitiæ damnet; tum relatis illis iam antè citatis ex Lucretio verſibus, Orat. 4.

lib. 3.

Qui genus humanū ingenio ſuperauit, & omneis
Præſtinxit, ſtellas exortus vti æthérius Sol,

Subdit: *Quos equidem verſus nunquam ſine riſu legere poſſum. Non enim de Socrate, aut Platone hoc ſaltem dicebat, qui velut Reges habentur Philoſophorum, ſed de homine, quo ſano & vigente nullus æger ineptius delirauit.* Sed ne id genus plura conſecter, obſeruo ſolùm quod lib. 3. c. 17.

Arceſilas apud Laërtium interrogatus, *cur homines ex cæteris ad Epicureos, ex Epicureis autem ad cæteros non migrarent*, reſpondit: *Quoniam ex viris quidem Galli fiunt; ex Gallis verò viri non fiunt.* Alludens ſcilicet ad Gallos ſacerdotes Cybeles exſectos, & effœminatos. Et poſſent quidem bene multi hoc loco enumerari ex Epicuri familiâ, qui Philoſophiæ aſperſerint labem: ſed omnium inſtar eſſe poteſt ille ex Seleucia Diogenes, cuius iam antè facta eſt mentio. Scilicet narrat Athenæus lib. 4.

quemadmodum ille à Rege Alexandro petierit, obtinuerit, ac deinde Lyſiodo meretrici, quam depetibat, dono dederit tunicam purpuream, auteámque coronam virtutis effigie inſignem. Itémque, quemadmodum in cóuiuio celebri riſus ingens fuerit excitatus, vbi hiſce inſignibus exornata muliercula apparere iuſſa eſt; cùm vix tamen Philoſophus eius laudandæ faceret finem. Ad hunc locum lib. 5.

ſpectat quod memorant Suidas, Ælianus, & alij Epicureos fuiſſe à Romanis publico Senatus decreto expulſos, itémque à Meſſeniis, quòd Adoleſcentum corruptores eſſent, ac propter mollitiem, & impuritatem cummaculaṛent Philoſophiam. Addunt verò illis eiectis (quod quidem fieri antè Solis occaſum oportuit) iuſſiſſe Meſſenios, & à Sacerdotibus templa luſtrari, & à Timuchis vrbem purgari; quaſi ſcilicet à piaculis, ſordibúſque liberam factam. Referunt etiam vt Lyctij appellenteis illuc Epicureos abegerint, lege apud ipſos lata, *vt effœminatæ, degeneris & turpis ſapientiæ inuentores, atque adeò Diis inuiſi homines per præconis vocem Lycto pellerentur*: in voc. Epic. lib. 9. var. hiſt. c. 12.

ſi verò quis eò venire auderet, ac legem iſtam contemnere, is in cataſta vinctus teneretur diebus xx. *prope Curiam, & nudus melle, ac lacte perfuſus apibus, & muſcis intra illud tempus fieret pabulum, eóque exacto, ſi ſuperſtes eſſet, veſte indutus fœmineâ è ſaxe præcipitaretur.* Vt verbo dicam, ſic Apollinaris :

in epithal. *Aſt Epicureos eliminat vndique virtus.*

CAPVT IV.

Epicurum caſtè vixiſſe docetur.

HActenus huc-vſque quid Epicuro circa Veneream intemperantiam poſſit maxime obiici. Placet porrò initio ſtatim his omnibus opponere teſtimonium viri & docti, & ſancti, quem meritò innumeræ obloquentium turbæ præferendum cenſeas. Is eſt Gregorius Nazianzenus, qui cùm in ſuis Iambicis continentiam aliquorum Philoſophorum commendaret, de Epicuro ſic cecinit :

Iamb. 18. *Ipſam voluptatem putauit præmium*
Epicurus extare omnibus laboribus,
Mortaliúmque tendere huc bona omnia.
Ac ne ob voluptatem improbam, hanc laudarier
Quis crederet, moderatus, & caſtus fuit,
Dum vixit, ille, dogma moribus probans.

Nihil ſanè hoc elogio illuſtrius ; demonſtrat enim vt Epicurus non modò caſta docuerit (ſcilicet aliam voluptatem, quàm Veneream, damnatámque defendendo) ſed caſtè etiam vixerit, hoc ipſo arguens ſe voluptati obſcœnæ non patrocinari. Subſcribit porrò Seneca, cùm de Epicuro loquens : *Mirum eſt,* inquit, *aliquid fortiter dici ab homine mollitiem profeſſo ; ita enim plerique iudicant. Apud me verò Epicurus eſt, & fortis, licet manuleatus ſit.* (Epiſt. 33.) Verumtamen quid Epicurus ſeu docuerit, ſeu dixerit, ſuo referendum eſt loco, vbi ſcilicet quemadmodum ille amores tam mulierum, quàm puerorum penitùs damnauerit ; cùm & intereà ſufficere poſſit, quod ex Epiſtolâ ad Menœceum ſuperiùs iam relatum eſt, *Non enim puerorum, mulierúmque fruitiones,* &c. De moribus heic agimus, quos etiam caſtos non diffitentur, qui opiniones ipſius fuiſſe impudicas exiſtimant. Vnus audiatur

3. Tuſcul. Cicero : *dicet,* inquit, *aliquis : Quid ergo ? tu Epicurum exiſtimas iſta voluiſſe, aut libidinoſas eius fuiſſe ſententias ? Ego verò minimè ; video enim ab eo dici multa ſeuerè, multa præclarè. Itaque, vt ſæpe dixi, de acumine eius agitur, non de moribus. Quamvis ſpernat voluptates eas, quas modò laudauit, ego tamen meminere quod videatur ei ſummum bonum.* &c. Quamobrem tametſi ſuppoſuerimus Epicuri doctrinam fuiſſe obſcœnam, & exſibilandam (quod ſuo, vt recepimus, loco declarabimus, quàm à vero abhorreat) adhuc tamen quod ſpectat ad vitam, & mores, continentiſſimus extitit. Certè cùm audis Ciceronem memorare Epicurum aſpernatum fuiſſe voluptates, eſt quòd putes Metrodorum ſeriò de ſe, & Epicuro dixiſſe, quod Plutarchus alicubi refert, videlicet, *in voluptates corporis ſe inſpuere.* l. a. adu. Col.

Poſtremò verò, vt habeas teſtimonium ab inimico, atque ideò omni exceptione maius, ecce vt Chryſippus de Epicuro ſenſerit. Scribit Stobæus, *quempiam fuiſſe, qui & non iri* ſerm. de *captum amore virum ſapientem dixerit, & ipſius* ven. & am. *Epicuri exemplo inter cæteros id probârit : Chryſippum autem contradixiſſe, & Epicurum quod attineret, excepiſſe nihil ex eius exemplo concludi, quoniam foret ἀναίσθητος, ſenſu* (ſeu paſſione concupiſcibilis appetitus) *carens.* Quo loco vides Epicurum tum citari ab aliis in exemplum continentiæ, quæ ſit viro ſapiente digna : tum aduerſarium eius Chryſippum non negare eius continentiam, ſed illam ſolùm tribuere ſtoliditati, potiuſquàm virtuti ; quòd vt nihil aliud, ſaltem fidem facit Epicurum incontinentem, libidinoſumve non fuiſſe. Hæc porrò Chryſippi redargutio in 3. Epid. cum ea conſonat, qua Galenus Epicurum com. 1. taxat, non ſanè circa nimium, ſed circa nimis parcum Venereorum vſum ; cùm, vt iam antè meminimus, cenſuit *ipſum nunquam prodeſſe, multúmque eſſe niſi & noceat ;* verùm hac de re alibi. Adnoto heic ſolùm nihil eſſe mirum ſi Chryſippus exiſtimârit hominia eſſe ſtupidi, ac bardi amore non capi ; contrà verò amore capi ſolertis eſſe, ac ingenioſi ; quando ſe ipſe hac ratione factóque ipſo planè ſolertem, ingenioſúmque eſſe probauit. Sanè, ne cætera conſecter, legitur ecce apud Laërtium turpia, ac infanda ſcripſiſſe. Quippe *in commentario de antiquis Phyſiologis, quæ* lib. 7. *de Ioue, & Iunone tradit, turpiter confingit,* (verba ſunt Laërtij) *ſexcentis verſibus ea ſcribens, quæ nemo ne ore quidem inquinatiſſimo ſcriberet. Turpiſſimam enim, vt aiunt, illam ſcribit hiſtoriam (tametſi laudat vt Phyſicam) ſcortis potiùs, quàm Diis congruentem. ac præterea ab iis, qui de tabulis ſcripſerunt, alienam. Neque enim apud Polemonem, neque apud Hypſicratem, ac ne apud Antigonum quidem inueniri, ſed ab eo confictam eſſe. In libro autem de Republica, etiam cum matre, & filia, ac filio commiſcere corpus concedit.* Hæc, & plura ſunt quæ Chryſippo attribui ſcribit Laërtius.

CAPVT V.

Purgatur Epicuri Hortus ab infamia ex mulieribus.

CVm itaque Epicuri mores nihil impudicum habuerint, exiſtimare par eſt non fuiſſe Hortum ipſius infame lupanar, tametſi mulieres nonnullæ commoratæ in illo ſint. Vel omnes enim, vel certè plures ex iis, quæ enumerantur, cum Epicuro ſunt conuerſatæ, non vt ſe proſtituerent, ſed vt cum eo philoſopharentur. Scilicet hoc nouum non fuit, vt ingenuæ, præſtantéſque ingenio fœminæ in Philoſophorum ſcholas

æquè,

æquè, ac viri conuenirent. Ecce enim in
Academia auditrices Platonis fuerant, &
Laſthenia Mantinica, & Axiothea Phliaſia,
perinde ac Xenocrates, Ariſtoteles, & alij
lib.3. viri, vt Laërtius memorat, adiiciens Axio-
lib 4. theam virili etiam habitu, ex Dicæarcho,
fuiſſe indutam; cùm addat eaſdem quoque
fuiſſe Speuſippi diſcipulas. Enimverò Pytha-
goras, nonne mulieres plurimas in diſcipli-
in vi. Pyth. nam ſuam admiſit, quemadmodum Porphy-
lib.8. rius, Iamblichus, & alij ſcripſere? Nunne
etiam ex Laërtio plurimi vxores ſuas eru-
diendas ipſi tradiderunt, quæ Pythagoricæ
dictæ ſunt? Ex harum fortè numero ipſa
quoque Theano fuit; quippe quam nonnul-
li voluerint vxorem fuiſſe cuiuſdam Bronti-
ni, Pythagoræ verò extitiſſe non vxorem,
ſed diſcipulam. Quid memorem id etiam
moris conſequutis ſæculis fuiſſe. Audi enim
in vi. Plot. Porphyrium de præceptore ſuo loquentem:
*Audiebant Plotinum etiam mulieres nonnullæ,
admodum ſapientiæ eius deditæ, quarum in nu-
mero erat Gemina, in cuius etiam laribus habi-
tabat. Item Gemina huius filia nomine ſimiliter
Gemina Amphiclia quoque Ariſtonis filia, &
filij Iamblichi vxor. Multi quin-etiam viri, mul-
tæ & mulieres generis nobilitate pollentes, cum
morti iam propinqui eſſent, liberos ſuos tum
mares, tum fœminas vna cum omni ſubſtantia
Plotino, tanquam ſacro cuidam, diuinóque cu-
ſtodi tradebant, atque commendabant. Quocir-
ca Plotini domum plenam iam puerorum, virgi-
numque videres, &c.* Hæc commemoro, vt
intelligas haud abſimilem Epicuri Scholam,
quemadmodum intelligi vel ex vno eius Te-
ſtamento liquet. Atque, vt cætera omittam,
potuerunt illæ fœminæ cum Epicuro conuer-
ſatæ Pythagoricarum inſtar, vxores eſſe
commorantium etiam cum ipſo familia-
rium. De Themiſtâ certè, quòd fuerit Leon-
tei vxor, perſpicuum eſt. Leontium quoque
tametſi fuerit Metrodori concubina, pro
more tamen patrio vxoris inſtar illi eſſe po-
Laërt. lib 5. tuit, quemadmodum fuerat Ariſtoteli Her-
pyllis, ex qua ſuſceptus Nicomachus. Por-
rò, vt Leontium, ſeriò Philoſophiæ operam
dediſſe agnoſcas, repetendum id ſolùm eſt,
quod ſuperiùs attigimus, videlicet habuiſſe
illam, vnde librum aduersùs Theophraſtum
Philoſophum ſcriberet. Et ne quis putaret
ipſam quidpiam ſolùm effutiiſſe muliebriter,
lib. 1. de nat. teſtatum fuiſſe M. Tullium, opus huiuſmo-
Deor. di conſcriptum *ſcito ſermone, & Attico:*
Quibus verbis, & eruditio, & elegantia in-
lib 35. c. 11. dicatur. Quin-etiam ſcribit Plinius Leon-
tium Epicuri cogitantem depictam fuiſſe; vt
ipſam nempe intelligamus Philoſophicis
meditationibus deditam: Quippe ſi illa me-
retrix fuiſſet, profectò non cogitabundam,
ſed ſubſultanti oris habitu mulierem pingi
oportuerat. Vt agnoſcas etiam Themiſtam
philoſophatam ſeriò fuiſſe, notandum ſolùm
lib. 3. cap. 24. eſt Lactantium, cùm philoſophari neget
fœminas, vnam tamen excipere ex omni
memoria Themiſten: & Ciceronem ita illius
ſuſpexiſſe ſapientiam, vt in L. Piſonem agens,
Ironicè dixerit: *licèt ſis Themiſtâ ſapientior:*
nempe eo ſenſu, quo mox antè: *Tu eruditior,*
quàm Piſo (auus ſcilicet prænomine Marcus)
*prudentior, quàm Cotta, abundantior conſilio,
ingenio, ſapientiâ, quàm Craſſus.*

Ediſſerendum fortè hoic eſſet, admitti-
ne, vt ſunt imbecilla fœminarum ingenia ad
Philoſophiam debeant? Sed paucis, conſtat
non ſine inuidia poſſe arceri à Philoſophia,
ſeu ſummi boni proſequutione, adeptionéque
felicitatis, ſi quæ indicio, & affectu phi-
loſophico fuerint: cùm & eiuſdem nobiſ-
cum naturæ participes, eaſdem nobiſcum
doteis poſſideant, & pleræque ingenij acu-
mine, ac robore præſtent viris plurimis,
etiam ex iis, qui exiſtimant ſe optime philo-
ſophari. Atque id quidem, vt experientiam
plurimarum Heroïdum, veréque doctarum
prætercam, (quas inter ſemper eminebit,
quæ rarâ noſtri ſæculi fœlicitate effloreſcit
Vltraiectenſis illa puella Anna Maria Schur- lib. 5. de Rep.
mana, omni genere non virtutis minùs,
quàm eruditionis ornatiſſima) prætereámque
etiam; ſi Plato voluit mulieres perinde
ac viros ſeſe immiſcere Reipublicæ, non eſſe
quod eædem à rerum ſpeculatione prohi-
beantur. Deinde quæri id etiam poſſet, an-
non imbecillum videatur caſtitatis præſi-
dium in tanta familiaritate commiſceri fœ-
minas viris. Verùm, vt contendere nolim
rem ſe in illa conſuetudine perinde habuiſſe,
vt ſi quiſpiam marmoribus copulauiſſet mar-
mora, (puta cum magno temporibus illis
non daretur vitio; ſi quis à ſe nihil humani
alienum eſſe arbitraretur, ac damnatum ſo-
lùm haberetur etiam à Philoſophia; ſi quiſ-
piam intemperanter, cúmque legum, ſani-
tatis, ac famæ diſpendio ſeſe Venereis dede-
ret) ita potuit tanta in illa conuerſatione
eſſe moderatio, vt peccatum nihil fuerit ad-
uersùs Temperantiam; maximéque, cùm tan-
ta illeic coleretur ſobrietas, quæ inimica eſt
Veneris; & cùm ipſe qui præerat, inſtitue-
bátque Epicurus, ſic continens foret, vt iam
diximus, & aduersùs Venerea ita declamaret,
vt aliàs dicemus.

Dices, ſi Epicurus cœlibem, continen-
témque vitam traduxit, ac neque vxorem,
neque concubinam habuit; cur non eandem
rem familiaribus, ac Metrodoro præſertim
perſuaſit? Ratio eſſe potuit, quia fragilitati
illorum conſuluit, nec iugum ipſis impone-
re, quantum ſubire ipſe, voluit. Sic viſum
ſuperiore libro; cùm ipſe dietim non toto
aſſe paſceretur, conceſſiſſe Metrodoro, qui
non tantùm profecerat, vt paſceretur toto.

Poſtremò, quòd Leontium non negetur
fuiſſe Metrodori concubina; diſquirendum
eſſet an id fuerit Horto, ſeu Epicureo contu-
bernio indecorum. Sed notum ſatis ſupérque
eſt, vix Philoſophum vllum celebrari, cuius
concubina aliqua non memoretur. Rem ha-
bes fusè ab Athenæo, inter cæteros demon- lib 13.
ſtratam. Et cùm res temporibus noſtris dif- l. in concub. ff. de concub.
famata iam fuerit, extant tamen Leges Ci-
uiles, & Canonicæ, ex quibus euincitur fuiſ- Diſt 34 c. 5.
ſe aliter à maioribus noſtris vſurpatum. ibid. can. 4.
Quod quidem attingo, non ſanè, vt vitio
quæratur patrocinium; ſed vt intelligas tan-
tò minùs damnari poſſe concubinatum vſum

apud

apud Ethnicos, quantò olim, per ea, quæ nobis morum, pietatiſque principia, regulæque ſunt, prohibitus minimè fuit. Nihil heic adiiciendum eſt de nocturno illo conuentu; cùm ex dictis ſuperiùs conſtet rem eſſe commentitiam. Illæ omnes comparationes cum Sardanapalo, cum ſociis Vlyſſis, cum Augiæ ſtabulo, cum Paradiſo Mohammedis, declamationes meræ ſunt. Quod ſpectat ad Corniaden, non fuit ille Epicureus: ſed Plutarchus ſolùm innuit non debere virum ſapientem ſimileis res turpeis cogitatione repetere, vt faciebat Corniades, homo ſcilicet perditus, quem etiam ab Epicuro improbatum non obſcurè colligitur ex ipſo Plutarchi contextu.

CAPVT VI.

Refelluntur Epicuri amores, & damna ad ipſos relata.

RESPONDENDVM ad ea reſtaret, quæ ex Plutarcho, Cleomede, itémque ex aliis apud Laërtium obiecta ſunt: ſed & notum ex antè dictis quâ mente illi animati aduersùs Epicurum fuerint; & repetitum eſt aliquoties, vt Laërtius dixerit inſanos, qui talia comminiſcerentur. Sanè quod attinet præſertim ad amatorias Epiſtolas, nemo ambigat illas ex iis fuiſſe, quas Diotimus Stoïcus Epicuro impoſuit. Ac de Leontio, & Themiſtâ, quarum altera concubina, altera vxor familiarium fuerit, res ipſa planè reclamitat; maximè verò cùm Laërtius referat hanc commentationem ad obtrectatorum inſaniam. Opinor autem, ſi Laërtius recitatam ex Alciphrone Leontij Epiſtolam habuiſſet ad manum, idem de ea fuiſſe laturum iudicium. Nempe ſiue Alciphron ipſe, ſiue alius confinxerit, apparet ſanè captata nimis, affectatáque declamatio. Heinc non memoro vt Leontium, veluti etiam Metrodorus, ante Epicurum diem obierint, cùm Epicurus filij ipſorum Epicuri nomine, tanquam pupilli in teſtamento, & meminerit, & curam habuerit; vt intelligas quî Leontium ſcribere ad illum potuerit, & iam quidem octogenarium; cùm ipſi Epicurus ſupervixerit, ac deinceps obierit, vix annum egreſſus ſeptuageſimum primum. Quod ad Pythoclem attinet, cæteróſque adoleſcenteis, parem cauſam Laërtius facit, cùm ex eadem inſania Epiſtolas depromptas refert. Et certè cùm Pythoclem ipſum, ac etiam Menœceum, & alios Epicurus ita ad philoſophandum, excolendúmque virtutes, ac nominatim continentiam adhortatus fuerit, vt quæ ſuperſunt Epiſtolæ partim integræ, partim per fragmenta, declarant; longè omnis ſuſpicio euaneſcit; aboleſcitque. Niſi porrò Stoïci fateantur potuiſſe illa de Epicuro præter verum, ac ius euulgari, quid dicent ad ea, quæ de ipſo quoque Zenone in vulgus abierunt? Antigonus enim Caryſtios (Athenæo referente) in eius vita lib. 13. ſcriptum reliquit, vt pueris ſemper ſit vſus, nunquam verò fœminâ; tametſi Laërtius lib. 7. ſcribat ſemel, aut bis ancillulâ vſum, ne mulierum oſor eſſe videretur. Sed & niſi ad locorum, temporúmque conſuetudinem; aut, quod magis placet, ad maleuolorum, & ſycophantarum calumnias confugere liceat, quænam excuſatio prætexetur iis, quæ vulgò de Socrate, cæteriſque ſanctiſſimis Philoſophorum circumferuntur? Nam vt nihil dicam de Xenophonte, qui vt puerum Cliniam deperierit, apud Laërtium ſcribitur; lib. 2. vt nihil item de cæteris, quos longum foret enumerare: nonne ruborem excitabunt, quæ de Philoſopho habito diuino iactantur? Vides quid ipſe Apuleius, quanquam fuerit Platonicus, non diſſimulet à Platone ſcriptum. Inter cætera enim amatoria legitur ſcripſiſſe ad Aſtera puerum:

Aſtra vides; vtinam fiam, mi Sidus, Olympus, Apol. 1.
Vt multis ſic te luminibus videam.

Et ad Dionem,

Cinibus ingenti in patria laudate, iaces nunc,
Qui inſanum me animi reddis amore, Dion.

Plura habet Laërtius circa amores Alexidis, lib. 3. Phædri, aliorum, quos Plato deperierit; ſed præſertim illud, τὴν ψυχὴν Ἀγάθωνα φιλῶν, lib. 19. c. 11. &c. quod tum Agellius, tum Macrobius lib. 2. Saturn. c. 2. redditum memorant Latinè pluſculis illis verſibus,

Dum ſemihulco ſauio
Meum puellum ſauior, &c.

Vt iam de obiecta Epicuro deſidia dicatur, nihil neceſſe eſt præmittam de amœnitate Hortorum; quaſi nempe illa comparetur ſolùm, vt libidinum ſit illectamentum, & non potiùs, vt philoſophantium animus exhilaretur, ac mirâ quadam alacritate ſeu ad meditandum, ſeu ad diſſerendum excitetur, ex pulchritudine illa varietatéque arborum, herbarum, foliorum, florum, vmbrarum, riuulorum, volucrum, ſuſurrorum, ambulacrorum, & ſi quæ ſunt huiuſmodi. Profectò, & hoc Epicuro non fuit peculiare, vt ſeu in Horto philoſopharetur, ſeu Hortos ad philoſophandum Sectatoribus relinqueret ſuis. Nam & Plato, Laërt. lib. 3. & Sectatores habuere Hortum in Academiâ emptum ab Anniceride; cùm ille etiam in Horto, qui fuit apud Colonum, philoſophatus dicatur. Rurſus Theophraſtus ſuo lib. 5. teſtamento Hortum, ædeiſque adiacenteis amicis, qui philoſophari in illis optarent, conceſſit, vti apud Laërtium eſt; qui rurſùs ibid. aliquoties eiuſdem Horti meminit, cùm ſucceſſorum vitam deſcribit. Quod ſupereſt, otium liberale fuit, non ſegnis deſidia, exactum in Hortis Epicuro tempus. Et certè vel ſola librorum ab Epicuro conſcriptorum multitudo, ac varietas, ſatis magno eſt argumento ipſum non mollitie, ignauiâ, languore totos dies obtorpuiſſe: ſed integram potiùs ætatem impendiſſe Philoſophiæ.

Philoſophiæ. *Otia*, inquiunt, *dant vitia*; verùm hoc de ſegnitie illa intelligitur, quâ piger vel dormit in vtramque aurem, ſtertítque quantum deſpumare Falernum ſufficiat; vel ad nequitiam animum componit, ſeséque ipſo abutitur; non autem de vacatione illa, quâ quis ſibi feriationem à negotiis, rebúſque gerendis procurat, vt animus curis ſolutior inquirendæ veritati ſtudeat, ſeu, quod eſt idem philoſophetur. Sed de hoc otio plura aliàs, cùm etiam declarabimus non eſſe ipſum cauſam morborum, vti vulgò exiſtimatur, aut præmaturi obitus. Hoc porrò attingo vt iam innuam, ſi Epicurus imbecillus, ſi morbis obnoxius fuit, ſi maximis doloribus diſcruciatus interiit, non hæc fuiſſe damna ex vlla ipſius ſeu inertiâ, ſeu nequitiâ, ac libidine conſequuta; ſed conſtitutionis fuiſſe vitium, quod in ipſo ortu ex parentibus acceptum non valuerit ſatis vllo ſtudio ſeu tollere, ſeu emendare. Id vnum quod præſtare potuit, generose præſtitit, dum tantâ conſtantiâ dolores, ac mortem ipſam tolerauit. Quocirca ne tempus teratur in refellendo vel Suidam, vel alios illos apud Laërtium, audire præſtat Ciceronem, dum commendat extremam illam Epicuri conſtantiam: *Ordiamur*, inquit, *ab eo, ſi placet, quem mollem, quem voluptuarium dicimus. Quid? is tibi mortém-ne videtur, an dolorem timere? qui cùm diem, quo moritur, beatum appellat, maximiſque doloribus affectus, eos ipſos inuentorum ſuorum memoriâ, & recordatione confutat. Nec hoc ſic agit, vt ex tempore quaſi effutire videatur: De morte enim ita ſentit*, &c. [lib. 5. Tuſc.] Præſtat & M. Antoninum, apud quem verba Epicuri ſunt, Ἐν τῇ νόσῳ, ἐκ ἦσαν μοι αἱ ὁμιλίαι περὶ τῶν τοῦ σωματίου παθῶν, ὐδ᾽ πρὸς τὰς εἰσιόντας τοιαῦτά τινα ἐλάλουν, ἀλλὰ τὰ προηγούμενα φυσιολογῶν διετέλουν· καὶ πρὸς αὐτῷ τούτῳ ὄντος, (ita videtur pro ὤν, πῶς) ἡ διάνοια μὴ μεταλαμβάνουσα (videtur, pro συμμεταλαμβάνουσα) τῶν ἐν τῷ σαρκιδίῳ κινήσεων, ἀτάρακτος ἦν (videtur, pro ἀταρακτοῦ) τὸ ἴδιον ἀγαθὸν τηροῦσα· ὐδὲ τοῖς ἰατροῖς ὑμπαρεῖχον καταφρυάττεσθαι, ὥς τι ποιοῦσιν, ἀλλ᾽ ὁ βίος ἤγετο εὖ, καὶ καλῶς, *Dum morbo tenerer familiares ſermones non erant mihi de doloribus, quos tum perpetiebar in corpuſculo; neque cum iis, qui accedentes inuiſebant me, hiſce de rebus quicquam loquebar; ſed in diſſerendo de rebus naturæ præcipuis deterebam tempus. Cúmque ad hoc intentus forem, ipſa interim mens motionum in corpuſculo excitatarum non particeps, imperturbata, ac bonum ſuum intemeratum ſeruans, conſtabat. Quin etiam ne Medicis quidem tanquam remedia adhibendo quidpiam præſtituris permittebam me; & vita nihilominùs non malè, neque indecorè congruebat.* [lib. 9. de vit. ſu.] Cui profectò loco accommodari poteſt quod habet alia occaſione idem Epicurus apud Senecam, dum, *Magnificentior*, inquit, *mihi crede ſermo tuus in grabato videbitur, & in panno: Non enim dicentur tantum illa ſed & probabuntur.* [Epiſt. 10.] Itémque Senecam, dum poſt commendatam illam Epicuri de Sapientiâ, ac beatâ vitâ in Phalaridis taurum deſcenſura ſententiam, de qua dicendum aliàs, tum multis interpoſitis, memorat *illam malæ valetudinis, & dolorum grauiſſimorum perpeſſionem, in qua*, inquit, *Epicurus fuit illo ſummo, ac fortunatiſſimo die ſuo: Ait enim ſe veſicæ, & exulcerati ventris tormenta tolerare, vlteriorem doloris acceſſionem non recipientia; eſſe nihilominùs ſibi illum beatum diem: beatum autem agere, niſi qui in ſummo bono non poteſt.* Et ſtatim: *non poteſt dici hoc non eſſe par maximis bonum, quod beatæ vitæ clauſulam impoſuit, cui Epicurus extrema voce gratias egit.* [Epiſt. 66.]

CAPVT VII.

Reſtituitur Epicurus in Philoſophorum Chorum.

NVNC, quòd Epicurus abactus è Philoſophorum choro à bene multis eſſe videatur, nihil profectò mirum eſt. Alij enim ex ſtudio Sectæ malè affecti in ipſum fuere, vt Epictetus, Cleomedes, alij, præter Stoïcos illos antiquiores. Alij ſeu ignorauerint, ſeu diſſimulauerint quanta fuiſſet in Epicuro ſeu doctrinæ caſtimonia, ſeu vitæ cõtinentia; præ quadã tamen feſtiuitate, virum perinde exceperunt, ac ſi fuiſſet tã moribus, quàm dogmatibus voluptarius; vt pater ille Themiſtij. Alij, cùm feruore quodam declamationis abriperentur, facilè eò delapſi ſunt, vt de Epicuro ſermonem haberent iuxta vulgarem ſententiam, quemadmodum Maximus Tyrius. Alij pro ſtudio virtutis, affectúque pietatis ſic expedite indicauerunt; vt nonnulli ſanctorum Patrum, quibus accenſetur Lactantius. Enimverò; quid putas eſt dicendum de Arceſilâ Epicuri contemporaneo? Idem profectò, ac fortè peius, quàm de ipſis Stoïcis. Imprimis quippe Arceſilas ex eo oderat Epicurum, quòd cùm auram popularem inſolenter prorsùs captaret (φιλόοχλος, καὶ φιλόδοξος) exempli causâ, vocibus illis, quæ ſunt apud Laërtium, *Aio ego, & non aſſentietur his quiſpiam?* [lib 4.] Epicurus aliquando ipſum ſic taxauerit, quaſi nihil iactaret proprium, ſed deſumptum ſolùm ex Platone, Pyrrhone, Diodoro. Id innuit Plutarchus Epicurum ſcribens dixiſſe de Arceſilâ, μηδὲν αὐτὸν ἴδιον λέγοντα, ὑπόληψιν ἐμποιεῖν, καὶ δόξαν ἀνθρώποις ἀγραμμάτοις, *ipſum, cùm nihil proprium efferret, opinionem de ſe, gloriámque apud homines illiteratos paraſſe.* [l. 1. adu. Col.] Deinde, mirum, quî Arceſilas Gallos vocaret Epicureos, ipſe palàm vſus Theodota, Philætéque ſcortis, itémque Demetrio, ac Leochare adoleſcentulis; adeò vt proinde illum corruptorem iuuenum, & cynædo digna loquentem Ariſto Chius dixerit; quod memoratur apud Laërtium. [loc. cit.] Sed hæc vt miſſa faciam, magnóſque quoſdam viros opponam, qui Epicurum inter ſummos Philoſophos habuerint. Occurrit imprimis Menander, Epicuri coætaneus, ac proinde morum ipſius, placitorúmque intelligens. Huius teſtimonium quanti ſit faciendum cognoſcas ex Plutarcho velim, quo loco eius comparationem cum Ariſtophane inſtituit. [lib. ea de re.] Ipſe itaque Epicurum cum Themiſtocle ita confert,

lib. 3. vt quemadmodum libertatem patriæ ad Themiſtoclem, ſic ad Epicurum ſapientiam eiuſdẽ patriæ referat, memorabili illo diſticho in Anthologia aſſernato, indicatóque ſuperiùs:

Χαῖρε Νεοκλεῖδα δίδυμον γένος, ὧν ὁ μὲν ὑμῶν
Πατρίδα δουλοσύνας ῥύσατ', ὁ δ' ἀφροσύνας,

Par Neoclidarum, quorum vnus libera vt eſſet,
Alter vti ſaperet Patria, fecit, Aue.

lib. 10. Sequitur ille Athenæus, cuius quoque ſuprà ex Laërtio meminimus. Is nempe celebrem ſententiam ex Epicuro deſcriptam proſequitur hoc diſticho:

Τοῦτο Νεοκλῆος πινυτὸν τέκος ἢ παρὰ Μουσῶν
Ἔκλυεν, ἢ Πυθοῦς ἐξ ἱερῶν τριπόδων,

Hoc Neoclis natum ſapientem dogma Camœna,
Aut Phœbi Tripodes edocuere ſacri.

l. 1. de them. Attexatur ille etiam memoratus Conſtantinus Porphyrogenneta, Imperator eximiè doctus, qui Inſulam Samum deſcribens: *Ex hac*, inquit, *prodierunt viri ſapientia laude inſignes, Pythagoras Samius Mneſarchi filius, & Epicurus Neoclis, & Meliſſus, aliique non pauci* Quod porrò cum Pythagora Epicurus heic copulatur, id in memoriam reuocat, quod habet lib. 8. Laërtius in fine vitæ Pythagoræ, dum Epicurum Philoſophis ex Pythagorâ propagatis, & memoratu dignis accenſet. Nihil verò neceſſe eſt vberiùs Laërtij teſtimonium adiicere, cùm de illo iam ſatis conſtet. Quin-etiam nihil videtur opus corrogare loca ſeu ex Sexto Empirico, ſeu ex cæteris auctoribus Græcis, qui Epicurum non poſtremum inter Philoſophos habent. De Latinis res ſatis conſtat. in lib. de fin. &c. Nam Cicero etiam non modò interdum nobilem Philoſophum dicit, ſed paſſim quoque nobiliſſimis Philoſophorum intermiſcet. Sic Seneca, dum iis reſpondet (vt cætera reticeam) qui obiiciunt Philoſophos aliter vixiſſe, quàm docuerint: lib. de vit. be. cap. 17. *hoc*, inquit, *per maligniſſima capita, & optimo cuique inimiciſſima, Platoni obiectum eſt, obiectum Epicuro obiectum* in Apolog. *Zenoni*. Sic Apuleius, vbi adnumerauit Epicurum Anaxagoræ, Leucippo, Democrito, cæteriſque, vt loquitur, rerum naturæ patronis, ac enumerauit deinde Epimenidem, Orpheum, Pythagoram, Oſtanem, Empedoclem, Socratem, Platonem, ſubiungit: *Gratulor igitur mihi, cùm & ego tot, & tantis viris ad-* Iamb. 18. *numeror*. Prætereo Patres, vt ex Græcis B. Gregorium Nazianzenum, quem antè citauimus: lib. offic. ex Latinis B. Ambroſium, qui docet *Epicuri Hortos tolerabiliores eſſe Lyceo Ariſtotelis*.

Hoc verò addo: Cùm Epicurus, infamis fuiſſet habitus totâ illâ penè ſæculorum ſerie, quâ literæ bonæ ſepultæ iacuerunt; vix tamen libros humaniores, puluere excuſſo, rediiſſe in manus ante duo ferè ſæcula, quàm omnes penè eruditi ſymbolum pro eo con- lib. 8. ep. 7. tulerunt. Accipere vis aliquos? Ecce Franciſcus Philelphus in Epiſtolis: *Quamvis*, inquit, *improbetur Epicurus à multis, video tamen ab illo eam voluptatem maximè omnium laudari, quæ ſit animi, quæ ſapientiam, virtutémque conſequatur*. dnie. In libris autem de Morali diſciplina, *Et ſapientem*, inquit, *Epicurum, &* lib. 3. c. 11. *vita continentiſſima exſtitiſſe conſtat*. Alexander ab Alexandro in diebus genialibus: *Epicurus*, inquit, *ſummus voluptatis aſſertor, victu frugali, & modeſto contentus, aquâ, & polentâ, aut pane hordeaceo victum quæſiuit, contráque paupertatem inuictum animum geſſit; non quòd voluptates auerſaretur; ſed quòd in tenui victu ſe plus voluptatis experiri aiebat; cuius rei argumentum eſt, quòd oleribus, & pomis, ac vilibus cibis, quibus vitam degere conſueuit, libros referſit*. Cælius Rhodiginus in antiquis lectionibus: lib. 13. c. 25. *Cæterùm*, inquit, *quod vtique mirari me plurimùm fateor, ille voluptatis aſſertor Epicurus omneis libros ſuos repleuit oleribus, & pomis, vilibúſque cibis, adſtruit eſſe viuendum*. Raphaël Volaterranus lib. 15. in Anthropologiâ: *Epicurus*, inquit, *ſummum bonum, non vt Ariſtippus in voluptate corporis, ſed in doloris vacuitate ponebat: honeſtam vitam, & tenuem victum diligebat, quod parabilior eſſet, & anxietas animi in parandis lautioribus vitabatur*. Ioannes Franciſcus Picus Mirandulanæ Comes in examine doctrinæ vanitatis lib. 1. c. 2. gentium; *Neque*, inquit, *vt Simplicius ait, voluptate voluptatem venabantur Epicurei: ſed laboribus maximè & continentiâ*. Verùm nunquam finis eſſet, ſi vellem ſuffragia ſimillima colligere, & recentiorum maximè ad vſque Erycium Puteanum, cuius Eulogium de Epicuro inter præfandum allatum eſt, vel potiùs vſque ad teipſum LVILLERI amiciſſime, qui cùm illud Menandri ex me accepiſſes, excepiſti ſtatim fuiſſe Epicurum nomine ſuo digniſſimum (nempe *auxiliatorem* ſonat) ac multò ampliùs illi debere non Atticos modò, ſed & omneis homines ob purgatam amentiam, quàm Phigalenſes Apollini, quem Ἐπικούριον cognominàrunt, templo conſtituto, ob depulſam peſtem.

Enimverò heic tacere non poſſũ duos, aut treis eximios viros, qui ſeu de Sectâ Epicuri, ſeu Apologiam pro Epicuro conſcribere aggreſſi ſunt. Vnus eſt Baptiſta Guarinus Ve- de ſcript. Eccl. ronenſis, quem de Sectâ Epicuri librum ſcripſiſſe Trithemius refert; etſi neque nos viderimus illum: neque Naudæus etiam noſter comperire vſquam, etiam in Italia potuerit. Alius eſt M. Antonius Bonciarius Pa- in ſ. Rh. ... riſienſis Profeſſor, qui in catalogo Operum ſuorum, ſe compoſuiſſe librum teſtatur, cui titulum fecerit, *Epicurus*, ſiue *dialogus de antiquâ Philoſophiâ*, in quo efficacibus argumentis, & doctorum virorum teſtimoniis probatur, *neminem ex priſcis Philoſophis acceſſiſſe propiùs ad veritatem, quàm Epicurum; contra, nullos ab eâ longiùs receſſiſſe, quam Stoicos*. Tametſi iſte quoque liber, nunquam fortaſſis editus, nec nobis eſt viſus, nec amico noſtro, quem vix tamen vlli rariſſimi fugiunt. Tertius eſt Andreas Arnaudus Forcalquerienſis à pag. 215. in hac Prouinciâ Proſeneſcallus, cui in libello, cui nomen *Ioci*, Apologiam pro Epicuro inter cætera edidit, breuem illam quidem, & foliolis paucis; ſed in quâ tamen ea delibantur ex Laërtio præſertim, atque Senecâ, vnde conuincatur, quod vir ille pereruditus initio propoſuit, *fuiſſe Epicurum iniuſtiùs laceſſitum, & laniatum ab obtrectatoribus*. An opponam tandem coronidis vice, quod Poëta Stellatus ante centum annos de in Gem. Epicuro

Epicuro cecinit ex Zodiaco vitæ deſumptum?

Obuius ecce ſenex quidam mihi venit acerno
Innixus baculo, nitidóque indutus amictu:
Cana tenùs medio pendebat pectore barba,
Pulchra cutis lata & facies, varióque coloro
Florea candentois decorabant ſerta capillos.
Cominùs vt dedimus citróque, vltróq; ſalutem,
Quò pergam., quis ſim, quâ dicar nomine, quærit.
Reſpondi, atque eâdem pudibundâ voce rogaui.
At poſtquàm proprium nomen mihi reddidit (ipſe
Namque Epicurus erat) ſtupui, ceu ruſticus, agrum
Qui fodiens reperit latitantem obſcurius arcam.
Atque ego tunc: venerande ſenex, ſic Numina ſemper
Cuncta tuis faueant votis, ſapientia quando
Mira tuis habitat fibris; niſi falſa loquuntur,
(Vt plerumque ſolēt) homines præcepta ſalutis
Da precor; & iuuenem prudentibus inſtrue dictis, &c.

CAPVT VIII.

De exactis Epicureis.

QVOD ad pulſos ex vrbibus Epicureos attinet, neque negaui ſanè vnquam, neque negaturus ſum, quin Spurij ſeu fuerint, ſeu eſſe potuerint, qui deprauato vitæ inſtituto, vnà cum Sectæ dedecore Philoſophiam commaculârint. Verùm iſtud commune fuit Sectarum omnium vitium, vt adulterinos, ac degeneres fœtus educarent, à quibus demùm infamarentur. Athenæus quoque ipſe ſtatim poſt enarratam illam de Diogene hiſtoriam, lib. 5. peiorem aliam recitat fuſiùs de Athenione Peripatetico, vt de cæteris nihil dicam. Scilicet ea eſt humanæ imbecillitatis conditio, vt modum diu ſeruare non poſſit. Quantumcumque enim regiam viam prætendas, ſperandum non eſt, vt vel omnes illam ingrediantur, vel ex ingreſſis nemo deflectat. Ea eſt ſors rerum, vt optima quæque vel multis, vel crebrò diſpliceant. Recenſe vitæ inſtitutum tametſi innocens, & ſanctum, in quod qui fuerint cooptati, omnes exhibuerint ſeſe inſontes, atque impollutos, & Apollo magnus mihi fueris. Atque hoc dico propter illos, qui Epicuri familiæ inſcripti ab exemplo, præceptiſque eius honeſtiſſimis defecerunt. Siquidem negandum aliunde non eſt, quin plurimi, ac ferè omnes veſtigiis ipſius inſtiterint lib. 2. de fin. conſtantiſſimè. *Ac mihi quidem*, inquit Cicero, *quod & ipſe bonus vir fuit, & multi Epicurei fuerunt, & hodie ſunt & amicitiis fideles, & in omni vitâ conſtantes & graues, nec voluptate, ſed officio conſilia moderantes, hoc videtur maior vis honeſtatis, & minor voluptatis* Spectare hùc poſſer, quod eſt ſuprà oſtenſum, Epicureos diutiſſimè floruiſſe in vrbibus, etiam cùm aliorum deficerent Sectæ: ac fuiſſe etiam aliquibus poſitas ſtatuas, &c.

Quòd aliquæ autem ciuitates Epicureos eiecerint, primùm contingere id potuit propter paucorum aliquot vitia; neque enim inſolens eſt, vt pauci delirent, & multi plectantur. Deinde ſeu Meſſenij, ſeu Lyctij, ſeu Romani, ſeu populi alij induci facile potuerint ad abigendum Epicureos; quod perſuaderentur ab aliarum Sectarum profeſſoribus, qui, quòd eſſent populares, ideò voluptatis exagitabant nomen, vt inde calumnias faciliùs, ſpecioſiúſque contexerent. Nihil repeto de Stoïcis, cùm Epicurei omnes vſurpare ſemper potuerint quod Torquatus apud Ci- lib. cit. ceronem: *hic Stoicorum more nos vexat.* Addere ſolùm iuuat quod ipſe Cicero in Epicureorum cauſa habet. Profeſſus enim ſe de ingenio, non de moribus quærere: *Sit iſta*, inquit, ibid. *in Græcorum leuitate peruerſitas, qui maledictis inſectantur eos, à quibus de veritate diſſentiunt.* Poſtremùm verò, quod caput eſt, non Epicurei modò, ſed & alij Philoſophi vrbibus ſæpè expulſi ſunt. Notum vt omneis Antiochus è ſuis Prouinciis, Lyſimachus è ſuo regno, Athenienſes ex Atticâ publicis edictis, decretiſque excedere, exularéque iuſſerint, vti Athenæus, & Laërtius habent. Meminit etiam lib. 12. & 13. Xenophon latæ à Critia legis aduersùs Phi- lib. 5. in Theophr. loſophos, & Tertullianus eiectam confirmat lib. 1. memorab. Philoſophiam à Thebanis, Spartiatis, Argiuis. in Apolog. cap. 7. Alia vt reticeam, ac ne memorem quid Cato Cenſorius agendum cenſuerit occaſione legationis Carneadis aliorúmque Philoſophorum à Plutarcho expoſitum, ſufficere poteſt in Cat. ma. Senatuſconſultum per ea tempora Romæ factum, nempe C. Fannio Strabone, & M. Valerio Meſſalâ coss. (hoc eſt anno ante Chriſtum CLX.) quod refertur ab A. Gellio in noctibus lib. 15. c. 11. Atticis. Addit autem Agellius, recitato etiam alio de coërcendis Rhetoribus: *Neque illis ſolùm temporibus nimis rudibus, necdum Græcâ doctrinâ expolitis Philoſophi ex vrbe Româ pulſi ſunt: verùm etiam, Domitiano imperante, Senatuſconſulto eiecti, atque vrbe, & Italiâ interdicti ſunt: quâ tempeſtate Epictetus quoque Philoſophus propter id Senatuſconſultum Nicopolim Româ deceſſit.* Ex quo licet intelligi non poſſe Epicureos infameis haberi, quòd expulſi fuerint, niſi infames etiam habeantur Philoſophi cæteri, ac nominatim Epictetus, cuius virtus adeò emicuit. Ac ne obiicias Epicureis eiiciendis additam cauſam, quòd Magiſtri eſſent voluptatum, & adoleſcentum corrumperent mores; ecce aliis quoque Sectis prætextus quæſitus, notatúſque eſt. Nam, ex Sex- lib. 2. ad. Math. to Empirico, Socraticæ obiectum eſt, quòd floccifaceret diuina: & Cato cenſuit ablegandos ex vrbe Philoſophos, quò ipſi ad literarios ludos regreſſi apud Græcorum filios diſſererent; Romana autem pubes conferret ſe, vt antè, ad obtemperandum legibus, & Magiſtratibus. Quæ, & plura de odio Catonis aduersùs Philoſophos, ac nominatim in Socratem, videre licet apud Plutarchum. loc. cit.

LIBER OCTAVVS, DE OBIECTO EPICVRO ODIO LIBERALIVM DISCIPLINARVM.

CAPVT PRIMVM.

Obÿcitur quòd Diſciplinas vniuersè oderit.

LIBRVM tandem hunc circa mores Epicuri attexımus, quod diſciplinas odiſſe, vt Epicuro obiicitur, maxima labes morum videatur. Adde quòd eius Philoſophiam explicaturis poſtmodùm, operæ-pretium videbitur præmiſiſſe peritus-ne, an imperitus fuerit Liberaliũ Diſciplinarum, quas antiqui ſoliti fuerunt à Philoſophia ſeiungere; niſi quòd Ariſtoteles Mathematicas Philoſophiæ ſpeculatiuæ partem fecit. Mitto eaſdem eſſe, quas arteis ingenuas, & bonas literas appellant, quaſque qui callent, tum eruditi, tum Encyclopædiam perfeciſſe dicuntur. Arguitur ergo Epicurus, quòd aduersùs illas tum in genere, tum in ſpecie peccauerit. Ac generaliter quidem, duplici ex capite. Primùm, quòd ipſe auerſatus Diſciplinas fuerit. Teſtatur id verò Sextus Empiricus, causâ additâ, *quòd exiſtimaret illas ad Sapientiam nihil pertinere; quod hic eſſet illi prætextus inſcitiæ; quòd male affectus foret aduersùs Platonem, Ariſtotelem, & alios Diſciplinarum peritiſſimos; quòd denique inimicitias ageret cum Nauſiphane, qui & diſciplinarum erat admodùm ſtudioſus, & propterea multos habebat adoleſcenteis apud ſe.* Confirmatur, & ex Quintiliano, qui manifeſtis verbis ſcribit *fugiſſe Epicurum omneis Diſciplinas*; & ex Cicerone addente, *quòd propterea nihil oleret ex Academia, nihil ex Lyceo, nihil ne è puerilibus quidem Diſciplinis*; & ex B. Hieronymo, cuius hæc ſunt verba: *Exceptis his, qui cum Epicuro literas non didicerunt.* Deinde, quòd alios etiam ab eiſdem Diſciplinis absterruerit, ecce enim apud Laërtium citatur ad Pythoclen Epiſtola, in qua ſcripſerit, παιδείαν δὲ πᾶσαν μακάριε φεῦγε, *Diſciplinam omnem, ô beate, deuita.* Commemoratur idem à Plutarcho, Athenæo, & aliis. Addit verò Plutarchus: *Pythoclen omnes & viri, & fœminæ* (ex Epicuri intellige Secta) *per Epicurum orant, obſecrántque vt Diſciplinam non affectet quæ liberalis dicitur. De Apelle verò quodam mirabundi, & amplexabundi ſcribunt, quòd iam ab initio à Diſciplinis abſtinens, purum ſe conſeruauerit.* Hæc Plutarchus. Athenæus autem: *Epicurum*, inquit, *memoremus, qui non initiatus circulo diſciplinarum, beatos prædicauit illos, qui eodem modo, quo ipſe, ad Philoſophiam accederent, eiuſmodi voces effundens: Fortunatum propterea te, quòd ab omni purus Diſciplinâ* (παιδείας enim, non αἰτίας videtur eſſe legendum) *ad Philoſophiam te conferas?* vnde & Timon de ipſo ait:

Edoctus minimùm viuentum, Ludi magiſter.

(Scilicet ἀναγωγότατος appoſitè magis in verſibus illis Timonianis *edoctus minimùm*, ſeu *ineruditiſſimus* vertitur, quàm *intemperantiſſimus*, vt aliqui ſeu Laërtium, ſeu Illuſtrium interpretantes, acceperunt.) Ad Ciceronem attendamus: *Hæc Epicuri*, inquit, *non probo: de cætero vellem equidem aut ipſe doctrinis fuiſſet inſtructior* (*eſt enim, quod ita videri neceſſe eſt, non ſatis politus iis artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur*) *aut ne deterruiſſet alios à ſtudiis.* De Sectatoribus conſequenter; *Qui fit*, inquit, *vt ego neſciam, ſciant omnes quicumque Epicurei eſſe voluerunt, quod videri quidem vel optimè diſputant, nihil opus eſſe eum, qui Philoſophus futurus ſit, ſcire literas?*

lib. 5. Metaph. c. 1.
lib. 1. adu. Ma.
lib. 2. inſt. c. 18.
lib. 3. de nat. Deor.
ad Magn.
lib. 10.
l. 2. adu. Col.
lib. 13. deipn.
lib. 2. de fin.
lib. 2. de fin.

CAPVT II.

Itémque ſpeciatim, quòd Grammaticam, Poëticam, &c.

SPECIALITER porrò de Grammatica, lapſus Epicuro circa ſermonem obiecti, videntur omnino rem conficere. *Si loquendi vim*, inquit Cicero, *ſi conſuetudinem verborum tenuiſſet, nunquam in tantas ſalebras incidiſſet.* Et rurſùs: *In hac expoſita ſententia*, inquit *ſunt qui exiſtiment, quod Epicurus inſcitiâ planè loquendi fecerit, feciſſe conſultò. De homine minimè vafro malè exiſtimant.* Hinc legimus apud Laërtium Epicurum multa circa ſermonem ignorauiſſe. Et, *Epicurus*, inquit Empiricus, *conuincitur eſſe in multis indoctus, neque purè*

lib. 2. de fin.
lib. 1 de nat. Deor.
lib. 10.
l. 1. adu Ma.

etiam loquens in communi conſuetudine. Iam lib.1.c.1. Cleomedes, poſtquàm hæc propoſuit ex Epicuro corrupta, σαρκὸς εὐσταθῆ καταστήματα, καὶ τὰ περὶ ταύτης πιστὰ ἐλπίσματα, *conſtanteis carnis habitus, certáſque de ipſis ſpes*; (notantur etiam voces εὐσταθὲς, καὶ ἔλπισμα à Clemente Alexan- lib.6.Strom. drino) λίπασμα ὀφθαλμῶν, *oculorum pinguedinem* (lacrymam videlicet) ἱερὰ ἀνακραυγάσματα, *ſacras vociferationes*; γαργαλισμοὶ σώματος, *titillationes corporis*; λαικάσματα, *blandimenta*; tum ſubdit, *alias quoque eſſe eius voces prauas, atque infelices, quarum aliquas quiſpiam dicat*, inquit, *ex lupanaribus eſſe, quaſdam ſimiles iis, quæ proferuntur à mulierculis Cerealia celebrantibus; nonnullas ex media proſeucha, & eorum, qui in ipſa* (legendum enim eſſe videtur αὐτῇ, non αὐτῆς) *deprecantur, Iudaïcas veluti, & adulterinas, ac humi repentibus multo humiliores.* His de audit. affine eſt, quod habet Plutarchus; nam, putidus, inquit, Epicurus eſt, cùm de amicorum epiſtolis loquens, προσθορύβους γίνεσθαι παρ᾽ αὐτῶν *tumultus applauſuum excitari ab ipſis* dicit. l.1.adu.Col. Omitto, quòd idem Plutarchus impatienter ferat Platonem ab Epicureis poſtulari reum confuſionis verborum; *ſcilicet à viris, qui Græco ſermone vtantur adeò accuratè?* ac illis etiam deinde obiiciat, *quod voces tollant funditùs*, cæteráque ſimilia.

Attexere iuuat contemptum, negligen- in alleg. hom. tiámque Poëtices. Quippe Heraclides Ponticus, *Epicurum*, inquit, *nihil moramur, qui (vt voluptatis obſcœna ſuis in hortis cultor eſt) vniuerſam ſimul Poëticen repudiat, tanquam perniciosum fabularum ineſcamentum* ὥσπερ ὀλέθριον μύθων δέλεαρ (ex Heraclide ſcilicet qua- lib.7.c.1. tuor hæc verba Rhodiginus ſumpſit.) Hinc l.2.adu.Col. Plutarchus, *Heraclides Grammaticus*, inquit, *hanc rependit gratiam deliciis Homericis, cùm ſit ex turba Poëtica, vt illi quidem appellant, ſeu etiam ex eo commotus, quòd Metrodorus tot ſuis in ſcriptis aduerſus Poëtam conuitia effude-* quo aud.po. *rit.* Et rurſùs, *an*, inquit, *aureis adoleſcentum, veluti Ithacenſium ſolidâ quâdam cerâ obturantes, cogemus ipſos, vt arrepta Epicuri lintre Poëſin fugiant, ac præteruehantur?* Quò verò quiſpiam minùs admiretur Epicurum à differt.29. Maximo Tyrio in Poëtis non haberi, audia- lib.1.de fin. tur illa apud Ciceronem Torquati excuſatio; declarat enim vt Epicurus ne Poëtas quidem legere voluerit. *An ille*, inquit, *tempus in Poëtis euoluendis conſumeret, in quibus nulla ſolida vtilitas, omniſque puerilis eſt delectatio?* Cui ſanè ſententiæ accedit quòd Plu- l.2.adu.Col. tarchus habet, cùm expoſitâ voluptate, quæ ex Poëtarum lectione percipitur, *eius*, inquit, *Epicurei neque ſiunt, neque profitentur, neque volunt etiam participes fieri.* Cæterùm ibid. eadem habet Plutarchus circa notitiam hiſtoriæ. *Et de hiſtoria*, inquit, *vt alia omittam, opponam ſolùm Metrodori verba, cùm in opere de Poëtis ſic ſcribit, proinde ignorare te dicens ab vtra parte fuerit Hector; aut qui primi verſus habeantur in Poëſi Homeri, & rurſus qui in medio ſint, minimè expaueas.* Patem omitto varietatis linguarum ignorantiam; inde lib.5.Tuſc. enim, M Tullius, *Epicurei noſtri*, inquit, *Græcè ferè neſciunt, nec Græci Latinè.* Vno verbo docet Plutarchus, vt Epicurus noluerit *ſapientem ſuum occupari* τοῖς φιλολόγοις κριτικῶν ζητήμασι, *eruditis illis cenſorum literatorum quæſtionibus.*

CAPVT III.

Quòd Rhetoricam.

De Rhetorica idem propè eſt, quod de Grammatica dicendum. Imprimis enim illa vocum germanarum ignorantia, ſermoniſque impuritas aduerſatur delectui, & concinnitati, quæ magna laus Rhetoricæ eſt. Ea certè de cauſa videtur Epicurum re- lib. de coll. verb. probaſſe Dionyſius Halicarnaſſeus, quòd verborum collocationem, ac temperamenta videretur negligere, *perinde ac ſi ſcribere minimè foret res laborioſa* ἐν ἐπιπόνῳ τοῦ γράφειν ὄντος. Itémque Theon Sophiſta, quòd Epicu- progymn. rus inter ſcribendum nimis affectaret menſuras illas, ac rythmos Hegeſiæ, Aſianorúmque Rhetorum; vt cùm ſcribens ad Idomeneum, dixit, ὦ, πάντα τὰ μὲν κινήματα ἐρασμιὰ νομίσας ἐκ νέου, *ô qui delectabiles, duxeris à puero, motiones omneis.* Deinde, cùm Nauſiphanen Epicurus fuerit inſectatus inter cætera, quòd ille Rhetorices foret ſtudioſiſſimus, quemadmodum Empiricus docet; cùm lib.2.adu. Ma. apud Ammianum Marcellinum Rhetoricam lib 30. pag.377. κακοτεχνίαν nominans *inter arteis numeret malas*; cùm in ſuo illo de Rhetorica libro, veluti ex Hermogenis Scholiaſte intelligitur, ſcripſerit *ſolam eſſe naturam, quæ orationem rectè inſtituat, artem verò nullatenùs*, φύσις γάρ ἐστιν ἡ κατορθοῦσα λόγους, τέχνη δὲ οὐδεμία: cenſuit prætereà apud Laërtium, ſuum il- lib.10. lum ſapientem οὐ ῥητορεύσειν καλῶς, *non curaturum, vt ornatè dicat*; quare & minùs mirum eſt, quod Cicero habet, cùm de Epicu- lib. 3. de orat. ri Philoſophia loquens, *abeſt*, inquit, *ab eo viro, quem quærimus, & quem auctorem publici conſilij, & regendæ ciuitatis ducem, & ſententiæ, atque eloquentiæ principem in Senatu, in populo, in cauſis publicis eſſe volumus.* Quin- lib.12.c.2. tilianus etiam, *alia*, inquit, *mihi quæſtio exoritur, quæ Secta conferre plurimùm eloquentiæ poſſit; quanquam ea non inter multas poſſit eſſe contentio. Nam Epicurus imprimis nos à ſe ipſe dimittit, qui fugere omnem diſciplinam nauigatione quam velociſſimâ iubet.* Vt ſpecimen porrò habeas non ſeruati apud Epicurum decori, ſeligi poteſt Conuiuium, in quo quid ille peccauerit, ab Athenæo eſt adno- lib.5.deipn. tatum. Itaque poſtquàm is Xenophontem, Platonémque commendauit, quòd Homerum imitati, conuiuij cauſam initio expoſuerint, & qui adeſſent, nominâtint, ſubiicit, *Epicurus verò nec locum, nec tempus definit, neque quicquam proloquitur. Quocirca diuinandum eſt, quo pacto interdum conuiua tenens poculum ex inſperatò quæſtiones proponat, tanquam in Schola orationem habens: quod quidem Ariſtoteles dicit aduenire quempiam in conuiuium illotum, ſordidum, oppletum.* Et rurſùs de non ſeruato perſonarum decoro, *Epicurus*, inquit, *conuiuas omneis Atomorum*

explanatores inducit. Ac ſtatim pòſt, de ordine, *Epicurus*, inquit, *rurſus in conuiuio quærit de cruditate, vt ſit augurandum, deincépſque de febribus.* Pergit, *quid attinet verò dictionis in-* lib 1. de nat. Deor. *concinnitatem referre?* Hæc Athenæus. Accedat Cotta Ciceronianus, qui vt Epicurum maximè notaret, poſtquàm illum dixit *hominem non aptiſſimum ad iocandum, & nationem Epicureorum, cui minùs notum ſit quomodo quidque dicatur, carere ſale illo ad irridendum,* ſubdit, Velleium alloquens, *nec vero hoc in te vno conuenit, moribus domeſticis, ac noſtrorum hominum vrbanitate limatum; ſed cùm in reliquos veſtros, tum in eum maximè, qui iſta peperit, hominem ſine arte, ſine literis, inſultantem in omneis, ſine acumine vllo, ſine autho-* lib. 2. Tuſc. *ritate, ſine lepôre.* Exindè eſt, cur Cicero Epicuri, ac Metrodori libros cum quibuſdam comparet, *quos neque diſtinctè, neque eleganter, neque ornatè ſcriptos latinè commemorât,* adiiciens, *lectionem ſine vlla delectatione ſe negligere.* Quò ſpectat illud Torquati Ciceronem alluquentis *exiſtimo*, inquit, *te ſicut noſtrum Triarium, minùs ab Epicuro delectari, quòd iſta Platonis, Ariſtotelis, Theophraſti ornamenta neglexerit.* Augere porrò quod Torquatus dicit, videtur Agellius, dum Epicurum veluti excuſans aduerſus Plutarchum illius phraſin reprehendentem, *has enim curas vocum*, inquit, *verborúmque elegantias non modò non ſectatur Epicurus, ſed etiam inſectatur.*

CAPVT IV.

Quòd Dialecticam.

SEQVITVR Dialectica, quam Epicurum damnauiſſe ita videtur in confeſſo, vt lib. 1. de fin. Torquatus etiam ille de eo dixerit, *in Dialectica nullam vim exiſtimauit eſſe nec ad meliùs viuendum, nec ad commodiùs differendum.* Et lib. 10. Laërtius loquens de Epicureis, *Dialecticam*, inquit, *vt ſupernacaneam, repudiant.* Hinc videas Epicurum paſſim à Cicerone reprehendi *quòd definire, quòd partiri, quòd colligere neque ſciat, neque doceat, ac proinde in ſalebras innumeras incidat.* Sed vnus tamen locus eſt in libris de finibus, in quo rem totam loc. cit. conficit paucis *in illa*, inquit, *Philoſophia parte, quæ eſt quærendi, ac differendi, quæ λογικὴ dicitur, iſte veſter planè, vt mihi quidem videtur, inermis, ac nudus eſt. Tollit definitiones, nihil de diuidendo, ac partiendo docet; non quomodo efficiatur, concludatúrque ratio, tradit, non quà vi, captioſa ſoluantur, ambigua diſtinguantur, oſtendit: iudicia rerum in ſenſibus ponit, quibus ſi ſemel aliquid falſi pro vero probatum ſit, ſublatum eſſe omne iudicium veri, & falſi putat.* ibid. Et rursùs, *dum Dialecticam*, inquit, *contemnit Epicurus quæ vna continet omnem & perſpiciendi quid in quaque re ſit, ſcientiam, & iudicandi quale quidque ſit, ac ratione, & via diſputandi, ruit in dicendo, vt mihi quidem videtur, nec ea, quæ docere vult, vlla arte diſtinguit.* lib. 2. de fin. En proinde vt Cicero Epicurum variè deſpiciat, *omittamus hunc nihil prorsùs dicentem. ab hoc credulo, qui nunquam ſenſus mentiri* lib. 4. Acad. *putat, diſcedamus.* Et, *huic non multum differenti à iudicio ferarum obliuiſci licebis ſui.* lib. 5 Tuſc. Et, lib. 3. Tuſc. *quam ſibi conſtanter, conuenientérque dicat, non* l. 1. de nat. Deor. *laborat.* Et, *quid dixit, quod non modò Philoſophiâ dignum eſſet, ſed mediocri etiam prudentiâ*, &c. Eodem ſenſu Themiſtius, in lib. 5. phyſ. text. 8. *neque hoc loco*, inquit, *ſapientiſſimum ſcilicet Epicurum depudet operire ſalebram ſalebrâ.* Cætera omitto, ac nominatim quod Plutarchus apud lib. 2. c. 8. Agellium dicit *Epicurum imperfectè, præpoſterè, inſcitè ſyllogiſmo vſum*, cùm ita eſt argumentatus, *Mors ad nos nihil pertinet, quod enim diſſolutum eſt, id eſt ſine ſenſu; quod autem ſine ſenſu eſt, id nihil omninò ad nos pertinet,* atque id genus alia, quæ ſuis infrà locis referentur commodiùs.

CAPVT V.

Quòd Arteis Mathematicas.

DE Mathematicis denique audienda eſt ingenua Torquati eiuſdem confeſſio. Ille enim Epicurum excuſare pergens, lib. 1. de fin. *an ſe*, inquit, *vt Plato, in Muſicis, Geometria, Numeris, Aſtris conficeret, quæ & à falſis initiis profecta vera eſſe non poſſunt, &, ſi eſſent, vera, nihil afferrent, quo iucundiùs, id eſt meliùs viueretur.* Hinc Cicero, poſtquàm inter cætera reprehendit Epicurum, *quòd aliquid eſſe minimum crediderit*, ſubdit, ibid. *quod profectò nunquam putauiſſet, ſi à Polyæno familiari ſuo Geometriam diſcere maluiſſet, quàm illam ipſum dedocere.* lib. 4. Acad. Et alibi, *quid*, inquit, *Polyænus, qui magnus Mathematicus fuiſſe dicitur? Is, poſtquam Epicuro aſſentiens totam Geometriam eſſe falſam credidit, num illa etiam*, &c. Verùm ecce locum valde luculentum ex Balbo lib. 2. de nat. Deor. illo Ciceroniano, *ſed ſi hæc*, inquit, *non videtis* (intelligit perfectionem circuli, & ſphæræ) *quia nunquam eruditum illum puluerem attigiſtis, an ne hoc quidem Phyſici intelligere potuiſtis hanc æqualitatem motus, conſtantiámque ordinum in alia figurâ, non potuiſſe ſeruari?* Et ſtatim pòſt, *quæ, ſi bis bina quot eſſent, didiciſſet Epicurus, certè non diceret: ſed dum palato quid ſit optimum iudicat, Cœli palatum, vt ait Ennius, non ſuſpexit.* Non addo, quod habet D. Augu- lib de ver. cred. c. 4. ſtinus his verbis, *quis Geometricas literas legere magiſtro Epicuro, aut diſcere voluit? contra quas ille multùm pertinaciter, nihil earum, quantum arbitror, intelligens differebat.* lib. 2. c. 1. Prætereo quod Cleomedes docet, *Epicurum nec Aſtrologiæ, nec vllius partis Philoſophiæ fuiſſe peritum*, cæteráque ſimilia. Id l. 2. adu. Col. ſolum noto, quod Plutarchus habet, dum poſtquàm recenſuit quas voluptates Pythagoras, Archimedes, Eudoxus, alij percepiſſent ex ſtudio Geometriæ, Arithmeticæ, Aſtrologiæ, ſubiicit, *has tot, tantáſque voluptates, veluti perenni è fonte*

manantes

mananteis Epicurei cùm deuitent, atque auerſentur, non patiuntur illas eos deguſtare, qui ſe ad ipſos contulerint; ſed mandant, vt citatis lembis eas fugiant. Quod ad Muſicam attinet, addit Plutarchus *Epicurum, dum illam declinat priuare ſeſe voluptatum, & gratiarum ſegete*; reprehenditque inter cætera, *quod ne inter pocula quidem velit ſapientem ſe exercere quæſtionibus Muſicis ac Regibus etiam perſuadeat, vt in ſuis conuiuiis quaſlibet potiùs ſcurrilitates, quàm Muſicas, Poeticáſque diſquiſitiones tolerent.* ibid.

CAPVT VI.

Reſpondetur ad obiecta de Diſciplinis vniuersè.

HACTENVS recitauimus quæ Epicuro obiiciuntur circa odium, contemptúmque diſciplinarum. Nunc, vt videamus quid reſponderi generaliter primùm debeat, conſiderãnda duo ſunt. Vnum eſt, cùm artes omnes, ac diſciplinæ ſint excogitatæ vtilitatis alicuius gratiâ, irrepſiſſe tamen in omneis ſtudia plurima inutilia. Id obſeruatu facile eſt in artificiis domorum, veſtium, cæteriſque Mechanicis, quæ neceſſitas aliqua cùm peperit, dictu mirum, quàm ſuperfluus deinde luxus occupârit: verùm idem quoque obſeruare licet in liberalibus diſciplinis, quarum cùm vſus eſſe debeat ſimpliciſſimus, ſtupendum, quantâ intricentur farragine rerum minimè neceſſariarum. Ipſa etiam Philoſophia, quâ nihil eſſe debuit purius, ita conſpurcata eſt, vt nihil iam aliud eſſe videatur, quàm Sophiſtices officina. Sed ita nimirùm euenire ſolet. Nihil eſt adeò laudabile, quod attrectatum manibus impuris, non illicò commaculetur. Ea eſt conditio rerum humanarum, vt conſiſtere in ſummo non poſſint, neque perfectionem priùs aſſequantur, quàm degenerare incipiant. Itaque in diſciplinis etiam liberalibus diſtinguenda ſunt aliqua vtilia, & multa quoque (provt vulgò poſſidentur) ſuperflua. Alterum eſt, Epicurum, cùm Sapientiam illam deſcribere voluerit, quæ pareret felicitatem, idcircò iudicium tuliſſe de ſcientiis, & artibus, quantum ſcilicet illas aut valere, aut parùm conducere, ad Sapientiam arbitraretur. Cenſuit porrò maximè omnium conferre Phyſiologiam; quod ſcilicet ex rerum naturâ, conditionéque perſpectâ, eliceretur quis eſſet vitæ conſtituendus finis; quatenus hiſce, aut illis rebus conſequendis inſudandum foret; & quomodo multa, quæ nos, propter imperitiam terrent, vbi perſpecta fuerint, animi pariant tranquillitatem. Quod attineret ad cæteras, vt Grammaticam, Rhetoricam, alias, parùm illas habere virium ad Sapientiam, ac felicitatem conſequendam opinatus eſt. Quare & retinendum quidem quod in ipſis foret non inutile, cenſuit; verùm in iis terere tempus, quæ & vana ſint, & mentem excutient, abſurdum eſſe iudicauit.

At Epicurus quidem ita ſenſit, vt ſingillatim demonſtrabimus; hócque ipſum eſt, quod Torquatus innuit, cùm à Cicerone loquens ſic inducitur: *Quòd Epicurus parùm tibi videtur eruditus, ea cauſa eſt, quòd nullam eruditionem eſſe duxit, niſi quæ beatæ vitæ diſciplinam iuuaret.* Et paucis interpoſitis: *Non ergo Epicurus ineruditus, ſed ij indocti, qui quæ pueros didiciſſe turpe eſt, ea putent vſque ad ſenectutem eſſe diſcenda.* Credas Senecam ad hoc reſpexiſſe, cuius verba ſunt: *Quid quòd iſta liberalium artium conſectatio moleſtos, verboſos, intempeſtiuos, ſibi placenteis facit, & ideo non diſcenteis neceſſaria, quia ſuperuacanea didicerunt. Quatuor millia librorum Didymus Grammaticus ſcripſit: miſer, ſi tam multa ſuperuacua legiſſet. In his libris de Patria Homeri quæritur, in his, de Ænea matre verâ: in his, libidinoſior Anacreon, an ebrioſior vixerit: in his, an Sappho publica fuerit, & alia, quæ erant dediſcenda, ſi ſcires.* Hæc Seneca, qui & ſuperiùs: *De liberalibus*, inquit, *ſtudiis quid ſentiam, ſcire deſideras? Nullum ſuſpicio, nullum in bonis numero, quod ad æs exit. Meritoria artificia ſunt; hactenus vtilia, ſi præparant ingenium, non detinent. Tandiu enim iſtis immorandum eſt, quandiu nihil animus agere maius poteſt. Rudimenta ſunt noſtra, non opera. Quare liberalia ſtudia dicta ſint, vides quia homine libero digna ſunt: cæterùm vnum ſtudium verè liberale eſt, quod liberum facit. Hoc Sapientiæ ſtudium, ſublime, forte, magnanimum: cætera puſilla, & puerilia ſunt.* Et infrà: *Tantùm itaque ex illis retineamus, quantum eſt neceſſarium.* lib.1. de fin. Epiſt.88.

Sed ad Epicurum vt redeam, vt ille in cæteris fuit variis calumniis obnoxius; ita ex eo, quòd ſuperuacua ex diſciplinis reſcindi voluit, arrepta eſt occaſio euulgandi quòd diſciplinas oderit, contempſerit, diſſuaſerit, inſectatus fuerit. Celeberrimum præ cæteris fuit deſumptum illud ex Laërtio παιδείαν δὲ, &c. ex ipſo enim cæteræ videntur excitatæ tragœdiæ. Cùm ille porrò locus fuerit ex ſuppoſititiis, vt Laërtius indicat; quid putas, dicendum erit ad Athenæum, Plutarchum, & alios, qui amplificationes ſuas vel ex eo loco ſumpſerunt, vel ex aliis eiuſdem farinæ (ſpuriis puta) operibus? Nam quod attinet ad Empiricum, ille dubitanter, & ex coniecturis loquitur; cúmque aliàs Epicurum non ſine elogio ſæpè memoret, declarat etiam, vt non diſciplinas abſolutè damnauerit. Addo verò tantùm abeſſe, vt Epicurus cenſuerit minimè poſſe diſciplinas cum Phyſiologiæ atque adeò cum Sapientiæ ſtudio cohærere, vt Epitomas potiùs in eorum gratiam ſcripſerit, quibus altiùs in ſtudia diſciplinarum demerſis non vacaret grandiora quædam volumina peruoluere. Illud habes in præfatione illius Epitomes, quæ ad ipſummet Pythoclem ſcripta exſtat apud Laërtium. Etenim dicit ea, quæ in ipſa, ſimilibúſque aliis traduntur, profutura eſſe, *cum aliis quidem multis*, καὶ τοῖς εἰς ἀσχολίας βαθυτέρας τῶν ἐγκυκλίων τινὸς ἐμπεπλεγμένοις, *tum iis etiam, qui profundiore ſtudio alicuius artium* lib.10. lib.10.

artium liberalium ſunt occupati. Quàm-multùm proinde abfuit Epicurus, vt diſciplinas auerſaretur, quàntum Cynici, Stoïci, & alij, quos præſertim Laërtius notat? Veniamus ad ſpecialia. lib.6.7.&c.

CAPVT VII.

Adobiecta de Grammatica.

QVoo ſpectat ad Grammaticam, audiendus ſolùm eſt Empiricus; is enim ita diſſerit: *Cùm ſit duplex Grammatica, alia quidem, quæ profitetur ſe tradituram Elementa illorúmque connexiones, & quæ, vt paucis dicam, ſcribendi, ac legendi ars quædam eſt; alia autem, præter hanc, facultas profundior, quæ non in nuda literarum cognitione ſita eſt, ſed in examinanda etiam earum inuentione, ac naturâ, & præterea in orationis partibus, quæ ex iis conſtant, &, ſi quid huiuſcemodi conſideratur: dicere iam contra priorem inſtitutum nobis non eſt; in hoc enim conueniunt omnes, quòd ea ſit vtilis; inter quos eſt etiam adnumerandus Epicurus; tametſi videtur inimicus eorum, qui profitentur diſciplinas.* Pergit Empiricus de Epicuro loquens: *In libro certè de donis, & gratia docere abundè conatur, ὅτι ἀναγκαῖον ἐστὶ τοῖς σοφοῖς μανθάνειν γράμματα, quòd ſapientibus neceſſarium ſit addiſcere literas.* Duo heic vides: vnum, Epicurum non reprobaſſe omnem Grammaticam; alterum, noo diſſuaſiſſe, imò perſuaſiſſe Grammatices eruditionem. Dices, at negari non poteſt, quin vtile admodum ſit nôſſe varietatem partium orationis, vt cognoſcatur, quæ textura in dictionibus copulandis adhibenda ſit; itémque vocalium, & ſyllabarum quantitatem, ne ignoretur quâ ratione dictio quælibet pronunciari debeat, & ſi quæ ſunt huiuſmodi. Verùm, cùm iſtud illos attineat, qui & ſcientias edocentur, & iiobui ſtudent linguis peregrinis: apud illos tamen qui linguâ patriâ & erudiuntur, & loquuntur, quemadmodum fiebat in Græciâ, Epicuri temporibus, res profectò eſt minùs neceſſaria. Quia enim ferè ſugimus cum lacte, atque edocemur tum phraſeis, tum accentus vocum; immorari certè deinde in iis ediſcendis, vel obſeruitandis, quæ per ſe habentur, & cognita ſunt, id poteſt quidem ornamento ipſis eſſe Philologis: at perſcrutantibus res ipſas adiumento ſanè ooo magno. Et neceſſarium quidem eſt, vt præter vocum ſignificatus, ac loquendi normas, quarum lex penès vſum eſt, nouerimus & legere, quæ cæteri ſcriptis conſignaot; & ſcribere quæ viua voce mandare aliis non poſſumus, quæ vtraque eſt germana Grammaticæ functio; ſed quidpiam ampliùs vel profiteri, vel exquirere, aut alterius eſt facultatis, aut hominum certè otio abundantium. Heinc Epicurus, cùm præter voces, & vocum ſignificationes apud vulgus notas, deprehenderet nonnullas vſui eſſe Philoſophis ſolis, aliiſque artificibus; idcircò ad illos accedendum cenſuit, docendus & ſpecialium vocum, & rerum ipſarum notitiam; cùm ſufficeret didiciſſe priùs à Ludi-magiſtro, & legere, & ſcribere voces, quas Philoſophi, cæteríque & loquerentur, & ſcriberent. Porrò cùm Philoſophiam calluit, vt, quantum poſſet, ſtudioſorum laboribus conſuleret, dictione vſus eſt propriâ, atque familiari, & quam-maximè licuit res abſtruſiores accommodauit vulgaribus vocibus, ſeu vulgareis potiùs voces ipſis rebus. Prupterea enim Grammaticus Ariſtophanes dictionem eius reprehendit, adnotante Laërtio, ὅτι ἰδιωτάτη ἐστίν, *quòd maximè propria, ſeu familiariſſima eſſet.* Quaſi verò vitioſum ſit ita loqui, vt te omnes facilè intelligant, & quæ cæteri enunciaot obſcuriùs, explicare apertiùs? Quod ſanè fit, cùm à communi conſuetudine non abhorret oratio. Vtcumque ſit captata hæc Epicuro facilitas, & Stoicis, & aliis anſam præbuit cauillandi, *quòd verborum vim non teneret, quòd impuras voces vſurparet, quòd tolleret funditùs voces,* cæteráque ſimilia. Ita nimirùm fieri ſolet, vt cùm Sophiſtæ voces illuſtreis notionibus ſuis barbaris deturpauerint, barbariei accuſent illos, qui nitorem ipſis ſuom, ac germanum vſum reſtituere adnituntur. Vſu-venire etiam videmus, vt qui myſteria quædam magna occultata videri voluot ſub ampullaris, aot à vulgo inauditis vocibus, inclament illos, tanquam profanos, atque barbaros, qui dictione ſimplici, vulgarique eadem explicent, & Apinas eſſe, Tricáſque oſtendant. Id declarabitur præſertim, cùm de Virtute diſputabitur. Dico interea voces à Cleomede, & Plutarcho obiectas, deſumptas videri ex epiſtolis, libríſque aliis ſuppoſititiis, vt apparebit maximè ex diſputandis de Voluptate, cùm intereà ſufficiat exaggeratos κροτοθορύβους haberi in ſpuria illa ad Leontium epiſtolâ ſuperiore libro citatâ. Addo concedi aliunde poſſe Epicurum fortè effinxiſſe, aut vſurpauiſſe voces aliquas, quæ in vſu quidem admodùm crebro oon eſſent, ſed quæ tamen fierent perſpicuæ, & cum energia quadam, quod luberet, ſignificarent, v.c. τὸ εὐςαθὲς, τὸ ἔλπισμα, &c. hoc autem, vt perſpicuum eſt, & ſemper licuit, & ſemper licebit. loc.cit.

Illud Plutarchi inſinuat quidem non fuiſſe Epicureos adeò eleganter, ac Platonem loquutos; at non probat tamen quin ſaltem loquuti clarè fuerint, ac iure ambages, fabuláſque etiam in Platone improbauerint, vt circa Coloten eſt antè notatum.

Quod legitur verò apud eumdem Plutarchum in Coloteo dum diſputat, *tollere Epicureos voces funditùs,* facit admoneam obiter & mendosè legi eum locum, & ſenſum verborum fugiſſe Interpretes. Locus ſic vulgò legitur, τίνες μᾶλλον ὑμῶν πλημμελοῦσι περὶ τὴν διάλεκτον; οἱ τὸ λεκτῶν γένος οὐσίαν τῷ λόγῳ παρέχοντες, ἄρδην ἀναιροῦντες τὰς φωνὰς, καὶ τὰ τυγχάνοντα μόνον ἀπολείποντες, τὰ δὲ μεταξὺ σημαινόμενα πράγματα, δι' ὧν γίνονται μαθήσεις, διδασκαλίαι, προλήψεις, νοήσεις, ὁρμαὶ, συγκαταθέσεις, τὸ παράπαν οὐδὲ εἶναι λέγοντες. Interpretatio ſic vulgò habet, *ecquis magis in ſermone peccat, quàm vos? qui cum* lib.1.

Rh.adu. Gram.

genus

genus Effatorum ſubſtantiam ſermoni ſubſternatis, funditùs tollitis voces, & obuia tantùm relinquentes vocabula, interim ſignificationes eorum, per quæ diſcimus (puta doctrinam, notiones anticipatas, notitias, animi impetus, aſſenſiones) prorsùs nihil eſſe dicitis. Notandum porrò eſt Plutarchum ita illeic loci in Epicureos agere, vt ſi Stoicorum opinionem probet. Stoicorum opinio fuit, vt eſt apud Empiricum, dum aduerſus Logicos diſputat de vero, tria quædam eſſe coniugata inter ſe, ſcilicet 1. τὸ σημαῖνον, *quod ſignificans*; & eſt ipſa vox, v. c. Dion. 2. τὸ σημαινόμενον, *quod ſignificatur*; & eſt res ipſa ſignificata, quatenus aſt in mente, ſeu mente percipitur ab eo, qui intelligit vocem (quippe qui non intelligit, habet quidem in aure vocem, at non in mente ſignificatum) 3. τὸ τυγχάνον, *quod eſt*; & eſt ipſamet res extra Intellectum exſiſtens, veluti Dion domi, aut ruri. Ex his autem tribus fecere primum, & tertium corporea; at incorporeum ipſum ſecundum, quod & vniuersè vocârunt λεκτὸν *Dictum*, & ſpeciatim ἀξίωμα *Effatum*, ſi nempe ſenſu eſſet perfecto, & ob affirmationem, aut negationem dici poſſet verum, vel falſum. Iam apud eumdem Empiricum, Epicurus & Strato admiſere ſolùm ex iſtis tribus primum, & tertium; videlicet voces, & res, δύο μόνον ἀπολείποντες, σημαῖνόν τε, καὶ τυγχάνον: repudiauere autem ſecundum, ſeu τὸ λεκτὸν *Dictum*, & maximè quidem prout Stoici habuere illud incorporeum: quod quidem etiam Epicureis Empiricus non ſemel tribuit. Poſteriùs enim, ὁρῶμεν, inquit, ὡς εἰσί τινες οἱ ἀνῃρηκότες τὴν ὕπαρξιν τῶν λεκτῶν, οἷον οἱ Ἐπικούρειοι, *videmus eſſe aliquos, qui exſiſtentium dictorum tollant, quemadmodum Epicurei.* Et in hypotypoſibus, οἱ μὲν Ἐπικούρειοι φασὶν μὴ εἶναι λεκτὸν, οἱ δὲ Στωϊκοὶ εἶναι. *Dictum quidem dari Epicurei negant, Stoici verò aſſerunt*, cùm ſic itaque ſe res habeat, vides profectò vocem illam ἀναιρεῖν, *tollere* apud Plutarchum referendam eſſe, non πρὸς τὰς φωνὰς, *ad voces*, ſed πρὸς τὸ λεκτῶν γένος *ad dicta*, in quibus ſermonis ſubſtantia ſtatuebatur à Stoicis: adeò vt poſſit fortè locus immutatione minimâ ſic legi, οἱ τὸ λεκτῶν γένος οὐσίαν τῷ λόγῳ παρεχόντων ἄρδην ἀναιρεῖτε, τὰς μὲν φωνὰς, καὶ τὰ τυγχάνοντα μόνον ἀπολείποντες, τὰ δὲ μεταξὺ σημαινόμενα πράγματα, δι' ὧν, &c. *Qui tollitis funditùs dicta ſubſtantiam ſermoni præbentia, relinquentes quidem tum voces, tum res ipſas ſolummodò, nihil autem prorsùs eſſe dicentes res ſignificatas intermedias, per quas diſciplina, doctrina, anticipationes, notiones, appetitiones, conſenſiones gignuntur.* Agnoſcis certè τὰ τυγχάνοντα itemque τὰ μεταξὺ σημαινόμενα πράγματα ad alia referri, quàm vulgò putetur. Cætera aliàs diſcutienda.

lib. 2.

lib. 2. c. 11.

CAPVT VIII.

Ad obiecta de Poëtica, &c.

DE Poëtica, conſtat etiam, vt Epicurus illam damnauerit, non abſolutè, ſed dumtaxat quâ parte pernicioſa eſt. Hoc eſt quod voluit innuere, dum, quod eſt apud Laërtium, dixit μόνον τε τὸν σοφὸν ὀρθῶς ἂν διαλέξεσθαι περί τε μουσικῆς, καὶ ποιητικῆς, *ſolum ſapientem de Muſica, déque Poetica rectè ſermonem habiturum*; quia videlicet nouit ſolus ſapiens quæ ſit inter bona, ac mala ſtatuenda diſtinctio. Heinc docet ſtatim circa Poëticam, eumdem Sapientem ποιήματα τε ἐνεργεῖν, οὐκ ἂν ποιῆσαι, *Poëmata adoperatè* (ſeu, vt ſic dicam, actionum, rerúmque verarum recitatione animare) *non fingere* (ſeu rerum falſarum narratione inficere.) Quippe Epicurus illud quidem genus Poëſeos probauit, quo aut maiorum præclarè geſta ita canerentur, vt exinde Adoleſcentes veræ virtutis, & gloriæ ſtudio vehementer incaleſcerent; id autem ex illius Schola Atticus præſtitit eximiè, *cùm verſibus* (referente Cornelio Nepote) *qui honore, rerúmque geſtarum amplitudine cæteros Romani populi præſtiterunt, expoſuit.* Aut quo vel opera naturæ, vel præcepta morum ita traderentur, vt exinde animi quodam quaſi lenocinio capti, alacriùs ſimul, potentiúſque honeſtatem capeſſerent. Hoc verò egregiè præſtitit Lucretius, ac rationem ſimul iſtam reddidit,

lib. 10.

in vi. Att.

lib. 4.

Nam veluti pueris abſinthia tetra medentes
Quom dare conantur, priùs oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flauóque liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur
Labrorum tenus; intereà perpotet amarum
Abſinthi laticem, deceptáque non capiatur,
Sed potiùs tali tactu recreata valeſcat:
Sic ego nunc, quoniam ratio hæc plerumque videtur
Triſtior eſſe, quibus non eſt tractata, retróque
Volgus abhorret ab hac; volui tibi ſuaueloquenti
Carmine Pierio rationem exponere noſtram,
Et quaſi Muſæo dulci contingere melle,
Si tibi fortè animum tali ratione tenere
Carminibus noſtris poſſem, dum percipis omnem
Naturam rerum, ac perſentis vtilitatem.

Hoc itaque eſt, quod Epicurus voluit, cùm cenſuit ſapientem ἐνεργεῖν τὰ ποιήματα. Porrò vt erat veritatis ſimul, & virtutis amans, noluit ποιῆσαι, ſeu fieri ἀληθείων μύθων ἄδλησιν, ac illa idcircò minimè probauit quæ Poëtæ de Diis mentirentur, de Inferis fingerent, de Venere væſana cantarent, cætaráque huiuſmodi, quæ animos & prauè imbuunt, & miſerè cruciant. Ita innuit Empiricus, cùm poſtquàm Poëſin paſſionibus propugnacu-

 lum

lum fieri declarauit, & eos, qui legerint Alcæum, aut Anacreontem, inſano amore, ac ebrietate magis accendi expoſuit, ſubiicit,
lib. adu. Gram. *quæ hoc quidem loco dicuntur ab aliis, & maximè ab Epicureis, huiuſmodi ſunt.* Ita Velleius Epicureos, cùm apud M. Tullium id vniuerſè conqueritur, quod ſpeciatim de
Lib. 1. adu. Phyſ. Homero, & Heſiodo apud Empiricum Xenophanes; nempe *quòd ſuauitate ipſa venenerint vocibus Poetarum fuſa, qui*, inquit, *& irâ inflammatos, & libidine furentes induxerunt Deos, feceruntque, vt eorum bella, pugnas, prælia, vulnera videremus: odia præterea, diſſidia, diſcordias, ortus, interitus, querelas, lamentationes, vincula, cum mortali genere concubitus, mortaleiſque ex immortali procreatos.* Præterco loca ſimilia: hoc ſufficiat, ſi quidpiam boni, ac veram voluptatem pariens proficiſcatur ex Poëtica, Epicurum id non reſpuiſſe. Vides proinde quid ſit dicendum ad ea omnia, quæ
in alleg. Hom. obiecta ſunt. Obſeruo ſolùm Heraclideo meritò facere Platonem eiuſdem cum Epicuro reum criminis, in fabulis Homeri dam-
lib. 2. & 3. nandis. Siquidem Plato quam longiſſimè & Homerum, & cæteros Poëtas eliminat è Republica in qua pietas, fortitudo, temperantia debeat eminere. Poterat verò etiam reum Heraclitum facere, qui Homerum aſſeruit ex certaminibus eiiciendum, imò cædendum colaphis, Archilochúmque ſimili-
lib 9. ter, quod à Laërtio memoratur. Poterat
lib. 7. Zenonem Stoicorum parentem, qui, vt idem refert, pronunciauit nihil eſſe magis à perceptione ſcientiarum alienum, quàm Poëticen. Poterat omneis Philoſophos, quibus virtus curæ fuit. Quid de ipſo Plutarcho dicam, qui cùm locis illis citatis ita Epicurum commordeat; aliàs tamen eius ſententiæ (ac adeò Velleio) præclarè ſubſcribit, dum
in Pericl. Poëtas damnat, *quòd ineptis ſuis opinionibus conturbantes nos, ſeipſos irretiant ſuis Poematibus, quando locum, in quo Deos dicunt degere, ſecuram appellant, & tranquillam ſedem; non ventis obnexiam, neque nubibus, ſed placidâ ſerenitate, & purâ, ac perpetuò æquabiliter circumfulgentem luce, quòd talis ſtatio naturam beatam, ac immortalem deceat maximè*, (notum eſt porrò heic indicari
Odyſſ. ξ. cap. 6. verſus illos ex Odyſſea, qui & referuntur ab Authore libri de Mundo, & Latinis verſi-
lib 3. bus redduntur à Lucretio) *intereà verè Deos introducunt perturbationis, odii, iræ, cæterarúmque paſſionum plenos, à quibus ſanè homines, quibus mens fuerit, aborreant.* Quod de Hiſtoria obiicitur, cùm videatur ſuppoſititium, ſuam tamen adhuc reſponſionem præ ſe fert. Siquidem ſunt minutiæ quædam in hiſtoriis, quas negligere longè præſtat, quàm, quòd plærique faciunt, laborioſè conſectari. Hiſtoria certè eſt vitæ lux, quippe quæ non ſolùm præteritorum temporum obſcuritatem diſcutiat, confuſionémque explicet; ſed exemplis etiam innumeris inſtruat, mentique anſam præbeat intelligendi ex præteritis, quid ſperandum ſit de futuris: quis ſit vitæ ſtatuendus finis; quò hæc vniuerſa hiſtrionia tẽdat, quorsùm nihil
nonum, aut ſtupendum ſit; adeò vt nemo perſuadeatur Epicurum, qui tam multa támque præclara eſt philoſophatus de vita, & moribus, potuiſſe ſic ratiocinari, niſi notitiâ temporum, actionúmque humanarum, quæ ex hiſtoria elicitur, quaſi fax illi præluxiſſet (certè vir ille omninò bonus, ac eruditus Voſſius Epicurum etiam recenſet in-
lib de hiſt. Græc. ter Græcos hiſtoricos, propter librum eius de vitis.) Verùm enimverò, quia ſolent permulta exquiri planè infructuoſa, & quæ intereà mentem excrucient, idcircò potuit Epicurus negligenda hæc dicere, ſicut & ipſe Metrodorus. Eòdem ſpectat illud, quod obiicitur circa Philologiam: nam quod de linguis variis, patet nullius eſſe momenti, ſi quis poſſit conſequi idiomate ſuo quicquid ad Sapientiam neceſſarium eſt; cùm alioqui varietas linguarum ornamento quidem ſit, verùm homines, quantum eſt ex ſe, nihilo doctiores, meliores, beatiores efficiat.

CAPVT IX.

Ad obiecta de Rhetorica.

RHETORICAM etiam Epicurus non prorsùs abiecit, ſed ſolùm intra fines proprios contentam eſſe voluit. Cùm Grammatica enim ſolùm doceat connectere elementa, & vocabula, ita vt ſermo fiat congruus; munus deinde Rhetoricæ eſt, tradere delectum verborum, & phraſeon, ex quibus ſermo efficiatur ornatus, atque elegans. Sicque, cùm legibus Grammaticæ ſeruatis poſſit adhuc quiſpiam confusè, & obſcurè loqui, occurrere Rhetorica debet, quæ eiuſmodi confuſionem, & obſcuritatem tollat, verbis perſpicuis appoſitis, eáque ratione collocatis, vt illi qui audiunt, nullo labore intelligant, & cum delectatione quadam ea, quæ dicuntur, percipiant. Epicurus porrò librum ſcribens de Rhetorica, ſingulare ipſius munus aſſignat *claritatem, ſeu perſpicuitatem, nec quicquam amplius ab ea exigit*, ὡς ἀξιοῖ μηδὲν ἄλλο, ἢ σαφήνειαν
ἀπαιτεῖν, quod memoratur à Laërtio. Ipſemet lib. 10.
proinde *erat admodum dilucidus*, σαφής,
vt idem Laërtius notat. Cicero de ipſo lo- lib. 1. de fin.
quens, *vide*, inquit, *quantum fallare, Torquate, oratio me iſtius Philoſophi non offendit; nam & complectitur verbis quòd vult, & dicit planè quod intelligam.* Ac rursùs, *Epicurus nec non vult, ſi poteſt, planè, & apertè loqui:* Ex hac autem claritate ea naſcebatur in animis audientium voluptas, vt referen-
te Laërtio *quaſi catenis*, ſeu potiùs *Sirenibus* loc. cit.
ὀψῶν detinerentur. De ſcriptis, Seneca demonſtrat, dum commeodaturus librum, quo mirificè fuiſſet delectatus, *quàm diſertus fuerit*, inquit. *ex hoc intelligere licet; breuis mihi* Epiſt. 46.
viſus eſt, cùm eſſet nec mei, nec tui temporis; ſed qui primo aſpectu aut Titi Liuii, aut Epicuri poſſet videri. Tantâ autem dulcedine me tenuit, & traxit, vt illum ſine vlla dilatione perlegerem. Sol me inuitabat, fames admonebat,

nubes

nubes minabantur ; tamen exhauſi totum : non tantùm delectatus ; ſed gauiſus ſum. Quid ingenij iſte habuit ? quid animi ? dicerem , quid impetus ? ſi interquieuiſſet , ſi ex interuallo ſurrexiſſet ; nunc non fuit impetus, ſed tenor, compoſitio virilis , & ſancta. Hactenus Seneca. (Epiſt.22.)
Omitto illa eiuſdem loca, *Aliquam magnificam vocem Epiſtola ſecum ferat : ecce occurrit mihi neſcio vtrùm verior , an eloquentior : cuius , inquis ? Epicuri.* (Epiſt.97.) Item , *eleganter itaque ab Epicuro dictum eſt.* (Epiſt.21.) Ac rursùs , *& apertior iſta ſententia eſt , quàm vt interpretanda ſit ; & disertior , quàm vt adiuuanda.*
(Orat.2.) Mitto illud Themiſtij , cùm de Patre Eugenio loquens , *Epicurum*, inquit , *Neoclis filium , ſcitum alioquin , & elegantem putabat.* Mitto id genus alia. Sufficiat iſta oppoſuiſſe luxurianti Ciceronis,& aliorum ſtylo, qui Rhetoricæ limites in immenſum producentes , offendebantur, quòd Epicurus viſus fuiſſet illam redegiſſe ad tantas anguſtias.

Cùm primâ verò fronte obiiciatur , quòd cenſuerit *ſcribere minimè eſſe rem laborioſam*, id arguit ſolùm , non debere eum , qui ſcribit , ſi ſapuerit, ſic digitos corrodere, ſic inducere lituras , & reponere , ſic verſare omnia , atque reuerſare , vt qui lectoribus ſuis eſt præbiturus voluptatem , ipſe ſe excruciet. Profectò verò longè præſtat vel aliquos relinquere næuos , vel omninò non ſcribere , quàm tantam ſibi , quod multi faciunt , figere & refigere crucem. Dummodò verba ſponte fluant, nec oratio ſit planè indecora , qui vel ſolam , vel maximè veritatem quæſierint, factum habebunt ſupérque, & ſatis : Suo cuique ſtylo ſcribitur ; cuilibet poteſt ſua eſſe lux ; bene res habet , ſi, quantum poteſt , quiſque deuitet obſcuritatem. Ad illud de Numeris , & Rhythmis, nihil aliud dicendum eſt,niſi vix vllum ſcriptorem eſſe , cui , non cogitanti , tale quid
(Lib.9.c.4.) eueniat : vt Quintilianus fusè demonſtrat ſufficeréque , ſi in fragmentis , qui ex Epicuro ſuperſunt , vix quidpiam tale reperiatur. Omitto verò , vti ſuperiùs obſeruauimus, Plutarchum nonnulla immutaſſe verba in Epiſtola illa Epicuri moribundi ad Idomeneum ; ita relata à Theone videri deſumpta ex quadam ſimili epiſtola, cum magna quadam immutatione. Vtcumque ſit , non eſt propterea locus obſcurus , & inelegans. Illud circa Nauſiphanen eſſe iam intelligitur ex antè dictis refutatum. Quod verò dixit
(in Gorg.) *κακοζηλίαν malam artem* , imitatus Platonem eſt , dum artibus bonis , ac legitimis opponens prauas , ac ſpurias, vt Medicinæ artificium Coquorum , Exercitatrici mangonum (qui ſcilicet colorem fuco , & verum robur inani ſaginâ mentiuntur) ac Legali Cauillatricem ; ſic ipſi Iuſtitiæ oppoſitam Rhetoricen habuit. Iure-ne porrò fuerit imitatus, an non , intelligetur ex mox dicendis, cùm oſtendetur Rhetoricam aduersùs veritatem eſſe comparatam. Intelligetur verò etiam cenſuiſſe illum non iniuriâ , naturam eſſe, non verò artem , quæ orationem rectè inſtituat , ac eloquenteis homines faciat ; maximéque ſi alia ars , quàm perſpicuitatis ſtudium requiratur. Illud ὁ ῥητορεύειν καλῶς, non pugnat contra perſpicuitatem , ſed contra prauam , affectatámque multorum dicendi rationem , ac nominatim Sophiſtarum , & Demagogorum , quibus ludo eſt facere fucum veritati , excitare turbas , innocentiæ imponere , quærere plauſum & ſimilia. An aliunde Epicuri Philoſophia politico viro inutilis ſit , quod Cicero innuit , explicandum ſuo loco eſt. De Quintiliano, nihil dico ; niſi quòd non videtur integram Epicuri mentem fuiſſe aſſequutus. Quod Athenæus carpit Epicurum, præter rationem fortaſſis fit. Suus cuique eſt genius , & ſuas quiſque veneres habet. Non præluſerit Epicurus , vt Plato, aut Xenophon ; at illa ex improuiſo percontatio ſæpè delectat. Lucianus eſt in ſuis Dialogis Epicurum imitatus ; quàm lepidè verò vbique rem ex abrupto aggreditur ? Cicero quoque non eſt in ſuis omnibus Dialogis præfatus , non Plutarchus , non alij. Epicurus porrò modò hoc, modò illud agitatum fecerit ; hic ipſe mos eſt conuiuiorum. Conuiuas omneis induxerit Atomorum doctrinam callenteis ? quid mirum eſt ; cùm illos omneis philoſophanteis habuerit ? Cæterùm vt quæſtiones varias non ſine delectu , ac tempeſtiuè tractauerit , indicatur ſatis ex ea, quam Zopyrus Epicureus apud Plutarchum explicat libro Sympoſiacon ſecundo. Quæ (quæſt.3.) reſtant , vel laudes Epicuri ſunt , vt quòd ſalibus ad irridendum caruerit ; (hoc enim arguit morum illius ſimplicitatem , & innocentiam, ac eam ſimul veracitatem, ob quam ne probauerit quidem hominem ſapientem Ironicè loqui : nam & Cicero in eo improbat quòd Ironiam Socrati familiarem reprehenderit) (lib. de clar. orat.) vel certè occurrunt ex iis, quæ dicta ſunt , interpretanda ; quatenus nimirum nihil aliud ex Rhetorica præter perſpicuitatem exegit , & quæ exiguntur præterea parum curanda exiſtimauit. Adiiciendum aliquid foret de eius Sectatoribus ; ſed cùm negandū minimè ſit , quin multi eſſe potuerint ſermone barbari , & rudes ; ita enim vſu venit in omnibus Sectis (vt enim de Peripateticis nihil dicam , *tot ruſticos Stoicos regeram*, inquit Caſſius ad Ciceronem, *vt Catium Athenis narum eſſe* dicas) (L.15.ep.19.) attamen etiam negandum non eſt , quin multi fuerint valde elegantes : *Scite ſermone , & Attico* ſcripſerat Leontium , vt Cicero habet. (lib.1.de nat. Deor.) Diogenem Epicureum *promptum , & diſertum* facit Athenæus , (lib.5.) *dilucidum intelligentiâ , & interpretatione* , Laërtius. (lib.7.) Cornelius Nepos ſcribit *libris Attici nihil eſſe poſſe dulcius.* (in vi. Att.) Græci illius Piſoniani Cicero deſcribit Poëma *ita feſtiuum , ita concinnum , ita elegans , nihil vt fieri poſſit argutius.* (Orat. in Piſ.) Zenonem , Velleium , Phædrum non memoro ; quoniam de illis dictum , iam eſt.

Sed the ſupereſſe ſcrupulum ſenno , quorsùm aſſignata præcipua Rhetoricæ munera Epicurus excluſerit , vt inuenire , & diſponere ; vt exordiri ; & perorare : vt amplificare,&c. verùm inuentio argumentorum , eorumdemque apta collocatio, aut Dialectices propria eſt , aut ex conditione materiæ ſubiectæ erumpit ;

erumpit; aut ex natiua oratoris ſagacitate,
& ſollertia, non ex vllo Rhetorices artifi-
cio enaſcitur. Quaſi verò, dum tot magni
viri orationes aut parant, aut habent, ani-
mum intendant ad artem Rhetorices, quam
fieri poteſt, vt ne labris quidem primoribus
attigerint? At orationis, inquies, partitio,
Rhetoricæ propria eſt? Enimverò, ſi Dia-
lectica eſt ars non definiendi modò, ſed &
diuidendi vnamquamque rem; ipſius quo-
que dicenda erit orationis diſtributio. Sin
minùs, confugiendum erit ad propoſitæ
materiæ naturam, quæ hoc modo, potiùs
quàm illo vſurpari debeat: Quâ ſanè in re
naturale iudicium, accedente plurimarum
rerum experientiâ, quam-plurimùm poteſt,
artificium quam-minimùm, aut nihil om-
ninò. Niſi verò, ſi ſit agendum, vt exem-
plo dicam, de pace ineunda, de teſtamen-
to reſcindendo, de Geometriæ laudibus, re-
ſpicere quis ad artem Rhetoricam debeat,
vt ſciat quâ ſerie ſermonis procedendum
ſit; cùm Rhetoris non ſit cognoſcere de
pace, & bello, ſed Politici, nec de natura
teſtamenti, ac reſciſionis illius, ſed Iuriſ-
conſulti; nec de præſtantia Geometriæ, ſed
Mathematici; neque proinde poſſit Rhetor
tradere, aut iuuare quidpiam circa argu-
mentum, quod ipſe ignoret; vel certè, ſi
nôrit, nôrit prorſus non tanquam Rhetor,
ſed tanquam alius artifex. At, inquies, ne-
gari non poteſt, quin ſola Rhetorica do-
ceat exordiri, perorare, & figuris tum trans-
latitiis, tum ſententiarum, verborúmque
vti, quibus auditores Orator commoueat,
& finem Rhetoricæ proprium, perſuaſio-
nem putà aſſequatur. Verumtamen, cùm
repeti poſſet quæ iam facta reſponſio eſt;
hoc addo, iſta omnia, ob quæ maximè ſeſe
effert Rhetorica, videri nihil eſſe aliud,
quàm fucum factum veritati; ac idcirco
tum Rhetoras non prorsùs ineptè à Maxi-
orat. 12. mo Tyrio cum Mangonibus comparari;
tum ipſam Rhetoricam non prorsùs malè
ab Athenæo, vt apud Quintilianum eſt, de-
lib. 2. c. 15. finiri, *fallendi artem.* Nempe veritas eiuſ-
modi eſt, vt natiuâ placens pulchritudine
lenociniis iſtis non egeat; mendacium verò
eiuſmodi, vt ingenitâ fœditate diſpliceus,
ipſa neceſſariò, vt placeat, prætendat. Qua-
re & ſolent meritò iure laudari illi Iudices,
qui iſtâ tantâ farragine tribunalia exone-
rârunt. Nôrant, vt ſimplex, & ingenua
priuati hominis confeſſio, ac teſtificatio
mendacium minùs conuelare poſſit verita-
tis ſpecie, quàm elaborata oratio ab orato-
re callido; cùm alioqui ad ſanum, & re-
ctum ferendum iudicium, ſolâ facti expoſi-
tione Iudices indigeant; quippe qui de-
beant ipſi ius ſcire. Quo loco præclarè om-
1. Rhet. 1. ninò admonet Ariſtoteles non eſſe Iudi-
cem, dum ad iram, aut odium, aut miſe-
ricordiam excitatur peruertendum; *Id enim,*
inquit, *perinde eſt, ac ſi quis qua vſurus eſt*
regula, eam reddat peruerſam. Neque dicas
eloquentiam perſæpè iuuare ad innocen-
tum incolumitatem: Quippe cùm ſæpiùs
valeat ad incolumitatem ſontium, clarum
eſt aliunde totum artificium comparatum
eſſe contra innocentiam. Videlicet æqui-
tas ipſa non erubeſcit ſe prodere; Iniuſti-
tia eſt, quæ, vt elabatur, colores alienos
conquirere debet. Neque rurſùm dicas,
cùm nihil fuerit opus vbi Iudices & eru-
ditione, & integritate inſignes extite-
rint; vbi res tamen ſecus ſe habuerit, in-
nocenteis etiam indigere artificio. Etenim,
vt eſt ſupponendum Iudices peritiâ, &
probitate pollere; ſic vbi vel alterutra, vel
vtraque caruerint, tantò ars erit periculo-
ſior. Niſi fortè Iudices huiuſmodi habeas,
qualis ille à Titio apud Macrobium deſcri- lib. 3. Sat.
bitur, *qui, dum oratores, quorum eſt ne-* cap. 16.
gotium narrant, teſteis, inquit, *poſcit, ipſus*
it mictum; vbi redit, ait ſe omnia audiuiſſe,
tabulas poſcit, &c. Iudex quippe huiuſmo-
di, Rhetoricâ indiget nullâ. Dices, quid
igitur ſentiendum de Rhetorica in admini-
ſtratione publicarum rerum? Sed quid aliud
ſentiendum ſit, quàm illam excitandis tur-
bis, atque ſeditionibus eſſe comparatiſſi-
mam? Genteis profectò videre licet, apud
quas neglectus Rhetoricæ ſit, & quæ ta-
men leges patrias conſeruent intactas, ac
vt ita dicam perenneis; cùm eæ, quibus
illa eſt curæ, nouas ferant quotidie, &
nullis tamen contineri poſſint; vt verè liceat
dicere, quod Plato ille veteris Comœdiæ,
ſi quis peregrè abſuerit treis menſeis, non apud Em-
agnoſcit ampliùs Ciuitatem. Cùm aliqua ta- pir.
men oratoria vis continendis in officio po-
pulis neceſſaria ſit; cogita neruoſas illas, &
feruenteis Leonidæ, ſimiliúmque exhorta-
tiones; quàm illæ quæſo præſtant medita-
tis, & olentibus lucernas, ac demorſos vn-
gueis iſtorum orationibus? Me certè plus
perſuaſerit quiſquis ingenuâ, & amore pa-
triæ incaleſcente oratione abſque artificio
vſus fuerit, quàm qui oratoriam ex profeſſo
colunt; qui præterquàm quòd plærumque
frigidiuſculè, & non reuerâ animati agunt,
ij ſunt, à quibus ſibi cauendum meritò quiſ-
piam exiſtimet, quòd latenti artificio ca-
ptari ſeſe ſuſpicetur. Heinc cùm tota ferè
ars in eo ſit, vt ars ipſa lateat, naturám-
que æmuletur, nonne intelligere licet per-
ſuadendi vim magis eſſe ſitam in bonitate
naturæ, quàm in vllis præceptionibus; vt
proinde mirum non videatur, ſi mendici,
ac ſupplices oppreſſi anguſtiis, meliùs per-
orent, moueant vehementiùs, perſuadeant
efficaciùs, quàm magnifici iſti Oratores.
Verùm hæc ſatis, ne Quioriliano rem in- lib. 2. c. 16.
dignam facere videar, hoc eſt orandi viri-
bus vti in Orationis accuſationem.

CAPVT

CAPVT X.

Ad obiecta de Dialectica.

AD Dialecticam quòd ſpectat, non eſt quòd hoc loco aliquid dicamus. Primùm enim ſuo oſtendetur loco vt Dialectices nomine in Canonices nomen commutato Epicurus tradiderit, & retinuerit omnia, quæ videri poſſunt ex Dialectica eſſe neceſſaria. Vnde & comprobabitur ipſum non omnem penitùs reieciſſe Dialecticam; ſed, quod habet Empiricus, Dialecticam ſolam Stoicorum. Quò alluſiſſe videtur D. Hieronymus; dum aduersùs Ruffinum ſcribens, *quoniam*, inquit, *Stoici Dialecticam ſibi vendicant, & tu huius ſcientia deliramenta contemnis, in hac parte Epicureus es.* Deinde, cum illa eadem, quæ obiici poſſunt aduersùs iſtam Dialecticam, diſputata iam habeantur in noſtris aduersùs Ariſtoteleos Exercitationibus, non eſt quod actum rursùm agamus. Sufficiat vel ſolam naturam veritatis inueſtigandæ magiſtram eſſe optimam; vel, ſi quapiam arte adiuuanda ſit, indigere illam regulis, vel obſeruationibus perpaucis: non immensâ iſtâ congerie argutiarum Dialecticarum. An Epicurus fuerit in Dialecticis inermis, nudus, &c. quæ Cicero præſertim opponit, ex dicendis circa illius Canonicen colligendum eſt. Obſeruo heic ſolum Ciceronem quoque non ſemel præferre Epicurum Stoicis ipſis circa conſequutionum vim: veluti, cùm in libris de Diuinatione, *Ergo is*, inquit, *circuitione quadam Deos tollens, rectè non dubitat diuinationem tollere: Sed non, vt hic ſibi conſtat, item Stoici. Illius enim Deus nihil habens nec ſui, nec alieni negotij, non poteſt hominibus diuinitatem impertire, veſter autem Deus poteſt non impertire vt nihilominus Mundum regat, & hominibus conſulat. Cur igitur vos inducitis in eas captiones, quas nunquam explicetis: ita enim, cùm magis properant, concludere ſolent, Si Dij ſunt, &c.* Ad obiectum illud à Plutarcho, nihil adiiciendum ad ea, quæ Gellius ipſe regerit. Prætermiſerat Epicurus in explicatione illius de morte argumenti propoſitionem; Plutarchus iſtud carpſerat, Agellius ergo, *ſed Epicurus*, inquit, *cuiuſmodi homo eſt, non inſcitiâ videtur partem illam ſyllogiſmi prætermiſiſſe. Neque id ei negotium fuit ſyllogiſmum, tanquam in Scholis Philoſophorum, cum numeris omnibus, & cum ſuis finibus dicere. Et profectò, quia ſeparatio animi, & corporis in morte euidens eſt, non eſt ratus neceſſariam eſſe eius admonitionem, quod omnibus prorſus erat obuium; ſicuti etiam quòd concluſionem ſyllogiſmi non in fine poſuit, ſed in principio: Nam id quoque non imperitè factum quis non videt? Apud Platonem quoque multis in locis reperias Syllogiſmos repudiatos, conuersóque ordine iſto, qui in docendo traditur, cum eleganti quadam reprehenſionis contemtione poſitos eſſe.* Hæc ille.

lib. 2. (margin, beside "circa illius Canonicen")

lib. 2. c. 8. (margin, beside "pſerat, Agellius ergo")

CAPVT XI.

Ad obiecta de Mathematicis.

DENIQVE circa Mathematicas, hoc imprimis fatendum eſt, Epicurum non eas calluiſſe, vt Pythagoras, & Plato calluerant. Sed imitari Socratem potuit, qui pronuntiatus cùm fuerit mortalium ſapientiſſimus, Aſtronomiæ tamen vale dixit, vt ſcientiæ morum totus vacaret, quod adnotauit Cicero; & quicquid eſt ſiue in illa, ſiue in Geometria, ſiue in Arithmetica ſcrupuloſum, & ad vitam inutile, eliminatum voluit, quod à Xenophonte declaratur fuſiùs. Imitari etiam potuit Diogenem, qui, ſcribente Laërtio, Muſicam, Geometriam, Aſtrologiam, tanquam inutileis neglexit. Nihil de Ariſtotele dico, qui vtcumque non rarò iactet celebreis quaſdam propoſitiones, & interdum quidem, cùm non valde eſt opus; aliquando tamen, cùm valde expediret, vti in ſphærarum Cæleſtium determinando numero, difficultatem ad Mathematicos, tanquam peritiores remittit. Nihil de Zenone, quem vel minimùm Matheſeos peritum extitiſſe, nullum eſt veſtigium. Nihil demum de cæteris; neque enim hæc memoro, vt vel negligendum ſtudium Mathematicum ſuadeam; vel Epicurum, quòd in illis eximius non fuerit, commendatum faciam. Innuere dumtaxat contendo, non poſſe illi vitio verti, quòd Mathematicas ignorârit, niſi vertatur & aliis, qui ſunt oppidò viri celebres, Principéſque Philoſophorum. Deinde addo, cùm Socrates Aſtrorum ſcientiam repudiârit, vt de moribus philoſopharetur, Epicurum tamen ſic eam excoluiſſe, vt eſſe quoque ipſius ſtudium ad Moralem Philoſophiam vtiliſſimum comprobauerit. Hinc ſunt illæ in Epiſtolis ad hoc ſtudium adhortationes, factáque in gratiam adoleſcentum compendia, quæ referentur alibi: tantùm abeſt, vt deterrere adoleſcenteis voluerit ab vllo ſtudio liberali. Et certè, cùm ſpeculationes tum rerum Cæleſtium, tum etiam aliarum, quæ demonſtrationibus Mathematicis nituntur, ſint delectabiliſſimæ, quod experiri cuique licet, & exemplis bene multis comprobari facilè poteſt; quonam modo potuiſſet illas Epicurus deſpicere, qui ipſe finem omnium bonorum delectationem ſtatueret, ac illam quidem potiſſimùm, quæ ex virtute, ſeu animi culturâ proficiſceretur? Verumtamen anſam declamandi præbuit, quòd Epicurus duo quædam circa Mathematicas improbârit. Vnum eſt inutile ſtudium plurimarum rerum, quæ cùm ſint nimis intricatæ, crucem deſigunt animis, neque intereà conferunt quicquam ad traducendum felicem vitam, ſiue ad corrigendum mores, vt Philo circa eandem rem habet. Hoc ipſum eſt, quod Epicurus apud Laërtium innuit, cùm eatenus eſſe inuigilandum Cæleſtibus cenſet, quatenus faciunt

lib. 5. Tuſc. (margin, beside "tauit Cicero")

lib. 4. memor. (margin, beside "luit, quod à Xenophonte")

lib. 7. (margin, beside "bente Laërtio")

lib. 12. Metaph. cap. 8. (margin, beside "Nihil de Ariſtotele")

lib. de agr. (margin, beside "dum mores, vt Philo")

lib. 10. (margin, beside "Laërtium innuit")

ad

ad felicitatem; docétque, vt etiam notitia huiuſmodi rerum negligenda foret, niſi ad ſcopum hunc tenderet. Ea cauſa eſt cur minùs probârit Aſtrologiæ ſtudium, quaſi ſcilicer laborioſum, & incertum magis, quàm vt ſolidam voluptatem pariat; quod ſuo loco declaraodum eſt. Alterum eſt abuſus oimius, ac degeneratio in luxum, & nequitiam. Heinc cùm notitiam Muſices auerſatus non fuerit (nam & de illa librum ſcripſit) neque Sapientem ab illius ſpeculatiooibus deterruerit (quippe Sapientem ſolùm cenſuit de Muſica rectè diſputare) & quod Plutarchus obiicit, arguat dumtaxat Epicurum noluiſſe de illa diſputari intempeſtiuè (vt ſuo etiam loco demonſtrabitur.) Damnauit tamen Epicurus illam Muſicam, quæ ex vſu legitimo-cò deflexit, vt vitiorum nequiſſimorum incentiuum euaſerit. Lib. adu. Mat. Ita docet Empiricus, declarans vt Epicurei negauerint ipſam eſſe ſuſcipiendam, quòd (velut Platonici quoque) illam ad felicitatem non tendere exiſtimarint; adiecerint verò, *αὐτὴν ἀσύμφορον εἶναι, καὶ ἀργὸν, φίλοινον, χρημάτων ἀτημελῆ*, *Eſſe ipſam inutilem, ſegnem, bibacem, pecuniarum prodigam.* Quo loco agnoſcis Epicuri genium non tam Muſicam auerſatum fuiſſe, quàm quæ ipſam vitia, ac mala ſæpenumerò conſequuntur, quæque interdum cauſæ fuere, vt integræ etiam nationes eam reſpuerint, vt apud Diodorum Ægyptij. Vt paucis dicam, Epicurus circa lib. 1. haſce arteis ſic fuit animatus, vt ſi quidpiam peccauerit (nihil autem peccaſſe contendere nolim) id præ nimio quodam virtutis affectu, ac felicitatis ſtudio (ſi poteſt tamen in hiſce rebus eſſe quid nimium) egerit: ſicque videatur tantò eſſe excuſatione dignior, quantò fuit ipſi pro ſententia, quam tuebatur, finis laudatior. Clarum proinde ex his fit, quid ad obiecta ex Cicerone, aliiſque reſpooderi poſſit. Quòd ſi ſcrupulus aliquis ſuperſit; is, cùm, Deo bene propitio, de Mundo, de Sideribus, de argumentis cæteris ſpeciatim diſputabitur, eximendus ſpeciatim erit.

Hæc iam de Vita, & Moribus Epicuri dicta ſufficiant.

FINIS.

VIRI

VIRI ILLVSTRIS
NICOLAI CLAVDII
FABRICII DE PEIRESC
SENATORIS AQVISEXTIENSIS
VITA.

PRINCIPI MAGNO,
SAPIENTI, BONO,
LVDOVICO VALESIO,
ALENSI COMITI,
LEVIORIS EQVITATVS
PER GALLIAS MAGISTRO,
ET GALLO-PROVINCIÆ
PRO-REGI,

PETRVS GASSENDVS εὖ πράττειν.

MAGNE PRINCEPS

Scribere aggredior quam abs me depoſcis laudatiſſimi Peireskij Vitam. Quippe non priùs in hanc Prouinciam fauſtis auibus acceſſiſti, quàm ingemuiſti præreptam tibi, magnâ fatorum inuidiâ, illius conſuetudinem; ac me, quem nôras fuiſſe cum ipſo familiariſſimè verſatum, perquàm ſtudiosè de eius ſtudiis, moribúſque es percontatus. Voluiſti etiam habitum oris ex effigie cognoſcere, & loca adire, in quibus ſupereſſent illius veſtigia, luſtrando vbi habitare, vbi ſedere, vbi præſtanteis quoſque Viros, quibuſdam quaſi Sirenibus, detinere ſolitus fuiſſet. Denique in eam raptus es virtutum eius admirationem, vt conſcribendæ illius vitæ non poſtremus auctor mihi fueris, ac me idcircò non inuitus à te abeſſe permiſeris, vt in ſeceſſu hocce meo coronis citiùs imponeretur. Et poteram quidem germanam excuſationem prætexere ex tenuitate virium: at cunctandum non cenſui, cùm ad multiplex officium attendi.

Nam primùm quidem, quod ad Te ſpectat, moroſus ſim planè, niſi obſequar, qui nihil tale cogitans, ac nihil tale meritus, ſic fui euocatus ad te ſalutandum, vt ex eo vſque tempore beneuolentia erga me tua eſſe non potuerit & liberior, & dulciör, & ad omnem comitatem, facilitatémque procliuior. Didici certè experiundo, quàm merito iure

te ſuſpiciat, amétque, & ſuas delicias tota ducat Prouincia; fœlix videlicet Prorege, in quo Philoſophia, & imperium æquis momentis temperentur. Quinetiam ita pacis ſtudia cum artibus belli componis, ita cum Marte Muſas concilias, vt ambiguum fiat, generoſiórne, an eruditior emineas; & cùm immortale id decus ſit tibi gentilitium, nemo tamen ex inclyta, Regiáque VALESIORVM ſtirpe occurrat tecum comparandus. Sed memoranda hæc aliàs: nunc commendari ſatis non poteſt, quod faſceis vbique ſubmittis virtuti, neque in ſolis Principibus regiarum laudum materiam quæris. Nihil intereſſe exiſtimas ſub qua veſte lateat heroïca mens; & modò pectus diuinum ſit, propenſum te ad cultum præſtas. Exemplum certè erit perpetuò, & magnorum Ducum, Imperatorúmque factis accenſendo, quòd iam tua commendatione Senatorij ordinis virum ob eximias animi doteis, inter Principes euehis; & ne vnquam illius fama intermoriatur, curam aſſumis. Oportet nempe in te poſſideas, quas in illo amas laudatas virtutes; neque poteſt affectus tui non perennare memoria, cui virtus ipſa eſt elogium pronunciatura ſempiternum.

Deinde quod ſpectat ad Virum, ingratus ſim, niſi id præſtem, quod ſingularis erga me amor, & munifica indoles erga omneis efflagitat. Nam me quidem quantum amârit, promptius eſt animo ſentire, quam verbis exprimere; ſatíſque eſt dicere me fœlicitati vertere magnæ, quòd me tam carum habuerit, quòd tam frequentem ſibi adeſſe, conſiliorúmque animi omnium eſſe conſcium voluerit; quòd in meum ſinum vt cætera, ſic extrema verba, animámque ipſam tandem exhalârit. Eam ob cauſam, cùm nulli magis, quàm mihi eſſe cordi debeat capitis tam cari memoria; currenti ſanè adhibes calcar, tùm tuo imperio id exigis, ad quod gratitudo, & ius amicitiæ me procliuem facit. Qui enim quoties quidpiam de illo cogito, loquor, audio, intima quadam ſuauiſſimáque animi lætitia perfundor: quomodo poſſim non iucundè vitæ eiuſdem ſeriem ſic ſcribendo retexere, vt cum pleriſque communicetur? An non videbor adhuc cum illo humaniſſimè conuerſari, ſuaueiſque horas conſumere, ac tam mihi demùm ſatisfacere, vbi per me non ſteterit, quin tanti amici gloria efflorescat? Quantùm verò ad propenſionem, qua animatus in omneis fuit, exſtitiſſe nemo videtur, qui in commune bonum natus, id impenſiùs curauerit, vt conſtantiſſimè prodeſſet vniuerſitati generis humani. Nam multis quidem ceſſiſſe poteſt, ſi facultates ſpectaueris; nemini tamen, ſi virium modum, voluntatémque benefaciendi. Dignus proinde, qui regnârit in animis hominum, ac ſtudioſorum præſertim, quos excitare, fouerèque eruditione, conſilio, auctoritate, gratia, opibus ſuis deſtitit nunquam. Teſtes ſunt boni, doctíque omnes, qui conſenſu vnanimi fatentur nullum vnquam fuiſſe Mecœnantem generoſiorem. Heinc tametſi fama illius non videatur poſſe extingui, cuius illuſtri nomine Litteratorum orbis completur; haud tamen committendum eſt, vt idem nobis exprobrari, quod Mecœnatis ſæculo poſſit. Nam quòd huius hiſtoriam nemo coætaneus in poſteros tranſmiſerit, effectum eſt, vt præter nomen eruditis cariſſimum, vix quicquam de illo ad nos permanârit; & cùm idem noſtro timendum videatur, æquum profectò, vt qui illi fa-

miliariter

miliariter conuixerunt, id curent, vt quis fuerit, nepotibus etiam ſeris innoteſcat. Similis enim crepuſculo veſpertino eſt rerum fama, quæ initio clariſſima, ita paulatim euaneſcit, vt abeat tandem in tenebras; opúſque adeò hiſtoria eſt, quæ facis inſtar illam producat. Agnoſco porrò neminem eſſe, cui, potiùs, quàm mihi id munus incumbat; quando nemo eſt, cui propter diuturnum, familiarémque conuictum, ille potuerit eſſe perſpectior. Accedit, quòd licuit à morte ipſius ea interrogare, & cùm ex variis epiſtolis, tùm ex aliis monumentis intelligere, quæ non fuiſſent cuivis perinde in promptu. Factum certè eſt ob hanc cauſam, vt cùm tot Viri eximij huiuſmodi Spartam ornare potuiſſent, nihilominùs tecum conſpirârint, méque ſollicitauerint, vt illi admouerem manum.

Poſtremò quod ſpectat ad Patriam, ad hanc ætatem, ad poſteros, iniurius ſim prorsùs, ſi opus detrectem. Et patriæ quidem; nam ſpecies quædam impietatis videretur, ſi obduci pareret lumen, quo, vt hactenus coruſcauit, ſic meritò in poſterum gloriari mirificè poteſt; ſi negligi id ornamentum, quo pronunciare penè licet nullum vnquam aut exſtitiſſe, aut exſtiturum magnificentius. Quippe non tota modò Europa, ſed Aſia quoque, & Africa, ac ipſe etiam nouus Orbis conuerſos eius occaſione in hanc Prouinciam oculos habuit; nemóque vſquam fuit eruditus, bonarúmve appetens rerum, qui non aut illum conuenire, aut cum eo certè agere per literas non affectârit. Tum præſenti quoque ætati; ſiquidem eius intereſt, vt qui ſequentur, intelligant non fuiſſe effœtam in ipſa naturam; potuiſſéque eam Virum magnum, inſignémque producere, qui futuris pòſt ſæculis proponi in exemplum poſſet. Magna certè eius laus eſt, quòd videatur in illo vno collegiſſe omneis omnium ſæculorum virtutes; poſſitque adeò ſeſe efferre, quòd in ipſo expreſſerit quicquid præclarum de Pandora fabuloſa ætas confinxit. Denique ipſis poſteris; quoniam iucundiſſimum ducent Virum illum cognoſcere, cuius ſingulari affectui ſeſe plurimùm debere agnoſcent; cuius fortaſſis imitatione ſic tenebuntur aliqui, vt quaſi Phœnices enaſci ex illius cineribus non ſine fructu aliquo generis Humani contendant.

Quod ſupereſt, Vitam deſcribam, quæ narrationis ſimplicitate, non caloribus quæſitis ſpectetur. Alij, ſi videbitur, comptiore calamo expolient, ac hiſtoriæ forma donabunt quos ipſe commentarios, ceu rudera quædam, digeſſero ſolùm, veluti annaleis, in temporum ſeriem. Siquidem mihi animus eſt agere Damidem duntaxat, &, ſi qui fortè cauſabuntur delectum mihi non hàbitum, minima quæque obſeruitanti; dicam quod ille, etiam micas, quæ ex menſis Deorum ſunt, dignas videri, quæ colligantur. Fortè neque res iis erit ingrata, qui, ſimiles tui, pernoſſe magnos Viros ſtudent, non ob actiones ſolùm illuſtreis, publicéque exhibitas; ſed ob obſcuras etiam, & quas euulgari ipſimet noluiſſent. Quippe quæ in oculis omnium, & cum claritate geruntur, neſcio quid perſonatum habent; vnde quidnam intus, & ſub cute lateat, internoſſe per-arduum ſit; quæ verò procul ab arbitris, & ſine famæ captatione, atque idcircò ſine fuco, ereptáque perſonâ fiunt, ea demùm hominem oſtendunt; quod diſcernere eſt operæ-pretium. Id

ſcilicet animos addit ad imitandum præclarè geſta, cùm etiam in Heroïbus nonnulla deprehendimus infirmitatis noſtræ indicia; neque perinde deſperamus eorum virtutes aſſequi, ac dum grandia quæque dumtaxat narrantur. Sin verò nonnulli requirent illuſtriora quædam, & ampliora facta, quàm commemoraturi ſimus; nôrint oportet non omneis poſſe Scipiones eſſe, aut Maximos, vt bella, triumphóſque recordari valeant. Abundè illi merentur laudem, quos cùm Fortuna ad ſummas opes, atque dignitates non euexerit; maiores tamen animos gerunt, generoſiore virtute ſunt, ac moliuntur grandiora longè, quàm pro conditione ſperare quis poſſit. Talis porrò Peireskius fuit, quem exhibituri non ſumus, niſi vt Virum, qui fuerit gradus, cenſúſque Senatorij; & qui ſeſe tamen ita geſſerit, vt ſe fecerit quolibet encomio, ac panegyri ſuperiorem. Videlicet ſumus duo quædam toto decurſu proſequuturi, ob quæ commendatus ſummopere eſt; alterum eruditio magna, ac omnigena, cum ardore ſciendi inexplebili: alterum cura indefeſſa promouendi Arteis ingenuas, cum Regia planè erga omneis Literatos. Ex hiſce verò capitibus periculum ſanè non ſubeſt, ne efferre quidpiam hyperbolicè videar; loquar enim in ipſo ore eruditorum Virorum, apud quos ille inclaruit, quique tantum abeſt vt me cauſentur fuiſſe nimium, quin vereor potiùs ne parcum nimis exſtitiſſe ſint conqueſturi. Sed ne hærere heic videar, patere PER-OPTIME PRINCEPS, vt quæ noſſe deſideras, deinceps enarraturus, exordiar à Maioribus; vt vel ex eo capite conſtet, cur illum Auctores conſtantiſſimè Nobiliſſimum vocitârint.

VIRI

VIRI ILLVSTRIS NICOLAI CLAVDII FABRICII DE PEIRESC, SENATORIS AQVISEXTIENSIS VITA.

LIBER PRIMVS.

PRINCIPIO genus Peireſkio fuit ex perantiquo illo Fabriorum, ſeu Fabriciorum ſtemmate, quod Piſis in Italia oriundum, tranſlatum eſt in hanc Prouinciam, à tempore vſque Diui Ludouici, ac partus ſalutiferi anno ſupra milleſimum ducenteſimo quinquageſimo quarto. Memorant enim Hugonam Fabrium inter Piſanos nobiles militiæ illi ſacræ adſcriptos, fuiſſe à Sancto Principe in Prouinciæ oras deductum, tùm ex Oriente rediens appulit *Areas*, ſeu *Hieras*, Olbiam ſcilicet antiquorum. Illeic cùm morbo detentus fuiſſet, & à diſcedente Rege commendatus, ea fuit apud viros primores auctoritate, & gratia, vt contendentium de arcis, & ciuitatis dominio diſſidia compoſuerit, ductáque deinceps ex ſtirpe *Solleriensi* coniuge, fixam *Areis* ſtatuerit ſedem. Loco deinde cooptato in Patrimonium Principis, præfectus ipſi legitur anno ſæculi illius ſeptuageſimo à Carolo primo Comite Prouinciæ, ac Rege Siciliæ, cui non minùs fuit, quàm Ludouico germano carus. Cœpit ſubinde ciuitatem, caſtrúmque variè communire; ſed abſoluit opus Aycardus eius filius, relicta ex nomine ſuo vni portarum nuncupatione, quæ etiam-num vocabulo corrupto dicitur Caſabria. Natus Hugoni præter Aycardum filius alius nomine Paulus, qui fuit à Carolo ſecundo maior Maſſiliæ Iudex creatus: itémque alius nomine Guillelmus, qui ex variis peregrinationibus redux, auctor fuit Xenodochij, in quo peregrini euntes, redeuntéſque ex Palæſtina curarentur. Sed, vt compendium faciam, ſucceſſit deinceps nobilis progenies, armis, literis, pietate conſpicua; cum ſubiecto ipſi per propagines, ætatéſque varias dominio Regij, Spinoſæ, Gramuſæ, San-Iuliani, San-Ianeti, San-Laurentij, Lauernæ, Calaſi, Petriſci, Valaveſi, Riancij.

Enimverò taceri non debet abnepos Aycardi Antonius, ad quem, & ad Raymondum filium exſtant, leguntúrque apud Noſtradamum humaniſſimæ Renati Regis literæ, cùm ſeſe ante ducentos annos ad Neapolitanam expeditionem compararet. Fuerat Raymondus à puero vnà cum Renato in Ludouici ſecundi aula educatus; natúſque eſt illi, præter Antonium, Amedeus, qui, quòd eſſet natu poſterior, ideo familiæ inſignibus; ſeu Leoni furvo in ſcuto aureo lemniſcum coccineum adjecit. Legitur is quoque *Arearum* præfectus, & Carolo tertio, cui Rex Franciæ breui ſucceſſit, intimè notus. Ab hocce autem familia rurſùs in duos ramos diuiſa eſt: ſiquidem ipſi fuere duo filij, alter Fulco, alter Guillelmus; ambo & peritiâ armorum, & prudentiâ Iuris inſtructi. Quippe, cùm primùm in expeditione Pedemontana militaſſent, ſeſe ab ipſo reditu excolendo Iuri totos addixerunt. Nam Guillelmus quidem natu minor, à Pro-auunculo Elziario Portanerio Briuonienſi, viro literato adoptatus, conceſſit Iuris diſcendi causâ Aureliam, & Auaricum; ductáque vxore Aruernate, in ea regione pedem fixit, & gratitudinis ergo inſignia Portaneriæ domus aſſumpſit; in ſcuto nempe cæruleo faſciámque, & roſas argenteas. Reliquit porrò præter Hugonem Iuriſconſultum celebrem, filium alium nomine Ioannem, patrem Ioannis alterius, à quo procreatus Ioannes alius parens fuit Ioannis illius, qui iam Libellorum ſupplicum Magiſter, heroïnas habet germanas, tum Magdalenam Petro Seguerio, per-illuſtri Franciæ Cancellario; tum Mariam, viro

 generoſo

generoſo Philiberto Pompadurio Lemovicum Proregi nuptam.

At Fulco, ex quo ſupremus Senatus vnà cum naſcente ſuperiore ſæculo Aquis Sextiis creatus fuit, maxima cum laude cauſas perorauit, factúſque ſæpiùs Prouinciæ Procuratoribus Aſſeſſor, deſtinatus non ſemel fuit ad Ludouicum duodecimum, itémque ad Franciſcum primum. Is, Fulconis eruditione, & probitate perſpecta, Senatorem eſſe meru nutu iuſſit, anno eiuſdem ſæculi ſupra trigeſimum ſecundo; & cùm Carolus Imperator immineret Prouinciæ, Annæo Mon-morantio Regiæ militiæ Præfecto Conſiliarium dedit. Memorabile porrò eſt, fuiſſe eum auctorem ſalutaris conſilij, quo Mon-morantius Regium Archiuum in Baulcienſem tráſtulit arcem: ſic enim pretioſa illa tabularia euaſere id, quod fuit à Sabaudo deinceps Aquenſi Palatio illatum incendium. Quin etiam cùm non poſſet vrbs Imperatoris copiis obſtare, ſeceſſus auctor ciuibus fuit, &, ne quid ex ea ſubſidij reſiduum fieret hoſtibus, ita ad peſſundandum cibaria, cæteráque hortari cœpit, vt primus & horrea in puteum, & vaſa vinaria, ac olearia in angiportum effuderit. Fulcone defuncto, admiſſus eſt Nicolaus filius in dignitatem Senatoriam anno ſæculi quadrageſimo quinto. Innotuit huius quoque virtus non modò Proregi Claudio Sabaudo Tendæ Comiti; ſed ipſi etiam Carolo IX. qui Senatu interdicto, miſsaque in locum illius ſummorum Iudicum decuriâ, conſcriptum decuriæ Nicolaum voluit, & Carolo ipſius fratri, poſtquam per expeditionem Corſicanam copias deduxit, ſeſéque ſtrenuiſſimè geſſit, conceſſit vltrò dominium, & proprietatem Brigantij.

Iam, vt accedamus ad Peireskij patrem, reliquit Nicolaus duos filios, Claudium nempe; & Reginaldum. Fuit autem Claudius corpore puſillo, ac infirmo quidem; ſed animo tamen planè generoſo, atque vegeto; adeò vt ab anno vſque eius ſæculi ſeptuageſimo ſecundo, quo paterna, atque avita dignitate donatus eſt, magni in Senatu, & tota Prouincia fuerit nominis, ac Henrico Engoliſmenſi magno Melitenſium Francorum Priori, Proregíque eximiè carus. Reginaldus verò innutritus à puero apud Duciſſam Ferrariæ Renatam Ludouici duodecimi filiam, cùm illa exigeret ſenium Montargitij, dedit ſe deinceps Iuri excolendo, allectúſque eſt ſubſidiorum, factique patrimonij Comitibus, & rationalibus Magiſtris. Cùm incidiſſent autem illa henoticæ factionis difficillima tempora, perſtitit conſtans vnà cum fratre, in fide Regi debita, & (quod Bernardus Nogaretius Valletanus tum Prorex magni æſtimauit) Arearum arcem, atque adeò totam illam oram à Sabaudo deſciſcere, auctoritate ſua curauit. Porrò cùm frater viueret cœlebs, duxit ipſe in coniugem Margaretam Bomponiam, quæ ex paterna ſtirpe Equites & Præſides habuit; ex materna verò ad familias Valleuoriam, Forbinámque attinuit. Fando verò accepimus fuiſſe illam forma adeò eleganti, & compoſita, vt Catharina Medicea Regum mater, cùm Aquis-Sextiis inuiſeretur à nobilibus fœminis, ipſam vnam delegerit, quam ſuo oſculo dignaretur. Is itaque fuit *Reginaldus Fabricius*, hæc *Margareta Bomparia*, quos Peireskius noſter parentes agnouit.

Quoniam verò editus eſt in lucem *Belgenſerij*; ideò ſciendum hoc oppidum ſitum eſſe in peranguſta, ſed peramœna tamen valle, quam Gapellus fluuiolus interfluens etiam diuitem facit. Diſtat hinc Tolone, hinc Areis eodem, quo illæ quoque vrbes inter ſe diſtant interuallo; milliarium vt putà Prouincialium trium: & cùm vtrique ad Boream ſit, vtrique etiam aëris bonitate longè præcellit. Fecerat vicinia, vt maiores illi Areis commorantes, tum aliquot prædia in eo oppido quærerent, tum eò ſecedentes exciperentur vetere Caſtro, quod nunc temporis iacet dirutum; ſcilicet nondum extructa domo præclaris hortis cohærente, in quam, vt canalis ex fluuio deriuari tutiùs, & vberiùs poſſet, Claudius Pontem, ſeu aquæ ductum ſatis inſignem interexſtruxit.

NATVS eſt ergo in memorato *Belgenſerij* Caſtro Peireskius, cùm parentes eò diuertiſſent ob peſtem memorabilem, quæ anno ſalutis milleſimo quingenteſimo octogeſimo graſſari tota quidem Prouincia, ſed Aquis-Sextiis præſertim cœpit. Incidit autem Natiuitas in diem Decembris anni eius primum, ac horam à meridie propemodum ſeptimam. Quod attingo ſolum, ne videar circa temporis circunſtantiam non fuiſſe ſatis diligens; non verò vt faciam hariolandi anſam coniectoribus, quò iam poſt Viri obitum, certiùs quàm antè, fata retexant. Etenim mirum dictu eſt, quàm multa mentiti Aſtrologi fuerint, ſeu annos ſpectes, quibus non vixit; ſeu vxorem, & liberos, aliáque, quibus caruit; ſeu cætera multa, quæ eſt conſequutus. Cùm parentes porrò aliquot iam annos abſque liberis exegiſſent, eam ob cauſam quamprimum mater grauidam ſe eſſe perſenſit, deſtinauit proli luſtralem ſponſorem, non magnatem aliquem; ſed, quæ fuit eius pietas, pauperem obuium primò futurum. Hinc qui pauper primus occurrit, accerſitus eſt, fidémque, dum initiaretur, ablueretúrque pro eo ſpondens à nomine patrui Claudium appellauit. Verum cùm patruus ſuperueniſſet, etiam aui nomen gerere illum voluit; vnde, quaſi prænomine Nicolai impoſito, dictus eſt Nicolaus Claudius. Quanquam non modò, cùm puer eſſet, Nicolaus ferè audiuit, ſine adiuncto Claudij; ſed etiam deinceps ætate prouectus, vt cùm eſt ab auctoribus Nicolaus Faber, ſeu Fabrius, ſeu Fabricius appellatus. Quo loco adnotari poteſt inſignis eruditi viri Ioannis Seldeni æquivocatio, dum citatum à Baronio Nicolaum Fabrum, qui Præceptor fuit Ludouici XIII. Regis Chriſtianiſſimi, pro noſtro accepit. Præfatus enim in Eadmeri Cantuarienſis hiſtoriam, & quas Lant-Franci Epiſtolas Baronius tomo vndecimo Annalium habet, memorans, *Earum, ni fallor*, inquit *ſe agnoſcit ipſe exemplar accepiſſe à clariſſimo,*

1580.

ſimo, & doctiſſimo viro Nicolao Fabro Petriſcio Curiæ Aquenſis Aſſeſſore digniſſimo, atque amico mihi plurimùm obſeruando. Et citat quidem Baronius Nicolaum Fabrum; ſed *Pariſienſem* addit, non *Petriſcium*, quod Epitheton noſter tulit ex montano oppido maternæ ditionis, Latinè Petriſco, & vulgò *Peireſc*, vnde celebre ipſi nomen; quod vt debitè pronuncietur, nos *Peireskium* inflectimus: non, vt multi, *Pereſcium*, *Perezium*, aut ſimili alia ratione.

Cæterum vix erat bimeſtris, cùm ferunt anum maleficam ingreſſam in cubiculum, projeciſſe coram matre ſecurim, quam manu tenebat, aiebátque ſe reddere; atque ex eo tempore tum ademptam matri vocem & ploratum infantulo; tum depreſſum vtrique caput in alterum humerum, ea rigiditate, vt flecti non poſſet. Addunt patruum, re cognita, vapulare anum iuſſiſſe, quæ & ipſa detorto collo ſub caminu inuenta eſt; ac illam, cùm primùm caput extulit, vt ſatis plagarum eſſe diceret, renunciaſſe id, quod fuit, matrem, infantémque valere. Id factum non modò ex aliis: ſed ab ipſo etiam Peireskio accepi, memorante vt patruus enarrare ſolitus fuiſſet. Res planè mira, ſi vetula cùm deflexerit ipſa caput, ea neruorum contentione euibrare ſpiritus poſſit, vt diſtantis caput perinde deflectat, & pari vehementia, qua ſuam, alterius linguam cohibeat; neque ſeu caput relaxetur, ſeu lingua ſoluatur, donec rigorem ipſa remittens, diſtentas, ſeu inſenſileis veluti chordulas laxârit. Et ſolent quidem ſimilia multa ad Cacodæmonas referri: verùm, vtcumque optimus Deus innocenteis infantulos illorum malitiæ permittere poſſit; vtcumque ipſi ad ea officia, & ad obſequendum miſellis quibuſdam auiculis ſe comparent: compertum eſt tamen magnam eorum partem, quæ commemorantur, fabuloſam eſſe, aut non alio certè niti fundamento, quàm minùs ſolitis quorundam morborum ſymptomatibus, quibus ſunt infantes obnoxij; cùm etiam conſtet iſta præſertim in infima plebe, ac in ipſis agris eſſe familiaria, vbi minimis quæque anſa credulitatem parit, ac fouet.

1582. Seſqui-anno poſt, hoc eſt menſe Iunio anni ſupra milleſimum quingenteſimi octogeſimi ſecundi, Kalendarij reformatione memorabilis, natus eſt illi frater, cui nomen Palamedes. Is eſt, qui deinceps à clientelari fundo dictus eſt *Valaveſius*, ex quo tempore Nicolaus quoque cœpit *Peireskius* nominari. Scilicet ad exactam vſque adoleſcentiam nuncupati ſunt nunc *Fabricij*, nunc *Calaſij*, quæ fuit etiam patris, patruíque vulgaris nuncupatio ex oppidi Calaſi ditione. Natus Palamedes cùm eſt, aberat pater negotiorum cauſâ Gratianopoli: mater verò altero à partu menſe interiit, annos nata viginti duos. Ac ſuperinduxit quidem Reginaldus pater aliam coniugem, ſed quartodecimo tandem anno. Ea fuit Catharina Vaſſalla Caraderea, illuſtri vtrimque progenie, vt cuius maiores ex paterna ſtirpe inter Achaiæ Principes fuiſſent, ex materna verò attinuiſſent ad Fliſcanos Genuenſeis. Vidua tum erat (nupta priùs Oliuario de Thulia, ex Senatorio ordine) cum ſuperſtite filia nomine Marchiſa, quæ Palamedi poſtmodùm nupſit. Ex altero autem illo matrimonio ſuſcepit Reginaldus cùm liberos alios, qui vel in pueritia, vel in adoleſcentia obierunt; tum ſuperſtitem etiamnum Suſannam, quam Henricus Seguiranus Rationalium magiſtrorum, & Senatorum patrimonialium Præſes primus vxorem duxit.

Ad Nicolaum vt redeam, is haud iniuriâ Patruum ſemper, tanquam alterum parentem agnouit. Ille enim ſuæ dignitatis ſucceſſorem eum deſtinans, ſpeciale quoddam ingenuæ educationis ſtudium aſſumpſit, ratus ſcilicet fruſtrà eſſe, ſi quis naſcatur fæliciter, nec liberaliter inſtituatur. Tantò autem magis animatus fuit, vt eius curam gereret, quantò ab ipſis cunabulis gratiorem in corpore pulchro venientem virtutem conſpexit. Quippe ablactatus vix fuit, cùm genium ſuum prodidit, nimirùm ſe ad omnia viſa, auditáque attentum præbens, ac ſolitus ſemper oris gratiâ ſuauitatéque vocis ſumma à nutrice, à parente, à patruo, à magiſtro, à quibuſcumque poterat inquirere quid, quomodo, quorſum vnaquæque res foret. Sic cùm literæ primùm monſtrarentur, & libros, chartáſque præ manibus habere geſtiret; percontabatur frequenter ecquid argumenti contineretur in iis; & quoniam indignè ferebat, ſi aliquando reſponderetur, id ſuperare ipſius captum, confingendum erat, quod illi cum voluptate recitaretur. Leuia hæc profectò, ſi ipſa ſpectentur; at non contemnenda tamen, ſi ad ætatem reſpexeris, & arbores etiam florenteis, gemmanteíſque conſiderâris. Admirationi certè fuit viris ætate maioribus, qui & mihi illa narrârunt, & aſſeruerunt, ipſum nihil vnquam, quod puerile foret, ſapuiſſe.

Septennis cùm eſſet, & vnà cum fratre in- 1587.
ſtitueretur Brinonię, vbi tum Curia ſubſidio-
rum, rationúmque, ob peſtem Aquis-Sex-
tiis perſeuerantem commorabatur, erudi-
ri expetiit in San-Maximitano Collegio,
quod literarum ſtudiis efflorescere fama
erat. Non tacendum verò, quòd patri per-
ſuaſit, vt fratrem ſibi permitteret, tanquam
inferiorem ætatem, & iuniora eius ſtudia cu-
raturo. Neque prætereundum, fuiſſe illum
fratri ex hoc tempore præceptoris ſimul, &
parentis loco; fratrémque illum tanquam
parentem, atque præceptorem reueritum
fuiſſe. Anno elapſo, ac iam peſte San-Maxi- 1588.
mini ſuborta, euocati ſunt Belgenſerium, & 1589.
rurſus poſt annum Aquas-Sextias, vbi pa-
truus tum verſabatur.

Inardeſcentibus poſteà à morte Henrici 1590.
III. Ciuilibus bellis, Aueuionem miſſi ſunt,
vbi quinquennio integro in Collegio Patrum
Societatis IESV ſtuduerunt. Memorare autem
Peireskius ſolebat debere ſe multùm Antonio Colombatio, & Andreæ Valladerio, quos ſupremos habuerat literarum humaniorum Profeſſores. Dicebat enim eos facilè ſolitos quidpiam ex aliis exercitationibus relaxare,

relaxare, vt dederet ſe maximè peruolutandis hiſtoricis, ſtudio intereà Poëſeos, & linguæ Græcæ non neglecto. Ij nempe gaudebant non tam opus eſſe greſſum illius regere, quàm eminùs viam demonſtrare; laudandi, quòd nobile pectus ea ſeruiture non opprimerent, qua plerique aut odium rerum bonarum contrahunt; aut humilibus nimis aſſueſiunt. Referebat etiam quàm ſublimes adderentur animi, cùm illi prætereà palàm commendarentur, quòd totam Iuſtini hiſtoriam, totámque Ouidij Metamorphoſin teneret ad vnguem; nec faceret finem conſulendis libris, ex quibus innoteſcere ſingulares rerum circumſtantiæ poſſent. Eamobrem certè auerſabatur & ludos, & ſpectacula; vt legendo, excerpendóque ſingularia quæque incumberet totus. Immoderatiùs tamen, vt puto; relaxandus enim animus per vices, nec ſtatim à paſtu contendenda mens; quod cùm ſtudiorum ipſius moderatores non ſatis cauerent, effectum eſt, vt ſtomacho, capitéque doluerit noo ſemel.

1595. Exegerat iam penè annum ætatis quintum-decimum, cùm Aquas-Sextias rediit, illeícque anno integro Philoſophiæ operam dedit. Voluit Patruus, vt intereà edoceretur arma tractare, equos regere, tripudiis membra exercere. Verùm quia ſuccidere gratiores quaſdam horas oportuit; ideò obſequutus eſt quidem; ſed niſi præſentibus illis, à quibus erudiebatur, tetractare nihil voluit; adeò quidpiam vel legere, vel ſcribere, vel audire ſatius ducebat. Per ea tempora oblatum fuit patri numiſma aureum Arcadij, quod Belgenſerij fuerat repertum. Id ipſe illicò popoſcit, & cùm circumſpectas literas legiſſet, Imperatoriſque oomen adnotaſſet, ad Patruum ſtatim retulit, qui illi gratificaturus, & duo alia numiſmata, & libros etiam, quibus vberiùs erudiri poſſet, conceſſit. Atque ex hoc quidem tempore exarſit, ſeu ignis in ſiluis, curioſiſſima eius mens; auidè enim conquirere, atque congerere occœpit quotquot antiquos potuit nummos, ſingulis legendis, ac interpterandis acerrimo incumbens ſtudio: qua occaſione cœpit etiam inſcriptiones omneis ſiue ſepulchraleis, ſiue alias perquirere, & ſtudiosè obſeruitare.

1596. Deſtinatus eſt deinde cum fratre Turnonem, vt ſub Patribus Societatis IESV Philoſophiæ curriculum, quod appellant, abſolueret; fratre adhuc in ſtudiis humanioribus conſiſteote. Cùm verò ſtudio Matheſeos præſertim inardeſceret, ardenter arripuit quam illic docebant Coſmographiam, certus hiſtoriam ſine illa, ac ſine Chronologia penitus obſcurá, imperviámque eſſe. Sic poſt vſum Spheræ, addidicit etiam vſum Aſtrolabij, literis repetitis ſcribens, & expoſtulans aduerſus quendam artificem, qui in ſe pridem receperat Aſtrolabij fabricam, nec ipſi tamen operam ſatis diligentem nauârat. Nihil intereà remittebat neque ex ſtudio rei antiquariæ, cuius causâ Petro Royero Profeſſorum vni fuit eximiè carus, neque vniuersè ex ipſis humanioribus ſtudiis, quæ, vt à fratre excolerentur, tanquam magiſter attendebat. Sed ad iſta nempe vt ſufficeret, ſtudere ſolebat in plurimam noctem. Euenit proinde, vt partim ex natiua conſtitutione, partim ex aſſiduo labore, prolixiſque vigiliis debilitantem ſtomachi antè contractam adauxerit, puluerémque ideò vſurpauerit, quem literis ad patrem datis appellitauit digeſtiuum. Quia literarum incidit mentio, idcircò adnotari poteſt illum ex eo iam tempore ſcripſiſſe omnia accuratè, ſtylo videlicet tentato per repetitas ſchedulas, quæ & mihi incidêre in manus, & fidem fecêre non fuiſſe illi vnquam phraſim luxuriantem, aut immaturam. Dixit nimirùm ſemper quod voluit communibus verbis; tametſi non ſine delectu, nec ſine ea gratia, & vrbanitate, qua teſtando beneuolentiam, obſeruantiam, gratitudinem; qua excuſando, commendando, gratulando, cæteráque huiuſmodi præſtando mirificus fuit. Nam ad nouercam, exempli gratiâ, ob quædam donariola, Fœlices videmur, ô mater, quod beneficiis tuis cumulamur: ſed infœlices tamen, quando ſic illis obruimur, vt agnoſcendo impares ſimus. Talia porrò dum ſcriberet, reponebat intereà quæ munuſcula poterat; nempe ab ea vſque ætate vinci benefaciendo neſcius, niſi quà prorsùs impotens erat. Ita ad amicum coætaneum ſcribens, ingratitudinémque iam deteſtatus, Mihi ipſi, inquit, intulero manus, ſi vel minimæ in officio negligentiæ coargui poſſim. Eodem ſpectat, quod Præceptorum ſollicitudinem commendabat, vt à patre, ac patruo honoraria promiſſis longè vberiora conſequerentur.

De ſtudiis vt iterum dicam, non tulit pa- 1597.
truus, vt triennium Philoſophiæ impenderet: ſed, exacto Turnone anno, reuocatum voluit Aquas-Sextias, vt deſtinatus Senatui Iuriſprudentiæ initiaretur. Id etiam experierat, cùm ille adhuc Turnone foret; ſcribens ſcilicet, vt maturè Rubricarum Enchiridium haberet præ manibus: verùm ipſe, vt Iuris ſtudium tantiſper adhuc declinaret, hunc prætextum quæſierat, Volueras, patrue, vt operam arti oratoriæ ſedulam nauarem: ſi per te liceat igitur, faciam, quoniam heic poſſum per-commodè, ac initiabor prudentiæ Iuris, cùm ex hac vrbe diſceſſero: tu præſcribe tamen quod facto ſit opus; ſi perſtes enim, nihil mihi fas, niſi vt iuſſa capeſſam tua. Itaque domum euocatus, Iuriſprudentiæ nomen dedit ſub Franciſco Fortio Andiuo, qui in Aquenſi Curia Aduocatus, & docendi Iuris oppidò peritus, callebat prætereà, ſi quis alius, elegantiores literas. Is Peireskij parentibus carus cœpit magnâ curâ Inſtitutiones prælegere; ille verò tam occaſione huiuſmodi ſtudij, quàm, ne cœptam eruditionem omninò interimeret, texere ſuo Marte cœpit Imperatorum ſeriem, à quibus leges fuerant latæ. Texuit & ſeriem Conſulum, Magiſtratuúmque cæterorum, conquiſitis vndique numiſmatibus, vt & facie, & rebus geſtis Latores Legum agnoſceret. Sic habere etiam curauit Icones celebriorum Iuriſconſultorum, vt cùm in illo-

rum

rum reſponſa, interpretationéſque incideret, fieret memoria tenacior ex concepto cuiuſque vultu. Erat tum porrò Aquis-Sextiis Petrus Antonius Raſcaſius Bagarrius rei antiquariæ peritiſſimus: poſteà quippe Henricus Magnus, propter famæ celebritatem, illum accerſiuit, & Cimeliarchio ſuo præfecit. Ipſi igitur ſucciſiuis horis Peireskius frequens aderat; vt ſciſcitaretur, edoceretúrque; ille verò ſagacitatem, eruditionémque miratus, & coniunctam modeſtiam cum diſcendi ardore amicè complexus, celare nihil poterat; ac tum varia Cimelia diebus variis demonſtrabat, tum prolatis libris coniecturas ſuas, explicationéſque fulciebat, tum ſingulareis Peireskij interpretationes & admittere, & commendare non grauabatur.

1598. Anno ſuperato, Auenionem rursùs conceſſit, vbi priuatus illi Doctor Petrus Dauid natione Burgundus, qui fuit deinceps Semurij capitalis Proſeneſcallus. Huic quoque præter peritiam Iuris ſuauiores Muſæ propitiæ erant; vnde facilè ferebat Peireskium interponere Iuris ſtudio rerum antiquarum peruestigationem. Ea de cauſa non infrequenter cum Bagarrio de re nummaria, & de rebus aliis ſelcctis per literas egit. Perſcripſit aliquando ad illum ſingularia quæque in Romei cuiuſdam Arelatenſis Cimeliarchio obſeruata, miſitque inter cætera obtentum pro eo ectypum ex eleganti jaſpide Deianiræ per Neſſum raptæ. Interdum etiam recuperata egregia Neronis, Vitelliíque numiſmata miſit ad patruum, exorauitque, vt ea exornari perinde curaret, ac exornatum Herculem, Agrippinámque iam babebat. Rogauit quoque, vt ad ſe anunlum quemdam mitteret, commutandum, vti ſperabat, cum Corneola, ſeu Onyche quadam, quæ & præſtantiſſimi, inquit, artificis eſt, & incomparabilis, ſed apud poſſeſſorem incomperti pretij. Memoro iſta ex pluribus, vt quis ex illo iam tempore circa hæc fuerit, meliùs noſcatur. Cæterùm qui curioſam eius indolem quant-maximè fouit, Petrus Antonius Gliibertus Neapolitanus fuit, quo Auditore Cardinalis Aquauiua tum vtebatur. Is enim ipſi rara quædam, ac non priùs viſa monſtrauit; & inter libros alios, etiam quoſdam Huberti Goltxij, quos nondum habuerat, in plurimos dies commodatò dedit. Quin-etiam mentem viuidam, ſagacémque perſpiciens, hortatus eſt, vt in Italiam iter inſtitueret, habiturus, Romæ præſertim, vnde explere animum poſſet.

Agebat tum annum ætatis decimnm octauum; cùm de profectione in Italiam cogitans, natandi artem addidicit. Ante id tempus ſolitus erat ſe per æſtatē abluere in minore Rhodaui alveo, qui eſt Barthalaſiæ Inſulæ ad ortum, & in quem ſe Sorga fluuiolus exonerat. Deprehendit autem aliquando fundum, quod aliàs æquabile, & molliuſculum obſeruârat, induruiſſe in globulos, moleculáſve, qualia oua ſunt, cortice detracto, vbi coctiora fuerint. Id demiratus & collegit, & detulit aliquot domum, vt præceptori oſtenderet, & facti cauſam ſciſcitaretur. Miraculum verò adauctum, vbi poſt dies non ita multos, cùm rediiſſet ad fluuium, deprehendit moleculas induruiſſe planè in fluuiatileis lapides, idémque etiam obſeruauit contigiſſe iis, quas aſſeruabat repoſitas domi. Atque exinde quidem cœpit circa lapidum generationem philoſophari; ſed res dicenda poſteriùs eſt. Tandem verò cùm deſiderio inuiſendi Romam flagraret, veritus tamen ne parentes id abnuerent; petiit duntaxat Patauium mitti, vbi celeberrima Iuris ſtudia eſſent. Tacitè autem cogitabat proximè eſſe annum ſecularem, veniarúmve ſolemnium; ac ſe ipſius occaſione poſſe Patavio Romam adire.

Incipiebat tum fluere annus ſuperioris ſæ- 1599.
culi nonageſimus nonus, cùm Cardinalis Ioyoſçus diſcedens in Italiam, erat Ferrariam conceſſurus. Videlicet Clemens octauus ditionem caducam ex morte Alphonſi ſaeundi Arteſtini recepturus, eò diſceſſerat; eáque de cauſa Cardinalis non Romam, ſed illuc tendebat. Itaque Peireskius valde exoptârat ſe in ipſius comitatum vnà cum fratre dedere; at parentibus ſecùs viſum. Nam conſtituerunt quidem fauere laudato deſiderio; ſed cenſuere tamen expectandum Autumnum, tum vt tempeſtas foret moderatior, adoleſcentéſque potiùs hieme, quàm æſtate ſuccedente, alieno cœlo aſſueſcerent; tum vt commodiùs de neceſſario apparatu prouideretur. Quærendus porrò primùm fuit, qui ſtudia & mores eorum regeret; tametſi ea erat vtriuſque, & ipſius Peireskij præſertim moderatio, atque prudentia, vt videretur potiùs, quàm neceſſitati ductor deſignandus. Itaque delectus eſt ipſis Paulus Gudanes Fonviuius, nobilis è Bearnia vir, qui ex Italia, Polonia, Germania, aliíſque regionibus redux, multorum iam hominum mores, ciuitatéſque nouerat, quémque Bellevræus Cancellarius in proximos annos filio deſtinârat.

Diſceſsêre ergo cum illo ſub Septembris Initium, prætuliſtque Peireskius ſoluere ex Cannenſi portu, tum vt antiquum Monaſterium in Lerone Inſula proximè ſitum inuiſeret; tum vt priùs occurrentia ad forum Iulij monumenta antiquitatis coràm luſtraret. Cùm appuliſſent Genuam, ac ſpectaſſent abundè ſatis palatia illa magnifica, fuit quidem præstereà ſuperandus mari Veneris, ac Eriei portus; ſed voluit tamen Peireskius terrâ deinceps contendere, tum quòd ex mari malè haberet, tum quòd luſtrare curioſè vellet, quæ animo conceperat. Videlicet itinerarium ſuo ſibi marte apparârat, ſtatuerátque non ſic ex vrbe in vrbem rectà pergere, quin, ſi hinc inde aliqua notatu digna memorarentur, dinertere illuc pro libitu poſſet. Hinc ſeſe nunquam in extraneorum comitatum ſponte adbibuit, & vbi ſe alij ipſi adjunxerunt, vrbana quadam excuſatione ſeiunctionem breui faciendam præuenit. Parùm porrò abfuit, quin eæ digreſſiones, ipſo ſtatim initio, illi peſſimè ceſſerint. Cùm enim ad fodinas Maſſæ inſpiciundas deflecteret, ductorem ſe vnus extortium,

quos

quos Banditos vocant, ſic præbuit, vt niſi maturè fuiſſet agnitus, deduxiſſet planè in carnificinam. Commoratus nonnihil Lucæ, ſpectare Piſis voluit inſigne Cimeliarchium: non potuit tamen, niſi poſtquàm Liburnum inuiſit, ac in eam vrbem rediit. Memini verò, inter cætera, quæ ibi viſa commemorabat, admiratum illum Corallij plantam, quæ humano cranio ſuperereuerat: quod adnoto, quia hæc deinceps fuit illi non poſtrema cauſa, vt adeſſet coram in expiſcatione Corallij, de qua ſuo poſtea loco dicendum.

Vt paucis loca alia perſtringam, iter exinde fecit Florentiâ, Bononiâ, Ferrariâ, ac vbi fuit paucis diebus immoratus Venetiis, ſedem Patauij denique fixit. Illeic paucos menſeis vix fuit, cùm ipſius virtus apud vniuerſam Academiam inclaruit. Quippe tametſi vnà cum fratre Profeſſores Iuris circumſtaret frequens, ac nominatim Iacobum Gallum, Bartholomæum Siluaticum, Ioachimum Scaïnum, Ottonellum Diſcalcium: nihilominùs alios etiam, quotquot aderant, eruditos viros & conuenit, & facilè in admirationem traxit. Cæteros inter, Thomas Segetus, ille nempe, quem Lipſius centuriâ tertia Epiſtolarum commendatum iam fecerat, ſic ſuam ipſi beneuolentiam, obſeruantiámque ſignificauit, vt inſcriptum priùs hoc voluerit, GENIO GALLIÆ NARBONENSIS, INGENIO, ET MATVRÆ, IMMATVRO ÆVO, NICOLAI FABRICII VIRTVTI SACRVM. PATAVII. PRID. NATAL. CHRISTI, CIↃ. IↃ. IC. Vir autem eximius Erycius Puteanus, non Lipſio modò collaudatus, ac poſtmodum datus ſucceſſor, ſed iam tum etiam deſtinatus, qui Mediolani ageret & Chronographum Regium, & artis Oratoriæ interpretem primum, inſcriptione iſta præiuit, LARE SECRETO. CVI GRATIÆ ADOLESCENTIAM ORNANT, ERVDITIO IVVENTAM, PRVDENTIA SENECTAM; IS ADVLESCENS VOLVPTATEM AMICIS CREAT, IVVENIS HONOREM PATRIÆ, SENEX VTRVMQVE SIBI. TV VERO NICOLAE FABRICI, CVNCTA SIMVL AMICIS, PATRIÆ, TIBI, IN SPE ÆTATIS, ET FLOREM IVVENTÆ, ET FRVCTVM SENECTÆ PROFESSVS. PATAVII OC. IↃC. KAL. FEBR. Atque hoſce quidem refero è multis.

1600. Cùm verò in ſe omnium ora, oculóſque converteret; notiſſimus ſanè, & cariſſimus potiſſimum fuit laudatiſſimo illi Ioanni Vincentio Pinello, qui origine Genuenſis, & patria Neapolitanus, eam ciuitatem delegerat, in qua tranquillè æuum degens, totum ſe bonis artibus, literíſque ingenuis promouendis conſecraret. Is videlicet Bibliothecam inſtructiſſimam apparârat, rerúmque omnium exquiſitarum promptuarium inſtruxerat; ac æui illius literatos omneis, quà propè quà procul, ſi quid libris, aliíſve rebus opus haberent, adiutabat. Callentiſſimus ipſe rerum, & excitabat omnium ſtudia, & fores ſuas colloquiis, conſuetudiníſque eruditorum Virorum tam aduenarum, quàm indigenarum apertas habebat. Teſtimonium illi dixerunt & Lipſius, & Scaliger, & Thuanus, & Caſaubonus, & Pithœus, & quis non ex laudatis Viris? Itaque, talis vir cùm eſſet, deperiit ſtatim Peireskij genium, tanquam ſui ſimillimum: admiratúſque, & reueritus in adoleſcente eſt adultam iam, ac penè maturam virtutem, & eruditionem. Superſunt certè ſchedulæ variæ, quibus ad illum miſſitatis, teſtatus eſt ſummam familiaritatem; nunc variè conſultans circa numiſmata, circa rerum geſtarum loca, circa reſponſa danda Vrſino, Velſero, & aliis: nunc gratias agens ob varias interpretationes rerum, locorúmque apud Auctores difficilium, ob communicatos libros, ectypos, apographa, alia: nunc viciſſim mittens, ſi quando aut Roma, aut aliunde accepiſſet libros, Cimelia, inſcriptiones, literas; nunc inuitans ad cognoſcendum, colloquendum, ſpectandum, ferendum iudicium, & id genus cætera, quæ recenſere moleſtum foret, ne quidpiam dicam de literis, quas ad quadraginta vſque, dum ille Venetiis, Florentiæ, aut Romæ eſſet, perſcripſit omneis familiariſſimas, & ſingularis beneuolentiæ teſtificatione plenas.

Commeabat autem Peireskius tertio quoque menſe Venetias: tum vt neceſſariam pecuniam, iuxta nummarias teſſeras, à nummulariis exigeret; tum vt Viros doctos, literarúmque amanteis, veluti Paulum Sarpium, Dominicum Molinum; & complureis alios conueniret; tum vt nihil, quod foret pretio, raritatéve in ea ciuitate commendabile, fineret inuiſum. Quam quidem ad rem eximiè fauebat egregius Christianiſſimi Regis nomine Orator Philippus Canaïus Fraxineus; cùm ipſe quoque ſibi interea pararet amicos, quorum auctoritate nihil fieret imperuium. Præcipuus in illis fuit Fridericus Contarenus Diui Marci Procurator, qui, cùm Muſæum haberet inſtructiſſimum, illius tamen pretium non nouit, donec Peireskius demonſtrauit quidnam, & quanti æſtimandum vnumquodque Cimeliorum foret, quid inſcriptiones Græcæ tam numiſmatum, quàm marmorum ſignificarent, & id genus ſimilia, ex quibus ſingularem viri beneuolentiam eſt conſequutus. Neque verò ipſius modò, ſed & totius etiã familiæ: ex quo interceſſit illa cum Angelo Contareno viginti pòſt annis agente in Gallia Reipublicæ Oratorem neceſſitudo; & cum Vincentio Contareno, qui ſex annis pòſt librum variarum lectionum edens, *E Gallia vſque*, inquit, *nobiliſſimus, & cùm Iuris, tum antiquitatis totius egregiè peritus Nicolaus Fabricius me ſibi peramicè monendum putauit.* Prætereo Ioannem Mocenicum, cui fuêre oppidò quàm-rara; prætereo Bembum Equitem, cuius vniuerſam penè rerum antiquarum ſupellectilem à Cardinali vſque Bembo deductam coëmit: prætereo Patriarcham Aquilejenſem, in cuius Cimeliarchio memorabat ſe obſeruaſſe ad trecentos vſque Cameos per-raros: prætereo & alios complureis. Refero ſolùm quod Puteanus, cùm Venetiis foret, ad Pinellum ſcripſit XI. Kal. Iunij eâ Epiſtolâ, quæ edita eſt in Promulſide octogeſima ſecunda, *In ædibus*, inquit,

Scaramelli

Scaramelli fui : Septumle monumentum vidi, etſi penè fruſtrà : ita ſimiliter omnia expreſſa, vt neſciam, me hercules, induſtriam, an memoriam Fabricij noſtri, an vtramque debeam admirari, qui tam fœliciter in ſumma feſtinatione ipſe pinxit, aut fœliciter pingentis poſteà, ac reformantis manum direxit. Exinde nempe colligitur, quàm ſolers foret, ac diligens in ſingulis obſeruitandis.

Cæterùm Venetias profectus ſub finem Auguſti, ardorem tandem explicuit, conſiliúmque cepit concedendi exinde Romam, quòd tametſi Porta-Sancta aperienda, & Iobelæi celebritas inchoanda non eſſet, niſi ſæculi, atque adeò anni ſequentis initio: exiſtimaret tamen, ſi quos illeic menſeis præoccupando tranſigeret, haud malè collocatum iri. Nôrat aliunde fore, vt breui celebrarentur Florentiæ memoranda ſponſalia inter Henricum Regem Chriſtianiſſimum, & Mariam Mediceam nunc Reginam matrem: neque volebat committere, vt à ſe coràm non ſpectarentur. itaque poſtquàm Patauium ſcripſit, ac ſpecialiter ad Pinellum, inſcriptiones, aliáque mittens, & ſimul rogans, vt literas ad familiareis Romam daret; diſceſſit initio Septembris, lembo conducto Ferrariam, aut certè Francolinum vſque. Non peruenit autem Florentiam ante diem menſis vigeſimum, quod vbicumque aliquid ſpectatu dignum occurreret, quantum ad illud peruidendum opus foret, commoraretur. Conſtitit verò, retardatúſque Bononiæ potiſſimùm eſt, quod Iulius Cæſar Velius, qui credebatur hauſiſſe totam antiquitatis notitiam, ſuaui illius congreſſu captus, detinere ipſum pluſculùm voluerit. Neque verò ſe continere optimus ſenex potuit, quin de ſua fœlicitate in cognoſcendo Fabricio, literas calidiſſimas, miriſque elogiis pleniſſimas daret. Calidiſſimas certè eas dixit Pinellus, commendans aliunde, quod Fabricius ex iis non eſſet, qui peregrinando nihil aliud, quàm curſitant, quibúſque, iuxta Senecam, illud euenit, vt multa hoſpitia habeant, nullas amicitias.

Accedens Florentiam, habuit aliquas à parentibus literas, ac, inter quaſdam commendatitias, reperit ſpecialeis Caroli Lotharingij Ducis Guiſij, & in Gallo-Prouincia Proregis, ad Nicolaum Brulartum Sillerium, qui fuit deinceps Regni Cancellarius, quíque tum Regius Romæ Orator, eò venerat, ad ſponſalium celebrationem. Quamobrem ille Peireskium, fratrémque accitos in familiam voluit, vt ſuis ſub auſpiciis omnia liberiùs contuerentur. Præter verò celebritatem, auidè imprimis ſpectauit Bibliothecas illas inſigneis, in quibus agnouit, &, penè dicam, adorauit tum magnorum Principum, tum Virorum eruditorum, à quibus bonæ literæ reſtitui cœpêre, veſtigia. Nihil ſpeciatim dico de Pandectis, quos, in Palatio magni Ducis religioſiſſimè licet aſſeruatos, curauit tamen inſpicere; ſecuros nullum antiquitatis monumentum illuſtrius in literario orbe exſtare. Amicos quoque illeic parauit; ſed, quantum recordor, nullum conſtantiorem, quàm Richardum Richardi, ſtudioſum plantarum, atque marmorum; qui ipſum quoquoverſum ad opera publica, hortóſque deduxit. Menſe tranſacto, Senas petiit, vbi ſalutare potiſſimùm voluit Celſum Cittadinum, qui tunc habebat præ manibus tractatum de Origine, progreſſúque Latinæ, & italicæ, ſeu vulgaris Linguæ. Inde diſcedens, Romam tandem ſub finem Octobris peruenit.

Romæ porrò dici non poteſt quàm citò fuerit notiſſimus; non modò, quia iam Pinelli, aliorúmque literæ celebre nomen fecerant; ſed maximè etiam, quia cùm primùm viris in ea vrbe eruditis cœpit congredi, ingentem ſui admirationem, atque amorem conciliauit. Prolixum foret recenſere quos eximios viros coluerit, à quibus, ob lumen ingenij, & temperatiſſimos mores, magni habitus fuerit: ſed cùm ſileri omnes non poſſint, commemorandi imprimis ſunt magni illi duo Cardinales, Baronius, atque Bellarminus. Ille nempe obſtupeſcebat, cùm de inſertis in Annaleis inſcriptionibus, aliiſque rebus ad Hiſtoriam abſtruſiorem ſpectantibus, ediſſerentem coràm audiret. Ecquid putas verò, cùm oſtendit gemmas, numiſmatáque varia, quibus Baſilidiani, Valentiniani, aliíque hæretici inſcribere ſoliti erant vocabula barbara opinionibus ſuis obtegendis? Collegerat nempe complura, ad illuſtrandum, quod ille in ſecundum tomum conjeciſſet ex Amethyſto Fuluij Vrſini, circa vocem Α Β Ρ Α Ξ Α Ϲ, vel Α Β Ρ Ϲ Α Ξ, qua Baſilidiani intellexêre ſummum Deum, continentem Angelos ſeptem, Cælorum ſeptem præſides; ac prætereà eorum trecentas ſexaginta quinque virtutes, iuxta anni dies; idque ob ſeptem literas, numeralémque eorum valorem (junctis ſcilicet numeris, pro ordine vniuſcuiuſque in Alphabeto literæ) & id genus ſimilia, quæ deinceps quoque ad Natalitium Benedictum literis expoſuit. Bellarminus verò tum eadem, tum alia accipiens circa hæreſes, veterémque hiſtoriam totam, hærebat quid magis probaret, an ſagacitatem in perueſtigando, an ſolertiam in conijciendo, an iudicium in eligendo, an memoriam in referendo, an lepôrem in explicando. Meritò autem leniſſimis eius moribus capiebatur; nam, vt omittam cætera, confidentem in media plebe auditorem ferè habebat, quoties ſuos parœcos pro concione erudiret, familiaritérque inſtitueret.

Dicendus deinde Iacobus Sirmondus, inter homines Societatis IESV iam tum etiam clariſſimus: arctiſſimam enim cum illo amicitiam iniit, nihilque ſtudiorum non commune habuit. Dicendus Lælius Paſchalinus, cuius Cimeliarchio ſpectabilius quicquam non fuit, quique illius eruditionem ita ſuſpexit, ita amauit indolem, vt aliquando cogitârit, ac voluerit pretioſa quæque tradere, quæ ipſe ſecum abſportaret. Dicendus Fuluius ille Vrſinus, cuius nomine inter viros antiquariæ rei ſtudioſos maius, celebriúſque nullum eſt, quique ex perſcriptis à Pinello interpretationibus experiretur

illum noſſe perardenter. Dicendus Philippus Pigafetta, ad quem cùm Pinellus initio non dediſſet literas, mirum quanta commendatione obliuionē compensârit. Dicendus iſtic ipſe Ghibertus, quem Auenione iam nouerat, quiſque ad ſpectandum res varias ipſi deducendo ſe comitem præbuit. Dicendus, qui etiam eum variè deduxit, Paulus Gualdus, eruditus Vicetinus, qui in Pinelli contubernio ipſum miratus Patauij, Romæ etiam obſtupeſcebat. Dicendi Petrus Stephanonus, Dionyſius Octauius Sada, & vniuersè quotquot fuère in vrbe eruditi viri, & bonarum artium, literarúmque amantes. Sed & reticendus non eſt Arnaldus Cardinalis Oſſatus, Regia negotia tum Romæ curans, vir eruditione, prudentia, integritate, ſuauitate morum eximie conſpicuus: qui conſuetudine Peireskij exſatiari vix vnquam potuit, neque illum vnquam abs ſe, dum inuiſeretur, non ægrè dimiſit. Non reticendus Abbas Montanus, Archiepiſcopi Arelatenſis patruus, qui virtuti illius potiùs, quàm Nepotis commendatione, in perpetuum propemodùm contubernium adſcitum voluit.

Iam neque dici facilè poteſt, quàm vehementi ſtudio vniuerſa antiquitatis monumenta peruestigârit. Imprimis enim deſiderauit ſitum vrbis cognoſcere, & regiones, quas fuit complexa. Viſis montium veſtigiis, adeò depreſſos miratus eſt, quos putârat adeò ſublimeis. Obſtupuit inter cæteros Palatinum ſummè deſertum, quo nullus olim frequentior. Diſquiſiuit ſi fortè poſſet intelligere, aut ſubodorari, quà fuiſſent Pomerij fines tam à Regibus, quàm ab Imperatoribus prolati; & cùm ad portas, viáſque omneis diligenter attenderet, explorauit tamen præſertim Aureliam, propter eius viæ reliquias, quæ in Prouincia adhuc ſuperſunt. Deinde regiones, vicóſque percurrens, agnoſcere voluit, quantum licuit, quà exſtitiſſent Priſcorum templa, ædes, aræ, luci, ſepulcra, aſyla, ſcholæ, bibliothecæ, amphitheatra, theatra, circi, hippodromi, naumachiæ, campi, odæa, fora, emporia, horrea, armamentaria, balnea, thermæ, aquæ, pontes, coloſſi, obeliſci, columnæ, ſtatuæ, & innumera alia, quæ inter legendum auctores adnotauerat, & in commentarios relata circumgeſtabat. Vix autem vnquam exſatiari contemplando poterat, cùm obſeruaret quidpiam adhuc ſiue integrum, ſiue mutilatum ſuperſtes.

Sic dies bene multos poſuit circa Pantheon, ratum Architecturæ exemplar, conſiderando, conferendóque quicquid Ludouicus Demótiuſius fuerat de illo ratiocinatus. Sic, quia nôrat aſſeruari in Vaticano Palatio tum Herculem truncum, tum Laocoontem cum duobus filiis, opera exquiſitiſſima, & Michaëli Angelo miracula habita artis; idcircò illis inſpiciundis non vna vice adſtitit, vt nec ſemel etiam inuiſit geminas illas Alexandri, & Bucephali ſtatuas, quæ exſtant adhuc Phidiæ, & Praxitelis monimenta. Sic aliquoties ad inuiſendum C. Seſtij Epulonis in via Oſtienſi ſepulcrum itauit, ob vetuſtiſſimas illius, nobiliſſimáſque reliquias. Sic variè ſpectauit obeliſcos varios, ſed nullum frequentiùs, quàm Conſtinianum, ob cuius effoſſionem, tranſlationem, erectionémque laudare ſatis non poterat generoſum Sixti V. Pontificis inſtitutum. Sic & columnas; ſed maxime Traianam, atque Antoninianam. Illam quidem, vt Pinello ſatisfaceret, cui factum ſatis non fuerat volumine toto de ea (ſeu de hiſtoria vtriuſque belli Dacici, à Traiano geſti, prout Alphonſus Ciaconus illam ex columna eruerat) conſcripto: vnde & exoptauerat tum exemplum libri à Peireskio quàm perfectiſſimum conquiri; tum depictas in eo figuras perſonarum, armorum, geſtuum, cum inſculptis, ſecundùm totam cochlidem, per ipſum conferri. Hanc verò, hoc eſt, Antoninianam, vt perdiligenter exprimi curaret effuſionem illam Iouis Pluuij Romanorum exercitum irrorantis, & hoſtium copias fulmine ferientis. Eiuſmodi certè Iconiſmum cum Scaligero poſtmodùm offerret, ad illuſtrandum quod Euſebius de prælio commiſſo inter Antoninum, & Germanos, ac Sarmatas, contulit in annum Olympiadis c. xxxviii. primum, Hæc, inquit, vna eſt ex rebus maximè notatu, & ſpectatu dignis, quas mihi quidem inter omnia antiquitatis monumenta contigit Romæ obſeruare.

Nec verò harum modò rerum delineationes habere voluit; ſed rariorum etiam quarumvis ſtatuarum, quas diſquiſiuit in Capitolio, in Vaticano, in Farneſianis, in Cæſianis, in cæteris ædibus; itémque in hortis, ac vineis, &, vt breue faciam, in quibuslibet priuatis, publicíſque locis; Pictores deducens, qui non modò ſtatuas, intemeratáque alia opera; ſed truncos etiam, & ruinas ædificiorum veterum, quà occurrerent, adumbrârant. Deferre quoque ſolitus erat ſelecta quædam numiſmata, quæ conferret cum ſtatuis, explorans cuiuſque ætatem, & agnoſcens plerumque manum: cùm eâ foret ſolertiâ, vt momento diſcerneret quid re verâ, quidque ex ſola imitatione foret antiquum. Sic inſcriptionum etiam omnium, quæ ſaperent antiquitatem, habere voluit apographa, tentans pro ſua ſagacitate exeſas ſupplere, ac penè deſperatas reſtituere. Rurſus Codices MSS. ſeu Vaticanos, ſeu Farneſianos, ſeu alios, non quantum quidem libuit, ſed quantum tamen licuit, euoluit; &, quotquot inter cæteros maximè rari viſi ſunt, adnotauit in tabulis. Sic adnotauit etiam vaſa, pondera, menſuras, cælaturas, numiſmata, ſimulacra, imagines, & quicquid demùm notatu dignum occurrit in Metallothecis, Iconothecis, in Promptuariis, Muſæis, Xyſtis, Pergulíſque variis; vt prætercam innumera, quæ vel pretio quæſiuit, vel commutauit, vel dono habuit, quorúmque ſaltem ectypos, ecmagmata, apoſphragiſmata, aut iconiſmos obtinuit. Vnum doluit, ſe nec habere, nec videre vſquam potuiſſe memorata Goltzio Tulli Hoſtilij, ac Seruij Tullij numiſmata; vt neque alia memorata cum hiſce inſcriptionibus, *Col. Aqua-Sextia.*

Col.

Col. Arelate. Col. Auenio. Col. Arauſio Secundanorum, & ſimilia, quæ amore patriæ ardentiſſimè, ſed fruſtrà tamen requiſiuit.

Ex hiſce porrò ingentem ſui admirationem excitauit, non modò Romæ, vbi illius amicitiam eruditi omnes ambierunt, ſed in diſſitis etiam locis, quocumque eius fama peruenit. Ex hoc nimirùm tempore cœpit, quæ fuit illi neceſſitudo cum Natalitio Benedicto, rebus exquiſitis inſtructiſſimo, ac Fullinij tum commorante; quæque cum Adolpho Occone Auguſtano Medico, tunc iteratò edente volumen de numiſmatis Imperatorum Romanorum: vt illos taceam, quos iam nôrat, Hieronymum Rubeum Rauennæ, Cæſarem Nichezolam Veronæ, Antonium Tolentinum Cremonæ, Cæſarem Campanum Vicentiæ, aliiſque locis non paucos. Mirum autem quantum Patauij præſertim inclaruerit, atteſtantibus literis ad ipſum per id tempus datis à Laurentio Pignorio; qui ipſe rerum priſcarum adeò peritus, profeſſus eſt tamen ſe amplius ex vnis eius literis, quàm ex decem Antiquariorum voluminibus eruditi: quique ſuſpexit non modò copiam conquiſitarum ab ipſo rerum, ſed delectum etiam inſignem, cùm ex miſſis duobus quibuſdam Conſtantini numiſmatibus, agnoſcere ſe, vt ex vngue leonem, dixit. Conſimilia ſcripta ab Edmundo Brutio, Georgio Raguſæo, Iacobo Papifauio, Martino Sandello, &, quem nominare primum debui, Hieronymo Aleandro iuniore, vero Muſarum delicio; itémque M. Cornaro optimo vrbis Præſule, quicum deinceps per literas, donec fuit in viuis, amicitiam coluit. Sed quantum quidem fieret Patauij vel id indicat, quòd miſſo Auguſtâ Vindelicorum ectypo Sapphiri cuiuſdam, inſcriptionem præferentis, in qua *Xiphia* vox omnibus curioſis faciebat negotium; Pinellus ad eum ſcripſerit, examenque, & iudicium ea de re ipſi detulerit. Prætermitto autem, vt fecerit ſatis, vocique lucem attulerit ex Strabone potiſſimum, cùm ex Polybio loquutus eſt de venatione *Xiphiæ*, monſtri videlicet marini.

Quod ad ſtatum Romæ recentioris ſpectat, nullum fuit Templum, Sacellum, Collegium, Xenodochium, quod ingreſſus non fuerit: nullum Palatium magnificum, nullum celebre Pontificum opus, ad quod non diuerterit: nulla Raphaëlis Vrbini, Michaëlis Angeli, Polydori Carauagij, Tiriani, aut alterius artificis inſignis pictura, quam non inſpectàrit. Sic cæmiteria, cryptaſque illas ſubterraneas, plena venerationis loca, & Chriſtianæ pietatis, conſtantiæque monumenta. Sic Religioſis cæremoniis, quantum ſine diſcrimine poſſe putauit, interfuit. Quippe quod complexione foret non robuſta magnoperè, coniicere ſeſe in turbam tumultus plenam detrectabat. Heinc quod ad ſtatas, ſolemneiſque Iobelæi attinuit, ſpectauit quidem, obſeruauitque ex ipſis quantum potuit; cæterum autem Valaveſio fratri, tanquam valentiori demandauit curam ſpectandi omnia cominùs, & ad ſeſe referendi. Idem præſtitum circa cæremonias, 1601.
quas vocant Cœnæ Domini: quod circiter tempus tam ipſe, quàm frater, vt Pontificem iis pauperibus, quos dietim paſcit, miniſtrantem, ſimúlque in eadem aula diſcumbentem contuerentur, vices redemêre duorum pauperum, veſtibúſque eorum aſſumptis, adfuêre inter cæteros, & agniti licèt à Pontifice, ipſo tamen rē placidè diſſimulāte omnia ſpectārūt.

Paſchalibus Romæ exactis, & poſtquàm varia munera domo accepta diſtribuit, nonnulláque etiam ad Pinellum miſit, profectus eſt Neapolim. Superfluum foret recenſere quantum, quotiéſque diuerterit, vt requireret varia, quæ apud auctores celebrata ſunt tam Latij, quàm Campaniæ loca. Affectum ſe verò præſertim dicebat, cùm memorata Virgilio coràm haberet, luſtraréetque, vt Cajetam, vt Cumas, earúmque reliquias: vt Miſenum montem, & Auernum Lacū, & ſimilia. Cùm item loca, in quibus exſtitiſſe dicerentur villæ Ciceronis, & Luculli; aut ſepulti fuiſſe Scipio Africanus, & Virgilius: atque id genus cætera, ad magnos viros attinentia. Addebat ſe, cùm crypten illam, ſeu, vt appellat Seneca carcerem longum, & obſcurum, Pauſilippum ſcilicet montem per paſſus mille perforatum, eundo, redeundóque ſpectaret, doluiſſe, quòd ignoraretur, certúſve non eſſet, qui tam præclarum facinus, tanto viatorum compendio, commodóque attentauiſſet. Digniorem enim commendatione arbitrabatur eſſe, quàm Xerxen, cùm Græciæ bellum inferens, Athon montem non à continente modò præſcidit, ſed medium etiam perforauit.

Neapolim quam-primùm acceſſit, tenere ſe non potuit, quin Portæos illos fratres conueniret. Cùm inductus autem fuiſſet ad natu maiorem, cui nomen Ioannes Vincentius, is breui colloquio ſic affectus fuit, vt ipſum exclamabundus ad Ioannem Baptiſtam natu minorem deduxerit, quò & ipſe in ſimilem admirationem raperetur. Enarrare autem ſolebat Peireskius, licèt ipſe quoque Ioannes Baptiſta foret iam grandæuus, adſperſiſque canis venerabilis; ipſum nihilominùs eâ reuerentiâ obſeruare ſolitum iuſſa, nutuſque Ioannis Vincentij, vt maiore non potuiſſet ora, atque imperium patris. Cæterùm, vt cum ipſis vltrò communicauit plurima, ita viciſſim ab iis accepit: neque ſpectauit modò quæcunque aſſeruabant in Muſæis, pretioſiſque armariis; ſed etiam omnigenis penè illorum experimentis, prout ſibi in votis eſſe inſinuauit, interfuit. Heinc nata ipſi cum vtroque eximia familiaritas, &, quæ eſt deinceps mutuis literis, officiiſque variis culta amicitia. Inuiſit prætereà Muſæum Ferrantis Imperati, ipſum quoque raris naturæ operibus inſtructiſſimum; itémque Adriani Guillelmi, Martis Gurguſtiolæ, & Marbæi Cappuani Conchanorum Principis; tametſi ad hūc extra ciuitatem diuertendum fuit. Monumenta inſuper omnia antiquitatis peruestigauit, ac præ cæteris delineatas voluit neſcio quas columnas operis Corinthiaci, Apollinémque ad Tripodem, & ſimiles quaſdam figuras. Ad hæc rogauit,

didicítque quicquid licuit cognoſcere de familiis Neapolitanis tranſlatis in Prouinciam, & de Prouincialibus tranſlatis in eam regionem. Cùm verò noſſet eſſe in templo Diuæ Claræ nuncupato ſepulcra complura Regum, Principúmque ex Regia ſtirpe ad Carolum primum (quem diximus fuiſſe S. Ludouici fratrem) attinentium: idcircò ad illa maximè attendit, præcipua adumbrauit, Epitaphia exſcripſit. Quin-etiam ſollicitus fuit in exquirendo ſepulcro Simonis Portij Philoſophi celebris, non ita pridem vita defuncti: ſed enim curam explorandi, ſi qua fortè inueniretur, & maximè quidem cum Epigraphe, Pinellus ipſi commendârat.

Viuebat tum Neapoli fœmina quædam ſanctitate, institutóque vitæ illuſtris. Ea Romam accita à tempore vſque Gregorij tertij-decimi, & ab optimo Bellarmino examinata, probatáque, dicebatur rapi in eam exſtaſin, ſtatim ab aſſumpto Euchariſtico Sacramento, vt quemadmodum genuflexo erat, ita immota, rigidáque, ſtipitis inſtar conſiſteret, oculis apertis nihil conſpiceret, toto corpore nihil planè ſentiret. Itaque noluit Peireskius ex ea vrbe diſcedere, quin tē factu mirabilem vidiſſet, atque explorâſſet. Ac obtinere illud quidem abſque contentione non potuit; ſed, vt imperuium ipſi nihil erat, peruicit tandem, ac præter fratrem, deduxit quoque Ioannem Porcelletum Malliacum, qui fuit deinceps Præſul Tullenſis. Vidit ergo, explorauitque, & commemorando mirari ſolebat, ſi poſſet quidpiam ſimile humanitùs contingere; neque facilè credebat Cardano referenti ſibi quid tale euenire ſolitum, quoties animo collibuiſſet.

Poſtquàm vrbem ſatis luſtrauit, illiúſque elegantiam, amœnitatémque admiratus eſt, nihil habuit potiùs in votis, quàm adire Veſuuiū, contemplarique locū, in quo magnus Plinius diem obiiſſet. Ea re peracta, inſigni quodam flagrauit deſiderio inviſendi Siciliam, & pergendi Meliten vſque. Tria autem erant, præ cæteris, quæ auebat coràm ſpectare, Fretum Scyllæum, Æthnæ incendium, Antiquitates Syracuſanæ: reſtitit tamen Fonviuius, neque ipſe, illo inuito, progredi vſquam voluit. Quare ſatis fuit totam eam regionem circùm peragrare, & ad loca etiam aliqua redire, vt Puteolos, & Baias verſus, quò poſſet oculatiùs duo quædam ædificia ſubterranea inſpicere, quæ Piſcina mirabilis, & Labyrinthus appellantur. An adiiciam verò, cùm littus prope Puteolos conſideraret, puluerémque requireret aqua marina lapideſcentem, derectum ipſi præthereà fuiſſe inter arenas quendam plumbeum, quo cælaturæ, ac præſertim Onychinæ conſeruarentur? Quòd autem in eo littore numiſmata ferè exeſa deprehenderentur, opinatus eſt cauſam eſſe ſulphur, quod tametſi inſenſile, in iis tamen oris vbique interuenit, accedentè aliunde ex mari ſalſugineo halitu, cum arrodendi facultate.

Altero pòſt menſe repetiit Romam, idque vt amicis vale diceret, collatis variis munuſculis, ac aliquibus etiam aliò miſſis. Conſtituerat nempe redire Patauium ante Solſtitium, magnóſque æſtus; vnde & paucos intra dies non ſine relicto ſui deſiderio ex vrbe diſceſſit. Inſtituit autem iter Peruſiâ, tum Academiæ gratiâ, tum ſpectandi lacus Thraſumeni causâ. Deflexit inde Eugubium, occaſione inuentæ illeic non ita pridem Tabulæ æneæ lingua veteri Hetruſca perſcriptæ. Salutato poſteà ad Aſſiſium D. Franciſci monumento, inuiſit Fullinij Natalitium Benedictum, abs quo expectatus ardentiſſimè fuerat. Spectauit exinde ad Montem Falconem, inter D. Claræ reliquias, treis inſigneis globulos in ciſtula fellea inuentos, quorum duo, vel tres, non ampliùs, quàm vnus, ponderoſi deprehenduntur. Tum votis ad celebre Fanum D. Mariæ Lauretanæ ritè perſolutis, adiit Anconam, indéque Vrbinum, ad obtinendū licentiam peruolutandi Bibliothecam Ducis. Digreſſus Piſaurum, atque Ariminum, acceſſit Rauennam, vbi Hieronymus Rubeus clarus ille Medicus, patriæque ſcrutator, complecti illum expetebat, demonſtraréque in ipſa ſede Exarchatus neſcio quas reliquias Barbariei Gotthicæ, & ornamenta Imperatorum, contemporaneorúmque Regum, cum his nominibus; ATHALARICVS RIX, VVITIGES RIX, THEODOHATVS, & id genus alia; ſimúlque oſtendere ornamenta quædam Gallæ Placidiæ, in neſcio quo templo, quæ Velius non eſſe antiqua cenſuerat: denique ipſi ſua manu exemplum Hiſtoriæ Rauennatis dare. Peruenit exinde Venetias, vbi amicis magna illorum cum voluptate ſalutatis, cognoſcere non obiter voluit Antonium Poſſevinum, ex Societate IESV, virum optimum, ad quem cùm expetiiſſet commendatitias literas, *Ecquid quæris proxenetam*, reſcripſerat ad illum Sirmondus, *cùm ad quoſcumque veneris, adeò ex teipſo innoteſcere, amabiliſque euadere poſſis?* Poſtremò non multos poſt dies, hoc eſt, medio circiter Iunio, acceſſit Patauium, vbi tantâ eſt exceptus lætitiâ, vt videretur quaſi quiſpiam Deus ſtudioſorum eò aduentaſſe. Maximè verò reditu ſuo recreauit optimum Pinellum, qui diuturnis, ſed lentis morbis iam ingraueſcentibus, propendere ſe in mortem ſentiebat. Dies non ſufficiebant audiendo, quæ comperetat; neque inſpiciendo, quæ attulerat, neque cognoſcendo, quæ viſa obſcura interpretabatur. Dicam-ne, cùm inter eos viros, quos cognouerat, fœlicitati verteret, quòd amicos ſibi Baronium, ac Bellarminum parauiſſet, prouocatum fuiſſe optimum Pinellum, vt quidnam ſibi circa illos contigiſſet, exponeret? Cùm, inquit, Summus Pontifex ante annos treis veniſſet Ferrariam, dignati ſunt illi me inuiſere; ſed tacitis nominibus, habitúque diſſimulato, adeò vt ſe Preſbyteros ſimpliciter aſſeuerarent. Ipſe ex eorum iconibus, qui Viri eſſent ſtatim agnoui: ſed fingens tamen me ignorare, in eam Muſæi partem deduxi, in qua Virorum illuſtrium, ac ipſorum ſpecialiter, imagines erant conſpicuæ. Oſtenſa autem Baronio Bellarmini effigie, Num hæc imago, inquam, ô bone,

ſocium

ſocium iſtum tuum repræſentat eximiè? & oſtenſa Bellarmino quæ Baronij aderat; Num hæc quoque, inquam, ſocium iſtum tuum exquiſitè refert? Ac tum illi deluſos ſe, cùm deluderent, agnoſcentes in amplexus prolapſi ſunt.

Porrò quia Peireskius præſentiebat ſe poſt annum reuocatum iri in patriam; idcircò ſe ad intermiſſa Iuris ſtudia compoſuit: tempore tamen ſic diſpenſato, vt ad alia præterea innumera ſufficeret. Siquidem præter varia, de quibus paullò pòſt dicetur, in literatos officia, profecit continuò in notitia abſtruſioris hiſtoriæ, altioriſque antiquitatis. Specimen autem inſigne dedit, cùm ſubortâ inter curioſos de monte Argæo controuerſiâ, ediſſeruit ex Iaſpide, variiſque numiſmatibus Cæſareæ, alibique cuſis, originem, ritúſque varios, quibus ille mons fuit olim in Cappadocia adoratus. Linguas præterea ſemper excoluit, quas credidit vſui futuras. Nam ex Hebraica quidem, & ex vtroque charactere, tam vulgari nempe, quàm Samaritano; ex Syriaca item dialecto, idiomatéque Arabico, tantum fere delibauit, quantùm ad ſiclorum, ſimiliúmque numiſmatum interpretationem neceſſarium duxit; vſus magiſterio Iudæi cuiuſdam commorantis Patauij, cui nomen Rabbi Salomon fuit. Ad Græcam linguam quod attinet, ſtudioſiorem illi operam impendit, tum propter varias conſtitutiones Imperatorum Græcorum, ipsámque Iuris originem, quæ ad Græcos fonteis refertur; tum propter Philoſophiam, ſeu ſtudium Sapientiæ, propterque Poëſeos, ac Hiſtoriæ, quæ in ea lingua ſuperſunt, antiquiſſima monumenta; tum propter explicationem gemmarum, numiſmatum, marmorum, quorum ſunt Græcæ inſcriptiones, quibuſque illuſtrandis pulchrum ſemper duxit, ſuauiſſimúmque habuit ſeriam operam collocare. Heinc cùm ad aliquem ſcriberet Græcarum literarum amatorem, exempli causâ ad Occonem, qui ſuas ſemper Epiſtolas ſententiis Græcis interſerebat, ſolitus erat ipſe quoque eruditionem ſuam teſtari, nunc verſum Græcum præmittendo, nunc quidpiam carmine, aut proſâ appoſitè interpolando: vt ad memoratum Adolphum Occonem, *Fortunate Senex, Te Diua illius antiquæ, & veneranda μνημοσύνης filia, non iam Ἀδελφὸν, ſed Ἀδελφῶν duplici nomine Germanum dicent.*

Nec verò Humaniorum modò literarum ſtudioſus fuit, ſed multum etiam inuigilauit Mathematicis artibus, carus ex eo tempore Galileo Galilei, quem & apud Pinellum primùm nouit, & ex inuenta hauriendis aquis tum vrbem infeſtantibus machina, admodùm ſuſpexit. Incubuit quoque plurimùm in peruestigandis cauſis rerum naturæ admirabilium. Quippe, & varios variè rogauit de illis Parheliis, ſiue tribus Solibus, ac triplici Iride viſis, die Februarij ſeptima, hora circiter vigeſima prima. Et de piſcibus, aliiſque ſaxificatis philoſophaturus, tum variam copiam impetrauit, inque angulo Muſæi diſpoſuit; tum Ichnographiam eius montis, qui apud Viterinos iis abundat rebus obtinuit. Et quicquid fuit cuiquam perſpectum circa foſſilia, mineralia, rem metallicam, ſua ſeu remuneratione, ſeu comitate conceſſum tulit; maximè autem Venetiis; vbi aliunde, cùm multa præclara in armamentario ſe obſeruaſſe diceret, referebat tamen nihil ſibi fuiſſe aſpectu iucundius formatione aluminis in octahedricam figuram. Et frequens adiit rariores hortos, perſcrutaturus varietatem, vireſque tam indigenarum, quàm exoticarum plantarum; ac deſtinans quaſdam in Prouinciam, quaſdámque viciſſim ex Prouincia, nunc in Pinelli, nunc in aliorum viridaria transferri curans. Et intereſſe ſolitus fuit non publicis modò Anatomicorum diſſectionibus, ſed priuatis etiam Hieronymi Fabricij ab Aquapendente, qui illum propter ſingularem beneuolentiam admiſit, cùm ſpecialiter ex ouis Gallinæ incubanti ſuppoſitis, ſingula in dies ſingulos ſubduceret, vt ab ipſo vſque incubationis initio obſeruaret ſeriem formationis pulli. Atque hæc quidẽ de ſtudiis.

Sequitur, vt iam inſinuemus, quemadmodum illum ex hoc tempore Viri ſtudioſi, eruditique arripere agnouerint gubernaculum literarum. Dictum eſt iam, cùm Roma rediit, cœpiſſe optimum Pinellum ſolito grauiùs laborare, inque obitum vergere. Is itaque non multò pòſt, quippe ſub Auguſti initium, è mortalium vita exceſſit, propè ſeptuagenarius: magno profectò dolore omnium bonorum, eruditorúmque; ſed Peireskij potiſſimùm, qui illum, tanquam alterum parentem habebat, ac venerabatur. Cæterùm cùm ille ſui deſiderium, quà patebat orbis literarum reliquiſſet, conſolationi tamen fuit, quòd videretur Peireskio quaſi lampada tradidiſſe. Ipſe nimirùm ad eius mores ita ſe compoſuerat: ita ſtudio rerum nobilium, exemplóque benefaciendi, ac promouendi bonas arteis animatus euaſerat, vt virtutis heroicæ deſtinatus hæres iure cenſeretur. Huiuſce rei congerenda aliquot teſtimonia ſunt, quæ pleniorem concilient fidem.

Imprimis verò citandus occurrit Paulus ille Gualdus, qui Pinelli vitam conſcripſit, cuiúſque mentio facta iam eſt. Is poſtquam viri mortem defleuit, dixítque naturam parcè proferre eiuſmodi viros, ac Methonis fortaſſe annum tranſigendum iis, qui alterum Pinellum expectent; talem ſcilicet, cuius ſtudiũ Humaniora ſtudia reſtituat in priſtinum ſplendorem, cuius opes in nobileis libros colligendos impendantur, cuius dignitas doctis viris patrocinio ſit; tum demum ſubdit, *Ætas ſanè noſtra ſi quem feret eiuſmodi, is, ita me Deus amet, non alius erit à* NICOLAO FABRICIO *Gallo, domo Aquis-Sextiis, clariſſimo adoleſcente, qui Romæ, & Patauij, vix dũ plenã pubertatem egreſſus, eo ardore Pinellũ, & Pinelli ſtudia eſt cõplexus, vt omnibus nobis, & doctis viris, quotquot his capiuntur literis, miraculo ſit.* Egregium ſanè vaticinium: ſed en etiam votum Erycij Puteani, iam tum Mediolani, vt ſuprà eſt dictum, Eloquentiæ, & Chronologiæ Profeſſoris. Is ſcribens ad Peireskium, *O vulnus,* inquit, *quod Pinelli morte acceptũ eſt!*

A biis æternus ille Vir, ipſe nominis, & famæ ſecurus: ſed nos in deſiderio, & dolore reliquit, Muſas in ſqualore. Quis ſuccreſcet, & dolorem nobis demet; Muſis ſqualorem? Non doctrina, ſed opibus quoque opus. Quis? fallor? an tu ipſe hûc vocare, vt ſis quod Pinellus fuit? Voueo, voueo, & ſaluere te iubeo, Iuuentutis ſpes. Quo loco fortaſſis non ingratum erit, ſi Peireskij reſponſionem attexuero. Sic igitur ille reſcripſit, *Peruellis animum meum dolore, dum mihi incomparabilis viri morte vulnus inflictum refricas. Meritò tu quidem funebreis, ac luctuoſas voces ingeminas, meritò vicem noſtram deploras, meritò omneis ad lugendum inuitans exclamas, Quis nobis dolorem demet, Muſis ſqualorem? Sed in fine riſum excitas dum, quaſi vaticinari velles, ſubiungis me, quod Pinellus fuit futurum; idque, tanquam fieri poſſet, ſeriò voues. Quod perinde eſt, ac ſi ingenti ſucciſa pinu voueres, vt humilis aliqua myrica robur illius, ac proceritatem æquaret. Verùm amor erga me tuus hoc tibi, quidvis aliud meditanti, votum extorſit, cuius, vt reor, nunquam te damnatum iri, aut reum fore ſperaſti. Quod ſi ego tibi idipſum vouens, Vatis illud accinam*, Tu nunc eris alter ab illo, *qui te penitùs nôrunt, ſat ſcio, me Vatem affirmabunt haud vanum; tua namque hoc opus opis non mea.* Argutè ſanè, & eleganter; tametſi id diſſimulauit, quod veriſſime à Puteano dictũ, ad ſubeundum id muneris, *opibus quoque opus* eſſe.

Fuere & aliæ perelegantes vtrimque literæ conſcriptæ, exſtátque ſpeciatim vna edita in ſecundis Ferculis, ſeu centuria Epiſtolarum Puteani ſecunda, qua ſub initium ſequentis anni, qui fuit ſupra milleſimum, ſexcenteſimúmque ſecundus, ille gratioſè conqueſtus
1602. eſt ſe Deorum genus nominatum. Fuêre, inquam, aliæ literæ conſcriptæ: ſed ad rêm facienteis excerpſi, ex quibus abundè intelligitur quàm appoſitè Ianus Gruterus in Præfatione magni illius Inſcriptionum voluminis ita conjunctim nominârit, commendaueritque Erycium Puteanum, & Nicolaum Fabricium, vt Iuuenes eſſe præ cæteris dixerit,

—— Sacros qui ſollicitare fluores
Aonidum, totámque ſolẽt haurire Aganippen.

Verſabatur porrò ſub prælo ingens illud opus, cùm Pinellus conceſſit fatis: Peireskius autem ſuppeditauit, quæ in illud infererentur, non modò ex iis, quæ inter Pinelliana Cimelia, ſed etiam ex iis, quæ Romæ, quæ Venetiis, quæ aliis in locis obſeruârat, deſcripſerátque, vt docet illud toties ſubiectum inſcriptionibus, *Ex Nicolai Fabricij ſchedis.*

Venio iam ad Marcum Velſerum, cuius interuentu Gruterus ſchedas illas obtinuit. Ille Pinello propè par, & ſingularis amicus, florebat Auguſtæ Vindelicorum Duûmvir. Me tacente, ſcripta illius, omnéſque viri eruditi, opem ipſius munificam, paratiſſimámque experti, quantus Vir fuerit, ſatis loquuntur. Velſerus ergo, literis ad Peireskium datis, teſtatus eſt tanti ſe facere ipſum, eiúſque amicitiam, vt nihil ſibi fuerit ex tota Pinelli hæreditate expetibilius. Quin-etiam ipſe quoque illum non modò virtutum Pinelli hæredem agnoſcens, ſed futurum quoque ſuarum ſucceſſorem coniiciens, diligere cœpit, tanquam filium, & literarum frequentiâ, quoad vixit, non deſtitit teſtatum facere affectum. Hoc vno ipſi durus fuit, quòd ſui effigiem conſtantiſſimè denegauit, pro eo, quo omnibus aliis ardentiſſimè flagitantibus denegauerat inſtituto. Et Peireskius tamen, vt alios nonnullos, ſic illum neſcientem pingi procurauit, conducto artifice, qui ipſius vultum è clandeſtino loco ſpectaret. Sic obtinuit quod illi Occo ſperare nefas prædixerat, cum id abs Velſero tuliſſet reſponſum, *Cato maior poſteros volebat quærere, cur ſibi ſtatua nulla poſita: mihi contrà, quantum video, cauendum, ne quis aliquando miretur, ſi non & indignetur, qua ambitione conſortio magnorum virorum, quorum imagines ſe colligere Fabricius oſtendit, irrepſerim.* Prætereo autem quàm præclarè noſter illud exceperit: quippe ad Occonem reſcribens, *Dixit quidem*, inquit, *Cato non minùs argutè, quàm ſapienter, ſe malle, vt poſteri quærerent quare ſibi non eſſet, quàm quare eſſet poſita ſtatua: nunquam tamen, quod legerim, ſi pingi, aut fingi renuit; cuius rei teſtes eſſe poſſunt icones eius non pauca, quæ in hodiernum diem circumferuntur. Igitur nec Velſerus, vera Catonis imago, id abnuere deberet, & ne abnuat, precor preceris, ores ipſum, atque exores iterum oro.*

Subnectendus Velſero eſt Ioſephus Iuſtus Scaliger, vir ille maior, ac celebrior, quàm vt encomio noſtro indigeat. Subnectendus, inquam, vt conſtet quàm ſpontè, quamque alacri mente Peireskius ſe ipſi, aliiſque eruditis deuouerit. Nam ille quidem ſummoperè ſibi ipſi eſt gratulatus, quòd in Pinelli defuncti locum talis amicus ſucceſſiſſet; at occaſionem vt accipias, ea fuit huiuſcemodi. Scripſerat Scaliger ad Pinellum, rogans, vt ſibi procuraret Hebraïcos aliquot libros, itémque nummos aliquos Scaligerorum Principum; ac ſimul miſerat tam Patris, quàm ſui ipſius autographa quædam, & vtriuſque etiam icones, prout ille petierat. Scripſerat vnà Carolus Cluſius, miſerátque exemplum ſuæ rariorum plantarum Hiſtoriæ, & iconem deſideratam Matthiæ Lobellij: ne quidpiam dicam de deſtinatis à Scaligero literis ad Carolum Leberoneum Valentinum Epiſcopum Patauij tum commorantem. Peruenêre iſta Patauium, cùm non modò iam Pinellus obiiſſet, ſed diſceſſiſſet etiam ex vrbe Cæſar Dux Acheruntij, qui fuit Pinello ex fratre nepos. Quia verò is Gualdo mandârat, vt ſi quid datum foret ad Patruum, id exciperet, & Neapolin ad ſe mitteret; idcircò Gualdus omnia excepit, ac priuſquàm tranſmitteret, cum Peireskio communicauit. Itaque Peireskius, calamo arrepto, reſcripſit ad Scaligerum: nunciauit non modò Pinelli, ſed etiam Epiſcopi mortem; ſecurum fecit de donariis à memorato Cæſare grato animo accipiendis: recepit in ſe quam Pinello commiſerat curam librorum Hebraïcorum, ac numiſmatum, pollicitus eſt ſe aliqua ſaltem, quæ haberet iam, occaſione prima miſſurum, obtulit & nonnulla alia ad illuſtrationem Scaligeræ gentis, quam cùm veneraretur, adiecit ſe non

commiſiſſe,

commiſiſſe, vt icones illæ abirent, quin exempla ſibi earum obtineret. Scripſit pari modo ad Cluſium, ac dici non poteſt, quantum illi ſe tam generoſæ indoli, ac ſingulari humanitati deuinctos prædicauerint. Hûc ſpectat illa Scaligeri ad Velſerum Epiſtola, quæ eſt io terrium librum inſerta, & in qua, *Numiſmata* inquit, *gemis Scaligera cum literis Fabricij noſtri, & tuas accepi; quo nomine gratias tibi ago. Nondum Hebraicos accepi libros, ille ad me ex Italiâ miſit; quia inter mercimonia Raphelengiana ſunt, quæ nondum hûc perlata ſunt. Propediem, quum accepero, & illi, vt gratias agam, ſcribam, & à me quoque alias exſpecta.* Scripta eſt autem Epiſtola IV. Idus Maij.

An ſubinde commemorabo aliquos ex iis, quibus alacrem operam nauauit? Imprimis certè, ſi quid fuerat à Pinello prius tentatum in ſtudioſorum gratiam, id contentione maxima perficere adnixus fuit. Sic nullum lapidem non mouit, vt quam ille ſpem fecerat Proſpero Alpino percelebri Medico recuperandi de tertia Methodicorum Secta tractatus, opere ipſo poſſet explere. Deinde, cùm dicendi ſint, quos Pinelli exemplo iuuit, vnus inſtar omnium eſſe poſſet memoratus Pignorius, dum Iſiacam menſam exponens (Tabulam nempe illam æneam Hieroglyphicis Ægyptiis inſignem, quæ ex Petri Bembi Cardinalis reliquiis eo tempore in Ducis Mantuæ Bibliotheca aſſeruabatur) gratias quidem egit imprimis Velſero, ſed ſubiecit tameu, *Nicolao dein Fabricio Chalaſij Domino, natalium ſplendore & recondita eruditione illuſtri adoleſcenti, qui non modo inſignes antiquitatis reliquias, quibus inſtructiſſimus eſt, in meum, & ſtudioſorum vſum munificè contulit; ſed etiam aliorum Muſa, vt paterent, ſedulo curauit. Eius diligentiâ factum eſt, vt non modo Venetiis Friderici Contareni Diui Marci Procuratoris, & Ioannis Mocenici illuſtriſſimorum virorum præclariſſima nummorum, & gemmarum κειμήλια mihi in promptu eſſent; ſed & Romæ ornatiſſimi viri Lalij Paſchalini κέρας ἀμαλθείας (cur enim hoc nomine non appellem bona copia diuitem theſaurum?) de quo nobis numiſmata, gemmæ, ſigilla, rara omnia inſigni humanitate ſuppeditata ſunt. Eidem Fabricio acceptum ferri debet omne id, quod è Natalitij Benedicti pretioſis loculis euulgamus, è quibus auctario noſtro cum robore, & ſpiritus acceſſit. Ea enim omnia, quæ ad illuſtrandam Epiphanij, Irenæi, & aliorum Patrum hiſtoriam Sectarios antiquos exagitantem attulimus, inde profecta ſunt.* Hæc fuſiuſculè refero; quoniam ex iis, quæ iam antè attigi, pluſcula confirmant.

Addo verò circa Pignorium, cùm is librum de Patauinis originibus ſcriberet, obtinuiſſe illi Peireskium à Ioanne Vincentio à Porta, quod ipſe poſteà memorauit, & Philippus etiam Tomaſinus in Tito Liuio retulit, circa Parentis hiſtoriæ brachium. Nimirùm ciues Patauini ex aſſeruatis apud ſe Titi Liuij oſſibus alterum brachium exemerant, conceſſerantque inclyto illi ſtudiorum fautori Alphonſo Arragonum Regi, cùm illud inſtantiſſimè per Antonium Panormitam Legatum ſuum exoraſſet, ab anno vſque ſalutis milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo primo. Cùm ignoraretur verò ecquid de brachio actum foret, occaſionem cepit Peireskius mittendi complura ad Portæum munuſcula, quaſi compenſans ectypum marmoris cuiuſpiam, in quo erat expreſſus ritus mittendi milites ſub iugum; ac ſimul efflagitauit vt reſcriberet, quid pro ſua ſagacitate de brachio compertum haberet. Reſcripſit autem ille conſequenter, neque Alphonſum morte præuentum, neque etiam Panormitam condere potuiſſe pro votis id brachium: ſucceſſorem verò iſtius à ſecretis regni, concluſiſſe ſub marmore, collocaſſéque extra Oratorium, cum inſcriptione huiuſmodi, T. LIVI HISTORICI BRACCHIVM, QVOD OLIM ANTONIVS PANORMITA A PATAVINIS IMPETRAVERAT, IO. IOVIANVS PONTANVS MVLTOS POST ANNOS CONDIDIT: cæterum à multis iam annis id marmor non fuiſſe conſpectum, ob ſacellum à neſcio quibus confratribus ſuperextructum.

Vt fuit porrò Peireskius erga Pignorium munificus: ſic fuit etiam erga Vlyſſem Aldrouandum percelebrem illum de Animalibus ſcriptorem, qui multa ab eo numiſmata habuit, maximéque Aſiatica, illuſtrandis iis, quæ circa animalium ſymbola iam ediderat, ac tum de nouo apparabat. Atque is quidem Bononiâ ſcribens animo reuerâ grato pollicitus eſt ſe commendaturum per quê profeciſſet: ſed in cæcitatem breui incidens, id, quod deſtinârat, perficere potis non fuit. Idem fuerat pollicitus Ioannes Baptiſta Villalpandus, de illius nomine, patria, conditione ſollicitus, vt teſtari poſſet à quo accepiſſet & ſiclos, & pleraque alia, amplificando tractatui de nummis Hebraïcis, poſt editos iam magnos illos in Ezechielem commentarios. De Sirmondo heic memorandum, quòd cùm accipere à Peireskio Roma diſcedente noluiſſet, niſi ex iis numiſmatis, quæ geminata illi adeſſent, poſtulauiſſe ipſum tamen, obtinuiſſéque ab eo, poſtquam Patauium rediit, pluſquàm ducentos ectypos, vel ex Græcanicis dumtaxar. Eius ſcilicet generis coëgerat iam ſupra mille, quæ forent penitus intacta rei nummariæ auctoribus: & cùm haberet cuſa tam antè, quàm poſt Romanum imperium in ciuitatibus quibuſque Græciæ, Aſiæque præcipuis, ex quibus contexuerat ſeriem Seleucidarum Principum, ab Alexandro ad Romanos vſque: eamobrem Sirmondus hanc ſeriem deſiderauit cognoſcere, vt illius inſtar ſeriem Principum Ægyptiorum texere poſſet. Sed faciendus his modus eſt.

Iam porrò penè triennium in Italia exegerat, cùm apparare reditum cœpit. Ac habuerat quidem io votis Venetiis tendere Auguſtam, tum vt Velſerum, Occonémque in ea vrbe inuiſeret: tum vt exinde commiſſus Danubio circumſtantia Germaniæ, Hungariæque loca luſtraret, & Conſtantinopolim tandem per Euxinum Pontum, Boſphorúmque

Thracium perueniret, peragraturus deinceps quicquid liceret ex Græcia: verùm Fonuiuius planè abnuit, vel quia cenſeret Patrem, Patruúmque id cõſilium auerſaturos, ob digreſſionem prolixam nimis, periculiſque pleniſſimam; vel etiam quia ipſe Pariſios repetitò accerſeretur. Peireskius ergo nihil planè auſus ipſo repugnante moliri, res ſuas ita compoſuit, vt imprimis omneis Italiæ amicos, quibus vale coràm dicere non potuit, literis ſalutauerit, oblatóque obſequio, & plerumque etiam adiunctis munuſculis deuinxerit. Sic exteros quoque, ac præ aliis Scaligerum, cui ad ſuperiùs memorata adiecit nummos ab amicis Veronenſibus recens habitos, nonnullaque alia ſpectantia ad Scaligeranam familiam. Coëgit deinde quicquid potuit ſeu librorum, ſeu cimeliorum, ſeu aliarum rerum exquiſitarum nanciſci: ratus ſibi in Patria parem copiam non occurſuram. Diſceſſurus coniecit omnia cum ſarcinulis in aliquot capſas, quas direxit Genuam, conuehendas inde Maſſiliam: ac reſeruauit ſolùm rariora, & pretioſiora aliqua, quæ vnà tranſlata eandem ſecum experirentur fortunam. Videlicet, cùm ſibi ſatis luſtratum putaret ex Liguria, peragrare Galliam Ciſalpinam voluit, emergeréque Lugdunum, vt prouidere illeic poſſet quemadmodùm literas ab amicis acciperet, & viciſſim ad illos daret. Poſtremùm relicto ingenti ſui deſiderio Patauij præſertim, ac Venetiis (ne quidpiam dicam de Auguſta, vbi Velſerus concepta ſpe complectendi illum fruſtratus, quaſi dimidium animæ ſubduceretur, ingemuit) itineri ſeſe commiſit.

Diuertit autem primùm Vicentiam, ſalutaturus illeic amicos, ac inuiſurus eum montem, cuius, vt dictum eſt iam antè, Ichnographiam quæſierat. Conſiderauit etiam Guſtoſæ illam venti diſpenſationem per canaleis, ac tubulos; accepitque, & in commentarios retulit hiſtoriam illius, qui naſcentem è crypta ventum in loco ſatis diſſito, domum vſque per meatum ſubterraneum ita deduxit, vt tandem velut ſecuerit, diſtribueritque pro arbitrio. Acceſſit deinde Veronam, attenditque illeic præſertim ad Scaligerorum ſepulchra, quorum, quia tum non licuit adumbrationem obtinere, impetrauit poſteà interuentu Cæſaris Nichezolæ, & Marci Antonij Montani. Mantuæ cùm foret, iam multa vidit, atque annotauit in Ducis Cimeliarchio, vt cùm ſuperioribus annis accepiſſet direptum fuiſſe, Germanis vrbem vaſtantibus, vix ſatis ſeſe conſolari per multos dies potuerit, tantam ducebat factam iacturam. Inter cætera ſpectauit curioſè Ægyptiam illam Tabulam, vt varios de ea ſcrupulos eximere Pignorio poſſet. Viſâ Cremonâ voluit Brixiam, Bergamúmque diuertere, ac tum venire Mediolanum, vbi non modò Erycius Puteanus, & Septalij fratres, aliíque amici; ſed maximè etiam ille nunquam ſatis laudatus Archipræſul, Cardinaliſque Fridericus Borromæus, Ambroſianæ Bibliothecæ iam tum crebreſcentis fundator, ſunt illum humaniſſimè, ac per dies multos complexi. Digreſſus Ticino, Nouaria, Vercellis, peruenit Taurinum, ac ſuperatis Alpibus, Geneuam; vbi per-volutis libris variis, ſpectatóque Lemmano lacu, Tononum vicum adiit, vt fieret ocularis teſtis admirandorum facinorum, quæ patrare per illud tempus Dæmoniaci perhibebantur. Traiecto lacu, perluſtratáque circumvicina Heluetia, ſoluere vota placuit ad celebre fanum Sancti Claudij, ac præſertim pro Patrui cognominis incolumitate. Deflectere inde volebat Semurium, Dauidem illum quondam ſuum præceptorem ſalutaturus, ædeíſque illas inuiſurus, in quibus ante quinque annos Genebrardus obierat: ſed rerum in Burgundia ob factionem Birouij Mareſcalli innouatarum, ſuſpectarúmque ſtatus deterruit. Deflexit ergo potiùs Lugdunum, vbi acceptâ pecuniâ, perſoluit largè honorarium Ductori ſuo Pariſios, vt iam dictum eſt, diſceſſuro.

Deinceps, quamvis amore patriæ, parentúmque teneretur, callidè tamen conſilium cepit non pergendi recto itinere domum, ſed diſcedendi Monſpelium; vbi Iulius Pacius à Beriga Iuriſconſultus Vicetinus profiteri magna cum laude Iuriſprudentiam ferebatur. Quia enim ſatis ſibi ipſi circa Iuris ſtudium nondum fecerat, & apud ſe tamen conſtituerat neque poſtulare, neque adipiſci quam lauream vocant Doctoream, abſque inſigni quadam gloria, teſtationéque eruditionis; idcircò domum tendere noluit, ne inuitus adigeretur ad conſequendum lauream, & vt poſſet priùs ſub illuſtri Anteceſſore fieri inſtructior. Itaque conceſſit Monſpelium ſub Iulij menſis initium, ſeſéque ſtatim ipſi Pacio in contubernium cum fratre dedit. Subinde verò conſilium indicauit Patri, ac Patruo, qui nihil tale ſuſpicantes ſubueriti ſunt, ne fortè in Italia non ſatis ſtudioſè Iuri incubuiſſet. Præter eum ſeceſſum, argumento fuit, quòd tam ex capſis Genuâ acceptis, quàm ex tranſmiſſis reſiduis illis, ſelectioribúſque cimeliis, quibus Monſpelium cùm perueniſſet, ſeſe exonerauerat, peruiderunt illum debuiſſe tantum temporis in iis colligendis, cognoſcendiſque impendere, vt nihil, aut parum omninò, quod impenderetur Iuri, ſuperfuiſſet.

Id autem vbi ille reſciuit, quadam veluti Apologia ſuſpicionem eſt amolitus. Nimirùm, ſe nihil detraxiſſe horis Iuris ſtudio debitis; ſed tantùm quas alij aut ludicris rebus, aut compotationibus, aut Venereis illecebris vulgò dederent, ſuccidiſſe, contriviſſéque in comparanda antiquitatis notitia. Quam viderent de ea congeriem, argumento ſaltem eſſe pecuniam ſibi creditam non fuiſſe in nequitiam, perditóſve vſus abſumptam. Cæterùm & ſe agnouiſſe non eſſe ſtudium antiquitatis Iuriſprudentiæ inutile, cùm alia ratione nõ poſſent pleraque loca ſeu Digeſtorum, ſeu Codicis intelligi; & poſſe ipſos id experiri, cùm quod, exempli gratiâ, lateret iam Interpretes circa Viriolas ex ſmaragdis Vlpiano, ac Paulo ſæpiùs memoratas, intelligere ex iis poſſet, quas eruiſſet Romæ

ex

ex quibuſdam ruderibus, quáſque ad illos mitteret rem iam à pleriſque ſæculis inuiſam. Exſtare etiam in ſarcinis plureis reliquias ex eo Ære, quod antiqui graue dixerunt (cùm id oimitum penderent) intérque parteis Aſſis varias reperiri Quadrantem, qui altera façie Suem præſerat, ex quo, & ex Oue, ac Tauro pariter ſignatis, dicta primùm fuit Pecunia, tanquam à pecudibus. Sic & repertum iri alia propemodum innumera, de quibus coràm diſſerere, ſine voluptate vtriuſque non poſſet. Denique tam ſeſe, quàm fratrem non diuertiſſe ad Pacium, quòd ſe Iuris ignorantiores ſuis coætaneis crederent; ſed quòd eximium aliquid ſupra ipſos ſapere vellent.

Placuit mirè parentibus inſtituta defenſio, ac patruo præſertim, qui tanto ardore videndi ipſius inarſit, vt, vix tertio menſe exacto, accerſitum voluerit. Acceſſit ergo; ſicque Lareis reuiſit primùm menſe Nouébri, ſed adducto tamen ſecum Pacio, vt vel reducendi ipſius prætextu detineri domi non poſſet. Relictus verò germanus fuit, quod è morbo tum conualeſcens ſeſe dare itineri abſque periculo nó poſſet. Heic non memorabo qua exſultatione exceptus Peireskius domi fuerit, neque quo cultu habitus Pacius. Referam dumtaxat magnum illum virum Guillelmum Varium, qui tum erat princeps Aquenſis Senatus, quíque fuit poſtmodùm ſuffectus, vt ſuo infrà loco dicetur, in vicem Cancellarij, mirari ſatis non potuiſſe indolem adeò egregiam, rarámque adeò eruditionem tanta cum modeſtia coniunctam; oeque vnquam ſatis ſatiari interrogando, excipiendóque quæ ille ſcitè, perſpicuè, ſuauitérque commemorabat.

Paucis pòſt diebus Monſpelium vnà cum Pacio rediturus, deflectẽdum è via cenſuit, vt demonſtrare illi poſſet ſcaturiginem Vallisclauſæ, oon aquarum exundantium copia magis, quàm Petrachæ, & Lauræ amoribus concelebratam: itémque Arcum illum triumphalem, qui Arauſione conſpicuus, C. Marij credebatur, cùm ipſe Fabij Maximi potiùs eſſe opinaretur; tum ciuitatem Auenionenſem; & fornicatum triplici ſerie VVardonis, ſeu Guardonis pontem; ac Nemauſentia quoque nonnulla, quæ ille oon auerterat, tametſi illeic biennio moratus.

1603. Quam-primùm autem rediit, tanta ſe cum alacritate ad ſtudium Iuris compoſuit, vt horas decem ſolidas diebus ſingulis in eo collocaret. Neque verò id ſolùm tempus conſectatũ eſt ſtudiis; ſed dietim etiá quaſdam horas, ac potiſſimnm ante ſomnũ impendere ſolitus fuit literis Humanioribus, ſtudióque rerum antiquarum. Nó id abnuebat penitus Pacius, qui mirè etiam afficiebatur, quoties illum de rebus variis, ad antiqaas præſertim leges pertinentibus, dicẽtem audiret. Quin noo modò etiam eſt paſſus, ſed peoè, dicam auctor fuit, vt Narbone inuiſeret quæ exſtant illeic vetuſtatis ooo ignobilia monumenta; ac ſpeciatim votum, factamque Auguſto Aræ dedicationem, cuius ante annos triginta effoſſæ, & Burdigalæ, cum illuſtratione Eliæ Vineti, excuſæ exemplum obtinuerat. Scilicet nondum allatum erat Inſcriptionum Gruteri opus, in quo poſteà obſeruauit Tribunitiam Auguſti poteſtatem, quæ apud Tacitum legitur trigeſima ſeptima, fuiſſe ex hac ipſiſſima inſcriptione trigeſimam octauam.

Ad hæc, quia Pacius perlubenter ediſſerebat de rebus ad Phyſicen ſpectantibus, oullam non occaſionem captabat rogitandi illum de cauſis naturæ abſtrúſioribus, & maximè quidem per horas relaxando animo datas. Sic cùm aliquádo noctu incidiſſet io cruſtas, ſquammaſque piſcium lucidas, collegit, intulítque clàm in Pacij Muſæum; ac poſteà cum illo ingreſſus, quam præferebat cádelam conſultò exſtinxit, vt illo primùm attonito, ac deinde lucem mirante, ſciſcitaretur ipſius cauſam. Ac recurrit quidem Pacius ad calorẽ ex putredine excitatum; ſed rogauit Peireskius, cur ooo ſentiretur ergo calor neque in iis ſquammis, neque in quibuſdam lignis putreſcentibns? cur horrea præ putredine incaleſcentia, calx item madefacta, & alia tantoperè calida non emitterẽt lucem? cur ſi ob calorem cicindelæ lucent, non lucerent etiam animalia cætera tantoperè iis calidiora? Ad quæ Pacius, poſſe calorẽ, qnem in Scholis dicunt virtualem, ſufficere, & aliunde exigi certam diſpoſitionem materiæ, quæ reperitur in rebus mioùs ad ſenſum calidis, nó reperta in aliis calidioribus ſeoſu deprebenſis. Prætereo porrò, cùm hæc, & alia nó feciſſent ſatis Peireskio, nihil deinceps viſnm fuiſſe probabilius, quàm lucem omnem flámulam eſſe, ſed rariſſimam, tenuiſſimamve: argumentóque eſſe lucem Solis, quæ dum cogitur, denſatúrque, ardet; ad eum modum, qno vapor nihil aliud, quàm aqua rareſacta; tenüataque eſt, quæ ruſus coacta, denſataque, humor apparet. Cùm lux autem Solis directa, ſeu primaria ſit adhuc ſatis denſa, vt calorem ſui ſenſibilem faciat; repercuſſam tamen, ſecundariáve adeò tenüem euadere, vt eius calorem ſenſus non percipiat. Quare & nihil mirum videri, ſi lucula illa ſquammarum, ſimiliúmque rerum non ſentiatur calida; cùm ſit longè tenuïor illa Solari ſecundaria, intra quam planè euaneſcit. Quòd res autem calidiores non perinde luceant, cauſam dici poſſe, quòd calor vehementior retriores excitet vapores, ſeu fuligines, quàm vt connatam luculam patiantur puram emergere, atque idcircò apparere.

Rurſus, cùm foret valde curioſus rei Anatomicæ, ac herbariæ; ea propter quoties licitum erat, diuertebat in Regios hortos, à quatuor iam annis inſtructos, ad Richerium Bellevallium vtriuſque demonſtratorem, cui oũquam oon fuit Peireskij & deſideratiſſima, & iucundiſſima cõſuetudo. Diuertebat etiá frequens ad Franciſcum Ranchinum, qui ad peritiam Phyſices, Medicéſque eximiá, pulchrè adiungebat notitiam, cultúmque rerum antiquarum. De ioanne Dortomanno quid dicá, cuius ſemper ſolitus fuit & exquiſitam doctrinam, & inſignem erga ſe beneuolentiam commendare: Hoc certè Medico eſt vſus, cùm febriculà laborauit, cúmque vexatus eſt grauiore, quàm eò vſque fuiſſet expertus, dolore hæmorrhoidum, & nóoulla etiá vrinæ emit-

tendæ

tendæ difficultate. An attexam verò quod
retulit ſæpiùs,cùm Dortomannus aliquando
ægrotantem inuiſeret , rogaretúrque , cur ea
vice ſeriùs ſolito aduentaret,reſpondiſſe ipſū
ſe accedere ex conſultatione memorabili pro
muliere Belliquadrēſi,quæ tum geſtaret vte-
ro menſem iam vigeſimum tertium. Ea ſæpe
iteratò nupta,cùm ex priore coniugio partus
aliquot nonimeſtreis edidiſſet, ex poſteriore
tamen ediderat treis , vnum menſium vnde-
cim,alterum quatuordecim,tertiū verò octo-
decim : & quoniam ex periculis anteceden-
tiū puerperiorum coniiciebat ſibi ex quarto
impēdere grauiſſimum,Medicos ideò conſu-
leret,ſi qua ratione incolumis euadere ex illo
poſſet.Et memini quidem obieciſſe me,vide-
ret,ne eſſet eadem fœmina,quam non ita pri-
dē Antonius Saporta,aliíque Medici propter
ſimile neſcio quid non omninò ſanam mente
pronunciaſſent. Verùm perſtitit fuiſſe aliam,
adiiciens ipſam non longè pòſt pepetiſſe in-
fantem cum capillitio, ac dentibus,obriuuiſ-
séque à coniuge , ne vlteriùs contingeremt.

Vtcumque porrò hac de re ſit,(quam ven-
ditare pro vera nolim)occaſione partim mor-
borum, partim vehemētioris ſtudij,effectum
eſt , vt literas ad amicos ſcriberet raras. Inde
euenit,vt cùm ſemel totos quatuor menſeis à
ſcribendo abſtinuiſſet,& periiſſent etiam de-
ſtinatæ quædam in Italiam epiſtolæ, ideò ru-
mor de eius morte Romæ, ac Patauij percre-
buerit;& Pignorius etiam ad Patrem conſo-
latoriam ſcripſerit;Gualdus verò,falſitate ru-
moris comperta,illum quaſi rediuiuum ſalu-
tauerit,crudelem blandè appellitās,quod ſuâ
in ſcribendo negligentiâ,amicos tam bonos,
tamque conſtanteis enecaret. Videlicet non
admittebant quod expectandas à ſe raras lite-
ras præmonüerat, donec ſtudium Iuris foret
abſolutum.Quare compulſus denique fuit,vt
ſæpiuſculè ſcriberet;neq; ad ipſos Italos mo-
dò,ſed ad ipſos quoque Velſerū. Scaligerum,
Cluſium. Quia porrò ambages nimis erant
magnæ;cùm oporteret literas Auguſtâ, atque
Francofurto transferre in Hollandiam ; ideò
Scaliger auctor fuit,vt literæ mutuò deſtina-
rentur Pariſios,ad Præſidē illum eximium Ia-
cobum Auguſtum Thuanum , cuius nomen
diffuſius eſt,quàm vt elogio vllo poſſit com-
prehendi.Etenim,quòd Scaliger illum & ſui
amantiſſimū,& pro ſingulari in bonos,erudi-
tóſque omneis affectu ad omne genus officij
paratiſſimum cōperiiſſet;idcircò eā ipſi curam
non dubitauit committere, vt commendatas
ab vtroq; literas ex æquo curaret. Quare hac
primùm occaſione,& ex hoc vſque tempore
cœpit quæ magna, excultáque deinceps fuit,
inter Peireskium, & Thuanum neceſſitudo.

Ad Patrem verò,ac Patruū,vti par fuit,ſcri-
pſit frequentiùs:ſed maximè vt obtineret, ne
ante finem eius anni , qui fuit huius ſæculi
tertius,Aquas-Sextias euocaretur Et quia nō-
rat ciueis Aquenſeis ea tēpeſtate procurare,vt
non modò Regium Collegiū pro Humanio-
ribus literis,ac Philoſophiæ ſtudio haberent;
ſed vt priſcam etiam Vniuerſitatem , Regiis
Profeſſoribus illuſtratam facerent;eapropter
ſcribens ad Parentes miro contendit ſtudio,
vt Profeſſori primario Iuris ampla forent ſti-
pendia,quo Pacius illuc accerſeretur.Siquidē
perſpectum habebat tàm Palatinum Comitē,
quàm Academiæ Curatores euocare illum
ingenti pollicitatione Heidelbergam,vbi iam
per complureis annos ſui ſpecimen dederat;
ipſe verò & expetebat poſſe Aquenſē Acade-
miā tanto ornamēto gloriari, & ægrè ferebat
excidere ſpe , quā ſatis firmā conceperat effi-
ciēdi demū ex illo virū Catbolico-Romanū.

Cæterùm, cùm non poſſet ampliùs Patrui
votis obſiſtere , quippe qui reſignata illi di-
gnitate Senatoria , etiam ab anni initio Re-
giū diploma quæſierat ; acceſſit tandē Aquas-
Sextias, vt neceſſarium illi habendæ Docto-
reum gradum conſequeretur. Non acceſſit
autem niſi priùs optimè exercitatus , ac niſi
obtenta in finem anni dilatione , tum vt Pa-
cium per ferias Natalitias deduceret, tum vt
intereà ſe ad varias actiones obeundas meliùs
compararet.Etenim, quia moris tum erat in
Aquenſi Academia,vt nemo priùs ad lauream
Doctoratus admitteretur , quàm, præter alia
tentamenta, triduanas theſeis defendiſſet;id-
circo theſeis miſcellaneas ex vtroque Iure de-
ſumptas,maturè & ſeligere,& mandare typis
oportuit.Et aliunde,quoniam à Patruo acce-
pturus vno die Doctoratus inſignia , conſti-
tuerat ipſe in fratrem inſequenti die confer-
re ; eapropter habere ſibi tempus voluit , ad
congerendum vnde poſſet inſigniorum ori-
ginem , vetuſtatémque explicare.

Acceſſit ergo tandē cum Pacio ſub Brumā 1604.
Aquas-Sextias;tametſi gradum adeptus non
eſt, niſi die Ianuarij inſequentis anni decima
octaua.Tædium fortaſſis parerem , ſi vel per
capita attingerem ea,quæ magna cum erudi-
tionis teſtatione ediſſeruit ſingulis illis actio-
nibus,quibus eſt Lauream conſequutus.Satis
eſto ſubiicere , geſſiſſe ſe illum eo cum vigo-
re animi , vt non totam modò coronam in
admirationem rapuerit ; ſed ipſi etiam Pacio
viſus fuerit ſeipſum longè ſuperare. Biduo
pòſt , cùm ornamenta Doctorea in Fratrem
conferret,dici non poteſt qua ſuauitate audi-
tores perfuderit. Scilicet ex ſtatua quadam
Metrodori cum galero ſuo, ſeu Arcadico pi-
leo,& infulis,cúmque pallio Philoſophico &
annulo in ſiniſtra manu : itemque ex ſtatuis
quibuſdam Hippocratis cum ſimili pallio,
epomidéque adiuncta : ex inſcriptione qua-
dam Eubuli Marathonij,ac infulata ſtatua nō
ad ceruices, ſed circum caput : ex conſimili-
bus Platonis , Theophraſti , Phauorini,alio-
rum : ex cimeliis Gotthicis, in quibus mitræ
pileis non admodùm abſimiles ; ex innume-
ris aliis (vt breue faciam)monumentis,oſten-
dit quemadmodum vſus eiuſmodi ornamen-
torum ab vſque Græcia ad Latinos, & ad
nos vſque tranſierit ; quemadmodúmque ex
Philoſophia , atque vetere Sacerdotio , gra-
dum fecerit in doctrinam , Profeſſionémque
multiplicem recentiorum Academiarum;id-
que citatis paſſim Conciliis , Patribus , Poë-
tis , Hiſtoricis , Philoſophis , Oratoribus ,
quibus plenam faceret fidem.

DE

DE VITA PEIRESKII,

LIBER SECVNDVS.

1604. VIx iam deſietat celebritas, cùm memoratum antè diploma, ne, anno maius, antiquaretur, Senatui exhibendum fuit. Id ergo exhibitum quidem,& in acta teferri iuſſum: verùm obtiouit Peireskius, ne proptereà ſtatim admitteretur, conſcriberetúrque reipsâ in Senatorum oumerum; tum quia videri noluit ex eo numero Patruũ amantiſſimum exegiſſe; tum quia timoit, ne ſi ſemel aſtringeretur officio, ſibi & libertas ſtudiorum, & occaſio petegrinandi maturè nimis præriperetur. Heinc quoniam ad amicos ſcribens, & occupationes doctoreas in excuſationem diuturni ſilentij ptætexens, inſinuauit ſimul ſe ad Senatoriam dignitatem adigi non ſponte: reſponſa tulit vatia, coogratulantibus pleriſque, quòd iam inter Senatores cooptatum arbitrarentur. Ex iſtis fuit Scaliger, qui & dignitatem nouam commendauit, & congratulatus ob lauream, ſubiunxit ſe aliàs adfuiſſe Aquis-Sextiis, teſtem ſeueri examioiſ, quo Academia vteretur. Fuit etiam Velſerus, qui non modò eſt ob dignitatem congratulatus, ſed admonitionem etiam, adhortationémque paternam adhibuit; ac inter cætera, *Non eſſe animo ipſi deſpondendum: munus Senatorium tametſi ſpinoſum, id tamen prima fronte dumtaxat; principium ſolùm moleſtum eſſe, lenire tempus cætera: nihil ſupra vireis exactum iri; fore Numen propitium; deberi patriæ operam*, & quædam alia in eundem ſenſum. Sic adhortatus etiam eſt Pacius, ſtatim ac rediit Monſpelium, epiſtolâ nuncupatoriâ, qua Imperialium Inſtitutionum Analyſin ipſi dicauit; quanquam, quòd noſſet illum nondum inter Senatores relatum, dicauit, ac inſcripſit ſolùm, tanquam *in ſupremo Prouinciæ Senatu Conſiliario Regio deſignato*.

Non pigebit porrò hûc transſcribere ipſiſſima nuncupationis, & adhortationis verba. Sic ergo illum affatus eſt, *Ad te verò, mi Fabrici, meas lucubrationes mitto. Cùm enim tu antiquis moribus præditus, à noſtro conuictu, vnà cum ſuauiſſimo fratre tuo in patriam rediens, vetuſto more, præclara xenia, vel potiùs munera obtuleris, quibus veſtram, veſtrorúmque Patrui, & Patris virorum ampliſſimorum, & regiorum in ſupremis Senatibus Conſiliariorum erga me, meóſque beneuolentiam teſtatam reliquiſtis: me quoque oportuit, ne ab antiqua, & laudatiſſima conſuetudine diſcederem, aliquid inuicem rependere, quod grati animi teſtimonium eſſet. Quid autem à me proficiſci potuit, quod tibi gratius eſſet, quàm aliquid ex his ſtudiis deprompttum, quibus nobiliſſima tua familia maximè floret? Nam pecuniâ neque tu eges, neque ego abundo: hæc verò ſtudia amas, & colis; ac te ex noſtris prælectionibus, atque exercitiis profeciſſe lubens fateri ſoles. Eximiæ verò laudis, quam tuo merito in doctoreo gradu aſſumendo es conſequutus, participem me quoque eſſe vis, quaſi noſtris monitis, & præceptis adiutus, ad illud eruditionis culmen, quo multi fruſtrà aſpirant, aſcenderis. De quo tuo, optimique fratris tui nouo honore vobis ex animo gratulor; & vt iam Senatorios animos accipiatis, iam in Rempublicam, quæ veſtram operam requirit, omneis veſtras cogitationes conuertatis, publicúmque bonum perpetuum veſtrorum conſiliorum obiectum ſtatuatis, etiam atque etiam hortor. Hac enim re nulla vobis dignior, nulla parentibus veſtris (Patruum alterum veſtrum parentem agnoſcitis) gratior, aut iucundior eſſe; nulla vos illuſtriores reddere poteſt.* Hactenus Pacius.

Pereskius verò animum quidem allegendi ſe aliquando Senatoribus non abiecit: non intermiſit etiam protsùs ſuſceptum Iuris ſtudium: verùm dilatione obtenta, & liberioribus iam ſtudiis, ad colendum ſuauiores Muſas, ad promouendum bonas arteis, ad adiuuandum, quantùm potuit, Viros bene de literis merenteis animum applicuit. Ac primùm quidem variè ſollicitatus de coniugio, cœlibem vitam prætulit; ratus non poſſe ſe vxoris, ſuccreſcentiſque familiæ ſollicitudinem gerere, & expeditum ſe erga ſtudia, viróſque ſtudioſos tueri. Heinc cùm Pater, ipſo inconſulto, conueniſſet propè de nuptiis cum viri illuſtris Ioannis Ceppedæi primi Rationum Præſidis vnica filia contrahendis, veniam ardenter petiit non diſcedendi ab inſtituto. Quippe ſe Palladi, ac Muſis nomen, fidémque ita dediſſe, vt ſacrilegium duceret de aliis nuptiis cogitare. Et Pinelli quidem exemplum, alta licet mente repoſtum, noluit Patri proponere; ſed propoſuit tamen exemplum Varij, quod præſens ac illuſtre erat; adiecitque ſibi præ aliis domeſticum eſſe coram oculis, quod ſe non poſſe, niſi cum laude imitari arbitraretur. Itaque imitatus Patruum ducere vxorem germano conceſſit; illéque proptereà ſequente æſtate memoratam ſuprà Marchiſam à Tullia duxit

coniugem,

coniugem, ex eâque tertio anno pôſt filium ſuſcepit, quem Claudius Patruus, ſuperſtes adhuc, cognominem fecit.

Deinde, non admodùm longè à Doctoreo gradu ſuſcepto, perlnſtrare placuit maritimam oram, tum vt omnia antiquitatis monumenta perveſtigaret, tum vt rariores quaſdam plantas per eam regionem deligeret in Belgenſerianum hortum transferẽdas. Quòd duxerit autem initium à Forojulienſibus antiquitatis reliquiis, circa quas ſibi prima vice (diſcedendo nempe in Italiã) abundè factum non putabat, fuit occaſio deducendi Draguinianom vſque nobileis conſanguineos, qui ad Doctoratus acceſſerant pompam. Viſere autem imprimis voluit opus Romano nomine dignum, intercîſam ſcilicet Rupem, ſeu excavatum amplum canalem in decliui quadam montis facie, quà Cyanei fluuij ſcaturigo altera forum Iulium, à quinto vſque Prouinciali lapide, per anfractus vallium, ſiluarúmque fuit perducenda. Quàm multa verò toto progreſſu obſeruâtit, collegeritque, enumerare prolixum foret: adnoto ſolùm ipſum exinde cepiſſe anſam conſcribendi, mittendique varia ad amicos varios.

Cætera Inter plurimi fecit Conſulate quoddam numiſma, quod dicebat inſolitum, & neque Goltxio, neque Vrſino, neque aliis memoratum, quódque deſtinauit ad Pignorium, vt cum Friderico Contareno communicaret. Plurimi etiam inſcriptiones quaſdam Flaminij, & Dudiſtij, de quibus ſupplendis (nam exeſæ erant) cum Velſero præſertim egit. Plurimi quædam alia ſelecta, quæ miſit ad Scaligerum, & ex rebus aliis conchas neſcio quas, quarum occaſione ſcripſit ad Penam Medicum de Concha anatifera mituli inſtar conformata. Sed vt de Plantis ſpeciatim dicam, comitem adhibuit Botanicum quendam plantarum quovis tempore internoſcendarum peritum, eapropterque non ſolùm plantas in ſuum hortum deſtinauit, ſed pleratumque etiam radices tranſmiſit ad Cluſium, ac inter cæteras Tragacanthæ, Ariſtolochiæ, Aſphodeli, Arburi vtriuſque. Significauit autem ſimul deſiderium, quo veller Cluſium aliquantiſper Belgenſerij detinere, oſtenſurus illi Styracem, ſeu arbuſtum foliis cotonæo malo, floribus arantiæ non abſimilem, & liquoris fragrantiâ nequaquam Sytio poſtbabendum. Is enim ad vnum milliare iuxta oppidum ita naſcitur, vt aliàs fruſtrà requiratur. Oſtenſurus etiam Lentiſcum, quæ non minùs Maſtichen ſudet, quàm quæ in Chio Inſula naſci ſpecialis dicitur. Oſtenſurus & alia quædam vix aliàs vſquam obſeruabilia.

Cùm rediiſſet, agere cœpit de inſtituendo Eremitarum Camaldulenſium cœnobio in egregia illa ſolitudine, ſubrupeâque Eccleſia, quæ Diuæ Mariæ de Angelis ſacrâ, æquâ propè diſtantiâ eſt Maſſiliam inter, & Aquas-Sextias. Occaſioni fuit, quòd Patauij degens eorum inſtitutum valde probauiſſet, eruditúſque inter ipſos Religioſus nomine Elias, Nouitij cuiuſdam causâ, Aquis-Sextiis tum verſaretur. Peireskius itaque illius conuerſatione delectatus, ipſum per multos menſeis detinuit, in ſolitudine ſuſtentauit, ac ſæpiùs per compluteis dies commoraturus inuiſit. Procurauit intereà vt ciuium tàm Aquenſium, quàm Maſſilienſium decreto id cœnobium poſtularetur. Licentiam quoque inſtituendi à Minetenſi Domino, in cuius ditione eſt locus, obtinuit, ac circumvicinum dominium, ſeu fundum pretio acquiſiuit. Sategit quàm enixè potuit per Patavinum Epiſcopum, & Cardinalem Pallavicinum, vt Congregationis eius Superiores non Eliam modò illeic loci relinquerent, ſed religioſos etiam alios in ampliſſimam meſſem deſtinarent. Rogauit, vt aliquos ſaltem loco viſendo committerent, pecuniámque intereà ſumptibus faciendis neceſſariam miſit. Et facta quidem plurima ſpes: ſed poſtremò tamen irriti conatus. Sic votis etiam non reſpondit redintegratus pro Pacio labor. Siquidem cùm ineũte vere euiciſſet, vt Aquenſes deſtinarent Pacio primariam Iuris cathedram, præſtituto ſtipendio librarum Turonicarum bis mille, & quadringentarum, proficiſci ipſe Monſpelium eum Aſſeſſore vebis, voluit, vt ſi quidpiam difficultatis obſiſteret, amoliretur. Et rediit tamen re infecta; prætexente quidem Pacio, quòd tria librarum millia, præter occurrentia emolumenta, experetet; ſed causâ reuerâ ab vxore datâ, quæ Catholicam vrbem exoſa, Heidelbergenſem præoptaret.

Incidit verò ſtatim in morbum, è quo vix initio æſtatis conualuit. Importuna præſertim fuit mira cutis teneritudo; nam quacumque corporis parte tantilla fieret veſtium compreſſio, rubeſcens tumor cum vehementi prurigine cooriebatur. Caſus hic anſam illi præbuit philoſophandi de Maculis, quas ab vtero plerique ſortiuntur. Quippe cogitatio illum ſubiit fieri ſimiliter poſſe, vt qua parte corporis grauidæ mulieres ſeſe attrectauerint, dum expetitæ cuiuſpiam rei imaginatione tentantur, in eadem Embryonis parte eiuſmodi rei character ſuboriatur, exprimatúrque. Ita non ſemel retulit, ac non multis ſpeciatim annis ante obitum, cùm vnà philoſopharemur de quadam canis imagine intra vrinam hominis à rabido cane demorſi conſpecta. Ac difficultas quidem erat, cur ille character non corpori matris, ſed Embryonis inureretur: ſed aſſenſit tamen Embryonem vtero geſtatum vnum corpus cum matre eſſe, eadémque ſpecie alimenti, iiſdémque ſpiritibus ſecundùm omneis ſui parteis ſic enutriri, vegetaríque, vt ſemine ex omnibus partibus deciduo fuit primùm formatus. Quare & tenue corpuſculum iiſdem affici caſibus, quibus ipſum corpus maternum; ac poſſe ipſi tantò faciliùs notam aliquam imprimi, dum ſpiritibus ſpeciem conceptam devehentibus, eo matris contacto veluti defigitur, quantò ipſum eſt mollius, ac tenerius. Memini verò id confirmatum memorabili quodam facto, quod ipſi fando accepimus; Muliere nempe grauida in oppido huius Prouinciæ Cippetiis dicto,

ante

ante annos circiter ſexaginta, pugione confoſſa, eductum fuiſſe ex ea Embryonem cum totidem notis liueſcentibus. & ad eaſdem parteis conſpicuis, in quibus mater fuerat percuſſa. Quòd autem, dum illæ fructuum ſpecies, ceraſa, fraga, aliáque rubeſcunt, impreſſi quoque characteres viuidiore rubore ſint, cauſam dici poſſe affectionem aëris ſecundùm eandem tempeſtatem ſimilibus ſpiritibus concitandis idoneam, vt dum vitibus floreſcentibus vinum in doliis commouetur; ſed non eſt quorsùm ea de re vberiùs quidpiam heic proferatur.

Repero potiùs Peireskium balneorum vſu conualuiſſe (ſanguine putà temperato, perſpirabilíque facto corpore) ac magno fuiſſe leuamento, quòd iucundiſſimam intereà familiaritatem duplicem parauit. Altera fuit cum nobili Franciſco Villanouano Flayoſci Barone, & Marchionis Tranſij germano, qui linguæ Græcæ, omnigenæque hiſtoriæ callentiſſimus, quicquid penè erat in tota Prouincia monumentorum vetuſtatis perſpectum ad vnguem habebat. Altera cum celebri viro Franciſco Malherbio, qui deinceps habitus fuit Gallicæ linguæ arbiter, & Poëſeos facilè princeps. Inuiſebat enim vterque; & cùm priorem quidem ipſi patria communis, ac ſtudium earundem rerum conciliâſſet, poſteriorem illi quæſiuit commendario Varij, clarúmque in Prouincia nomen, ex quo tempore fuerat memorato magno Franciæ Priori à Secretis. Heinc proinde cœpit Peireskius Malherbij Poemata cognoſcere, ſuſpicere, apud exteros commendare. Siquidem cùm menſe Septembri illa memorabilis Oſtendæ obſidio exitum habuiſſet, pulchraque illa carmina *Area parua ducum* &c. fuiſſent Gallicis verſibus non modò à Vario, ſed à Malherbio etiā expreſſa, miſit illicò cùm ad alios, tum ad ipſum Scaligerum, quem Latinorum carminum arbitrabatur eſſe auctorem. Taceo autem vt Scaliger ad ipſum reſcripſerit auctorem eſſe Hugonem Grotium, adoleſcentem lectiſſimum, puellas verò ex Helicone, ſe vt ſeneſcentem, pridem auerſatas; ex quo etiam ſe excuſauit, quod verſus ab eo pro Pinello expetitos non mitteret.

Diuerſatus per Autumnū Belgenſerij, ſpectauit rarum illum concurſum trium ſuperiorum Planetarū, qui nonniſi anno quoque octingenteſimo contingit, & Magna, ſeu Maxima potiùs, Coniunctio meritò vocarunt. Et mirabile quidem fuit naſci in eo conuentu Stellam magnitudine Iouem æmulatam, quæ ſupra annum in eodem Serpentarij pede ſic perſeuerauerit; vt perſeuerauerat alia in ſidere Caſſiopejæ ante annos triginta duos, & alia rurſus ante triennium in conſtellatione Cycni. Verùm quia tū Peireskio cæleſtis globus non aderat, quò fieret certior de Siderum non errantiū nomenclatura; ideo facilè credidit Nouam illam ſtellam ex antiquis eſſe, ac potiſſimùm vidēs ipſam non, vt Planetas circumſtanteis, obtuſi eſſe luminis, ſed Fixarum inſtar mirè ſcintillare. Acceptis poſt aliquot mēſeis à Pignorio literis, didicit Stellam eſſe recentem, ac obſeruari à Galileo, idque cùm iam ex veſpertino in matutinū ſitum tranſiiſſet: at quia in morbū incidit, quo initio veris 1605. multum laborauit, cùm ſimul quoque ægrotarent Pater, Frater, Patruus, Nouerca, & domeſticorū nonnulli, idcircò ſibi à ſtudio eam obſeruandi temperauit. Ne memorem, cùm voluit poſteà ad illas parteis reſpicere, ſtellam ſic fuiſſe iam imminutam, vt Fixis circumſtantibus, perpetuiſque nihilo maior, ac vna earum credita, euanuiſſe iudicaretur. Poſterioribus tamen annis dolere ſatis non poterat, quòd ad tam rarū ſpectaculum ſuis obuium tēporibus ſtudioſè magis nō attēdiſſet.

Per ea tempora cùm Maſſilia Belgenſerium contenderet, tranſire Caſtellero voluit, vt Parochum loci nomine Iulianum, ob ingenuam curioſitatem ſibi iam carum, ſalutaret. Cùm ab ipſo aliquantiſper extra vicum deduceretur, occurrit illis Mulio floridum ramum ex Myrto geſtans, latifolium, & flore pleno, qualem Peireskius neque vidarat, neque inaudierat exſtare. Itaque raram miratus Plantam, perduci voluit in mediam ſiluam, vbi enata fuerat, ac transferri ipſam curauit, vt excoleretur, propagareturque. Transferri autem noluit in Belgenſerianum hortum, quoniam non aderat qui illam ſatis diligenter curaret; ſed in hortum potiùs ipſius Iuliani, cuius futurum circa ipſam exquiſitum ſtudium confidit. Et excoluit ille ſanè, vt rar fuit, quouſque ex planta manente iocolumi, propagatio fieri Belgenſerij, potuit. Id attingere viſum eſt, quia nuſquam in tota Europa Myrtus pleno flore fuerat agnita; ac deberur Peireskio, quòd iam in hortis Regiis, quòd Romæ, quòd in Belgio, quòd alibi gentium viſatur. Prætereo ipſi quoque deberi Fungum Coralloïdem dictum, de quo cùm Cluſius reſcriberet, *mentionem*, inquit, *faciam in auctario ad Exoticorum Hiſtoriam, quam ſpero breui publici iuris facere, Fungi cognitionem tibi acceptam relaturus.*

Heic nondum dixi Varium tantoperè fuiſſe illius conſuetudine delectatum, vt donec fuit Aquis-Sextiis, continenter penè habere commenſalem voluerit. Quin habere etiam voluit peregrinationes, ruſticationéſque cum illo communeis; & cùm ſub Iulij initium profectus eſt Maſſiliam, vt Carolum Neovillam Alincurium Ex-legatum Regium Roma redeuntem inuiſeret, illum comitem in via facundum conſalutaturum deduxit. Cùm destinaret autem pergere Pariſios, inſinuauit ipſi an-non vellet Vrbem, Aulámque cognoſcere. Ipſe nihil quidem ſibi eſſe magis in votis profeſſus eſt, & maximè in tanti Viri auguſtiſſimo comitatu: at obſtare dixit voluntatem Patrui, qui paratum aliàs negotiorum causâ eò diſcedere, id abnuiſſet, prætuliſſétque Fratrem proximè diſceſſurum. Scilicet in Regis Conſilio tum agitur negotium circa ſolutionem Talliarum, vt vocant, ad quam Rianrienſes contendebant ratione fundorum quorūdum Reginaldum Patrem teneri. Enimverò Varius ſeſe curaturum recepit, vt ipſe potiùs destinaretur, réque ipſa Patruo perſuaſit tenerū nimis eſſe affectum, Iniuriámque eſſe, non beneuo-

lentiam, arcete tantam indolem à conſummatione virtutis. Itaque Patruo propter Viri auctoritatem, conſentiente (nam Pater alioquin votis filij nunquam apertè repugnauit) dedit ſeſe Peireskius in comitatum Varij, Auguſti menſis initio, annóque huius ſæculi quinto.

Incredibile autem dictu, quàm citò Pariſiis inclaruerit, partim virtutis propriæ, partim Varij commendatione. Primus, quem geſtiit ſalutare, Auguſtus ille Thuanus fuit, tum vt ob ſummam humanitatem, ageret coràm gratias; tum vt ab illo acciperet, ſi à Scaligero quid haberet Quantâ verò lætitiâ exceptus ab eo fuerit, exprimi non poſſe ipſemet narrauit. Aperta nimirùm ſtatim Bibliotheca tum priuata, tum Regia; apertum quicquid monumentorum ad contexendum hiſtoriam aſſeruabat in ſcriniis; apertum cor, & viſcera ſinceritatis miræ profuſa Ipſe tum plura edocuit, quæ ille de Viris in Italia eruditis experiit; tum, quia nonnihil deſiderabatur ad conſcribendum eorum elogia, recepit ſe per literas ex amicis conſequututum.

Cùm iteratò illum inuiſit, accerſitus illicò fuit Iſaacus Caſaubonus, cui ſub Thuano cómiſſa erat Bibliothecæ Regiæ cuſtodia. Is à primo ſtatim congreſſu, neſcias an magis ſuſpexerit, an amauerit illum magis. Nimirùm tam multa accepit, edoctúſque ab eo fuit, vt nec publicè, nec priuatim per familiareis literas tacere id potuerit. Nam primùm quidẽ edens Notas ad Epiſtolam Gregorij Nyſſeni, quæ eſt ad Euſtathiam, Ambroſiam, & Baſiliſſam, meminit nummi ærei Rogerij Regis Siciliæ, *quem*, inquit, *inter multos Arabicè inſcriptos, cum varijs figuris diuerſorum Principum nobis oſtendit Fabricius de Perriſco Senator Aqui-Sextienſis, vir eruditiſſimus.* Deinde, cùm Peireskius illi detexiſſet errorea apud Vrſinum, & Golrzium, qui Iacobo Stradæ, potiùs quàm numiſmatibus fidentes, corruperant varia ex gentilitiis nominibus aliquorum Imperatorum, inter triginta Tyrannos ſub Gallieno recenſitorum, ac nominatim Marci Piavvonii Victorini, et Lucii Æliani, (ex quibus illi Marcum Aurelium, Victorinum, & Spurium Servilium Lollianum, contra fidem numiſmatum, quæ ipſe oſtendit, commenti immeritò fuerant) Caſaubonus gratias ampliſſimas egit, ac pergens, *Oro te*, inquit, *per amicitiam noſtram nuperam, ſed antiquiſſimam, ſi per te licet; oro te, inquam, qua habes eius generis mihi communices. Omnino quam ingrederis viam illuſtrandi eas tenebras, certiſſima eſt, & vnica. Expectabo magna auiditate qua ſupra huiuſmodi ἀρχαιολογίας magnus Scaliger obſeruauerit: ſed auguror etiam poſt illius meſſem tuo ſpicilegio fore locum. Eſt enim cuiuſdam fœlicitatis incidiſſe in eos nummos, qui in illa caligine lucem tibi affulſerunt.* Sed ne ſim prolixus, excerpo dumtaxat, quæ in hæc verba ad illum ſcripſit, vno, alteróve pòſt anno, *Deum precor, vt tanto Muſarum Patrono omnia læta, ac fauſta largiri velit. A te autem peto, vt qui ſemel tua beneuolentia me dignum indicaſti, etiam porrò eandem mihi impertiaris, hoc eſt, rogatus facias, quod vltrò cœpiſti. Ego me tibi & debere iam multa ſentio, & debiturum etiam plura non deſpero, ſi tibi dabitur aliqua occaſio de ſtudijs noſtris bene merendi. Neſcio an reſciueris miſſum ad me fuiſſe à Sereniſſimo Duce Vrbinati Codicem Polybij, cuius tu mihi index fuiſti: itaque tibi cum primis id beneficium debeo*, &c.


Notum, ac inter eruditos celebrem Virum heic refero, vt ex eo iudicium de cæteris facias. Nam quid memorem Frontonem Ducæũ, Papyrium Maſſonum, & nõnullos alios, quibus ſalutem per ipſum dici à M. Velſero fuerat expetitum? Quid Nicolaum Fabrũ, Iacobum Bongarſium, Scævolam, & Ludouicũ San Marthanos fratres, Franciſcum Pithœũ Petri germanum, & alios penè innumeros, quibuſcum ex eo tempore familiaritatem cõtraxit? Dicere præſtat nullam fuiſſe Bibliothecam celebrem, quam euolutam non fecerit, ac præter memoratas quidem, San-Victorianam potiſſimùm, in qua referebat ſe, cùm multa alia, tũ ſpeciatim vidiſſe omnia Puellæ Aurelianenſis acta, vindiciaſque, & effigiem, contexta ex iis magno Codice, iuſſu Abbatis contemporanei. Sic & complura meminerat, quæ obſeruàrat in priuatis, ac nominatis Ioannis Iacobi Memmij Rociaci, Viri indole generoſa, & tam virtute propria, quàm genere, & prole illuſtris, qui etiamnum viuit fœlici ſenecta princeps Comitum conſiſtorianorum. Itémque Renati Poterij Epiſcopi Bellouacenſis, quem prædicare ſolitus erat rarâ doctrinâ ſpectabilem. Ac rurſus Pauli Parauij Senatoris ſummè laudati, cuius commendabat quidem ſupra mille MSS. codices, ſed faciebat tamẽ Cimeliarchium pluris. Cũ ipſum autem videretur eſſe cumulatiſſimum; voluit tamen ſponte augere variis Regum numiſmatis tam primæ, quàm ſecundæ Stirpis. Dedit nempe quædam, in quibus nomina Regum legerentur, v. g. Clotarij coronâ gemmâ redimiti, (Conſtantini ſcilicet more, qui pro laurea gemmam vſurpauerat) quædam in quibus Comitum, ſub quibus numi fuere cuſi, vt Filaparii Rhemẽſis, cum inſcriptione Remus fit. Pari ratione commendabat Franciſci Oliuarij Fontanæi cimelia, ac libros. Ex Cimeliarchio autem Regio, cui Bagarrius iam præerat, æquum ſanè fuit nihil ipſum latere. Probauit porrò conſilium, quo Franciſci Pererij nobilis Aquenſis promptuarium præclaris cimeliis inſtructiſſimum transferendum in illud erat: quippe multa adhuc deeſſe agnouit, vt dignum Regio nomine meritò exiſtimaretur.

Quia verò inter cætera Bagarrius illi oſtendit Amethyſtum perelegantem, in qua cælatus Solonis vultus celebris illius Dioſcoridis Auguſti cælatoris manu; ideò cepit anſam edocendi ipſum quidnam ſibi vellent foraminula in Inſcriptione, quam oſtendit in ectypo, obſeruata hac ſerie,




Ediſſeruit enim eſſe forulos, in quos fuiſſent inſerti claui continentes Græcas ex metallo literas,

literas, quæ cælatoris illius, ſeu ΔΙΟϹΚΟΥΡΙΔΟΥ exprimerent nomen: ſed ordine retrogrado, vt proprium eſt cælaturarum, ectypoſúmque. Id autem manifeſtum fecit, vbi depictis, in alba charta, vti mox eſt factum, foraminulis, lineas interduxit, quæ eas literas in hunc modum exprimerent,



Sic ſe interpretatum dixit foramina quædam, quæ viſebantur Aſſiſij in antiquo neſcio quo Templo. Cùm enim nemo dicere poſſet ecquid illa ſignificarent, diuinauit ipſe inſcriptionem eſſe, ſeu dedicationem factam Iovi Opt. Max. idque demonſtrauit per lineas foramina ſic connectenteis,



Sic ſperauit ſe interpretaturum ſeriem quandam foraminum Nemauſenſis Baſilicæ, quam Quadratam Domum appellant, vbi ectypum obtinuiſſet.

Sed Pariſios vt regrediamur, vix publicum vllum monumentũ fuit, quod in examen non reuocârit, de quo iudiciũ non tulerit. Quippe altero ſtatim menſe, ex quo in eam vrbem acceſſit, literas dedit ad Flayoſceñ, quibus ſcripſit ſe nondum quidem monumenta priſcorum Regum San-Dionyſiana inuiſiſſe: ſed iam tamẽ falſi conuiciſſe Tumulos exſtructos tũ Clodovæo ad Sanctam-Genovefam, tum Chilperico, & quibuſdam aliis ad Sanctum-Germainum. Et paucis pòſt diebus, cùm eos expeodiſſet, q [illegible]ad Sanctum-Dionyſium, Nihil potui co[illegible]perire, inquit, quod ante Diui Ludouici tempora fatisfecerit; exiſtimóque omneis illos antiquiſſimos tumulos tempore eodem, nec multò ante D. Ludouicum conſtructos. Qui autẽ placuit maximè, is eſt noſtratis Margaretæ, Sororis nimirum Beatricis primogenitæ, S. Ludouici vxoris. Denique commendans vetera ſigilla, quæ coràm inſpexit, ectypiſque expreſſa tulit, ex Archiuis Abbatiarum S. Dionyſij, S. Germani, S. Mauri, & cæterarum, vt in quibus continerentur germanæ effigies Karoli Magni, Hludouici Pij, Hlotarij Imperatoris, Pipini Regis Aquitaniæ, Karoli Calui, Karoli Simplicis, aliorúmque Regum ex ſecunda ſtirpe, Hæc ſanè, inquit, ſatis refellunt tumulóſque, & ſtatuas hiſce Principibus confectas ante quadringentos, aut quingentos annos.

Nihil non adiiciendum eſſet circa aliarum rerum ſtudia: quoniam nihil extare accepit ex mirabilibus ſeu artis, ſeu naturæ operibus, quod nõ ſtudioſè ſpectauerit, veluti ædificia, opificia, machinas, plantas, animalia, foſſilia, omnia denique obſeruatu digna. Hæc inter, varia officia quà propè, quà procul literatis exhibuit; & cùm anxiè requiſiuiſſet ex Paulo Seruita, ex Scaligero, ex Caſaubono, ex eruditis aliis ecquid nouiſſent de Iuuenco Cælio Callano Dalmata, cuius Codicem MS. de Attilæ vita Venetiis abſportauerat ſis, vt ederetur, animum applicuit.

Anni ſequentis ineunte vere, ac breui in 1606.
Prouinciam redituro Vario, non multo labore obtinuit, vt liceret ſibi inuiſere Angliã, comitaturo præſertim virum illuſtrem Antonium Boderium Regium Oratorem illò deſtinatum. Neque id modò Varius eſt paſſus, ſed laudato propoſito (in quod etiam conſpirârunt Thuanus, Memmius, Mericus Vicus, amici alij) recepit ſeſe curaturum, vt Pater Patruúſque factum comprobarent. Diſcedentem voluit Peireskius Aureliam vſque deducere; vnde priuſquàm regrederetur, ſpectauit attentiùs tum priſca Eccleſiæ S. Crucis veſtigia, quæ vetuſtatis eſſe duxit mille, vt minimùm, annorum: tum præter alias ſtatuas, imaginéſque tam Karoli Septimi, quàm Ioannæ puellæ, videre eas voluit, quæ in Municipali Curia aſſeruari perhibebantur; ſenſitque ſpeciatim effigiem, qua Rex eſt depictus cum barba, & San-Michaëliano torque, non eſſe vndequaque fidam. Inibat porrò iam menſis Maius, cùm diſcedente Boderio, ipſe paucis diebus, retardatus fuit, coactus veredis poſteà ſubſequi, vt Caleti aſſequeretur. Cùm ſoluiſſent, perpauci fuêre ex vniuerſo comitatu; quibus ex nauis agitatione, halitúque maris ſtomachus non fuerit ſubmotus. Peireskius, cùm id præcaueret, cæteris relictis, ad malum conſedit, vbi & meliùs habuit. Cauſâ requiſitâ, reſpondit agitationem minimam illa in parte fieri; quamobrem ſe eò declinaſſe, ne nauſearet, vt cæteri, qui longè magis, tam ad proram, quàm ad puppim agitarentur.

Appulſus in Angliam, ac poſtquàm præeunte Oratore Iacobum Regem ſalutauit, carus ipſi habitus eſt, accerſitúſque ab eo non ſemel: vt cùm narrare factum oportuit circa egregiam compotationem. Contigit enim, vt in quodam virorum doctorum conuiuio, Doctor Thorius ipſi Peireskio ingenti Scypho præbiberit: ac ille quidem ſe excuſare, ob vaſtitatem pateræ; ob merum inſolitum; ob imbecillem ſtomachum; ob compotandi infrequentiam: verùm cùm nihil admitteretur, petiit, vt ſaltem ſibi liceret, poſtquàm Thorio feciſſet ſatis, ſuo arbitrio præbibere. Annuerunt omnes; ac tùm aſſumptis, quaſi adigente neceſſitate animis, fœcundum hauſit calicem, eodémque mox aquâ oppleto, Thorio intentans præbibit, totumque rurſus (tanquam iniectum temperaturus merum) abſorpſit. Ille quaſi fulmine ictus, delapſuſve è nubibus, vix tandem ad ſe rediit, & quia ex condicto agebatur, neque reſilire fas erat, tam longa ſuſpiria è pectore duxit, toties admouit, remouitque ora, tot intereà carmina ex omnibus Græcis, Latiniſque Poëtis profudit, vt diem penè contriuerit inſtillandæ aquæ in inſuetum guttur. Atque id ipſum eſt, quod Rex cùm audiiſſet ex aliis, ex Peireskij ore accipere voluit. Admiſſus eſt etiam in conclaue, ſeditque inter primores Comites in ſolemni quodam Conuentu per ea tempora celebrato.

Ad Viros doctos quod attinet, quos ſeu Lōdini, ſeu Oxonij, ſeu aliis in locis conuēnit, primus fuit ille de ſua Britānia bene meritus Guillelmus Camdenus, apud quem cùm aliquando ſermo incidiſſet de antiquitate Britannicæ linguæ, ad quā Aremorica ſpectat, & præſente Doctore Taro, poſt rogatas circa cōplureis variarum Galliæ regionum voces, requiſiiſſet etiam quid Atelate, quid Tolonum ſignificarent, reſponſum tulit, Atelatem eâ linguâ dici ciuitatem in vliginoſo loco conſtitutam; & Tolonum citharam, fortè ob vicinum promontorium, cui Citharistes nomē fuit. Accepit & id genus alia, ex quibus penè deductue fuit in Strabonis, Taciti, aliorúmque ſententiam, qui ſcripſerūt Gallos & Britannos eadem primitùs lingua vſos. Altes fuis Robertus Cottonus, inter curioſos, optiméque animatos conſpicuus. Deinde tam Iacobus Collius, quàm illius ſocer Matthias Lobellius, regius Botanographus, quem vtrumque deuinctum voluit. Poſteà Albericus Gentilis, Henricus Sauilius, Ioannes Nordenus, & plerique alij. Non tacendus verò eruditus tū iuuenis Ioannes Barclajus, quem quanta beneuolentia proſequutus fuerit, intelligetur inferiùs. Dolere autem ſolebat non agnitos ſibi nec Guillelmum Gilbertum auctorem libri de Magnete, nec Thomam Lydiatum celebrem Mathematicum. Doluit etiam non viſum ſibi præclarum illum Ioannem Seldenum (idque ex quo primùm opera quædam ab ipſo edita obtinuit) verùm dolorem compenſauit amiciſſimis literis, quibus deinceps cum illo egit. Non heic memorabo Bibliothecas varias, in quibus rariores libros obſeruauit; non Muſæa, in quibus vidit, & ex quibus cómparauit quicquid pretioſum licuit. Magni verò ducebat præ cæteris gemmam, centum & quinquaginta libris Turonicis emptam, propter cælatum Aëtionem cum Tiara Phrygia, quem Patrem Andromaches Hectoris vxoris argumentabatur. Non memorabo denique quam abſportauis congeriem librorum, aliarúmque rerum, quas inter fuere Regulæ æneæ, ac in ipſis Pes Anglicus adfabrefactus, exquiſitéque per Carolum Velium diuiſus. Referam ſolùm, quia maturiùs, quàm concepta ſpes, diſcedere voluit, ideò maximū fuiſſe factum ipſius deſiderium, & in familia Oratoris, & apud eruditos viros, qui cùm poſteà variè ipſius meminerint, ſufficiet heic excerpere quod memoretus Camdenus habet in deſcriptione Britanniæ, cùm de numiſmatibus ad rem ſuam pertinentibus verba facit. *Cuiuſmodi, inquit, non alibi effoſſa hactenus audiui priuſquam nuperrimè nobiliſſimus, & in re nummorum antiquaria longè doctiſſimus & perſpicaciſſimus Nicolaus Faber Peiriſcius eiuſmodi in Gallia reperta mihi oſtendit.*

Et commoratus quidem fuiſſet nonnihil ampliùs in Anglia: ſed quia treis dumtaxat mēſeis ſe abfuturum promiſerat, idcircò poſt menſem diſceſſit in Hollandiam, quam ab vſque initio (ſed planè tamen tacitus) conſtituerat perluſtrare. Quo diſceſſurus tempore fuis, adiungere ſe illi voluit nobilis turba iuuenum, qui ipſi quoque fuerant ex Gallia Boderium ſequuti. Sed, vt ſunt mores varij, nihil adhuc, non modò ex reliqua Angliâ; verùm ne ex ipſa quidem Regia ſpectârant, quādoquidem præter eum diem, quo Oratorem, cùm primam Regi ſalutem dixit, fuerāt comitati vniuerſum tempus, noctéſque diéſque aleâ ludentes contriuerant. Heinc rogârunt Peireskium vt quem deſtinârat diſceſſum differret in vnum, aut alterum diem, donec ſaltem Vrbem curſim peruidiſſent. Cùm diſtuliſſet, illi ſe poſteà cum ipſo commiſere mari, ac vix demum, triduo exacto, fœderati Belgij oras prehenderunt. Mira tunc omneis vrgebat fames; & cùm cæteri excādeſcerent, quòd in propinquo diuerſorio hoſpes reſpondiſſet nihil ſe habere vnde illam extinguerent; Peireskius illum ſolite humanitate ſeorſim affatus, nunquid tibi ſuppetit, inquit, vnde cum familia veſcaris? Hoſpes verò ſuppetit quidem, ſed quod ſimiles veſtri omnes exhorreant. Iuſſus proferre, obtulit illi neſcio quas atras, & vt paruit ad fumum reſiccatas carneis, quas cæteri quidem ſtatim auerſati, Peireskius verò ſuperficie leniter reſecta fruſtulum interiùs detractum ita deguſtauit, vt ſuauitate cibi compertâ aliud aliudque aſſumpſerit. Nihil inuitabat interea ſocios, neque commendabat edulium, tanquam ab ipſis repudiatum, adeò vt obſtupeſcerent, donec eorum vnus conceptum errorem non-nihil deponens, cœpit leniter, & quaſi tentando ori fruſtulum admouere. Vbi verò fame præſertim condiente ſenſit cibum non iniucundum, irruit prorſus, & conſequenter ita irruerunt cæteri, vt nihil facientes reliquum negârint ſe vnquam prandiſſe iucundiùs. Verùm illi quidem ad arma, aliaque ſtudia diuerterunt, ipſe perrexit requirere eruditos præſertim viros. Ac ſalutauit quidem primùm quos Middelburgi, Dordraci, Roterodami, Delphis, Hagæ celebrari acceperat: ſed id tamen tum in tranſcurſu ſolùm, quoniam præcipua illi cura inuiſendi Scaligerum Lugduni Batauorum degentem.

Conſtituerat cū ipſo primùm quaſi ignotus colloqui: quamobrem nomine mutato epiſtolam commendatitiam, quaſi à Peireskio conſcriptam, miſſamque illi obtulit. Scaliger autē eâ perlectâ, ipſum eſt humaniſſimè in Peireskij gratiā complexus. Poſt multos conſertos ſermones, & productos obiter libros, voluit Peireskius ex neſcio quo paucas lineas exſcribere: vbi verò ille chartā, calamumque exhibuit, ac inter dictandum primas lineas characterem vidit, & ἰδιοχειρίαν agnouit, tum in amplexus proruens, gratioſiſſimè conqueſtus eſt fraudē. Cùm deinceps variis de rebus colloquerentur ſuauiſſimè, Scaliger inter cætera declarauit velle ſe quidem iteratò procurare editionem Euſebij (nempe non planè arridebat quæ iam tū primùm abſoluebatur) itémque paterni in Ariſtotelem de Animalibus commentarij: ſed eſſe tamen animum redeundi poſteà in Galliam, & apponendi oſſa ſua Iulij parentis oſſibus. Cùm excepiſſet autem Peireskius non eſſe illum igitur ἐνθάδε moriturum, illacrymatus Scaliger

verbum

verbum ea de re non adiecit. Interpretatus illi Peireskius numiſmata varia, ac præſertim Siclos, donatus eſt, inuitus licet, ſingulari Semiſiclo, cuius ille præ cæteris interpretationem fuerat demiratus. Donauit ipſe multa viciſſim, &, quod fuit illi iucundiſſimum, exhibuit, quam detulerat, expectatã ichnographiam, cum inſcriptis carminibus ſepulcrorum Scaligeranorũ. Scilicet eam demùm ſuperiore Martio Veronâ obtinuerat, nec pluribus literis datis habere priùs potuerat, ob varios morbos Nichezolæ, & quòd Syluius Donius, qui illam aggreſſus primus fuerat, inter perficiẽdum obiiſſet. Vnum de quo Peireskius auebat interrogare Scaligerum, & non eſt tamen vnquam auſus, ne rem moleſtam faceret, fuit opus illud Cyclometricum, ſeu de Circuli quadratura ante duodecim annos in lucem emiſſum, ac ſtatim à Franciſco Vieta, Adriano Romano (poſteà quoque à Chriſtophoro Clauio, hominum Societatis IESV γεωμετρικωτάτῳ) aliiſque in eo puluere exercitatiſſimis erroris conuictum. Nimirùm præmonitus fuit non poſſe illi eam camarinam ſine quadam bile moueri. Quod attinet verò ad Genealogiam, non profeſſus eſt quidem ſe ſubdubitare an reverâ attineret ad Veronenſeis Principes, quorum ſtirpem ille in ſe deſitutam aſſeuerabat: ſed paulò tamen liberiùs, &, quaſi vellet quid cæteris reſponderetur, accipere; propoſuit ipſi quæ à Scioppio, Guillandino, aliiſque fuere obiecta.

Poſt Scaligerum cura fuit inuiſendi Carolum Cluſium, quem octogenario maiorem podagra tum primùm tentabat, vt & primùm Scaligerũ exercuerat, ante paucos menſeis. Deprehendit autem imprimi curantem in Appendice altera exoticarum plantarum figuram Fungi Coralloidis, quem ad illum ex Prouincia, cum aliis penè innumeris plantarum, radicum, ſeminúmque generibus tranſmiſerat. Commodùm etiam illum admonuit circa Indicas quaſdam plantas, in quibus deſcribendis erraſſet, & quaſdam, de quibus nihil audiiſſet, idque prolatis commentariis iuata oſtenſos ſibi Pariſiis à Veſpaſiano Robino fructus. Inuiſit quoque poſt Cluſium, præcipua Academiæ lumina, ac ſpeciatim iniit amicitiam cum Bonauentura Vulcanio, qui circa Procopij verſionem tum occupabatur, cum Dominico Baudio, qui ád peritiam hiſtoriæ adiiciebat Poëſeos elegantiam, & cum nonnullis aliis. Dolere verò ſolitus fuit, quod per ea tempora abfuiſſet Lugduno Daniel Heinſius, quem non ſemel audierat à Scaligero commendari.

Fuit deinceps Amſterodami, vbi ſatiari vix potuit interrogando, & cognoſcendo tam multa præclara, & rara, quæ ex vtraque India in id emporium conuehuntur. Fuit Encuſæ, vt ſpectaret illeic celebre illud Bernardi Paludani Cimeliarchiũ, in quo non ægrè tuliſſet, tanquam ad Cyaneos ſcopulos conſeneſcere. Redeundo, nonnihil Hagæ commoratus, diſcedere noluit, quin priùs agnouiſſet Hugonem Grotium, quem, tametſi adoleſcentem, eruditio planè matura, ac omnigena cõmendabat. Diuertit verò Scheuclingam, vt exploraret vectationẽ, & velocitatẽ Currus eâ ſolertiâ à paucis annis excogitati, vt paſſis velis in littore nauigij inſtar euolaret. Inaudierat nempe Comitem Mauritiũ poſt Neoportuenſem victoriam experiundi gratiâ illum conſcendiſſe, vnà cum capto in prælio Franciſco Mendoza, ac intra duas horas attigiſſe oppidum Puttenum, quod inter, atque Scheuclingam horaria milliaria quatuordecim intercipiuntur. Quare ipſe quoque experiri voluit, commemoraréque ſolebat ſtuporem, quo correptus fuerat; cùm vento trãſlatus citatiſſimo, non perſentiſceret tamen (nempe tam citus erat, quàm ventus) cúmque animaduerteret ſcrobeis occurrenteis præteruolari; reſtagnantes paſſim aquas ſuperficie tenus dumtaxat attingi; qui antecebant curſores viſos quaſi retrorſum ire; quæ diſtantiſſima apparebant, momento pene præteruehi; & quædam id genus ſimilia.

Delphis iucundè exceptus fuit ab Abrahamo Gorlæo, quem fortè offendit cælari curantem Græca quædam numiſmata, quorum aliquot miſerat Pariſiis, oblatis priùs ad vſque mille, quæ ex Italia adduxerat. Satagebat nempe Gorlæus complere illa Paralipomena antiquorum numiſmatum, quæ promiſerat in Dactyliotheca; quare & commiſit Peireskio deſcriptionem breui prælo ſubiiciendam, vt pro ſuo candore eam expenderet, &, quà opus foret, duceret lituras: ipſe autem morẽ bona fide geſſit, correxitque potiſſimùm neſcio quid ſcriptum circa Trajanum. Quo loco narrare ſolebat rem memoratu non indignam, nempe Gorlæum, cùm aliàs Latinæ linguæ non ſtuduiſſet, intellexiſſe tamen libros omneis circa rem nũmariam Latinè conſcriptos; eodem modo, quo Fortarulus omneis circa rem Mathematicam: tantum valet improbus labor ea deſiderio quidpiam noſcendi vehementiſſimo profectus. Vidit etiam Delphis ſuperſtitem adhuc Religioſam quandam ex eo tempore, quo Hollandi à Catholica-Romana religione defecerant; viſo priùs Vltraiecti Canonico in primæua ſua profeſſione viuere permiſſo. Cúmque ſuſpexiſſet non modò quicquid antiquiſſimorum ad concluſa illa Rheni oſtia monumentorum ſupereſt, ſed etiam quicquid dominatio Burgundionum Ducum expreſſum reliquit; tum miratus maximè eſt, maximoperéque laudauit temperaſſe ſibi Hollandos ab euerſione Templorum, & aſſeruaſſe intactos Choros, cum affixis inſignibus Equitum aurei velleris à Philippo vſque Bono inſtituti.

Cæterùm redire voluit per Brabantiã, Flãdriam, reliquaſque Belgij Prouincias, impetratis priùs ab Hollandis, & ab Archiduce liberi commeatus libellis. Acceſſit autem primùm Antuerpiam circiter finẽ Iunij, iniitque ibi amicitiã cum Andrea Schotto, & Carolo Scribanio ea Societate IESV Viris eruditis: itémque cũ Auberto Miræo, Eccleſiæ Decano, rerum Belgicarum, ac totius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ eximiè perito; & cũ Nicolao Roccoxio rei antiquariæ impensè ſtudioſo; & cũ Henrico Sedulio auctore vitæ B. Elzearij. Cũ deinceps Machliniã perueniſſet Louaniũ,

nihil æquè doluit, ac non fuiſſe ampliùs in viuis Iuſtum Lipſium, præclarum illud bonarum literarum lumen ante pancos menſeis exſtinctum. Sperârat enim ſeſe illum non minùs, quàm Scaligerum omnibus officiis breui deuincturum Doluit pariter non adeſſe per eos dies Adrianum Romanum Mathematicum illum celebrem, quem geſtierat ſummoperè cum Scaligero conciliare. Poſtquàm inuiſit Academiam, doctóſque, qui in illa viros, viſere voluit apud viduam Medici cuiuſdam cornutos duos lepores, qui ex Norvegia dicebantur allati. Et quia reperit mortuum alterum, obtinere quovis pretio & illius cornua, & geminorum iconiſmum voluit.

Bruxellæ amicitiam iniit cum Karolo Bromantio, Comite Brovæo, & quibuſdam aliis; at ſuſpexit potiſſimùm celebrem Pictorem Vĕceſlaum Cobergeum, qui tũ habebat præ manibus inſigne opus quadripartitum de Architectura, de Pictura, ſcripturáque antiqua, de Deorum imaginibus, de Numiſmatis, ſeu manis Medaliis, aut metallicis æneis à Iulio Cæſare ad Gallienum vſque. Memorabat porrò varios circa parteis ſingulas conſertos cum illo ſermones, maximè autem circa poſtremam, propter Cobergei opinionem, quòd Medaliæ huiuſmodi monetales eſſe non poſſent; argumento præcipuo, quòd typus ſeu forma, qua ferirentur, ſignarentúrque, elaborari non poſſet ante duos menſeis ab artifice; adeò vt, cùm plures ducentis percuri eodem typo non poſſent, pretium operæ fuiſſet longè ſuperaturum monetæ valorem. De colloquio, memini ſolùm obiecitſe Peireskium, vſurparam fuiſſe Seruorum induſtriam, quæ pretio non redimeretur; & excepiſſe Cobergeum, rem peractam fuiſſe cùm Serui edicto prohiberentur non modò quidpiam pingere, ſed pingendi etiam addiſcere artem.

Bruxella diſceſſurus, ſcripſit ad Cottonum Epiſtolam pereruditam, miſitque ſimul ectypos variorum nummorum, ac nominatim Commodi, ob inuſitatam ſcripturam vocis Brittania, per duplex TT, & ſimplex N. Salutare voluit exinde Gandavi Laurentium Deebrorium, quem in Italia nouerat. Inſulis Florentium Nallæum, eruditum Canonicum, antiquitatum Liturgicarum auctorem. Tornaci Dionyſium VVillerium Canonicum, & Căcellarium, ac Hieronymum VVinghemium ſimiliter Canonicum; illum rerum antiquarum inſtructiſſimum, iſtum ſtudioſiſſimum rariorum Plantarum. Duaci Guillelmum Richardotum Ioannis Præſidis filium, quicum ex vſque Italia colebat amicitiam; & Andream Hojum Profeſſorem Græcum, abs quo memorante accepi quàm iucundè ſuauiſſimis Peireskij, ac Richardoti confabulationibus tertius interfuiſſet.

Enimverò præ cæteris referendus hoc loco eſt eximius Princeps Carolus Dux Crojus, & Arichoranus, qui ipſum totis decem diebus in celebri domo Bellimontana detinuit, continuò ſpectantem vt innumera, ita rariſſima cimelia, ditiſſimáſque metallothecas, quibus curioſiſſimus, erudítiſſimúſque ille exornauerat nobiliſſimum Muſæum. Quin diſcedentem etiam coëgit abſportare omnia, quæ habebat antiquorum Galliæ Regum tam aurea, quàm argentea numiſmata; itémque ex Græcis ad vſque ſexaginta; præter aliquot vaſcula, pouderáque, & menſuras antiquas; cùm tamen nihil aliud à Peireskio accipere voluerit, quàm æreum nummum Ioannis illius, qui Theodoſij, ac Placidij Valentiniani temporibus arripuit Imperium. Quo loco venit in mentem, aduexiſſe illum ex Flandria numiſmata Gallorum Regum, ex prima quidem Stirpe quadraginta aurea, præter varia argentea; & ex ſecunda quinquaginta argentea, præter vnum aureum Ludouici Pij, quod æſtimabat maximi, quoniam non modò rariſſimum, ſed etiam parùm aberat, quin ſingulare arbitraretur.

Inſtabat tum tempus, quo perhibebatur celebreis fore cæremonias ad Fontem-Bellaqueum, in Delphini Principis, hoc eſt Regis Franciæ Primogeniti, baptiſmo. Videlicet illius ſponſor dicebatur Pontifex Summus, ac nomine Pontificis Maffeus Barberinus Nuncius. Quamobrem ſub Auguſti finem diſceſſit ex Belgio, ac ſatis tempori aduenieus ſolemni pompæ interfuit, quæ peracta eſt die menſis ſequentis, vigeſima quarta. Renunciatum intereà eſt obiiſſe domi Nouercam, expectarique eius reditum variis rebus componendis. Quocircà amicis quà coram, quà per literas ſalutatis, regreſſus in Prouinciam eſt ſub initium alterius menſis.

Domi exceptus non abnuit conſilium, quod Pater, Fraterque potiſſimùm ſumpſerant (nam Patruus nonnihil repugnârat) coëmendi ipſam Riautij Baroniam, cuius quia Valaveſum erat ſubclientelare prædium, idcircò fuerat litigiorum bene multorum ſeminarium. Heinc ipſemet curam aſſumpſit paciſcendi, contrahendíque cum Ludouico Grollæo Medullioneo Marchione Briſſiaci, eamque ob cauſam in Delphinatum verſus illum profectus eſt, rediitque confecta re, ſub initium ſequentis anni, qui fuit ſalutis milleſimus ſexcenteſimus ſeptimus.

Poſtquàm rediit, multis quidem rebus 1607.
præclaris incubuit, ſed nulli iucundiùs, quàm procurandæ multiplici veſtigiorum vrbis, portúſque Carthaginienſis deſcriptioni. Nimirùm non alia ratione ſummos Auctores intelligi, conciliarique poſſe putauit; cogitauítque ea re gratificari Caſaubono, quicum de Portus præſertim ſitu, formâque diſſerüerat, neque illius tamen dubiis nouerat eſſe factum ſatis. Scripſit prætereà copioſè ad Alardum Compendienſem Canonicum circa rem monetariam, ac inter cætera, de vſu Aurei Solidi in Gallia ad tertiæ vſque Stirpis initium, oſtendendo viginti duos huiuſcemodi ſolidos pependiſſe integram libram (tametſi quam vocant monetalem libram ex viginti ſolùm conſtaret) ac demonſtrando Solidum non ſemper pro duodecim tantum denariis argenteis oblocatum fuiſſe, ſed nonnunquam pro pluribus, etiam ad vſque quadraginta. Inuaſit illum intereà morbus oculorum moleſtiſſimus, à quo medio vere vix fuit liberatus.

Cœpit

Cœpit tunc illum Patruus vehementer exſtimulare, vt ſeſe ad adipiſcendum deſtinatam pridem Senatoriam dignitatem compararet. Ingraueſcebat enim valetudo, infeſtabántque maximè articulorum dolores, quibus leniendis ſtatuerat ad balnea noſtra Dinienſia ante æſtatem accedere: ſed timens ne quid fortè ſibi humanitùs contingeret, conſtituerat ſimul ex vrbe non antè decedere, quàm Nepotem cooptatum inter Senatores vidiſſet. Et nectebat is quidem ſemper quàm gratioſè poterat, moras; ſed ipſum die quadam, tacito conſilio, deduxit ad Varium, vt iuberetur illius ore ſeſe neceſſario examini ſubijcere, Senatuíque aggregare. Tum tatus Peireskius nihil ampliùs cunctandum, poſtulauit ſolùm octiduum, vt rem maturiùs aggrederetur. Medius erat Iunius, imminebátque anniuerſarium, trimeſtréque Curiæ Parlamenti iuſtitium: quocirca feſtinandum fuit, cùm examinari, approbaríque, niſi pro Comitiis curiatis, non poſſet. Itaque paratus acceſſit, ſeſéque probauit conuocatis Claſſibus ad VI. Kalendas Quintileis.

Propoſita ipſi Lex fuerat ex ſexto libro Codicis, qua Gordianus ſanxit ab eo, qui neque legatum, neque fidei-commiſſum, neque hæreditatem, vel mortis causâ donationem accepit, nihil poſſe per fidei-commiſſum relinqui. Eam porrò cùm exponeret, oblitus non fuit, quod à Valerio, & Salluſtio de Scipionis Æmiliani facinore proditum eſt, qui à Maſiniſſa Numidiæ Rege ſibi coniunctiſſimo totius Regni hæres teſtamento nuncupatus, enixéque rogatus, vt ipſum inter quinquaginta quatuor ſuperſtites filios æqualiter hereiſceretur, egregiè adeò id præſtitit, vt ne minimam quidem rem ſibi retinendam putârit. Non item oblitus quod Ariſtoteles in Politicis deteſtatus eſt tā Carthaginienſium, quàm Locrenſium inſtituta, quorum alij patrimonia æqualia habebant, alij quæ habebant, vendere non poterant, vt antiquæ hæreditates penes familias diutiùs ſtarent; quoniam præter incommoda cætera, heinc efficeretur, vt ciues inertes tam in expectandis, quàm in poſſidendis patrimoniis forent.

Cætera mitto, vt attingam quæ præſertim re admirationem ſui creârit. Nempe tametſi quod ad theoriam, quæſtionéſque Iuris ſpectaret, exiſtimatus fuerat paratiſſimus adfuturus; quod attinebat tamen ad vſum, iudiciorúmque formulas, creditus non fuerat perinde inſtructus. Sed nimirùm neque Pariſiis, neque Aquis-Sextiis, occaſionem vllam prætermiſerat ſciſcitandi pragmaticos, cognitoréſque, & ſtructores litium, ac reducendi in commentarios quicquid aut ex ipſorum ore, aut ex inſpectis inſtrumentis, ſaccularibúſque copiis didiciſſet. Profecerat etiam conſilio, exemplóque optimi, conſultiſſimíque Senatoris Antonij Thoronij, dictionem nullam in toto formulario iure intactam relinquens, cuius notationem, causámque non noſſet, vt vſum meliùs eliceret, animóque infigeret. Vt paucis expediam, mirus fuit applauſus, mirúmque elogium, quo fuit denique Patribus conſcriptus.

Inardeſcebat deinde Patruus deſiderio veniendi Diniam, ſed obſtitit increſcens morbus, inualeſcénſque Solis feruor: proxima quippe erat tempeſtas dierum Canicularium, per quos ab vſurpandis balneis, thermíſque mos eſt abſtinere. Auebat etiam Peireskius vnà cum Patruo accedere; tum vt obſequio continentem gratitudinem teſtaretur, tum vt hanc partem Prouinciæ nondum ſibi viſam luſtraret; tum vt Baronem Flayoſceum inuiſeret, qui ducta in vxorem filia vnica Guillelmi Falconij Dinienſis Proſeneſcalli, apud ſocerum morabatur. Abnuit tamen id Patruus, ſeu ne abſiſteret à iure dicundo in Claſſe per ferias ſtatiuas delecta; ſeu ne diſcederet à Vario, qui illum abs ſe abeſſe ægrè patiebatur: ſeu ne curam dimitteret, qua rogatus fuerat præeſſe Cayero Pictori in obducendis laqueatæ Auditorij Palatini contabulationi Gallorum Regum Iconibus. Ipſe nimirùm ſolus par fuit ſuppeditare maximam quandam germanarum iconum ſeriem, quam ex nomiſmatis, ſigillis, ſepulcris, vitris aliiſque huiuſmodi monumentis deduxerat: meminíque, cùm veram faciem Hugonis Capeti diu deſideraſſet, dixiſſe non ſemel habere ſe gratiam optimo Viro Auguſto Galandio, quòd illam ab eo obtinuiſſet, ectypo ſigilli expreſſam. Diſceſſit ergo Patruus ſine eo, poſt Caniculareis exactos.

Enimverò Varius rem gratam vtrique facturus, conſtituit per Septembrim menſem vnà aduenire, adduceréque Peireskium, vt vnà Patruum inuiſerent, vnáque regionem ſpectarent. Et nonnulla quidem obſeruanda illis occurrerunt antiquitatis veſtigia: ſed nihil mirabilius viſum noſtratibus Thermis, in crypta ſubrupea, quam aquæ calentis præterfluens alveolus ſic ferueſacit, vt leniſſimè ſudorem educens, mirè conferat pituitoſis, frigidíſque humoribus; idque præſertim vbi illi diſpoſiti priùs ad exſolutionem fuerint Balneo quodam, Virtutum dicto, ob ſingularem energiam, mirabileíſque, & deſperatas aliis remediis curationes. Optabant porrò illi quidem prætereà ſpectare Serpentes, ex obuerſa Auſtro, ac præcelſa rupe, ad cuius radicem ſunt Thermæ, Balneáque deciduos, & maximè quidem quia innoxij, expertéſque veneni ſunt: verùm illi non deciduor, niſi Maio, ac Iunio, & ferè quidem copulati, dum prurientes variè diſcurrunt, éque rimis in rimas ſubeuntes ad præcipitium non attendunt.

Faciam heic fortè rem non ingratam hominibus noſtris, ſi duo quædam commemorârim, quæ diſſerentem Peireskium audierunt. Vnum apud Petrum Trichaudum, San-Martinium Inquiſitoriæ Claſſis Præſidem, qui ſolitus Diniæ per æſtatem degere, illum cum Vario domo excepit. Cùm enim cauſa exquireretur caloris aquarum Thermalium, & Guilelmus Alamandus doctus Medicus eſſe diceret non actu, ſed potentiâ ignem; excepit ipſe debere potiùs eſſe ignem actu ardentem in cauernis illis ſubterraneis, quæ exinde incaleſcentes aquam præterfluentem ferueſacerent; neque enim ſeu bitumen,

ſeu ſulphur, ſeu aliam materiam potentiâ ſolùm calidam excalefacere aquam ſeu trajectam, ſeu infuſam, etiam vitriolo, halinitro, aliiſque huiuſmodi mineralibus turgeſcentem. Adjecit fumos, ſeu vapores ex aquis thermarum in fiſſuras rupium ſubeunteis ita Serpenteis afficere, vt veneni generationem ſeu impediant, ſeu corrigant, eadem ratione, qua in Ponto idem facit vſus abſinthij, ex Plinio. Qui Plinius quidem, cùm aliunde non improbet venenum ſerpentum in felle eſſe, & ſerpentes congreſſuri dicantur fel euomere: mirum non videri, ſi quo tempore ſerpentes iſti coëunt, decidúntque, veneno careant.

Alterum apud Antonium de Bononia Epiſcopum, qui ſequenti die vtrumque, ac etiam Trichaudum conuiuio excepit. Cùm enim ex oſtenſis ſibi à Flayoſceo in duobus Sacellis majoris Eccleſiæ tam Porcelletanis, quàm Villanouanis inſignibus, ediſſeruiſſet tempora, quibus Prælatos optimos ex iis familiis habuimus; incidit ſermo de tempore, déque titulis, quibus Aueoio, Comitatúſque Venaſcinus ad Pontificem Maximum peruênit. Cúmque alij nihil ſcirent aliud, quàm factam à Ioanna Regina Clementi ſexto venditionem, anno ſupra milleſimum trecenteſimo quadrageſimo octauo, ac die nona Iunij, pretio Florenorum octogies mille; retexuit ipſe totam hiſtoriam ab anno vſque ducenteſimo nooo, quo Raymondus Seatus Toloſatum Comes hæreſeos Albigenſium fautor, & Legati interfecti auctor creditus, fuit ab Innocentio tertio iterum excommunicatus. Inde enim cœpit ditione ſpoliari, ac poſt annos nouemdecim tranſactio Pariſiis ſic fuit inita, vt Raymondo illius filio, & Alfonſi Pictauienſium Comitis Socero ſola vrbs Toloſa, cum paucis adjacentibus ceſſerit, cætera vltra Rhodanum loca ad Regem attinuerint; quæ citra verò poſſidebantur, ad Pontificem ſpectarint. Cùm homines autem eiuſce regionis non ſatis lubentes id ferrent, quòd Romam paſſim prouocarentur, ac ideò Raymondi partibus fauerent, Bonifacius quidem octauus prouocationes illas remiſit, Clemens verò quintus, vt ampliùs demereretur animos, etiam ſedere illeic voluit; & cùm, poſt Ioannem vigeſimum ſecundum, Clemens ſextus Pontifex foret, facta eſt venditio eorum Iurium, quæ Comitis Prouinciæ erant, à partitione vſque facta inter Raymondum Berengarium Comitem Prouinciæ, & Alphonſum Comitem Toloſæ, anno ſupra milleſimum centeſimo vigeſimo quinto.

Et hæc ille quidem, pluráque diſſeruit, ac denuò comitatus eſt Varium triduo pôſt redeuntem. Patruus poſteà, vt reſtitutam valetudinem tueretur, & vt tranquilliùs degeret quicquid æui ſupererat, non Aquas-Sextias, ſed Belgenſerium, dum regrederetur contendit. Occurrerat illi Peireskius, ac non modò deduxerat, ſed lateri eius adhærere, neque à præſtandis obſequiis recedere ſtatuerat: verùm non tulit Patruus, voluítque vt potiùs rediret Aquas-Sextias propter Remigialia, quibus fit Curiæ inſtauratio. Rediit ergo Peireskius, ac tantò minùs pœnituit, quantò audire licuit Varium ſua illa oris ſuauitate de lite, & concordia, déque amore Iuſtitiæ, Magiſtratuúmque perorantem.

Deinceps verò ita cœpit ſuo defungi officio, vt deſiderari nihil poſſet. Tametſi enim Varius, cùm penſa Curialia diſtribueret, nollet initio inſpectorem multarum litium deſignare; quarum tamen paucarum curam illi commiſſam voluit, eas ipſe ita ſolitus fuit otiosè, acutéque, & per omneis numeros, ac momenta Iuris perpendere, vt confectis inſtrumentorum enucleatiſſimis breuiariis, explanatiſſimè deinde, & ſumma cum fide ad Curiam referret. Cùm verò alio expoſitore ferenda erat ſententia, mirè lætabatur, ſi tempus ad deliberandum daretur, aut controuerſiæ commentarios præhaberet à partibus; pudebat enim, niſi foret communiendo ſuffragio inſtructiſſimus, calculum conferre. Rursùs autem, quoniam perſæpe ob litium anfractus animo pendebat, conuenire ſolitus erat memoratum Thoronium, qui ſcrupulos eximeret, nec dubitabat etiam Vario grauiores cauſſas proponere, qui ob eximiam grauiſſimi, ſaniſſimíque iudicij perſpicuitatem eas illuſtraret. Agebat verò id præſertim in veſpertino colloquio: iam tum enim Varius ſingulis noctibus aduocabat illum in frugalem cœnam, vt ſermones conſerere, ſepoſitis arbitris, poſſet.

Cæterùm, quia neſcius erat tempus fruſtrà conterere, idcircò ſatis ſupererat, vt bonas arteis excoleret, & cum doctis viris tueretur commercium. Inter cætera procurauit exquiſitam fieri Anatomiam magnæ cuiuſdam Teſtitudinis (longitudine nempe cubitali) quam è Martigio mari eductam piſciculis nutrierat, à menſibus circiter tribus. Cùm ſingularia verò multa in ea diſſectione obſeruata fuerint, tum illa non poſtrema, quòd omoplatæ anteriorem, non poſteriorem habuerint ſitum. Quòd arteria aſpera fuerit longitudinis ſemicubitalis, diuiſáque in treis ramos, tribus à pulmone procul digitis, ac ramulos quoſdam ad renes, & veſicam vſque producens. Quòd eadem annulos habuerit omninò, ſiue vndequaque (etiam verſus œſophagum) perfectos, & cartilagineos, larynxque epiglottide deſtituta conſtiterit. Quòd non ea ſola vena porta venarum diſtributio in interanea fuerit, ſed plurimæ etiam ea reliqua caua hepatis parte prodierint; ex eadémque parte cholidochus porus proceſſerit geminus in dodecadactylon inteſtinum. Quòd nulla diſtinctio gracilium, craſſorúmque inteſtinorum, nulla cæci dicti appendicula, nullus item lien, nullus adeps circumueſtiens cor (tametſi id aquæ pericardio concluſæ innatauerit) & id genus nonnulla alia.

Detexit aliunde non longè ab vrbe inſignem quandam copiam non humanorum modò oſſium naturæ factorum lapideæ, ſed variorum etiam animalculorum, itémque ſtirpium, foliorum, florum, ſimiliúmque huiuſmodi: quam confeſtim diſtribuit per

vniuerſam

vniuerſam penè Europam. Adjecit autem teſſellas quaſdam, ſeu lapides Rhomboidaleis, tum rubeos, tum cryſtallinos (videlicet ipſius talchi, ſeu ſpecularis lapidis ſpecie) ex Riantienſi agro effoſſos, eóque in re mirabileis, quòd dum exſoluuntur in minutiores particulas, particulæ quæque tuentur rhomboïdalem illam figuram. Quin etiam mittens Pariſios, adjectam voluit congeriem diuerſiſſimam conchyliorum, & piſcium, qui monſtroſâ formâ in mari Mediterraneo viſuntur: itémque pellem felis marini, & innumera alia, quæ deſtinauit præſertim ad Pictorem celebrem Danielem Mooſteriũ, à quo expectabat icones Varij, Thuani, Caſauboni, atque Malherbij.

In Italiam cùm mitteret, nominatim verò ad Gualdũ, accepit magno ſuo dolore obiiſſe Baronium, déque lamentabili caſu ad Flayoſceum, & alios ſcripſit. Cùm verò in Belgium, condoluit Villerio ob jacturam ab ipſo factam Hadrianei numiſmatis, in cuius aduerſa parte ex Villerij quidem ſententia fuerat Phœnix exhibitus, ex ipſius verò Peireskij interpretatione, Ciconia. Argumentatus autem id fuit, ex proceritate crurúmque, & colli, cùm Phœnix ſoleat potiùs Aquilæ inſtar repræſentari: prætereaque ex ſerpente ipſi ad pedes appoſito, & ex inſcriptione PATRI, qua deſignata fuerit Hadriani erga Trajanum pietas: denique ex quibuſdam aliis ſatis luculentis indiciis, quibus conſolari adnixus eſt virum, monſtrando rem deperditam non fuiſſe adeò, atque ille exiſtimauerat, raram. Sic conſolatus etiam eſt circa jacturam Iaſpidis Argæum montem referentis: idque egens ipſe tum quoque conſolatione aliqua, quòd famulus quidam ſuffuratus fuiſſet numiſmata aurea primorum Imperatorum, & onychas, gemmáſque alias elaboratiſſimæ cælaturæ.

1608. Incidit intereà Claudius Petruus in morbum lethalem non longè à Regalibus ſequentis anni milleſimi ſexcenteſimi octaui. Inuiſerat illum Peireskius per feſta Natalitia; & quia valentem reliquerat, ideò mira conſternatione renuntiatum excepit caſum, qui ſeptimo die à decubito cariſſimum abſtulit caput. Conſtituerat optimus Senex cor, & inteſtina Belgenſerij condi, reliquum verò corpus Aquas-Sextias in majorum ſuorum ſepulcrum transferri. Id itaque parentatione, magnáque pompa præſtitum eſt, inuitatâ Curiâ actione (vt tum moris erat) panegyrica per Ioannem Petrum Oliuarium Senatorem optimum, & aſſenſu facto per Varium oratione alia exiinia, quæ inter funebreis habetur, inque editione poſthuma eſt numero decima ſexta. Ad eius calcem videre licet quanti Peireskium fecerit, cùm tantoperè commendauit ſtudium, quo Patruum talem delegerat, parauerátque ſucceſſorem. Neſcio an dici debeat, quod demirata tota vrbs eſt, fidiſſimum defuncti canem aſſectatione perpetua circumſtitiſſe feretrum, non potuiſſe per plureis dies amoueri à tumulo, & poſtquàm domum reductus fuit, coram icone diu conſtitiſſe.

Peireskius, ſedato nonnihil dolore, ſeſe, vt priùs, ad functionem Senatoriam compoſuit; paríque modo non deſtitit bonas horas ſuccidere in gratiam liberalium & ſtudiorum, & ſtudioſorum. Nam primùm quidem varias ad varios amicos literas perſcripſit: ſed prolixiores tamen nullas, quàm ad Lælium Paſcalium, circa Vrſini lapſus, circa Francorum Regum icones, ſigilla, numiſmata, titulos (conuictis ſpecialiter iis, qui Carolum Pipini filium vſurpaſſe Magni cognomentum arbitrarentur) circa ſtatuas thymelicas, circa ſuum Aëtionem, quem cùm Velſerus opinaretur Pictorem eſſe, cuius Lucianus in Herodoto meminit, perſtitit ipſe in ſententia, propter tiaram Phrygiam, ſeu inſigne regium, quod ad Patrem Andromaches duceret potiùs referendum; circa columnas Herculeas, portum Oſtienſem, & cætera curioſitatis inexhauſtæ. Ita egit cum Fontanæo de re nummaria; & cum Strade ſpecialiter de numiſmatibus antiquis: cum Claudio Fereo libellorum ſupplicum Magiſtro, & Gratianopolitani Senatus poſtea Principe, de hiſtoria Francica: cùm San-Marthanis Fratribus de Genealogiſtica; cum Pignorio de Purpura; cum Nicolao Fabro, cúmque aliis de rebus ſexcentis.

Deinde innumera fuere, quæ obſeruauit circa genera piſcium rejectanea, quibus Martigij, alibíque condiendis curam demandârat; quæ circa conchylia, circa plantas, circa lapides, circa cætera (quæ rurſùs variè diſtribuit) maximéque cùm per Aprilem diuerſatus eſt Belgenſerij, vnà cum Vario; vbi de prolatis compluribus rebus, quas ille nondum viderat, eſt ſuauiſſimè collocutus. Etenim ſermo habitus eſt de Lapide cæruleo, in agro Olbienſi reperto, è quo eiuſdem cognominis color extrahitur, vti etiam ex marmore lapidem lazulum imitante; de lapide item Coralloïde ſtellato, de Coralloide punctato; de Lepadite, ſeu Lepadi conchæ vniualui non abſimili; qui omnes fuerant eruti ex agro Caſtelletano. Rurſùs de Conchite ſtriato, quem ex agro Antipolitano, ac Foſſenſi habuerat; de Gagate, & Succino flauo, eruto ad turrim Beuontiam. Huius occaſione edifferuit Succinum rem foſſilem eſſe, quippe in Sicilia quoque effodi, & torrentium impetu detegi, deferríque ad mare vſque, & repellente maris aqua, in littoribus ſæpè inueniri. Probabile proinde eſſe, vt quod expiſcantur ad Balthicum mare, vi aquarum erutum, tranſlatúmque eò fuerit (maximè verò cùm eodem modo plerumque contineat concluſas muſcas, cæteráque id genus animalcula.) Quare & fabuloſum eſſe, quod aliqui narrant, arbores prægrandeis eſſe in Noruegia, ex quibus id Succinum, quaſi gummi quoddam decidat, concreſcat, atque induretur.

Enimverò toto hoc anno nihil magis placuit, quàm quod obſeruauit, ac philoſophatus eſt circa pluuiam Sanguineam, quam decidiſſe rumor percrebuit ſub Iulij menſis initium; conſpicuis nempe maximis guttis, tam in ipſa vrbe, ad parietes cæmiterij maioris

Eccleſiæ,

Eccleſiæ, quod eſt propè muros; quàm ad muros ipſus; ac rurſus, ad parietes villarum, pagorum, oppidorúmque, ad aliquot milliaria circumvicinorum. Nam primùm quidem acceſſit ipſe ad inſpectandum guttas illas, quibus lapides rubeſcebant; nihilque non egit, vt alloqui poſſet quos agricolas memorabant vltra Lambiſcum ſic fuiſſe perculſos ex decidente pluuia, vt derelictis operis in vicinas ædeis citi aufugiſſent. Deinde, cùm fabulam eſſe, quod de viris huiuſmodi proditum fuerat, comperiſſet, non placuit illi quod Phyſici referrent huiuſmodi pluuiam ad vapores è rubra terra ſublimè euectos, & poſt concretionem deciduos; quippe vi caloris eductum vaporem abſque colore ſurſum ferri: vt vel conſtare poteſt ex eo, qui eductus e roſis rubeis in limpidam aquam concreſcit. Minùs etiam placuit, quod vulgus, ac nonnulli Theologi opinarentur facinus eſſe Dęmonum, Strigúmve à quibus fuiſſent interfecti innocentes infantuli; ſcilicet hoc eſſe meram conjecturam, fortaſsiſque etiam Dei bonitati, prouidentiæque injurium.

Succurrit porrò intereà caſus, ex quo ſibimet viſus eſt germánam cauſam detexiſſe. Quippe ante aliquot menſeis concluſerat, pyxide inuentam quandam Chryſalin, magnitudine, formáque inſignem. Eius cùm ampliùs non meminiſſet, excitari bombum inaudiit intra pyxidem, eáque ad aperta, deprehendit chryſalin, depoſito ſpolio, factam ex eruca papilionem pulcherrimum, qui ſtatim auolauerit, reliqueríſque in fundo guttam rubeam, amplitudine Solidi vulgaris. Quoniam verò id contigit circiter idem menſis initium, ac per idem tempus obſeruata eſt Papilionum confertim per aërem tranſvolantium incredibilis multitudo: idcircò opinatus eſt papiliones huiuſmodi interquieſcenteis parietibus diffudiſſe illeic, quaſi excrementum, guttas ſimileis, magnitudine videlicet pareis. Quare iteratò acceſſit, comprobauitque guttas illas non ſupra ædificia, non in deuexis lapidum ſuperficiebus exſtare, vti debuerat contingere, ſi è Cælo ſanguine pluiſſet; ſed in ſubcauis potiùs, ac in foraminibus, vbi animalcula potuerant quaſi nidulari. Acceſſit, quòd parietes iis tingebantur, non qui in mediis oppidis, ſed qui agrorum vicini erant, neque ſecundum parteis elatiores, ſed ad mediocrem ſolùm altitudinem, quantam volitare papiliones ſolent. Hac ratione proinde eſt interpretatus, quod Gregorius Turonenſis refert de pluuia ſanguinea Childeberti tempore conſpecta Pariſiis, in diuerſis partibus; & in domo quadam territorij Syluanectenſis. Itémque quod memoratur temporibus Regis Roberti ſanguine pluiſſe, circiter finem Iunij; adeò vt ſanguis, qui cecidiſſet ſuper carnem, veſtem, lapidémque non poſſet aquâ elui, poſſet verò qui ſuper lignum. Quippe idem fuit papilionum tempus, & recentes quoque has guttas elui non poſſe vllâ aquâ è lapidibus comprobatum eſt. Hæc, & ſimilia cùm apud Varium magnâ coronâ ediſſeruiſſet, placuit ſimul rem explorare, contigítque vt cùm variè per agros incederent; guttas quoque multas deprehenderint in lapidibus, rupibúſque: ſed ad cauas tamen, ſubuexaſve, non verò cælo obuerſas parteis.

Accepit deinde ex Italia, & tranſmiſit ſtatim ad Thuanum elogia doctorum quorundam Virorum, vt Hieronymi Columnæ, Gabrielis Faërni, Cruceij, & ſimilium, quorum ille voluerat in ſua Hiſtoria meminiſſe. Rogârat aliunde ipſum Scaliger, vt inſtauraret commercium, quod per P. Oſtagerium hoſpitem olim Maſſiliæ ſuum inſtituerat in Oriente, coëmendis Samaritanis, Ægyptiacis, Arabicis libris; dolens quòd à quindecim annis, quibus degeret in Hollandia, nihil prorsùs inaudiiſſet de Pentateucho Samaritano, cuius ſibi procurandi Oſtagerius fuerat pollicitus ſtudium. Peireskius ergo, cùm priùs quidem aliquid ea in re tentaſſet, tum tamen incumbendo acriùs, eiuſmodi librum inter plureis alios in Ægypto coëmi, afferríque ad ſe mandauit. Verùm nauis, qua vehebatur, à piratis direpta eſt, recuperaríque is liber non potuit. Ita priuatus Scaliger fuit exoptatiſſimo Codice, vt etiam nunquam eſt aſſequutus expectatiſſimum reſponſum, quod Peireskio ab eius morte venit fœliciter in manus. Scripſerat nempe Scaliger ad Samaritanos Ægypti, itémque ad magnum eorum Sacerdotem Eleazarum in ciuitate Sichemo morantem, quæſierátque ex ipſis varia circa obſeruationem Sabbathi, aliorúmque feſtorum; circa Meſſiam, eiúſque apud ipſos nomen; & ad extremum, exemplum Legis, Pentateuchive popoſcerat. Ac ipſi quidem geminis Epiſtolis reſponderant; ſed quòd illæ in Genebrardi, aliorúmque manus incidiſſent, detentæ ſunt, donec, Scaligero mortuo, Peireskius & obtinuit, & per virum impensè doctum Ioannem Morinum è Congregatione Oratorij; Latinas fieri nuper curauit. Curam quoque eo tempore euocandi Pacium reſumpſit, & quod eſt ampliùs, efficiendi ne diutiùs in Religione heterodoxa perſeueraret: at nimis multa interuenerunt, quæ ſollicitudinem variam, varióſque conatus fecere rursùm irritos.

Aberat per ea tempora Valaueſius frater Pariſiis, ob Riantienſia negotia: & quia ipſi aliquot menſium intercedebant induciæ; ideò rogauit illum Peireskius, vt, vel ſui causâ, inuiſeret Angliam, Belgiúmque, & amicos illeic ſuos ſalutaret, quæ donaria miſit, offerret, rara quædam nanciſceretur. Orauit etiam quam maximè Aquis-granum contenderet, vt quicquid illeic monumentorum Caroli Magni ſupereſſet, attentiſſimè inſpectaret, inſcriptiones exſcriberet, icones quaſqua in Eccleſiaſticis ſeu libris, ſeu vitris, ſeu veſtibus, ſeu lapidibus, ſeu quibuſvis aliis rebus impreſſas exprimi curaret; locorum, ornamentorúmque ichnographiam non negligeret, diplomatum apographa, ſigillorum ectypa, prece, pretióve obtineret. Adjecit ſe ſic pœnitere, quòd in Hollandia cùm verſaretur, Aquis-granum non diuertiſſet, vt niſi fratri confideret, paratus eſſet definitè,

definitè, neque alio nomine eo ſuſcipere profectionem. Fecit porrò Frater abundè, & ſatis, mira ſollicitudine, ſedulitate, fide; cùm ipſe intereà poſt initum annum eſt digreſſus Monſpelium, ob illa eadem negotia: ſcilicet Marchio Oreſonius Breſſiaco litem intenderat, ob diuenditum Riantij ius plenum.

Redierat medio circiter vere, dolorem
1609. dentium infandum perpeſſus, cùm non longè pòſt incidente patre in periculoſiſſimum morbum, contraxit ipſe quoque febrim, quæ diuturna admodùm fuit, ceſſânſque ſic languidum fecit, vt vix denique per Autumnum penitùs conualuerit. Quo loco referendum eſt, quod retulit ipſe non ſemel. Cùm ciborum non appetens, faſtidioſúſque tabeſceret, rogaſſe Iacobum Fontanum clarum Medicum, eiuſque affinem, annon aliquid demùm eſſet, cuius eſum appeteret. Annuente ipſo aliquid eſſe, ſed quod ſe non impetraturum, haberet compertiſſimum; iuſtitiſſe illum, id modò, quodcumque foret, ſignificaret. Cùm dixiſſet autem, Pepones: tum excepiſſe Medicum, macte, bonóque animo eſto; neque enim permitto modò, ſed adhortor etiam, ac præcipio, addóque, vt nonnihil meri præaſſumas, poſtaſſumáſque, & abſque pane, aliáve re ad iuſtium paſtua, in ſtomachum mittas. Obſequutum igitur fuiſſe, adeóque bene inde habuiſſe, vt deinceps, ac donec vixit innoxiè ſemper eadem ratione pepones eſitauerit.

Conualeſcens variis officiis ſtudioſos varios adjuuauit, veluti Ioannem Taxilem Arelatenſem Medicum, neſcio quid de ea noua ſtella, quæ per memoratam magnam Conjunctionem apparuerat, meditantem; Gaſparem Bricium in eadem ciuitate parochum; virum bonum, induſtrium, & cœleſtium obſeruatorem. Ioannem Baptiſtam Hanſenium, quem nouerat Romæ in erudita familia Cardinalis Baronij, cuíque procurârat, vt toto triennio foret Gymnaſiarcha Aquenſis. Atque iſtos quidem, aliósque demeritus eſt, valetudine adhuc dubia, remiſſioréque ſolùm morbo; cui contrahendo, producendóque non contulit parùm jactura trium amicorum inſignium, qui in Hollandia elati ſunt.

Eorum primus fuit Scaliger, qui manum jam admouerat commentationi de Hebræis numiſmatibus, cùm laborare hydrope cœpit, ex intemperie jocinoris, quæ quarto demùm, aut quinto menſe, ipſum, die Ianuarij vigeſima prima, oppreſſit. Alter fuit Cluſius, qui non tam podagra recenti, quàm debilitate naturæ, die quarta Aprilis interiit. Poſthuma huius opera, ſiue Poſteriores curas edidit curator teſtamento datus Franciſcus Raphelengius, mentione ſæpè facta Peireskij, cuiuſmodi illud, *Allata eſt ex Guinea in Galliam Spica non diſſimilis præcedenti, nucula Indica fructibus conſtans, cuius iconem nobiliſſimus, & ampliſſimus Vir Nicolaus Fabricius Dominus de Peireſc, Aquis-Sextiis in Gallia Prouincia Senator ad Cluſium miſerat*, Et poſteà, *Sequens Tragacantha icon, quæ nobis tranſmiſſa eſt ex Gallia Prouincia, nempe Aquis-Sextiis, ab ampliſſimo, & nobiliſſimo Viro Nicolao Fabricio, Domino de Peireſc, Conſiliario Regio in ſupremo Senatu Aquenſi, cum literis ad clariſſimum Cluſium.* Ac ruſus, *Subiungi poterit epiſtola quædam doctiſſimi Viri D. Doctoris Fontani, quam ad nos Aquis-Sextiis miſit ampliſſimus, & prudentiſſimus Vir Nicolaus Fabricius Dominus de Peireſc, incluſam literis ſuis ad clariſſimum Cluſium deſtinatis; quæ quamuis poſt mortem clariſſimi Cluſij ad nos perlata ſit, locum in his Additamentis aliquem mereri nobis videtur.* Agebatur porrò in illa epiſtola de inſigni Aloë, quæ in quodam Auenionenſi horto à centum circiter annis ſata, eruperat ſub initium Maij anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi noni, ac intra dies quidem quadraginta quinque, ad vſque altitudinem palmorum Prouincialium triginta duorum, hoc eſt, Pariſinorum pedum viginti quatuor, cùm proximè ſemiſſe. Cuiuſmodi & nos deinceps eruptiones aliquot in Prouincia, & Draguiniani præſertim, vidimus. Tertius fuit Abrahamus Gorlæus, à quo non potuit cœptum opus Paralipomenon abſolui.

Parùm porrò abfuit quin hiſce amicis Varius quartus acceſſerit. Is per juſtitium Septembri menſe conceſſerat Antipolim, vt poſſeſſionem eius loci Regio acquiſiti patrimonio, Regis nomine adipiſceretur. Cùm inuiſiſſet verò Fratrem, Petrum nempe Varium Vintienſem Epiſcopum, incidit in febrim periculoſiſſimam, ac menſe penè diuturniorem. Hanc Peireskius cùm accepiſſet, teneri vix potuit, quin, laborans licet, laboranti accurreret. Cùm non poſſet tamen, mira ſollicitudine, vel potiùs anxietate fuit, vt quocumque modo operam præſtaret. Cætera inter, ſcripſit Maſſiliam, ac exſtimulauit Carolum Caſſaneum clarum Medicum, apparari que illi curauit & rhedam, & lembum, vt ſeu terra mallet, ſeu mari, eò expeditè aduolaret. Miſſitauit penè in ſingulos dies, qui exquiſita quædam ſeu remedia, ſeu edulia ferrent, & quis foret ſtatus morbi renunciarent. Cúmque primùm facta eſt ſpes melioris valetudinis, ſellam miſit geſtatoriam, quam domi habebat commodiſſimam; tametſi ille non potuit, niſi vectorio lecto reduci.

Dum vterque deinceps reſiduo Autumno conualeſcerent, diéſque totos in colloquiis familiaribus ducerent, putáſ ne illorum ſermones nihil habuiſſe eruditionis? Vnum præterire non poſſum, qui fuit poſtmodùm aliquoties à Peireskio commemoratus, cuiuſque occaſione, etiam poſt eius obitum, ſuperfuit quidpiam peragendum. Anſam fecêre Conuentus varij, qui toto Regno Principis iuſſu habiti recens fuerant, vt de condendis perpetuis circa Monetarum valorem, vſúmque Statutis deliberaretur. Cùm enim ante ſeptem annos ſtatuiſſet publico edicto, vt aureus Solatus anteà oblocatus ſexaginta ſolidis, valeret exinde ſexaginta quinque; euenerat iam, vt pro ſeptuaginta, & pluribus commutaretur. Itaque Vario ſententiam

poſcente,

poſcente, reſpondit Peireskius vix eſſe ſperandum, vt proſerpens malum ſiſti vnquam poſſet. Cauſam enim eſſe commercium cum vicinis nationibus, apud quas aurum cariùs, quàm apud nos redimeretur. Nam tum quidem aurum nobis eſſe in proportione ad argentum non omninò duodecupla; apud Hiſpanos verò, exempli causâ, in pluſquam tredecupla eſſe, idque edicto recentiſſimo, quo Rex Hiſpaniæ auri valorem decima parte adauxerat, intacto valore argenti. Qua in re ſanè non fuerat Principem noſtrum imitatus, qui maiore ſolidorum numero aurum æſtimans, maiore quoque æſtimauit argentum, ne proportio illa euariata cenſeretur. Subjunxit, tametſi non modò Rex noſter, ſed etiam Rex Angliæ, cæterique Principes nouis edictis eam proportionem euariarent, promouerentque; euenturum tamen, vt ſingulis æmulatione quadam vel aurum pluris facientibus, vel ipſius pondus, aut certè internum argenti valorem, imminuentibus, res definiri nunquam poſſet. Scilicet nunquam defuturas, vel bellorum occaſiones, quibus exhauſtis ærariis, ad id remedium prouocaretur, vel nationes ſatis conſultas, quæ puriores auri, argentique ſpecies penes ſe ſeruare, aliundéve allicere hoc artificio procurarent.

Et exemplo quidem eſſe poſſe Romanos, apud quos As æreus, Denarius argenteus, & Solidus aureus ita paullatim fuêre imminuti, vt poſtremò facti extra vſum fuerint; & Solidus ipſe nominatim, qui cùm potuiſſet initio duobus Solaris exæquari; commutari demùm debuerit in ſpeciem argenteam, quæ ipſa quoque ſic degenerauerit, vt exiſtimari poſſit in Solidum noſtrum vſualem abiiſſe. Verùm ne tam procul quæreret exemplum, ſufficere, ſi ſpectaretur vel vnius Solari valor, qui intra centum poſtremos annos ita increuiſſet, vt decreſcente ſimul interna bonitate ſolidi, duplo ſolidorum numero iam æſtimaretur. Non eſſe verò probabile, vt deinceps conſiſteret, ſed futurum haud dubiè, vt intra paucos annos triplò, quadruplóque incrementum acciperet, Solidúſque intereà non imminueretur modò pondere, ſed euaderet etiam planè æreus, tunc pondere quoque ſuo deceſſurus. Nec verò vana fuit conjectura: quando iam Solarus à nuperis annis taxatus eſt ſolidis centum quatuor; idque Edicto publico, cuius occaſione ipſe, cùm foret adhuc ſuperſtes, adnotauit auri ad argentum proportionem proximè quindecuplam eſſe.

Sed ad colloquium vt redeam, cùm retuliſſet obiter Aſſem initio pependiſſe libram integram, ſeu duodecim vncias; ac diminutum deinceps fuiſſe ad vſque duas, ad vnam, ad minus: Denarium, cùm tempore Regum pependiſſet trientem vnciæ; ſub antiqua tamen Republica pependiſſe ſolùm ſextantem, ſub recentiore partem ſeptimam, ſub primis Cæſaribus octauam, ſeu drachmam (Atticæ nempe drachmæ æqualem:) Solidum denique principio fuiſſe partem libræ trigeſimam octauam, poſteà quadrageſimam, quadrageſimam quintam, quinquageſimam, & ita deinceps: tum requiſiuit Varius, quî illæ Libræ, ſeu Vnciæ à noſtratibus diſſiderent? Excepit Peireskins, ſibi ea in re nondum penitùs factum ſatis. Nam habere ſe quidem pondera antiqua librarum triginta, decem, trium, ſingularum, quæ cum libra Pariſienſi ſenûm denûm vnciarum zygoſtatica comparaſſet; ſed comperiſſe tamen ſolùm vncias Romanas duodecim, decem circiter vnciis Pariſienſibus exæquari. Circiter, inquam; nam nunc exceſſum, nunc defectum excurrere ad treis, quatuor, & quinque drachmas. Tametſi verò doctus Budæus proportionem præſcripſiſſet proximè ſeſqui-alteram, quòd putaret libram Romanam ſemunciâ ſuperadditâ libræ Marcæ, ſeu octo vnciis Pariſienſibus æquam eſſe; attamen ſe varios Denarios antiquiores, integrioréſque, quàm Budæo fuiſſent ad manum, ad eandem libram exegiſſe, deprehendiſſéque libram Romanam cum ſemuncia decem Pariſienſibus vnciis, vt minimùm, æquipollere. Non audere tamen adhuc rem decernere; quòd illi quoque denarij paſſi fuiſſent intertrimentum, expectaréque donec Româ impetrauiſſet modulum Congij, qui à Veſpaſiani vſque tempore in Capitolio conſecratus, exſtaret, aſſeruaretúrque in Farneſiano Palatio, ac decem librarum vini aut aquæ pondus continens, prodere poſſet quotnam libris, vnciíſque Pariſienſibus tale pondus exæquaretur.

Probauit ille, rogauítque ecquam putaret Congij ad noſtrates liquidorum menſuras eſſe analogiam? Peireskius verò dixit id quoque determinandum ex modulo; intereà verò putare ſe continere Congium tres circiter Potus (ſic enim in Prouincia vocantur, quæ Pariſiis Pintæ, cùm hæ illis minores ſint) liceréque etiam id explorare, ſi conſtiterit, quæ proportio inter Romanum Pedem antiquum, & noſtrum quem dicimus Pannum, ſeu mavis Palmum, intercedat. Romani nempe, vt Amphoram Congij octuplam definierunt magnitudine pedis cubici; ita Congij capacitatem dimidio pedis cubico definitam eſſe voluerunt. Heinc non vnum quidem duntaxat, ſed duos quoque modulos Congij temporis progreſſu obtinuit; verùm nunquam ſatis vacauit rem pro voto expendere, & poſtquam poſteriorem obtinuit, citò nimis interiit, rem certo certiùs exploraturus.

Cæterùm quia nos, quantum licuit, illius curam ſuppleuimus, neſcio an, ſi dixerimus, nimia ſit futura digreſſio. Tenemur certè gratificari hominibus noſtris, qui non modò pondera, menſuráſque illas inter ſe, ſed cum noſtratibus etiam à Peireskio comparatum iri ſperârunt. Vt paucis ergo res dicatur, cautiones adhibuimus eaſdem, quas Lucas Pætus, & Villalpandus; dum vas ipſum ad ſummum collum puteali aqua oppleuimus, expendimns,

vaſis

vaſis pondus ſubduximus. Deprehendimus autem aqnam, quæ Romano pondere eſſe debuit decem librarum, ſeu vnciarum centum viginti, eſſe pondere Pariſienſi (quale nempe Pariſiis exploratum, miſſúmque eſt) librarum ſeptem, minus vnciæ qnadrante; ſeu vnciarum centum vndecim, & quadrantem vnciæ trium. Deinde ex hac proportione collegimus vnciam Romanam continere grana quingenta, & ttiginta ſex, qualium quingenta ſeptuaginta ſex in Pariſienſi continentur; vnde & illis in dragmas collectis, obuenêre cuilibet drachmæ grana ſexaginta ſeptem; idque proinde cenſuimus pondus Denarij Cæſarei, quem dictum eſt fuiſſe drachmalem.

Adhæc difficile non fuit valotem huioſce Denarij, & cæterorum conſequenter, ac monetæ cuiuſlibet, monetâ nuſtrâ exprimere, & à recentiore præſertiin Edicto, anni nempe M. IↃCXXXVI. Cùm ex præſcripto enim argenti valore, atqne pondere colligamus argenti vnciam æſtimari ſolidis Turonicis ſexaginta quatuor: idcircò Denarius Romanus valebit ſeptem ſolidis, ac denariis Turonicis quinqne, cum triente eiuſdem Turonici denarij (ſicque parùm prorsùs excedet valorem Regalis Hiſpanici) & tale fuiſſe intelligetur non modò apud Romanos, ſed etiam apud Græcos, ob parem Denarij, Drachmæque valorem, militum ſtipendium in ſingulos dies. Quinarins proinde, ſiue Victoriatus valebit tribus ſolidis, cum denariis Turonicis octo, ac denarij beſſe; Seſtertius vno ſolido, cum denariis decem, ac trienre denarij. Et quia, verbi causâ, Sicłns Hebræorum fuit, ex Ioſepho, Tetradrachmalis, ſen denariorum Romanornm quatuor; idcircò valuit ſolidis ſimilibus viginti nouem, cum denariis Turonicis nouem, ac triente. Vnde & quia triginta vocati Denarij, quibus Chriſtus Seruator à proditore Iuda diuenditus legitur, triginta Sicli fuiſſe videntur; ideò pretinm colligitur librarum Tnronicarum quadraginta quatuor, ac ſolidorum tredecim, cum denariis quatuor.

Quod ſpectat ad comparationem cum Prouinciali pondere, obſeruauimus illam eandem aquam, ſiue Romanas libras decem pendere libras Prouincialeis nouem, cum vnciæ triente; ſeu vncias centum quadraginta quatuor, & trientem vnciæ. Obſernauimus aliunde libram Pariſienſem cum prototypica noſtrate collatam continere ipſam ſemel, cum quatuor vnciis, & vnciæ beſſe. Sed notandum Zygoſtatam Stateras ita temperate, vt verſus numernm centenarium, ſingulæ nm librarum pondus ſingulis vnciis adaugeat, propter detrimentum earum mercium, quæ cumulatim emptæ, minutatim venduntur: adeò vt qnæ centum libræ Pariſienſes æquiponderarent noſtratibus centum viginti nouem, cum triente, exæquentur ſolùm centum viginti dnabus, quatuordecimque vnciis, cum beſſe.

Cùm liceat verò menſuram Romanam tam cum Pariſienſi, quam cum Prouinciali ex ponderibns comparare; addo dnntaxat nos comperiſſe quatuordecim Pintas Pariſienſeis adæquari Potibus noſtratibus vndecim; & liquidorum Modium, qui Pariſiis continet Pintas ducentas octoginta, continere noſtrates Mellereolas qnatuor, cum Potibus viginti octo: continente Mellereola Potus duodeqnioquaginta, quorum quilibet pendit Prouincialeis libras treis, cum quadrante. Ex quibus elicies Congium continere Potus noſtrates duos, cum ſextis ferè quinque; ſeu Pariſienſeis Pintas treis, cum ſemiſſe proximè: intelligéſque, exempli gratiâ, quantum biberit Nouellius Torquatns, Mediolanenſis ſcilicet ille, qui treis vini Congios vno hauſtu ſiccaſſe coram Tiberio legitur; vnde & Tricongij cognomentum tulit. Habebis rursùs quantùm menſurarum noſtratum contineat Vrna Congij quadrupla, Amphora octupla: quantum Sextarius ſexta pars Congij, & Semi-ſextarius pars duodecima, aliàs Hemina, ſeu Cotyle dicta. Vbi notabis, ſi lubeat, videri Pariſienſeis appellare quartam Pintæ partem Semi ſextarium, quod illa ad Semi ſextarium Romanum proximè accedat.

Dixi porrò obiter liquidorum Modinm; nam alioquln Modius aridorum conſtans ex centum quadraginta quatuor Buxeis, ex quibus quatuordecim deprehenſi ſurit id ſtatuere Onus, quod nos ex quinque Heminis, Pannalibúſve decem conſtituimus; talis inquam Modius æquiualet noſtris Oneribus decem, Pannalibúſque proximè tribus. Atque hæc ſunt quidem, quæ homines noſtros ſcire præſertim attineat; niſi adhuc adiiciam diuiſiſſe nos Pedem Pariſienſem ex prototypo deſumptum in mille particulas, obſeruaſſéque Palmum noſtratem, qui octaua Cannæ pars eſt, continere ſolùm ex iis partibus ſeptingentas ſexaginta treis: Pedem verò Romanum antiqunm noogentas & ſex; ne memorem Anglicanum continere nongentas triginta treis; Hollandum nongentas ſexaginta ſex; Lugdunenſem, & Gratianopolitanum mille, & quinquaginta duas; Brachium Florentinum mille octingentas, & duas; verùm de his nimis iam multa.

Ad Peireskium redeo, qui ſtatim inſe- 1610.
quente anno milleſimo ſexcenteſimo decimo eſt rursùs profectus Monſpelium. Cùm rebus autem proſperè geſtis, ineunte iam Maio rediret, inſomnium illi contigit, quod aliquoties mihi enarrans ſolitus fuit præmittere, ſe, ſi ab alio fuiſſet enarratum, non crediturum. Erat in eius comitatu Iacobus Rayoerius Aquenſis ciuis, qui io eodem cubiculo indormire ſolitus, indormiit ſpeciatim intra id hoſpitium,

quod vocitant Album, Monſpelium, ac Nemauſum inter. Somniauit autem Peireskius, ac neſcio quid inſolitum obmurmurare viſus eſt: quare excitatus Raynerius, ipſum, ecquidnam noui eſſet rogitando, expergefecit. Tum ille, proh, inquit, quàm gratum, bellúmque excuſſiſti ſomnium! Quærente Raynerio, quid-nam rei foret, ſomniabam, inquit, me eſſe Nemauſi, oblatúmque mihi fuiſſe ab Aurifice numiſma aureum Iulij Cæſaris, pretio ſcutatorum quatuor; iámque eram illi, ad ipſum habendum, numeraturus pecuniam, cùm excitante te importunè, & ex oculis Aurifex, & ex manibus Numiſma euanuit. Exinde ſomnium nihil moratus, diſceſſit Nemauſum, & cùm prandium appararetur, per ciuitatem digreſſus eſt.

Caſu autem planè ſtupendo in Aurificem ecce incidit, ex quo dum requireret, ſi quidpiam fortè rarum haberet, habere ſe ille reſpondit Iulium Cæſarem aureum. Rogauit quanti eum venderet; reſponſum, pretio ſcutatorum quatuor. Itaque id pretium ſtatim numerauit, acceptóque Iulio, ſuum ſomnium fœlicitate mira compleuit. Mira, inquam, nam facilè quidem cogitare Nemauſum potuit, quò ſequente luce erat acceſſurus: potuit illud Iulij numiſma, quod vigilans ſæpiùs exoptauerat: potuit id repertum in ea ciuitate, in qua tot Romanæ antiquitatis veſtigia: potuit autem Aurificem, ad quod genus hominum vulgò referunt, qui talia effodiunt: potuit valorem mediocrem, quo Aurifices potiùs, quàm Antiquarij iſta pendunt: potuit ſcutatorum quatuor, quo moderato pretio aurifex poſſet eſſe contentus: denique potuit Aurifex, & Nemauſi quidem, ac eo pretio habere numiſmum: verùm hæc omnia concurriſſe, & euentum ſomnio ita reſpondiſſe admirabile protsùs eſt. Non is autem erat Peireskius, qui propterea ſomnij cauſam præternaturalem putaret, vt fortè feciſſet, ſi ſæpiùs contigiſſent ſimilia: ſed cùm noſſet fortunæ luſus, habebat duntaxat hunc caſum inter eos, qui ſua raritate ſtuporem apud vulgus creant, cuiuſmodi etiam memorantur de Endemo Ariſtotelis familiari ad Pheras; de duobus Arcadibus ad Megaram, & de nonnullis ſimilibus; quanquam hiſtoriarum huiuſmodi omnium penes auctores fides eſto.

Commoratus eſt deinde Peireskius aliquot diebus Arelate, vt præter aliàs obſeruitata, exploraret curioſiùs monumenta quædam inſignia ad Monaſterium Montiſmaioris. Cùm inde autem diſceſſiſſet, & iam Salonem accederet, attigit eum Curſor ab Archiepiſcopo, qui renuntiaret mox inauditam Henrici Regis luctuoſam mortem. Conſternatus mirè, feſtinauit tamen, vt conſolaretur Varium: dolorem quippe præſentiens, quo nouerat perculſum iri. Et ſanè illius acceſſus leuamen adhibuit non mediocre magno Vito, qui iam factum reſciuerat, hominibúſque, & literis miſſis dare operam cœperat, vt vniuerſa Prouincia in officio contineretur. Memorabile porrò eſt ab anni vſque initio, & priuſquàm Peireskius Monſpelium diſcederet, allatum ipſi fuiſſe ex Hiſpania Prognoſticon annuum, ſiue *Almanach* ab Hieronymo Ollerio Beneficiato Barcinonenſi compoſitum, & Nouembri ſuperiore Valentiæ impreſſum, in quo non obſcurè prædictua lamentabilis caſus foret. Sic ille nempe deſignârat & natiuitatis circumſtantias, & euenta quædam præcipua, vt denotari alius Rex, quàm Magnus Henricus non poſſet. Illud Vario cùm oſtendiſſet, communicaſſétque præterea cum Ioſepho Galterio Priore, & Domino Valletæ, Vito totius quidem Matheſeos, ſed Aſtronomicæ præſertim peritiſſimo, digna omninò viſa eſt res, quæ, licèt Aſtrologicis prædictionibus non eſſet fidendum, non negligeretur tamen, tanquam ſacrum attinens Caput, pro cuius incolumitate nulla cautio poſſet cenſeri ſuperflua. Itaque Varius eo tempore ipſummet exemplum tranſmiſit ad Regem.

Ac prætereà quidem vt magnus, veréque generoſus Princeps laudato Varij affectu contempſerit prognoſticon: ſed quia euentus comprobauit, ipſéque Ollerius aliud poſteà edens in ſequentem annum, eſt propterea mirè gloriatus; idcircò taceri non poteſt, quod ſaltem dubium faciat ex ipſiſ-ne Aſtris, an potiùs aliunde rem euenturam conjecerit. Nam de Aſtrologica quidem vanitate non eſt quod hic loci quidquam memorem, & maximè cùm euulgata ante treis annos Themata, niſi poſt annos præterea quatuor, nihil ominarentur infauſtum. Non is etiam ſum, qui ſubdubitem habuiſſe Vatem cum prauo Genio, qui id præſagierit, reuelaueritque commercium: dico ſolùm potuiſſe ipſum aliqua ratione eſſe conſcium machinationis illius, qua infandum adeò parricidium commiſſum eſt. Ea certè neque in Hiſpania, neque in Italia celare planè poterat, vnam etiam Regij Oratores, ac nominatim Venetiis agens ille Virorum optimus Ioannes Bochattus Campinius, Regem iam illius præmonuerant. Comprobatum aliunde eſt Maſſilienſis nautas, quotquot ex Hiſpania ante duos menſeis aduenerant, retuliſſe rumorem fuiſſe in Hiſpania diſſeminatum, quòd Rex Francorum nunc occiſus, nunc occidendus gladio foret. Narrauit etiam Peireskius, ſcripſitque ad Malherbium, quod in hunc locum inſeri poſſit. Memorabat nempe die Sabbathi, ac triduo poſt mortem Regis enunciatam, tranſiiſſe Aquis-Sextiis illuſtriſſimum Venetum ex Priulorum familia, qui fuerat Orator Pariſiis, ac tum pergebat Orator Madritum. Cùm inuiſiſſet autem Varium, ſibi aliunde cognitum, enarraſſe ipſi inter cætera, ſe Mediolano iter facientem ſalutaſſe illeic Comitem

tem Pontanum ; & cùm Regiarum copiarum vim inter colloquendum exaggerauiſſet, tum excepiſſe Comitem, nihil ſibi ex iis metuendum, quòd vnius hominis mors eſſet breui eas euerſura. Sed temperandum ab iſtis eſt.

Accepit ſubinde Peireskius ſcriptas à Pignorio tertia eius menſis die literas, quibus admonitus eſt detexiſſe Galileum inuento recens Teleſcopio magna quædam, admirandáque circa ſtellas ſpectacula, ac potiſſimùm quatuor nouos Ioui circumductos Planetas, quos Mediceos nuncupauiſſet. Scilicet ab ineunte vſque ſuperiore anno ſexcenteſimo nono Iacobus Metius Alcmarienſis, dum varia vitra componeret, vt effecta experiretur, inciderat caſo in eam conuexi, concauíque comparationem, ex qua, interjecto potiſſimùm tubo, viderentur intuenti res paruæ grandeſcere, & ſepoſitæ admoueri, (vnde & illi prima defertur Teleſcopij inuentio; tametſi Ioannes Baptiſta à Porta tale quidpiam iam euulgârat) Galileus verò ex ſolo rumore inuentionis ad ſe perducto, cœperat ipſe excogitare tum cauſam effectuum Teleſcopij, tum conficiendi artificium, adeò vt pòſt molimina, ac tentamenta varia, perueniſſet tandem ad vnius exactiſſimi conſtructionem. ipſum fuit, quo per primos duos anni decimi memorati menſeis obſeruationes illas peregit, quas titulo Siderei Nuntij menſe Martio typis vulgauit.

Peireskius ergo re cognita, magno eum ardore ſategit vt & librum, & Teleſcopium quam-primùm poſſet, nanciſceretur. Enim-verò cùm librum habuiſſet, exquiſitum tamen Teleſcopium ſortitus illicò non eſt, quantumvis nonnulla impetrauerit tam ex Italia, quàm ex Hollandia, ac etiam Pariſiis, ex quo primùm tempore elaborari illeic cœperunt. Heinc eſt, cur Iouis Satellites ante Nouembrim detegere, obſeruaréque nequiuerit, certè vt integram Choream cenſeri poſſet deprehendiſſe. Ex quo verò deprehendit, mirum quantâ lætitiâ id ſpectaculum fuerit contemplatus. Nam ſtatim quidem rem demonſtrauit Vario, aliiſque amicis; ſed & ne tempus fruſtrà abiret, apparauit obſeruatorium, inuitauítque, ac ſæpiùs per complureis dies detinuit memoratum Galterium, eúmque eo in obſeruando biennium penè totum conſumpſit. Erat adhuc frater Pariſiis: quare illum ſollicitare, variéque vrgere nunquam deſtitit, donec vitra Teleſcopica confici curauit, miſitque ad vſque quadraginta. Videlicet ſpes erat fore, vt conſequeretur tandem optima, & cuiuſmodi fuerant à Galileo vſurpata.

Intereà tamen aliquot reuolutiones ſpeculatus, cepit cum Galterio conſilium de Motuum hypotheſibus, tabuliſque concinnandis. Quamobrem Galterius eam Spartam aggreſſus, ſic breui perfecit, vt exquiſitè, quantum licuit, determinârit tempora, quibus ſinguli Medicei circumuolutiones proximè abſoluunt, Extimus nempe diebus ſexdecim, cum ſexdecim horis: Sequens ſeptem diebus, cum horis tribus; & ſemiſſe horæ: Tertius diebus tribus, cum tredecim horis, ac ſemiſſe itidem: intimus die vnica, cum horis octodecim, ac ſimul ſemiſſe. Minutias non recenſeo; quandoquidem licet ad vſque ſecundas, vt Aſtronomi loquuntur, ſupputatæ fuerint; nihilominùs dies docuit addendum quidpiam, demendúmque: vt etiamnum quoque reſtat aliquid, quod obſeruatio, ac diligentia temporum ſequentium valeat emendare. Hæc ſolùm attingo, vt innuam, quàm vehementer Peireskius in id incubuerit, vt res adhuc naſcens in ſuo exortu perficeretur. Quippe delegit prætereà virum induſtrium Ioannem Lombardum, qui obſeruando operam conferret; ac eruditos adoleſcentes Petrum Robertum Medicinæ, & Ioannem Baptiſtam Morinum Philoſophiæ candidatos, qui ſe Galterio addicerent, vt quia nimis moleſtum erat numeros omneis retexere, calculis præſcriptis ipſum ſubleuarent.

Obtinuit etiam obſeruationes, quas præter Galileum Ioannes Keplerus, clariſſimus ille Cæſaris Mathematicus, aliique iam peregerant; vt ex illarum collatione perfici hypotheſes poſſent. Curauit quoque elaborari Theoricen Mechanicam, Peurbachianæ vulgaris inſtar; vt ſuppoſitis radicibus motuum, Mediceorum loca poſſent colligi in annos, menſeis, dies, & horas. Nomina prætereà impoſuit, quibus diſcerni ſinguli poſſent. Nam cùm Galileus vniuersè Mediceos indigitaſſet, noluit ipſe nuncupationem vlla ratione immutare: ſed Principes tamen delegit ex Medicea familia, quorum nomina inderentur. Quia debebat verò præſertim ſeruato familiæ honore Reginas duas inclytas, quas illa noſtræ Galliæ dediſſet, Sideribus adſcribere: ideò extimo Planetarum Catharinæ nomen fecit proprium; alteri, qui præ cæteris eximiè reſplendet, Mariæ: tam ſequenti Coſmi majoris, & intimo Coſmi minoris. Cogitauit deinde tam Obſeruationes euulgare, quàm Tabulas; ſed quia accepit Galileum curis continentibus in id negotium incumbere: ideò ne videretur palmam illi debitam prærepturus, ſeſe ab incœpto continuit.

Denique venit illi in mentem adjutare Geographos in tradenda methodo Longitudinis inueniendæ. Quippe quia horum Planetarum ſunt motus citatiſſimi, configurationéſque per ſingulas nocteis variæ: ideò cogitauit, ſi illæ, quibus contingunt momentis, in diuerſis locis ad ortum, occaſúmque obſeruarentur, poſſe pro temporum varietatibus, exquiſitè deſignari intercapedines locorum: poſſéque adeò Tabulas, chartáſque Geographicas ſic emendari, ac perfici, vt exinde vſus rei Nauticæ conſummationem nanciſceretur. Heinc ea de re Amſterodamum ad Iodocum

Hondium dedit literas, quibus etiam rogauit illum, vt indicaret nomen, & patriam Inuentoris primi Teleſcopij; ſcilicet ignorabat adhuc eum fuiſſe, quem iam diximus. Scripſit & Pariſios copioſè ad Fratrem, poſtulans ab eo varia Teleſcopia, quæ obſeruationibus faciendis in variis locis deſtinaſſet, ac potiſſimum in Oriente, & in nouo Orbe, quò nonnulli amicorum erant breui diſceſſuri. Et poſtmodùm quidem obtinuit obſeruationes aliquas, ac potiſſimùm à mox antè nominato Ioanne Lombardo, qui profectus Alepum vſque, verſus Orientem, fuerat; ſed neque illæ fecerunt ſatis; neque peruidit, omnibus etiam horum Planetarum configurationibus in Ephemeridas relatis, fore proptereà inuentionem adeò generalem, ac animo conceperat. Agnouit enim non poſſe Nautas ad illos attendere, neque interdiu, neque cælo nubiloſo, neque Ioue Soli coniuncto, aut noctu ſub terras delato; neque toto ſexennio ad alterum polum, cùm Iupiter eſſet verſus alterum; & id genus ſimilia. Quamobrem eam curam depoſuit, ratus aliunde Galileum, Keplerúmve in eam curam incubituros, & pro ſua ſolertia rem perfectiùs exſequuturos. Certè non parùm gauiſus eſt, cùm non ita pridem accepit veniſſe Galileo in mentem, vt methodum perficeret, & cum Hollandis communicaret, à quibus arcanum Longitudinum eſt tantopere expetitum.

1611. Porrò cùm Peireskius foret circa iſta ſummopetè ſollicitus; non deſtitit tamen interea pluribus curis diſtineri. Annus ſæculi vndecimus erat, quo neſcio an dicere debeam apparuiſſe primùm in Prouincia, ac in eo hortulo, quem Peireskius intra ædeis Aquis-Sextienſeis habuit, flores calyceos Tulipas dictos. In eo ſcilicet ab Autumno ſuperiore defoderat miſſas Tornaco à VVinghemio bulboſas illorum radices. Referebat autem, cùm eo tempore nonnihil terræ in hortulo excolendo aggeſtum fuiſſet, Caniculam quandam nomine Marphiſſam conquiſiiſſe catulos, quos abiici præceperat, ſepeliiſſéque ſub aggere, & aliquot diebus ita incubuiſſe, vt neminem accedere, etiam prætextu edulij ſubminiſtrandi, pateretur. Non memini porrò an dicta ipſi Sultana fuerit, cuius obitum cùm ægrè tuliſſet, lætatus tamen fuit ob factum circa illam experimentum.

Ea educabat treis catellos, qui vnà cum matre eodem morbo laborauerunt. Vno demortuo, projectóque, ipſa quoque mater interiit. Nemine cauſam agnoſcente, Anatomicum euocauit, incidíque iuſſit, vt interanea diſpiceret. Ecce autem ſecundùm totam inteſtinorum prolixitatem ſeries aliquot cohærentium candidarum molecularum, cuiuſmodi cucurbitæ, aut cucumeris grana ſunt; vnde videtur fuiſſe vnus ex iis latis lumbricis, quos Cucurbitaleis nonnulli appellant. Erant verò infernè quidem majuſculæ, duriuſculæque; supernè verò ita paullatim in minutulas, molliuſculáſque deſinebant, vt in ſummo, tandem nihil, niſi confuſus albor appareret. Peireskius ergo, cùm non placeret quicquid curando illi morbo proferebatur tam à Chirurgis, quàm à quibuſdam Medicis; iuſſit, neſcio quo ductus genio, afferri ſibi theriacam, è qua cùm materiæ illi adhibuiſſet, obſeruauit magno ſuo, circumſtantiúmque ſtupore ipſam ſtatim liqueſcere, effluerèque in decliue. Quapropter iuſſit catellis duobus qui ſupererant, exhiberi theriacam, alexipharmacum eſſe ratus. Ac alter quidem animam iam agens inter exhibendum extinctus eſt, alter verò adhuc robuſtior remedio aſſumpto omninò conualuit.

Contigit illo eodem anno decantatiſſima hiſtoria de Ludouico Gaufrido cacomagiæ infamato, déque Magdalena Paludana illius præſtigiis correpta à Dæmone. Ea res verò vt totam Curiam, ſic præſertim ipſum Peireskium admodùm ſollicitum habuit, qui vniuerſam penè hiſtoriam literis prolixis deſcripſit. Ac pro tempore quidem ipſo in eadem cum vulgo opinione fuit, monebátque præſertim ipſum Stigmata illa inſenſilia corpori vtriuſque inuſta, & Cacomagiæ credita indicia: at dubitare poſtmodùm cœpit, num in toto negotio impoſtura quædam, aut ſtupor animi latuiſſet. Placitum tamen ſemper defendit, quo Curia Magum cremari iuſſit: quippe qui aliàs ſacro-ſancta Religionis myſteria libidinoſus peſſumdediſſet. Aiebat quoque tametſi Magi non tantùm habeant cum Dæmone, quantum putatur, commercium; nihilominùs pœna afficiendos ob prauum affectum, quo diſciſcunt à Numine, & Cacodæmonem implorant. Sic, licet factis vnctionibus non transferantur reuerà in eas Synagogas, in quibus nihil non patrent nefandum; puniendam tamen voluntatem, qua id appetunt, ſeſéque operi accingunt.

Quod permouit autem ipſum, impoſtura fuit, qua non multò pòſt Maſſilienſis quidam Sacerdos accuſatus Magiæ fuit, prodente quodam Dæmone, quem Gaufridus dicebatur in mulierculam intruſiſſe. Is quippe iudicio abſolutus eſt, ſed corpore tamen toto interpunctus, vt deſignata à Dæmone conquirerentur ſtigmata, quæ deprehendi nulla potuerunt. Tantò verò magis Peireskius rem vocauit in dubium, quantò poſt treis proximè annos accepit à VVinghemio ſimilem hiſtoriam contigiſſe in Flandria, hoc eſt interpunctum toto corpore Canonicum quendam, qui fuit denique habitus innoxius. Documentum ſanè inſigne, ne facilè adeò fides adhibeatur ſiue Dæmoni, quem Sacra Scriptura appellat Patrem mendacij; ſiue mulierculæ; quæ partim natiua imbecillitate, partim vehementia vaporum cerebrum exturbantium, partim malitia, aut odio, partim concepta, innutrita, defixa altum opinione imponere facilè poteſt. Quod ad Stigmata illa ſpectat, hæſit Peireskius num reuera non eſſent notæ Cacomagiæ; idque præſertim ex quo agnouit rem vocatam

tam in controuerſiam à Martino Delrio, aliiſque viris impensè doctis. Fortè enim eſſe poſſe à natura, pertinereque ad ſingularem Elephantiaſcos ſpeciem; aut ſaltem poſſe ipſos Magos eas ſibi, quaſi cauteria inurere, ac perturbatæ menti defigere, iouſtionem illam perinde referendam ad Dæmonem, ac referre ſolent vnguenta, quæ ipſimet parant, & inter ſe communicant, confiſi ſe ipſorum vi ad maligna illa Concilia transferri.

Habuit Peireskius toto eo anno valetudinem vacillantem. Fuit autem dubia potiſſimùm circiter æſtatis initium; tametſi propterea nihil fuit graue paſſus, neque interquieuit à ſolitis ſtudiis. Quin-etiam viſus ſibi eſt pro votis ſatis confirmatus, vt adeſſer Vario grauiſſima febre totos quadraginta dies in villa Maſſilienſis agri, Florida ab ipſo indigitata, laboranti. Non refero quanta ſe illi aſſiduitate deuouerit: hoc vnum non eſt prætereundum. Conualeſcebat ægrè Varius, quòd teneretur anorexiâ, miróque ciborum faſtidio. Cùm venaretur autem Peireskius occaſionem addiſcendi ecquid poſſet guſtum mouere, & darâ plerumque operâ ſermones interſereret de rebus guſtatu iucundis; contigit aliquando Varium obiter innuere Truttas lacus Geneuenſis non iniucundi eſſe ſaporis. Ille ergo id ſubnotans, tantâ obtinuit diligentiâ inſignem ex eo Lacu Truttam, opere piſtorio conditam; vt, nomine licèt alieno oblatam, Varius tamen diuinauerit Peireskij facinus eſſe.

Sic excitare guſtatum voluit, cùm fartum illi obtulit ex linguis Phœnicopterorum; tametſi id per hiemem, quoniam ea ſola tempeſtate aues illæ maritimæ ad Arelatenſeis paludes capiuntur. Parùm aberat, quin ex linguæ exæquarentur hædinis: & quia tamen eſca videbatur ſuauior, nihil pronunciauit Varius, neque diuinauit, quouſque Peireskius illud Martialis extulit,

Dat mihi penna rubens nomen, ſed lingua guloſis
Noſtra ſapit.

Rogatus ſubinde fuit de ſapore carnis Phœnicopteri: excepit autem mirari ſe, cur illam Apicius apud Plinium, & Imperatores Caligula, ac Vitellius apud Suetonium, Heliogabalus apud Lampridium, & nonnulli alij tantis in deliciis habuiſſent. Eſſe enim eam iniucundam, aut ſaporis certè non exquiſiti, aquaticarum aliarum inſtar, cùm etiam piſcem oleat; vnde à Prouincialibus vt plurimum abiicitur, exuuiæque ſolùm ſunt vſui, in faſtuoſis conuiuiis, carnibus aliarum auium obtegendis.

DE VITA PEIRESKII,

LIBER TERTIVS.

1612. INSEQVENTE anno Pariſios iteratò profectus eſt. Aduocârat enim illum Valaveſius, quo tempore exiſtimabat illa de Riantio negotia extremo iudicio definitum iri. Et contigit quidem, vt cùm moras aliquo-vſque traheret, iudicium interuenerit, literiſque in itinere acceptis id reſcierit; verùm quia non tam negotiorum causâ, quàm amicorum conuiſendorum deſiderio diſceſſerat; idcircò noluit regredi; ſed ardentiùs viæ inſiſtens acceſſit Pariſios, quo tempore frater erat exceſſurus. Is verò bono ſuo fato in vrbe adhuc conſtitit: incidit enim in morbum, quo fuit per integrum menſem eâ exagitatus vehementiâ, vt niſi caput cariſſimum aduenîſſet, adſtitiſſétque, vix ab illo emergere, conualeſceréque potuiſſet. Cùm à menſe autem Iunio reſtitutus fuiſſet valetudini priſtinæ, diſcedere tamen abſque Fratre noluit, qui in menſem vſque Nouembrim dilatum voluit reditum. Prætextus fuit illud nuperum iudicium, quod litigiorum Riantienſium non fuit penitus decretorium: nam ad cognoſcendum quo iure vteretur Prouincia, audiendis Ordinum comitiis locum interpoſitum fecit. Vnde quia comitia non poterant cogi abſque Prorege Guiſio, ipſéque Prorex ante id tempus non erat Aulâ exceſſurus, ideò Peireskius hanc ſibi metam, redeundique anſam præfixit.

Heic nihil neceſſe memorare quanta cùm lætitia, virtutiſque æſtimatione exceperint illum Thuanus, Campinius, Rociacus, Faber, aliique amici, & inſignes viri, quorum iam antè meminimus, quique illum facie, vel famâ iam nôrant. Nihil recenſere officia, quibus literatos plæroſque deuinxit, non modò qui erant in vrbe, cuiuſmodi fuêre, præter ſuperiùs memoratos, Ioannes Sauaro, Carolus Labbeus, & alij; ſed etiam qui alibi gentium, vt in cæteris Galliæ ciuitatibus, in Italia, Anglia, ac Belgio.

Attexere præſtat, cùm nullum intermiſerit ſtudium promouendi Arteis ingenuas, ſpectabilem præſertim fuiſſe quam curam continentem geſſit obſeruandi Cæleſtia, déque iis coràm ediſſerendi cum viris Mathematicis, bonarúmque rerum ſtudioſis. Factum eſt quippe, vt nemo meliùs Phænomena noua calleret, quòd nemo ardentiùs, & conſtantiùs in iis cognoſcendis operam poſuiſſet. Heinc habitum propè miraculo fuit, quòd diſtractus tot aliis curis, conſequi potuiſſet notitiam adeò exquiſitam huiuſmodi rerum. Quippe non de ipſis Phænomenis ſolùm, ſed de confectione etiam, vſúque Teleſcopij multa declarauit; eáque occaſione plerumque ducere ſecum ſolitus eſt, qui tam fabricæ Organi, quàm rationis vtendi inſpectores forent. Heic referendum, cùm operam circa Mediceos Planetas nauaret, adnotaſſe eum aliquid, quod, quibus iſta curæ ſunt, non fuerit fortaſſis ingratum.

Attendit videlicet Iouem tranſiiſſe Cordi Leonis ad Boream, non multùm ante veſperam diei Iunij trigeſimæ, & Venerem corniculatam tranſiiſſe adhuc magis ad Boream, inter eam veſperam, & conſequentem primæ Iulij; qua etiam nonnihil conjunctionem cum Ioue prætergreſſa fuit: cùm & Luna tunc, omnibus Borealior, ipſi eidem Cordi Leonis inſtaret proximè conjuncta.

Sic Eclipſeis duas obſeruauit, alteram Lunæ, alteram Solis. Et de Lunari quidem, quæ contigit die Maij decimaquarta, retulit in ſchedas obſtitiſſe nubeis, ne adnotaret aliud, quàm Eclipſin cœptam, & ad quadrantem propè Diametri promotam, cùm vrbana horologia variè pulſarent horam nonam, ipſéque in automato haberet nonam, ac ſemiſſem; promotam verò vltra trientem, & ad ſemidiametrum penè, dum ex vrbanis haberetur nona, cum ſemiſſe, ex proprio verò decima. At paullò exquiſitiùs circa Solarem, quæ eiuſdem menſis die trigeſima accidit, ſcripſit ſe obſeruaſſe Solem fuiſſe iam factum, qualis eſt Luna ad dichotomiam proximè accedens, cùm iuxta vrbana horologia foret hora nona (matutina nempe) ac triens. Deinceps quoque horâ decimâ cum triente, ſemiſſe, ac beſſe, viſam increuiſſe Eclipſin; at horâ vndecimâ iam imminui cœptam, & ad centrum Solis reductam. Horâ vndecimâ cum beſſe, vix ſuperfuiſſe digitum: denique horâ duodecimâ, minùs ſexta parte, Eclipſin deſiiſſe. Quæ commemoro, vt intelligas diligentiam ſaltem in eo non potuiſſe deſiderari. Et expetiiſſet quidem poſteà obſeruata fuiſſe omnia ſcrupuloſiùs: ſed ſatis tamen peractum duxit, vt ſumma cum lætitia obſeruationem compararet cum Romana quadã Lunaris Eclipſeos, quam Ioannes Remus Quietanus clarus Medicus,

Medicus, & Mathematicus retulit; & cum Hafnienſi duplici, ſeù vtriuſque Eclipſcos, quam celebris vir Chriſtianus Seuerinus Longomontanus, Tychonis Brahei quondam adiutor, deſcripſit.

Prodiit per hæc tempora liber Italicè ſcriptus, titulo Squitinij, quo libertas Veneta ab ipſis Reipublicæ fundamentis fuit diſcuſſa. Is, quia viſus eſt continere eximiam quandam Imperij, Gotthorúmque Regum Hiſtoriæ notitiam, idcircò ſtatim creditus fuit (quæ etiamnum eſt multorum perſuaſio) Peireskium habere auctorem. Enimverò teſtari licet nihil tale ipſi veniſſe in mentem. Quin potiùs ſic ſemper reueritus fuit Reipublicæ maieſtatem, quóſque in illa amicos habuit, vt ad præſtandum obſequium potiùs, quàm ad contumeliam fuerit comparatus. Ac non diſquiro quidem an auctor huiuſce libri fuerit Antonius Albizius, nobilis ille Florentinus, qui Chriſtianorum Principum Stemmata ediderat ante duos annos, vt nonnullis perſuaſum eſt; an vt videtur veroſimilius, inſignis ille Marcus Velſerus, cuius ſæpiùs meminimus, ob conſummatam eruditionem, propenſionémque ſingularem erga domum Auſtriacam. Addo dumtaxat, immeritò videri quoſdam ſuſpicatos tam Gualdum, quàm Pignorium, aut contuliſſe operas in eo opere conſcribendo, aut communicaſſe cum Peireskio quos digereret commentarios. Ii fuere enim magis ingenui, patriæque ſuæ magis amantes, quàm vt ea impietatis labe commaculari voluerint. Vtcumque ſit, Peireskius certè nihil ſimile vnquam cogitauit.

Pariſiis porrò diſceſſurus, ac vale iam amicis dicens, recepit, inter cætera, ſe ad Meticum Vicum, hieme ingruente, tranſmiſſurum par Phœnicopterorum. Subierat quippe earum auium enutriendarum deſiderium, non ob pulchritudinem modò alarum rubore flammantium, (vnde noſtrates *Flammantem* vocant) óbque proceritatem crurum, & colli, cuius causâ à Iuuenale Phœnicopterus Ingens dicitur; ſed præſertim ob ſpeciem victus, quo Peireskius quaſdam apud Varium educatas commemorabat. Referebat enim illas noctu potiùs, quàm interdiu capere cibum (qui ferè illis parabatur ex pane aqua madefacto:) præſentire frigus aduentans, ac tum ad ignem accedere, pedibúſque etiam interdum cremari; dolente pedum altero, illius vice vti roſtro, ipſóque, & altero pede alternando incedere: dormire erectas in alterum pedem, reliquo in ventrem, plumáſque ſubducto; parci eſſe ſomni, aliaque ſimilia. In ipſo diſceſſu ſummoperè doluit eripi ſibi extremo morbo amantiſſimum ſui Nicolaum Fabrum, qui non multos ante dies commendârat apud Regem egregium virum Thomam Billonum operoſiſſima illa ſua, ac felicitatis miræ Anagrammata oblaturum. In itinere diuexatus eſt magna vrinæ difficultate.

1613. Poſtquàm rediit nulla res æquè eum affecit, ac iniuria Vario à Senatorum vno illata, tum ante Natalitia, tum initio alterius anni; cuius proinde toto decurſu vix à latere ipſius diſceſſit, niſi quo octiduo graui morbo laborauit ſub finem Aprilis. Rediit interea Frater Pariſios, ipſéque per illum varia munera ad amicos dedit. Miſit quoque multa in Italiam ad Paſchalinum, Benedictum, alios, quibuſcum varia ediſſeruit, & ex quibus aliqua pro amicis aliis viciſſim expetiit. Hos inter fuit Caſaubonus, itémque Henricus Polanius Monetalis Ex-præfectus, qui poſtulârat tum varios libros operâ ipſius in Italia inueſtigandos, tum pondera antiqua varia, aut inſtitutam certè ipſorum cum Pariſienſi comparationem. Scribens aliunde Pariſios, nihil æquè ſategit, ac Hannibalem Fabrotum Iuris profeſſione clarum, & meliorum literarum ſtudio comprimis inſignem, facere tam apud Thuanum, quàm apud cæteros amicos, quibus illius eruditio iam innotuerat, commendatum.

Ad eruditos alios quod ſpectat, edens non multò pòſt Sirmondus in Sidonium Apollinarem Notas, conſtitutionem retulit, quam Cuſanus eſſe Conſtantini Magni, Scaliger Conſtantini Tyranni opinati fuerant; Peireskius verò docuit, ex Codice Arelatenſi, fuiſſe potiùs Honorij, & Theodoſij Auguſtorum, ſcriptam ſcilicet ad Agricolam Præfectum Galliarum de agendo ſingulis annis Arelate ſeptem Prouinciarum conuentu. Deinde Iacobus Fontanus nuncupans illi Commentarios in Aphoriſmos Hippocratis, hiſce verbis inſcriptos voluit, *Hunc verò, quem in hoc opuſculo condendo inſumpſi laborem, tuo fauore tectum in lucem prodire exopto, qui virtutum, & ſcientiarum omnium cumulo coruſcans, fugabis omnia omnium obtrectatorum conuitia, efficiéſque vt hoc opus Medicinæ ſtudioſis vtile, ſit omnibus futurum iucundum; cùm ita his non tantùm placeas, ſed etiam reliquis omnibus, qui literarum ſtudiis incumbunt, vt nullam ſibi ipſis propriam virtutem eſſe putent, niſi tibi teſtatam, & acceptam intelligant.*

Dicatum quoque, editúmque eodem tempore fuit opus à memorato ſuprà Taxillo, continens Iudicium de ea noua Stella, quæ colluxerat ante nouem annos. Verùm Peireskius neque conſilium, neque iudicium probare potuit; quod ille aduerſus meliores auctores, etiam à ſe communicatos, argumentaretur Stellam ſublunarem, ac ſuprema aëris regione non ſuperiorem. Nimirùm ferre non poterat, vt obſeruationibus, demonſtrationibúſque refragantibus, quærerentur argutiæ, quibus opiniones in Scholis inueteratæ ſtabilirentur; tanquam docere nihil dies poſſet, neque experimenta forent ratiociniis vmbratilibus præferenda. Quocircà eodem tempore collaudauit Pacij candorem, qui rogatus ſententiam ferre de Solaribus Maculis Teleſcopio iam obſeruatis, ad deliberandum tempus petiit, conturbatum ſe aſſerens, & ex obſeruationibus nouis hypotheſeis nouas conſtituendas ſentiens.

Sub idem tempus rumor percrebuit de Giganteis oſſibus, quæ in Delphinatu reperta Rex imperauit ad ſe tranſmitti. Ferebant enim detectum fuiſſe lo ſabuloſo quodam

loco, non longè ab ipſo confluente Rhodanum inter, & Iſatam. ſepulcrum lateritium, triginta longum pedibus, latum duodecim, altum octo, cum ſuperpoſito lapide, in quo hæc inſcriptio, THEVTOBOCHVS REX. Addebant, ſepulchro aperto, apparuiſſe intùs Skeleton humanum, longum pedes viginti quinque, cum ſemiſſe; latum ad humeros, ſeu ſcapulas decem; profundum ad thoracem quinque. Cranium obſeruatum fuiſſe quinque pedum ſecundùm longitudinem; ſecundùm verò ambitum, decem. Spectato prodigio per integrum diem, cætera quidem oſſa abiiſſe in cineres; at ſuperfuiſſe, quæ tranſlata nemo non vidiſſet Pariſiis, partem maxillæ inferioris, vertebras duas, portiones coſtæ, humeri, femoris, alterum femur, tibiam, aſtragalum, calcaneum; præter non tranſmiſſa aliquot fragmenta, ac nominatim femoris, itémque duos dentes. Memorabant etiam reperta argentea numiſmata, numero circiter quinquaginta, cum effigie Marij, & in auerſa parte literis MA, nominis ipſius initialibus; vnde & confirmatum volebant ſepultum illeic Theutobochum Theutonum Regem à Mario deuictum, virum tantæ proceritatis, vt Auctores meminerint fuiſſe trophæis eminentiorem, & quaternos, ſenóſque equos tranſilire ſolitum, aliaque id genus.

Porrò vt Peireskius rem vertit in dubium; ita expendit quidnam potuiſſet fabulæ locum facere, idque præſertim, ex quo libellum à Nicolao Habigoto Pariſienſi Chirurgo ea de re conſcriptum pellegit. Ac non hæſit quidem, quin oſſa in ea regione detecta fuiſſent: conceſſit poſſe alicuius vetuſtioris Gigantis eſſe; at cuius eſſe perhibebantur, in animum nunquam induxit. Nam primùm quidem, neque Theutobochus, neque illius ſubditi Latinam linguam vſurpàrunt, vt excitato tumulo inſeriberetur Latina vox; neque Romani, ſi pro ſua illa hoſtili pietate monumentum condidiſſent, illud extruxiſſent ex lateribus (ſigninum certè opus non fuiſſet, quale ad ſepulchra tunc vſui non erat) ſed potiùs, niſi ex marmore, ſaltem ex alio lapide, in quo & ſuæ victoriæ, & pietatis aduerſum hoſteis inſculptæ notæ relinquerentur: cùm aliunde locum delecturi fuiſſent, niſi ſublimem, aut ſaxeum; ſaltem non ita arenoſum, atque lubricum, cuiuſmodi is fuerat; ne facilè obrui, aut ſubuerti poſſet. Mirabatur etiam neque aſſeruatum, oſtenſúmque fuiſſe inſcriptum illum Lapidem, qui Pariſios ſanè fuerat transferendus: neque ſepulcrum relictum fuiſſe vel intemeratum, vel cum inſignibus veſtigiis; vt Dominus illius loci propagandæ oſſium Giganteorum famæ curioſus, videbatur cordi habere debuiſſe. Suſpicionem adaugebat, quòd acceptæ Cranij dimenſiones perhiberentur, cùm id nimirùm ſolidum, nec cinereum exiſteret; & tam citò tamen, aliis oſſibus ſuperſtitibus, exſolutum fuiſſet. Videbantur enim fabulę auctores ſubueriti fuiſſe, ne ex accurata eius inſpectione cõparationéque cum humano carnio poſſet veritas feliciùs exquiri.

Ad Numiſmata quod ſpectaret, dicebat illas literas deſignaſſe non MArium, cuius prænomen C. non fuiſſet omiſſum, neque integrum nomen MARIVS Romanorum more exprimi neglectum; ſed potiùs MAſſiliam, tum Rempublicam, cuius, vt ciuitatis Gręcæ, ea numiſmatum argenteorum forma erat propria, non ipſorum Romanorum. Quoniam verò à paucis annis, neque longè ab eo loco reperta complura huiuſmodi numiſmata fuerant, ipſéque nonnulla ab illuſtri Fretео, cuius eſt ſuperiùs facta mentio, habuerat; eam ob cauſam ſubdubitauit, num callidè, vt tempora, ita loca forent confuſa.

Quòd Theutobochus verò legatur fuiſſe Trophæis procerior, arguere id quidem, fuiſſe illum altitudinis decem, duodecimve pedum noſtrorum vulgarium, cuiuſmodi erant trophæa, quæ in ouationibus, ac triumphis geſtabantur (idque computata geſtantium, brachiorumque elatorum altitudine) cuiuſmodi etiam Heroum exhibebatur ſtatura (ad humanam nempe communem ſeſquialtera) non verò pedum viginti quinque. Sed neque id, quod legitur de Equis quaternis, ſeniſque, ita eſſe intelligendum, quaſi diſtentis cruribus ipſos vnà complecteretur: ſed potiùs, quòd moris haberet ex vno tranſire in alium; hoc eſt, mutare ſæpius equum, tanquam breui ſpatio pondere laſſatum. Argumento eſſe, quòd Florus (à quo id ſcriptum) prodidit illum quaternos, ſenóſque equos tranſilire ſolitum, vix vnum, cùm fugeret, aſcendiſſe; quaſi indicetur non vnà deductam equorum multitudinem, vti deduci moris erat. Denique plura ediſſerebat & de loco victoriæ, & de triumpho, cuius pars, ſeu ſpectaculum Theutobochus fuit, & de nonnullis aliis rebus, quibus euulgato rumori habita fides eleuaretur.

Obtinuit etiam poſtremis annis aliquot fragmenta huiuſmodi oſſium: ſed ex illorum inſpectione confirmatus magis in ſententia fuit, ratus tum demum grandia oſſa, quæ effoſſis ſæpè ſepulcris miramur, eſſe Elephantina; quaſi belluarum Domini illa cara habuerint, aut fortè etiam poſteritati illudere voluerint ex ea ſepeliendorum cura. Opinatus eſt etiam, commonſtrari interdum oſſa, quæ effoſſa fuerint ex arenis, aliiſve locis, vbi caſu quodam fuerint obruta; cùm reperire vix liceat virum aliquem fide dignum, qui ſepulchra fabrefacta oculis ſuis conſpexerit, fidéſque penes illos ſit, qui diuendunt, monſtrant, aut ſe inueniſſe, eruiſſéque profitentur. Heinc optauit ſæpius virum aliquem tam falli, quàm fallere neſcium, in Siciliam nauigare, exploraréque quæ effoſſa non procul Panormo Gigantum oſſa perhibentur, ac ſpecialiter Crania. Sperauit enim fieri poſſe, vt is vteretur ingenua illa voce Suetonij, eſſe Capreis immanium belluarum, ferarumque membra prægrandia, quæ dicuntur Gigantum oſſa Sed hæc iam nimis.

Sequutus annus feralis fuit amicorum il- 1614
luſtrium morte. Accepit enim ex literis Aprili
menſe à Gualdo ſcriptis, obiiſſe & Contare-
num Procuratorem Venetiis, & Lælium Paſ-
chalinum

chalinum Romæ, & Veronæ Nichezolã. Accepit etiam poſtmodùm obiiſſe Auguſtæ optimum Velſerum, die Iunij vigeſima quarta; quo etiam proximè tempore Caſaubonus mortuus in Anglia. Quin ìpſe quoque literis ad Natalitium Benedictum menſe Maïo ſcriptis meminit Ducis Arſchotani, tanquam antè demortui. Meminit aliàs, vt vita functi Heidelbergæ, Marquardi Freberi Iuriſconſulti, & Hiſtorici, cuius amicitiam Velſerus paràrat. Neſcio an alij fuerint; ſed numerare ſolebat annnm ab alio ferali quintum, ereptorum nempe ſibi capitum cariſſimorum iacturâ, numeróque infauſtiſſimum.

Addebat ſibi ſolatio fuiſſe, quòd inire intereà amicitiam licuerit cum aliis Viris oppidò magnis. Vnus fuit Ioannes Franciſcus Vidius à Balneo, Patracenſis Archiepiſcopus, & per ea tempora Auenioneuſis Vicelegatus. Singularis enim deinceps neceſſitudo interceſſit, ſeu donec ille Auenione degit; ſeu cùm eſt verſatus perilluſtris Nuncins tam apud Principes Belgarum, quàm apud Regem Chriſtianiſſimum; ſeu poſtquàm factus eſt Cardinalis raræ, & ſpectatæ virtutis. Alius fuit Franciſcus Savarius Breuius, qui diu fuerat Orator Regius ad portam Ottomanicam, quique tum Roma rediens, vere nouo fuit Aquis-Sextiis; ac ſecum habuit Gabrielem Sionitam ex Marouitis Libani montis, linguarum Orientalium iuterpretatione iam clarum, quicum etiam Peireskius amicitiam contrahere, porróque excolere ſuauiſſimum habuit. Alius rurſùm fuit Guillelmus Catellus, eximium Senatus Toloſani lumen, quicum multa communicauit, ſeu ad ſpecialem Comitum Toloſanorum hiſtoriam, ſeu vniuersè ad Occitaniæ commentarios ſpectantia; quod ipſe etiam teſtatus alicubi eſt, Peireskium *virum doctiſſimum, curioſiſſimúmque* appellans.

Infelicitas alia, quæ illum eodem anno exercuit, morbus fuit grauiſſimus, qui totos duos menſeis ſic Patrem afflixit, vt ipſe, pro amore feruentiſſimo, vix vnquam ab illius lecto, cubiculóve receſſerit. Allenamento intereà fuit, quòd rara nonnulla accepit ex Belgio, ac ſpeciatim iconem Iacobi Metij Teleſcopiorum inuentoris, quam procurauit VVinghemius, quòd obtinuit etiam Arelate expreſſam è marmore nouem Muſarum effigiem; & Monſpelio aliam duarum Muſarum cum Homero in medio, & inſcriptione O M H P . . . & aliqua alia, quæ ſtatim cum variis numiſmatibus ad Natalitium Benedictum miſit. Succidit etiam aliquas horas, quas lectioni cùm deſtinaſſet, inſumere præſertim voluit pellegendæ expendendæque Prouinciali Hiſtoriæ, quam tum edidit Cæſar Noſtradamus. Vt verbum autem adiiciam de illius examine, non prorsùs quidem probauit ſtylum magna parte Poëticum: non etiam fidem habitam commentariis neſcio quibus, aduerſus quos authentica quædam monumenta exſtarent: non aliquos metachroniſmos, & annorum initia Kalendis Ianuarij conſtanter tributa, cùm potiùs ad Incarnationis Dominicæ diem ſpectarent: non antiquam nobilitatem nouis hominibus quæſitam, antiquis verò familiis ereptam, aut præteritam; non aliqua id genus alia. Verùm cùm iſta excuſaret, quòd Author omnia peruidere nõ potis, fidei alienæ ſtetiſſet; commẽdauit pium conſilium, laborémque ſanè ingentem; & candorem plurimi fecit, quo ille maluit Comitum Prouinciæ ſeriem à Gilberto incipere; de quo indubia fide conſtat; quàm à Boſone illo, de quo, ciúſque ad Gilbertum vſque ſucceſſoribus adeò ſunt variantes ſententiæ.

Prætereo autem vt Peireskius etiam ipſi caligini ex ipſa fide inſtrumentorum, actorúmve authenticorum afferre lucem ſtuduerit. Adnotauit enim Rothboldo, qui ante annum milleſimum fuit, ſucceſſiſſe non modò Boſonem (de cuius progenie nibil, præter Rothboldum filium, comperit) ſed alium etiam filium nomine VVillelmum, qui ipſe filium cognominem, & vnà cum Ganzfredo fratre Comitem reliquerit. Succeſſiſſe illi Bertramnum, qui partim cum Gauzfredo patruo, partim cũ patruele VVillelmo regnârit, Bertramno natũ alium VVillelmum, aliumque Gauzfredum, qui Comes etiam fuerit. Et probabile quidem eſſe fuiſſe Gilbertum VVillelmi filium; ſed ad id ſtatuendum non ſuppetere inſtrumenta, cùm etiam Franciſcus Claperius Odonem interiiciat. Quanquam de iſto Odone hæſit, quem ille regnaſſe ſcribit ab anno ſupra milleſimum trigeſimo nono, ad vſque nonageſimum: cùm annis intermediis, vt quadrageſimo ſecundo, ſexageſimo tertio, & aliis regnaſſe VVillelmum, Gauzfredúmque competiſſet; & anno etiam nonageſimo præter Gilbertum, fuiſſe vnà Comitem Prouinciæ Raymundum ſancti Ægidij, qui fuerit fortè filius Gauzfredi.

Prætereo quoque, vt deinceps plurima obſeruauerit, in quibus tam Claperius, quàm Noſtradamus ſint hallucinati. Illi enim, exẽpli gratiâ, fecere Gilberti, & Tiburgidis filiam, non modò Dulciam, quæ Raymundo Barcinonis Comiti nupſit: verùm etiam Phaitidem, quæ Ildefonſo Comiti Toloſæ; vt hac ratione Prouincia inter Raymundum, & Ildefonſum fuerit diuiſa, anno, vt ſuprà attigimus, centeſimo vigeſimo quinto; cùm tamen Phaïtis fuerit potiùs filia Raymundi Sancti Ægidij, Comitiſſæque Aluiræ; adeò vt diuiſione illa idcircò minor pars Prouinciæ Phaïtidi obvenerit, quòd compenſatio fuerit facta cum Ruthenenſi, ac Givaldenſi Comitatibus, quos Dulcia ex Matre Tiburgide tulerat. Fecere illi rurſùs ex Dulcia progenitum alium Gilbertum, & ex hoc Gilberto Stephanitidem, quæ nupſerit Raymundo Baucio; cùm is tamen Gilbertus ſecundus nullus fuerit, & Stephanitis fuerit non ipſius filia, ſed Gilberti illius primi, atque vnici, ac ſoror proinde, & non neptis Dulciæ, licèt non ex Tiburgide, ſed ex vxore alia, ſeu Geriberga, ſeu Franciſca. Plura memorare importunum foret: cùm hæc attigiſſe ſufficiat, ad deſignandum ſtudium, quod Peireskius interpoſuit tum amicorum caſibus, tum paternæ infirmitati.

Patùm

Parùm porrò abeſt, quin ad eundẽ annum referendus ſit ſæuiſſimus morbus, quo conflictatus ipſemet fuit. Videlicet menſe Nouembri Rocca-brunam' profectus eſt, oppidum prope Forum Iulij, vnum ex eorum numero, quæ ſoluendo æri alieno imparia, ipſum fundis redimebant, inſtituta ſpeciali Claſſe Diſceptatorum, & Iudicum, quibus Peireskius erat conſcriptus. Et quoniam conſtituerat non priùs in vrbem redire quàm perfecta eſſent præſcripta negotia; ideò poſtulauit licentiam perſeuerandi à Vario, qui literis variis amore pleniſſimis ſe illius abſentiam ferre grauiter teſtabatur. Poſtulauit etiam à Patre, qui inuitârat illum ad nuptias Suſannæ ſororis, à memorato Seguiranno
1615. in vxorem ductæ, ſequente Ianuario. Ac Interfuiſſet quidem lubens, abſente præſertim Valaveſio, quem Nobilis Prouinciæ ordo ad generalia Franciæ Comitia, Rege iam maiore quatuordecim annis, Pariſios deſtinauerat: ſed valetudini conſulens abſtinendum duxit ab itinere, illa præſertim tempeſtate.

Ad morbum autem vt veniam, regrediebatur ſub veſperam Kalendarum Februarij ex pervetuſtis neſcio quibus monumentis inuiſendis, cùm animaduertit atram nubem ex hiemali ortu ſenſim procedentem; monitúſque vt maturaret, vix maturè ſatis peruenit ad oppidum. Exhalabat illa fœtorem propè intolerabilem; ádeò vt coniecerit exortam fuiſſe ex Strongyle, cæteríſque Vulcaniis, quarum fuiſſent igne commota, perturbatáque interanea. Eadem paulò pòſt, & nocte ſequente eam effudit grãdinis copiam, quæ die altera libertatem incedendi præcluſerit, niſi quà priùs egereretur. Die tertia ſupercidit nix, quæ totam Prouinciam ita occupauit, vt meminerim me tum ex hac vrbe pergentem Aquas-Sextias, fuiſſe treis dies totos ad Valentiolam detentum; tantâ ſcilicet eius copiâ itinera obruta erant. Cæterùm Peireskius ex eo tempore infandis fuit doloribus vniuerſo propè corpore correptus; ſed ad dorſum potiſſimùm, ſecundum ſeriem vertebrarum. Heinc neque lecto decumbere, neque ſedere ad cathedram, neque pedibus conſiſtere potuit. Durabat ſolùm aliquantiſper, cùm duo famuli ſeſe heinc inde ſupponerent, ſuſtentantéſque humeris, ad incedendum adiutarent. Non poſtremus verò ex vigiliis penè continentibus labor; adeò in ſomnum erat proclinis, adeò, quocumque ſtatu eſſet, doloribus excitabatur. Tranſlatus Aquas-Sextias, vix quidquam melius habuit reliquo anni decurſu toto. Caput illi totum nudatum, eóque caſu effectum eſt, vt pro capillis denſis, rigidíſque, quos eò vſque habuerat (ſentiebat nempe inter mirandum, hæreſcendúmque ipſos attolli, ac pileum etiam ſubvehere) rariores ſimul, ac molliores, & ſuborti fuerint, & deinceps perſenerârint.

1616. Et iam quidem accedente vere anni milleſimi ſexcenteſimi decimi ſexti conualeſcere videbatur, cùm ſuperuenêre hæmorrhoïdes, quibus fuit acerbè vexatus. Non morbus tamen ſic diſcruciauit, ac obſtaculum propemodùm factum, ne exhiberet Vario, quod deſtinauerat obſequium. Quippe Varius iam aliquoties à Rege vocatus, vt Nomophylaciæ, ſacróque Sigillo præeſſet, tum demùm in Aulam diſceſſurus erat; ac iam tota Prouincia, vt abeuntem velut parentem proſequeretur lacrymis, Aquas-Sextias conuenerat, cùm morbus ille viſus eſt ſolum Peireskium remoraturus. Laborabat porrò decimum iam diem, cùm Varius illum inuiſens, & valere iuſſit, & clauim, curámque librorum, ac cimeliorum concredidit. Ipſe autem lecto conſurgens, & aliquo-vſque comitari lecticâ volens, tentauit primùm, ſi vel tantillum equitationis patiens foret. Rem ſemel expertus, eam ſibi paulatim virium acceſſionem ſenſit fieri, vt vix pauca milliaria cogitare initio auſus, totum denique iter conficere par fuerit.

Nihil hîc opus commemorare quanto cum applauſu à Rege, ac Regina Matre, & à Viris Principibus, Magnatibus, omnibúſque bonis exceptus fuit Varius, quàm generosè proteſtatus, ſacramentum præſtiterit Regij Sigilli diſpenſandi; qua deinceps conſtantia, integritatéque defunctus fuerit eo munere. Conſentaneum ſolùm dicere Peireskiũ fuiſſe ipſi ſemper ſummas inter curas magnum lenimentum; & quemadmodum cætera, ſic ſpecialiter adnotaſſe, deſcripſiſſéque quicquid illi memorabile accidit. Proximum proinde delegit hoſpitium, vt (quod ſolebat Aquis-Sextiis) poſſet cum ipſo ſingulis diebus & leuiore illa cœna comeſſari, & ſupremis illis horis, quibus ferè ſolis vacabat, congredi familiariter. Conſentaneum quoque referre Peireskium eam ſibi legem edixiſſe, vt nullam vnquam Vario commendaret cauſam, niſi virorum literatorum. Id etiam in Prouincia perquàm rigidè obſeruârat, vetitus ſemper ne foret viro, ſui licet amantiſſimo, importunus. Exceptos autem ſemper voluit bene merenteis de literis, ingenuíſque artibus Viros; tum quia ſibi temperare illorum ergo non poterat; tum quia nôrat Varij genium, qui vt erat æqui ſeruantiſſimus, ita non ferebat cultores Muſarum anfractibus illis forenſium conteſtationum diſtineri.

Heinc patens, magnúmque aſylum Literatis omnibus fuit; quando ad ipſum concurrerunt quotquot in Aula, ac præſertim referenda ad Varium habuêre negotia; nemóque vnquam abiit, cuius patrocinium non fuerit ab eo cum alacritate ſuſceptum. Qui primus eſt ſtatim initio ſollicitudinem illius expertus, fuit memoratus Ioannes Barclaius, qui poſt editum de Summo Pontifice opus, nec iam ſolitâ apud Regem, ſuóſque pollens gratiâ; quam-primùm accepit Peireskium acceſſiſſe Pariſios, ſubduxit ſeſe ex Anglia, & in amici ſinum prorepſit. Ipſe verò non modò illum excepit perhumaniter; ſed egit etiam vt Varius complecteretur, tueretúrque. Diſceſſuro Romam, literis præiuit ad amicos omneis in itinere, effeciéque vt varia exhiberentur officia; ac Maſſiliæ

præſertim,

præſertim, à ſibi affine Balthaſare Viaſſio, inter Latinos Poëtas huiuſce æui celebri, qui illum per aliquot dies detiauit, ac fouit, & apparato nauigio rebus neceſſariis inſtructum dimiſit. Prætereo fuiſſe Peireskio ſollicitudinem non minorem circa Barclaij vxorem, filium, & Io. Ludouicum Debonærum vxoris germanum, cùm quarto pòſt anno profecti Romam ad illum ſunt.

Quod etiam ſtatim in bonarum literarum gratiam peregit, fuit editio Inſcriptionis, quâ Romæ effoſſa ad portam Capenam, continebatur elogium Lucij Scipionis Barbati filij, ob Corſicanam expeditionem. Quippe non priùs ab Aleandro, & Pignorio exemplum habuit, quàm laborauit non leuiter, vt quantum poſſet, illuſtraretur. Exiſtimauit enim vix vllam antiquiorem oſtendi poſſe, aut aliam formâ characterum vetuſtiorem exſiſtere; e conſtructionem Grammaticam à vulgari quidem abhorrere, at ſæcula tamen priſca ſapere; denique edoceri res, ignotas alioqnin manſuras; vt quò referri deberet illud ex Ouidio inexploratum,

Te quoque, Tempeſtas, meritam delubra fatemur,
Cùm penè eſt Corſis obruta claſſis aquis.

Inſcriptio enim ſic habuit, HONC. OINO. PLOIRVME. COSENTIONT. R. DVONORO. OPTVMO. FVISE VIRO. LVCIOM. SCIPIONE. FILIOS BAREATI. CONSOL. CENSOR. AIDILIS. HIC FVET. A. HEC CEPIT. CORSICA. ALERIAQVE. VRBE. DEDET. TEMPESTATIBVS. AIDE. MERITO. Itaque cùm ipſi maximè placuiſſet illa Sirmondi interpretatio, quo probatum eſt Inſcriptionem hanc eſſe anni ab vrbe condita CCCCXCIV. ſicque anno ſolùm poſteriorem inſcriptione Duilliana, ſiue columnæ Roſtratæ, habita hûc vſque pro omnium vetuſtiſſima; idque præter explanationem orthographiæ, phraſeos, rerúmque in ea contentarum; ita nimirùm legendum cenſuit, HVNC VNVM PLVRIMI CONSENTIVNT ROMÆ BONORVM, OPTIMVM FVISSE VIRVM, LVCIVM SCIPIONEM. FILIVS BARBATI, CONSVL, CENSOR, ÆDILIS HIC FVIT. HIC CEPIT CORSICAM, ALERIAMQVE VRBEM; DEDIT TEMPESTATIBVS ÆDEM MERITO: ideò ipſam quoque edi procurauit, ſed tacito tamen nomine Sirmondi, quòd ille, præ modeſtia, referre eam laudem noluiſſet. Enimverò illius nomen Peireskius non reticuit; cùm miſſitatis quoquouerſum exemplaribus, literas ad amicos dedit. Hinc mentionem fecit ipſius Seldenus erudito illo de Dis Syris opere; inſcriptionem ſecum communicatam dicens à Cottono, cùm is habuiſſet, *è Galliis*, inquit, *à Nicolao Fabricio Peireſcio, viro & genere, & eruditione clariſſimo*. Itémque mox antè nominatus Aleander, qui editione Romæ iterata, & additamento facto, reſpondit ad difficultates deinceps obiectas. Cùm porrò, inter cætera, mirum videretur mentionem nullam eius triumphi, quem Scipio egit, fieri; ſubditum ab Aleandro eſt *Vir ſanè perſpicaciſſimus, ac literatorum non minùs, quàm literarum amans Nicolaus Fabricius Peireski Dominus deſiderari meritò ſuſpicatur alteram L. Scipionis Inſcriptionem huic noſtræ geminam. Grandi enim mole ſepulcra apud veteres exædificabantur; neque exiſtimare abſurdum eſt, ab vno quidem latere hoc elogium, ab alio marmor itidem fuiſſe aliud, in quo triumphus memoraretur, ætaſque, & dies obitus, &c.*

Hæc, & id genus alia moliebàtur Peireskius, cùm à Vario, Nouembri menſe, Sigillum repetitum eſt, perilluſtriſque ille vir fuit in priuatam aſſertus vitam. Peireskius porrò, qui in eo, non tam ſplendorem muneris, quàm eminentiam virtutis ſpectabat, noluit vnquam deſerere; indignum ducens facinus, ſi qui perſtitiſſet in proſpera, recederet in aduerſa fortuna. Quanquam teſtari de Viro ſolebat, duxiſſe illum ſemper hunc caſum non infœlicem, infauſtúmque, ſed fortunatiſſimum; vt quo ſolo poſſet exoptatam diu tranquillitatem adipiſci. Quare & magna alacritate reſtituiſſe depoſitum; & redeuntem ex Regia, voluiſſe paullò vberiùs vnà cum Malherbio, ipſóque Peireskio (tanquam negotiis nihil iam interturbantibus) cœnare; & ſeceſſu facto, placidiſſimè, iucundiſſiméque cum libris, amicis, eruditis Viris, conuerſatum fuiſſe.

Fuêre per id tempus Riantienſia negotia 1617.
Pariſiis Toloſam tranſlata; fratérque Valaueſius ſub anni ſequentis initium eam in vrbem profectus eſt. Tametſi verò ipſe quoque illeic deſiderabatur, plurimumque ſuâ præſentiâ expectabatur profuturus: attamen adduci non potuit, vt quantumcumque negotia periclitarentur, dimitteret virum. Nec verò putes illum proptereà rei literariæ dimiſiſſe curam. Siquidem innumeram propè librorum multitudinem ad eruditos partim vltrò, partim requiſitus quoquouerſum miſit; vti in Italiam, ad Pignorium, Aleandrumque, & ad Scipionem Cobellutium, tum primum purpurà donatum, renuntiatúmve Cardinalem, titulo Sanctæ Suſannæ; cui eſt quoque non multò pòſt Vaticanæ Bibliothecæ gratulatus cuſtodiam. In Angliam verò ad Camdenum, Seldenúmque, & alios, qui ipſum ſeriò interpellàrunt, ne literatæ hominum nationi inuideret diutiùs eruditas ſuas in Nummos antiquos, & in Galliam Narbonenſem obſeruationes. In Hollandiam autem, cùm ad cæteros, tum potiſſimùm ad Thomam Erpenium, Arabicæ linguæ Profeſſorem celebrem; adiecit verò libris, literiſque Arabicos nummos, in quorum interpretatione minùs comperta adiutaretur.

Prætereo vt viciſſim multa expetita acceperit; vti ab Aleandro, modulum Congij Farneſiani, cum literis, quibus ille ſcripſit reuocaſſe ſe ad examen aquam Tiberinam, fontanam, & alias; ac poſt multiplicem comparationem, diſcrepantiam in pondere reperire nullam potuiſſe. A Nicolao Alemanno Vaticanæ Bibliothecæ ante annum præfecto, notitiam Poëtarum Prouincialium. Ab Andrea Bruggioto, ſupplementum Indicis MSS. Græcorum, qui in eadem aſſeruantur. A Pignorio, breuiarium vitæ, ac tempus, quo obierat

obierat Ludouicus ille Cornarus, qui ſibi ſua ſobrietate adcò longæuam, viuidamque ſenectutem effecerat: ſcripſit enim ſepultum Paduæ, poſtridie Nonas Majas, anno ſupra milleſimum quingenteſimo ſexageſimo ſexto. A Iacobo Colio, librum, cum excuſatione, quòd non alia illuſtratione ipſius nomen expreſſiſſet, quàm appellando *Nobiliſſimum Gallum*. A Sandero, elogia; à Ioanne Meurſio, varios eius fœtus; à VVillerio, genealogica: à VVinghemio, botanica, & ab aliis alia.

Cœpit etiam ex hoc tempore apparare Notas in Kalendarium Conſtantinianum, quod poſt annos ſeptemdecim Ægidius Bucherus Societatis IESV tranſtulit totum in commentarium Canonis Paſchalis Victoriani, à pagina nempe ducenteſima trigeſima ſexta, ad vſque ducenteſimam octogeſimam octauam. Et non requiro quidem modum, quo obtentæ ſchedæ, & cum Viro eximiè bono, eruditóque communicatæ: hoc ſolùmmoneo, illas aliunde non fuiſſe exſcriptas, quàm ex perraro Codice, qui Peireskij fuit, ac etiánum in illius Bibliotheca aſſeruatur. Egit autem multis de eo tam cùm Aleandro, quàm cum aliis pleriſque eruditis Viris, qui ipſius vulgationem ſummoperè deſiderárant; quoniam theſaurus viſus eſt ingens, corrigendis faſtis, emendandæque tam ſacræ, quàm prophanæ Chronologiæ. Exempli enim gratiâ, obſeruare in eo licet Conſulatum Probi, & Paterni, non fuiſſe in faſtis illis prætermiſſum; qui prætermiſſus ab Onuphrio, illum in errorem vnius anni induxit; neque etiam antecedentem, qui ſimul omiſſus à Baronio, errorem fecit duorum annorum circa Chriſtianam Epochen, vti eſt à Scaligero, & Setho Caluiſio notatũ. Sed ne conſecter id genus alia, obiter exinde perſpicies, quid ſibi eruditus Vir Iacobus Godofredus voluerit, cùm poſt annos vndecim Geographum Anonymum edens, neque Peireskium nominare auſus, ob non impetratam licentiam circa editionem Kalendarij, commutatam ea de re in præfatione Periodum huiuſmodi verbis concluſit, *Si quid intra vnius, aut alterius pagellæ anguſtiam concluditur, non eò minus eſt maximi momenti; cuiuſmodi etiam veteres Notitias, & Conſularia propediem expectamus.*

Hæc inter, dolor infandus fuit, quo mortem excepit amiciſſimi capitis, Iacobi Auguſti Thuani. Vix certè vnquam ſine ſuſpiriis meminiſſe illius potuit, vix vnquam ſine elogio; quippe continuò illum dicens, quem & auitæ nobilitatis decus, & ſingularis erga Deum, Patriam, Principem ſuum pietas, & doctrina eximia, ſummúſque erga literatos, ac probos omneis Viros amor, & inexhauſta bonitas, moréſque candidiſſimi, verè Σιδαρόν reddidiſſent. Solatio fuit primùm nobilis progenies, in qua iam manifeſta erant virtutis paternæ, auitæque ſemina; & maximè quidem in Franciſco Auguſto natu primo, qui vix ingreſſus adoleſcentiam, præ ſe iam ferebat animum Senatorium; & quantum Parẽs calamo ex toto Orbe deſcripſerat, tantumdem ipſe oculis haurire coràm deſtinabat. Deinde commiſſa Bibliothecæ cura nobilibus illis, atque eruditis Petro, & Iacobo Puteanis, Claudij Senatoris Pariſini filiis, proxima cognatione cum ipſo coniunctis; qui, vt literatis omnibus ſemper affulſerunt, & gratificati ſunt, ita ſemper Peireskio coniunctiſſimi extiterunt. Sperauit nempe, id, quod euenit, ipſis eam animantibus, Thuani genium ſuperfuturum; & nobilem Muſarum ſedem, ex ingeniorum lectiſſimorum conſeſſu, & frequentia, quam ipſorum candor, & antiqua fides conciliaret, agnitam fore. Contigit ea mors ſub initium Maij.

Cùm Varius autem ineunte Iunio reſtitutus fuiſſet, ingenti applauſu, ſuo Muneris perſeuerauit Peireskius, neque ab eo abfuit, etiam in Comitiis virorum Notabilium, qui è tota Gallia conuocati, conſedêre Rhotomagi, ſub Nouembris finem. Procurationem in iis egit communis ſui Senatus cauſa (ac potiſſimùm circa ius, vt appellant, annuum, ſeu penſionem, qua Magiſtratuum munera fiũt hæreditaria) vnà cum Viro bono, & collega amico Honorato Agutio, qui ad eadem conceſſerat. Non modò verò aduocauit quicquid in eiſdem conſultum, decretum, peractúmque eſt; verùm etiam, quia ex vniuerſa Gallia ſelecti Viri conuenerant; ideò non commiſit, vt quiſquam rediret in ſuam Prouinciam, quin illum aliquo officio demereri adnixus fuiſſet, & reperitis colloquiis plurima (niſi potiùs omnia) in eius regione ſingularia addidiciſſet. Vnum, quod permoleſtè tulit, fuit mors Nicolai Neouillæ Villaregij, inclyti illius à Secretis Maieſtatis primarij, à quo vnicè amabatur, quíque etiam apud Varium, atque omneis bonos deſiderium ſui maximum reliquit. Habuerat ille magno in pretio Virum eximiæ probitatis, prudentiæque Eliam Deodatum, quem ſanè ipſe quoque Peireskius non potuit ex eo tempore non ſuſpicere plurimùm, non impensè diligere: ſiquidem, præter cæteras doteis, commune illi cum ipſo fuit, nullum non virum doctrina conſpicuum totâ Europâ demereri. Cùm rediret poſteà, ſequente 1618.
Ianuario, tranſire voluit Lexoviis, vt ſuâ induſtriâ temperaret quædam Capituli iura aduerſus Epiſcopum; idque in gratiam Varij, Epiſcopatu recèns donati.

Pariſios reuerſus, nihil potius habuit, quàm Regium ſtemma vindicare à technis cuiuſdam Theodorici Pieſpordij, Archiducibus, ſeu Principibus Belgij à Secretis, qui, imitatus Iacobum Valdeſium, Hiſpanum Conſiliarium, conatus eſt Auſtriam familiam maſcula ſerie à Pharamundo Francorũ Rege deducere, atque idcircò Franciæ Regnum Catholico, ſeu Hiſpano Regi ipſo ſucceſſionis iure vindicare. Videlicet ab anno vſque ſuperiore ediderat ſtemma Habſburgi Auſtriacorum Principum, ſeu Genealogiam Auſtriacam, per nobiliſſimos Haſburgi Comites ex prima Regum ſtirpe deductam; illiúſque exẽplum ante Natalitia miſſum à VVinghemio ad Peireskium fuerat, miſſo priùs alio, ac Regi oblato per Archiducum Oratorem;

torem; quod Peireskius non poterat, tanquam indignum facinus, non iniquo animo ferre. Ad refellendum autem impoſturam, facilè detexit imprimis nullam Chartam authenticam, nullúmque authorem citari centum & viginti annis ſuperiorem; ante id videlicet tempus, quo Trithemius, & alij Maximiliano Imperatori aſſentantes, prolixam illam Auorum ſeriem, non conſentientes licèt inter ſe, pertexere non erubuiſſent. Deinde, cùm Sigebertus Auſtraſius, vnus ex filiis Clotarij Regis à Pharamundo ſeptimi, delectus fuerit, à quo familia Auſtriaca deduceretur; nulla ratione oſtendi potuit integra illius ſucceſſio ad Habſburgicos vſque Principes; quos aliunde Pieſpordius perabſurdè, ac perperàm ante annum Chriſti ſeptingenteſimum vigeſimum ſic nominaret; cùm Habſburgum conditum ſolùm anno ſupra milleſimum vigeſimo ſeptimo conſtet. Argumentabatur etiam Peireskius, quamobrem illi Principes, qui ex Sigeberto orti fingerentur, quíque vixiſſent tum Pipini, tum Capeti temporibus, conqueſti nullo modo fuiſſent iniuriam ſibi fieri, tanquam ex Pharamundi ſtirpe ſuperſtitibus, & ſucceſſione legitima ad Francorum ſceptrum vocatis?

Verùm quia tametſi Comites Habſburgici ſecundùm lineam maſculinam ex Regum noſtratum ſtirpe deſcendiſſent, noverat tamen Peireskius ex actis Murenſis in Heluetia Monaſterij nupertimè editis perſpicuè probari Principes Auſtriacos ſerie dumtaxat fœminea ad Habſburgicam familiam ſpectare, maſculâ verò pertinere ad Tierſteinicam, cuius Pieſpordium, & alios ſuppudere non debuiſſet; idcircò magna contentione, & repetitis literis curauit, vt amicus ſibi, & nominatus iam antè Vicus tum legatione Regia ad eas parteis fungens, dextrè obtineret authenticâ formâ Actorum Exemplum, quod poſſet inferri in Chartophylacium Regium (adeò verebatur ne Autographo ſiniſtri quidpiam contingeret) ac præſertim antiqua illa, quæ præfixa Actis erat Principum Monaſterij fundatorum Genealogia. Re iam in tuto collocata, procurauit ſollicitè iteratam editionem tum Actorum omnium, tum maximè eius Genealogiæ, quàm, ne vnâ quidem ſyllabâ additâ, vel demptâ, redegit in perſpicuum ſchema.

Ex eo autem ſtatim pateſcit VVernerum Comitem Habſburgi, qui obiit anno milleſimo nonageſimo ſexto, filiam habuiſſe nomine ITAM de Tierſtein, ſiue Homberg, hoc eſt, more loquēdi Genealogiſtæ, Rudolpho Tierſteinico, ſiue Hōbergico nuptam, quæ VVernerum genuerit, Patrem Alberti, Auum Rudolphi, Proauum Alberti alterius, Abauúmque alterius Rudolphi, qui fuit eius nominis, & familiæ Auſtriacæ Imperator primus. Et mira ſanè eſt induſtria, qua tam Franciſcus Guillimanous, quàm ipſe Pieſpordius, VVernerum Itæ filium ſic diſſimulant, quaſi ille fuerit non ipſius Itæ, ſed fratris eius filius; de cuius tamen progenie nulla vſquam mentio: vt neque Adelberti alterius fratris, ex quo ſucceſſio Habſburgica ad familiam Tierſteinicam, ſeu Hombergicam tranſiit. Sed nempe aduerſari fidei manifeſtæ non puduit, & ita variè comminiſci, vt Guillimannus quidem fecerit Itam Ottonis ſororem, nurum, neptem; & Pieſpordius ſororem, vxorem, nurum, & ſororis neptem ex VVernero Tierſteinico. Et ſic quidem Peireskius lætabatur ſe præſeciuiſſe anſam adulatoribus illis Genealogiſticis; ac tantò magis, quantò Guillimannus magnam ſe fidem habere dixit Actis illis Murenſibus, ipſúmque Guillimannum duobus annis pòſt delegit Gaſpar Scioppius, quem in ea parte ſtemmatum Auſtriacæ domus ſequèretur.

Non memini porrò, an hæc, an alia ipſi cauſa fuerit inuiſendi Rhemis Capitulare Archiuum, Canonicis diplomate iuſſis aperta ipſi facere acta, & tabularia omnia, exhibere duo quædam inſtrumenta præcipua, magni momenti res continentia. Id memini, habitum ipſum penitioris hiſtoriæ Gallicanæ ſcientiſſimum, ac editum fuiſſe ab eo ſpecimen, cuius, præter ipſum, alios habui enarratores. Cùm enim menſe Martio contigiſſet illa memorabilis Baſilicæ Curiæ conflagratio, ad cuius ſpectaculum vnà cum Iacobo Gilloto Senatore optimo intempeſta nocte accurrit, deduxit eò deinceps quotquot penè erant in vrbe eruditos viros, vt conſiderarent Regias ſtatuas, quæ truncæ ſupererant, cæteris in calcem conuerſis. Et cùm nemo dicere poſſet, cuiuſnam eſſet Statua, quæ etiam ante incendium præfecto vultu fuerat viſa; ipſe ex ſuperante vno loculamentorum, ediſſeruit iam fuiſſe Henrici Angli, quam Carolus ſeptimus mutilare contentus fuiſſet, neque omninò deieciſſet, tanquam locum deſtinans ſuæ alium à loco, quem ſtatua vſurpatoris occupauiſſet.

Nec modò verò ſpecialem illam aduerſus Pieſpordium, & alios nauatam voluit operam; ſed quo affectu proſequebatur, & ſacræ Regiæ Maieſtatis, & Francici nominis gloriā, meditatus eſt ex eo tempore editionem Auctorum omnium, coætaneorúmque præſertim, qui Francorum originem, Hiſtoriámque ſcriptis mandârunt. Tum quia nôrat plurimos adhuc in variis Eccleſiis, Monaſteriis, ac Bibliothecis priuatorum aſſeruari ineditos; conquirendi curam aſſumpſit, & (quoniā ipſi non vacaret:) communicandi cum Andrea Ducheſnio Hiſtoriographorum diligentiſſimo, ipſo quoque ex eo tempore ad id animato. Is apparabat editionē Hiſtoricorum Normaniæ: Peireskius verò, vt ſuam illi ſagacitatem, & diligentiam argumento quodam probaret, quæſiuit, ac obtinuit à Roberto Cottono Anglorum Anonymum, de geſtis Emmæ Reginę Anglorum; tum Guillelmum Pictauinum, quos ipſe breui pòſt adiunxit, teſtatúſque eſt, Camdeni interuentu tranſmiſſos, *Ad virum*, inquit, *Il. & de literis bene meritum, D. Nicolaum Fabricium de Petriſco Regium in Aqui-Sextienſi Prouincia Curia Senatorem, mihi ſummo amicitia vinculo cariſſimum.*

Quoniam verò Fronto Ducæus parabat eodem tempore editionem Codicis Græci, literis maiuſculis ſcripti, magnámque Bi-

bliorum partem continentis ; & ea quidem antiquitate, vt diceretur correctus manu propria Origenis, atteſtantis cum Tertaplis mage vetuſtis fuiſſe collatum : ideò cùm Peiteskius probè meminiſſet exſtare apud eundem Cortonum MS. Græcum pretioſiſſimum, ab vſque Theodoſij temportibus , charactere etiam maiuſculo exaratum, & à Rege Iacobo mille aureis coëmptum ; ideò, inquam, vt ea editio ex collatione fieret completior , ſcripſit , miſitque in Angliam , & fide ſponſionéque data , Codicem obtinuit ; cúmque Frontone communicauit.

Antuninus porrò fuit eius anni , cùm nominatus eſt à Rege in Abbatem Sanctæ Mariæ Aquiſtrienſis in Aquitania. Quam operam eius occaſione præſtari Romæ oportuit, contulere vltrò Cardinales varij, vt Cobellutius, Vrſinius, & (qui poſteà fuit) Marquemótius; ſed nullus tamen ſtudioſiùs, quàm Maffæus Barbcrinus, qui deinceps fuit , ac etiamnum viuit Summus Pontifex. Nempe ex eo iam tempore neceſſitudo interceſſit, excultaque eſt literis , vltrò , citróqua ſæpiùs datis. Occaſionem fecit perelegans Ode à Cardinali in Beatam Magdalenam compoſita, cuius initium , *Innixa pennis verſicoloribus*. Cùm enim Peireskins illius exemplum ab Aleandto accepiſſet, mirificéqoe ea delectatus, applauſum etiam ab omnibus, quibuſcum eam communicârat, eruditis Viris tuliſſet ; impetrauit, eodem Aleaodro intercedente , licentiam , vt typis mandata ampliùs vulgaretur. Diſtractis exemplaribus , placuit iteratò Poëma edere , ſed graodiore forma , vt poſſet & ad Sanctam Balmam (rupem , ac Eremum pœnitentiâ B. Magdalenæ inſignem) & per Eccleſias , ſacelláque reliquæ Prouinciæ appendi Quinetiam rursùs edere viſum, poſtquàm procurauit ab eodem in gratiam S. Ludouici Franciæ Regis Oden contexi , cuius eſt initium , *Obiectu gemini maris* ; & poſt conditas etiam alias, quas obtinete licuit Aleandto , quaſi ſuffurante.

Sub anni finem celebris in Cælo Cometes effulſit, ad quem obſeruandum adhortatus eſt quotquot nouit induſtrios viros. Ipſe deſtiturus organis idoneis, & cùm ſe multùm credere cælo, ob inualetudinem, non auderet, alia ratione non attẽdit, quàm Teleſcopio capitis formam, & diuerſitatem à cauda diſcernens, caudámque ipſam comparans cum Solaribus radiis per feneſtellam traiectis. Lætatus autem poſtmodùm eſt , cùm accepit potuiſſe non verſanteis Aquis-Sextiis paullò pòſt diligentiùs omnia obſeruare. Vt pauca ex iis ſeligam, in illorum gratiam, qui ſcire hæc volent, apparuit Cometes à Nouembris fine in medium Ianuarium; & quia emerſio fuit matutina , idcircò cauda ſurſum nitens aliquot diebus viſa eſt , priuſquàm caput conſpiceretur. Caput fuit ſubpallida ſtella, quantæ ſunt Fixæ primi honoris (ſed non illarum inſtar ſcintillans) rotunda , quà Solem ſpectabat; criſpata, quà erat auerſa. Cauda, ſeu Crines, radiatio fuit tenuior, & paullò candidior, longa initio octãtem Cæli, & lata ad extremum, (quà etiam nõnihil primis diebus verſus Auſtrum deflectebatur) ſextantem propè prolixitatis. Apparitio Capitis prima, quà Scorpius brachia contrahit , fuit ; deſitio , quà Draco Vrſas dirimens, poſtremo loco explicat caudam. Scilicet præter motum diurnum , quo Cometes Siderum inſtar oriebatur , occidebátque , progreſſus eſt etiam motu proprio à Meridie in Boream ; ſed ita tamen , ac ſi cœpiſſet à medio Scorpione , ſecuiſſétve ibi Solis orbitam; cum inclinatione ad occaſum graduum proximè ſexaginta trium. Cùm initio verò is motùs eſſet dietim duorum graduum cum beſſe , factus eſt ſub Nonas Decembris velocior gradu integro ; deincépſque ita decreuit , vt tandem elanguerit ; vti etiam Cauda, quæ fuit illis initiis adeò prolixa , ita ſenſim contracta eſt , vt euanuerit denique vnà cum Capite confuſa.

Peireskius, hac re intellecta, parùm abfuit, quin Keplero aſſenſerit , exiſtimanti illum motum traiectionem fuiſſe rectilineam, quæ facta fuerit proxima nobis , cùm velociſſima apparuit; neque diurna reuolutione impediri potuerit, quaſi ea foret ipſi affiicta ex reuolutione Telluris : aliunde tamen , vt agnouit non eſſe Cometam halitum terreſtrem , ſic perſuadere ſibi non potuit , vel eructatum fuiſſe à Sole, vel concreuiſſe ex aura ætheria. Conceſſit lubentiùs in eam Senecæ opinionem, quæ ſtatuit Cometas non minùs perpetuos, quàm Sidera perpetuò viſa; adeò vt iſte, cùm eſt conſpectus , non recens fuerit genitus, ſed recens apparuerit ; nec interierit exſolutus , ſed ob immenſam longinquitatem videri tandem deſierit. Res tamen ipſi viſa eſt dura, finitum eſſe Mundum perſuaſu ; faciléque ſolùm admiſit , quòd ex obſeruatis demonſtratum eſt , traiectionem Cometæ fuiſſe non modò ſuperiorem Luna , ſed vix etiam Sole ipſo inferiorem.

De directione caudæ Cometæ in plagam Soli oppoſitam, non eſt cur aliquid addamus; cùm præſertim locus nõ ferat, vt edideratur, quamobrẽ ab exquiſita oppoſitione, & nunc quidem ad dextram , nunc verò ad læuam, cum inæquabili quadã deflexione receſſerit. Non eſt etiam cur de præſagiis; cùm non poſtremũ ſit argumentum imbecillitatis humanæ, ad iſta expaneſcere, quibuſcum res noſtræ commercij nihil habent. Mirum , cur ſaltem Deo non credatur, dũ à ſignis Cæli nihil metuendum iubet; ſcilicet ipſe ſigna non faciens, ex quibus non expoſitis, quid futurum ſit, caueri non poſſit. Niſi autem Deus Cometam calamitatum ſignum conſtituat; vnde nã eſſe in Cometa poteſt aut futurorum notitia, aut affectus ſignificandi? Annon ille ſuam pergit viam, vt naturalia cætera; parúmque eius intereſt, quid humanæ gentes inter ſe moliantur? Ac iſte quidem dictus eſt portendiſſe clades poſtmodùm ſequutas : ſed nempe antè non fuerant bella , peſtes, ac Reges mortui? nullæ iam viginti poſt annis excitantur tragœdiæ? Referunt adhuc ad Cometam: verùm etir cur pari iure exorituras referant turbas, quovſque nouus Cometes ſit , qui obliuionẽ iſtius creet, tametſi antè centum annos apparituras non fuerit. Attamẽ digredimur nimis.

Nihil

1619\. Nihil non deinceps egit Peireskius,vt tam ſpecialis, quàm generalis Orbis deſcriptio perageretur. Nam primò, vt ſtudioſè fouit, ſic nõ leuiter animauit Petrum Bertium:tum ex Hollandia primum aduentantem,vt Geographicas illas ſuas molitiones in lucem daret. Deinde,quia tum prodiit illa Orbis Terræ deſcriptio ſecundum ſeptem climata, & Nubienſis Geographia à Gabriele Sionita (qui textum Arabicum eſt interpretatus Latinè) inſcripta;curauit ſtatim Peireskius, exemplo ad Cluuerium miſſo,condi ab ipſo Tabulam, qua locorum ſitus iuxta hanc Geographiam expreſſi intelligerentur. Ad hæc, quia perhibebatur Ioannem Mærium,nauarchum Hollandũ,detecto ſpatioſo,& tranquillo freto ad ortum Magellanici, obſeruatiſque nouis rebus, regionibus,ac populis, circumnauigaſſe feliciter Orbem,nec velle tamẽ,certo conſilio, obſeruatorum narrationem publici iuris facere, idcircò tantùm adiuigilauit, vt à Gulielmo Schuttenio,nauclero præcipuo, Nanigationis totius diarium obtinuerit,quod latinitate donatum edi illicò procurauit. Quia verò Mærius proptereà cum Schuttenio litem inſtituit; ideò de litis æſtimatione dependenda ſecurum voluit.

Neque id porrò obſtitit,quò minùs quidpiam ſimile circa profectionem aliam attentaret. Nimirùm fama percrebuit rediiſſe Hollandorum nauim ex mari Hyperboreo, quæ ſeptem gradus proximè acceſſiſſet ad ipſum polum, ſed nullo tamen modo potuit velificationis ſeriem obtinere. Commendauit autem intereà Nauarchum, quòd quamvis potuiſſet ſe polo, minore cum difficultate, quàm creditur, ſupponere: non feciſſet tamen, quoniam aliàs incertiſſimus plagarum Mundi effectus fuiſſet:nullo quippe iam exſiſtente Septentrione, aut Meridie: nullo exortu, vel occaſu: nullo Magnetis ad ventos vſu,nulla methodo,qua in vnam partem, potiùs quàm in aliam diſcedendum noſſet.

Rurſus, quia nôrat Vincentium Blancum ciuem Arelatenſem longè, latéque peregrinatum; congeſſiſſe quamplurimas rerũ viſarum obſeruationes: idcircò illas quæſitũ miſit,vt (liceret modò per ipſum) dari in lucem procuraret. Obtinuit ergo; verùm attendens omnia ratiociniis infecta, ac ea præſertim opinione,quòd terræ ſuperficies nõ globoſa, ſed plana ſit:eapropter totum negotium erudito viro Nicolao Bergerono cõmiſſum voluit,mandauitque ſeligeret, ac ſuo modo digereret quæ eſſent merè hiſtorica narrationiſque haberent fidem. Suadere deinde conatus eſt Blanco,vt id probaret conſilium:præſtitũ idem in hiſtoriis, ſiue relationibus Pirardi, Moqueti,aliorum:permittẽdum Philoſophis, vt eas quæſtiones diſputent, neque eſſe recitatoris Dogmaticum agere,præſertim contra communem fidem: poſſe quidem ſententiam de Terræ planitie attingi:ſed tamen tanquam à Barbaris creditam, non ab eo defenſam: fore,vt ſi inſtiterit, literatis ludibrio ſit, narrationique aliunde ſuæ,tametſi veræ deroget fidem:integram,& ſinceram laudem ex nuda peregrinationum hiſtoria illi ſuperfuturam: curaturum ſeſe, vt opus dedicetur Regi, aut alij, qui gratè accipiat,ceteráque huiuſmodi: quæ virum tamen ab inſtituto dimouere nunquam potuerunt.

Præterea curauit incidi, excudique denuò Tabulam Chronographicam, ſeu delineationẽ Prouinciæ à Petro Ioanne Põpario ante annos triginta confectam. Cùm forma, elegantior licèt,nihilominùs non placeret, effecit,vt Iodocus Hondius eandem biennio pòſt iteratò ſculpſerit;qui adhuc non modò in eo diſplicuit, quòd reticuerit Bompatij nomen: ſed in eo etiam maximè,quòd editiones alias imitari maluerit,in quibus gradus latitudinis præter verum deſignantur. Nã Aquis-Sextiis, exempli gratiâ, adſcribitur gradus quadrageſimus ſecundus cum beſſe,cui debetur quadrageſimus tertius cum ſemiſſe, & vno, alteróve minuto præterea. Heinc fuit ille ſemper in votis Tabulam nouam conſtruere,quæ adhibitis nouis obſeruatis, dimenſionibúſque magis exquiſitis, exhiberet ſingula loca, tam cum Cælo, quàm inter ſe ad amuſſim conſonantia: verùm inſtituto fata obſtiterunt.

Poſtremò,quia mirè illum delectauit,quod Ioannes Baptiſta Morinus,cuius iam antè meminimus, quiſque deinceps inter Profeſſores Regios Mathematicos meritò iuctatuit, de ſua illa in Hungaticas fodinas peregrinatione aliquoties commemorabat; ideo auctor fuit,vt eam Relationem ſcriptis mandaret,ac ederet. Id autem ille præſtitit; ſed præmiſſa Mundi ſublunaris Anatomia, qua euincere eſt conatus,vti aër in treis regiones diſtribuitur,ex quibus ſuprema ſemper calida, media ſemper frigida, infima nunc calida, nunc frigida eſt; ita terram in treis diſcerni, quarum infima ſemper frigida, media ſemper calida, ſuprema, aëri contigua nunc illo caleſcente frigeat, nunc frigeſcente caleat.

Non fuêre illi hæc ſtudia ſatis; ſed variis præterea officiis commendatos virtute Viros demereri conatus eſt. Quid memorem enim quòd Pacium ex hoc tẽpore pro ipſius votis Catholicum factum,ac iam exoptantẽ redire in Patriam, donari curauit profeſſione Iuris primaria in Academia Patauina,vt etiam cùm idem Valentiam repetere poſt biennium voluit, acceſſiri ipſum procurauit per literas à Delphinatus Prorege ac Præſide primo,iuſſu Regis ſcriptas? Quòd cùm Philippus Iacobus Mauſſacus magnum Senatus Toloſani ornamentum nactus fuiſſet iam memoratos Iulij Scaligeri in Ariſtotelis hiſtoriam de Animalibus Commentarios, ipſum non parùm animauit,vt eos cum Notis ederet;neque ſegnis fuit, vt iam editos ad omneis viros per Europam eruditos tranſmitteret, vti ad Aleandrum, Pignorium, & alios? Quòd Barclaij operâ vſus,exſcripta habuit ex Vaticano Codice Erotica varia, in gratiam Gilberti Gaulminij, inſignis bonarum literarum luminis: cùm accepiſſet ea deeſſe in Theodoro Prodromo,tum breui edendo ex Salmaſiano Codice;vt ille quoque teſtatus eſt in præfatione ad lectorem? Quòd exemit variis varios ſcrupulos, vt Pompejo Paſchalino de Patrui defuncti Caneis; vt Thomæ Erpenio de

Sartacenica hiſtoria,ac huiuſmodi alia multa.

Inardeſcebant tum ſtudia inter memoratum aliquoties pereruditum Iacobum Sirmõdum,& Claudium Salmaſium,illud aliud humanioris literaturæ decus eximiũ,circa quæſtionem celebrẽ, cui ab vno anuo locum dederat Iacobus Gothofredus duabus Diſſertationibus de Suburbicariis regionibus, & Eccleſiis, ſeu de Præfecturæ, & Epiſcopi vrbis Romæ Diœceſi,coniecturâ.Et quouſque quidem ea conttouerſia proceſſerit; quàm multi vtrimque eruditi Viri ſymbola ſua contulerint, teferte haud eſt huius loci. Dico ſolùm Peireskium omni cura allaboraſſe, vt, quod eruditos decebat,res leniter peragetetur.Certè cùm ipſe quoque Aleander ſe interpoſuiſſet, miſiſſẽtque Romà ea de re Tractatũ, qui ederetur Pariſiis, vix id probare Peireskius potuit:& cùm vrgeretur,editionem procurauit quidem: ſed temperatis priùs quæ ille de Conciliorum,Pontificúmque auctoritate attigerat, quæque aduerſus ſententiam improbatam reſperſerat paullò acerbiùs.

Eadem libertate,vt aliquid attingam, vſus eſt aduerſus Barclajũ, qui Argenidi intexuerat neſcio quem Dialogum paullò liberiorem. Accepit nempe ſub idem tempus magnã operis eius partem, quam mandari typis curaret. Et Barçlajus quidem in illo, tam ipſi, quàm Vario certam deſtinauit perſonam; at Peireskius,laudato affectu,maioris longè duxit, gratiorémque habuit, quam ſe illi debere,dixit,Virginij Cæſarini,bonis literis, artibúſque excultiſſimi Viri amicitiam, acceptis eius literis,elegãtiſſimíſque Elegiis. Sed Barclajus nempe laudandus, qui quocumque potuit modo eſt gratitudinem teſtatus;veluti rursùs, cùm exceptâ per id tempus Romæ familiâ, Elegiam texuit nomine vxoris, in qua hæc, præter cætera,

Vera loquor, multum, diuine Viaſſie, inuit,
Quò fugerem luctus, tunc meminiſſe tui,
Ingentiſque Viri ſeruent quẽ Numina Gallis,
Peireſij; nihil, hoc ſoſpite, triſte dabunt.
Ingenium ſpectes, credas de Pallade natum:
Virginis hæc quàm ſic ponere nomen amet!
Quicquid erant Muſæ, quicquid Prudentia quondam;
Hunc vnum Gallis ſcilicet eſſe putes.
Viuat, amétque meũ, rata ſint ea pacta, maritũ:
Viuat, & in laudes creſcat ad vſque ſuas.

1620. Atque hæc quidem anno iam ſexcẽteſimo,ac vigeſimo;cuius ineunte,ac ruente vere, ſtranguriâ,aliíſque morbis ita laborauit,vt nõ ſine magno animi dolore præpeditus fuerit,ne ſequeretur Varium, cùm Rex æſtatis initio ad ſedãdum Normaniæ, Prouinciarúmque aliarum turbas; ac poſteà etiam in Aquitaniam, Bearniámque diſcederet. Conualeſcens,accepit Genuâ à Pio Mutio literas,quibus certior effectus eſt, nonnullas adhuc Pinellianæ Bibliothecæ reliquias exſtare. Scripſit enim ille reperiiſſe ſe quinquaginta duas orationes Themiſtij, quæ ſeruatæ ex illa fuiſſent, quæque editæ nõ repetirẽtur, etiam inter euulgatas ante duos annos à Dionyſio Petauio, viro, quo neſcio an habeat erudita IESV Societas doctiorem. Id ad ipſum retulit ſtatim;& cùm offendiſſet meditantem iam opus illud ingens de Doctrina temporum, quod paucis pòſt annis in lucem emiſit, non pauca, eius occaſione, in gratiam Scaligeri, amici quondam ſui, diſſeruit.

Circiter id tempus, ſpectauit curioſiùs Sacelli Baſilicæ, ſeu, vt vulgò indigitant, Sanctæ Capellæ Gazophylacium. In rariſſima autem illa, pretioſiſſimáque ſuppellectile, Cimelium detexit omni pretio maius, Cameum videlicet, ſiue Achatem Oriẽtalem, Sardonychémve Arabicam, amplitudine Pariſienſi, ſeu Regio pedi exæquatam; in qua ſculptæ viſerentur miro artificio viginti quinque figuræ, omnes candore eminentes, & in nigro æquore flauedine quadam ſubobſcura interſtinctæ. Exornata illa circum fuerat Chriſtianis figuris,& epigraphis à Græco quodam Imperatore: adeò vt cùm Balduinus eam oppigneraſſet D. Ludouico, ac poſtmodùm tandem veniſſet in manus Caroli Regis, nomine quinti, & crederetur ſacram quandam continere hiſtoriam; in eum Theſaurum, quaſi Donarium religioſum, fuerit illata. Peireskius porrò, cùm rem ſpectaſſet, & ad figurarum conditionem attendiſſet, cognouit potiùs prophanam quandam repræſentari hiſtoriam; & quantum coniecturis potuit aſſequi, credidit eſſe Apotheoſin defuncti Auguſti.

Eam nuper Ioãnes Triſtanus Santamãrius, rerum antiquarum eximiè peritus, ære inciſo exhibitã in ſuos inſeruit Cõmentarios. Teſtatus eſt autem ſe primã illius notitiam hauſiſſe ex Peireskio; præfatus *virum rara adeò, exquiſitaque eruditionis, vt omnem ſuam commendationem inferiorem cenſeat ea claritate nominis, qua totâ Europâ euaſit illuſtris.* Scribit deinceps ſe prima vice in comitatu Peireskij ſpectaſſe hoc rarũ antiquitatis monumẽtum, occœpiſſéque cõiicere, ecquid rei repræſẽtaret. Quãdoquidem verò temporis progreſſu circa nõnulla capita à Peireskij mente deflexit, contigitque, vt aliquoties diſſerentem ea de re τ *μαντεία* audierim; ideò rem ingratam fortaſſis non faciam, ſi præcipua quædam interpretationis diſcrimina heic attigero, in illorum gratiam, qui rem totam ſtudioſiùs examinaturi Achatem ipſum, aut ectypum, memoratumve habuerint librum.

Ergo, quẽ Santamantius interpretatur eſſe Iouem, ſuccedente Ænea; Peireskius eſſe cẽſuit Auguſtum, Deæ Romæ ope elatum in cælũ;& quem ille vult eſſe Auguſtum; ipſe interpretatus eſt Marcellum equorũ amantem, quem fata terris ſolùm oſtendẽre, innuente Roma, quod ab illo recuſabatur Orbis imperium, tradere ſeſe Tiberio proximè ſuppoſito. Et certè, ſi attendas ad prototypum, quatenus certè ectypi illum referunt, adoleſcentis potiùs, quàm ſeneſcentis vultum agnoſces. Sic quem Peireskius ſub Marcello exiſtimauit eſſe Druſum Tiberij filium, manu verſus Iouem extenta, tanquam poſtulando, poſt patrem, imperium; autumat Santamantius eſſe Numerium Atticum, contemplantem, atteſtauiſſémque fuiſſe Auguſtum raptum in cælum: Et quam aſſidentem Druſo Liuillam vxorẽ ille cenſuit; cenſet hic eſſe poſſe Iuliam

Auguſti

Auguſti filiam in exilium actam; vt credidit illum ad dextram Iouis eſſe Druſum Tiberij fratrem; quem potiùs Iulium Cæſarem Peireskius eſſe exiſtimauit. De Germanico, Agrippina, Caligula, diſcrimen nullum; imò nec de Tiberio; niſi quòd Peireskius veſtem Imperialem ſerpentibus circumdatam eſſe dixit Ægidem Iouis; appellauitque lanceam ſine ferro, ſceptrum prælongum. Sic cenſuit Antoniam Germanici matrem, quam Santamantius Liuiam; & contra Liuiam eſſe putauit, quam Santamantius Antoniam. Sed hæc obiter.

Ceterùm Peireskius ita exſultauit, ob præclarum adeò Cimelium repertum, vt non modò ad intuendum & Santamantium, & cæteros, quotquot erant Pariſiis, curioſos viros inuitârit; ſed etiam de eo literas ad amicos in Angliam, in Germaniam, in Italiam, per totam Galliam dederit. Scripſit autem de eo præſertim ad Petrum Paulum Rubenium Antuerpienſem, Pictorem celeberrimum, & totius antiquitatis, ſed Cameorum imprimis ſtudioſiſſimum, peritiſſimúmque, qui dicto citiùs exſiliit, vt rem ſpectaret cominùs, & exprimeret coloribus viuis. Tulit autem Peireskius, Cimeliſque vice nobilem habuit effigiem, præter ectypos varios ſulphureos, gypſeos, chartaceos, quos ex Achate ipſo expreſſit.

Adiiciendum verò, quòd prætereà, non ſine quodam numine, ectypum ſulphureum obtinuit Camei alterius, in ipſo Imperatoris Cimeliarchio aſſeruati. Achates eſt ſimiliter, ſed ſuperiore nonnihil minor, quem Philippus Pulcher Piſſiaci monialibus legauerat (cùm habuiſſet ipſe ab Hieroſolymitanis Equitibus, illum in Palæſtina nactis) quémque per bella ciuilia furto ſublatum, Mercatores quidam detulerunt in Germaniam, ac diuendiderunt Rudolpho ſecundo duodecim millibus aureorum. Expreſſus autem fuerat, aſſeruatúſque ectypus, quem neſcio qua ſorte Peireskius fuerit aſſequutus. Neque verò ectypũ modò, ſed germanam etiam picturam conſequutus eſt, elaboratam iampridem celebris illius Nicolai pictoris manu, cuius egregia opera in Fontis Bellaquei xyſto inſpectantur. Prætereo autem eius figuras ita eſſe interpretatum, vt opinatus fuerit illis deſignari Apotheoſin viuentis Auguſti. Quippe, vti apud Ioſephum legitur factus ab Herode Cæſaris Coloſſus, forma, ac magnitudine Iouem Olympium referens, itémque alius Romano par, referens Iunonem Argiuam: ita videtur in his figuris repræſentari Auguſtus habitu Iouis Olympij, vnà cum Dea Romana habitu Iunonis Argiuæ: apparéntque aliunde Iupiter & Iuno abeuntes, locum cedere; itémque Signnm Scorpij contrahere brachia, cæteráque briuſmodi.

Laborauit quoque deinceps infeſtiſſimo oculorum morbo. Sed vt prtuſequamur quàm multa propterea non deſtiterit per hæc interualla morborum moliri, curauit ecce æri incidi elegantiſſimas figuras, quibus illuſtraret librum à Rege Renato Comite Prouinciæ de Torneamentis conſcriptum, ac editioni deſtinatum; idque poſtquam obtinuit à Ioanne Iacobo Chiffletio Veſuntino, Medico claro, aliud de Torneamentis volumen. Meminit huius curæ Andreas Fauinus in libro Theatri honoris, ordinúmque Equeſtrium tertio. Reſumpſit & curam memorati ſuprà Conſtantiniani Kalendarij, de quo proinde ſcripſit ad Schilderum Cameracenſem Canonicum, à quo illum habuerat; ſimúlque ad Franciſcum Carōdeletium, eiuſdem Eccleſiæ Decanum, qui eximia rerum bonarum curioſitate tenebatur. Sollicitus fuit de variis rebus, quæ aſſeruabantur in Muſæis Ducis Arſchotani, & nominati mox Rubenij: ea verò in re fecit illi ſatis Ioannes Gaſpar Geuartius, celebris, &, ſi quiſpiam alius, germanus Muſarum alumnus, quicum amicitia non leuis fuerat Pariſiis iam inita. Prætereà ſingularia quæque cum Rambervillerio Vici commorante numiſmata communicauit; ne viciſſim commemorem ipſum Rambervillerium nihil prorsùs habuiſſe in pretioſis loculis, quod non fecerit cum ipſo commune.

1621.

Anni inſequentis primo ſtatim vere ampliùs, quàm menſe decubuit: adeò vt neque diſceſſurum iteratò cum Rege Varium comitari potuerit; neque Hugoni Grotio, tum primùm in Galliam appulſo, quàm multa, magnáque officia deſtinauerat, exhibere: ſcilicet tanti illum ducebat, vt in vicem Scaligeri aſſertum Galliæ diceret. Prætereo autem, cùm Grotius deinceps ſeſe ad ſcribendum hiſtoriam ſuorum temporum compararet, communicaſſe cum illo Peireskium tum monumenta varia, tam priuata, quàm publica, quæ fuêre ſibi præ manibus; tum complura, quæ ex Italia repetita obtinuit, nominatim verò ab Antonio Querengo docto, & magni nominis viro, ad quem multa fuerant ex Gallia tranſmiſſa, conſcripturum Ducis Parmenſis, ſeu Alexandri Farneſij geſta. Tranſiit ſub id tempus Pariſiis memoratus ſuprà Vicelegatus à Balneo, Pontificis Nuncius deſtinatus in Flandriam; qui cùm vellet ſingularia quæque in vrbe ſpectare, ſed tamen quaſi incognitus, commodùm profectò conualuit Peireskius, qui ipſũ variè deduceret ad eruditos, ad Muſæa, ad opera omnia rariora; ac inſigni alacritate præſtaret vnus officia, vix à pluribus ſimul exſpectanda.

Atque id quidem menſe Iulio: ſequutus eſt verò Auguſtus, quo luctuoſiorem non habuit. Eo nempe mortuus eſt Varius, cui per octiduum laboranti non potuiſſe ſuprema quæque exhibere obſequia, moleſtiſſimum ſanè fuit. Obiit autem vir ille magnus Tonini Nitiobrigum, in obſidione Cleracenſi, tertia dicti iam menſis die, ingenti Galliæ totius luctu. Quàm verò ſpeciatim percuſſus eo caſu fuerit Peireskius, nihil eſt neceſſe commemorare: quippe perſpecta iam indoles, vehemenſque amor, & diuturnus cultus, quo proſequutus virum fuerat, vel me tacente, ſatis inſinuant. Meritò ſanè quotquot penè de Varij morte condidêre carmina, nuncupauêre Peireskio: nemo enim fuit vt afflictior, ita conſolatione dignior. Fuêre

iñ iis Hugo Grotius, qui ſic illum affatus eſt,

Quòd tu, qui nuper Regni moderantibus omne
Arbitrium curis dulce leuamen eras,
Morte ſuper cunctos fasceis exſtantis amici
Attonitus, tanquam propria damna doles,
Optime Pireſi, tanto indigniſſime caſu,
Inuidet hunc luctum Gallia tota tibi;
Atque in communi Mundi, Patriaque dolore,
Præcipuas parteis vnius eſſe vetat, &c.

Itémque Petrus Bertius, cuius hoc inter cætera,

Si, Peireſce, tamen ſic placuit Deo,
Quid mœsti querimur? quin potiùs modum
Leſſo figimus, & nos quoque, cùm vocat
Sors noſtra, has patimur vices?

Alios vt mittam; dico ſolùm, cùm Peireskius in eo incubuit, vt honores Viri virtuti, dignitatíque debiti, & decernerentur, & exhiberentur; egiſſe id illum, & quòd foret vous ea tribus ſupremorum mandatorum Curatoribus (legatis ſimul Cimeliis, quæ fuêre maxima ea parte nomiſmata Gotthica) & quòd non poſſet ſatis pro votis erga eius Maneis teſtari affectum.

Caſum iſtum fuit conſequutus alius, quem etiam ægerrimè tulit. Obiit enim Romæ Barclaius, eodem penè tempore, quo in caſtris Varius: adeò vt illum Peireskius tum elatum acceperit, cùm ab eo conſolatoriam, epicediúmque exſpectaret. Vrgebat tum fortè Peireskius, vt editioni Argenidis extrema manus imponeretur: quare, inter cætera, doluit viſam abſolutam Auctori non fuiſſe. Conſolationi alicui fuit, quòd præhabuiſſet illius elegantiſſimam iconem: ſubſcribi autem ipſi voluit carmine elogium, ex eiuſdem Grotij vena diuite, quod ad ipſum quoque Debonerum miſit. Non fuêre caſus iſti ſatis; ſed ſuperuenit breui mors alia, quam ægerrimè etiam tulit. Ea fuit Henrici Lotharingij, Meduanij Ducis, qui die Septembris decima ſexta Montalbani occiſus eſt. Amor illius erga Peireskium fuerat vehemens, & candoris plenus; vnde voluerat, ſuamet ſponte, Abbatiam Aquiſtrienſem ſartam, tectámque facere; in ſeſéque recipere & fundorum, & hominum, per ea bella, protectionem.

Cùm renunciata hæc mors fuit, laborabat Peireskius octauum iam diem dolore renum, ac ſtranguria; ſub cuius initium non potuit id Prodigium perſpicere, quod non in ipſis modò caſtris, ſed Pariſiis etiam, & per totam Galliam, alibíque viſum, ſtuporem creauit. Claritas nempe inſignis fuit; quæ nocte ſequente diem duodecimam, Borealem cæli faciem ita occupauit, vt auroram clariſſimam per multas horas fuerit mentita. Id ſanè mirum; ſilente Luna; ſed mirabilius viſum eſt, vaporem ea regione fuſum, & ad polum vſque euectum, ſic fuiſſe diſtinctum in quaſdam veluti columnas albeſcenteis, & ſubobſcuras, alternatim ſitas; vt cùm horizonti ad amuſſim forent, promouerentur lentiſſimè ab Oriente in Occidentem. Denique miraculo fuit, ex albeſcentibus attolli, breui ſpatio, ad verticem vſque pyramides quaſdam, ſiue obeliſcos valde candidos; ipsiſque conſiſtentibus, traiectos vapores, vt tenuiſſimos, ita candidiſſimos, motione adeò celeri, vt fulgetra imitarentur.

Hæc attingo, quia Peireskius lætatus eſt, rem fuiſſe nobis obſeruatam; factúſque exinde eſt certior, nihil aliud fuiſſe, quam Naturæ luſum, quem apparatum bellicum, aut Ideam exercitus multi fuerant interpretati. Addiderant ſanè nonnulli viſas ſibi inſtructas acies, incedentibus peditum, equitúmque ordinibus; ac poſtremò viſum conflictum, cum exploſione globulorum è tormentariis fiſtulis. Mirum, quòd non ſimul clangorem tubarum; clamorémque virûm auditum deprædicauiſſent: quando eadem credulitas, infirmitaſque humana eſt, quæ his figmentis locum facit. Credibile profectò eſt, niſi omnia, at bene multa, quæ in hiſtoriis ſimilia extant, ex eadem eſſe origine; neque ampliorem fidem mereri.

Ad lugubreis illos euentus vt redeam, nihil eſt quòd memorem de morte Cardinalis Bellarmini, quæ ſub idem tempus Romæ contigit. Quippe licet eâ inauditâ Peireskius nonnihil conturbatus fuerit, conſolationem tamen cepit ex opinione præhabita, & ſubſequuta ſtatim fama admirabilis ſanctitatis. Attexenda eſt potiùs, quæ virum eximiè conſtantem exanimare penè potuit, nunciata Pauli Gualdi mors, quæ contigit menſe Octobri. Ea nimirùm fuit æſtimanda ex habita vſque apud Pinellum conſuetudine, & ex officiis variis, literiſque ſuauiſſimis ſupra vicennium communicatis. Miſerat ad illum Peireskius mox antè, cùm varia Teleſcopia, tum vitra Microſcopica, non ita pridem adinuenta à Cornelio Drebelſio, ipſo quoque Alcmarienſi, & Regi Britanniæ à Mechanicis. Quia porrò Gualdum ipſum tandio, tantoperéque amauerat; cariſſimos propterea habuit illius ex fratre nepotes, Ioſephum Archipreſbyterum, & Ioannem Baptiſtam Equitem; hóncque imprimis; qui ſede Romæ delecta, vt rerum bonarum fuit ſtudioſiſſimus, ita illarum promptuarium cumulatiſſimum apparauit.

An heic adiiciam non proprium quidem, ſed lamentabilem tamen caſum, cui intereſſe eum contigit? Is fuit incendium memorabile ſublicij illius, ac gemini Pontis, ſuperexſtructarúmque ædium, quibuſcum opes argentariorum, ſericeorúmque Mercatorum aut exuſtæ ſunt, aut ſubmerſæ. Ille certè & promptus accurrit, & magno dolore ſpectauit, & ſollicitè deſcripſit quicquid infandâ illâ ignis vehementiâ patratum eſt. Dicere autem ſolitus fuit; ſe quovis pretio redempturum pictam tabulam, in qua illæ eructationes, moléſque flammarum exhibitæ forent. Siquidem nihil æquè horrendum fuiſſe à Nerone ſpectatum; quod tota penè materies ardens heic eſſet mera lignorum ſtrues: cùm ſuccenſa illa ſpectante Nerone ædificia lapidea fuiſſent, neque fluctus, aut gurgites adeo immenſi ſuppoſiti.

Poſthæc,

Poſthæc, ſubiit illum quidem cogitatio
redeundi domum; ſed ſenſim tamen pro-
craſtinauit in vnum, alterúmque annum.
1622. Commiſſam tulere per ea tempora Sigilli
ſacri cuſtodiam tum non poſtremus amico-
rum dictus ſæpè Mericus Vicus, tum Ludo-
uicus Faber Caumartinius, quorum vterque
eius affectus, quo Varius illum proſequeba-
tur, videri hæres voluit. Perſeuerauit quo-
que gratus, carusque ærarij Præfectis, eó-
que maximè nomine, quòd ſibi nihil poſtu-
lans, intercesſorem ſolum egit Virorum bene
meritorum. Deinde finem nunquam fecit
mittendi quoquoverſum libros. Quamob-
rem Camdenus præ aliis, *Par eſt*, inquit, *tibi
de tua munificentia, & optimorum librorum
tanta ſupellectile gratias agere cumulatas.*

Ad Seldenum cùm mitteret, rogauit
ipſum aliquando, vt, vel ſui causâ, obſer-
uaret ſitum Eccleſiarum Angliæ, an nempe
ingredientibus conſtitutæ forent verſus Or-
tum, & reſpectarent-ne Æquinoctium, an
Solſtitiorum alterum. Rem videlicet dignam
iudicârat, quæ exploraretur; ad examinan-
dum, vt puto, num maiores noſtri direxiſ-
ſent potiùs ad ortum hiemalem, quàm ad
alium; quòd iuxta antiquam Eccleſiæ ob-
ſeruationem, traditionémque, Chriſtus Do-
minus, qui dicitur Oriens, natus fuerit Sole
verſante in hiberno Tropico. Res profectò
ipſi non malè Pariſiis iam ſucceſſerat, cùm
exploratione facta per Iacobum Allealmum
celebrem Mathematicum, deprehendiſſet
omneis veteres Eccleſias ab Æquinoctiali
exortu verſus hiemialem deflectere, exceptâ
ſolâ San-victorina, quæ deflecteret in æſti-
uum; & nulla habita ratione San-benedicti-
næ, quam Biſtornatam hærebat dici, quòd
fuiſſet ſeu bis, ſeu malè conuerſa.

Procurauit ad hæc complura Viris erudi-
tis Manuſcriptorum exempla; ac nomina-
tim ex Bibliothecis Eſcuriali, & Vaticana:
ex quibus habuit, præ cæteris, exemplum
Syncelli cuius copiâ adiutauit virum erudi-
tum Ioannem Baptiſtam Altinum, qui tum
operis interpretationem, editionémque mo-
liebatur. Cúmque ea occaſione miſiſſet ad
Alemannum ichnographiam exquiſitam por-
ticus Sanctæ Genovefæ, pluriúmque alio-
rum locorum, accepit rurſùs pro eodem
Altino exemplum *ἀνέκδοτον* Procopij, eo ani-
mo, vt ederentur. Obtinuit etiam tum ex
Vaticana, tum ex Ambroſiana Mediolanenſi
exempla quædam Africani, aliorúmque Ta-
cticorum, in gratiam Ludouici Machalti
Viri ſtrenui, auctorúmque Militarium, &
Mathematicorum ſtudioſi. Is eſt, cui Pei-
reskius pulchro quodam diagrammate de-
monſtrauit modum multiplicandi ſpecies
vnius, einſdémque rei, inter duo ſpecula à
ſe inuicem lateraliter declinantia.

Rurſùs, cùm Nicolaus Bergerus Rhe-
menſis ſcriberet Gallicè hiſtoriam publica-
rum Romani Imperij viarum, quas *βασιλικὰς*
Græci vocant, teſtatus eſt in præfatione *in-
dicatam ſibi à Peireskio itinerariam Tabulam
operi ſuo pernoceſſariam.* Ea verò eſt, quam
M. Velſerus ex Peutingerorum Bibliotheca
eruit (editis priùs, & commentario illuſtra-
tis ſchedulis duabus, fælici quadam ſorte re-
pertis) quámque Abrahamus Ortelius poſt
deſideria longa obtinuit, & Ioanni Moreto
euulgandam primùm reliquit, Petruſque
Bertius, non ſine Peireskij conſilio, Ptole-
mæo ſuo appoſuit. Inſuper varia fuère offi-
cia, quæ pleriſque exhibuit. Veluti Ioanni
Mocenico, cui cimelia rariſſima fuerant
Venetiis furto ſublata: Claudio Menetrio
Veſontino, rei antiquariæ ſtudioſo, & à
Chiffletio literas habenti; Kuffleto cuidam
Drebelſij affini, & Microſcopicæ fabricæ pe-
rito, pergenti in Italiam: & aliis oppidò
quam-multis.

Inierat iam annus alius, erátque Februa- 1623.
rij dies duodecima, cùm Cancellarium Sil-
lerium inuiſens, coronámque virorum illu-
ſtrium, eruditorúmque offendens, admonuit
Niuem decidere, quæ ſexangula, ſeu ſtella-
ta foret. Re obſeruata, omnibuſque quaſi
prodigium habentibus, ediſſeruit rem eſſe
magis, quàm crederetur, familiarem. Sci-
licet aliquoties per ſingulas hiemes ningere
ſimilibus ſtellis: ſed neminem aduertere, tum
quòd plerumque ex ſtellulæ in floceulos
quoſdam inconcinnos abeunt, tum quòd
decidentes ſolitariæ, vel humeſcentes citò
euaneſcunt, vel commiſtæ citò cófunduntur.
Ac mirabilem quidem eſſe contexturam il-
lam ex virgulis tribus ſeſe interſecantibus,
adeò vt appareant ſex radij ex vno quaſi cen-
tro prodeuntes: ſed mirabile minùs non vi-
deri, radios illos nunc eſſe nudos, nunc
quaſi foliatos, arboreſcenteiſque, nunc
quaſi inſertos in modiolum, aliaque id ge-
nus, quæ ab amico acceperat. Illum fuiſſe
aliàs conatum cauſam reddere, tum cando-
ris Niuis, ex bullulis lucem reflectentibus;
tum formæ ſtellatæ, ex ſex triangulis æqui-
lateris, in quos circularia ſponte naturæ
conformantur: ſibi verò nihil viſum proba-
bilios, quàm creari, formarique Niuem ex
ſeminibus propriis; vt lapidum quoque va-
ria genera eodem ſemper modo, non ſecùs,
ac plantæ, animaliáque figurantur.

Requiſiuit tunc aliquis, num fortaſſis hæc
ſemina fertilitatis anni eſſent cauſa, teſtan-
tibus agricolis vberiorem eſſe agrorum pro-
uentum, vbi nix diutiùs incubuerit. Ipſe ex-
cepit, alia niuia, alia plantarum ſemina eſſe;
nec prouenire iſta vberiùs, quòd nix ſua
pinguedine, vt vulgò putant, agros fœcun-
det; ſed quòd prodeunteis ex imo terræ pin-
gueis halitus reprimat, & in alimentum fu-
torum conuertat. Id intelligi, quòd eiſ-
dem exſiſtentibus calidis, nix infernè ſic
ſoluitur, vt locum faciat ſuccreſcentibus
plantis, incruſtetur, fornicetúrque, &, ſuc-
cedente veris tepore, per latera montium
in ingenteis moleis diſrupta excedat, pro-
vectámque herbam interim relinquat. Facta
exinde eſt occaſio diſſerendi de vi aquarum,
in quas niues reſoluuntur; adeò vt iam Nili
exundatio germanam hanc cauſam agnoſcat;
& cùm ipſe dixiſſet non totam hanc aquam,
in torrenteis effluere, ſed quadam ex parte
etiam imbibi, ſcaturiginibus fontium adau-

 gendis,

gendis, quippe & Fontem Vallis-clauſæ non vberiorem modò tunc erumpere, ſed aliquantulum etiam conturbari; pergratum fuit toti coronæ audire illum paullò copioſiùs de origine Fontium diſſerentem.

Tum verò ſententiam exponens, qua conſtantiorem non habuit, declarauit ſibi nunquam viſum originem Fontium ex mari, aut ex aëris in aquam conuerſione eſſe, ſed deberi prorsùs aquis-pluuiis (adde & quidpiam niualibus) quæ longè, latéque decidentes ita combibantur, vt in terram penetrent, quovſque incurrant in varia receptacula, quorum ſit fundus ex lapide, argilla, aut alia materia aquæ continendæ idonea; quæque infernè deſinant in eas meatuum anguſtias, vt collecta aqua ſenſim effluat, ſuppeteréque adeò poſſit in dies, in menſeis, in annos. Argumento eſſe, quòd inſignes quæque ſcaturigines ſint ad radices montium; in quibus, quòd ſint rupei, pleraque interiùs exſiſtant eius generis receptacula, in vnum tandem concurrentia: & quæ in locis planis viſuntur, ex montium procul poſitorum receptaculis per ſubterraneos ductus deriuentur. Poſſe quoque eadem ratione ſcaturire aquas non longè à verticibus inferiorum quorumdam montium, quòd niſi illis ſufficiant receptacula propria, poſſint per ſimileis meatus ex receptaculis editiorum montium deduci; cùm aqua tantumdem refluere ſursùm, quantum effluere deorsùm valeat. Vnde & ratiocinabatur, neque in Continente, neque in Inſulis, quæ haud dubiè ſuperficie maris elatiores ſunt, ſcaturigines exſtitutas, ſi ex mari deducerentur; quòd aqua non altiùs emergat, quàm demerſa fuerit. Nam aquas quidem in ſummis ipſis ſummorum montium verticibus, quod vulgò dicunt, ſcaturire, idipſum fide planè carere; nullis nimirùm teſtibus exſiſtentibus oculatis. Cauſam proinde quare æſtate, & per ſiccitates præſertim diuturnas Fontes inareſcant, aut valde minuantur, non aliam poſſe aſſignari, quàm quòd aquæ iam memoratis receptaculis contentæ, vel omninò effluant, vel paucæ ſuperſint. Inde eſſe cur redeuntibus pluuiis Fontes rursùs ſcaturiant; quaſi oppletis denuò receptaculis, non per leueis quidem, aut raras; ſed per inſigneis, continenteis, & complurium dierum, atque menſium pluuias. Verum autem eſſe, quod Scriptura refert originem fluminum, atque adeò fontium ad mare; ſed nempe quatenus ex mari partim aperto, partim ſubingreſſo in ſpecus, ductúſque ſubterraneos, euehuntur vapores, qui in pluuias verſi, originem fontibus, ac fluminibus expoſitam faciant.

Senſit deinde neceſſitatem diſcedendi incumbere; quocirca edi demùm conceſſit, cùm facta ſibi à Pignorio nuncupatione, Opuſculum illud de Magnæ Deûm Matris, Atridiſque initiis. Id quia continebat interpretationem Symbolorum eminentium in manu quadam ærea Tornaci inuenta, & à Dionyſio Villerio cum Peireskio communicata; inſtiterat à tribus iam annis, vt mutatam dedicationem ad Villerium ipſum Pignorius referret. Impetrare cùm non potuiſſet, differri diutiùs editionem noluit, agente cum ipſo Pignorio his verbis, *Tibi vt inſcribam, multa faciunt; ſed imprimis humanitas tua ſingularis, qua me totum penè quotidianis beneficiis ita deuinctum habet, vt mihi non ſuperſit amplius, quod meum iure poſſim appellare. Deinde vis omnigena eruditionis tua, qua antiquitatem omnem, & quicquid vſpiam praclari eſt, animo, & ſtudio es mirificè complexus.* Imprimi etiam procurauit Georgij Raguſæi Epiſtolarum Mathematicarum, ſeu aduerſus arteis diuinatrices libros duos, quos à Paulo Gualdo acceperat, quóſque cariſſimo ſibi Hannibali Fabroto, memorato ſuperiùs Anteceſſori Aquenſi, Pariſiiſque per id tempus agenti, reliquit. Sic ſollicitè animum intendit, vt opera Varij adauctiſſima ederentur: quod quia non potuit ante diſceſſum, vt optauerat, perfici, ideò abſoluendæ editionis curam vniuerſam Ducheſnio commiſit. Sic repetitam, adauctámque editionem Poëmatum Cardinalis Barberini ſemiperfectam relinquens, totam penes Viaſſium, tum agentem Pariſiis, operámque vltrò pollicitum, ſollicitudinem depoſuit.

Quod illum porrò ita adegit ad maturandum reditum, fuit ætas, ac morbus ingraueſcens Patris. Et expectaſſet tamen Autumnum, niſi ex quadam deſtinatione, ac neceſſitate tranſituro per Aquitaniam, vt Abbatiam inuiſeret, præoccupandum fuiſſet tempus. Diſceſſit ergo menſe Auguſto, hoc eſt poſt menſeis aliquot ſupra ſeptennium Pariſiis exactos. Aureliæ cùm foret, accepit Romà à Debonæto literas, renunciantes electionem Cardinalis Barberini in Pontificem Maximum, nomine Vrbanum octauum. Ea re gauiſus, ſcripſit illicò ad Pontificem Epiſtolam gratulatoriam, quam illi fuiſſe iucundiſſimam neque ipſe Debonætus, neque Aleander reticuerunt. Minimè verò etiam reticuit Pontificis Nepos Franciſcus, qui Cardinalis Barberini cognomentum deinceps tulit; quíque incumbit continuò artibus bonis promouendis, eruditorum fautor eximius, ipſéque captus omnium ſtudiorum ingenuorum illecebris. Ille ex eo tempore vſque, vt à Peireskio crebras accepit, ita & dedit literas, non eruditionis minùs, quàm humanitatis, & amoris plenas.

Aureliâ diſcedens habuit inter alios ex ſuo comitatu memoratum Ioannem Lombardum, cui à ſeptem annis impetrauerat, & ne cogitanti quidem miſerat diploma antigraphiæ, cognitioniſque Regiorum, & publicorum per Prouinciam ædificiorum. Deſtinârat illum Reginaldus parens, qui ſollicitaret diſceſſum; Peireskio verò iucundum fuit ſocium habere itineris, quòd illius induſtriam vtilem fore exiſtimârit. Hinc præſtò habere ſemper debuit calamum,

calamum, chartam, regulam, circinum, ceram, ſulphur, & id genus alia, ad delineandum, conſcribendum, adumbrandum, exprimendúmque ectypis, & apographis, quicquid viſeretur adnotatu dignum. Et apud Andeis quidem exprimi potiſſimùm voluit icones Principum Andegauenſis ſtirpis, quales obtineri potuerunt ex vitris, Eccleſiiſque tam Sancti Mauritij, quàm Franciſcanorum. Turoni diutiùs moratus eſt, quòd præter alia quamplurima, detentus fuerit potiſſimùm Sancti Martini Tabulariis, in quibus diplomata Regum, aliáque acta perantiqua. Circa Abbatiam, totus fuit in ſuadenda reformatione, deſtinandáque inſtauratione ruinarum inſignium, quas Monaſterium fuerat per bella ciuilia perpeſſum. Nimius ſanè forem, ſi enumerarem quæ innumera obſeruauit itinere deinceps toto, quæque eſt conſequutus honoris, ac beneuolentiæ teſtimonia Burdegalis, Toloſæ, cæteris in locis, in quibus nemo fuit dignitate, aut eruditione conſpicuus, qui non illius frui conſpectu, colloquióque deſiderârit.

DE

DE VITA PEIRESKII,

LIBER QVARTVS.

1623. OCTOBER iam erat, cùm domum acceſſit plurimis quidem exſpectatus, ſed Patri potiſſimum, per id tempus meliùs habenti. Non longè autem à reditu Diploma Curiæ exhibuit, quo à Rege permittebatur perſeuerare in functione dignitatis priſtinæ, ſeu exercere ſæculare, laïcúmque, vt vocant, Officium; tametſi factus Abbas induiſſet Eccleſiaſticam perſonam. Ipſa verò Curia non modò aſſenſit, ſed vnanimi etiam Senatuſconſulto decreuit, vt iam admiſſus in primam Claſſem, in ea perpetuò conſiſteret: neque, vt fieri per vices ſolet, ad minus Auditoriũ, quod appellant Turriculã, & in quo de criminibus ferè cognoſcitur, rediret. Ac obtinuit quidem præterea Reſcriptum à ſummo Pontifice, quo capitalium facinorum intereſſe iudiciis liceret (nempe in maiorẽ quoque Auditorio ſelectiora quædam diiudicari mos eſt) attamen illo nunquam eſt vſus; ſed ſemper, quotieſcumque ventum ad diſquiſitionem fuit, & duo, vel tres calculi in capitalem ierunt pœnam, ſolitus eſt pedem efferre, neque conferre ſymbolum.

Muſæum quam-primùm aperuit, conſternatione maxima fuit, vbi capſam non reperit; in quam conjecta reliquerat omnia ex Cimeliis rariora. Subducta nempe vnà fuerant aurea antiqua numiſmata pondo coronatorum mille; ex cælatis gemmis mille, ac ducentæ, prætereáque nonnulla alia. Deſiderauit autem præſertim inter nummos quidem, Talentum Ægyptium, ſeu Arſinoën Philadelphi, pondo coronatorum decem; & Solidum aureum Ludouici Pij, quem, vt iam antè diximus, ſingularem opinabatur: ex lapidibus verò cælatis Praſinum quendam, cum capite, epigraphéque Seruij Sulpitij; & onychem iam aliquoties memoratam, cum capite Aëtionis Regis Ciliciæ, & tiaræ Phrygiæ ornamento. Dolorem adauxit, quòd non auſus fuit in illum inquirere, quem furti reum ſuſpicabatur. Id ſcilicet non poterat, quin jactura Patri innoteſceret, qui bona fide vni ciuium familiari, domeſticóque putandæ è feneſtra vineæ crediderat Muſæi clauim: verebatur autem ne Patri indicata perfidia morbum illius exacerbaret. Cauit proinde ſollicitè, ne quid perueniret in eius notitiam; imò requiſitus ab ipſo, num ſe omnia probè haberent, probè ſe habere reſpondit.

Non deſtitit tamen aliunde ſagacitate ſingulari ſubolfacere diſtractarum rerum veſtigia. Heinc, ne recenſeam quo ſtudio, quo ſilentio, qua cautione adhibita, miſſitauerit quoquoversùm literas, & amicos fidos; ea demùm fuit fœlicitate, vt rerum, quæ erant cordi maximè, recuperârit præcipuam partem. Gemmas certè obtinuit, ac in iis Aëtionem, & Seruium Sulpitium: ſorti autem bonæ tribuebat, quòd neutram auro circũornaſſet, alioquin enim ſimul periiſſent cum aliquibus aliis, quibus aurum fuerat loco lenocinij. Sic longo pòſt tempore habuit Talentum Ægyptium, ſeu Thebaïcum, cuius cauſâ ipſe ab initio conceſſerat fruſtrà Maſſiliam. De Solido autem Ludouici Pij, quòd recuperauerit, nunquam memorauit.

Tenuit diu jactura illa renunciata amicos anxios; ex quibus fuêre, qui condolentes congratulati aliunde fuerint, quò d reuixiſſe videretur. Nempe rumor de eius morte diſſeminatus fuerat; & primùm quidem Pariſiis, per nebulonem neſcio quid rei inde conſequi meditantem. Ipſe verò quamprimùm potuit, repertorum ſecuros iuſſit; ſe quod attineret, optare tam bene optimo Camdeno quàm ſibi foret vita ſuperſtes.

1624. Poſtquam nonnihil ab hiſce curis interquieſcere licuit, ad ſuum genium reuerſus eſt. Teſtis eſto vel vnus Grotius, qui, nouo ſtatim anno ineunte, *Non otior*, inquit ad illum ſcribens, *ſed in illo de Iure Gentium opere pergo, quod ſi tale futurum eſt, vt lectores demereri poſſit, habebit quod tibi debeat poſteritas, qui me ad hunc laborem & auxilio, & hortatu tuo excitaſti.* Et ſtatim, *Pergis autem tu obligare me, cum incommodis meis nunc quoque & tam bona fide tangi oſtendis, & qui præſens præſidio ſolebas eſſe, nunc abſens es ſolatio. ego verò, vel per te vnum ita ſum Galliæ obſtrictus, vt ad vltimas humanæ potentiæ metas trudi malim, quàm ſedem hanc deſerere.* Ac rurſus, *Literas dedi nihil quidem continenteis illas, quod te ſcire attineat; ſed teſteis tamen eius, quod tibi debeo, ſempérque debebo gratiæ, per tot ſummis in me adiuuando, ornandóque beneficiis.* Id porrò Opus de Iure Gentium, cuius Grotius heic meminit, non videtur aliud à præclaro illo, quod de Iure belli, ac pacis, anno pòſt in lucem emiſit. Cùm Peireskium certè exemplo donaret, literas adjecit, ex quibus hæc non pigebit excerpere, *Accipe iuſſis Carmina cœpta tuis, ait Poeta. Ego vero Peireſi amplissime,*

ampliſſime, non carmen, ſed librum tibi mitto, tuo hortatu, tuiſque auſpicius cœptum. Adde rem, quæ ipſa has mea in Gallia habitatio non parùm tibi debet, quo conciliante in virorum maximorum notitiam perueni: ita vt hoc quoque titulo, ſi quid inde fructus, naſcitur, id à te poſſit vindicari. Si dicam magno mihi dolori eſſe, quòd tuo conſpectu, tuiſque colloquiis frui non licet, dicam quod veriſſimum eſt; ſed huic damno ſolatium aliquod adhibet V. N. frater tuus frater ſanè, non natura tantùm, ſed morum humanitate, qui, &c.

Prætereo autem ſtudium, quo ipſius Grotij iconem Duvriſij manu habere expetiit; & felicitatem, cui vertit, habere ſimul Claudij Salmaſij, Petri Puteani, Hieronymi Bignoni, (magni bonarum literarum, & areis legum, ac iuſtitiæ apud Senatum luminis) aliorúmque amicorum. Miſerat ipſe priùs ad Puteanos earum exempla, quas habebat, Vincentij Pinelli, & Iul. Cæſ. Scaligeri, miſſurus quoque Paſchalini, Portæi, Pacij, Camdeni, Lobellij, Barclaij, Marani, cæterorum plurium. Quoniam iconum incidit mentio, addere ſanè illas licet, quas per idem tempus obtinuit tam Pontificis Maximi, quàm Cobellutij, & Barberini Cardinalium. Effigiem ſimul Virginij Cæſarini optauerat; verùm præuenit Pictorem mors, ac tum quidem penè, cùm Peireskius ageret gratias, ob miſſum exemplum Sagiatoris, hoc eſt Libripendis Galileani, operis nempe de Cometis, quod aduerſus libram Aſtronomicam Lotharij Sarſij (ſeu, ob literas permutatas, Horatij Graſſij) Galileus condiderat, inſcripſeráque ipſi Virginio.

Adhæc, non eſt ſanè oblitus factæ pridem Pontifici, circa habendas aliquas B. Magdalenæ Reliquias, pollicitationis. Quippe quòd paucis antè annis populus San-Maximitanus ſeditione facta obſtitiſſet, ipſe tunc & Regis imperio, & Senatus auctoritate, & Præſidis primi præſentiâ, & Latrunculatoris, ac ſatellitum ſtipatione vſus, obtinuit tandem, quod Pontifex pro ſua pietate expetebat. Hinc habitæ ſunt nomine illius à Cardinali ingentes gratiæ; teſtante aliunde quàm gratam habuiſſet commendationem ab ipſo factam, cùm aliorum Gallorum nobilium, tum maximè Thuani illius, cuius ſuprà meminimus, quique poſt luſtratas regiones occiduas, etiam Orientaleis inuiſere meditabatur.

Plurimus adhæc etiam fuit in procurandis negotiis Regienſis Epiſcopatus, quo eximius Cardinalis Guido Bentiuolus pro Regis voto fuerat donatus. Fecit verò pro amicitia, quam inſignem cum illo fouit, ex quo aduenit Nuncius in Galliam, & Roberto Cardinali Vbaldino, qui Peireskium quoque maximoperè amârat, ſucceſſit. Non tacendum verò quod intereà Cardinalis Bentivolus ardentiſſimè interceſſit, vt ex prædiuite Scipionis Cardinalis Burgheſij Cimeliarchio obtinerentur, & ad Peireskium tranſmitterentur moduli varij ponderum, menſurarum, aliarum rerum. Erat Romæ id temporis Claudius Menetrius iam nominatus: ipſe autem miſit, ſimúlque adjecit pondera pleraque antiqua, cum modulis, ac ectypis; neque deinceps deſiit mittere & numiſmata, & quæcunque alia vetuſtatis monumenta quouis pretio eruere, & acquirere Romæ potuit.

Totus prætereà penè fuit in exhibendis officiis laboranti grauiter Patri. Cùm dolores verò illius nonnihil ſedati per æſtatem viderentur, diuertit Belgenſerium, vnde priuſquàm regrederetur, concedere Tolonum voluit ad Corallij expiſcationem. Id nempe raris quidem locis in noſtro mari naſcitur; ſed anguſto præſertim ſpatio, quod à Cithariſte promontorio non ampliùs, quàm duobus Prouincialibus milliaribus diſtat. Et quoniam accepit tempeſtatem eſſe illi eruendo opportunam; ideò nauiculam conduxit, viróſque delegit idoneos, à quibus deduci ſeſe obſeruauit, quovſque certis quibuſdam montium, colliúmque cacuminibus in eandem lineam coïre viſis, ſubindicatus locus fuit. Tum demiſſa per funem cratis, ſeu mavis, Crux lignea, cum appenſis retibus, quamprimùm hæreſcere fundo deprehenſa eſt, variè toto tractu detorta, diducta, deuoluta eſt, vt plantæ Corallinæ retibus implicarentur. Vbi id actitatum ſatis, machina ſurſùm educta eſt, animaduersúmque retia diſrupiſſe, auexiſſéque plantas Corallij non paucas, vnà cum pleriſque fragminibus ſiccis, putridis, carioſis, vt putà quæ aliàs euulſa, aut relicta fuiſſent, aut inter abducendum retia, decidiſſent. Quæ plantæ porrò tunc auulſæ, eductæque fuerant, neque rubeſcebant, neque terſæ erant, niſi detracto cortice; molles aliunde, tactuíque cedentes ad ipſa cacumina, quæ rupta, preſſáque, emittebant lac, ficuum inſtar, & compreſſione deſinente, apparebant interpunctæ tenuibus foraminulis, ſeu quaſi vacuis venulis, quibus lac illud fuerat emiſſum. Id quoniam admonitus eſt eſſe admodum cauſticum, idcireò ſollicitè cauit, ne cutis ipſo attingeretur. Et quia rogando didicit id eſſe inſtar ſeminis, adeò vt contingens quidpiam ſolidum veluti concham, lapidem, aliud, cohærentem illi plantam gigneret; ideò coniecit quemadmodum Piſano illi Cranio ſupercreatum Corallium fuiſſet. Fuêre, præter Corallij plantas, aliæ quoque multæ, & quam-multa etiam animalcula implexa, ac ſpeciatim Limax ſine cochlea, ſiue teſtaceo cortice. Eam verò totam congeriem tranſlatam Belgenſerium immiſit in furnum, vt exſiccaretur, aſſeruaretúrque. Deprehendit autem Limacem effuſam in liquorem purpureum, & quicquid erat contiguum, tinxiſſe colore purpuræ perfectiſſimo: quamobrem anſa illi eſt facta ſubdubitandi, num ea fortè eſſet vera Purpura, iſque liquor Germanum Oſtrum, quo, ſeu Murice Tyrio, tinctæ olim veſtes leguntur.

Reliquo, & ſequente anno qui fuit ſæcu- 1625.
li vigeſimus quintus, diſcedere prorſus à Patre non potuit, niſi quantum neceſſitas ad exhibendum Legato exegit. Eo nempe anno Pontifex, propter Reipublicæ Chriſtianæ negotia, deſtinauit Cardinalem Barberinum in Galliam, iſque ſub veris initium allapſus eſt Prouinciæ oris. Appulſurus erat Maſſiliam;

verùm

verùm tempeſtate cogente Tolonenſem ſubiit portum, indéque pergens Auenionem Aquis-Sextiis fuit tranſiturus. Occurrit verò Peireskius ad tertium, aut quartum milliare, nihilque non egit, vt decretis ipſi pro dignitate honoribus ciuitatem ingrederetur: at ille certo conſilio prætergrediendum cenſuit, diuerteréque Lambiſci maluit. Inde ſequente die profectus Auenionem cùm acceſſiſſet, conſequutus illum Peireskius non eſt: ſed quarto demùm die adfuit, deducto Aleandro vetere amico, quem oppiparè exceptum detinuerat intereà domi. Aleander nimirùm adſcitus in Cardinalis familiam, è comitatu ipſius erat, vnà cum nobili Equite Caſſiano à Puteo, qui profectò quantus vir ſiet, eruditi, boníque omnes ipſi deuincti, Romæ loquuntur: itémque cum illo aliquoties memorato Debonæto, quem cùm ob propria merita, tum ob Barclaij memoriam ſatis complecti nunquam potuit: ac rurſùs cum Ioanne Baptiſta Donio, eruditionis profundæ Viro, quem Cardinalis habere voluit à Latinis Epiſtolis: & cum Viro omninò bono Ludouico Aubrio Menilio Pariſino, cuius fuerat varia officia tam Pariſiis, quàm Romæ expertus. Ac fuêre quidem alij plerique; ſed ſpecialeis tantùm Peireskij amicos commemoro.

Fuiſſet deinde Peireskius Cardinalem lubens ſectatus; ſtatuerat enim nec Pariſiis, nec totà Galliâ dimittere: ſed repugnauit pietas, quæ Parentem deſerere acerbiſſimè vexatum prohibuit. Cùm eſſet verò Frater Pariſiis, dedit ad illum literas, hortatúſque eſt vt obſequium, quod ipſe non poterat, cumulatiſſimè exhiberet. Dedit & ad varios amicos, ac nominatim ad Rubenium, pergulam Luxemburgicam Palatij noui Reginæ Matris pictis Tabulis adornantem: quòd noſſet illum pro ingenij fœlicitate, ſuauitatéque, & pro rerum exquiſitarum vbertima copia mirè placiturum. Ipſi, vt a Patre rurſum non abeſſet, non poſtrema cauſa fuit, quòd duo illi Medici, quibus ſaluis bene ſemper ſperare erat ſolitus, ſuperſtites ampliùs non forent. Siquidem Iacobus Fontanus, cùm ipſe eſſet adhuc Pariſiis, extremum diem obierat: Antonius verò Merindolus à ſuperioribus proximè Natalitiis conceſſerat fatis.

Quo loco obiter dicendum, vix quicquam potuiſſe ad dolorem accedere, quem ex huius morte Peireskius concepit. Quippe & rara eruditio, & lenitas morum eximia, & diuturna conſuetudo, & humaniſſima officia, iampridem amicitiam conciliauerant non vulgarem. Non addo verò quid ad illam contuliſſet Peireskius: id enim potiùs intelligendum ex teſtamento Merindoli, quod eſt in Operum ipſius nuncupatione expreſſum. Scilicet illeic declarauit velle ſe quidem opera ſua ſub Regis Chriſtianiſſimi præſidio mittere in lucem: *Veruntamen*, inquit, *ſepoſitum velim Tractatum de Febribus, eo quidem nomine, vt nomen mihi cariſſimum in fronte præferat. videlicet D. Nicolai Fabricij de Peireſc, in ſupremo Aquenſi Senatu Conſiliarij Regij, & Abbatis Guiſtrenſis, omnibus florentiſſimæ fortunæ, & abſolutiſſimæ doctrinæ virtutum comitatu ſtipatæ ſubſidiis, atque ornamenti inſtructiſſimi. Hunc enim virum, in quo veteris veſtigia recti, & mores video ductos meliore lapillo, ſemper inter ingenij mei patronos habui; proindéque huius libelli conſecratione, tanquam obligatoria ſyngrapha omnibus teſtatum cupio, quot, quantiſque nominibus ipſi me deuinctum eſſe confitear.*

Ad Patris morbum vt redeam, ſeſqui-annus erat, ex quo præter veſicæ, ac renum dolores, conflictabatur cum Podagra pertinaciter hæreſcente. Tum verò ab vno, aut altero menſe eò morbus euaſerat, vt ex pedum articulis extraherentur lapilli, ac tantâ quidem copiâ, vt aſſeruati per octo menſeis potuiſſent molem conficere ipſis pedibus non minorem: & quoniam vix vnquam poterant auelli, quin neruorum, ac tendinum extremæ partes diſcerperentur, euenit, vt intra id tempus, gangręna quinquies inuaſerit. Peireskius porrò continuò adfuit non remedia modò, ac regimen victus conſultans, præſcribénſque cum Chirurgis, ac Medicis; ſed ſimul etiam apparans, tractánſque, & quicquid Pater ore ſumebat, manu propria ſemper miniſtrans. Id videlicet cauerat, Paterque ita ſuaue habebat, vt non lenimen in doloribus efficacius experiretur. Cùm ſic autem foret aſſiduus adeò, vt, niſi vrgentibus in Senatu negotiis, à latere Patris non diſcederet, mirum non fuit, ſi ipſe, præter frequentem ſtranguriam, hæmorrhoïdas ita irritârit, vt ad eam partem ſubnatus fuerit importuniſſimus tumor.

Eo laborabat iam grauiter ſub Octobris initium, cùm imminentem reditum Cardinalis Legati accepit. Dilatis ergo remediis, præſcripſit primùm quo Pater foret continendus regimine, ac Legatum deinde Auenionem conuenit. Cùm Pater verò præſcriptas metas aliquantulùm exceſſiſſet, incidit ſtatim in catharrum, de quo Medici deſperantes reuocandum mox Peireskium cenſuerunt Nuncio accepto, is rediit, ſed Patrem ita collapſum inuenit, vt continere ſpiritum duos duntaxat dies potuerit. Obiit ergo bonus ille, magno optimi filij luctu: ſed teſtari luctum diu non permiſit acceſſus Legati, quem Laribus ſuis excepturus fuit. Quippe efferebatur funus, cùm ecce renunciatum eſt propè iam Legatum adeſſe. Quare pompâ domum reductâ, exceſſit confeſtim, & vix ad milliaris dimidium aduenienti Legato occurrit. Is cæremoniis in Eccleſia ritè, & ex more peractis, ingreſſus eſt Peireskij domum; cuius ſtupendum fuit totam faciem ita momento immutatam, vt quæ aulæorum atrore, ob exceſſum Patris familias, mox antè pręferebat luctum; illicò aliorum rubore, propter acceſſum hoſpitis, demonſtrauerit effuſam lætitiam. Confeſtim etiam, poſt ſalutem ab vniuerſo Senatu, omnibúſque aliis Ciuitatis Ordinibus dictam, menſæ ita fuêre inſtructæ, vt excogitari non potuerit apparatus magnificentior. Octo profectò cœnaculis tempore eodem, & abſque vlla confuſione eſt miniſtratum: ſuſpiciendúſque admodùm fuit excelſus Viri animus, cuius prouidentia non potuerit

conſternatione

conſternatione exturbari. Menſis remotis voluit Legatus etiam Muſæum inuiſere, & ſuaueis horas ducere familiari colloquio, ſingularibúſque rebus inſpectandis. Huc ſpectat illud Viaſij in Panegyri ad Vrbanum VIII.

—— ſic vidimus illum
Poſt reditũ à Francis, Peireſi ad vota receptũ,
Illuſtreiſq; domos, quas virtus, priſcáque laudũ
Nobilitas, Muſæq, fouent, & quicquid Athenæ,
Romáque, poſt veteres potuit ſeruare ruinas,
Intus adeſt, meritúmque illeic ſe ſubtrahit æuo.

Abſcedentem eùm deduxiſſet, concedendum
fuit Riantium, vbi prætextu paternæ mortis
ſubditos moliri res nouas audierat. Iis vtcum-
que compoſitis, ventóque aduerſo Legatum
intereà ad Toloni portum detinente, iterum
illuc ipſum conuenit, obtulitque duas Capel-
las auribus promiſſis, adeóque oblongis, vt
capite vel leniter depreſſo, contingerent ter-
1626. ram. Haece Legatione functus Cardinalis oc-
cœpit ſtatim aliam ab ineunte ſequente an-
no. Scilicet profectus in Hiſpaniam eſt; ſed
vi tempeſtatis aliquoties in oris Prouinciæ
retentus. Hæſit verò, commoratúſque præſer-
tim eſt ad Turrim Buquiam, quæ proſtat in
ingreſſu plagæ Martigiæ, ſeu Coloniæ Mari-
timæ; adeò vt Peireskius reſcire, conuenire-
que ipſum potuerit. Et certè grande illi ſola-
tium; quando præter aliquot dierum iucun-
diſſimam conſuetudinem, libri etiam allati
ſunt, quorum lectione tædium leuaret. Cæte-
ra inter, fuêre nonnullæ marini æſtus obſer-
uationes, quas Peireskius non ita pridem fie-
ri procurârat per Antonium Natalem, Pro-
uincialem Medicum in Aremorica verſan-
tem. Cùm eæ Legato mirè placuiſſent, polli-
citus eſt operam, vt fierent ſimiles complu-
res. Vltrò etiam promiſit ſe, quicquid in ea
Legatione ſingulare occurreret, cum ipſo cõ-
municaturum, ac nominatim effecturum,
quod ille maximè expetiit, vt exſcriberentur
Epitaphia, & fierent icones Barcinocenſium
Comitum, præcipuéque Alphonſi Caſti.

Rediit porrò Peireskius domum rheumate inſigni laborans; ídque præter renum dolores, incommodáque alia à morbo vſque Patris contracta, quæ nocteis inſomneis deinceps creârunt, & ne in ipſo quidem lecto permiſerunt conquieſcere. Inter cætera leuamenta, non poſtremum duxit ex libris, quos amici varios miſerunt, & inter quos fuêre nonnulli mentionem ipſius facientes; veluti Gloſſarium Archæologicum, continens voces Latino-barbaras, auctore Henrico Spelmano Anglo, qui in operis præfatione, *Si ad exteros*, inquit, *abeam, non me leniter incitârunt nobiliſſimus apud Gallos Nic. Fabricius Peireskius, Regiæ Maieſtatis à Conſiliis in Senatu Aquenſi, Hieronymus Bignonius, &c.* Vbi notandum eſt Bignonum, & quos præterea ille citat, excitatos fuiſſe à Peireskio, vt Spelmanum ad operis editionem ſollicitarent. Itémque Notæ Pignorij In Vincentij Cartari librum de Deorum imaginibus; ac rurſus eiuſdem Epiſtolæ Symbolicæ, in quarum vigeſima nona Pignorius recitat Peireskio Epiſtolam Marſilij Ficini de cauſa amicitiæ inter ſe & Bembum, eodem die natos, ex Codice, qui fuerat in Bibliotheca Pinelliana, *quam tu, & ego*, inquit, *florentem olim vidimus.*

Non poſtremum etiam quæſiuit ex variis antiquitatis monumentis, quæ Aquas-Sextias transferri voluit. In iis præcipuum fuit Lectiſternium, ſeu tumulus marmoreus elegantiſſimæ ſtructuræ, cui prope Brinoniam eruto, & ad ſe conuehendo tum ſpecialem curatum, tum viginti Induſtrios, lectóſque viros deſtinauit. Hoc certè opus tanti fecit, vt Rubenium poſteà diſcedentem in Hiſpaniam, non potiore vllo ad ſe lenocinio, quàm illius inſpectione inuitandum cenſuerit; & eùm in eo figuras quaſdam ſeu vetuſtate, ſeu iniuriâ malè affectas obſeruaſſet, babere Roma voluerit ectypum gypſeum alterius, in quo viſas ſibi figuras conſimileis notauerat, vt illatum inſtar curaret reſtitui. Aileuamento quoque fuit Barbleus quidam Colonienſis, iuuenis induſtrius, & Medicinæ etiam peritus, qui ipſi fabricatus eſt chartaceas ſphæras omnimodas, hoc eſt iuxta hypotheſeis Ptolemæi, Copernici, Tychonis, aliorum. Non omittendum, fuiſſe quoque magnopere exhilaratum conſuetudine perhumana Iacobi Lorini è Societate Iesv, Pſalmorum Commentatoris, qui eùm priùs Romà rediiſſet, Auenione ad ipſum venit, & autographo quodam Bellarmini donauit. Tandem, vt mentem diuerteret, legit per id tempus quod tum è prælo primùm prodibat, Arelatenſe Pontificium, auctore Petro Saxio eius Eccleſiæ Canonico. Plurimùm verò fuit indignatus, quòd ille, ſtudio neſcio quo, affectaſſet eleuare Principum noſtrorum iura, & non modò non repoſuiſſet quæ opponi poterant, ſed interdum etiam tentaſſet præter fas illa eneruare. Quamobrem non interquieuit, donec placito Curiæ libri euulgatio prohibita fuit.

Paullò iam meliùs Peireskio erat, cùm poſt literas varias & à Cardinali Legato, & à Puteano Equite, & ab aliis Madrito acceptas, admonitus denique eſt Cardinalem redeuntem, tranſiturúmque Maſſiliâ initio Septembris. Itaque, ſanitate licèt parùm firma, illuc acceſſit, Cardinaliſque appulſum aliquot diebus exſpectauit. Fruſtra id tamen; quoniam ille vento fruens ſecundo prætervectus eſt, ſubſtititque ſolùm nonnihil Toloni; vnde rariora quædam ex iis, quæ ex Hiſpania aduehebat, cum excuſatione Aquas-Sextias miſit. Ea Peireskius cùm accepiſſet, gratias egit per literas, quibus aliunde Chriſtophorum Puteanum profeſſione Carthuſienſem (quem aliunde & eruditio, & morum innocentia poterat ſatis arguere Pariſienſium illorum fratrem) ſtudioſiſſimè commendauit. Non refero autem quàm gratam huiuſmodi commendationem Cardinalis habuerit; nam & ipſe Puteanus ſcripſit imparem ſe eſſe, qui exprimeret quam propterea beneuolentiam, comitatémque fuerat expertus. Subjungo potiùs ipſum Puteanum haudquaquã degeneraſſe à neceſſitudine fraterna cũ Peireskio arctiſſima; quando nullũ officij genus præſtare vnquã potis fuit, quod nõ vltrò præſtiterit.

Memorari verò heic debet commendatum

ſub idem tempus Ioſephum Mariam Suareſium Auenionenſem, pereruditum iuuenem, eúmque propreteà in familiam Cardinalis adſcitum fuiſſe. Nec reticendus Lucas Holſtenius Hamburgenſis, eruditorum ocellus, qui eſt etiam non longè pòſt in eandem adſcriptus familiam, cùm illius virtus Puteanis commendantibus innotuiſſet Peireskio, & commendante Peireskio ipſi Cardinali Pariſiis Legato. Vterque ſanè eſt deinceps teſtatus gratitudinem,literiſque frequentibus, atque eruditis beneuolentiam demeruit: Peireskius verò nullam vnquam, quin gratificaretur vtrique,occaſionem prætermiſit.

Vexauit rursùs per hiemem rheumariſmus, & renum dolor; nec deſiit tamen proptereà literas varias conſcribere, ſed ad Puteanos potiſſimùm, quorum operâ prædicabat ſe cominùs conſpicere, quæ gererentur in Mundo, vt Teleſcopiorum ſubſidio ea, quæ in Cælo procul latent. Inter alia verò cauſam ediſſeruit,cur conſtituti pridem Cenſus deminuti iam tantoperè forent. Cùm enim, inquit, proavi, majoréſque noſtri illos florenis exprimerent,qui tum temporis erant aurei,ſolatiſque nummis valore præſtabant; effectum eſt,vt quia floreni tunc elocabantur duodecim ſolidis argenteis,cenſus iam vnius floreni non redimatur pluribus, quàm duodecim ſolidis; cùm tamen hi noſtri ab antiquis illis ſic degenerauerint,vt ſextuplò aucti iis non æquipolleant. Dicendum nunc octuplò foret, ac breui etiam decuplò: vt edoceantur, qui volunt cenſus temporis lapſu non imminuendos conſtituere, ne aut libris Turonicis, aut vulgati pecunia; ſed frumento,aut alio ſimili prouentu illos æſtiment, perſoluendóſque ſtipulentur. Nam cùm ſemper ſit eadem propè ſeu feracitas, ſeu ſterilitas eiuſdem Telluris;debet quoque caritas frugum conſtare eadem circiter: at pecuniæ vſualis valor non pari ratione idem perſeuerat; ſed decreſcit continuò, vt ſuperiùs eſt declaratum.

Intereà porrò Valaveſius eſt reuerſus Pariſiis, negotiáque illa Riantienſia poſt inſuperabileis tam multorum annorum liteis Tranſactione deciſa ſunt. Inibat tum ſæculi
1627. annus vigeſimus ſeptimus, cùm ab eiuſmodi negotiorum ſollicitudine reſpirans, conſtituit proximo iuſtitio perluſtrare Prouinciam, ad congerendum inſcriptiones tum nondum habitas,tum manu non ſatis vel fida,vel erudita deſcriptas; Idque vt gratificaretur nominato iam Donio,qui paratum editioni habens ingens volumen Inſcriptionum apud Gruterum non exſtantium,optârat collectas ab ipſo Prouincialeis intexere. Et non eſt quidem nactus otium perficiendi quod deſtinârat: non deſtitit tamen proptereà ſollicitare Donium, vt eam congeriem emitteret,ſperans intereà faſciculum Prouincialium contextum iri; ac præferens ipſas ad calcem continua ſerie ſubiici (Hiſpanicarum ſcilicet inſtar in Gruteri volumine) quàm confusè interiici,vt in cæteris factitatum. Cœpit porrò exinde agere cum Donio non de inſcriptionibus modò,ſed,vt ille eſt reuerà multiſcius,de eius Onomaſtico, de opere Muſico, de Conuiualibus, de Monetis Hetruſcis, de Iuſtinianeis quibuſdam numiſmatibus, de generibus armorum antiquis, & id genus complutibus.

Egit quoque ſub idem tempus cum Nicolao Rigaltio Bibliothecario Regio, eruditionéque perrara conſpicuo de ſolutione illorum Virgilianorũ Ænigmatum, circa eas Terras, in quibus inſcripti nomina Regum naſcuntur flores; & eas,in quibus Cœli ſpatium non ampliùs, quàm treis vlnas patet. Cùm verò circa illud priùs,retuliſſet præclara quædam de variegatis floribus, tum circa poſterius, quod ſolent interpretari de Puteo, meminit inter alia effoſſum Riantij fuiſſe puteum,è quo profectò oportuerit exiguum videri Cæli ſpatium, cùm ſtellæ interdiu conſpicuæ ex eius fundo fuerint; oculis nimirùm ob profunditatem in tenebras quaſi nocturnas immerſis, pupilliſque ob dilatationẽ (vt in obſcuro fieri ſolet) admittentibus rerum etiam minutiſſimarũ vberiores ſpecies.

Aderat tum recens Archiepiſcopatui Aquenſi Alphonſus Pleſſeus Richelius, Præſul inſigni eruditione,raráque pietate aſſumptus ex Carthuſia; cùm Peireskius ſeſe ab illo eximiè adamari ſentiens, nulla non aſſiduitate,teſtationéque officij dignum ſe ipſius affectu probauit. Inuiſenti Maſſiliam comitem ſe illi addixit,eáque occaſione illeic ſalutauit Gabrielem Albaſpinæum Aurelianenſium Epiſcopum,qui tum eò ſeceſſerat,ac meditabatur opus, quod & poſtmodùm edidit, de Euchariſtiæ myſterio. Meminit in eo aliquoties communicatorum à Peireskio Codicum, ipſum appellando *delicium*, *amorémque literarum*, *& ornamentum Prouinciæ*. Fuit etiam Archiepiſcopo non multò poſt adiutor ſtrenuus, vt inſtitueretur Curſor publicus,qui faſciculos literarum in ſingulas hebdomadas veredis deferens Lugdunum, parique ratione inde afferens, etiam cum Pariſienſibus hebdomadicum faceret commercium. Et diu quidem id exoptârat,aliquotieſque tentauerat,vt rem publicè vtilem,& amicis gratam futuram: ſed nemo ante eum Præſulem ſatis animatus ad id fuerat, neque comitia Prouinciæ,vt impenſas decernerent, potuerant vnquam perſuaderi.

Mira porrò fuit exinde lætitia,cùm eruditorum omnium, qui crebras à Peireskio expetebant literas;tum Puteanorũ maximè,qui ea ratione potuerunt ſæpiùs,faciliúſque communicare quicquid aut recens cuſum fuit, aut rerum nouarum occurrit,vt ipſe viciſſim ad eos mittere quicquid ex Italia, Africa, Oriente toto impetrauit. Quippe abhinc quoque commercium vberius, quàm ante, inſtituit cum Conſulibus, Mercatoribúſque illeic vbiuis agentibus,vt illorum operâ vſus Græcos,Hebræos,Arabicos, cæterarum exoticarum linguarum libros nanciſceretur.

Heinc ſtatim aliquos obtinuit, ac nominatim ex Cypro præclarum volumen περὶ ἀρετῆς, ϗ κακίας,Conſtantiniani Porphyrogenetæ,continens excerpta ex Polybio, Diodoro, Nicolao Damaſceno, aliiſque hiſtoricis,

ex

ex quibus poſſent variæ auctorum nobiliſſimorum ſuppleri lacunæ. Incredibile autem dictu, quàm pro nihilo duxerit ducentas Turonicas libras numeratas in pretium, vel ex eo quòd eſt conjectatus ipſiſſimum eſſe exemplum, quod Imperator ſibi habuerat, ob characterum formam, nitorémque, ob compactionis elegantiam, ob præclara carmina in illius laudem præfixa. Obtinuit quoque diu requiſitas, & ex Vaticana etiam deſcriptas aliquot Aſſiſias (ſic appellant Comitia Chriſtianorum Procerum à Palæſtina recuperata) perſuaſus dudum, aliquod demùm in illis regionibus earum exemplum repertum iri.

Eodem circiter tempore ſcripſit quoquoverſùm ad adjutandum Holſtenium, meditantem nobilem manum Geographorum veterum nondum editorum proferre in lucem. Deſiderabatur præſertim ab illo ἀνάπλους Thracij Boſphori, auctore Dionyſio Byzantio, quo Petrus Gyllius vſus eſt; ſed Latinè ſolùm, ac per particulas, in eo Boſphoro deſcribendo. Et quia congruum exiſtimauit, vt Textus Græcus reperiretur inter Codices Bibliothecæ Cardinalis Armeniaci, è cuius familia Gyllius fuerat; idcircò Peireskius dedit operam, vt Epiſcopus Rutenenſis totam Bibliothecam verſaret, catalogúmque deinde mitteret, quo faceret fidem huiuſmodi librum irrito conatu perquiſitum fuiſſe. Quas putas proinde literas non dedit ad Apoſtolicos Nuncios, ad Oratores Regios, ad quoſcumque nouit eruditos Viros (quos inter profectò ſpeciatim dicendus eximius ille Toloſatum Antiſtes Carolus Monchalius, è cuius penu diuite tot rari Codices educti) vt quomodocumque tandem certus fieret, ille-ne vſpiam gentium exſtaret. Et credibile ſanè eſt vix exſtare alicubi: quando tantam Viri ſagacitatem effugit. Merirò quippe idem Holſtenius, cùm ad illum ſcriberet, *Neque enim, inquit, quemquam mihi mortalium hactenus videre contigit, qui te antiquitatis cognitione ſuperet, vel peruestigandi diligentia, & fœlicitate æquet.*

His dum vacaret, accepit librum à memorato ſuperiùs Ioanne Iacobo Chifflerio, iam tum Iſabellæ Infantis cubiculario Medico, de Portu Iccio Morinorum, è quo Iulius Cæſar in Britániam ſoluit. Et facilè quidem diſceſſit ab ea ſententia, qua ratum habuerat eiuſmodi portum eſſe Caletum, ſeu Calitium; ſed optauit tamen præclarum eum virum explorare vberiùs totam illam oram, vt quamvis acutè probaſſet portum illum Mardicum eſſe, videret tamen, ne oræ nobis ſuperſtiti foret vindicandus. Quem legimus certè vlteriorem Portum, interpretandum videri non interiorem, vt deſignetur interior plaga ſub Audomaropoli ſtagnantibus aquis interſtincta; ſed magis occiduum, vt indicetur vicinior, vndéque traiectus in Britanniam breuior. Cæterùm nihil gratius habuit, quàm quod ſimul legit exſtare ad lacunam illam Audomaropolitanam Inſulas Natanteis, quæ veterina, & homines ferant, & quibus alni, ſalicéſque lætis frondibus innaſcantur. Voluit proinde vt biennio pòſt, cùm illàc iter facerem, ſpectarem illas curioſiùs, referrémque quicquid id eſſet. Præſtiti autem, ac interim ramulum tranſmiſi, quem decerpſeram ex non humili ſalice, ſuo cum fundo ſimul natante.

Sollicitus etiam tunc fuit de obſeruatione illius articuli, quo clandeſtina coniugia à Tridentino Concilio damnata ſunt, neque interquieuit, donec Iudicibus quibuſdam Ordinis Eccleſiaſtici ſcrupuloſioribus fidem fecit, illum non modò pro comitiis ſanctione Regia confirmatum; ſed ſpecialibus etiam Synodorum huiuſce Prouinciæ Metropolitanorum Decretis. Non addo quanto ſimul ardore ſollicitauerit Aleandrum, vt ſeriò ſe accingeret deſcribendo illi Terræmotui, quo Apulia concuſſa fuerat à die Iulij penultima, & quo Septembri tandem menſe Archiepiſcopatus San-ſeuerinatium abſorptus fuiſſe perhibebatur.

Non addo alia: refero ſolùm ſingularem modeſtiam, qua communicatam voluit nuncupati ſibi libri Epiſtolam dedicatoriam. Complectebatur liber ille ſpiritualia quædam Sanctorum Diadochi, Nili, & Heſychij opuſcula, quæ Aleander Fichetus ex Societate Iesv Vir pereruditus, cùm Lugduni daret in lucem, nomini eius inſcripta voluit. Vſurpârat autem Bibliopolæ nomen, neque ſe putârat hyperbole vti, dum commendaret Peireskium, cuius virtutem cùm Aquis-Sextiis profiteretur Philoſophiam, publicéque concionaretur, perſpectam iam habuerat. Verùm Peireskius ipſe non tulit, ſed miſſurus Romam quædam exemplaria (vt nihil nouum prætermittebat) ſeponi iuſſit Epiſtolam, imprimique aliam, quæ præfigeretur. En nonnulla ex ea, quam ſuppreſſam voluit, *Regia Solis eſt mens tua, domus tua, Bibliotheca tua, omnium ingeniorum Orbis ſtellifer, in quo caleſtes imagines, in quo doctrinarum omnium, & doctorum hominum Aſtra coruſcant; ita vt non aurea, non argentea, ſed ſtellata omnia videantur; ſtellati plutei, librorum ſtellifer ordo. Tu verò in medio reſidens complecténſque omnia, lumen omnibus fœneraris, decus addis omnibus, omnibus vitam quodammodo, æternitatem impertiris; vt ad te meritò libri omnes, qui genium habent, quaſi quidam ignes ſacri bonarum mentium de toto Orbe, velut ad cælum ſuum reuolare geſtiant, vbi lucem accepturi, reddituríque, &c.*

Epiſtola hæc reuocat in mentem, quòd cùm exemplum Cæli Chriſtiani à Ioanne Bayero affecti, & à Iulio Schillerio confecti ſequenti anno allatum fuit, commendauit 1628.
quidem Peireskius pietatem, qua illi vulgaris Planetarum nominibus ſubſtituerunt propria Adami, Moſis, aliorúmque Patriarcharum; indiderúntque duodecim Signis Apoſtolorum vocabula, & Aſteriſmis cæteris aliorum Sanctorum, rerúmve religioſarum nuncupationes; præter figuras recens confictas, conditáque noua de iis carmina: ſed inſtitutum non comprobauit peruertendi, confundendíque quicquid cæleſtis notitiæ à

memoria vſque antiquiſſima reſperſum eſt in omneis libros. Quanquam ſeriò non timuit, ne propterea Aſtronomi vniuerſam illam Aſtrorum nomenclaturam immutarent; quoniam illicò peruiderent nihil ſe inde adjurari, turbari verò quamplurimùm. Addebat pervetuſtos illos Schematiſmos Siderum, tametſi prophanos, nihil officere Chriſtianæ pietati; cùm & ipſe olim obſeruaſſet Vercellis huiuſmodi imagines, à mille & ducentis annis fornici Eccleſiæ impreſſas. Denique optare, vt quæ ſolers manus nouas iſtas cælauerat, Vercellenſeis illas ſua antiquitate commendabiles expreſſiſſet.

Longè ſanè magis commendauit opus Tabularum Rudolphinarum, quod tum à Keplero euulgatum eſt. Quippe quòd illæ deductæ forent ex noui Atlantis Tychonis Brahei accuratiſſimis obſeruatis, haud malè opinatus eſt poſſe ex illis exquiſitiorem Cæleſtium rerum notitiam; quàm ex quibuſvis aliis haberi. Hinc quia id opus fuerat à multis annis expectatum; ideò maturè collegerat obſeruationes varias ex quibus examinarentur. Non poſtremos verò rogauit viros eximios Petrum Franciſcum Tondorum San-legerium Auenionenſem Iuriſconſultum, & Iacobum Valeſium Scotum apud Delphinates generalem Theſaurarium, vtrumque omnis quidem Matheſeos, ſed Aſtronomiæ cumprimis peritum. Habuit præterea ab vtroque vnde errata varia Typographica emendaret; & cùm poſterior ſignificaſſet inſtitutum à ſe fuiſſe Eleazarum Feronceum Ledigueriorum Viziliæ hortorum olitorem oppidò induſtrium, & quo non alius vnquam eſt magis opportuna loquutus, qui obſeruaret Cæleſtia; idcircò ſategit Peireskius ſpeciatim ab ipſo obſeruationes obtinere.

Mitto quòd meas quoque nonnullas habere, aſſeruaréque voluerit, priuſquàm Pariſios diſcederem (vnde Tabulas ad ipſum tranſmiſi) ac cæteras inter nuperæ Lunaris Eclipſeos, cuius Phaſes præcipuæ Aquis-Sextiis obſeruatæ prodiderunt illius medium contigiſſe eo ipſo anno, die Ianuarij vigeſima, ac hora nona, cum tribus quintis. Ipſam verò Pariſios, Romam, Florentiam, Patauium, Louanium, aliò deſtinauit, vt ſicubi fortè peracta obſeruatio ſimilis foret, expendi poſſet intercedens Meridianorum differentia. Nimirùm cordi ſemper habuit inſtaurationem Geographiæ, de qua tum quoque ad Bertium ſcripſit; adhortando illum, vt ſimul cum editione Euſebij, quam pollicitus fuerat Geographiam Sacram maturaret. Ne memorem, quòd auctor fuit illi, vt Typum Orbis ederet pro varietate figurarum, qua varij τὴν οἰκουμένην, ſeu habitabilem Terram deſcribendam olim cenſuerunt, vt Dionyſius, Strabo, Plinius, Ptolemæus, & alij.

Circa obſeruationes vt quidpiam adiiciam, exoptauit omnibus votis exoriri interpretem, qui explicaret, figuras, characteréſque conſpicuos in fragmento quodam Lateritio, Babylone non ita pridem eruto, & ad ſe tranſmiſſo. Ipſum quippe eſſe rebatur ex illis coctilibus laterculis, quibus Plinius docet, ex Epigene, inſcriptas apud Babylonios obſeruationes Siderum per ſeptingétos viginti annos. Qua occaſione mirè ſuſpexit veniſſe in mentem hominibus haud-dubiè bonis inſcriptionem lapidi inſculpere ad portam Sacelli, ſupra rupem ad Druentiam prope Mirebellum eminentis, quam indicatam habuit à viro amico, eruditionis paternæ hærede Ioanne Gallaupio Caſtuellio, Regio apud Magiſtros rationaleis cognitore. Quippe éa nihil continet aliud, quàm monimentum Eclipſeos Solis, quæ III. Nonas Iunij, anno M. CC. XXXIX. contigit; cuius notitiam iam habuerat ex Necrologiis aliquot, ac nominatim noſtræ Eccleſiæ; in quo memorata quoque alia, viſa anno M. CCCC. XV. die Veneris ſeptima Iunij, horâ à Solis ortu primâ, tantæ obſcuritatis, vt ſtellæ clariſſimè conſpicerentur.

Inaudierat paullò antè abiiſſe è viuis Iacobum Allealmum Mathematicum: quare magnoperè condoluit; veritus jacturam operum quorumdam tum ipſiuſmet, tum Franciſci Vietæ laudatiſſimi Geometræ, veluti etiam non longè pòſt audita Fontanei morte, jacturam timuit Cimeliorum, Manuſcriptorúmque complurium; quos inter ipſum Alciati autographum de rebus Mediolanenſibus commendare ſolitus fuit. Expetebat verò vt rati, & bonæ notæ M S S. niſi quam-primùm ederentur, aſſeruarentur ſaltem in publicis potiùs, quàm in priuatis Bibliothecis; quòd ea ratione longè minùs malo fato forent obnoxij. Sed & ſimul expetebat viros non deeſſe, quibus curæ foret, nimis diu latenteis ex illis eruere, eámque ob cauſam ad Cardinalem Barberinum cùm ſcriberet, enixè contendit, precatúſque eſt, vt, pro ſummo ſuo in bonas literas amore, procuraret Typographiam Vaticanam reſtitui, quò tot præclari Codices Græci meritam reciperent lucem. Atque huiuſce quidem rei occaſionem ſumpſit, ex eo quòd Michaël Iayus Ciuis Pariſinus, generoſo auſu, Typographeon inſtituiſſet, quo jam cœpta erat editio Bibliorum, futura locupletior Plantinianâ, & Regiâ dictâ; quódque Romæ eſſet Holſtenius, operam lubens collaturus.

An memorabo conſcium fuiſſe meæ cuiuſdam diſſertationis cum Merindolo pridem habitæ, de transfuſione chyli in iecur? Aperueram ſcilicet iter per porum dictum Cholidochum, mezenterij venis obſtructis. Cùm ſcripſiſſem ergo euulgatum librum, quo Gaſpar Aſellius, Anatomicus Ticinenſis, referebat ſe detexiſſe venas in mezenterio Lacteas, probabilitérque chyli vectatrices (ſcilicet præter vulgareis rubeas) ipſo mira feſtinatione conquiſitum miſit libri exemplaria, quæ in Medicos amicos diſtribuit, ac ſimul experiri voluit in cane, in oue, in boue, in pleriſque omnibus animalium generibus, quod ab Aſellio fuerat de ſingulari inuento ſcriptum. Cùm ſimul monuiſſem Gulielmum Harvæum, Medicum Anglum, edidiſſe præclarum librum de ſucceſſione ſanguinis ex venis in arterias, & ex arteriis

rursùs

rurſùs in venas, per imperceptas anaſtomo-
ſeis; inter cætera verò argumenta confir-
maſſe illam ex venarum valuulis, de quibus
ipſe inaudierat aliquid ab Aquapendente, &
quarum inuentorem primum Sarpium Ser-
uitam meminerat; ideò ſtatim voluit & li-
brum habere, & eas valuulas explorare, &
alia internoſcere veluti mæandros mediaſtini
cordis, quos Harvæus eſt inficiatus, & de
quibus ipſe feceram ſecurum.

Ita admonitus de lingua muſcarum mul-
ticuſpide microſcopio conſpicua; experi-
mentum multiplex peregit in inſectis adfini-
bus, ac in Ape potiſſimùm, vt exinde anſam
præberet Rigaltio emendandi, illuſtrandique
Plinianum caput de Apibus. Ita, cùm Grotius
ſignificaſſet inſectum quoddã multiceps ex
lignis in mare demerſis prognatum; non au-
ctores modò omneis, qui ſimile quidpiam
haberent, conſuluit; ſed requiſiuit etiam
piſcatores, curioſóſque omneis ad oram ma-
ritimam; effectúmque tandem, vt niſi ean-
dem planè rem, ſaltem piſcem compereret,
præditum ſeptem capitibus, mediiſque qua-
ſi corporibus, longitudine inæqualibus, cui-
dam quaſi vmbilico, ſeu placentulæ ſatis
denſæ, circum implantatis.

Hæc, & ſimilia cogitabat, dum à ſatis cre-
bris hæmorroidum, ſtranguriæque laboribus
conquieſcere permitteretur. Cum Septembri
autem menſe, relaxandi animi causâ, diſceſ-
ſiſſet Belgenſerium, maturè ſatis rediit, vt die
menſis vltima præeſſet, adhortationéque
egregia præiret municipalibus comitiis, qui-
bus Aquenſes Conſules, iidémque Prouin-
ciæ Procuratores, creari ſolent. Non longè
pòſt renunciata eſt, quam acerbè profectò
tulit amiciſſimi Malherbij mors. Cùm verò
luctum non modò ſibi, ſed Muſis etiam Gal-
licis indicendum arbitraretur; conſolationi
tamen fuit, quòd ſucceſſiſſe videretur & ſui
amicus, & Gallicæ linguæ, Poëſcóſque ar-
biter, ſingularis vir Ioannes Capellanus; in
quo ſemper eruditionem, cum ſapientiæ ſtu-
dio; & morum lenitatem, cum animi cando-
re coniunctam, ſuſpexit.

Accepit deinceps exemplum hiſtoriæ Ge-
nealogicæ Regij Francorum ſtématis, quam
San-marthani fratres ediderunt, & in qua
ipſius cum elogio meminerunt, occaſione
communicati MS. Codicis Matthæi Giova-
nazzij, de Regibus Siculis ex Andegavenſi
ſtirpe. Cùm eodem verò tempore vir bonus,
doctúſque Dominicus à Ieſu-Maria Carmeli-
ta, ſcripturus de Sanctis ex Regia ſtirpe pro-
genitis, monumenta quædam ex ipſo quæ-
ſiiſſet; nihil potiùs habuit, quàm commemo-
rare Carolum ſecundum Regem Siculum,
vnáque Comitem Prouinciæ. Is enim &
mortuus venerationi habetur, integro eius
corpore in hunc vſque diem Aquis-Sextiis
aſſeruato; & viuus ea fuit fœlicitate, vt Lu-
douicum filium, Toloſanorum Præſulem de-
ſignatum, & cum fama ſanctitatis præmor-
tuum, viderit referri in Sanctorum Catalo-
gum; atque adeò vota illi vouerit, pecuniám-
que legauerit, extruendæ ipſi Eccleſiæ Maſſi-
lienſium Minoritarum.

Non parùm poſteà laborauit, vt Incile
amplum, ſeu Canalis ex Druentia, aut ex Ver-
duno fluuio, qui Druentiâ excipitur, Aquas-
Sextias deduceretur. Opinatus eſt enim tum
demùm Ciuitatem fore florentem, atque
opulentam, cùm eius Canalis beneficio fa-
cilè rerum neceſſariarum, tam cum ſuperio-
re Prouincia, quàm cum ipſo mari habuerit
commercium. Septuaginta iam anni erant,
ex quo Adamus Crapouus Salonenſis Cana-
lem ex Druentia in Campos lapideos, Crau-
tiámve totam deduxerat, Aquenſémque il-
lum etiam adumbrârat; & quoniam opus
iam erat alio ſeu deſignatore, ſeu directore
operarum; idcircò ſcripſit in Belgium, ad
obtinendum ex iis, qui ducendis per eam re-
gionem Canalibus fuerant præfecti, recénſ-
que communicationem Scaldis cum Moſa
meditabantur. Ac futurum quidem eſſe vi-
debatur, vt quod generosè propoſuerat, fœ-
liciter exſequeretur; verùm quæ inſequente
anno ſexcenteſimo vigeſimo nono superve- 1629.
nit peſtis, & rerum perturbatio, ſeceſſúſque
factus Belgenſerium, conſilium ipſius planè
euerterunt.

De huiuſmodi autem rebus priuſquam
dicamus, attingenda aliqua ſunt, quæ intereà
molitus eſt. Imprimis enim occaſione cœptæ
Bibliorum editionis, non contentus indicaſ-
ſe, procuraſſéque vt Româ mitterentur Pari-
ſios Biblia Samaritanica, apud Virum erudi-
tum, & de bonis literis benemeritum Pe-
trum Valleum Patritium Romanum exſtan-
tia; miſit ipſe in Orientem Virum ſagacem
Theophilum Minutium, ex Minimorum
Ordine, qui vberiora requireret, obtentâ
illi priùs licentiâ tam à Summo Pontifi-
ce, quàm à Generali Ordinis, prouiſó-
que, ne vel commeatus, vel neceſſarium
voluminibus coëmendis pretium deeſſet. Et
ſita ſanè ſpe fruſtratus non eſt; ille enim,
optima ſorte, comperit ſtatim, acquiſiuit-
que Biblia Samaritanica, cum adiunctis,
in Tritaplorum formam, Hebraïcis, Ara-
bicíſque (ſed eodem tamen, videlicet Sa-
maritanico charactere) idque præter duo
Teſtamenta Syriaca, Arabicóſque Codices
complureis. Non eſt verò reticendum Da-
nielem Dayminium, ex iis Franciſcanis,
quos Recollectos nominant, ſeriam nauaſſe
operam, vt tam hi libri, quàm alij, ac va-
ria etiam numiſmata in Minutij inciderent
manus.

Mandârat etiam, vt in Cypro perquire-
rentur Codices, quibuſcum fuerat iam me-
moratus Eclogarum, ſeu excerptorum Por-
phyrogenneticorum repertus: at ij ſic fuêre
exturbati, vt nulla tandem exploratione,
quantumlibet ſedula, reperiri potuerint.
Summoperè verò id doluit, qui ex vno, tan-
quam ex vngue, magna ſpe concepta, tu-
lerat iudicium. Quare, ne ſtatim illius fru-
ctu viri ſtudioſi fruſtrarentur, mittendum
cenſuit Pariſios, vt Grotius, Salmaſius,
eruditi alij, pro ſuo quiſque inſtituto, &
peruolutarent, & vtilia deligerent. Adfuit
porrò imprimis Grotius, qui eius horta-
tu ſe ſtatim accinxit ad deſcribendum,

interpretandúmque illuſtria Nicolai Damaſceni fragmenta, quæ etiam cum nuncupatoria Epiſtola, ad ipſum miſit.

Dum adeſſet qui ſimilem operi reſiduo operam nauaret, procurare intereà voluit iteratam editionem Pharmaceutices Antonij Conſtantini Prouincialis Medici, qui ante annos citciter trigінta in id incubuerat, vt oſtenderet nihil eſſe opus ad plantas exoticas, peregrináque remedia confugere; cùm, benignitate naturæ, idem patrium ſolum, quod homines gignit, ipſis nutriendis, curandíſque conſentanea & alimenta, & medicamenta prouideat. Quare quod habuit libri exemplum miſit ad Renatum Moreum, magnum Medicæ Facultatis Pariſienſis lumen, cui id curare pergratum fuerat.

Per idem tempus accepit aureum eruditi Seldeni librum, de Arundellianis Marmoribus, ſiue ſaxis Græcè inciſis, quæ perilluſtris ille Comes transferri ex Aſia in Angliam, hortóſque ſuos curauerat. Ac memorare quidem par eſt, Marmora illa fuiſſe primùm operâ Peireskij detectâ, erutáque, perſolutis aureis quinquaginta, per Samſonem quendam ipſius negotia Smyrnæ procurantem; & conuehenda cùm iam eſſent, neſcio qua venditorum arte, Samſonem conjectum in carcerem fuiſſe, Marmoráque ipſa intereà distracta. Sed & illud addendum eſt, maximopere lætatum Peireskium, cùm accepit præclaras illas antiquitatis reliquias in tanti Heroïs incidiſſe manus; ac tantò magis, quantò agnouit Seldenum, veterem amicum, eas fœliciter illuſtraſſe. Scilicet cui vnicus ſcopus vtilitas publica fuit, nihil putauit intereſſe, ſeu ſua eſſet gloria, ſeu alterius; dummodò quod eſſet è Reipublicæ literariæ bono prodiret in lucem. Exiſtimauit autem theſaurũ incomparabilem contineri in illis præſertim rerum Græcarum Epochis, quæ non modò hiſtoricum, ſed fabuloſum etiam tempus ſummè illuſtrant, conciliántque; dum memorabilia omnia, ab annis vſque octingentis ante Olympiadas, ad vſque quingentos quinquaginta poſt earum initium deſcribunt.

Adhæc variè communicauit priorem partem Epitaphij, quod Adrianus Cæſar Boryſtheni Equo in his, vt par eſt credere, regionibus mortuo, humatóque inſcripſit. Videlicet effoſſa eſt ex agro Aptenſi Tabula marmorea illam Epitaphij partem continens; cùm reſidua nondum reperta, necdum eruta fuerit. Curauit deinceps Peireskius transferri in ædeis huiuſmodi marmor: intereà verò quia Inſcriptio, de qua celebres auctores certârunt, potuit ex hoc archetypo nobiliſſimo corrigi; ideò ad omneis eruditos eiuſcemodi verſus miſit, exſcriptos ex eo marmore, cui inſculpti ſunt elegantiſſimo charactere,

Borysthenes alanvs
Cæsarevs veredvs
Per æqvor et palvdes
Et tvmvlos atrvscos
Volare qvi solebat
Pannonicos in apros
Nec vllvs insequentem
Den......

Notum eſt verò, inter vetera per Petrum Pithœũ edita Poëmatia, Epitaphium integrum legi, ſpeciatímque poſtremos verſus ex heic deſcriptis, in hunc modum, Pannonicos nec vllvs * apros insequentem dente aper albicanti avsvs fvit nocere, &c. Ille ſcilicet alio modo reſtituere non potuit. Et Caſaubonus quidem in illud Lampridij de Adriano ſcribentis, *Equos, & Canes ſic amauit, vt ſepulchra conſtitueret*, retulit quidem inſcriptionem; ſed ſupra Pithœum nihil immutauit. Salmaſius verò pro ſua ſolertia medicam manum adhibens, ſic legi poſſe exiſtimauit, Pannonicos nec vllvs apros svm insequentem: verùm nihil tam conjecturis opus, cùm ipſiſſima exſtet tabula.

Prætereo autem, vt occaſione huius inſcriptionis requiſitum miſerit Auguſtam, num vſpiam reperiretur nummus, cuius Adolphus Occo meminit; cum inſcriptione ex vna parte, ΚΑΙCAR ΣΕΜΝΟC ΑΔΡΙΑΝΟC, & ex aduerſa, ΒΟΡΥΣΘΕΝΕΣ, idque cum columna, ſeu cippo, cui impoſitus eſt Equus: vtque proinde differens de Græcorum adulatione in affectu Imperatoris erga hunc Equum commendando, cenſuerit nihil eſſe id mirum; quando ipſi quoque, (nec ſoli Ægyptij) euexerunt in Cælum vſque Antinoum eius amaſium. Communicauit etiam inſcriptos Conſtantini titulos in columna quadam milliari ad Forum Iulium eruta; delineationémque marmorum aliorum recens effoſſorum, in quibus Bacchi effigies cum variis Circes incantamentis: ne ea memorem, quæ explicuit circa figuras Thymelicas, appoſitóſque in iis thyrſos, cum vitta, & ſeu ſcolymo, ſeu nuce pinea in apice.

Addam-ne, quòd ſollicitè elicere voluerit quid ipſe ſentirem de Parheliis, quæ die Martij vigeſima conſpecta Romæ fuerant, quorúmque deſcriptionem, delineationémque cùm Cardinalis Barberinus accepiſſet à docto, atque laborioſo Chriſtophoro Scheinero Societatis Iesv Mathematico, iuſſerat ad ipſum tranſmitti. Cùm voluerit ſanè meam euulgari ſententiam, memorabile ſolùm eſt, excepiſſe illum cum applauſu, quod, poſt naturalem conſiderationem, viſus ſum ridere perſuaſiónem vulgi, qua ex hiſce Phænomenis præſagia ducuntur pro rebus humanis. Niſi id quoque eſt notandum, cùm Soles quinque viſi tum fuerint (ſeu, præter verum, ſpurij quatuor) vix priùs vnquam viſum fuiſſe tam magnum Solium numerum; & rem ſtupendam contigiſſe, cùm idem Scheinerus decimo pòſt menſe, ſeu die Ianuarij vigeſima quarta ſeptem ſimul conſpicuos eadem in vrbe obſeruauit. Addere certè heic licebit, cùm iam menſe Iunio, verſarer in Belgio, quò ad me de Parheliis ſcripſit, fuiſſe eum mirè ſollicitum, ne ex lue, quæ in hac Vrbe dirè graſſari cœperat, ſupellex mea libraria detrimenti quid pateretur.

Cæterùm nondum Aquas-Sextias, cæteráque Prouinciæ inferioris loca prorepſerat malum; cùm verſante Rege apud Arecomicos

(ſau

(ſeu in ea parte Occitaniæ, quæ eſt proximè vltra Rhodanum) diſceſſere ex Aula non pauci, qui Peireskium inuiſerent, ſalutaréntque. In iis fuére Stephanus Haligræus Cancellarij filius, ex legatione Veneta redux; itémque Henricus Grandis libellorum ſupplicum magiſter, & Ludouicus Peletarius Theſaurarius, qui apud ipſum diuerſantes, cùm accepiſſent Thuanum ex Oriente reducem, appuliſſe Maſſiliam, eò, cum Peireskio, ſtatim accurrerunt. Fuére præterea Druſus Daubrayus libellorum magiſter, (nec moltò pòſt inſpector Regius, Intendénſve Iuſtitiæ) Philippus Fortinus Hoguetta, & alij.

Sequente Iulio, profectus eſt, cùm Oppedeo Præſide primo, ſalutatum Regem. Ea occaſione, vidit complureis ex amicis Aulicis; & Nemauſi cùm foret, commendauit raram virtutem, eruditionémque Samuelis Petiti quibuſdam ex Primoribus, vt Michaëli Marilliaco Procancellario, Antonio Ruzæo Deffiati Marchioni, ærarij Præfecto, & aliis. Erat Petito præ manibus faſciculus Miſcellanearum obſeruationum in bonos auctores: itáque ipſi auctor fuit, cùm aliorum inſerendorum, tum non negligendæ interpretationis in ea, quæ linguâ Punicâ apud Pœnulum Plauti efferuntur. Arelate cùm rediret, reperit ibi, acquiſiuítque annulum quendam Pronubum, ſeu Artham genialem, de qua plura per literas cum eruditis diſſeruit, occaſione inſcriptionis, TECLA VIVAT DEO CVM MARITO SVO.

Poſtquàm rediit, Ciuitas, ſuſpicione peſtis breui laborauit. Ea innotuit primùm initio Auguſti, ex quo vſque tempore conſtituit Belgenſerium ſecedere, illúcque proinde familiam præmiſit. Nimirùm, præter mali perniciem, prouidit inſignem futuram perturbationem ordinum, præſenſitque ſibi non fore ſatis virium, vt contentionem ſedandis turbis, arcendiſque malis imminentibus ſuſtineret. Et experiri tamen voluit, ne videretur patriæ, communique ſaluti deeſſe; verùm coactus tandem fuit medio Septembri excedere, concluſis domo famulis, qui totam ſupellectilem, &, quæ ex ſua Bibliotheca, atque Cimeliarchio non aſportaret, tuerentur. Belgenſerij dies quadragenos pro more tranſegit, abſque vllo commercio, intra ædeis proprias, hortóſque contentus. Conſumpſit verò totum id tempus in recuperandæ ſanitatis ſtudio (quippe non prorsùs bene habuerat) inque plantis horti, viridariiſque amœniſſimi excolendis. Excepit deinde partim domo, partim reliquo oppido amicos cum familiis varios à ciuitate exturbatos; ac Bonifacium Borrillium imprimis, virum optimum, & cui eſt ſpectatiſſimum Cimeliarchium.

1630. Deſæuiit autem morbus in vrbe, non modò toto reliquo anno, ſed etiam parte milleſimi ſexcenteſimi ac trigeſimi inſequentis. Quo loco recitanda foret inſignis tumultuatio, quæ exacto morbo concitata in vrbe eſt, ſcripsítque etiam in alia loca, ac potiſſimùm per autumnum. Verùm renouare dolorem infandum nihil attinet, ac multo minùs commemorare publicas, priuatáſque cauſas, quæ Terram Cælo commiſcuerunt. Referre ſufficiat Peireskij domum à direptione vix abfuiſſe, cùm antigua direpta eſt; ipſúmque fuiſſe repentina conſternatione perculſum, cùm res ita fuit renunciata, vt penetratum in Bibliothecam, Cimeliarchiúmque intellexiſſet; reuixiſſe verò, cùm inaudiit direptores, tametſi viſos impetu magno irruere, nihilominùs ſibi temperaſſe.

Inuiſêre illum plerique per ea tempora; ac inter cæteros, commorati aliquandiu ſunt Henricus Gornæus Marchævillæ Comes iſtum diſceſſum apparans; profecturus nempe Orator Regis nomine ad Imperatorem Turcarum. Philippus quoque Bethunius, qui Regius anteà Romæ Orator, ſeſe in Galliam recipiebat, quíque deinceps literis compluribus teſtatus eſt, quanto teneretur iucundiſſimæ conſuetudinis deſiderio. Philippus item Nunneſius, Emmanuélque Coſtæus, quos diſceſſuros in Indiam, nullis non officiis, muneribúſque deuinxit, datis per ipſos literis ad Ludouicum Herriardum in Magni Mogoris aula reſidentem; ad Loppeſium Siluanum Goæ verſantem, & ad alios; vt exinde naaciſceretur, tum rara alia quam-plurima, tum matrices rupes variarum gemmarum.

Sic commoratus Samuel Petitus, cuius mentio facta iam eſt, quémque tum Pariſios breui diſceſſurum quibus demeruerit officiis, intelligi præſtat ex nuncupatione Eclogarum Chronologicarum, quas non multò pòſt illeic edidit. Nam, *Geſtiebat*, inquit, *iampridem animus, Vir Illuſtris, vetina hac tabella teſtatum palam facere, quantum te colam, quantum tibi debeam: cùm mortalium nemo viuat hodie, qui tibi magis ſit obnoxius, quàm ego; nemo, cui ego magis ſim obnoxius quàm tibi. Verùm vt appenſa hac tabella tuo nomini, Vir ampliſſime, & tuum nomen his noſtris libellis inſcriptum teſtimonium potiùs dicent ſpei, quàm de tuo in nos affectu concepimus. Te enim Patronum aduocamus, qui adſis mihi, meiſque. Tu vero, Vir Illuſtris, patrocinium ne denega; ita viuas, & valeas, noſtrâ quippe intereſt. Nam ſi hi libelli in tuo nomine apparent, nemo bonus eſt inter eruditos, cui non probentur, tanquam tibi, viro caſtigatiſſimi iudicij, & eruditionis ſummæ, probati*, &c. Sic Henricus Dormalius Leodienſis Canonicus, omnibus quidem literis bonis, ſed fœlici tamen Græcorum Poëtarum imitatione præſertim conſpicuus, quem niſi negotia domum reuocaſſent, prolixiùs longè detinuiſſet.

Sic Ioannes Iacobus Buccardus Pariſinus, ipſe quoque omni ingenua literatura perpolitus, qui, quò poſſet meliùs excolendis Muſis, boniſque auctoribus quà Græcè, quà Latinè verſandis æuum terere, conſtituerat ſolum patrium, cum Romano commutare. Eò ergo pergentem detinuit Peireskius quantum potuit, non dimiſſurus hieme tota, niſi præoptaſſet eius ſtudia quam primùm incláreſcere in magno illo Orbis theatro. Heinc & paterna monita dedit, & literis variis ita commendauit, vt Cardinalis Barberinus

illum non modò pro ſolita humanitate exceperit, ſed voluerit etiam inter literatos, quos domi habebat, ſubinde conſcribi. Sic Antonius Natalis, doctus Medicus, qui Hiſpali antè moratus fecerat ipſi occaſionem Americani commercij, & qui tunc res naturæ perraras ex nouo illo Orbe aduexit; alteróque pòſt anno, priuſquàm regrederetur Hiſpalim, dicauit ipſi quandam ſuam aduerſus Medicos Apologiam.

Sic Franciſcus Gallanpius nobilis Aquenſis, qui Hebraicè doctus, ſi quis alius, & peregrinationis Orientalis cupidiſſimus, Marchævillæum apud Peireskium rediturum, præſtolabatur. Is fuit, cui ſimul ac Lombardo demandauit præcipuam curam obſeruandi Eclipſim Solis, quæ die decima Iunij contigit. Id tamen fruſtrà; quòd montes occidui deficientem Solem interceperint, obſeruatáque ſolùm fuerit magna aëris obſcuratio. Defecit nempe Sol ad occaſum; nam & nobis Pariſiis, Horizontem liberum ſubiit obductus adhuc digitis duobus; cùm deliquium maximum fuiſſet digitorum vndecim, ac minutorum triginta duorum; cœpiſſet verò horâ ſextâ, cum quadrante, & ſeſqui-minuto.

In talium igitur virorum conuerſatione dies ducebat; interiiciebátque tum crebram lectionem; tum rariorum plantarum cultum; tum ſtudium, ac varia de rebus lapideſcentibus ratiocinia. Et circa Plantas quidem, viderentur heic enumerandæ præcipuæ; ſed immorandum non eſt in iis, quæ, tametſi habitæ raræ, in aliis tamen hortis viſuntur. Aliquæ ſolùm attingendæ ex iis, quarum habendarum, & per Europam excolendarum prima laus Peireskio debetur. Eiuſmodi cenſeri poteſt Gelſeminum Indicum; arboreſcens, ſemper virens, flore luteo, ac ſuauiſſimè odorato. Id ſcilicet primùm ex Sina aduectum, & Belgeoſerij excultum, fuit deinceps in hortos Regios, & Barberinos propagatum. De his certè Ioannes Ferratius, ex Societate Iesv eruditus vir, in iis libris ſcripſit, quos tribus pòſt annis edidit de Fiorum cultura. Sed addendum eſt Cardinalem miſiſſe viciſſim Belgenſerium Sinenſem Roſam, cuius pulchritudo odorem deſideratum mirè compenſat.

Deinde quæ dicitur Liſa, ſiue cucurbita Mechana, quæ aduecta nempe eſt Mechâ, dicíque poteſt planta ſericea, quòd filamentis turgeſcat ad opus textorium non abſimile ſericeo idoneis. Peireskius certè ſimul accepit & grana, quæ ſerenda primùm, curandáque Viaſſio dedit; & Cucurbitam integram, totam intus filamentoſam; & telam, ſeu pannum ex eiuſmodi materia confectum.

Tum Papyrus Ægyptia vera, aliáque ab ea, quam Proſper Alpinus deſcripſit. Peireskius nempe illam obtinuit ex Sairarum regione, vbi germana creditur naſci; tametſi, quod ſciam, non fuerit expertus, an charta confecta, ſiue craſſior ex cortice, ſiue tenuior ex phyliris, ſatis patiens ſcriptionis foret. Opinatus certè initio, cùm vidit vmbelliferam, poſſe pediculos compingi, & ad ſcribendum vſui eſſe, in ſententia non perſtitit.

Prætereà quæ Nux Indica appellatur Cocos. Non quòd Nuces huiuſmodi non fuerint iamdudum in Europa viſæ; ſed quòd ipſe etiam tentârit, num ſub hoc Cælo prouenirent. Ac germinantes quidem vidit; ſed vel aëris inclementiâ, vel quòd non ſatis curatæ fuerint, non adoleuerunt pro votis.

Rurſùs Zinxiber, quod ex India allatum vireſcere deprehenſum eſt, tranſmiſſúmque deinde Pariſios ad Vidum Broſſeum celebrem Medicum, & Regiorum hortorum inſtructorem. primum, demonſtratorémque primarium; à quo aliunde, & ab antè nominato Veſpaſiano Robino ſubdemonſtratore perrata obtinuit.

Nihil autem dico de Myrto latifolia, ac flore pleno, de Styrace, de Lentiſco, vnde Maſtiche, & aliis priùs memoratis. Multò minùs refero Gelſeminum Americanum maius, flore phœniceo, Perſicum violaceo, Arabicum pleno: Arantia flore rubeo, atque variegato: Meſpilum, & Ceraſum acidum, ſine nucleis; ficum Adameam, cuius fructum Peireskius eſt interpretatus ex eo genere racemorum, quos exploratores ex Terra Chananæorum retulerunt; vites rariores habitas Tuneto, Smyrna, Sidone, Damaſco, ex noua Francia, aliiſque locis. Minimè omnium denique hæreo circa ſollicitudinem, qua opus topiarium curauit; qua arbores in quincuncem diſpoſuit; qua totum ſolum irriguum fecit: qua cauit, ne per hiemem tenerioribus plantis noceretur: qua accerſiuit ad florum copiam peritiſſimos odorarios, qua, vt paucis dicam, nihil prætermiſit, quod exiſtimauerit facere ad amœnitatem.

Hoc potiùs inſinuo, peregiſſe illum experimenta varia circa plantarum ſemina, gemmáſque, & ſurculos variè commiſcendos. Placuit autem potiſſimùm inſerere Myrto non Gelſeminum modò, ſed etiam Apianam (dicunt vulgo Muſcatam) vitem: vt experiretur quale eſſet vinum, Myrtites antiquitùs dictum. Expertus porrò Lapidem eſſe, è quo in humente loco erumperent, ac ſuccreſcerent fungi: deprehendit denique ipſum nihil aliud eſſe quàm Tuber inſolitæ magnitudinis, inſtar lapidis induratum. Et cùm Renatus Moreus retuliſſet ex Mercurio Gallo-belgico manum è ſuggeſto enatam, monuit diſquirendum num ea fortè fuiſſet ex ramoſis fungis, qui non ex iis lapidibus ſolùm, ſed ex lignis etiam putreſcentibus exoriuntur: ac num impoſtura fuiſſet, aut credulitas, quæ fabulam de digitorum obſeruato motu feciſſet. Sed hæc de Plantis.

De ſtudio rerum lapideſcentium paullò vberiùs dicendum eſt: quando & copiam, & occaſionem de iis diſſerendi creberrimam habuit: & ad ipſa loca frequenter deduxit hoſpites ſimilium curioſos; vt comprobatiorem faceret ſententiam. Cùm ergo in colle, quem Defenſum vocant, occurriſſent Pectinitæ, Oſtreitæ, Cornu Ammonis, aliiſ-

que

que lapides diuerſimodè figurati : & in campo re, ac nomine longo, intráque cauernam Guerineam reperta fuiſſent folia ex quercu, alno, ilice, vlmo, nuce, populo, hedera, lauro, aliiſque arboribus, ita conuerſa in lapides, vt ſuis tamen neruulis, & denticularionibus ſuas indicarent ſpecies; cœpit exinde reducere, firmaréque antiquam ſuam de lapidum vniuerſorum generatione opinionem. Quippe in ea non fuit ſententia, vt exiſtimaret omneis lapideis ab initio Mundi formatos: ſed voluit temporis progreſſu pleroſque ita fieri, vt ſinguli originem debeant ſuæ materiei, propriiſque ſeminibus, configurationem verò partim ad naturam, partim ad caſum referant acceptam. Nam cùm omnium materies ſit aqua, ſeu liquor, aut ſuccus : exiſtimauit variis in locis contineri varia rerum ſemina, ac ſpeciatim lapideum, quod liquori immiſtum, lactis inſtar ipſum coagulet, ſpecialémque imprimat formam.

Heinc Chryſtallum, Adamantem, Amethyſtum, ſimileiſque lapides fieri, cùm illorum ſemina limpidum liquorem, cuiuſmodi ſolùm perficere poſſunt, nacta fuerint; cæteros verò, cùm ſemina eorum magis turbidum, & obſcurum. Et quoniam liquor tunc contineri, conquieſceréque in cauitate quadam, & quaſi vaſe, ſeu conceptaculo debet; inde effici, vt pretioſi etiam illi lapides fundum habeant craſſum, obſcurúmque, tum quia conceptaculum terreum, immundúmque vt plurimùm eſt; tum quia quicquid eſt in liquore craſſum, ſubſidit, coagulationémque proinde in fundo facit beberiorem. Cæterùm ipſos, dum coagulantur, diffindi, & multiplicari, vt grana ſpicæ, intra vaginam: ſubire autem Cryſtallum figuram oblongam, hexahedricam; Smaragdum dodecahedticam; Adamantem, & Rubinum octahedricam: & ita de aliis, propter ſpecialia ſemina, iuxta quæ lapides non minùs conſtanter, regulariterque, quàm ſtirpes, atque animalia ſuarum ſunt confiſgurationum.

Quod ſpectat verò ad figuras Concharum, Cochlearum, Strombylorum, Oſtreorum, & innumeras alias; id eſſe ex caſu, quo, animalibus demortuis, contingit teſtas, corticéſve conceptacula fieri excipiendo, continendóque lapideſcenti illi humori, qui coagulatus induratúſque, continentis figuram induat; quo etiam modo lapides Stellati ex ſpolio, atque inciſuris quorundam vermium formari poſſunt. Quin etiam partem humoris ſubtiliorem, penetrare in ipſam teſtam, adeò vt ipſa quoque lapideſcat; licèt euadat friabilior (vnde in multis non cohæret) & remaneat tamen candidior interiore nucleo; qui aliunde, præter craſſiorem humorem, immiſtam habere corrupti animalis ſubſtantiam poſſit. Mirum eam ob cauſam non eſſe, ſi non modò intra hos nucleos, ſed etiam interdum intra Cryſtallum, & lapides alios tranſparenteis obſeruentur paleæ, muſcæ, & id genus ſimilia; has enim res caſu repertas, aut in conceptaculo, aut in fluore illo, cùm induruit in lapidem. Folia autem illa plantarum lapideſcere, eo modo, quo dictum eſt teſtas; ſcilicet ſubeunte puriore humore, qui, ſi impurior fuerit, lapidem craſſum circumformet; vti conſtitit in lapide quodam intra Muſæum aſſeruato, qui diffiſſus florem contentum, petrificatúmque exhibuit. Sic etiam Oſteolitha fieri, ſeu oſſa humana, & alia lapideſcere cenſuit.

Et ad generationem quidem illorum lapidum polyhedricorum, argumentabatur ex conformatione ſalis, aluminiſque in ſuas figuras. Circa alios verò, meminerat primùm, quod primis pubertatis annis obſeruaſſe illum memorauimus, dum ad minorem Rhodani alueum, in quem Sorga fluuiolus ſeſe exonerat, nataret. Nimirùm ſimul adnotârat turbatiorem tum fuiſſe Sorgam, ex terræmotu ad illius ſcaturiginem excitato; &, propter intumeſcentem ea tempeſtate Rhodanum, aliquot diebus reſtagnaſſe. Vnde & ratiocinabatur, potuiſſe ex ea concuſſione germen lapideum ex ipſis vſque viſceribus terræ excerni, & cùm aqua ſic devehi, vt limo ex illa reſtagnatione ſubſidenti, ſensímque concreto, commiſtum, lapides illos efformârit. Deinde, quod ad indurationem; meminerat trium calculorum, quos Ioannes Brunus Chirurgus ſibi dederat, recens ex veſica infantis eductos. Siquidem, cùm is, qui primò emerſerat, eſſet planè durus, qui ſecundò mollis, qui tertiò penè fluidus; omnes tamen paucis pòſt diebus eiuſdem fuêre duritiei.

Quod autem morantes diutiùs in veſica calculi ex accedente noua materia pluribus cruſtis ſuperveſtiantur; dicebat id eſſe, quod in variis cryptis obſeruamus fieri, vbi aqua lapidoſa supernè diſtillans tophos, alióſve lapides creat. Et quòd granula ſabuloſa, quæ intra veſicam, compingantur ſæpe à viſcido illo, & calculoſo humore, qui defluit ex renibus; declarabat id ipſum eſſe, quod in montibus ac fluminibus plerumque contingit. Siquidem plureis rupeis vidémus, quæ ex pluribus minutioribus lapidibus conſtant, intertexente illos comminuti materia, quam neceſſe ſit fuiſſe poſteriùs ſaxeam effectam. Habuit & ipſe intra Muſæum eductam ex Druentia equinam ſoleam ferream, quæ ita eſt circundata lapillis fluuiatilibus, vt lapidoſa alia ſubſtantia illos inter ſe, & cum ferro adglutinet. Idem viſitur & in enſe, & in circulo ferreo, eductis ex Rhodano; idem in magno clauo æneo, quem eductum ex Sequana Lomenius ad ipſum tranſmiſit. Argumentum inde ducebat (tum de germine lapidifico ex montibus vſque, & aquarum ſcaturiginibus deraſo; & de lapidibus, qui in ſingulos dies in mediis fluuiorum alueis generantur; qui ipſi quoque ſuaptè natura ad rotundam, vel oualem figuram accedunt; niſi quòd pro conditione conceptaculi, aut ex volutatione, detritione, confractione, degenerare ab ea poſſunt.

Vt de ſabulo autem illo calculoſo obſeruationem adiiciam, animaduertit ille primus, ipſum à natura ita conformari in figuram rhomboïdam, vt microſcopio inſpectum, appareat veluti rhomborum lateritiorum congeſta moles. Ex quo difficile non eſt cauſam explicare illius doloris, quem ſabulum eiuſmodi cum vrina egeſtum creat; nempe ſingulorum granorum acutiores anguli canalem ita vellicant, vt ſui ſenſum acerrimum faciant.

Ex his, rogatus aliquando de flexilitate illius Cotis, quam à Iacobo Hallæo Pariſienſi Rationum Magiſtro communicatam habuit; illam ad Talchum retulit: opinatus nempe fluorem talcho gignendo comparatum ſic fuiſſe commiſtum arenæ, ſeu iis granulis, ex quibus cos pertexitur; vt craſſitudo coticularis talchi pelluciditati, læuorique obſtiterit; & talchica flexilitas obſtiterit cotis rigori.

Sic rogatus de lapidibus Crautiæ, Herculeorúmve camporum; cenſuit totam illam planitiem potuiſſe olim reſtagnare exundante potiſſimùm ſeu Druentia, ſeu Rhodano, & lapidifico germine ſimul deuecto, coagulante. Argumento fuit, quòd in ſalium concretione obſeruamus: Quippe, vt in vaſe, ex quo aqua ſali commiſta euaporatur, teſſellæ maiores in fundo, quàm ad latera relinquuntur; quòd illeic ſalſedo vberiùs, diutiúſque reſideat: ſic in medio Crautiæ, quod depreſſius eſt, maiores longè lapides, quàm ad oras obſeruantur; & ad maritimas quidem, paludoſaſque præſertim, vbi lapilli vix attingunt nuculæ magnitudinem; cùm in medio lapides ſint capiti humano plerumque æquales.

Quod difficultatem potiſſimum fecit, fuit multitudo incredibilis piſcium, concharum, aliorúmque marinorum animalium, quæ in ſummis etiam montibus ſaxificata viſuntur. Attamen, quoniam obſeruauit in bene longa montium ſerie à Belgenſerienſibus vſque quandam quaſi zonam exſtare, editam quidem, ſed libellatam tamen, & horizonti, planóque maris parallelam, quæ eiuſmodi animalibus ſaxeis effectis referta ſit: nullus penè dubitauit, quin mare eò vſque pridem occupauerit, & ſaltem ad Diluuij tempus (niſi ad Mundi vſque initium, priuſquàm aquæ diffluerent) recurri poſſe exiſtimauit. Nam mare quidem paulatim aliquas deſerere oras, inuadere alias, duxit compertiſſimum; vti Ariſtoteles comprobauit de Ægyptiaca, Polybius de Euxina, ipſe de Arelatenſi: quippe Nilo, Danubio, Rhodano, aliiſque fluminibus ex terra continuò delata producentibus continenteis; adeò vt temporis progreſſu, & loca humilia euadant excelſa, & littoralia mediterranea. Quam etiam ob cauſam ſcripſit aliquando, ſe credere fore, vt Veneta vrbs continenti adiungeretur: quòd ex tempore neſcio quo, promota foret continens paſſibus mille, & quingentis.

Exinde præterea coniecturam duxit de formatione Rupium, quas Mundi præſertim initio cenſuit genitas ex copioſiſſimo humore vniuerſam Terram obruente, & ſemine ſaxifico eidem Terræ interſperſo. Heic euenire certè potuiſſe, vt molli adhuc concretione, quæ flumina tunc erupêre, cœperéque decurrere, rupeis paſſim perfregerint; neque enim alueos profundiſſimos, quibus ad vtramque ripam rupes eminent, vniformis contexturæ, atque altitudinis, excauari ita potuiſſe ex detritione inſenſili, ſi durities perpetua fuiſſet. Fortè etiam inde effectum, vt aqua ab ortu in occaſum diſfluente, & quà Mediterraneum iam eſt, locum excauante, pleræque conualles ita apertæ fuerint, vt rupes, atque adeò montes eundem ſitum ab oriente in occidentem ſeruauerint: eiuſmodi ſunt non præcipui modò, qui in hac Prouincia, ſed & Pyrenæi, Appenninus, Rheticæ Alpes in Europa: Taurus in Aſia: Atlas in Africa: ac noſtratibus etiam plerumque oſtentantibus faciem præruptam verſum mare. Quòd autem maritimæ Alpes, & minores quædam montium, conſequentérque vallium ſeries alium ſitum obtineant: id eſſe potuiſſe ex ſpeciali aquæ defluxu: ad eum modum, quo obſeruamus poſt fluminis exundationem, recurrentem ex ripis aquam limum congeſtum exarare, ſeu creare foſſulas, atque adeò protuberationes, ſitu verſus alueum fluminis tranſuerſo. Sed de his iam nimis.

Solitus eſt etiam ſermones eruditos conſerere, de cadauere Giganteo Tuneti effoſſo, ac immenſæ propè magnitudinis, vt Thomas Arcoſius, Vir profectò multiſcius, illa ex ora ſignificauit. Scripſit nempe Cranium continere poſſe mellereolas Prouincialeis octo, hoc eſt, Pariſienſem liquidorum modium cum dodrante. Immanis ſanè vaſtitas: & ob quam Peireſkius Arcoſium admonuit, ſpectaret omnia propiùs, expenderétque ſcrupuloſiùs. Poſſe certè molarem dentem, quem ad ſe tranſmiſerat, aut prægrandis Elephantis, aut Balænæ cuiuſpiam eſſe.

Summam ad-hæc lætitiam cepit tum ex Minutij reditu, tum ex inuentione Tripodis cuiuſdam. Siquidem ille proſpero ſucceſſu ex Ægypto adueniens, libros adſportauit non paucos, ac potiſſimùm Copticos, hoc eſt charactere, & idiomate Ægyptio antiquo conſcriptos; idque præter alios, quos cum iam antè memoratis Samaritanis miſerat. Aduexit & Mumias duas (cadauera videlicet antiquiſſimæ illius, & ſumptuoſiſſimæ conditturæ) quarum altera fuit præcipuè grandis, integra, inſignis, &, quantum licuit ex ornamentis coniicere, Principis viri. Attulit & numiſmata, ex quibus magni æſtimauit tetradragmata duo, alterum Atticum, alterum Tyrium; ac numiſma Hugonis, Regis Hieroſolymorum, & Cypri.

Ad Tripodem quod attinet, is ad Iulij Forum fuit erutus; & quia non fuit multùm pedali procerior, exiſtimauit Peireſkius

fuiſſe

fuiſſe ex votiuis per templa diſpoſitis; inſtar illius præcipui, cui Phœbas ioſiſtens, & ex ſubiecto antro ſpiritum ducens, bacchabatur, credebatúrque Oracula fundere. Eius occaſione deinceps varias literas Pariſios, Romam, & aliò dedit, vt prouocaret eruditos ad diſſerendum de incompertis quibuſdam Tripodum myſteriis. Baſeos illius triquetræ medium foramen eſt triangulare, ex circularibus lineis: extrema autem Empuſas fulciunt ſuſtentanteis ſcaphidium: ſed ita, vt cùm omnia ſimplici artactu cohæreant, motu minimo collabantur. Nimirùm interpretabatur illo ſpiritu agitante, corruere debuiſſe omneis Tripodas, facta aliqua partium concuſſione. Ratiocinatus præterea eſt Cortinam fuiſſe non illud vas (neque enim Pythoniſſam eò conſcendiſſe) ſed hemiſphærium aliud ſuperficiei quaſi ſquammoſæ (vt imitaretur Pythonis ſerpentis ab Apolline interfecti exuuium) quo memoratum mox foramen immediatè obtegeretur: adeò vt Sacerdos haberet Cortinam ſuppoſitam, & imminens ſcaphium.

Laborauit autem ſolùm, vt exprimeret coniecturíſque approbaret ecquid illo triangulo curui-lineo deſignaretur. Quare neminem virum doctum ea de re non conſuluit; ipſe intereà tam circa id, quàm circa parteis alias eos eruditionis fundens gurgites, vt omnes omninò conceſſerint palmain. Omnium nomine audiatur Holſtenius. *Nam, qua*, inquit, *hac ſuper re ad reuerendum Patrem Puteanum bene longa συζητήσει ſcripſiſti, ea fruſtrà expectaueris vel à me, vel à quouis alio antiquitatis ſtudioſo: ita tu omnem diligentiam, curámque preuertiſti*, &c. Prætereo autem vt ad habendum pleniorem eius rei notitiam, conquiſierit Tripodas plureis, maximè verò ex Italia: vnde Menetrius aliquot miſit, præter exquiſitam deſcriptionem, delineationémque aliorum, quos obtinere non potuit.

1631. Sub initium ſequentis anni, perſeuerabant adhuc turbæ, cùm Princeps Condæus in Prouinciam miſſus, eas demùm ſedauit. Vere nouo Cardinalis à Balneo vtraque ſua legatiooe functus, & accepto Pariſiis purputato pileo, Romam rediit, ac per Prouinciam iter instituens, inuiſere voluit Belgenſerij veterem amicum. Inter cætera autem ſuauiſſimum babuit & Mumiam illam antedictam conſpicere, & Peireskium tam de illo, quàm de cæteris condiendi generibus, ediſſerentem audire. Quæſtione interim ſuborta, oum Ægyptij quoque Naulum ori apponerent; placuit varia linteamina faſciolaſque eſtringere, & αὐτοψίᾳ rem explorare. Itaque capite vix tandem ex inuolucris euoluto, ſtudioſè quidem, ſed fruſtrà tameo Naulum in ore perquiſitum. Diſceſſurum non erubuit exorare Peireskius, pateretur ſarcinas ſuas nouo onere prægrauari. Quippe tranſmiſſurus erat ad Holſtenium ad vſque viginti MSS. Codices Græcos, ex Platonicis, Ariſtoteleiſque interpretibus, quos ex Bibliotheca Pacij eruros, & ducentis aureis coëmptos pridem mittere deſtinârat. Itaque Cardinalis volens, ac pro ſuo in literas, literatóſque affectu, conuehendorum aſſumpſit curam.

Quo loco memorandum eſt deduxiſſe tum illum ſecum Gabrielem Naudæum Pariſioum, nominis inter literatos magni, & ex libris iam editis Peireskio cogniti, & cari. Quamobrem Peireskius iucundiſſimum duxit tum virum complecti, affaríque coràm, tum gratulari Patrono, quòd talem à ſtudiis virum delegiſſet. Et quantum quidem fuerit illius conſuetudiue delectatus, retulit profectò non ſemel, neſcius an magis admiraretur animi candorem, atque lenitatem; au inexhauſtam eruditioneu, notitiámque omnium librorum. Quantum verò ipſe Naudæus & Peireskium ſuſpexerit, & illius beneficentiâ cumulatus diſceſſerit, teſtatum deinceps fecere tum priuatæ Epiſtolæ, tum nuncupatio publica Iatrophilologicæ quæſtionis *An matutina ſtudia veſpertinis ſint ſalubriora.* In hac certè *Mecænatem literatorum omnium* appellans, veriúſque priſci Mecœnatis ſortem, vouet Panegyricum, & cur dedicet intereà id opus, *in cauſa fuerunt*, inquit, *admiratio tua virtutis, & indignatio, quam dudum in me concepi quod ipſa non omnibus eruditorum calamis celebretur, quibus tamen quotidie materiam ſuppeditat de cunctis fermè rebus doctè, ſubtilitérque diſſerendi.* Et rurſùs, *Quod equidem vt faciam, induxerunt me primùm propria mea rationes, qui iamdudum in tuo are viuo, omnémque cultus, & obſeruantia ſignificationem tibi exhibere flagrantibus votis aueo, deſideróque ſupra modum. Deinde verò optimi, & eminentiſſimi mei Mæcenatis Ioannis Franciſci Cardinalis à Balneo exemplum, qui cùm aliàs tecum adeò lubenter ſuauiſſiméque verſaretur, vt cum nullo alio literatorum magis, nunc etiam nihil de antiqua ſua beneuolentia remittit, ſed te, licèt abſentem, amat, ſuſpicitque quàm-maximè.* Illa autem omitto, *Qui me iampridem incredibilibus amoris, & beneficentia tua illecebris deuinctum eſſe voluiſti*, compluráque alia.

Deducto Tolonum vſque Cardinali, neque prius dimiſſo, quàm è portu ſoluiſſet, rediit Belgenſerium. Ex aliquo tempore vſque agebatur de nuptiis, quas Claudius ex fratre nepos io comitatu Venaſcino, ſeu Auenionenſi ambiebat. Tunc itaque aſſenſum præbuit, vt ille exinde in vxorem duceret nobilem puellam Margaretam Alreſiam, donatione facta Riantienſis Baroniæ, & conceſſione dignitatis Senatoriæ, ea ſolùm lege, vt ſibi functio iotegra per triennium reſeruaretur.

Imminebant Paſchalia, cùm corripuit illum inſignis quædam Paralyſis ad dextras omneis corporis parteis. Scilicet extra limen domus, ac in aditu horti conſidebat, reclinatúmque fortè habebat totum corpus in dextrum ſemur, cùm ſubitò ſenſit eiuſmodi femur non leuiter obſtupefactum. Conatus loco emouere, niſi adiuuaote ſamulo non potuit; neque deinceps incedere, ob

ſimilem crutis, pediſque ſtuporem. Perrepſit continuò in brachium affectio, adeò vt ſcriptionis fuerit incapax. Serpſit & in linguam, quæ proinde hæſit; ac licet nonnihil balbutire, mutmuraréve videretur, voces tamen diſtinguere, dearticularéque non potuit. Subiit quoque aurem tinnitus, qui, niſi aliis partibus ſimul ſolutis, non euanuit. Eſt autem facta ſolutio poſt exactam hebdomadam, occaſione hilaritatis, admirationíſque ſubnata. Cùm allatæ nimirùm fuiſſent à Thuano literæ excuſationem continentes, cur Belgenſerio non tranſiiſſet, lætitia quadam geſtiit; & cùm ſubinde neſcio quis hymnus in Lilij, Roſæque amores ſcitè caneretur, ita captus eſt ſuauitate cantus, & ſtrophes cuiuſdam lepore, vt, quemadmodum Crœſi filius, prorumpere volens in aliqua verba, ac in ea ſpeciatim, *Quàm pulchrum eſt hoc!* prorsùs in illa proruperit, eóque momento libertas fuerit membris omnibus reſtituta.

Deſtinauit porrò deinceps iteratò Minutium, vt venatum iret libros Orientaleis, facto præſertim animatus præclari viri Iacobi Golij, quem Hollandiæ Ordines, propter inſignem Arabiſmi, Matheſeóſque peritiam, ſubſtituere inclytis duobus Academiæ Profeſſoribus, Thomæ Erpenio, de quo antè, & VVillebrordo Snellio, quem Keplerus meritò cenſuit ſubtiliſſimum Mathematicorum. Golius ſcilicet nomine, impenſíſque Ordinum bis iam in Orientem profectus, tantum corrogârat, & in Academia depoſuerat librorum theſaurum, vt viſo eorum indice, quem ad me à Golio tranſmiſſum, & volentibus beoe multis typis euulgatum ad eum miſeram, ſubito ſtudio inarſerit, mittendi turſùs in Orientem, qui in id incumberet, vt, quantum liceret per priuatos ſumptus, ſimileis libros Gallia haberet. Dedit autem Minutium in comitatum Marchævillæ, qui menſe tandem Iulio Conſtantinopolim diſceſſit. Et date quidem prætereà voluerat Holſtenium, Buccardum, alióſque eruditos viros, qui freti patrocinio auctoritatéque Regij Oratoris Bibliothecas in monte Atho, aliiſque locis explorarent; verùm illi, vtcunque forent ad id peragendum propenſi, non potuere tamen eſſe ſatis tempori, ad diſcedendum comparati. Vnicus comparatus fuit nominatus antè Gallaupius, qui non multùm tamen temporis Conſtantinopoli moratus, diſceſſit in Libanum montem, & cum Maronitis ita conſtitit, vt etiam-num eum illis degat.

Poſt Marchevillæ diſceſſum, renuntiatum eſt fuiſſe Elephantem Tolonum aduectum. Procurauit ipſum adduci Belgenſerium, vt poſſet quædam explorare, de quibus ante annos quatuor ad Puteanos ſcripſerat, cùm animal fuiſſet deductum Pariſios. Aduehebatur tunc ex Italia, idémque fuit, qui ante annum oſtenſus Romæ fuerat: Demitor autem quorsùm poſſeſſor dixerit Peireskio annorum eſſe quatuordecim, cùm Romæ ſuperiore anno feciſſet ſolùm vndecennem, vt ex ipſius effigie dicata Gualdo Equiti, éxque facta per Bottiſangum deſcriptione, intelligi licet. Peireskius porrò toto biduo, ſeu rogando, ſeu experiundo, ita multa addidicit, vt ſibi factum putârit ſatis. Inter cætera, cùm probaſſet omne genus edulij, iuſſiſſétque dulcia præſertim (quòd gratiſſima forent) miniſtrari, adeò vt Elephas iam ipſum & agnoſceret, & blanditiis proſequeretur fiduciam cepit (ſed præeunte animalis Gubernatore) ingerendi brachium in os, explorandique ipſius denteis. Deprehendit autem hinc inde in vtraque maxilla binos, vt planè octo exſiſterent, & non ſolùm quatuor, vt voluerat Plinius. Neque verò denteis attrectauit modò, ſed etiam per Gubernatorem ceram ipſis applicuit, quò illorum ſimul magnitudinem, formámque faceret expreſſam. Exinde autem perſpectum habuit, memoratum molarem dentem ex Africa miſſum ab Arcoſio, Elephantis eſſe, non Gigantis dentem: neque eſt ampliùs demiratus, cur ex Gigante Theutobocho tam pauci fuiſſent dentes oſtenſi.

Ad hæc depingi Elephantem triplici facie voluit, ac recubantem potiſſimùm, vt commiſſuræ meliùs paterent, quæ inter pedem, & tibiam, tibiámque & femur; ad conuincendum errorem, qui auctoritate Strabonis, aliorúmque inualuerat de inflexilitate crurum, fabulíſque ſuperexſtructis. Adiicere autem ſolebat, cùm hæc deinceps memoraret, minimè potuiſſe antiquos articulationem latere, quòd in quibuſdam vulgò vocatis Medallionibus expreſſiſſent. Elephantem funambulum; inſigni quadam vtrique non mobilitate modò, ſed & flexilitate crurum. Rursùs non modò partium omnium dimenſiones excipi iuſſit, ſed etiam cùm animal foret poſteà deducendum Aquas-Sextias, demandauit Fratri, itémque viris induſtriis Ioanni Lombardo, & Ioſepho Sucheto, vt explorarent ipſius pondus. Itaque ipſi rem peregerunt, confecta bilance ex trabe debitè ſuffulta, idoneiſque funibus illigaris & machinæ ligneæ, qua animal ſuſtentabatur, & ligneæ cuppæ, quæ pondera (tormentarios nempe globos) continebat. Hoc proinde modo exploratum eſt, comprobatúmque Elephantem pendere libras Prouincialeis quater mille, & quingentas: hoc eſt Pariſienſeis proximè ter mille quingentas: & Romanas duodenûm vnciarum quinquies mille proximè.

Accepit deinde magno cum dolore obiiſſe duo cariſſima capita, videlicet Aleandrum Romæ, & Pignorium Parauij, quorum quàm antiqua, & conſtans, quámque variis officiis exculta fuiſſet amicitia, intelligitur ex hactenus dictis. Catiores porrò exinde habuit, quas iam aſſeruabat illorum icones, ipſáſque, cùm rediit in vrbem, ſic in Muſæo poſuit artiguas, vt ingredienti ſtatim paterent. Cóſolationi etiam fuit, quòd ita Aleandro parentatum inaudiit, vt ipſius laudatio pronuntiata publicè

blicè fuiſſet per diſertum virum Gaſparem
Simeonium in concione percelebri Acade-
micorum Romanorum; & Pignorij memo-
riam ita fuiſſe caram laudatiſſimo illius, li-
teratorúmque aliorum fautori Duminico
Molino, Sancti Marci Procuratori, vt &
tumulus excitatus, & Epitaphium poſitum
ab ipſo extitiſſet, quod Philippus etiam
Tomaſinus, ille de ſua patria, conciuibúſ-
que eruditis adeò bene meritus, ad calcem
eorum, quæ de Pignorij Bibliotheca, Mu-
ſæóque ſcripſit, memorauit. Prætereo au-
tem, neque Simeonium, neque Tomaſinum
ſilere potuiſſe amicitiam, quæ inter *μακαρί-*
τας illos, ipſúmque interceſſerat.

Hoc anno, ac menſe Nouembri memo-
rabile illud contigit, quod Planeta Mer-
curius fuit primùm ſub Sole, ſeu in diſco
Solis conſpectus. Admonuerat antè Ke-
plerus publico ſcripto Aſtronomos, rerúm-
que Cæleſtium ſtudioſos admirandi ſpecta-
culi: quamobrem ipſe quoque Peireskius
ſuarum partium eſſe putauit ad illud atten-
dere, ac tanto magis, quanto priùs perſua-
ſus viſam in Sole Mercurij ſtellam Ca-
roli Magni temporibus (ex Eginhardo, &
Adelmo, Ademaróve in ſerie Annalium Ai-
muini) diſſuaſus iam fuerat, ratúmque ha-
buerat viſam ſolùm fuiſſe Maculam inſi-
gnem, ex iis, quæ peruulgatæ iam ſunt;
quòd per octo dies apparuiſſet, cùm Mer-
curius ſub Solis diſco aliquot ſolùm ho-
ras inſumat. Apparuit itaque ſcenam, in
quam Solis radij Teleſcopio tranſmitteren-
tur, vt exhibita Solis ſpecie proderetur
Mercurij vmbra. Atque aduigilauit qui-
dem, quantum licuit, aut meminit (ſi-
quidem Keplerus calculo diffiſus attendi
voluerat toto triduo ante, & poſt diem
ſeptimam, ab exacto cuius Meridie appa-
ſitionem mediam celebrandam deduxerat)
Verùm cùm apparitio antemeridiano tem-
pore deſierit, obſeruandi memoriam toto
illo manè ademit hoſpitum quorundam
præſentia, quibus & ad ſacrum audiendum
ducendis, & menſâ lautiſſimâ excipiendis
ſeſe addixit.

Inſigneis proinde fudit querimonias, cùm
tempus accepit celebrati ſpectaculi, ac mirè
aliunde gratulatus eſt, quòd mihi primo,
ac fortè ſoli, cùm verſarer Pariſiis, id ob-
ſeruare conceſſum fuiſſet. Obſeruaui nem-
pe Mercurium à medio ferè Solis diſco in
limbum vſque excurrentem (ac tanta quidem
exilitate, vt trientem minuti non exceſſe-
rit) excedentem autem à limbo horâ ma-
tutinâ decimâ, ac minutis viginti octo,
cum Boreali latitudine minutorum ſex, &
trientis. Heinc lætabundus obſeruationem
quoquoverſum deſtinauit, neque ipſam
modò; ſed quos de ea etiam edidere com-
mentarios, tum VVillelmus Schickardus,
optimus ille, doctiſſimúſque apud Tubin-
genſeis Profeſſor, tum Martinus Horten-
ſius, laudatus Hollandiæ Mathematicus, &
Philippo Landſbergio in condendis Tabu-
lis Aſtronomicis adiutor.

Hieme ingruente laborare cœpit ſolitis
hæmorrhoïdum, calculíque doloribus; adeò 1632.
vt cùm Prorex Mareſcallus Vitrius in Pro-
uinciam miſſus, adeſſet Toloni, illum qui-
dem inuiſerit, ſed ſellâ geſtatoriâ vectus.
Quin-etiam inter colloquendum affectus
eſt, diſcruciatúſque ſumma vrinæ difficulta-
te. Apud amicum cùm diuertiſſet, neſcio
quis admonuit in Zembiorum Inſula pau-
cis milliaribus diſtante ſcaturire aquam
huiuſmodi doloribus ſedandis mirè condu-
centem, ac, cæteros inter, Andream Dauo-
riam ſic fuiſſe illius vtilitatem expertum,
vt & Genuâ vſque quæſitum ex ea mitte-
ret, & Præfectus triremibus, eò ſæpè de-
flecteret, vt ex ipſo biberet fonte. Itaque
Peireskius confeſtim in Inſulam miſit,
aquam vſurpauit, ipſámque non vtilem
modò ciendæ vrinæ, ſed immutando etiam
toti corporis habitui inuenit; adeò vt re-
latus Belgenſerium viſus fuerit breui pror-
ſus conualuiſſe.

Verùm non diu conſtitit huiuſcemodi
valetudo: ſiquidem ſtatim tempore verno
inſequentis anni ſexcenteſimi, ac trigeſi-
mi ſecundi ſic variè diuexatus fuit, vt actum
de eo ſæpiùs videretur. Quippe ad hæmor-
rhoïdum, vrinæque difficultatem acceſſit
febris continua, quæ remitti quidem non-
nihil eſt viſa ſub decimum quartum diem,
cùm Mareſcallus ipſum inuiſit; verùm in-
arſit magis deinceps ad diem vſque qua-
drageſimum ſecundum, quo quotidiana
illi ſucceſſit dierum quindecim, aut vigin-
ti. Nec verò cum iis ſolùm morbis con-
flictandum ipſi fuit; ſed & cum inſigni tu-
more ad regionem abdominis, ſuperiorém-
que femorum partem; itémque cum in-
flammatione, tumoréque ingenti in altero
brachio. Ac parùm fortè hæc omnia: gra-
uiſſimum fuit, quòd clyſtere non ſatis cau-
tè adminiſtrato, eo facta fuit hæmorrhoï-
dum læſio, vt gangræna ad eas parteis ſub-
nata breui fuerit. Et ſtatim quidem Caſſa-
nei imploratum auxilium; verùm ipſe quo-
que detentus inualetudine adire non po-
tuit. Miſit tamen ad ipſum Sebaſtianum
Richardum, qui Medicinam Diniæ primùm,
ac deinde Maſſiliæ magna cum laude exer-
cuit; quique eâ ſolertiâ ſerpenti iam mor-
bo iuit obuiam, vt illum planè reſtinxe-
rit, Peireskiúmque non multò pòſt reliquе-
rit conualeſcentem.

Vt omninò porrò conualeſceret, non
contulit parùm inſignis lætitia, qua perfu-
ſus eſt, cùm à Ludouico Meynerio Lirinen-
ſi Religioſo, viro erudito, ac imitatione
Antonij fratris optimi ſtudioſo Mathema-
tices, duo habuit pocula argentea ex Val-
laurienſi agro, dum in vineam effoderetur,
defoſſa. Nempe, quòd vnum intra aliud
appoſitè contineretur, ratus eſt ea eſſe ex
iis, quæ & *σύνδυο*, & Symbibæ appellaren-
tur; &, quòd ad oram interioris corona
aurea viſeretur, perſpicuum fieri cenſuit,
quid eſſet antiquis, *Vina coronare.* Quin ex
punctatis etiam ad oram exterioris literis
OVENIKOIMEΔOY, iudicauit eadem
eſſe ex iis poculis, quæ *γραμματικὰ*, ſeu Li-

tetata diterentut (qnando præſertim capacitas deprehenſa eſt tredecim continere cyathos, inxta numerum earum literarum) cuinſmodi fuerunt & illa, quibus olim inſcribebantur voces CAIVS, IVLIVS, PROCVLVS, vnde carmioa,

Nænia ſex cyathis, ſeptem Iuſtina bibatur, &c.

Ad hæc deduxit otiginem, cur geminata ebibetentut, ex antiqua vſque batbatie; qua in craniis hoſtium interfectotum bibebarur, & quò quis pluteis occidiſſet, eò in pluribus agglutinatis biberet. Nempe bomines manſuefactos id tandem moris exhortuiſſe, & ſubſtituiſſe tameo vaſa, quæ cranij formam retinereot (vt qnodammodo iſta retinent) &, propter matetiam, oihilominùs parem hortorem non creauit.

Denique occaſiooe nata tum ex hiſce poculis; tum ex hemina, ſeu ſemiſextario æneo antiquo, quem Nemauſi tepertum, viſúmque (neſcio an apud Paludanum, an apud Totnerium, anre annos treis) Petitus deinde ad illum detuletat: tum ex alabaſtro per æſtatem accepto ex teliquis naufragij, quod perpeſſa eſt rritemis Pontificis Nuncium Ceuam in Galliam vehens, poſtquàm effractum inſtaurauit, vſúſque eſt iucundiſſima per aliquot hebdomadas conſuetudine Meoetrij; tum ex modulo Congij per Aleandrum habito, ac deptehenſo continere ex Aqua-Gapelli libras Prouincialeis nouem, & dnas vncias, per ectypica poodera; tum ex pluribus aliis vaſis, quæ aut illeic habuit, aut quæſitum miſit; occaſione, inquam, ex iis nata, cœpit varia cum Salmaſio, aliiſque viris eruditis circa menſuras, pondera, vaſaque ipſa diſſerere.

Scilicet opinatus eſt, fuiſſe antiquos adeò ſolerteis, vt nullum vas conficetent, quod non & præſeriptam menſuram, & certum pondus cootinéret. Confirmatus autem per id tempus eſt, cùm pilam pooderum antiquam ab Aleandro ad ſe allatam, cùm veniret in Galliam, explorauit, & comperit vaſcula eius ſiugula videlicet libræ, ſemiſſis, trientis, quadrautis, ſextantis, vnciæ; continere ordine eodem acetabulum, cyathum, myſtrum, concham, chemen, & cochlear: Idque præter incithegam, ſeu ſitulam vaſa cootinentem, quæ & pondere eſt dupondium, & menſurâ quartarius; ſed anſulis nempe ad oram depreſſis. Prætereo verò, vt eius rei factus deinceps fuerit certior, cùm poſtquàm in vrbem, ac Muſæum rediit, quoddam reperit vaſculum, in quo circulis variis, & vnciæ, & cochlearis partes minutiores interſtinguntur; ac rurſus omnimoda vaſa domi relicta obſetuauit.

Sed vt inſiſtamus io iis, quæ Belgenſerij peregit, miram quoque cepit lætitiam, ex communicata ſecum egregia quadam demonſtratione, qua antè memoratus Ioſephus Galterius perfecit Ptolemaicam, circa obtinendam diſtantiam, magnitudioémque Globorum Cæleſtium. Ac ille rem quidem pro ſua ſolertia meditatus fuerat ante pluteis aonos; ſed eam retexendi occaſionem ſnmpſit ex edita nuper Landſbergij Vranomettia, in qua cùm ſenex optimus quid Ptolemæus, Albategnius, Copetnicus, Tycho, & alij ſummi artifices peccaſſent, adnixus fuiſſet oſtendere; ipſe deinde viſus eſt paullò ſegniùs ſeſe babuiſſe. Quippe lineas ductas ex centtis tam Solis, quàm Terræ, in contingentem ab angulo vſque Terrenæ vmbræ ditectam, diſtinctas oon habuit à veris, apparentibúſque ſemidiametris, vt in exquiſito oegotio oportuit; veluti etiam opottuerat apparentem Sulis ſemidiametrum, oon ex centro Terræ atteodere, ſed ex ſuperficie, vnde ea ſpectatur. Cùm itaque Galterius & rationem omninm habuiſſet, & diagrammate exornato demooſtrationem conſtruxiſſet, miſiſſétque omnia ad Peireskium; ipſe ſummoperè lætatus, congratularúſque eſt, ac procuratis quàm pluribus demonſtrationis exemplis, ipſam cum viris, quos harum retum Pariſiis, Romæ, & alibi, ſtudioſos nouit, communem fecit.

Sic cùm obtiouiſſet exemplum eorum Galilei Dialogorum, io quibus ex motu Tellutis in eadem parte ſnperficiei bis quoque die tetardato, acceletatóque, ob compoſitiooem motus diutni, & annui, declaratam peruidit canſam geminatæ in ſingulos dies reciprocationis, ſeu æſtus matini, eatenus incognitam; dici non poteſt quantâ lætitiâ ſeſe perfuſum ſenſerit: & cùm non ſine approbatione opus editum obſeruaſſet, quanta cum exultatione exclamauerit, fœlix eſſe hoc ſæculnm, quo viri ſagaces ex poſitione motus Tellutis expoſuerunt cauſas tum ptoprietatum Magnetis, tum æſtus Oceani, habitas præcipuè admirabileis, atque incompertas; alteram quidem G. Gilbertus in opere illo ſuo de Magnere, alteram verò Galileus, io libro hoc Syſtematum.

Recteâtuot etiam illum edita in lucem à Cbiffletio Inſignia genrilitia Equitum aurei velletis, Fecialium verbis enunciata; acceptis ſimul literis, quibus Petrus Hoſerius (quo nemo fuit vnquam nobilium Galliæ familiarum notitiâ inſtructior) ſignificauit ſe quoque inſignia Ordinis ſancti Spiritus, tanquam iam affecta, breui editurum. Sic edita quoque Hiſtoria Romanorum Poutificum, qui è Gallia otiundi in ea ſederunt, opera Franciſci Boſqueti Narboneoſis Iuriſconſulri, Viri commendatiſſimi, & totam Hiſtotiam Eccleſiæ Gallicanæ tum meditantis. Sic miſſa à Naudæo germana Ariminenſis Pontis inſcriptio, qua certior eſt factus contineri Conſulatum Auguſti XIII. & Tribuoitiâ poteſtatem XXXVII. cùm ſubdnbitaſſet oon bene apud Gruterum legi XIV. & XXXVIII. Miſit verò etiam Naudæus telationem ſuam de Veſuuiano incendio, quod à Decembri vſque ſuperiore cœptum, nondum protſus deſierat; eámque, præter complureis alias, quas ex variis corrogauit.

Tandem, cùm in vrbem redire ſequente autumno ſtatuiſſet, apparatos priùs voluit

luit

luit Samaritanos Codices, vt libertate viatum facta, mitteret Pariſios vnà operà, permoleſtè ferens, quòd illeic fuiſſent tamdiu deſiderati. Videlicet, vt compleretur magnorum Bibliorum editio, perdoctus ille Ioannes Morinus, ex Congregatione Oratoria, curabat Pentateuchum Samaritanum, & ab anno vſque ſuperiore Exercitationes in ipſum præmittens, publicam mentionem ita fecerat eiuſcemodi Codicum, vt Peireskius deinceps mirâ fuerit eos tranſmittendi impatientiâ. Ille ſiquidem præloquutus de Samaritanico exemplo, quod procurante Peireskio Petrus à Valle communicârat, verba iſta ſubiecerat, *Præter Codicem iſtum, duos alios Hebræo-Samaritanos quotidie exſpectamus, vt eorum cum iſto comparatione editio noſtra omnibus ſuis numeris abſoluta prodeat. Hos paucos ante menſeis è Palæſtina accerſiri curauit vir ampliſſimus, literarum decus, déque literis bene ſemper merens D. Pereſius, in ſuprema Prouincia Curia Senator integerrimus. Codicum iſt orum alter tricolumnatus eſt, & trilinguis, vnaquaque dialecto per columnas expoſita*, &c. Perſenſit ergo Peireskius vellicatam ſibi ea tatione autem: quare ad tutam, opportunámque occaſionem ſolùm attendens, non alij voluit commiſſos, quàm Dionyſio Guillemino, viro eximiæ comitatis, domeſticóque ab ineunte vſque ætate habito; vnde & pridem Romollarum, & nunc etiam Belgenſerij Prioratum, vt vocant, obtinuit. Et dimittebat quidem illum ad Abbatiam in Aquitaniam, ſed præfixit tamen, vt via compendioſiore relicta, Pariſiis iter faceret, Codicéſque ſecum transferret. Non memoro autem quàm ingenteis gratias pro iis Morinus habuerit, quas in laudes proruperit; adnoto ſolùm ipſum tunc tranſtuliſſe, remiſiſſéque Samaritanas Epiſtolas, quas dictum ſuperiùs eſt fuiſſe ad Scaligerum iampridem conſcriptas.

DE VITA PEIRESKII,

LIBER QVINTVS.

1632. TRSENNSO Belgenſerij exacto, rediit in vrbem menſe Septẽbri. Aduenerat iam Helias Laïnæus Marguerius, quem Rex poſt Oppedæi mortem Principem Senatus creârat: & quia illius integritatem cum eximia iuris notitia coniunctam Peireskius probè nouerat; idcircò partim dignitatis, partim virtutis reuerentiâ, domus ſuæ limen reuiſere noluit, quin Virum priùs ſalutaſſet. Inclinante poſteà Octobri, cogitare cœpit de Nepote in Senatum admittendo; illum quippe ſibi, vt iam dictum eſt, deſtinauerat ſucceſſorem. Itaque, dum Nepos Senatores omneis, vt moris eſt, præſalutaret, deducere ipſe ad limina omnium, commendaréque voluit, alacritatem ſummam teſtatus. Euenit tamen ex eo labore, vt dolorem renum concitauerit, excito inde calculo, quem poſt quartum, quintúmve diem ſatis fœliciter emiſit. Quam primùm conualuit, non deſtitit munia Senatoria repetere, reſeruata quippe, quod & diximus, libera per triennium functione. Id voluerat autem, non ſanè vanitatis, aut lucri gratiâ; ſed vt non deeſſet occaſio exercendæ beneficentiæ, ac potiſſimùm erga literatos, religioſos, aliόſque viros bene merenteis; ſolitus eorum iura tueri, patrociniúmque ſuſcipere.

Recreauere porrò illum, qui libri fuêre à Minutio ex Oriente miſſi, cum numiſmatibus variis, ac Baſilidianis præſertim; itémque cum bulboſis plantis, aliiſque huiuſmodi rebus. Inter cæteros, vt minimum mole, ita pretio maximum habuit quoddam volumen, (quod ita dici à voluendo reuerâ potuit) repertum intra capſulam ad Mumiæ cuiuſdam pedes. Id vniuersè conſcriptum erat hieroglyphicis literis, conſtans ex germana papyro, ac facilè ſua vetuſtate ſuperans bis millia annorum. Alia poſteà vice accepit magnam Græcorum codicum copiam (quantam ſcilicet capere poterant duæ capſæ perampl[æ]) at fœlicitas par non fuit, ſeu quod ad integritatem, ſeu quod ad ſubiectam materiam attinuit. Nam præter Biblia Arabica, Arabicè, Perſicè, Chaldaicè, cum Rabbi Salomonis commentariis ſcripta, & alia item Arabica cum initiis capitulorum Samaritanis; cæteri omnes valde vulgares, aut mutilati admodùm fuêre.

1633. Verùm id quidem ſequente anno, quo aliunde plurimus fuit in menſurandis, comparandiſque vaſis antiquis compluribus, quæ, vt iam dictum, habebat domi. Scilicet præter notitiam omnium omnis generis menſurarum, quam ducebat ſuauiſſimam, ſperabat quoque ſe poſſe tãdem ex collatis quamplurimis conciliare pugnantia multa auctorum de menſuris loca; vt dum Columella facit cochlear quartam partem cyathi, & Fannius vigeſimam quartam: cùm idem Fannius, & Plinius volũt cyathum decem drachmas pendere: Marcellus & alij, duodecim; atque id genus alia, quæ in animo habuit non nudis ſolùm coniecturis, ſed ipſiſmet quoque menſuris, & ponderibus explanare. Hinc operam dedit, vt etiam quæcunque vbiuis gentium exſtare nouit, antiqua vaſa menſurarentur. Habendam autem cenſuit pretioſiorum rationem magnam, quòd veteres in iis præſertim ſoliti fuiſſent affectare certa genera menſurarum, tum vt ea ratione commendatiora facerent, tum vt deſtinata ſacrificiis, vel aſſeruata in templis (erant ſcilicet plerumque donaria) diuturniores moduli menſurarum efficerentur.

Voluit proinde, vt Guilleminus per compluteis menſeis moraretur Pariſiis, ad emetiendum pretioſa vaſa, quæ ad S. Dionyſium, & in Cimeliarchiis præcipuis Ciuitatis aſſeruarentur. Expertus verò eſt præcipuè humanitatem Rociaci, dum non modò capacitatem, ectypόſque vaſorum obtinuit; ſed ipſiſſimum etiam vnum vas acceptum ferre coactus eſt; vnde à Peireskio literæ conſcriptæ, pleniſſimæ ſimul gratitudinis, & inexhauſtæ eruditionis, qua elegantiſſimæ cælaturæ, adhibitique ornatus rationem fusèediſſeruit. Sic quia Iacobus Gaffarellus vir & Hebræis literis, & aliis dotibus clarus, verſabatus Venetiis, menſurari per eum curauit quæ pretioſa vaſa aduecta ex Cypro, & Conſtantinopoli, in S. Marci Theſauro habentur; ídque cum illuſtris dynaſtes Eques Valletanus interceſſiſſet, qui decretum à Senatu, exorante Peireskio, vt id liceret, impetrauit. Sic per Naudæum quoque egit de Rauennatibus impetrandis; pérque Suareſium, de magno illo, qui apud Genuenſeis, catino Smaragdino, Scela ipſis nominitato; & per Menetrium, de pluribus, quæ nôrat Romæ aſſeruari. Quo loco taceri non debet accepiſſe illum dono Trybliũ minus, ſiue cochlearium

ex

ex cryſtallo, à generoſa, & ſupra ſexũ erudita fœmina Fœlice Zacchia Rondenina, adiectis ad alias mariti Alexandri Rondenini literis, quibus laudatiſſima heroina per-elegáter reſtata eſt quáti faceret Peireskij virtutem. Eſt autem mirabile viſum; quòd ſub idem tempus Carolus Tabaretius Cadafalcius Dinienſis proſeneſcallus miſerit ad ipſuoi, cochleatium, ſiue Tryblium maius, vnà cum treceoris numiſmatibus Gallieni ſæculo cuſis, quibuſcum id ſuerat repertum.

Alia vt attingam, Ver erat, cùm Petro Seguerio per-illuſtri Præſide in Sigilli Regij cuſtodiam aſſumpto, Peireskius tum eſt gratulatus, tum literas ab eo accepit, quibus vir magnus teſtatus eſt nullas poſſe ſibi gratiores, quàm à Peiteskio obtingere, tum vt affine, tum vt vito, cuius ſumma virtus, rerúmque periria commendatiſſima forer. Eodem tempore Fratet Valaueſius delectus à Rege Maſſilienſium Viguerius, in eam ciuitatem conceſſit: quotannis nempe is magiſtratus init munus Kalendis Maij, perſeuerátque toto anno Municipalis cutiæ princeps.

Aderam ipſi intereà, dum accerſitum quoque voluit Athanaſium Kircherum Germanum, vitum è Societare Iesv eruditionis oppidò magnæ, Auenione tum commoraotem. Is perhibebatur eximiè callere Hieroglyphicorum myſteria: quamobrem ipſi adiurando tum varios libros tranſmiſerat, tum Iſiacæ mẽſæ ſuperiùs deſcriptæ exemplum. Et quoniam eidem præ manibus erat inſignis codex MS. hoc eſt auctor Arabicus, Rabbi Barachias Abenephius, à quo dicebatur tradi ratio Hieroglyphicorum interpretandorum: idcircò illum exotauit, vt ad ſe accedens tum codicem ipſum, tum ſpecimen quoddam interpretationis, notarúmque ſuarum adferret. Cùm feciſſet, dici non poteſt, quàm ardentet illum animauerit, vt cœptum opus perficeret, editionémque maturaret. Fuit deinceps Vir Romam euocatus, vt ſuccederet in locũ inſignis Mathematici Chriſtophori Scheineri, quem Imperator penes ſe habere exoptauerat: ſategit autem Peireskius non modò apud Mutium Vitelleſcum Societatis Iesv Generalem, ſed etiam apud Cardinalem Barberinum, vt & ſtimulos adderent, & ſatis otij facerent, quò id opus breui prodiret.

Accerſiuit quoque eodem tempore Salomonẽ Azubium Carpentoractenſem Rabbinum, nihilo ſanè doctrinæ ſpecie antiquis illis inferiorem. Is, quas habebat, detulit Aſtronomicas Tabulas, à quodam Iudæo ante annos trecentos Taraſcone conditas, & ad longitudinem, latitudinémque eius loci accommodatas. Quia verò nôrat quos labores nominatus antè Schickardus in reſtituẽda Aſtronomia, Geographiáque exantlabat; ideò procurauit, vt Azubius exemplum earum Tabularum Hebraicè deſcriberet, quod ad Schickardum mitteretur. Miſit autem poſteà, ſimúlque adiunxit interpretationem Azubij, nonnulláque Arabica, quibus ipſum iri delectatum, ex peregregia opera circa Hiſtoriam Tarichi de Perſidis Regibus nauata, perſpectum habebat. Quin-etiam, quia eius reſponſum ad Epiſtolas de Mercurio, prodebar illum neque vidiſſe opus perantiquum Ariſtarchi Samij, de Solis, ac Lunæ magnitudine, neque certum eſſe, an liber vſquam gentium reperiretur: ideò, cùm ipſe meminiſſet librum Græcè adhuc exſtare in Bibliotheca Regia, interpretationémque eiuſdem Latinam, vnà cum commentariis per Federicum Commandinum, in Italia editam fuiſſe: ideò, inquam, & procurauit habere exemplum è codice Græco, & nullum non lapidem mouit, donec per Naudæum exemplum Latinum detexit, ac obtinuit; & vtrumque, vnà cum variis circa cæleſtia obſeruatis congeſſit in faſciculum; quem tandem nihil tale expectans, & ne cogitans quidem, Schickardus accepit.

Pari ratioue ſeſe geſſit circa memoratum Hortenſium, à quo cùm noſſet experi exemplum Dialogorum Galileanorum, vt ea, quæ ille de ſtellarum exilitate conſcripſerat, conferre poſſet cum iis, quæ ipſe de ſimili argumento propter obſeruatam Mercurij exilitatem diſſeruerat: illicò exemplum conquiſitum miſit, vltróque ad virom nihil tale ſuſpicantem deſtinauit. Pari erga neſcio quem alium, à quo cùm accepiſſet Alcorani exemplum totis votis deſiderari; impetrauit ſtatim Gratianopoli, intercedente Philippo Lagneo, viro bono, ac erudito, & ſtudioſorum planè ſtudioſo, quod ad virum, à quo nihil fuerat, tale rogatus, mitteret.

Pari etiam erga Claudium Gaſparem Bachetum Meziriacum, qui poſt Diophantum editum, aliáque opera eximia, Gallicam operũm Plutarchi interpretationem inſtaurare, caſtigationémque notis illuſtrare magno animo moliebatur. Cùm is enim ſignificaſſet vitam Homeri per Plutarchum nunquam ſibi Græcè conſpectam, ídque ad Peireskij aures peruenſſet, dedit illicò operam, vt ea vita exſcriberetur è codice Græco, quem ſe vidiſſe meminerat in Bibliotheca Regia, & cùm re penè iam peracta illam editam accepiſſet ab Henrico Stephano, ac præmiſſam volumini Poëtarum Heroïcorum, coëmptum ſtatim miſit volumen, cuius ac ſimul deſiderati Scaligerani Euſebij & recuperatæ nuper ex Oriente Homericæ Iliados, cum notis quibuſdam Porphyrij, aliarúmque rerum non expectatarum Bacchetum participem fecit. Sed poſſent adferri ſexcenta ſimilia.

Addo quòd exſcribi curauit ex Bibliotheca Auguſtana, opera quędã B. Cyrilli, docto Viro Ioanni Aubetto, ad complendum editionem ſacri Auctoris, neceſſaria: ob quam etiã cauſam, euolui curauit Bibliothecas varias tam Hiſpanas, quàm Siculas; ac præ omnibus Vaticanam, è qua nonnulla adeptus eſt, quæ vt Holſtenius percenſeret, corrigerétque libentiùs, procurauit, vt Aubertus Pariſiis viciſſim cenſeret, & corrigeret aliquot Græcos Aſtronomos, quos expetitos Holſtenio ipſe Peireskius ex Bibliotheca optimi Archiepiſcopi Toloſani curârat exſcribi. Addo quoque, cùm iã Ducheſnius admoueret ſeriò manum edendis Auctoribus, qui de Francorum Hiſtoria,

& rebus Franeicis ſcripſerunt, obtinuiſſe illi Peireskium, præter non paucos ſanè alios, tum Petrum, dictum Bibliothecarium, quem Naudæi ſagacitate, diligentia, fœlicitate eſt adſequutus; tum Chronologica fragmenta Abbatiæ Sublacenſis, quæ vt adipiſceretur, Cardinalis Barberini auctoritatem, & Buecardi manum imploranit.

Addo complureis etiam alios, eiuſdem implorantis gratiâ, imperaſſe multos codices exſcribi. In iis fuit Henricos Memmius, ille adeò illuſtris Præſes, qui animi nobilitate genus ſuperans, gentilitiam de literis, literatiſque bene merendi ſollicitudinem mirè fouet. Fuit etiam Comes Marchævilla, à quo accepit Librum de variis Muhammedanorum Sectis, & ad quem præſcripſit cuius notæ eſſe deberēt cælaturæ, camei, numiſmata, & id genus cætera, ex Oriēte expetita. Fuit memorata Fœlix Zacchia, à qua monumenta aliquot Genuenſium familiarum obtinuit. Fuit, ea occaſione, Iulius Pallavicinus, ipſe Genuenſis, à quo volumen integrum de eiſdem familiis habuit; præter quæſita alia ex Petro Maria Boëro, quicum illi fuit perpetuum commercium; fuere alij, ex quibus quæſiit antiquitates Hadriæ, Piſæ, aliarum inſigniorum Vrbium; ſed memorare omnes moleſtum.

Non eſt verò heic prætereundum, quòd cùm iam antè agitaſſet curam inducendæ, propagandæque per Europam Copticæ linguæ, ac iam Salmaſius, Petitúſque ex paucis libris communicatis in ea plurimùm profeciſſent; adiecit volumina plura, ac mirè ſategit, vt Petrus Valleus commodaret Vocabularium, quod ex Oriente aduexerat, vt illius interpretationem, editionémque per Salmaſium ad id paratum procuraret. Cùm non obtinuiſſet, adhortatus eſt, vt ſaltem Kirchero illius copiam faceret, qui & Romæ præſens, & linguæ iam gnarus, incumbere in eam rem poſſet.

Cæterùm magnam concepit ſpem tū Copticorum, tum aliorū præclarorum voluminum ex Oriente obtinendorum, cùm accepit exemplum prodeuntis tum primùm in lucem Epiſtolæ B. Clementis ad Corinthios ſcriptæ, & nuper ex Ægypto, Conſtantinopolique in Angliam allatæ; cúmque ſub ipſum mer tēpus vir omninò bonus Ægydius Lochienſis, è Capucinorum familia, ex Ægypto rediit, vbi toto ſeptennio linguis Orientalibus operam nauârat. Is nēpe magna exultatione exceptus à Peireskio, à quo non parùm ſubſidij in ea regione acceperat, indicanit codices raros in Cœnobiis variis exſtanteis. Memorabile autem eſt, viſam ipſi Bibliothecam octies mille voluminum, quorum pars non exigua præ ſe ferret æui Antoniani notas. Quandoquidem verò inter cætera animaduertiſſe ſe dixit Mazhapha Einok, ſeu prophetiam Enochi, declarantem ea, quæ ad finem vſque ſæculi euentura ſunt, Librum Europæ pridem inuiſum, illeic autem charactere, ac idiomate Æthiopico, ſeu Abyſſinorum, apud quos is fuerit ſeruatus, conſcriptum: ideò Peireskius ſic fuit accenſus eius, quoquo pretio, comparandi ſtudio, vt nullis parcens ſumptibus, ipſum denique ſui fecerit iuris.

Cùm porrò idem optimus vir mentionem obiter feciſſet inſignis incēdij, quod in Semo Æthiopum monte eodem tempore contigit, quo Veſuvianum in Italia; idcircò varia ediſſeruit de canalibus ſubterraneis, quibus communicare poſſint non modò aquæ, ſed etiam ignes, atque adeò Veſeuus cum Æthna, hic cum Syria, hæc cum Arabia fœlice, iſta cum regione Erythræo vicina, in qua Semus mōs: idque ſeu ſeries quædam rupium incurnatarum canales faciant, ſeu ipſi ignes in rimas ſubeuntes vias ſibi aperiant, & canaleis creent, bituminoſáque ſuffumigatione incruſtationem obtendant, quæ aquam marinam ſuperpoſitam arceat. Igneis autem ſubterraneos aperire ſibi vias, indicio eſſe montem Puteolanum tempore Pauli tertij, alióſque aliis temporibus eruptione ignium creatos. Incruſtationē verò illam interdum abrumpi, ita vt aqua ſubeat, indicio eſſe, quòd tempore Veſuviani incendij littus Neapolitanum aliquantiſper reſiccatum fuit, reuomente interim monte abſorptas hiatibus aquas, verùm admiſta materia combuſtili, igneſcenteis. Sic poſtmodùm etiam eſt interpretatus Torrentem illum igneum, qui ex monte Æthna defluxit anno integro, decurrens ſummo cum ardore vltrà duo, triave milliaria, latitudine paſſuum quingentorum, miſto fluore ex ſulphure, ſale, plumbo, ferro, terra.

Deſinente anno ſuauiſſimum habuit detinere domi per aliquot dies celebrem Poëtam Santamantium, cum Duce Crequio Roma redeuntem. Cùm fuerit verò mirificè illius lepore, ac venuſtiſſimorum Poëmatum recitatione delectatus; lætitiā tamē præcipuè duxit ex recitatis præclaris rebus, quas partim ipſe, partim frater in ſuis in Indiam, aliáſque regiones peregrinationibus obſeruaſſent. Retulit, inter cætera, fuiſſe fratri viſa in Iaua maiore animalia quædam, quæ forent naturæ, homines inter, & Simias mediæ. Id cùm pleriſque non videretur, protulit Peireskius quæ ex Africa potiſſimùm acceperat. Significârat nempe Natalis, Medicus antè memoratus, eſſe in Guinea Simias, barbâ procerâ, canâque, & pexâ propemodùm venerabileis, incedere ipſos lentè, ac videri ſibi præ cæteris ſapere: qui maximi ſunt, & *Barru* dicuntur, pollere maximè indicio; ſemel dumtaxat quidpiam docendos; veſte indutos, illicò bipedes incedere; ſcitè ludere fiſtulâ, cithsrâ, aliiſque id genus (nam quòd euerrant domum, conuertant veru, pinſant in mortario, aliáque ratione famulatum præſtent, haud reputari admodùm) fœminas denique in iis pati menſtrua, & mares mulierum eſſe appetentiſſimos.

Arcoſius verò (qui hiſce annis nuncupanit ipſi libros varios, vt Memoriale Principum, Commentarios Politicos, Relationem de Africa) literis quibuſdam expoſuerat quidnam Ferrarienſi cuipiam contigiſſet, cùm in regione Marmaricæ, *Angela* dicta, verſaretur. Incidit nempe quadam die in Nigritam canibus venantem homines, vt viſum, ſil-

ueſtreis.

neſtreis. Capto, cæſóqua illorum vno, inhumanitatem Nigtitæ increpuit, qui in ſuum genns ita ſæuiret. Ille verò, falleris, inquit, nam bic non eſt homo, ſed bellua homini perſimilis. Quippe ſolâ paſcitur berbâ, inteſtináque ouina haber, quod vt credas meliùs, xem ecce; ſimúlque abdomen aperuit. Sequenti die rursùs venatnm, captíque mas, & fœmina. Huic mammæ ad pedis longitudinem: cæterà mulieri ſimillima fuit; niſi quòd inteſtina quoque herbis oppleta, & cuiuſmodi ouis, habuit. Torum vtrique piloſum corpus, ſed pilo breni, ac ſatis leni.

Iſta de Africa inſinuant, vt attexam com-
1634. mercium, quod ineunte proximo anno Peireskius ioſtituit huiuſcemodi occaſiooe. Vermellius quidam Monſpelienſis, ioitio gemmarius, ſeſe militiæ dederat, opibúſque dilapidatis, ad priorem artem reuerſus erat; cùm mooilibus variis corrogatis, diſceſſit naui Maſſilienſi in Ægyprum, & occaſione proxima in interiorem vſque Æthiopiam. Cùm gemmas, totámque pretioſam ſupellectilem eò transtuliſſet, etiam Reginæ Abyſſinorum, cui ornamenta Europæa placuerunt, innotuit; & iam in aula celebris, ipſi quoque Regi ignorus non fuit. Contigit intereà, vt Rex arma moueret aduerſus quendam Imperij hoſtem, apparaotem exercitum militum quinquaginta millium. Vermellius autem, inita quadam com Rege familiaritate, popoſcit ab eo licentiam erudiendi ſolùm breui tempore militum octo millia, polliceitúſque eſt ſe parua ea manu illas inimici copias euerſurum. Rex, animoſum, induſtriúmque ratus, illi anonit; ipſe verò & delegit, & ita exercuit milites conceſſos, methodo Hollandica iis regionibus incomperta, vt tandem vireis illas ingeoteis fœliciſſimè fregerit. Reuerſus victor, Præfectus fuit totius Regni militiæ, ac tum ad amicos Maſſiliotas ſcripſit, vt curarent ad ſe tranſmitti libros aliquot, ac militareis præſertim, quadámque etiam imagines, tabuláſque pictas, & alia id genus. Id igitur vbi reſciuit Peireskius, certuſque fuit amicos illos nihil ſimile curaturos, apparauit vltrò, miſitque ad virum, tum liquores odoratos, & exquiſitiſſima elaboratione eductos ex gelſemino, roſis, arantiis, gariophilatis, munera Reginæ pergrata futura: tum imagines, tabuláſque, & icones varias Regum, Reginarum, virorúmque, & fœminarum illuſtrium; ac magnam librorum congeriem, ſed Mathematicorum præſertim ex Architectonica militari, ex vulgari Architectura, ex Perſpectiua, & cæteris. Népe indignum eſſe duxit talem fortunam deſerere, ac virum tam procul conſpicuum pro viribus non adjutare. Cùm coofidiſſet autem illom gratiſſime id acceptutum, licere opinatus eſt petere ab eo libros aliquot Æthiopicos, inſcriptiones obuias, deſcriptionem Amaræ montis, itémque rituum Religionis, vaſorum, & ſimilium, quæ Europæis ſciret ignota. Atque hoc quidem moliebatur, cùm interim diſtraheretur mira ſollicitudine, quòd aliud quidem Senatui, aliud Mareſcallo Vitrio Protegi placeret.

Inter hæc etiam excipiendus fuit, aſſiduitatéque, & officiis demerendus Franciſcus Comes Noallius, qui Regius Orator cùm pergeret Romam, aliquot diebus tum Maſſiliæ, tum Aquis-Sextiis ſubſtitit. Vt taceam, quòd illo ſecum deduceote Iuuenem ſupra ætatem Medicæ doctrinæ, praxeóſque peritum, Petrum Michonum Burdelotium, voluerit Peireskius pluſquam obiter eius conſuetudine frui, tum ob doteis proprias, tum ob intercedentem cum erudito illius auunculo Ioanne Burdelotio amicitiam.

Excepit quoque non multò pòſt Pontificis Nuntium Georgium Bolognetum, cùm in Galliam adueniens Aquis-Sextiis faceret iter. Memorabile autem eſt, quòd, cùm is fortè Peireskium occupatum reperiſſet circa neſcio cuius oculi anatomiam, intereſſe ipſe voluerit, curioſéque cognoſcere ſingulareis ſpeculationes. Scilicet ille tenebarur inſatiata auiditate ooſcendi viſus organum, germanúmque locum, io quo viſio ex impreſſione, reflexionéque imaginis peragitur: vnde ex auium, piſcium, quadrupedumque generibus vix obtineri vllum potuit, cuius oculi diſſecti noo fuerint, vt io quo vel congruerent, vel diſſiderent, adnotaretur. Non tacendum verò, quòd, vt mihi, quem ea in re adjutorem voluerat, vberiùs gratificaretur, omnia copioſè perſcripſerit ad Franciſcum Luillerium Regiarum rationum Pariſiis Magiſtrum, quem amicum mibi ſingularem nôrat, cuiúſque eruditionem, candorem, affectúmque io booas arteis, & io æquitatem, omnémque virtutem, ſi hoc loco attingerem, non alio ſanè facerem fine, quàm ad inſinuandom eius amiciriam Peireskio quoque cariſſimam oon immeritò exſtitiſſe.

Quia res porrò valde percrebuit, neque de ea tamen planè conſtitit; ideò videtur operæpretium quid id fuerit commemorare. Inter antiquiorem ſententiam, quæ ſtatuebat viſionem fieri in humore cryſtallino, & recentiorem, quæ in tunica retina, Peireskius mediam elegerat, in humore vitreo fieri opinatus. Quippe cùm dignum exiſtimaret facultatem viſus ſuo munere fungi circiter medium oculi, ac in eo loco, vnde rei imaginem in ſuo ſitu ſpectare poſſet, idcircò hunc locum deſignauerat iotra humorem vitreom, qua parte radij ipſarum rerum trajecti per cryſtallinum, & reflexi ex retina, in vnum quaſi centrum coirent. Ratus enim cryſtallinum ſua conuexitate inuertere imagioem, ſuſpicatus fuerat retinam ſua concauitate eandem reſtituere: quare & debera facultatem in eius concauitatis centro reſidere, vnde imaginem è retina reflexam, reſtitutámque, atque adeò rem in ſuo ſitu naturali contemplaretur. Id animo cùm infixiſſet, potuiſſe ſolùm cenſebat, vt veritatem eiuſmodi reſtitutionis exploraret.

Cùm primùm ergo conceſſum eſt per ferias Paſchaleis nonnihil interquieſcere, exercere cœpit Anatomicos in generibus animalium variis. Vnioersè autem apparuit poſticam illam, interiorémque circumductionem oculi ſpeculum eſſe concanum, propter in-

uerſam tam candelæ, quàm aliorum quorumlibet objectorum reflexionem. Id ſcilicet, ita exemptis anterioribus tunicis, omnibúſque humoribus, vt tota illa capacitas in ſuo ſitu perſeueraret. Tunicæ enim choroidi diuerſimodè colotatæ politura ineſt velnti metallica, quæ ſplendeſcat facillimè, adjutante humote atro, quo à tergo imbuitur, & conferente nigritie, qna interior circumductus, antrorsùm quaſi illinitur, vt lux, aut imago impacta in id ſpeculum, fortiùs, diſtinctiúſque in illo pingatur. Cùm choroïdem verò dico, non excludo Retinam, quæ difficillimè quidem, & in paucis oculis ſic illi adjuncta conſeruari poteſt, vt cum humote vitreo exeunte non loco excedat, colligatúrque, & apparear, qnod reuerà eſt, nerui oprici dilatata productio: at vbi tamen choroïdi adjnncta tenetur, adeò tenuis, terſa, pellucida eſt, ac potiſſimùm quidem humectata, vt vna, eadémque videatur eſſe ſuperficies, vnum, idémque ſpeculum, id quo imagines rerum imprimantur. Tametſi verò opricus, ſeu retinæ medium, non reſpondet è diametro apertæ exteriùs pupillæ (paullò enim inferiùs eſt) reſponder tamen medium poſtici illius colotati, & metallici ſplendoris, qui circulo quodam tanquam Horizonte dirimitur ab anteriore obſcuritate.

Cæterùm Peireskius mirè exſultauit, cùm poſt humores omneis eductos, appensóqne deinde cryſtallino, & in locum penè ſuum reſtituro, imago candelæ obſeruata eſt pingi interiùs in retina, non inuerſo, ſed recto ſitu; ac rursùs, cùm fundo ita illuſtraro, vt cryſtallinus ex eo ſolo poſſet lucem accipere, inuerſa per retinam imago, deprehenſa eſt in cryſtallino ipſam excipiente erecta. Planum quippe duxit conjecturam ſuam vndequaque ſucceſſiſſe; vnde vt illam magis firmaret, conquiſiuit vitra, & ſpecula varia tam conuexa, quàm concaua, tam reflectentia, quàm tranſmittentia; etiámque varias phialas, in quibus variè comparatis, mirum dictu eſt, quàm multa, quamque repetita perfecerit experimenta. Non facilè porrò dimoueri potuit à memorata ſententia; memmíque ſolùm, cùm obiiceretur facultatem viſus intra oculum conſidentem non reſpecturam foras verſus ipſas res, ſed intrò verſus ſpeculum, atque adeò dici non poſſe verè conſpicere res ipſas, præter nonnulla alia, quæ viſionem in retina prubabiliorem facerent; meminit, inquam, eò adductum, vt exiſtimaret poſſe facultatem, ſuam functionem exſerere non in retina, non in cryſtallino, non in vitreo ſolo: ſed in tota illa humorum, tunicarúmque capacitate.

Sic immutauit etiam nonnibil opinionem de myopum, ſenúmque perſpicillis præconceptam. Cùm obſeruaſſet enim imaginem ſpecillo concauo trajectam ampliari, conuexo verò contrahi; exiſtimârat myopes ideò ſpecillis concauis vti, quòd ampliatione indigeant; ſenes conuexis, quod contractione. Poſtquàm verò monitus fuit oculum in loco papyri collocarum, contractum videre objectum ex concauis, amplificatum ex connexis (nempe quòd ea ſpeciem ita diſtrahant, vt paucæ partium objecti partes incurrant in oculum, vnde id contractum appareat; iſta verò ſic contrahant, vt eiuſdem partis plures partes ineant, vnde dilatatum videatur) tum opinionem ſic temperarit, vt opus eſſe cenſuerit ampliatione contractioni miſta. Ne memorem quòd myopibus humore vitreo abundantibus vitia concaua ideò proſint, vt radiorum decuſſatio vltra cryſtallinum facienda promoueatur verſus retinam: ſenibus eodem humore nonnihil conſumpto, conuexa ideò conferant, vt eadem decuſſatio ab eadem retina nonnihil abducatur, quaſi viſio ſit elicienda in moderata ab ipſo puncto decuſſationis diſtantia, eadem ratione, qua in Teleſcopio debet oculus ab illo non-nihil abeſſe; quod à Scheinero oſtenſum eſt.

Sed quæcunque tandem fuerit veritas, aut incertitudo ſententiæ, præſtat heic referre nonnulla, quæ neſcio an prorsùs, an ſatis obſeruata priùs fuerint. Conſtitit nempe cryſtallinum non in omnibus animalium generibus agglutinari, cohærerêque cum ciliari circuitu: ſed in variis piſcibus vitreo veluti innatare; ac in Thynnis ſpecialiter ſuſtentari ſolùm duabus anſulis, quarum altera ab optico neruo producatur. Conſtitit rursùs cryſtallinum figuræ eſſe in variis animalibus variæ. Nam tametſi in pluribus quaſi lenticularis ſit, in piſcibus tamen magis accedit ad globoſam figuram, in volucribus verò minùs. Quin-etiam in Thynno planè ſphæricus eſt poſteriore parte; antrorsùm autem planus eſſet, niſi, relicto circùm margine, attolleretur in medio portio quædam globi longè amplioris, quàm poſterior; diametris nimirùm exſiſtentibus in ſeſquialtera proportione. Cùm idem verò margo viſatur in ocnlis quarundam auium, ac potiſſimùm Aquilæ; in quadrupedibus tamen, ac in homine nullus eſt; ſed cùm pars poſterior ſit portio minoris globi, quàm anterior, ſegmenta cohærent eodem ambitu, diametris globorum excedentibus, proportionis, in oue quidem, quaſi ſeſquiſextæ, in boue quaſi ſeſqui-quartæ, & in aliis alterius. An verò illæ portiones non globorum ſint, ſed parabolarum, figurarúmve aliarum, difficile ſanè iudicatu eſt; ac præſertim quia mortuo animali humor flacceſſit, collabiturque, &, ſeu digitis tractetur, ſeu ſuſpenſus teneatur, ſeu ſupra papyrum reſideat, vix poteſt non deflectere à natiua ſua figura.

Conſtitit prætereà in genere piſcium humorem aqueum vel nullum eſſe, vel certè perexiguum (in Thynno certè, ac Pelamide, Muſtella, & quibuſdam aliis nullus vnquam inuentus eſt) vitreum verò copioſum eſſe. In genere autem tam auium, quam quadrupedum, nocturna illa animalia veluti Bubones, ac Feleis plurimùm aqueo abundare, pauciſſimùm vitreo. Conſtitit quoque non pro ratione magnitudinis animalis, magnitudinem eſſe oculi. Nam cùm aues pro corporum, capitúmque mole maximum poſſideant, vti Aquila, quantum penè ouis, in piſcibus

tamen

tamen Delphin, qui mille libras pependit, longè minorem oculum habuit, quàm Thynnus, qui trecentas ſolùm; & ſpecies Phocæ, quæ viſa eſt eſſe prima Rondeletij, cùm pependiſſet libratum circiter octo millia, non habuit tamen oculum memorato Thynno majorem. Vt miſſum faciam, quòd cùm Peireskius nullo non ſtudio procuraſſet obtinere oculum Balænæ, ex iis, quæ immanes capiuntur in mari Aquitanico, retulit intereà religioſus Vir Ioſephus Antonius Dominicanus Maſſilienſis, qui non ita pridem vnius capturæ interfuerat, oculos ipſius vix fuiſſe humanis maiores. Cùm id verò demiraremur, mirabilius aliud ſubjunxit, ſcilicet, illud animal, cùm os habeat adeò vaſtum, vt exempta lingua (ex qua ſunt libræ olei mille, & ſexcentæ expreſſæ) potuiſſet eques, haud palatum vertice feriens, ingredi, (nimirùm quaſi nauis illa in os Balænæ Lucianicæ) gutturis tamen fuiſſe adeò anguſti, vt vix potuiſſet capere ſimul duos ex illis piſciculis digito auriculari non majoribus, quos Mellitas vocant, quotúmque magna copia deprehenſa in ore eſt.

Nimirùm fortaſſe heic hæreo; ſed cùm nonnulla ſint relata ex iis, quæ Peireskius in alienis obſeruauit oculis, æquum eſt ſanè ſubiici quæ in propriis obſeruitauit. Animaduertit ſiquidem oculos ſuos ſic excipere imagines rerum, vt aſſeruarent illas diutiùs, & maximè quidem cum à ſomno humeſcerent. Sic expertus eſt millies, cùm reſpexiſſet in feneſtram clathris ligneis, quadratuliſque papyraceis interſtinctam, circumferre ſeſe deinceps illius formam in oculis; ſed cum eo diſcrimine, vt ſi clauſos quidem contineret, tum clathros obſcuros, & quadratula candida, cuiuſmodi conſpecta fuerant, videre adhuc videretur: ſin autem apertos in parietem non valde clarum conuerteret, tum obſcura quadratula; clathro verò eius candoris, cuius paries, contueretur. Idem apparebat diſcrimen, ſi in veſteis nigras, ſed aliqua tamen luce illuſtratas, direxiſſet oculos; videlicet quadratula nigrore veſtium erant nigriora. Idem, ſi in apertum librum; characteres enim clarè diſcernebat, quà obſeruabatur clathrorum, non quà atrarum quadratarum ſpecies. Ex quo argumentatus eſt mirum non eſſe, ſi ſplendor luci, & candor niuis hebetent viſum, excæcaréque etiam valeant, vt hiſtoriis proditum eſt; cùm illa non admodùm viuax papyri albedo organum ita vitiet, vt facultati quaſi velum non ſtatim arcendum obducat. Exiſtimârat autem, vt lux Solis vnà cum ardore, Bononienſi lapidi imprimitur, ita lucem, candorémve humori vitreo imprimi, & propter corpulentiam vmbram ſui quandam creare: ſed opinatus eſt poſteà apparentem exteriùs vmbram non à craſſitudine lucis, candoriſve productam, ſed affictam ex vitio, quod contrahi poſſit, non in vitreo ſolùm, ſed etiam in aqueo, & in cryſtallino præſertim. Ad-hæc, rei objectæ ſpecies in oculis eius ſic geminabantur, vt præter primariam, clarámque, aliam ſecundariam, atque obſcuriorem inſinuantem ſe ad latus prioris videret. Sic libro aperto, aut in pagina, dum aliquid ſcriberet, ita diſertè intuebatur, & marginem album, & linearum initia, vt digito tamen citrà, ſeu in margine, obſcuriora alia initia contueri ſibi videretur. Quin aliquando etiam in montem Soli occiduo obuerſum ſpectans, tergeminam eius ſpeciem vidit, vt & multiplicem in filo; quod primam ipſi anſam fecit attendendi ad cætera.

Cùm noſſet porrò me pridem eſſe in ea ſententia, vt oculorum amborum axes nunquam coëant, ſicque angulum in re viſa (vti recepta apud omnes fert opinio) non faciant, ſed perpetuo parallelíſmo incedant, vnúſque ſolùm oculus, altero otiante, dirigatur in rem viſam (is ſcilicet natura duce, qui à natura obtigerit melior, cúm vt manuum, ſic oculorum alter ſemper valentior ſit) adeò proinde, vt viſione, quam diſtinctam vocant, ſolus videat, licet alius poſſit eâ videre, quam confuſam: cùm id, inquam, noſſet, mirè exſultauit, quaſi facto aduerſus illum parallelíſmum experimento. Quippe oculos aliunde immotos alternatim claudens, & aperiens, animaduertit ſpeciem dextram in ſiniſtrum, & ſiniſtram in dextrum ferri, ſicque decuſſationem fieri parallelíſmo repugnantem. Et monui quidem ipſe, vt attenderet dextram, ſeu diſtinctam ſpeciem pertinere ad ſiniſtrum, qui fuit illi potior; ſiniſtram, ſeu confuſam ad dextrum, qui imbecillior; dirigi verò vnicum axem, nempe ex oculo ſiniſtro; ſpeciem autem in dextrum non directè, ſed obliquè incidere, ſicque decuſſatiunem creare: quo modo res omnes geminæ videntur, cùm detorquemus oculos, exſiſtente nempe viſione vtriuſque oculi confuſa, propter obliquum ſolùm allapſum: verùm non planè conquieuit, imò etiam eſt opinatus poſſe inter obſeruandum cæleſtia diſcrimen contingere, ſi vnus pinnacidia dextro oculo dirigat, & alius ſiniſtro: nec ſibi factum putauit ſatis, donec Schickardus ea de re literis ſuis ſecurum fecit.

Mittamus verò tandem iſta, & attingamus alia, quæ per idem tempus multa obſeruauit. Eiuſmodi fuêre imprimis venæ in mezenterio Lacteæ, quarum iam antè meminimus, quaſque rursùs, in quotquot licuit animalibus, requiſiuit. Quoniam autem illas diſcerni niſi in animali viuo, aut palpitante adhuc non poſſe, tum ex Aſellio inuentore, tum ex factis compluribus diſſectionibus nouerat, réſque proptercà in homine, quem viuum diſſecare nefas, inobſeruabilis videbatur; non ideò tamen deſperauit, quin, ſi paucis horis à ſuffocatione, interanea diſquirerentur, veſtigia huiuſcemodi venarum ſeſe proderent. Quamobrem damnatum ſuſpendio procurauit primum, antequàm iudicium capitale pronunciaretur, ſecurè, & egregiè paſci (vt nempe eſſet vnde chylus lacteſceret, quo tempore requireretur) ac inde, non niſi horâ cum ſemiſſe poſt ſuſpendium exſpectatâ, cadauer deuehi curauit in Anatomicum theatrum. Præſtitum eſt verò eâ

diligentiâ,

diligentiâ, vt aperto abdomine venæ albeſcentes apparuerint, vtque ex nonnullis reſectis colligi potuerit liquor lacteus, quod profectò viſum eſt mirum.

Hæc præter, ſollicitus fuit, vt obſeruarentur variæ ſcaturigines ventorum. Nam primùm quidem opinatus fuit ventos ex Ariſtotele terrenos eſſe halitus, qui ex offenſu aëris frigidioris repercuſſi, tranſverſum prorumpant, & pro conditione vallis, aut alterius loci, vnde prodeunt, aut quem offendunt, in Boream, aut Meridiem, Ortum, vel Occaſum ferantur: verùm tam multas expertus eſt in ea ſententia difficultates, vt ad materiam halituum recurrendum cenſuerit, examinandúmque, num, exempli gratiâ, vitriolum, halinitrum, bitumen, ſulphur, & ſimilia, dum exhalantur, conditiones, varietatéſque ventorum ſubeant. Quamobrem obſeruari voluit tam mirabileis quoſdam ventos in ſuis originibus, quàm proprietates ipſas locorum, attendendo ad mineralia, foſſiliáque omnia, & plantas congeneas. Heinc deſtinauit Peireſcum versùs eruditum Medicum nomine Malianum, qui in Coyero monte obſeruaret antrum, è quo frigidus prodit ventus, tantò minùs ſenſibilis, quantò ad originem acceditur propiùs: cuiuſmodi etiam obſeruatus eſt in hiatu boreo Montis-ventoſi. Vt obſeruaret quoque exſtantem non procul lacum Legnium, è quo dum exoritur fumus, nubes haud-dubiè creanda eſt, quæ ſit breui in tempeſtatem ſæuiſſimam exoneranda; quod memorant etiam de lacu Pilari in Delphinatu, & de alio in Pyrenæis. Vt denique ea occaſione obſeruaret fontem, qui ad Collem-martium ſtatis interuallis effluit, ac ſubſiſtit; ni mirùm octies circiter intra ſpatium vnius horæ.

Sic per Bulæum virum doctum, obſeruari curauit ventum Ponthiam, ſiue Ponticum dictum, ad Occaſum Alpium Cottiarum, oppidúmque dictum Nihonſium. Is flat à Borea ſecundùm fluuium, & neque leucæ quadrantem ſecundùm latitudinem excedit, neque ſecundùm longitudinem, curſúmve, dimidiam aut integram leucam: niſi quòd nonnunquam factus vehementior pluteis ſuperat, Rhodanúmque etiam attingit. Quotidianus eſt; & dum flat, non intermittitur, aut fluctuat; ſed vniuſmodi eſt tenoris. Oritur hieme ſub mediam noctem, & in nonam vſque decimámve matutinam conſtat; Æſtate, ab aurora in octauam, Vere, & Autumno, à quarta in meridiem. Eſt autem per hiemem præſertim violentus, maximéque reflante Auſtro; interdúmque frigidus adeò, vt ipſo vigente, aqua in aëre conglaciet. Ventus alioquin ſaluberrimus; vt ſunt etiam eiuſdem loci fruges, fructus, nonnulli fontes.

Sic per Antelmum Forojulienſem, Virum Sacerdotem, omninóque bonum, obſeruari ventum, qui ad Malignonum montem naſcitur, nec decliuitatem illius excedit; itémque conflictum Vulturni, & Cori, qui ad promontorium Rufum occurrentes, ſeſe ibi mutuò conficiunt. Mirabile id ſanè; ſed non minùs illud, quod Vulturnus illeic ſalubris, & fruges perficiens, inſalubris eſt, frugéſque adurit Aquis-Sextiis; & Corus ex oppoſito: ac rursùs, quòd Cannis obſeruatum eſt à memorato antè Meynerio, nullos planè ventos ex cardinalibus flare, ſed lateraleis ſolummodò; cùm aliis locis ſecus contingat. Sed magnum nimis foret tædium, ſi plura congererentur: niſi taceri fortè non debet, quòd qui vtrimque ſubeunt foramen Lanſonium, Pauſilyppæo ſimile, ventum exeuntem vtrimque ſentiunt; argumento quod extrorsùm efflet, non introrsùm inſiliat.

Rursùs, non minùs curioſus fuit, vt attenderetur ad motum maris Mediterranei, quem cùm ad noſtras Europæ oras verſus occaſum eſſe conſtet, exploratum voluit, num ad oras oppoſitæ nobis Africæ verſus ortum foret: idque obſeruando præſertim regionem, qua in fluminum oſtiis arena aggeritur; cùm ſoleat in eam egeri, in quam maris aqua fluuiatilem trudit. Exemplo ipſi erant arenæ, quas vberes Rhodanus vehit. Mare quippe illas propellit in oram Occitaneam, quæ propterea facta importuoſa eſt; nam vel à ſolo tempore Diui Ludouici, mare receſſit ab oppido Aquis-mortuis, integrâ leucâ. Et quamvis arenæ Argentei fluuij in Orientis oram propulſæ videantur, ac Forojulienſem portum compleuiſſe; ſentiebat tamen ideò factum, quòd ſinus Grimaldicus, ſeu San-torpetianus conſequenter ſitus, copioſiorem aquam alliciat, & interpoſitum promontorium gyrationem efficiat; quæ Argentei aquam, limúmque in auerſam ſeu Orientalem plagam compellat.

Eadem occaſione adnotatum voluit marinum æſtum, quiſquis is eſſet, & in mari Hadriatico, & in quibuſdam Africæ oris. Cùm ex diſquiſitis autem variis Mediterranei motibus, circuitibúſque, conſtitiſſet aquam perpetuò ex Ponto Euxino per Boſphorum Thracium, Propontidem, ac Helleſpontum in Ægeum ita influere, vt non modò Smyrnæ, ſed etiam in Creta, imò penè ad Africam illius motus poſſet agnoſci: cùm item conſtituiſſet Oceanum Atlanticum per fretum Gaditanum continuò influere: quippe ſextante ſolùm ſpatij intercepti ad ipſa littora, reciprocatio fluctuum eſt: toto verò beſſe intermedio perpetuus eſt Oceani in Mediterraneum influxus: cùm de his inquam conſtitiſſet, recurrendum eſſe neceſſariè cenſuit ad canaleis ſubterraneos, quibus mare Mediterraneum cum Oceano communicet, & ad libellam reducatur. Nempe eadem ratione volunt Hyrcanum, ſiue Caſpium mare vndique concluſum, nec tamen exundans tot exceptis fluminibus communicare cum Euxino per meatum ſubterraneum, quo aquæ ſcaturiant ea parte, qua medius Euxinus dulceſcit, cuique ex Ariſtotele, nomen eſt βαθέα, ſeu profunda Ponti.

Contigit ad-hæc per illam æſtatem diuerſimodè fulminare. Cùm mea autè foret opinio ignem fulmineum, quo terrena feriuntur,

non

non emitti procul ex alto, ſed proximè ex nubis glomo eius materiam continente, transferentéque, erumpere; voluit ipſe eam flammulam, tametſi rem fluxam, tanta extrudi vehementiâ, vt ex regione aëris media, inexſtincta perueniat ad Terram, vbi vim miram exſerit. Adjecit, cùm ante triginta ſex annos altare majus Capucinorum Aquenſium ictu fulminis fuit diſruptum, verſatum ſe in vrbe fuiſſe, & pertranſeuntem, caſu quodam, plateam dictam Prædicatorum habuiſſe oculos in cælum, ac in eam regionem conuerſos. Quod mirabile verò fuit, obſeruaſſe ſe in aëre medio, manipulum quendam radiorum igneorum, vtrimque partim directorum, partim vndulantium; eo planè modò, quo antiqui pinxerunt fulmen in manu Iouis. Ac nihil attinet quidem memorare quid repoſitum fuerit; referendum potiùs, quòd cùm fulmen dejeciſſet crucem è faſtigio turris campanilis D. Ioannis, ferrum infernè lapidi impreſſum deprehenſum fuit habere circum rubiginem, ſeu cruſtam ferrugineam vi Magnetica maxima pollentem. Ac mirati quidem non ſumus de ferro, quod per aliquot ſæcula expurgatum, contraxiſſe vim poterat: at recrementum ipſum ferri tantundem potuiſſe, fuit ſtupore dignum.

Habuit intereà ex Africa ſemina, plantáſque, & animalia nonnulla. Ex his nullum maius, pulchriúſque Alzarone nuncupato, quod ſummo ore, caudáque taurum, cæterà ceruum referebat. Cornua illi nigra, erectáque, & futura miræ, vt perhibebatur, altitudinis. Animal velociſſimum, & quod non potuiſſet, niſi ab ipſo vbere, capi. Illud verò diu non detinuit; ſed poſtquàm ſatia obſeruauit, próque votis depictum habuit, ad Barberinum Cardinalem miſit. Accepit autem non multò pòſt ſimilis animalis ſpolium à Comite Marchævilla Conſtantinopoli redeunte, eáque occaſione experiri voluit (& neſcio tamen quid interturbârit) nũ pelli eius animalis idem contingeret, quod ceruinæ. Conſtabat enim pellem cerui, ſi fuerit à coriariis in fundo cuppæ conſtituta, ſuppoſitáque tam bubularum, quàm aliarum ingenti aceruo, non conquieſcere, ex quo primùm infuſa aqua fuerit, donec ſeſe ſubduxerit, omnibúſque euolutatis, ſe cumulo toto ſuperiorem ſtatuerit. Cùm id miraremur, retulimus cauſam in ampliorem pilorum cerui, quàm cæterorum cauitatem (ſingulos enim pilos eſſe canaleis, ſiue tubos quoſdam declarant microſcopia) adeò vt, illi aëre oppleti, & intra aquam conſtituti nixum faciant, inſtar ſcilicet veſicæ inflatæ. Credibile quoque id non parùm ad animalis celeritatem conferre, dum propter calorem ex motu, ea capacitas ſpiritu difflatur; vt probabile quoque eſt conferre in volucribus eam pennæ partem, quæ caua, ſpiritu impletur, iuuátque, vt aues faciliùs ſuſtententur in aëre. Sed attigiſſe id ſufficiat.

An ſubiiciam verò quòd Peireskius voluit ſupra domus ſuæ faſtigium locum idoneum conſtrui, è quo abundè eminente quicquid foret cælitùs obſeruabile notaretur? Quàm multa certè obſeruata ex eo fuerint, non eſt heic referendi locus: verùm reticeri non poteſt inſignis lætitia, quam cepit, cùm inde attendit ad Martem occultantem ſtellam, quæ extrema eſt in Virginis ala. Permouerat ſcilicet illum quod narraueram obſeruatum mihi ſuperiore Decembri Iouem occultantem Geminorum Propoda; adeò vt diebus aliquot manè, veſperéque Teleſcopio inſpectus, deprehenſus fuiſſet tranſiuiſſe illi ad Auſtrum, non ampliùs quàm minutis quatuor, die eius menſis decimanona, ac hora vndecima matutina. Et cùm die octaua Iunij ſub veſperam admonuiſſem illum, fore vt Eclipſin non abſimilem per Martem conſpicere poſſet, tum maxima alacritate aduigilare conſtituit, neque diſceſſit, niſi poſt elapſam mediam noctem, cùm horæ beſſe; quo tempore Mars fuit ſtellæ conjunctus, præteriitque ad Auſtrum non ampliùs, quàm ſeſquiminuto.

Sed & dici debet lætitia, qua apud ſe habuit Thomam Campanellam, Philoſophum celebrem, quo obſeruanda tempore fuit, (nempe ſub Nouembris initium) Mercurij cum Sole conjunctio. Quippe is eſſe reſtis potuit inconſpectum fuiſſe ſub Sole Planetam in conjunctione propè centrali; argumento, quòd tum directus ſupra Solem extiterit, quemadmodum retrogradus viſus fuerat priùs ſub Sole; quódque proinde motu ſuo ipſi Soli circumducatur, non verò feratur in Epicyclo nos inter, & Solem detento. Simili ſanè obſeruatione id euiceramus Pariſiis, ante duos annos, cum ſemiſſe, vt pote ſub finem Aprilis.

Cæterùm qua humanitate Campanella exceptus fuerit, haud explicari facilè poteſt. Recipiens enim ſeſe in Galliam, non priùs appulit Maſſiliam, curauitque aduentum ſuum renunciari Peireskio, quàm miſsâ lecticâ accerſitus eſt in ipſius ædeis, & curatus egregiè per aliquot dies, dimiſſúſque Pariſios partim lecticâ, partim curru, non modò ab illo habuit literas, quibus pecuniam Lugduni acciperet; ſed accepit etiam diſcedens quinquaginta aureos, adeò vt tanta beneficentia obrutus, & quaſi ſuffuſus, teſtatus fuerit ſe priùs quidem habuiſſe ſatis conſtantiæ, vt per tormenta ſæuiſſima continere lacrymas poſſet: at non habuiſſe, quando eſt virum adeò munificum expertus. Spectare huc putes, quod poſteà inſeruit in Tomum ſecundum ſuorum operum, ac ſub Oeconomicorum finem. Nam, *haud negem*, inquit, *amicos ſplendidâ excipiendos eſſe menſâ, ſed frugaliter, & cùm opus habent: cúmque amicum potiùs reputabis, qui tibi pecuniam ſuam, quàm qui vitam ſuam offert: veluti mirificus Fabricius, Dominus de Peireſc, Gallorum decus, & Philoſophorum, & clarorum Virorum Mecœnas, & perennis hoſpitalarius, exemplar eſt Mundo.*

Quibus nempe diebus ille eſt apud Peireskium commoratus, tum alios diuerſanreis vidit, tum generalem apud Auguſtodunenſeis Proprætorē Montagutiũ, qui loca Prouinciæ

ſacra inuiſens, inuiſurus quoque eum fuit. Is porrò detulit ad ipſum cochlearia duo argentea antiqua, & nonnulla alia, quæ Auguſtoduni è ruinis vetuſtatis eruta videre Peireskius optârat. Emenſus cochlearia, ac illud præſertim, quod fuit magis integrum, dici non poteſt quàm exſultârit, cùm duas argenti vncias animaduertit pendere, vt pendit ſextans pilæ antiquæ; & continere præciſè drachmas olei duas, ſeu ſextam partem cyathi, vt continet etiam memoratus ſextans. Hinc ad Puteanos literas dedit & fuſiſſimas, & pleniſſimas inexhauſtæ eruditionis, occaſione præſertim ſumpta ex Mercurij effigie in altero cochleari expreſſa, cùm didrachmalis illa menſura, appellata fuerit cheme, nomine deſumpto ex conchylio, cuius cochlear retinet formam, quódque Mercurio ſacrum eſt; adeò vt vafritiei, ſeu duplicitatis Mercurio tributæ ſymbolum fieret tum drachmalis, vncialiſque duplicitas; tum genus conchylij biualuij, & alia id genus ſexcenta.

Acceperat non ita pridem à Montagutij affine Venoto Abacum antiquum, Auguſtoduni quoque effoſſum, ſtudioséque etiam de eo ſcripſerat; propter diſcrimen aliquod notarum numeralium, cum iis, quæ aſcriptæ ſunt in modulo abaci ex muſæo Ciaconiano habiti, & in exemplo apud Gruterum delineato iuxta illum, quem Velſerus ex Occone euulgârat, ac deſcripſerat. Quo loco adnotari poteſt non probaſſe illum quod Velſerus exiſtimauit (vt apud Gruterum licet legere) duos illos clauiculos ſub ſemuncia, & ſicilico, duas eſſe duellas; voluit enim potiùs eſſe ſextulas, quæ junctæ duellam efficiant, quarum vnâ additâ ſemunciæ efficiantur duellæ duæ, vti ambabus additis efficiuntur ſextulæ quinque (nimirùm ſemuncia æquiualet tribus) adeò proinde, vt hac ratione ſupputari poſſint omnes vnciæ partes tam duellares, quàm ſextulares; quod fieri non poſſet, ſi clauiculi duellas ſolùm deſignarent. Addo, ſi eoſdem clauiculos pro ſextulis habueris, etiam duodenas vnciæ parteis, præter vnitatem, ſupputari poſſe. Nam ſextula vna valet parteis duas; ſicilicus treis; ſextula vtraque ſimul iuncta quatuor; ſicilicus cum vna ſextula quinque; ſemuncia ſex; ſicilicus cum duabus ſextulis ſeptem; ſemuncia cum vna ſextula octo; ſemuncia cum ſicilico nouem; ſemuncia cum duabus ſextulis decem; ſemuncia cum ſicilico, & ſextula vna vndecim.

Non heic ſubiicio, vt interim egerit cum Ludouico Sauoto de vſu æris in numiſmatis, déque armis antiquis, quæ & fuerunt ænea, & in ſepulchris ſolita condi; & cum Ludouico Auberio Menillio de cælaturis ſuppoſititiis, quas Chaducus à ſe confictas non erubeſcebat pro vetuſtis euulgare. Non rurſùs, vt curauerat exſcribi MSS. omneis, & Græcos quidem potiſſimùm, qui de ponderibus & menſuris, ex Bibliotheca Vaticana, ex Regia, ex Auguſtana, & cæteris; præter collectanea Angeli Colotij, tribus voluminibus; & Onuphrij Panuinij volumina duo; prætéreque inſigne volumen circa theoriam Muſices, quod miſit primùm ad Donium, ac deinceps, addito volumine Arabico, cum elegantiſſimis figuris, ad Marinum Merſennum, ex Minimorum ordine, virum eximiè bonum, doctum, curioſum, & in illuſtranda naturæ Religioniſque veritate indefeſſum. Non denique compluta alia: ſed ſubiicio potiùs modeſtiam, qua excepit nuncupationem Excerptorum Polybij, Nicolai Damaſceni, & aliorum hiſtoricorum, factam à verè erudito, nobiliſque notæ Henrico Valeſio, qui ipſa Græcè edidit, Latinè vertit, notis illuſtrauit.

Is enim inter alia, affatus ipſum his verbis eſt, *Quid-ni te parentem appellem, & auctorem huius libri, qui primùm à te repertus, aduectuſque ſumptibus tuis ex Inſula Cypro, & in hanc vrbem eſt miſſus?* Et ſtatim, *Nunc verò tandem operâ noſtrâ prodit in lucem, non magis Conſtantini Auguſti purpurâ, quàm nominis tui titulo conſpicuus. Ac de Conſtantino quidem alij viderint: Tu quidem & anteà ſæpè de literis bene meritus es, & poſthac etiam bene mereberis: feres tamen æquo animo id inter tua de ſtudiis, ac ſtudioſis omnibus merita proprium à me numerari.* Et rurſùs, *Quam quidem operam, qualiſcumque eſt, tibi, Nicolae Fabrici, dono, ac nuncupo; vt iam hic liber præfixis titulis tuis ex æquo cenſeatur tuus.* Poſteà verò præfatus, ex tribus atque quinquaginta Excerptorum titulis, vnicum ſupereſſe, de Legationibus inſcriptum, inque libros diuiſum duos, partim à Fulvio Vrſino, partim à Dauide Hœſchelio editum; meminit etiam huius, *qui*, inquit, *nunc primùm in lucem prodit, beneficio Viri clariſſimi, doctiſſimique, & ad iuuandas literas vnicè nati, Nicolai Fabricij Peireſcij, titulo ἀεὶ ἀρετῆς, καὶ κακίας.* Peireskius autem planè ſuffuſus, noluiſſet prorsùs nomen ſuum cum Imperatoria illa commiſceri purpura: reſcribénſque ad Valeſium, ſatis futurum fuiſſe dixit, ſi, facta alij nuncupatione, memoratum fuiſſet dumtaxat, viſum ſibi obiter librum, ac præ manibus habitum, in angulo quodam obſcuro, cùm ex Oriente adueheretur.

Conſimili moderatione ſequente anno 1635.
vſus eſt, cùm Philippus Rubeus Romæ edidit, ipſique dicauit inſcriptionem illam antiquiſſimam Columnæ Roſtratæ, C. OVILIOS. M. F. M. N. COS. AOVORSO. CARTACINIENSIS. IN. SICILIAO. REM. CERENS, &c. cuius ſuprà meminimus; idque cum appoſitis ſupplementis, & illuſtrationibus per Gaugen Gozzeum. Et tamen id videtur factum, non ſine quodam numine; cùm eodem tempore agitaret curam obtinendi eius Inſcriptionis non modò apographum, ſumma fide, & exquiſita imitatione confectum; ſed etiam gypſeum ectypum, vt conſideraret ipſe omnia, exploraretque iudicia, atque ſupplementa Ciaconij, Lipſij, & aliorum, qui in eam incubuerant curam. Prætereo autem, vt voluerit ſimul habere ectypum alterius illius memoratæ inſcriptionis Scipionis Barbati, vnde agnoſceret formam antiquiſſimam Romanorum characterum; quia eiuſcemodi in-

ſcriptio

ſcriptio intemerata perſeuerauit, ſecùs ac Duilliana, cuius characteres inſtauratos fuiſſe ex Plinio, intelligimus. Sic, vt formam agnoſceret antiquiſſimam Atticorum characterum, ectypum quoque habere voluit inſcriptionis illius, quæ legitur apud Gruterum, ΟΔΕΝΙ ΘΕΜΙΤΟΝ, &c. cuiúſque Scaliger ſcribens in Euſebium, opinatus fuerat Ionicos eſſe characteres. Tametſi id egit ex parte, vt Salmaſio faceret ſatis, qui huiuſmodi inſcriptionem perinde illuſtrare in animo habuit, ac illuſtrauerat quaſdam alias de conſecratione Templi, & dedicatione Statuæ. Denique petiit ex Donio accuratum apographum Tabulæ Eugubinæ dictæ, æreæ ſcilicet illius, Eugubij ante annos centum repertæ, & à Grutero quoque relatæ: ſdque ob voces quaſdam Thuſcas, in quarum interpretatione non deſperabat ſe nonnihil adjutare, ne dicam emendare poſſe Bernardini Baldi conjecturas.

Sub anni porrò initium accepit non ſine dolore, obiiſſe Valentiæ Iulium Pacium, quem ab ipſis vſque iuris ſtudiis amabat, ac venerabatur. Diuertit intereà ad illum Theodorus Cardinalis Trivultios, qui tum Italiam repetens, recepit ſeſe curaturum, vt ex Ambroſiana Bibliotheca exſcriberentur Orbicius, & alij Tactici Auctores, quos Salmaſio neceſſarios, Peireskius habêre ſummè laborabat. Diuertit etiam non multò pòſt Cardinalis Lugdunenſis, qui Romam pergens, commorari aliquot diebus voluit in Archiepiſcopatu primævo. Cùm verò illeic magnâ pompâ, ob beneuolentiam, venerationémque pridem quæſitam exciperetur; vbi ipſum quoque Peireskium aliquouſque obuiam euntem & vidit, & complexus fuit, tacere omninò non potuit, ſe pluris paucos illius paſſus, quàm numeroſa milliaria antevertentium æſtimare. Diuertit & Petrus Aloyſius Caraffa, dum Coloniâ Agrippinâ, ac Leodio Pontificis ſummi Legatus rediret.

Cùm verò Peireskius ſuper ea regione multa rogitaret tam ipſum, quàm eruditum comitatum, è quo Silueſter Petraſancta; accepit inter cætera, verſari Leodij religioſum, ac induſtrium, è Societate IESV, virum, nomine Linum, qui phialam compleuiſſet aqua, eiuſmodi temperationis, vt internataret medius globulus, cum deſcriptis circùm horis viginti quatuor, quæ ad piſciculum, ſeu indicem fixum allabentes ex ordine, horas diei connotarent, tanquam globulo Cæli motum exactiſſimè imitante. Confirmatum id ipſi eſt, tum ex Rubenij literis, tum ex relatione Dormalij, qui ineunte Vere in Italiam rediens, & aliquot diebus detentus Aquis-Sextiis, rem ſibi viſam deſcripſit. Laudauit proinde Peireskius inuentum admirabile; cœpítque variè requirere, quænam vis naturæ præſtare id poſſet; cùm haberet ipſe aliunde à multis iam annis Drebelſianam machinam, in cuius vitreo, arcuatóque tubulo incluſa aqua bis in dies ſingulos iret, reditétque, ac patùm abeſſet, quin maris inſequi æſtum videretur. Reuocauit autem præcipuè in mentem, quod ante duos annos Kircherus enarrauerat, ſe fragmento ſubereo inſeruiſſe grana cuiuſdam Heliotropij, quæ (floris inſtar) in Solem conuerſa, innatans ſuber converterent, indiculóque appoſito notatas in vaſe horas deſignarent. Qua occaſione venit in mentem circumcidere Lapidem natantem, quem à Merſenno acceperat, vt in globi formam tornatus, eſſe poſſet ſuberis loco, faciendis heliotropicis, magneticíſque experimentis.

Sperarat ſub Veris eiuſdem Initium diuertentem excipere Pomponium Bellevreum, cùm nomine Regis pergeret Legatus ad Principes Italos; ſed itinere aliàs inſtituto ſpe videndi fruſtratus eſt, complectendique vnà pergentem Franciſcum Vayerum à Motha, cuius eruditionem, candorémque tum literis, operibúſque, tum amicorum communium ſermonibus cognouerat. Dum exſpectaret porrò ex Italia memoratos Tacticos libros, miſit intereà ad Salmaſium delineationes varias enſium, gladiorum, ſecutium, cæterorúmque armorum, quæ apud antiquos fuêre ænea, ac nominatim caſſidum duarum, quarum altera ex Samnitum finibus, ſeu ex Aprutio miſſa fuerat; altera ad ipſummet lacum Thraſymenum fuerat reperta; cum dependentibus vtrimque ſuperſtitibus bucculis. Nec verò iſta modò miſit, vt ſuppetias ferret ſcribenti de Romanorum militia; verùm expreſſa quoque varia fibularum genera, ad complendum opus, quod ille de re veſtiaria aggreſſus fuerat, occaſione diſſertationis inſtitutæ de Acia molli, quam non nimis tortam vſurpandam eſſe ad ſuturas, & fibulas glutinandis vulneribus comparatas, Cornelius Celſus ſcriptum reliquit. Nempe Alphonſus Nunneſius, & Iacobus Chiffletius Medici celebres contendunt Aciæ nomine intelligi debere acum, vel quidpiam aliud metallicum: eruditus verò Franciſcus Rioya, & Franciſcus Figueroa, ipſe quoque Medicus clarus, debere potiùs intelligi vel lineum, vel ſericum filum. Exſpectatur autem quid de controuerſia tum Salmaſius definiat, tum alius quoque Peireskij amicus ex Dania, Ioannes Rhodius Medicus, qui ſede Patauij delecta, non minùs literis ingenuis, quàm artis præſtantia clareſcit.

Quin-etiam miſit inſigne quoddam de animalibus opus, ab Ebembitare Arabicè ſcriptum, nupérque ex Ægypto aduectum, poſtquàm exemplum aliud magno labore, atque ſumptu conquiſitum naufragio periit. Miſit & Codicem alium Arabicum, in quo Canones Conciliorum Nicæni, Conſtantinopolitani, Epheſini, Laodicenſis, Cæſarienſis, Gangrenſis; Canones Apoſtolorum, & Sancti Clementis; Conſtitutiones Conſtantini, Valentiniani, Theodoſij, & neſcio quæ alia. Miſit Ritualia Cophtitarum, vt Epiſtolas, Euangelia, Pſalmos, ac præ cæteris Codicem continentem treis Liturgias, Baſilij, Gregorij, Cyrilli, cum Arabica interpretatione.

Miſit plura; ſed pluris nihil fecit, quàm Volumen quatuor Euangeliſtarum,

Elcupbticè, ſeu Cophticè ſcriptum, Arabicéque declaratum; & maximè propter appoſitos annos, quibus ſinguli Euangeliſtæ ſcripſerunt. Quippe tametſi initio defuit præfatio in Matthæum, qna annus contineri debuit; & præfatio in Ioannem viſa eſt mendosè habere ſcriptam hiſtotiam anno ſexto Imperij TARSOS pto Nerone, & Dominicæ Aſcenſionis trigeſimo: quod tamen ſpectat ad duas alias, altera in Lucam, planum fecit ſcriptam ab illo hiſtoriam Antiochiæ, anno Claudij duodecimo, & Aſcenſionis vigeſimo; altera verò, qnæ in Marcum, ſcriptum ab ipſo Euangelium anno quarto eiuſdem Claudij, & dnodecimo Aſcenſionis. Exiſtimauit antem poſſe quoddã ſubſidium exinde peti, ad dijudicandum controuerſiam de anno Paſſionis Chriſti Domini, & fortè etiam de Natali, qnem initio vulgaris ætæ vetuſtiorem faciunt duobus annis Ioſephus Scaliger, & Sethus Caluiſius; pluribus Laurentius Suſlyga, Ioannes Kepletus, & alij. Scripſit proinde non modò Romam, ſi fortè ſuppleri, atque emendari priores præfationes poſſent; ſed rursùs etiam in Ægyptum, ad obtinendum, ſi fieri poſſet, ſimile volumen completius.

Quàm exſultaſſet verò, ſi id, quod nobis deinceps innotuit, perſpectum habuiſſet! Exſtare nempe Codicem Arabicum perſimilem penes illuſtrem Mon-morium Libellorum Supplicum Magiſtrum, qoo Præfationes integræ continentur? Habent illæ ex per-eruditi Viri Claudij Hardyæi, Regij in Caſtelleto Pariſienſi Conſiliarij interpretatione, fuiſſe MATTHÆI Euangelium Hebraïcè ſcriptum anno Claudij primo, Aſceuſionis nono: MARCI Euangelium Latinè ſcriptum anno Claudij quarto, Aſcenſionis duodecimo: LVCÆ Enangelium Græcè ſcriptum anno Claudij decimoquarto, Aſcenſionis vigeſimo ſecundo: IOANNIS Euangelium Græcè ſcriptum anno Neronis octano, Aſcenſionis trigeſimo: ex quibus meliùs congruentibus, quî illa ſint emendanda, conſtat.

Miſit aliunde in Ægyptum ad Capucinos illeic degenteis, maximè verò ad Agathangelum Vindocinenſem, cùm libros alios plurimos, tum poſtulatos duos quoſdam Tomos Baronianorum Annalium, præter donatam priùs totam ſeriem; itémque ad Cœleſtinum à Sancta Liduina Carmelitam diſcalceatum, Goliíque fratrem, libros varios; ſed præſertim magnum Theſautum Arabicum Mediolani editum, volnminibus quatuor, qui ter, aut quater iam antè miſſus, ſeu ad ipſum eundem, ſeu ad alios, deperditus fuerat, intercipientibus piratis. Prolixa foret cæterorum conſimilium enumeratio; cùm prætermittendum non ſit, quid intereà curarit domi.

Deſiderium nôrat, quo pridem flagrâram habendi phaſeis Lunæ varias, varietatéſque in ſingulis per Teleſcopium apparenteis, viuis ſuis coloribus, proportionibúſque, & ſitu ſeruato, depictas. Hoc ſanè fine exoptâram, ac tandem obtinueram ab eximio Galileo vnum quoddam prolixitate, perfectionéque præcellens; expetebámque ſolùm induſtrium, & patientem ſatis Pictorem. Ille itaque mei causâ, vt magna parte ſnperiotis anni, ſic maxima buius detinnit redeuntem Româ egregium Pictorem Claudium Saluatum Alnernatem, qui me operam dirigente, id muneris exſequeretur. Detinuit verò etiam ſequente per complureis menſeis Claudium Mellanum Abbavillæum, artificem inter Pictores, Cælatoréſque eximium, ipſum quoque Roma redeuntem; tum vt nouas phaſeis exquiſito ſuo artificio depingeret, tum vt eaſdem, aut quaſdam certè, ingenioſa manu incideret æri. Peruidit nempe Vir optimus, poſſe exinde quandam ſpeciem Selenographiæ inſtitui, inſignémque fore eius vſum tum in Phyſica, tum in Aſtronomia.

In Phyſica quidem, ad ratiocinandum circa Phænomena perpulcra; & maximè, quando ex ſerie aſſetuatarum phaſeon, probabile fieri videtur globum illum Lunæ tale quidpiam eſſe, qualis eſt globus iſte Telluris. Siquidem, cùm illæ maculæ majores nullo æuo non cognitæ analogiam habeant cum matibus noſtris, vt proinde poſſint in iis diſcerni Eoum, Occiduum, Caſpium, alia, cum deflexibns, ſinubúſque innumeris; videntur cætera nihil eſſe aliud, quàm Continentes, Cherſoneſi, Inſulæ, cum ſuis campis, montibus, vallibus, lacubus, aliíſque id genos. Et maculas quidem illas eſſe quaſi æquora quædam, conuinci videtur ex ſuperficiei æqoabilitate; quippe in qua nihil emineat, quod Sole aduerſo obſcuritatem pariat, & per qnam vmbræ ſectio traducta planiſſima ſit: cùm cæteræ partes elatæ, depreſſæ, anfractuoſæ ſint; & tranſiens per illas vmbræ ſectio ſit variè diſcerpta, atque interrupta. Quin etiam partes littorales, cùm ſtant ex adnerſo Soli accedenti, illuſtrantur citiùs, cùm recedenti, tardiùs, quàm ſubjecta maria; proiicientes alioquin vmbram in parteis Soli oppoſitas, tanquam præcelſæ quædam rupes; adeò vt etiam longæ ſeries vmbrarum plerumque nigreſcant. Sunt tamen in iis maribus quaſi vada, aut breuia quædam, ſeu mauis ſeries ſcopulorum, in quibus, ſeu aqua ſpumante, obſeruatur quædam candicantia.

De Continentibus id mirum, quòd cùm generatim albeſcant, ſunt tamen prorsùs heterogenei, vt ſi varietates terrarum, ſiluarum, ſtagnorum, & ſimilia diuerſum crearent alborem. Nam aliunde, conuallium, montium, & planitierum viciſſitudines vbiqne occurrunt, ſúntque ſolùm ad medium diſcum areæ quædam ex ordine humilioribus collibus obſeptæ. Secus ſanè eſt de cæteris locis, quæ per Plenilunium candidiora ſunt; profundiores enim ſunt valles, quæ dum Sol proximè accedit, abſceditve, apparent obſcuriſſimæ, Sole nempe non illuſtrante niſi circumpoſita iuga; adeò vt fiat gemmarum ſpecies; deinde verò ſummè candeſcunt, quòd lucam plenà combibant, & radiis ex lateribus reuerberatione coactis compleantur. Quanquam ſunt etiam partes quædam, quæ præter lucis coitionem, mirè

candiceut

candicent (vt cuſpis inſignis verſus Orientem, qua illuſtrata, nihil ſtatim candidius) quaſi illeic forent montes quidam gypſei, aut Riphæorum inſtar niuibus obducti. Veluti, ex oppoſito, partes quædam ſunt ſuapte natura ita liueſcentes, vt nulla lucis plenitudine alborem concipiant; quaſi illi eſſent aut lacus, aut tractus terræ nigricantioris, qualis eſt ad Boream, nec longè à maris magni littore phaſeolus, ſeu ellipſis quædam, & qualis penè eſt anfractus circumdans illum vmbilicum, qui eſt ad Auſtrum adeò præclarus. Præclarus, inquam, ob radios longè, latéque circumfuſos, quaſi ij eſſent partim conuallium, partim niueorum ſcopulorum series: quod idem dicendum de radiis alterius, qui eſt centro vicinior, & quo, dum primùm, vltimúmve illuſtratur, nulla eſt species vnionis pulchrior. Enimverò has varietates percurrere immenſum foret.

Quare illud de ora Lunæ adnotare ſufficiat; cùm æquabiliſſima videatur, id eſſe tamen ex eo ſolùm, quòd oculus noſter loca ad eas parteis depreſſa, ob deuexitatem, non videat; iuga verò antecedentia, conſequentiáque, & miſta componat. Cæterùm enim parem vbique inæqualitatem illud arguit, quòd dum Luna falcata eſt, apparent vltra cuſpides, ac potiſſimùm inferiorem, lucidi quidam globuli obſcuritate intercepti, quaſi ij ſint editi montes in ipſiſſimo margine. Argumento ſanè, quòd ea pars Lunæ, quæ nunquam nobis obuertitur, eiuſdem ſit diuerſitatis. Poſſet id verò confirmari, vel ex eo quòd, cùm non ſemper eædem partes viſibilem occupent limbum (videlicet Luna libratione quadam, propter varios ſitus in Zodiaco, & ſupra Horizontem, ita contorqueri apparet, vt nunc parteis quaſdam reuelet ad Ortum, occultet ad Occasũ, nunc contrà; parique modo ad Auſtrum, ac Boream; adeò vt etiam partes intermediæ ſint centro, ſiue medio diſci nunc propiores, nunc remotiores) quòd, inquam, re ſic ſe habente, eadem ſemper varietas in partibus circùm retectis viſatur: Nam verbi causâ, macula illa ſolitaria, quæ quaſi mare quoddam Caſpium ad Occaſum conſpicitur, dum ipſi oræ proxima eſt, nihil præter tenuem alborem, inter ſe, orámque relinquit; dum verò remotior, tum in interſtitio duæ longiuſculæ maculæ apparent.

Ex quibus, aliiſque id genus videtur quidem conſentaneum, vt in globo Lunæ perinde, ac in globo Terræ plurima in ſingulos dies oriantur, & intereant; ſed nullo tamen modo probabile eſſe illa eſſe iſtis ſimilia. Nam, ſi non omnis fert omnia tellus, deprehensúmque eſt in America animalia, plantas, cætera, naſci à noſtris planè diuerſa; cùm America tamen, & Europa eiuſdem globi partes ſint: quantò æquius eſt reputare, omnia quæ gignuntur in Luna, Orbe planè alio, à Terrenis hiſce differre? Quod dico, ne quis arbitretur poſſe illeic homines eſſe, aut quidpiam aliud ſimile, cuius formam, aut faciem vel coniiciendo aſſequi liceat: vti nunquam conieciſſemus formas fructuum, animaliũ, aliarum rerum, quas in nouo Orbe nuper vidimus. Quòd illa enim poſſint vnquam vllo Teleſcopio diſcerni, præter ſpem omnem, fidémque eſt: quantumcumque iam audiamus fabrefactum Neapoli, quod ſpeciem Lunæ amplificet, demonſtrétque omnia, quàm antè, diſtinctiùs, & quantumcumque Rubenius ante annos aliquot ad Peireskium ſcripſerit, verſari apud ſe egregium, probúmque Pictorem, nomine Heymum, narrantem ſibi conſpectum fuiſſe penes Drebelſium Opticum tubum, Diametri palmaris, quo liceret in diſco Lunæ diſcernere campos, ſiluas, ædificia, & munimenta locorum noſtratibus non abſimilia.

Atque hæc circa Phyſicam ſatis; niſi fortè addendum eſt, ſi illæ quidem plagæ obſcuriores in Luna ſunt veluti maria, nihil fortaſſis mirum fore, ſi exinde quidpiam humoris in Terrá trahatur, quod agnoſcere liceat ex animalium medullis, ex conchyliis, ex plantis, vniuerséque ex humidis rebus. Dici enim poſſet Solis radios in humenteis illas regiones impactos, & in Terrá reflexos imbibere, deueheréque aliquid illius humoris, vt dum ex vitro colorato deradunt, deferúntque aliquid intincti coloris: hancque eſſe cauſam, cur in Plenilunio oſſa, oſtrea, & alia fœcundiore humore polleant, propter copioſiorem radiorum affluxum. Qua ſanè ratione poſſet quoque Lunæ fieri compenſatio circa Nouilunium, ob repercuſſionem ſcilicet radiorum è maribus noſtris, tantò vberiorem, quantò lux è Terra, corpore maiore, reuibratur in Lunam amplior, vt arguit illa ſecundaria, & debilior lux, quam Luna, præter falcem argenteam, intra quadraturam oſtentat, donec nimirùm vicina Soli reflexionis eſt particeps.

Iam, quod ſpectat ad Aſtronomiam, videtur ſanè Selenographia non mediocris fore vſus. Imprimis enim ex vero ſitu, ac delineatione partium præcipuarum, cum inditis nominibus, obſeruari poteſt, atque deſignari, quando Luna eſt biſecta in nodis, quà terminentur cuſpides, quà exſtet medium inter ipſas; adeò vt ad oram connotare liceat cardinalia puncta, boreum, auſtrinum, eoum, occiduum; è quibus aliorum circulorum inſtar, diuiſio in gradus poſſit inchoari. Et quoniam ſitus cuſpidum non modò pro receſſu à nodis, ſed etiam pro Lunæ ætate eſt varius, quatenus ſeſe Soli ad Boream, Auſtrúmve ſupponit, aut ſubducit: ideò hinc penè pronunciare de eius in orbita loco, déque diſtantia à Sole licet. Deinde, exſiſtente Luna in Nodis oppoſita, ſeu ſtatim ante, ſeu poſt Eclipſin, adnotari poteſt, atque exprimi, quo ſitu ſint quælibet partes tum inter ſe, tum cum ipſo centro, ac limbo vicino; vt, euariato aliàs diſco ob memoratam quaſi librationem, ille pro germano habeatur. Exinde autem, ſi ſtella quæpiam condatur à Luna, deſignari poteſt qua parte ineat, qua diſcedat, & an deſcribat Diametrum, an Boream, Auſtrinámve chordam, quæ ex gradibus circũſcriptis, viæ trans-Lunaris quãtitatem prodat. Quo etiam modo notari poteſt

ſi Luna tranſeat proximè ſtellam, quando ſit cum illa in eadem longitudine, & quanta à limbo diſtantia; quatenus illa comparatur cum intercapedine duorum intra diſcum punctorum, ſeu locorum menſurabilium. Adhæc, internoſci, exprimique poteſt quadratura quælibet (quam veteres quidem in arduo diametrorum negotio vſurpare attentauerunt, neque niſi procul aſſequuti ſunt, ob viſus fallaciam citra Teleſcopium) itémque phaſes ceteræ, quæ tempore phænomeni alicuius ſint deſcribendæ, ita ſanè variantes, vt niſi poſt multos annos eædem non redeant. Quippe cùm in horas mutentur, tum memorata libratio, tum receſſus à nodis, tum diuerſitas temporis efficit, vt quo tempore conſimilis phaſis ſperanda videtur, aliqua ſemper diſſimilitudo ſeſe ingerat, quæ nouam picturam depoſcat.

Denique quod ſpectat ad Eclipſeis Lunæ, Iconiſmi illi mirificè proſunt, ad dignoſcendum, declarandúmque quà defectus primùm incipiat, quà vltimùm deſinat, quà fiat totalis immerſio, quà prima lucis recuperatio; adeò vt propter memoratam circumſcriptionem graduum, agnoſcatur quantum hæc puncta à cardinalibus, inter ſe, atque adeò à nodo diſtent. Proſunt quoque ad deſignandum ipſos defectus digitos; ſcilicet ſubnotatis punctis, partibúſve conſpicuis, quæ aut attinguntur, aut deſeruntur ab arcu vmbræ. Ex quo proinde maximè proſunt ad deſcribendum vmbræ arcum ex tribus inſignibus locis per quæ eodem tempore tranſeat: quo tandem modo diameter vmbræ cum diametro Lunæ poteſt eximiè comparari. Ea verò re nihil eſſe poteſt in toto hoc negotio vtilius; cùm præſertim conſtet idcircò peccari in deſcribendo tempore, quantitatéque Eclipſeon, quòd ea proportio ignoretur, & diameter Lunæ ferè ſupponatur quinta ſui parte major, quàm oporteat.

Quòd ſi quis requirat rem pernecessariam, germanas nempe, obſeruatáſque Diametros tam Lunæ, quàm Solis, nouerit eas quoque intra ædeis Peireskij, & ipſo ſpectante ſæpiùs habitas ex duobus pinnacidiis, vmbráque vnius decurtata in alio, ad extrema Trabeculæ quatuor propemodùm orgyias, ſeu Pariſienſeis Toiſas longæ. Et loci quidem obſcuritatem, cautionéſque alias heic non explico: refero ſolùm in eorum gratiam, quibus res grata futura eſt, Solem eſſe Diametro, Apogeum quidem, minutorum primorum triginta, ſecundorum duodecim, Perigeum verò, primorum triginta vnius, ſecundorum ſex: & Lunam Apogeam primorum viginti ſex, ſecundorum triginta ſex; Perigeam primorum triginta vnius, ſecundorum ſex, quemadmodum Solem. Decurtatio profectò magna, præter communem ſententiam: ſed velim ſolùm attendatur quanta ſit viſus hallucinatio, dum pro variis lucis, tenebrarúmque gradibus, quibus pupilla afficitur, eadem res ſpectatur, atque menſuratur. Eadem certè diameter Lunæ per nocturnam obſcuritatem obſeruata mihi eſt amplior, quàm mediâ aurorâ, & tunc major quàm oriente Sole, & tunc adhuc major quàm die ſplendeſcente. Quod moneo, vt tutiorem innuam iſtam obſeruandi methodum per vmbram; quaſi nempe vmbra non ſit tot fallacibus affectionibus, oculi inſtar, obnoxia. Fuit porrò Peireskij mira exſultatio, cùm eiuſmodi rerum vſum experiundo agnouit circa eam Eclipſin, quæ die tertia Martij obſeruata fuit, cuiúſque mediam contigit hora octaua, cũ minutis quadraginta tribus.

Cœpit conſequenter ſeriò cogitare, quod pridem deſtinauerat, de adjutandis Geographis circa obtinendam differentiam longitudinis variorum locorum. Quippe & voluit methodum quandam obſeruandarum Eclipſeon ſcribi; & ſategit mirificè, vt defectus Lunæ proximo Auguſto futurus obſeruaretur, tam per Europam, quàm in variis Aſiæ, & Africæ locis. Nam præter noſtrates, magíſque occiduos, procurauit, vt inſtigante Cardinali à Balneo, Viri docti, ac celebres Andreas Argolus Patauij, & Scipio Claromontius Cæſennæ obſeruationem peragerent; & Barberino intercedente, tum peractam Romæ duplicem obtinuit, tum duplicem Neapoli, vbi exquiſita præ ceteris fuit, cui Ioannes Camillus Glorioſus, Vir ſanè eximius, iuréque laudatus, incubuit. Ita ex vrbe Ægypti Cairo eam habuit, quam illeic perfecit memoratus ſuprà Agathangelus Capucinus, adjutus à Ioanne Mulino Dragomanno Veneto; & Alepò Syriæ, quàm optimus alius Capucinus Michaël Angelus, vnà cum ante nominato Cæleſtino à Sancta Liduina.

Et omnium quidem obſeruata commemorari heic non poſſunt; ſed taceri tamen non debet, quod pro votis Peireskij fuit, conſtitiſſe exinde Tabulas, Chartáſque Geographicas omneis nimis à nobis abducere illa Ægypti, ac Syriæ loca. Quippe cùm tribus propè horis, hoc eſt gradibus quadraginta quinque, Alepum Maſſiliâ Orientaliorem conſtituant; prodiderunt obſeruationes integram penè horam detrahendam eſſe, quòd inter hæc loca non plures, quàm triginta gradus fuerint numerati. Heinc cùm non malè res ſucceſſiſſet, ſollicitè egit, ac per Cardinalem Barberinum, pérque Generaleis Ordinum tam Dominicani, quàm Ieſuitici obtinuit, vt præſcriberent Religioſis in vtraque India, ac vbivis degentibus obſeruandarum Eclipſeon, conſimiliumque rerum curam. Nullus quoque deinceps, ſiue Capucinus, ſiue alius ſtudioſus vir, in Orientem, aut aliò peregrinaturus, moraturúſve diſcedens, per Prouinciam tranſiit, quem non demeruerit variis humanitatis officiis, cuique ſimul non demandârit obſeruationum earundem ſtudium, donando libros, Teleſcopia, & id genus cetera, quorum etiam vſum, ſi qui ignorarent, curauit vt ante diſceſſum & addiſcerent, & experiundo comprobarent.

Cùm noſſet autem Galileum elaboraſſe methodum, cuius ſuprà meminimus, definiendæ nempe locorũ longitudinis ex Sideribus Mediceis; ideò ab ipſo Galileo poſtulauit in vſum proprium, Teleſcopium quàm

optimum,

optimum, vt explorare ipſe, & cum aliis conferre obſeruata poſſet, Id egit verò perſcriptis priùs complurimis literis, quibus licere ſibi putauit conſolari talem amicum, condoleréque ob grauem caſum. Quinetiam magna illum tenuit per hoc tempus ſollicitudo, qua procurare adnixus eſt per Cardinalem optimum, vt temperatâ ſententiâ, libertas ipſi reſtitueretur. Id enim ſponte cùm ageret, putauit officium à ſe exigi iure amicitiæ, ac merito viri, cuius memoria foret poſteris iucundiſſima exſtitura.

Sub Octobris finem grauiſſimè tulit, non expectaſſe Curiam, vt ſponte ſeſe abdicaret functione Senatoria, quam in Nepotis cooptatione ante triennium reſeruârat. Quare, agente Pariſiis fratre, obtinuit diplomate Regio reſtitutionem in integrum, & prorogationem etiam in quinquennium. Verùm id demùm ſequente anno, quo rursùs toto non
1636. deſtitit fouere literarum curam. Nam primùm quidem ſuſpiciens variam, inſignémque eruditionem, qua Leo Allatius vir pereruditus Romæ degens, tot Græcos auctores hactenus inuiſos, aut inemendatos profert, caſtigat, interpretatur, fœlicitate mirabili; fauere illius conatibus voluit, ſtudioséque egit cum Typographis Pariſienſibus, vt lucubrationum ipſius editionem aggrederentur. Id egit etiam de quibuſdam præclaris operibus Fortunij Liceti, qui Philoſophus pridem clarus in Patauina Academia, nunc in Bononienſi Profeſſor primarius, eſt merito magno celeberrimus. Sic audita morte optimi Schickardi, quem peſtis à Nouembri vique ſuperiore abſtulerat, omnem diligentiam adhibuit, vt inedita eius opera ſeruarentur, lucémque acciperent: id agens præſertim Matthiæ Berneggeri Argentinenſis, Viri celebris interuentu. Prætereo autem vt ad ipſum, intercedente, cuius ſuprà meminimus, Ælio Deodato miſerit varia Epicedia, quæ dum euulgarentur, Thomas Lanſius Iuriſconſultorum decus, & τ̃ μακαρίτου Achates, edi ſimul procurauit orationem funebrem, in qua Zacharias Schæfferus inſignis Eloquentiæ, & Hiſtoriarum apud Tubingenſeis Profeſſor, tacere non potuit Schickardum fuiſſe à Peireskio prolixè, ſplendidéque inuitatum, vt tumultus patriæ declinans, ad ipſum diuerteret, quietem ſtudiis aſſequuturus.

Sic Elichmannum doctum Hollandum ſollicitauit ad editionem quarundam vitarum Pythagoræ, Empedoclis, aliorúmque Philoſophorum, quas ille habebat Arabicè ſcriptas; itémque Tabulæ Cebetis, in qua legi obſeruaſſet inauditum quendam Herculem Socraticum, aliarúmque rerum ſimilium. Sic cùm Samuel Petitus appararet tum nouam interpretationem, tum eruditas in Ioſephum notas, obtinuit ipſi per Holſtenium variorum locorum collationem cum tribus Codicibus Vaticanis MSS. Sic cùm Buccardus moliretur interpretationem, editionémque Georgij Syncelli, ac Theophanis, exſcribi curauit exemplum, quod & Romam miſit, & rursùs accepit, vt cùm M.S. Bibliothecæ Regiæ conferretur; neque interquieuit, quovſque collatio, & quorundam etiam locorum caſtigatio perfecta fuit per Salmaſium, qui tum in Galliam aduenerat. Sic occaſionem præbuit Iſmaëli Bullialdo Matheſeos eximie perito, vt prolixam primùm de natura Lucis conſcriberet epiſtolam, ac deinde etiam volumen iuſtæ magnitudinis ederet; poſtquàm accepit illum de luce beneficio ſpeculi in centrum coëunte, interpretatum id Problema, quod à Baptiſta Poiſſonio Regio apud Andeis cognitore fuetat his verbis propoſitum, Vtrum ſit aliqua demonſtratio perfectè Logica, perfectè Mathematica, perfectè Senſibilis, qua probetur dari magnitudinem latitudinis non expertem, quæ aliquando, & alicubi ſit in puncto verè Mathematico, & cuius puncti nullæ ſint partes, & tamen in eodem ipſa habeat parteis extra parteis.

Ad hæc, varia cum variis pereruditè diſſeruit. Quippe ad Anaſtaſium Nannetenſem Capucinum plurima perſcripſit de lingua Aremorica, in qua conſenſit plurimas antiquarum vocum Latinarum eſſe radices. Nam anteà quidem improbârat Adrianum Scrieckium, ideò feciſſe Teutonicam, Belgicámve linguam primam omnium, quòd vna eadémque cùm Hebræa foret, ac proinde matrix reliquarum omnium: itémque Goropium Beccanum prætuliſſe Hebrææ tanquam imperfectæ, cæteriſque Cimbricam, quaſi continentem radices tam Hebrææ, quàm Græcæ, quàm Latinæ, quàm cæterarum: ſed aiebat ſe non improbaturum, ſi illi radices, aut voces nonnullas magis conſpicuæ affinitatis venditare contenti fuiſſent, non detorquendo facere vniuerſas eiuſdem iuris. Quòd nonnullæ verò originem eandem primitùs habuerint, haberéve potuerint, declarabat exemplo nuncupationis fluminum, quam ferè ita deducebat, Varus, Guarus, Garumna, Guardonus, Guavardonus, Verdonus, Rhodanus, Eridanus, Duranus, Druna, Druentia, Durius, vel Duerus, Iberus, Hebrus, Tiberis, Tigris, Ligeris, &c. idque præter vulgareis appellationes, quæ diuerſiſſimæ licet à Latinis, aut aliis antiquioribus, agnoſcuntur tamen ſemper ab eiſdem, vel ex vnica litera retenta, eſſe deriuatæ. Neque id magis mirum eſſe, quàm ex vocibus Petri, Iacobi, Ioannis, vernaculas fieri Pir, Diego, Iems, aliáſque exorbitantiores.

Multa quoque diſſeruit de Vocabulario quodam, & Grammatica linguæ Prouincialis, prout ſe Petrarchæ tempeſtate habuerat (videlicet poſtquàm vtrumque obtinuit ex Bibliotheca Florentina, quæ Sancti Laurentij dicitur) itémque de Poëtis Prouincialibus, qui *Trobadores* (quaſi dixeris Inuentores) appellati ſunt, eo videlicet tempore, quo Principes etiam, ac Reges linguam, Poëſinque Prouincialem excolebant. Quo in argumento fuit non parùm adjutus indicibus, libríſque miſſis ab erudito Comite Friderico Vbaldino apud Cardinalem Barberinum commorante. Conciliârat hunc illi amicum Buccardus,

ac ſimul Vincentium Noguetam Luſitanum nobilem : ne quidpiam dicam de Conſtantino Cajetano, ob pervetuſtos Codices claro; neque de Auguſtino Maſcardo, quicum egit Peireskius de merhodo hiſtotica, occaſione accepti ab illo exempli, quod propter ſingularem Viri eruditionem, atque elegantiam grariſſimam habuit. Egit verò tempore eodem cum illuſtri Marchione Vincentio Iuſtinianæo de præclaris ſtatuis, quibus ille exornârat celeberrimam pergulam, quarumque partem æri inciſam, & io nobilem Codicem compactam, à Cardinali Barberino donatam accepit; idque cùm ad ipſum mitteret viciſſim duo prima volumina ſcriptotum Francicæ hiſtoriæ à Duchesnio iam concinnata.

Ad hæc, non pauca diſſeruit de characteribus Planerarum, quos ex characteribus Græcarum vocalium majuſculis deductos probabile cenſuit, exigua cum immutatione. Non pauca etiam de Prolemæi Aſtronomi patria, & qnibuſdam corporis, animi, vitæque ipſius citcumſtantiis; occaſione Codicis Almagcſti MS. non multùm inferioris ea ipſa ætate, qua generoſus, eruditúſque Imperator Fridericus ſecundus Latinam interpretationem ex Arabica fieri procurauit. In eo quippe Ptolemæus legitur Pheludienſis, pro Peluſienſi; dicitúrque illum non fuiſſe ex Regibus; vixiſſe annos ſeptuaginta octo; ſtaturæ fuiſſe mediocris; ſubtilium pedum; barbæ ſpiſſæ; & ſimilia, quæ neſcio vnde ſciri potuerint. Subiiciuntur quoque dicta grauia, ſeu morales eius ſententiæ; &, quod videtur notabile præſertim eſſe, additur, *Liber hic præcepto* MAYMONIS *Regis Arabum, qui regnauit in* BALOACH, *ab* ALHAZEN, *filio Ioſephi, matre Ariſmetici, &* SERGIO, *filio Elbe Chriſtiano in anno* XII. *&* CC. *ſecta Sarracenorum, tranſlatus eſt.* Adeò proinde, vt Almageſtum ex Græco idiomate in Arabicum fuerit verſum, anno Æræ Chriſti vulgaris ſeptingenteſimo quadrageſimo quarto.

Præter hæc, copioſè diſſeruit de Hominum longæuitate, occaſione illius Senis, qui ſuperiore Nouembri occubuerat in Anglia, poſt exactos annos centum, & quinquaginta duos; & poſtquàm aliunde accepit Alepo, ex literis Petri, & Ioannis Conſtantinorum, hominem eſſe in Perſide, Capucinis, aliíſque viris fide dignis cognitum, annos iam natum quadringentos : idque ipſis omninò eſſe exploratum, atque indubium.

Itémque de Tritonibus; occaſione hominis marini, quem cùm accepiſſet viſum pridem fuiſſe ad Bellam, ſic vocant, Aremoticæ Inſulam, rem diſquiri, ac ſcribi ad ſe procurauit ab Henrico Gondio Duce Radeſiano, & Inſularum Gubernatore. Præterea autem, conſtitiſſe, quicquid ex illo apparuit, humanâ exſtitiſſe formâ, niſi quod pro craſſitudine corporis brachia breuiora, & manus grandiores, candidioréſque ad palmam habuit. Capillos denſos; candicanteíſque, promiſſos ſupra humeros, barbámque ad ſtomachum vſque. Oculos prægrandeis, ac truces; cutim, quantum viſu licuit aſſequi, aſperam; & neque candidam, neque pullam. Ferebatur primùm delectatus fuiſſe, accedente nauicula, aſpectu virorum, fœminarúmque, & coloribus clarioribus veſtium; adeò vt etiam ſe retibus concludi paſſus fuerit : at ſimul atque vis fuit facta, vt educeretur, & priuſquam conſtare potuiſſet, quanam forma infra vmbilicum foret, tum nullo negotio retia pertupiſſe, tum leui conatu ſubuertiſſe nauiculam. Addebatur, illum deinceps procul dumtaxat apparuiſſe; apricatum ad inacceſſas rupeis, & parte ſui inferiore iuxta aquam ſemper demerſa; plauſu interdum manibus facto, emiſſóque ſibilo, quem riſum interpretabantur. Atque id quidem, donec quiſpiam tormentario globo impetiit, à quo vſque (ſeu terrefactus, ſeu interfectus fuerit) nuſquam deinceps viſus fuit: tametſi viſa fuiſſe dicatur, quæ credita eſt fœmina (ſcilicet ob barbæ defectum) deſinens infernè in geminam caudam, cuiuſmodi Salmonea eſt.

Rursùs de animalium inſitione, plantarum inſtar; occaſione Prunuli in regione thoracis medij, ſiue ad ſternum fruteſcentis, ex quo Paſtor Tarraconenſis in prunulum incidit, ſpináque ad eam partem implantata, ſic per biennium radices egit, vt poſt reſectos ſurculos varios, aliqui tandem prodierint, in quibus flores, & fructus viſi. Non deſtitit porrò inſtare, donec Cardinalis Barberinus curauit fidem fieri per illius loci Archiepiſcopum; & Eques Puteanus non literas modò atteſtanteis, ſed ſurculos etiam accepit, & cum ipſo communicauit. Hæſit verò deinceps minùs, cùm accepit ſimile quidpiam contigiſſe in Thuſcia, circa Gallinæ cuiuſdam collum; & Frontiniani in Occitania, circa digitum Piſcatoris, in quem cùm implantata fuiſſet ſpinula Scorpionis marini, res eò euaſit, vt Chirurgus exinde eduxerit treis piſciculos generis Scorpiorum. Quanquam hæc omnia qui viderit, fidem habere tutiorem poteſt. Attendens deinde Gallorum calcaria in criſtarum locum inſita ritè vegetari, & ſuccreſcere; nullus dubitauit, quin hædorum cornua cornibus agnorum poſſent inſeri, & alia id genus ſimilia non ſine ſucceſſu tentari; quorum proinde mandauit curam viris quibuſdam induſtriis.

Præterea etiam de Crocodilo, in quo ſingularia quædam obſeruauit, non modò circa motum maxillæ ſuperioris, ſed etiam circa numerum dentium, quos Achilles Tatius dixerat eſſe plureis trecentis, Ælianus non plures ſexaginta : ipſe verò in Crocodilo duodecim pedibus Pariſienſibus longiore, quem ex Ægypto ad Thuanum tranſmiſſum aliquantiſper domi habuit, eſſe deprehendit, in ſuperiore quidem maxilla triginta ſeptem, vt puta ſexdecim vtrimque, & quinque anteriùs; in inferiore verò quindecim ad vtrumque latus, antrorsùm autem quatuor; ſi tamen probè memini. Hoc memini dentes magnitudine valde inæqualeis, ſuperioréſque exſertos, neque inferioribus occurrenteis, carniuororum terreſtrium inſtar; & alioquin pellucidos.

Sed

Sed prolixum nimis omnia recenſere : niſi quòd vnum præterea tacendum non eſt, cuius ipſe quoque aliqua pars fui. Exoptârat doctus, ſagáxque Godefridus Vendelinus tum Condatenſis Canonicus, & dum iuuentutem in Prouincia exigeret, Peireskio charus, maximam, ſiue Solſtitialẽ Solis altitudinem obſeruari Maſſiliæ : vt ſuã de Solis obliquitate Diatribã iteratò editurus, poſſet ipsã expendere ex noſtra obſeruatione, comparata cũ ea, quam ſub Alexandri magni tẽpora Pytheas Maſſilienſis peregit. Quãdoquidẽ verò id factũ ſuperiore anno voluerat, & literę tamen ipſius allatæ à Dormalio ſerò nimis fuerant acceptæ : idcircò Peireskius hoc anno maturè prouidit, vt fieret ſatis illius votis. Imprimis quippe veritus, ne ipſo tempore Solſtitij aut nubes occuparent Solem, aut quidpiam nobis contingeret (vt ſe habent res hominum) vnde obſeruatio præpediri poſſet; voluit Maſſiliam per ipſas ferias Pentecoſtes contendere, vt obſeruaretur tam Solis, quàm aliquatum Stellarum Meridiana altitudo, ac proinde Poli eleuatio, vnde ſaltem ex conſequenti res experita deduceretur.

Deinde verò, cùm ſub Solſtitium viderentur negotia quædam ipſum haud dubiè detentura, perrupit tamen, denuóque conceſſit, vt intereſſet, ac ſi quid foret obſtaculi, amoliretur. Et ſanè, cùm requireretur ædificium altiſſimum, quódque intùs liberum foret, neque, exploratis tota vrbe templis, vllum commodum viſum fuiſſet : ac ſolùm quæ ædes Collegij ad ortum Eccleſiæ recens extruebantur, viderentur percommodæ, ob tectum quinquaginta duos regios pedes altum, & tabulatum vnicum media regione tum interceptum; factum eſt illius præſentia, vt perforato tecto, & contignatione tabulati præfracta, locus optimè ceſſerit. Et quorsùm quidem, aut quomodo vſurpatus gnomon altitudinis ædium, quíque potuerit in partium nonaginta millia diſcerni, non eſt heic enarrandi locus. Dicere ſufficiat, reductione facta ad numeros eoſdem, quos vſurpauit Pytheas (qui in parteis pluſquam ſexcentas diuiſum gnomonem non habuit) fuiſſe, ex noſtra obſeruatione, Gnomonem ad vmbram, ea proportione, quam habent centum viginti ad quadraginta duo cum tribus quintis; qui fuit iuxta illum ea proportione, quam habent centum viginti ad quadraginta vnum, cum quatuor quintis.

Voluit autem Peireskius, vt non modò obſeruationem perſcriberem, ſed quæ etiam argumenta permouerent me, vt probabile ducerem non fuiſſe propterea Solis obliquitatem priſcis illis temporibus, quàm tempeſtate noſtra maiorem. Et quia obiter mentio facta fuerat illius Scaphidij, quo Eratoſthenes, aliíque, & veriſimiliter etiam Pytheas, vſi; idcircò præproperè ſcripſit ad obtinendum vel ſcaphidium, vel modulum ſaltem illius, quod apud Cardinalem Barberinum accepit extare. Voluit rursùs, vt quoniam Strabo multa congeſſit aduerſus Pytheam; ipſe in gratiam Comprouincialis apologiam conſcriberem, purgarémque virum, qui primus Thulen Inſulam demonſtrauit, & quo non habet Occidens totus quem antiquiorem in doctis habeat.

Denique voluit exponerem ſolutionem Problematis, quod eò vſque fruſtrà & Nautas, & Mathematicos torſerat. Illud ſcilicet huiuſmodi erat. Quî fiat, vt Nautæ, poſtquàm ſuperârunt Sardiniam, & Africæ oram, aut ſaltem vicinas ſalutârunt Inſulas, ac potiſſimùm ex quo prætererunt Meliten, debeant, vt in Cretam appellant, non rectæ viæ inſiſtere, ſed deflectere ad læuam, ſiue verſus Boream, vná quartá, vt vocant, venti, ſiue trigeſimâ ſecundâ totius circuitus, prout pyxide nautica, ſeu Magnetica indicatur; ac duabus etiam quartis, ſeu dimidio venti, vt ex Creta vſque ſuperata perueniant in Cyprum, & ex Cypro tandem Syriæ Alexandriam attingant? Quî etiam fiat, vt redeundo, non poſſint in Cyprum, & Cretam deduci, niſi venti dimidio, neque in Meliten, niſi quarta venti à recta via deflectentes : atque id quidem ſemper ad læuam, ſeu iam verſus Boream deflectere? Cùm peruidit porrò Peireskius, quæ reſponderentur omnia, coniectationes meras eſſe; mira fuit exſultatio, qua agnouit totam eam praxim ortum habuiſſe ex eo errore, quo Tabulæ omnes hydrographicæ conficiuntur, dum artifices ſupponunt eas Orientis parteis diſtare à nobis longè ampliùs, quàm reuera diſtent, vt ex ſuperiore Eclipſi ſubnotauimus; adeò proinde, vt intercapedine inter Meliten, & Cretam credita maiore, quàm ſit; & maiore adhuc exſiſtente errore inter Cretam, & Cyprum, hanc, & Alexandriam; dubia illa omnia facilè ſoluantur.

Supponamus enim Meliten, ſub quo Meridiano, iacet; & fingamus Cretam quinque gradibus orientaliorem, quàm ſit, ſed ſub eodem tamen parallelo; conſtat ventum, ſeu rectum iter ex Melite in locum confictum, relicturum Cretam ad læuam, ſeu Boream : quare & Nautas, ne aberrent, ſequi debere ventum Borealiorem; qui germanus eſt quidem, ſed creditur tamen alius ab eo, qui falſus cùm ſit, verus eſſe exiſtimatur. Ex oppoſito ſupponamus Cretam, in quo Meridiano eſt, & Meliten Occidentaliorem quinque itidem gradibus, quàm ſit, ſeruato ſemper parallelo; perſpicuum eſt ventum, ſeu tramitem rectum ex Creta in confictum locum, relicturum Meliten ad læuam rursùs, ſeu ad Auſtrum : quare & ne nauigando aberretur, ſequendum ventum alium, qui verus quidem ſit, ſed pro quarta tamen à vero habeatur. Quod idem dicendum de diſtantia inter Cretam, & Cyprum, & porrò vſque Alexandriam; ſed ita tamen, vt geminato diſtantiæ errore, dimidium iam venti vſurpandum ſit. Re ergo conſtante, Peireskius conuocauit Nautas, confectóque diagrammate, ita Problema expoſuit, vt illi obſtupuerint, & interrogati ſingulareis diſtantias, non inuiti conceſſerint ex bis mille, & ſeptingentis milliaribus, quæ vulgò inter Maſſiliam, & Alexandriam numerantur, ſaltem quingenta detrahi poſſe.

Vt iſta porrò iam mittamos, ptætermittendum tamen non eſt vnum, alterúmve teſtimonium, quod inſigni eius affectui erga etuditos, bunáſque arteis redditum fuit. Ac imprimis quidem Kircbetus Romæ edens Prodromum Coptum, ſcripſit inter eos, qui editionem ſollicitârunt, Peireskium *non immeritò tenere locum principem; vt qui armata deprecatione operis huiuſmodi aggreſſionem extorſiſſet.* Deinde Merſennus ipſi nuncupans libros Hatmonicorum quatuot, iu hunc modum affatus eſt, *Non debuit hoc opus μουσικώτατον prodire in lucem, abſque tui nominis honore. Licet enim Harmonia Gallica te propediem ampliore conuentura ſit apparatu, ſi publicis negotiis tantiſper ſepoſitis, illi benignam aurem accommodes; exiſtimaui Synopſin hanc eſſe præmittendam, cunctóſque mortaleis admonendos, nullum eſſe literatorum, qui tuam ſingularem beneuolentiam expertus, tuas, quibus continuò ſtiparis, virtutes non ſuſpicias, atque veneretur; neque hos ſolummodo libros, ſed alios quoſcumque tibi meritò nuncupandos exiſtimet. Hæc igitur Muſarum inſtrumenta, Heroum laudibus concinendis adaptata, ſequentibúſque libris comprehenſa, manibus illis amplectere, quibus admiranda liberalitate nulli dees*, &c. Ad Gallicam porrò Harmoniam quod ſpectat, dicauit eidem Tractatus de Conſonantiis, & Diſſonantiis; de Modorom generibus; de Muſica compoſitione. Profeſſus eſt verò *ipſi debitos, quòd illos benefica manu è tenebris eruerit, ſolitus tantâ munificentiâ, totam cumulare Europam, vt eruditi probique omnes fateantur nullum eſſe mortalium cui literæ bonæ, earúmque cultores ampliùs debeant.* Enumerauit deinde *varia, quæ pro cuiuſque genio, ſiue ex muſæo proferre, ſiue ex regionibus etiam remotiſſimis quærere nunquam deſtitit; tanta prætereà humanitate, ac beneficentia vniuerſos excipiens, vt res ipſius tam videantur literatorum omnium, quàm ſunt aer, & aqua reſpirantium omnium, communes* Non hæſit proinde, *quin omnes ad nuncupationem ſuam planſum facerent, tanquam teſtatione facta poſteris, extitiſſe uno hoc virum, quem in exemplum ſibi proponant, quotquot diuinæ bonitatis, quæ inceſſanter benefacit, imitatione tenebuntur.* Mentionem prætereo, qua Pertus Laſena Neapolitanus proſequutus eſt in Cleombroto, ſeu diſſertatione Philoſophica de iis, qui in aquis pereunt; cùm prætereundus tamen non ſit dolor, quo Peireskius affectus eſt, cùm accepit præclarum virum, editione nondum perfecta, interiiſſe per Autumnum.

Hieme iam ineunte, Atelatem profectus eſt, vt ad vſque Prouinciæ fineis occurreret viro perilluſtri Ioſepho Bernerio, qui in Senatu Burdigalenſi Præſes, delectus fuerat Aquenſis Princeps; poſt ſactam eius Magiſtratus à Lainæo abdicationem. Nôtat illum videlicet, ex quo tempore in Magno Conſilio perſonam Regij Cognitoris ſumma cum laude geſſerat, adeò vt ipſius virtutem ſingulari veneratione, affectúque proſequeretur. Ea occaſione vidit Salone eximium illud Præſulum decus Ioannem Iaubertum Barraltium, Arelatenſium Archiepiſcopum, cuius eruditionem, candorem, pietatem, prudentiam, ſatis commendare nunquam potuit; & quia per id tempus baboit literas à verè bono, erudito, celebri, Antonio Godello, quibus ſignificabat ſe breoi ad Graſſeoſem Epiſcopatum, cui deſtinatus fuerat, venturum, fœlicem dixit fore Prouinciam, quæ tot iam præclaris Eccleſiæ luminibus illuſtraretur.

Succeſſerat feralis aonus, qui trigeſimus 1637.
ſeptimus ſupra milleſimō ſexcenteſimū fuit; cùm iucundiſſimum habuit excipere, fouerèque egregium virum Iacobum Ferreriū Aginnenſem Medicum, qui ex Lugdunenſis Cardinalis Comitatu, Romáque, & Lugduoo rediens, expetita attulit multa. Cætera inter fuit modulus Farneſiani Congij, cuius ſuprà meminimus. Fuit & copia foſſilis ligni, quod ad Aquam-Spartam eſt nuper detectum. Non quòd Peireskius ex ipſo ligno noo habuiſſet iam fruſtula; ſed quòd alloqui exoptaret oculatom illius loci, vnde eruitur, inſpectorem. Et didicit ſanè, quòd voluerat noſſe, exſtare dumtaxat quædam veluti caudicum ſegmenta; nulla verò veſtigia ramorum, oodorum, radicum; qoaſi id foret argumentum, ligna eius formæ nata concretáque; non verò ex vulgatibos obruta, & ſaxificata. Fuit denique Apographum Græcæ inſcriptionis de laboribus Herculis, quam videre, obtinetéque eò vſque ooo potuerat; marmore intra eaſdem ædeis Farneſianas deliteſcente.

Pergratum qooque tum habuit conceſſum ſibi ab Arnaldo Forcalquerienſi Proprætore marmor, quod Reis Apollinaribus (Regiū nunc appellant) fuerat erutum; & in quo exſtat inſcriptio continens votum perſolutum Deo Æſculapio; ſignum ſcilicet ſomni æreum, Torquem aureum, cum Dracunculis duobus, pondo ſcrupuli vnius; Enchiridium argenteum, pondo vnciarum quinque, & ſemis (ſic enim ootas reſtituit; quæ non bene apud Gruterum) denique Anabolium. Cùm id porrò fuiſſet illatum in ædeis, tacere non potuit ſe illi habendo quadraginta inhiaſſe annis. Nempe ioſcriptionis illius apographum habuerat, etiam antequam in Italiam proficiſceretur. Et ſanè Pignorius, vbi in ſymbolicis Epiſtolis loquutus fuit de Dracunculis ſemet reſpiciētibus, caodíſque connexis, ſubiunxit, *Et hanc ſpeciem exprimit antiquum marmor, cuius mihi olim copiam fecit Vir nobiliſſimus, idémque in literatos omneis propenſiſſimus Nicolaus Fabricius Peireskius, Regius in Aquiſextienſi Curia Senator.* Quoniam verò meminerat vidiſſe ſe olim inter Lælij Paſchalini cimelia, Torquem aureum ex duobus Dracunculis, qualis heic deſcribitur; eamobrem ſcripſit illicò ad Franciſcum Cardinalem Boncompagnum, in cuius nobileis, & curioſas manus Cimeliarchium illud peruenit, vt Torquis eiuſcemodi ectypum fieri pateretur. Id autem expetiit, in gratiam memorati antè Tomaſini, qui de Donatiis antiquis ſcribens, poterat ſuum opus illius meotiooe, deſcriptionéque illuſtrare.

Medio

Medio Februario, extremus Chamæleonum octo, quos ab æſtate vſque enutrierat, fouetátque, interiit. Siquidem cùm annis ſuperioribus ſingulareis, binóſve ſolùm obtinuiſſet ex Africa, iique primis frigoribus obtorpuiſſent, occidiſſéntque; idcircò magnam demùm copiam impetrare voluerat, vt, ſummo aliunde adhibito ſtudio experiretur, num aliqui ſuperare hiemem poſſent. Quia enim deprehéderat fœminas abundare ouis: ideò auebat formationem, eruptionémque ex illis, explorando cognoſcere; ratus eam fieri tempore verno. Heinc caueam, qua poſtremi illi concludebantur, pannis operuit, in tepidario collocauit, ad Solem interdum expoſuit: verùm, ſeu quia frigore primo, leuiore licèt, læſi fuerant; ſeu quia deinceps locus fuit obſtructus, & calidus nimis; ſeu quia à menſe vſque Nouembri, nihil cibi ab illis deguſtatum eſt; attingere ver nullus potuit. Curârat illos variè depingi, ac ſuſpenſos potiſſimùm pedibus, & extrema cauda, quales ferè manent, ac dormiunt, & vermiculos, muſcáſve venantur.

Scilicet falſum comprobauit viuere illos ex aëre, vt vulgaris fabula eſt; multáque expertus, deprehendit tandem nulla re æquè delectari, ac vermiculis, qui ex farinaceis mactris colliguntur. Solent autem lingua, vt promuſcide vti, quam, pedalis propè longitudinis, iaculi inſtar euibrant, & tanta quidem celeritate, vt penè viſus aciem effugiat. Id præſtatur verò beneficio oſſiculi, quod bifurcatione quadã implantatur vtrimque ad extremas fauceis, & cæterà teres ſecundum oris longitudinem, deſeruit implicandæ, explicandæque linguæ; cauæ ſcilicet, inteſtini inſtar; niſi quòd in ſummo carnucula eſt, non nihil viſcida, vt prædam corripiat. Falſum quoque expertus eſt, chamæleones induere rerum obiectarum colores: ſeu virides enim, ſeu cinerei ſint; atrorem ſolùm quemdam ſubeunt, qua parte ad Solem, aut ad ignem obuertuntur; præterea verò nihil immutantur.

Id rarum, ac mirabile; non moueri oculos chamæleonis coniugatos; ſed vno aliquorsùm ſpectante, reliquum vel ſtare immotum, vel in aliam partem deflecti. Deflectuntur autem quoquoversùm, propter quatuor trochleolas, nulla oſtentata diſtinctione iridis; ſed ſulà pupillulà, ad quam cornea vndique (cùm ſit, vt corpus reliquum, radiata, variegata, granulata) terminatur. Sunt porrò etiam chamæleoni dentes eleganter diſpoſiti; non vt aërem ſanè deterant, ſed vt correptum cibum mandant. Vnicum exinde inteſtinum eſt, non circumvolutionibus, ſed curuaturis ſolùm productum. Excrementum intus ſatis liquidum, niſi qua parte ad anum accedit. Hepar bifidum, & ex gibba quidem parte ſanguinem in cor auriculatum infundens; at non ſuperſtite aſcendente, deſcendentéve caudice venæ: quippe aliunde non porta modò nuncupata, in inteſtinum; ſed venæ quoque aliæ, ad cæteras partes directè procedunt. Pulmo inflatus abiit in membranam tenuiſſimam, toti animali ambitu æqualem. In imo ventre nullum peritonæum, ſed membrana ſolùm parteis dextras à ſiniſtris dirimens. Non item lien, non veſica, non renes, ſed caruncula ſolùm obſeruatæ ſunt, quæ genitalia fortè fuerunt. In fœmina vna, fuêre oua intra membranulam ſupra centum, quorum nonnulla extitère magnitudine nuclei oliuæ, in quibus viſum luteum ſolùm, nihil verò albuminis: cùm tamen parua viderentur quandam lactis ſpeciem referre.

Quid heic referam continentem illam ſollicitudinem, qua procurauit, vt Valeſius Orationes Libanij cum acceſſione editurus, recuperaret ineditas? Exſcribi iam antè curârat quæ in Bibliotheca Auguſtana exſtant: hoc tempore verò cùm haberet Romæ paratum Dormalium, qui ad exſcriptionem exſtantium in Vaticana ſe accingeret; dedit operam, vt auctoritate Cardinalis Barberini id exſequeretur. Hortatus verò ſimul eſt Buccardum, vt aggrederetur interpretationem Epigrammarum Anthologiæ, quorum hactenus nulla exſtat.: Scripſiſſe enim ſe ad Salmaſium, vt quod habebat illorum exemplum ad ipſum tranſmitteret. Ad Salmaſium ipſum cùm miſſurus eſſet MS. Vegetij quadringentorum annorum, conferri priùs voluit cum alio paris ferè antiquitatis, idque manu erudita laudati priùs Fabroti, qui diſcrimina bene multa tam inter vtrumque, quàm cum factis hactenùs editionibus margini appoſuit. Quid dicam rurſùs, quàm ardenter ſollicitauerit Kircherum, vt diſceſſurus in Siciliam, ac exinde in Meliten cum Darmſtadienſi Land-grauio, adniteretur obtinere Polareis altitudines; obſeruaret curioſiùs quæ circa Æthnam ſunt euulgata: ac reportaret indices præcipuarum Bibliothecarum, & præ cæteris Codicum Abbatis Caëtani MSS.

Quid demùm, quàm ſollicitè exſpectauerit ex Oriente libros hexaplos, octaplóſque? Fuit in illis Pſalterium, ſex columnarum ordinibus, totidémque linguis, idiomatibúſve diſtinctum, quod piraticam expertum iniuriam, nullo non pretio fuit redemptūrus; etſi non emptum pluris, quàm libris Turonicis viginti quatuor. Heinc nullum lapidem non mouit, donec piratas appuliſſe Tripolim Africæ accipiens, ad Baſſam, ſeu Gubernatorem illius ciuitatis ſcripſit, amicis interpoſitis, illéque ſpem fecit tranſmittendi librum. Contigit porrò, vt nonnulli, perſpecto eius deſiderio, ſperatáque magna mercede, aduexerint librum optimè curatum, quem prædicabant fuiſſe ſibi in ea vrbe concreditum. Quæ prima fronte fuerit eius lætitia, dici non poteſt: at cùm inuolucris ſepoſitis, agnouit eſſe nihil aliud, quàm Arabicum Thomæ Erpenij Dictionarium; dici quoque non poteſt, quanta fuerit conſternatione perculſus; neſcius an infortunium, an impoſturam magis culparet.

Attexenda heic forent quæ ex Africa aliũde obtinuit; vt numiſmata, inſcriptiones, & narrationes varias rerum Auſtralium, Borealium, Orientalium, partim recẽteis, partim

antiquas,

antiquas, ac huiuſmodi cætera, ſed ſatiùs videtur coronidis vice, memorare ſolùm Commentarium pereruditum, quod Iacobus Gothofredus antè memoratus, de Imperio maris, ac Iure colligendi naufragij, ex Iure Romano conſcripſit, inſcripsitque ipſi Peireskio. Siquidem inter cætera dum illum affatur, *Te*, inquit, *huiuſce facti mei conſcium, & ſuperſtitem appellare nunc viſum; cui ſecretiores quaque, melioréſque literæ curæ, cordique adeò ſunt, vt nullis inter hæc impendiis parcere ſoleas, ſiue in iis, quæ eò faciunt, per vtrumque orbem conquirendis, ſiue in protrudendis, qui ſuam iis inſtaurandis operam, vel induſtriam locare valent, quorum multi iam per te, & famam habent, & merentur. Quo facto, quid aut illuſtrius afferri poſſit, quando gloriam Principibus fermè dicatam in nomen tuum tam fœliciter deriuas; vel ad æternitatem maius, cui tam multos ipſe commēdas, quà rediuiuis veterum monumentis, quà excitatis melioribus huius æui ingeniis? Fatear ipſe oportet, nunquam ad hæc ſtudia animum meum magis incaleſcere, quàm cùm eò me prouocare ſoles: adeò non ſuadent, ſed trahunt me ἰυγγικὰ illa literarum tuarum, quibus publicis immerſum negotiis excitatum venis.* Et paullò pòſt, *Ob ſingularem inſuper illum, & eximium candorem tuum, quem pro exemplari candoris ipſius habeo, quémque omnes, qui ad ſcribendum animum appellunt, tueri, atque adeò ab omni acerbitate procul eſſe iubes.* Et rurſùs, *vt non poſſit non hic libellus tibi congruere, qui & dignitati, & ſtudiorum propoſito, moribus denique tuis tam apprimè conuenit. Placiturum ſane ea quoque re puto, quod in argumento verſatur βιωφελεῖ. auctorémque habet, qui te amico optimo, & fideliſſimo non tantùm vtitur, ſed & paſſim gloriatur.*

Inibat iam Ver, cùm excepit Cardinalem Bichium, vnàque Suareſium veterem amicum Epiſcopatu Vaſionenſi iam antè donatum, qui cum Cardinali Romam diſcedebat, Recreatus eodem tempore eſt acceſſu Franciſci Bocharti Campinij libellorum ſupplicum in Regia Magiſtri, ac Intendentis iuſtitiæ titulo, in Prouinciam miſſi. Singulari quippe affectu illum amauit, & coluit, tum ob indolem miræ bonitatis, virtutémque eximiam; tum ob memoriam optimi Patris, quem & Præfectum ærario, & Conſiſtorianorum primum, & Principem ſummi Senatus in ſe propenſum habuerat. Vnde & Campinius ipſum tanti fecit, ac viciſſim coluit, vt altero menſe nato ſibi filio ſponſorem luſtralem, nominiſque proprij nuncupatorem delegerit.

Sequuta eſt celebris illa Leronenſium Inſularum vindicatio, de qua fuit mirè ſollicitus, cuiúſque hiſtoriam accuratè deſcripſit. Nullis non intereà officiis proſequutus eſt tam Præſidem primum, quàm eius vxorem, qui grauì morbo per Aprilim, ac Majum menſeis laborârunt. Ac vidit quidem conualeſcenteis, vidit Inſulas expugnatas; ſed ſua illum interim, eáque duriora fata manſerunt. Quippe ſequente ſtatim Iunio in lethalem incidit morbum; de quo, & morte conſequuta priuſquam aliquid dicamus, operæ-pretium eſſe videtur paullò ſpecialiùs deſcribere, & corporis habitum, & Animi mores, & ingenij ſtudia. Tametſi enim ex Vitæ ſerie, cui immorati hactenus ſumus, res videatur intelligi; innumera tamen ſuperſunt, quæ luculentiorem vitam faciant, quæque eruditis pleriſque expetita cùm fuerint, non ingrata ſint extitura.

DE VITA PEIRESKII, LIBER SEXTVS.

ITAQVE, vt inde incipiam, ſtatura illi iuſta fuit, ſeu inter proceram, & humilem congrua. Habitus gracilis, venæque proinde in temporibus, manibúſque conſpicuæ. Conſtitutio vt morbis obnoxia, ita non admodùm robuſta; vnde poſtremis ætatis annis innitendum baculo fuit. Factum ex eadem cauſa eſt, vt facilè ipſi membra luxarentur; humerus præſertim ſiniſter, quem ter loco emotum habuit. Ampla frons, & quæ facilè inter admirandum, contendendúmque animum, rugis quaſi exararetur; nec tranſuerſum modò, ſed ſursùm quoque, ea regione, quæ inter ſupercilia eſt. Oculi cæſij, ac facilè ſuffuſione laborantes, diſruptâ nempe venulâ, quoties cum conatu nareis expurgaret. Defigebat verò illos ſeu in terram, dum attentè quidpiam narraret, ſeu in auditores, cùm perciperet, quæ recitarentur, placere. Naſus leui aduncitate à rectitudine deflectens: genæ rubore temperatæ: capillitium flauum; itémque barba, quam ſolitus eſt prolixam geſtare. Tota facie eximiam quandam præ ſe comitatem, & affabilitatem tulit: quanquam nullus Pictor ita fœlix fuit, vt talem exhibuerit, qualis reverâ extitit.

Ad corporis cultum quod ſpectat, munditiem quidem rerum omnium, quas contingeret, comederétve, expetiit; ſed nihil vel ſuperfluum, vel pretioſum requiſiuit. certè tametſi id cauerit, vt quas publicè præferebat veſteis nihil dignitati haberent incongruum, ſericas tamen nunquam geſtauit. Eodem modo reliquam domum pro conditione exornatam, appriméque inſtructam voluit: at de proprio cubiculo ſollicitus vix quicquam fuit. Tapetum loco fuêre icones præcipuorum amicorum, virorúmque illuſtrium; ac innumeri præterea commentariorum, apographorum, excerptorum, epiſtolarum, cæterarúmque id genus chartarum faſciculi. Lectus ſimpliciſſimus, & tabula chartis, libellis, literis, aliiſque rebus ſemper onuſta, occupatáque; vt & omnia circum ſedilia, & maxima parte etiam tabulatum.

Ita ad menſam quod attinet, operam dare ſolitus erat, vt ſplendida reliquis foret; at ſibi ipſi pertenuem, vt perſalubrem, ſemper præſcripſit. Cœnitabat autem ſolus intra proprium cubiculum (niſi quòd plerumque me comitem tulit) ne vniuerſam familiam expectatione conficeret; & quia nonnunquam cum amicis prandens, aliquid genio menſæ communis, & conſuetudini indulgebat; ideò deinceps, vt ſtomacho laboranti conſuleret, à cœna prorsùs abſtinebat. Vſui erat commune vinum, cùm probaret tamen potiſſimùm album, idque cùm foret acidulum; ſic meliùs ſedari ſitim opinatus. Diluebat autem plurimâ aquâ, niſi quòd tempore peponum, quibus ad initium paſtus vtebatur, id ſeruabat moris, quod à Medico præſcriptum fuiſſe iam diximus. Hoc porrò edulij genus deperibat tantopere, vt ſibi nullo negotio quibuſvis aliis interdicens, ſe tamen, quod ipſum ſpectaret, profiteretur incontinentem. Suauiſſimum nempe effecerat vſus, ac memoria recuperatæ per ipſum valetudinis, crebráque experientia, qua ſe peponum temporibus, nec laborare nephritide, nec arenulas gignere, emittereve obſeruârat. Ob eandem cauſam ſolebat vinum temperare aqua thermali, quam aliunde duxit ſaluberrimam, ex quo pridem, ædiculam prope Balneola ingreſſus, longævos in ea obſeruauit tam viros, quàm fœminas; & causâ quæſitâ, accepit vti illos thermali puteo, non ad potum modò, ſed etiam ad pultem, iuſculúmque omne, ad ſubigendum farinam, pinſendúmve panem, & alia. Cùm foret porrò admodum ſobrius, neque in ciborum delectu moroſus; eâ quoque fuit continentiâ, quam prædulce malum, luxuries tota vita nunquam ſefellit. Et in promptu quidem cauſa eſſe potuit, quòd deſidioſus non fuerit: attamen niſi ſobrietas mali fomenta ſubduxerit, ipſamet ſeſe excitant, &, vel minima animi relaxatione, inardeſcunt.

Quod inſinuaui obiter illum tardè cœnare ſolitum, id de provectiore dumtaxat ætate eſt intelligendum. Prioribus ſiquidem annis maturiùs, & pro occaſione conuiualium ita cœnabat, vt non multò pòſt ſeſe aut lectioni, aut ſcriptioni dederet, & in ſeram noctem, ac perſæpè etiam in auroram vſque protraheret ſtudia; ex quo ſomnus illi præpareus, ac matutinus ſolùm erat. Cùm procedente verò tempore, nocere id ſibi animaduertiſſet; cœpit nullum cœnæ, ac ſomno interiicere ſtudium; at viſus ſubinde eſt ſibi ad matutina ſtudia obtuſior; & cùm aliunde negotia totos penè dies continenter abſorberent, ſenſit nihil ſibi temporis, quod impenderetur

penderetur

penderetur ſtudiis, ſupereſſe. Itaque id cepit conſilium, vt à quarta, quinta, aut ſaltem ſexta poſt Meridiem hora, qua vulgus de cœna ſolet cogitare, concluſus cubiculo, à nemine inuiſeretur; neque niſi quid maximè intereſſet, obturbaretur; ſicque ad horam vſque nonam, quam cœnæ deſtinauerat ſibi, Muſiſque totus vacaret. Quin etiam, ſtatis illis diebus, quibus curſores Pariſios, aut Romam diſceſſuri erant, cœnam differre ſolitus erat in decimam, vndecimam, ac perſæpè etiam vltra mediam noctem; vt poſſet literas & pluteis, & vberiores conſcribere; qua occaſione ſæpiùs curſores aut domi continuit, aut iam digreſſos, vt literas expectarent, conſiſtere, prece, ac pretio procurauit.

Penè verò ſtatim à cœna ita ad ſomnum ſe comparabat, vt apparatum faceret excitabulum tempeſtiuum. Non ſanè quod pigeret illum quietis neceſſariæ; ſed quòd vltrà horas quaternas dormienti, tanta in veſicam vrinæ copia conflueret, vt occluſo præ nimia tenſione orificio, emittere illam deinceps non poſſet. Illa proinde occaſione interrumpendus ſomnus erat; & crebrius quidem, ſi flaret Corus, minimáve aura frigidiuſcula; tum quippe grauiùs, frequentiúſque vrina detenta ipſum diuexabat. Erat & alia occaſio expergiſcendi ſæpiùs, ſudor; quippe ſeu integumentorum, ſeu tempeſtatis calore ad natiuam imbecillitatem ſuperaddito, ſemel, iterúmve, aut etiam aliquando tertium, in ſingulas nocteis commutandum induſium erat.

Manè exſurgens, id obſeruabat, vt caput ſeu galero, ſeu alia re ſuperadiecta oneraret, donec illi ſudor, calórve ex ſomno, quietéque conceptus, temperationem admitteret; alioquin enim aër frigidior laxatos poros ſubiens, obſtruénſque, ſolitus erat rheumatiſmos, doloréſque dentium creare. Eandem ob cauſam legens, ſcribénſque, à feneſtris procul ſedebat; aliàs ſiquidem neſcio quid frigidulum penetrans, capútque, & faciem, aut genam obuerſam, ita paullatim afficiebat, vt excitatis fluxionibus dentes quoque malè haberent. Effectum hinc etiam, vt quantum interdiu per officia licuit, à vento, ac Sole abſtinuerit; & cùm proptereà excuſationem aliquando prætexeret, cauſatus eſt, quòd cæterorum robuſtiora corpora ſimilia eſſent laminis minimè obnoxiis aëris iniuriis; ſuum verò corpuſculum perſimile eſſet folio papyraceo, cui penetrando vel minima aquæ guttula foret ſatis.

Nunquam proinde deambulatum (quæ ipſi vna corporis exercitatio erat) pergebat, niſi tranquillo aëre, & Cælo obducto, aut ſaltem Sole debili, & in Occaſum iam propendente. Aderat etiam famulus, qui ponè geſtaret vmbellam, vt feruorem Solis, ſi quis ſupereſſet, vel auram quoque auerteret. Quia verò id poterat ipſi, atque comitatui eſſe importunum; ideò deligere ſolebat conualleis, locáque vmbroſa, per quæ liber incederet, oculos aliunde, atque aureis paſcens. Nempe ad confabulationem, qua gratius nihil habuit, adhibere ſolitus erat viros eruditos, ac leneis; vt memoratum aliquoties Galterium, Antonium Arbaudum Bargemonium Aquenſis Eccleſiæ Præpoſitum, & ſimileis alios; ac ſeſe intereà humaniſſimè recreari ſentiebat plantarum vigore, & florum pulchritudine; aquarum item murmure, & cantibus auicularum. Hinc videri mirum non debet, ſi hortum illum Belgenſerianum tanta plantarum varietate exornatum voluerit; ſi præter inſignem canalem, inſignem etiam aquæ iactum ſingulari exſilitione erumpere curauerit; ſi auiculis hieme ad arbores citreas in xyſtos formatas conuolantibus, diſſeminari grana curârit, & ne quiſpiam intereà aucuparetur, vetuerit.

Præhabebat porrò vocibus humanis, inſtrumentiſque harmonicis Muſicam illam auium; non quòd aliâ quoque non delectaretur: ſed quòd ex Muſica Humana, relinqueretur in animo continens quædam, attentionémque, & ſomnum conturbans agitatio, dum aſcenſus, exſcenſus, tenores, ac mutationes illæ ſonorum, & conſonantiarum eúntque, redeúntque per phantaſiam; cùm nihil tale relinqui poſſit ex modulationibus auium, quæ, quòd non ſint periode à nobis imitabiles, non poſſunt perinde internam facultatem commouere. Voluit eamobrem continuò educari luſcinias, ſimileiſque auiculas, quas etiam in proprio cubiculo habuit, quarúmque ita curam geſſit, vt ſi quid egerent, aut vellent, ex variis ſignis agnoſceret, & vt fieret ſatis, ſtatim prouideret: illæ verò, quaſi agnitione quadam, benefactori accinerent, & cùm eo abſente plerumque ſilerent, vbi tamen aduentus ſignum vel voce, vel baculo daret; in cantum ſtatim prorumperent.

Quoniam autem incidit mentio affectus erga animalia, nihil oberit adnotare adoleſcentem, ac iuuenem deperiiſſe canum genus. Quorundam antè meminimus: amauit verò potiſſimum quos ſingulari aliquo inſtinctu præditos agnouit. In iis fuit vnus, de quo ſæpiùs id memorabile narrauit, quòd cùm fuiſſet à neſcio quo vehemente ictu percuſſus, ipſum non modò iam in ædeis ingreſſum ſubodoraretur; ſed ad quinquaginta etiam paſſus venientem perſentiſceret; allatráuſque ex improuiſo, mox aduenturum ſubindicaret. Cæterùm occaſione murium, qui libros, chartáſque in cubiculo arrodebant, adamauit deinceps feleis, quos exoſos habuerat; effectúmque paullatim eſt, vt paucis primùm educatis neceſſitatis gratiâ; etiam ob ſolam delectationem numeroſos habuerit. Ex Oriente quippe obtinuit cineteos, rufos, variegatóſque, elegantia ſpectabili; quos propagatos etiam Pariſios, & aliò ad amicos miſit. Cùm nihil autem non obſeruaret, adnotauit feleis vtero geſtare hebdomadas præcisè nouem; vltra annum decimum quatrum parere; obſtetricatione interdum vti; etiam cùm non conceperint lactare; & id genus ſimilia.

Sed ad ſui curâ, vt redeam, fuit ea quoque

temporibus

temporibus morborum ſimpliciſſima; ipſéque ferè experiundo didicit ſui medicum eſſe. Nam primùm, quod ſpectat ad febrim, curare illam ſolitus fuit inediâ ſibi præſtitutâ; ratiocinatus febris materiam aut non ſubſtituto fomite, citò abſumi; aut non facto impedimento, citò ſubſidere. Deinde, cùm rheuma, tuſſiſve vrgeret, nihil aliud, quàm vſurpabat bucellam cruſtæ ex pane ſicco; cuius ſemper fruſtula quædam, cum tragemate odorato, thecula argenteâ concluſa geſtabat. Sic enim ex ea detrita, ſaliuáque ſimul ſenſim inſtillata, opinabatur arteriam incruſtatione quadam obduci; adeò vt humor ſuperfluens illam non exulceraret, neque prouocaret ad tuſſim. Hæmorrhoidibus leniendis alia nulla re vtebatur, quàm oui luteo, cui interdum aliquid butyri, aut lardi fuiſſet commiſtum. Agnouit etiam balnearem aquam in potum aſſumptam iis mirè prodeſſe; & vel calorem ſuppoſitum, vel minimum ſomnum eas remittere. Circa vrinæ retentionem, dictum eſt de vſu aquarum; ſolebat verò, vt eam cieret, linteum, eiúſve angulum dentibus premendo, quaſi mandere; idque in ipſo conatu, quo proinde ſæpe vrinam emiſit. Niſi id verò ſufficeret, vt in maxima veſicæ tenſione, tum inter parietem, poſticámque lecti partem interuallo arctiſſimo ſeſe comprimendum ſiſtebat; nam poſt multos ſaltem conatus, id experiebatur non inutile. Et non ad omnem quidem retentionem conſequebatur arenularum, calculorúmve deiectio: frequentiùs tamen prorumpebant, cùm dolores renum, vreterúmque præceſſerant. Vrinam autem excipere cucurbitulâ, quam ventoſam vocant, ſolebat; vt in eius fundo ſtatim appareret, ſi parturiiſſet aliquid: videlicet labores illos, eruptionéſque calculorum, parturitiones ſuas dicebat. Denique niſi podagrâ, parentum inſtar laborauit, cauſam ipſe cenſuit victus regimen, quod etiam quoties pater ſeruauit, toties conſultum optimè fuit.

Non eſt verò heic prætereundum, imbecillam complexionem nihil obſtitiſſe, quò minùs ſe in morbis illis, vehementibúſque doloribus patientiſſimè gereret. Nam frequentia quidem, & diuturnitas quendam quaſi callum induxiſſe videbatur: ſed patiendi tamen conſuetudinem eo perfecerat ratiocinio, quòd quicquid pati neceſſum foret, ferendum eſſet leniter. Communis certè eius vox erat, ſe non tam angi propter mala, quibus erat obnoxius; quàm lætari quòd ea grauiora, vt eſſe poterant, non forent.

Non diſſimilis porrò animus erga fortunam aduerſam fuit. Nam iacturâ aliquâ factâ, ac rei caræ potiſſimùm, non potuit quidem non commoueri: verùm moleſtiam temperare ea ratione ſolitus fuit, quòd non tam ſpectaret rem deperditam, quàm cum voluptate poſſeſſam. Sic ſolamen etiam quærebat ex rebus ſuperſtitibus: cenſebat enim non tam dolendum, ob id, quod iniquus caſus abſtuliſſet; quàm exultandum propter id, quod bona fortuna ſeruaſſet. Hinc non infrequenter dicebat, cuivis incerta bona paranti conſtitutum eſſe debere, ſe illa non ſibi magis parare, quàm furibus. Contingebat etiam interdum, vt quæ propoſuerat, pro votis non ſuccederent, conatúſque; & ſumptus omnes efficerentur irriti; at ſolatio erat, quòd nihil tentaſſet non laudabile, neque officio, impenſæve iterandæ impar foret. Eam ob cauſam non deſiſtebat idem tentare ſæpiuſculè; tanquam non deſperans, quin proſperum quidpiam tandem affulgeret; ac aliunde exiſtimans plureis labores irritos vno ſucceſſu redimi; neque debere piſcatorem idcircò retia abrumpere, quòd iactum interdum ſine fructu faciat.

Et ſic quidem ille patientiam, conſtantiámque tuebatur; cùm foret nihilominus ſuapte natura ſubiracundus. Dicebat verò nihil ſibi vnquam animi regendi perſuaſionem æquè feciſſe, ac ſpectaculum caſu quodam exhibitum in microſcopio. Quippe cùm in eo concluſiſſet pediculum, ac pulicem, obſeruauit pediculum luctâ inſtitutâ ſic cõmotum fuiſſe; vt ſanguis à capite in caudam, itu, reditúque continenti diſtraheretur. Hinc nempe eſt argumentatus, quanta fieri per iram debeat humorum, ſpirituum, facultatum omnium perturbatio, quantam declinet perniciem, qui illi non fecerit locum. Duo autem quædam capita erant, ob quæ præſertim commoueretur. Vnum, ac præcipuum, iniuria ex ingratitudine profecta. Iniuriam dico; nam ex obliuione ſola beneficij, ne indignationem quidem vllam teſtabatur; qui ipſe potiùs videbatur id oblitus fuiſſe, quod contulerat. Verùm, cùm quis ſibi eam notam animi ingrati inureret, vt prætereà nocumento, vel impedimento ſibi, ſuiſve, circa negotia, aut deſtinationes foret; tunc incaleſcebat, excandeſcebátque, & probra etiam effundebat; meminíque, dum ſtatim ſeſe ad ſedationem componeret, conqueſtum, quòd ea occaſione Philoſophiâ defectus fuiſſet. Alterum, negligentia prauáque mandatorum exſequutio per famulos. Facilè enim iraſcebatur, niſi quilibet primùm audiens, exaudiret, accurrerétque; ac niſi iuſſa faceret tempore, modóque præſcriptis. Quippe cùm de induſtria alicuius diffideret, aut de inuerſione, interpolationéve, ex præſumpto ingenio, propemodum ſecurus eſſet; tum diſertè, articulatim, & ex ordine præcipiebat quemadmodum vellet quidpiam peragi; ac niſi deinceps, vt res fuerat inculcata, perfecta fuiſſet, vix ſe poterat continere, quin in querimonias, & conuitia prorumperet. Vnde ſæpiùs ad me conuerſus, ſolitus fuit dicere, oportebat ergo te eſſe infirmitatis meæ teſtem? Continebat nimirum ſeſe, neque, niſi coram familiaribus, haſce animo habenas laxabat. Ac iſta quidem ferè fuit vna animi eius impotentia: quamquam in ſeſe ſtatim rediens, tranquillitatem repetebat; & quod ſpectat ad famulos, ſæpe querulus ſolùm fuit, vt excitaret ſocordiam, ac impoſterùm redderet cautiores. Quin-etiam ita affectus fuit in eos, quos ducebat ingratos, & iniurios,

vt nunquam maluerit vlciſci, quàm obliuiſci iniuriam; nemóque agnouerit culpam, quem non complexus fuerit, beneficiíſque novis cumulârit.

Nunc, cùm in locum de beneficiis inciderimus, ecquis ignorat quantùm fuerit ad benefaciendum propenſus? Nemo certè vnquam alacriùs, liberaliùs, frequentiùs donauit; & cùm propoſuiſſet ſibi Deum ac naturam, omnia dono, nihil mutuò dantem, imitari; dici omninò de illo poteſt, quòd vota præcucurrerit, quòd ſpem ſuperauerit, quòd præſtare illi fuerit, quàm aliis optare velocius. Millies enim non modò opem, opéſque vltrò obtulit; ſed non cogitantibus etiam contulit reipſa. Et vide ſimul induſtriam. Cùm ad Holſtenium mitteret, quos diximus ſuprà, Ariſtoteleos, Platonicóſque Interpretes, ducentis aureis nummis coëmptos; ſcripſit quidem epiſtolam, qua videretur nihil aliud, quàm volumina commodaſſe; verùm poſt-ſcripto epiſtolio ſignificauit ſe donaſſe, donatóſque omninò velle; priorem autem epiſtolam eo dumtaxat fine perſcriptam, vt obtendere illam poſſet, ſi qui fortè moleſti eſſent in depoſcendis codicibus, quaſi illos mutuo ſolùm poſſideret. Quàm putas verò ſæpe egit, quod de Arceſila memorant, ſupponens putà ceruicali dormientis, aut aliàs non aduertentis amici, pecuniam, qua egere eum comperiſſet, & recuſaturum tamen? Sanè cùm ſæpe id non poſſet, & pudorem alienum non ferret; familiaris manu eſt vſus, vt eum, qui erat accepturus, confidentiorem faceret. Teſtari id profectò licet: nam etiam per ſupremos dies, dari per me voluit viro cuipiam ingenuo, cuius & indigentiam nôrat, & pudorem manifeſtandi. Neque putes id eum egiſſe, vt largitionis teſtem haberet; nam aliunde cùm nôrat minùs in accipiendo difficileis; longè aberat, vt quæreret tertium, cuius pudore afficerentur. Ipſemet enim exhibebat, neque ſemouebat modò omneis arbitros; ſed ne familiariſſimis quidem perſpectum deinceps faciebat. Hinc ſi mihi innotuit (vt exempli gratiâ hoc dicam) largitio illa pecuniaria, qua in Campanellam eſt vſus; ex Campanella ipſo noui, qui & priuatim recitauit, & declarauit publicè; non verò ex ipſo Peireskio, tametſi tum ambo apud ipſum diuerſaremur. Quamobrem ſi in alium quoque contulit centum aureos, ducentos in alium, in alium trecentos; id ſanè reſcire aliunde, quàm ex ipſomet conceſſum fuit. Scilicèt non fuit ex odioſo illo genere hominum, officia exprobrantium, quæ cùm meminiſſe debeat is, in quem collata ſunt, non commemorare, qui contulit; nemo eſſe potuit huius regulæ, quàm ille fuit obſeruantior. Siquidem tantum abfuit, vt deprædicaret quæ præſtiterat; quin potiùs ſemper factam ab aliis mentionem auerſatus eſt, nec ſine quodam rubore paſſus; ſolitus aliunde ita extenuare quod conceſſerat; vt penè negaret quicquam conceſſiſſe.

Non ita verò ſeſe habebat, quidpiã nactus ab aliquo. Quippe celebrare nunquam deſtitit, ac tametſi parui momenti res foret, aut magno etiam pretio redempta, profeſſus eſt ſemper ſe eſſe omninò deuinctũ; ſolitus prætereà officiis, obſequiíſque omnibus gratitudinem facere apertam. Nam ſi quis nomiſma, ſigillum, membranam, marmor, vaſculum, aut quidpiam aliud ſeu antiquum, ſeu peregrinum, ſeu alioquin rarum dediſſet; tum præter animum effuſum, diſpiciebat ſtatim qua ille re delectaretur, & qua veroſimiliter careret; ſeu nempe libris, ſeu picturis, ſeu plantis, ſeu aliis rebus, quibus (cùm non auderet pecuniâ) rem cum fœnore compenſaret. Conſtat id ſpeciatim de pluribus libris, etiam cariſſimè coëmptis; ſed in exemplum hoc ſatis eſto, quòd cùm bonam hominum partem delectari noſſet Gallico Mercurio, Hiſtoria Romana Coëffetei, Octauio Strada de vitis Imperatorum cum iconibus, aliíſque id genus; illorum ſemper copiam habere comparatam voluerit, vt ingerente ſe occaſione, ad manum eſſet, quod donaret. Ex quo effectum eſt, vt pluries eiuſmodi libros octies, decies, & pluries non magno interuallo habuerit, & donauerit, ac ſæpe etiam cùm ſpes non foret iteratò recuperandi; cuiuſmodi fuêre Euſebius Scaligeranus, Ephemerides Origani, & alij ſexcenti.

Tenere nempe ſe nunquam potuit, quin teſtatum faceret ſe conferendis potiùs, quàm accipiendis beneficiis natum; & cùm maiorem voluptatem, quàm ex dono probè collocato non perciperet, perditum diem illum habere, in quo ſe quavis occaſione munificum non exhibuiſſet. Hinc viri cordati, & Crœſi diuitias, & Arabum gazas illi exoptabant; vt ſuum illum liberalem, ingentémque animum teſtatiorem facere poſſet. Siquidem ſtupore dignum iudicabant, vndénam illi ad tot ſumptus, ſatis abundè ſuppeteret; qui aliunde & ſpretas opes, & intacta lucro pectora perſpecta habebant. Et fuêre quidem qui improbârint, quòd videretur non ſatis æquam familiaris rei habere rationem. Viſus eſt enim ſumptus ſuperare cenſum; & iudicium vel ex eo factum, quòd mitteret Romam quotannis tria millia librarum Turonicarum expendenda. Verùm ipſe ante ſalutem ponendos rumores non cenſuit; magnúmque ſemper quæſtum duxit, opes honeſtè profundere, quæſito nempe bonis ſeu viris, ſeu artibus emolumento. Dici quoque poteſt, quod Poëta ait, *Quaſiuit nomen, quærat auarus opes*; nam profectò ſeu ſuæ familiæ reditus imminuerit, ſeu non amplificauerit; at quæſiuit tamen tantam gloriam, quantam immenſis opibus, cæteræ tam multæ nunquam conſequentur. Hoc eſt verò, quod viri illi cogitare debuerant; non quæri nempe ſolùm diuitias, vt fames, vt ſitis, vt frigus arceatur; quippe ad hos, alióſque vſus naturaleis pauca ſufficiunt; ſed maximè, vt cum ſplendore æuum tranſigatur, relinquantúrque monumenta propagandæ famæ poſt interitum. Is eſt enim tacitus finis, ad quem, diſſimulanter licèt, mortales

tales omnes collineant; & quem tamen non aſſequuntur, qui alioquin ditiſſimam efficere familiam ſtudent.

Taceo eam fuiſſe Peireskio mentem, vt pro familia duceret Mundum; ac parentum, fratrum, aut filiorum loco, quibuſcum omnia eſſent communia, omneis, & ſapienteis, & bonos haberet. Hoſce appello; quia tametſi nihil non eſt vnquam bene merentibus largitus; delectum tamen ſemper eum habuit, vt in obuios quoſque non eſſet profuſus. Cùm enim minùs quis mereretur, liberalitatem temperare nôrat; memini que poſcenti cuipiam, vt decem nummos mutuò daret, reſponſum ab eo, non ſe decem, quos mutuò crederet, habere; ſed duos habere, quos gratis donaret. Cùm ille verò accepiſſet, & ex ipſo requireretur, quamobrem ita faceret; ſatis eſt, inquit, ſi præſenti neceſſitati ſuccurratur; & fiam potiùs parcus donator, quàm moleſtus creditor; expertus aliunde complureis idcircò auerſari me, quòd ſe meo ære obſtrictos putent.

Porrò cùm nihil æquè amicos, ac beneficentia, & obſequium pariat; nihil mirum, ſi toto orbe, tot, tam bonos, támque illuſtreis, atque conſtanteis habuerit. Mirum eſt potiùs, quàm tam multis demerendis ſuffecerit; cùm omneis ita coluerit, vt ſingularem non potuiſſet magis. Quippe in id ſemper incubuit, vt prouideret qua tandem re cuilibet gratificaretur; & imploratus ita accurrit, vt infœlicem ſe duceret, niſi amici neceſſitatem non præſenſiſſet, præueniſſétque. Nôrat proinde quodnam eſſet amatorium poculum verum; ſic præſertim amans, vt nunquam ad ſuam vtilitatem reſpiceret, occaſionem verò conſulendi amicis præteriret nullam. Sic nihil ſibi vnquam à Magnatibus, Principibúſque Viris petiit; at in amicorum, ac potiſſimùm literatorum gratiam, quicquid conducere viſum eſt, poſtulare nunquam erubuit. Seu verò illi precibus ſuis, ſeu aliunde quidpiam conceſſum tuliſſent, agebat ſemper gratias; & recipiebat in ſe tam ſuo, quàm Muſarum, & publicæ rei nomine, gratitudinis teſtationem. Nec ſuos verò amicos modò, ſed quos præterea illi amârunt, ac ſpeciatim parentes, filios, conſanguineos, affines ardenter proſequutus eſt; illíſque conſilio, auxilio, perfugio, patrocinio fuit. Ac parum fortè eſt dicere ſumptibus nullis eum peperciſſe, vt amicorum res promoueret; maius eſt, quòd nullum habuerit neque in valetudinis, neque iniuriarum aëris rationem, quoties quidpiam periculi interuenire deprehendit. Tanto præterea candore fuit; vt nunquam rationem creditarum rerum ab amicis exegerit. Quin etiam ægerrimè tulit, quòd, depoſitâ continuò comparandis libris, vſibúſque aliis apud optimos Puteanos pecuniâ, ipſi, contextis indicibus, pretium, ſummámque ſubducerent; voluítque planè ſibi, cum ipſis non agi adeò ſcrupuloſè. Vt paucis dicam, fuit illi pectus adeò niueum, ac innocens, vt merito iure amicos habuerit, quibus non potuerunt eſſe amiciores.

Ad hæc autem quantæ putemus conſolationi illum fuiſſe, cùm amicos vel ægrotanteis, vel orbitate, aliôve caſu fortunæ perculſos inuiſit? Nemini quippe aut meliora, aut amabiliora verba; & quia morbis, doloribúſque tolerandis aſſuetus erat, ideò nemini lenimenta ægritudinum omnium perſpectiora: nemini potiùs habita fides, quòd ipſe expertus omnia crederetur. Nouimus certè aliquos, quibus de ſalute propè deſperantibus, animos reſtituerit; adeò fuit ſolers detegendis, facundúſque diſſerendis inſolitorum ipſis morborum ſymptomatibus, prognoſticis, cauſis, &, niſi planè curantibus, ſaltem lenientibus remediis.

Ex his licet intelligi, quàm iucunda eſſe deberet illius cum ſanis conuerſatio; quando tam bene nouerat ecquæ res forent, cuiuſque genio, moribúſque accommodatæ. Nimirùm cùm tam multa noſſet, impromptu erat deligere, quæ gratiſſima cuique enarraret: & cùm eſſet ſemper ad diſcendum comparatus, percontabatur ſolùm ea, quæ nouerat collocutorem cum voluptate recitaturum. Ita cùm frequens à peregrinis, curioſíſque inuiſeretur, ſubodorabatur imprimis, cuius rei ſtudio tenerentur potiſſimùm; ac tum ea ſolùm oſtendebat ex libris, cimeliis, cæteriſque rebus, quæ videre foret iucundum; neque aliquid obtendebat, quod ipſi noſſe non affectarent. Rogitabat deinde ea, quæ ipſi vel in patria, vel iter faciendo rara obſeruaſſent; habebátque ſemper quidpiam ſimile, quod vel monſtraret, vel aliàs ſibi viſum, auditúmve referret. Inde effectum eſt, vt nemo non inuitus, diſceſſerit, horáſque, & dies non optauerit prolixiores. Quin longè etiam abfuit, vt crebrò conuerſantibus tædium, aut faſtidium crearet: exundabat enim ſemper nouo aliquo eruditionis gurgite; ac vocibus viuis omnia exprimens, ita rapiebat animos; vt metum ſemper iniiceret, ne citò nimis faceret finem. Et appoſitè quidem, ſeu parcè tamen, iocos interſeruit: ſeriò quippe ſolitus loqui, eâ oris facundiâ ſermones fundebat, qui iis ſalibus parum indigerent.

Porrò, cùm eius conſuetudo foret cuique gratiſſima; ipſi tamen oneri erant, quotquot res dumtaxat vulgareis loqui, audiréve iuuabat. Conqueri proinde ſolebat, quòd tam bonas horas cogeretur perdere, audiendo ſolùm, aſſentiendóque, frigus, caloréive vigere; tempeſtatem eſſe claram, vel obſcuram; auram ſanam, vel inſalubrem, cæteráque ſimilia. Eandem ob cauſam auerſabatur mulierum conſuetudinem; quod vix liceret quidpiam frugi ex ea conſequi, & de tricis ſolùm, ac nugis verba ſerenda cum ipſis forent.

Impatienter etiam ferebat clamoſos, rixoſos, loquaceis; tametſi iſtos leuiùs ferret, quòd pleriſque verbis inutilibus frugi aliquid interſeri poſſet; id enim dicebat ſe eruere, vt ex paleæ aceruo granum. Oportebat tamen eos eſſe veraceis, quòd garrulis iſtis parùm

conuenit; nihil enim æquè exoſum, ac virum, quem poſſet mendacij coarguere, habuit. Quare & ſolebat hoc hominum genus ita exercere, varias percontando circumſtantias, vt memores ſanè eſſe oporteret, ſi quid mentirentur, nec ſibi contradicerent. Par iudicium eſto de Thraſonibus, quos pari modo non ferebat; niſi quatenus inter iactationes, ingenioſum quid coruſcabat, quod afficeret animum. Ceterùm enim glorioſos iſtos mirum in modum oderat; præditus ipſe tanta modeſtia, vt cùm præclara agere, non verò iactare placeret, nihil vnquam ſuperbè de ſe nec ſenſerit, nec dixerit. Heinc potuit ſanè vel ſuo exemplo facere illos admonitos, qui & ſui laudes inuitus audiuit, & titulos omneis ambitioſos delatos reiecit, & virtutes ſuas, alioquin eximias, ita eleuauit, vt ſemper vel infirmitatem, vel ignorantiam prætenderit; planúmque fecerit nihil eſſe poſſe illa animi moderatione expetibilius.

Nihil proinde adiicio de ſumma manſuetudine, ac ſingulari humanitate, qua quoſuis adeunteis, opiſque quidpiam poſtulanteis excipere ſolitus fuit. In confeſſo ſiquidem eſt, quàm non puduerit illum habere maiorem debito honorem quibuſvis, inferioris etiam conditionis hominibus, quos vel genus, vel eruditio, vel dignitas quædam commendaret; quámque ſe erga obſcuriores, ruſticiores, pauperiores, affabilem præbuerit; animos addens ſeſe adeundi, aſſidendi, alloquendi, interrogandi, reſpondendi; donec quiſque ſibi ab eo factum ſatis exiſtimaret. Atque id quidem erga omneis; ſed erga illos ſpecialiùs, qui ſuas in iudiciis commendatas cauſas optabant. Suauiſſimum enim habebat parteis ipſaſmet priuatim audire; & percontando, inſtandóque pleraque puriùs accipere, quàm à Cauſſidicis inter perorandum, ſcribendúmve ſuggererentur. Nempe cùm ipſi elegantes, atque eruditæ actiones placerent: iniquo tamen animo tulit, ſi quando veritati fucum, æquitati inſidias, legibus fraudem, innocentiæ laqueum fieri, toto ſique obſeruauit. Quanquam quo affectu ſeſe compararit, vt ius ſuum cuique tribueret, indicatum ſuperiùs eſt. Addo illum ea induſtria, ac fœlicitate fuiſſe, vt aliquorum nobilium liteis, aliàs inter minabileis, arbitratu ſuo compoſuerit, pacémque inter familias inexpectatam procurârit. Addo & cùm id moris foret, vt quæ parteſ coram Senatu liteis agitabant, Senatores ipſos in palatium, in templum, domum, aut ad alia loca procedenteis, agmine denſo aſſectarentur; ipſum id nunquam paſſum fuiſſe, famulo contentum; aut præterea vno, alteróve ex familiaribus amicis, quibuſcum poſſet colloqui, amandatâ ſequentium turbâ.

Cùm illa porrò comitate, humanitatéque erga omneis foret, tum ſpeciali quadam obſeruantia proſequutus eſt quos nouit gradu, genere, virtute quadam eminenteis. Quippe vt omneis eſt veneratus, ita ſingulis, ſi quid potuit, præter debitos honores exhibuit. Promotis quoque ad dignitates, reducibus in patriam, ſeruatis ex morbis, adeptis coniugium, donatis progenie, atque id genus alia fortunæ bona aſſequutis, congratulari ſolitus eſt, ſeu coràm, ſeu per literas, voto, reuerentia, & affectu plenas. Nullum non præterea officiũ, atque obſequium præſtitit; munera inſuper adiiciens, vel certè communicans quicquid exquiſitum variis ex locis obtinuit, prout vnumquemque his, vel illis rebus capi agnouit, aut ſubolfecit. Et queſtus quidem perſæpè eſt, exhibendis, excipiendíſque honoribus deteri tempus, at cùm ipſe delatos ſibi, quantum poterat, conſtantiſſimè recuſaret, nullum tamen, quem crederet aliis debitum, prætermiſſum voluit. Id aliquando ipſi obiectum; & maximè cùm videretur ob imbecillas corporis vireis excuſatione digniſſimus; At, debeo-ne, inquit, vt ineptus eſſe primus deſinam, pro ineptiſſimo haberi?

Heic non adiiciam, quanta pietate erga Parentes fuerit; nam id ſuis locis ſatis inſinuatum. Vnum ſolùm addam, quod Nouercæ mores planè acerbos deliniit. Non longè erat à Doctoratu, cùm illa die quadam conſidens ad menſam, bilẽ effudit aduerſus ipſum quam in Patrem conceperat. Congeſtis plurimis conuitiis, ac exprobrationibus, quibus contradicturum ſperans, detumeſcere ampliùs contendebat; ipſe nihil planè inficiatus, hanc vnicam vocem emiſit, Vera ſunt quæ dicis, ô Mater, imò & longè plura ſunt, ob quæ iure conqueri poſſis. Tum quia verebatur, ne illa aut aſſenſum huiuſmodi ſiniſtrè interpretata ſimulationem cauſaretur, ampliúſque excandeſceret; aut pudore quaſi ſuffuſa, aliam rixandi quæreret anſam; ſeſe continenter è menſa ſubduxit. Illa tale nihil exſpectãs, & ad improuiſum caſum obſtupeſcens, ita repentè animos fregit, vt ſeſe continuerit, effutieritque deinceps nihil. Priuatim poſteà ex eo quæſiuit, cur falſa cùm ſciret, quæ obiecta fuerant, nihilominùs admiſiſſet; ille autem, Et admiſi, Mater, & admittam in poſterùm; auctórque ſum, vt quoties pectus efferueſcere ſenſeris, iram potiùs aduerſus me, quàm aduerſus alium profundas. Nam ego quidem patienter feram; at alij exaſperabuntur, vnde tu magis excandeſcens finem fortaſſe vix facies, quin graueis exinde contraxeris morbos. Neque porrò id inutile fuit; illa enim ſeſe deinceps longè mitiorem præbuit, ipſúmque adeò amare cœpit, vt de hærede inſtituendo ſæpiùs cogitauerit; ac perfeciſſet, niſi cùm obiit, is in Belgio procul abfuiſſet.

Ad Fratrem, quod ſpectat, tanta propenſione erga ipſum fuit, tantam viciſſim expertus eſt, vt raro exẽplum tráſire mereatur. Quippe ab æuo vſque ineunte ea fuit, cum mutua, & maxima beneuolentia, conſenſio; vt in eadem ſtudia ſemper conſpirauerint, & ne minimo quidem vllo intercedente diſſidio, de hereiſcunda familia ne cogitauerint quidem. De conſanguineis, affinibúſque illud ſanè teſtari licet, quòd omneis habuerit coniunctiſſimos, excipíque voluerit domo, ceu communi hoſpitio, cùm in vrbem aduentarent, non patrueleis modò, ſed etiam qui ex

atavis,

atavis, tritavíſque ducerent ramos. Quinetiam, cùm omnium patrocinium alacri ſtudio ſuſciperet, ſolitus erat, ſi fortè quidpiam inter ipſos interveniſſet, componendi auctor, & arbiter fieri. De Præceptoribus dictum ſuis locis; addo memoratum ab ipſo non ſemel, nihil accidiſſe ſibi iucundius, quàm cùm à Varioueſcio quid in Fouvinij gratiam obtinuit.

Quid eſt quod hoc loco attexam de charitate in Patriam, cùm ex dictis perſpicuum ſit illum totum fuiſſe in ea exornanda? Vt mittam enim nullam vnquam occaſionem prætermiſſam, quin maieſtatem Principis, Gallici nominis honorem, & iura Regia ſarta tecta, aduerſus Scriptores peregrinos voluerit; attingo ſolùm circa Prouinciam, curaſſe illum maximè, vt ea imprimis illuſtraretur. Eò nempe eius curæ ſpectârunt, cùm nihil nô egit, vt quaſi ex cineribus Comitum noſtrorum erueret hiſtoriam, ac nobiliſſimas familias ſuæ luci reſtitueret; vſus quippe non nuda traditione, non argumentis leuibus, non auctoribus parùm certis; ſed ſcripturis authenticis, vt teſtamentis, matrimoniis, tranſactionibus, clientelis, priuilegiis; itémque ſtatuis, tumulis, epigraphis, tabulis pictis, inſignibus, numiſmatibus, ſigillis; aliíſque id genus rebus, quas vt detegeret, haberétque, nulli pepercit ſumptui, nulli labori, nulli induſtriæ; euoluens ipſe, aut procurans, vt euoluerentur acta omnia, quæ in omnibus archivis, tabulariíſque, Principis, Præſulum, Abbatum, Capitulorum, Cœnobiorum, Gynæceorum, nobilium, priuatorum quorumlibet; ínque Eccleſiarum Statutis, Necrologiis, Kalendariis; ac depingi mandans quicquid peruetuſti adumbratum, effigiatum, inciſum, expreſſum per libros, veſteis, vitra, ædificia tam ſacra, quàm prophana foret. Quominùs mirum, ſi nemini ex tota Prouincia maiores ſui nobiles perſpectiores, quàm ipſi fuerint; quando & omnium genealogias retexuit, & ex actis expendit, & inſignibus, cum ipſorum, propter varias ſtirpeis, variatione expoſuit. Sic ſpeciatim labore magno ſeriem texuit. Vicecomitum Maſſilienſium, deducens illos ab vſque Guillelmo S. Honorati Maſſilienſis Epiſcopi fratre, hoc eſt, ab anno nongenteſimo ſexageſimo ſecundo. Quo etiam modo condidit ſynopſeis Epiſcoporum, Abbatum, omniúmque virorum illuſtrium; ac plurimus præſertim fuit circa *Trobadores*, Poëtáſve ſuprà memoratos.

Eódem ſpectauit ſtudium emendandi, & excudendi chorographicam Tabulam, diſquirendíque varia, per varias ætates confinia, cum ſpecialibus populis, regionibúſque, & Principibus, qui in illa fuiſſe leguntur; ne quidpiam dicam de legibus, magiſtratibus, iudiciorum formis. Fuit autem curę potiſſimùm ſcrupuloſa perveſtigatio, & ichnographia viæ Aureliæ, quatenus traducta per Prouinciam fuit; Amphitheatri item tam Forojulienſis, quàm Arelatenſis; Arcuum triumphalium tam Arauſionis, quam S. Remigij; trium Turrium ſuperſtitum adhuc in Sextiêſi Palatio; &, vt paucis dicam, rerum omnium, quæ ſaperent antiquitatem. Nam quòd præterea Inſcriptiones, marmora, imagines, & alia id genus non neglexerit, manifeſtum eſt ex hactenus dictis; vt etiam quod attigimus de Animalibus, foſſilibus, plantis, aliíſque, vel Prouinciæ propriis, vel ex peregrino Orbe tranſlatis.

Eódem denique, quòd conſtanter excitauit ingenia, quæ aut nouit, aut prouidit, condecorandæ patriæ nata; admonens ſemper, animánſque, & libros, cæteráque omnia, ſi opus foret, ſuppeditans. Cùm commendaret verò illos, qui ſcriptis, inuentíſque ſuis, ac deſcriptione præſertim regionis, rerúmque geſtarum illam celebraſſent; tum ſuſpexit maximè ſtudium, quo affectum nouit Polycarpum Riuierium, Carthuſiani Ordinis decus, cuius imménſæ eruditioni acceſſit notitia eximia rerum omnium Prouinciæ, explicandarum ſpeciali tomo operis Herculei ab illo ſuſcepti. Tum maximi fecit potuiſſe ſe demùm hortatu ſuo inducere Iacobum Morgueſium, emeritum, ac ſanè magnum Aquenſis fori ornamentum, vt ſe ad Statuta Prouincialia illuſtranda componeret; quòd foret exinde lux magna omnibus Prouinciæ tribunalibus affulſura. Quàm ſæpe verò exoptauit Petrum Decormium generalem Aduocatum, profundæ adeò doctrinæ virum, functione demùm ab erudito, dignóque filio ſubleuari, vt totus fieret concinnandis, communiendíſque Senatuſconſultis, & quæ præſertim ipſe ſuaſiſſet! Quàm ſæpe Scipionem Peterium, cuius nunquam ſatis mirari ingenium, iudicium, eloquentiam potuit, ſuas illas forenſeis actiones, adeò eruditas, atque eleganteis, mittere in lucem! Et pauca hæc quidem ex multis de aſſectu in Patriam; nam quantum aliunde condoluerit, cùm temporibus difficillimis nihil, niſi vota ſuperfuerunt, commemorare parùm eſt.

Supereſſet iam aliquid circa Religionem in diuinum Numen: ſed in confeſſo primùm eſt, illum ſemper maiorum fidem, hoc eſt Catholico-Romanam profeſſionem ſic defendiſſe, vt etiam ad illam quotquot potuit ex heterodoxis, ac potiſſimùm eruditis, inflectere curauerit. Deinde religioſi cultus fidem vberrimam fecerunt publicæ omnes cæremoniæ, quas rigidè ſemper, quantum licuit per valetudinem, obſeruauit. Quippe & ſolemnibus ſacris, concionibus, proceſſionibúſque, vt vocant, interfuit; & nullum fuit celebre feſtum, in quo non ſeipſum Sacerdoti probauerit, menſæque Euchariſticæ factus particeps fuerit. Conſtans ad hæc ſincera fidē, amoréque in Deum fuit, ſublimè de tãta Maieſtate ſentiens, ac ſummè de eius bonitate ſperans. Nihil addo de cultu, quo fuit proſequutus Pontificem Summum, Cardinaleis, Legatos, Nuncios: ſiquidem nullam prætermiſit occaſionem teſtandi ipſis reuerentiam, affectum, obſequium; vt minùs ſit mirum, ſi illis nihil vnquam negotij in Prouincia contigerit, cuius ipſi committere procurationem non affectârint. Quo titulo

etiam demeruit cæteros Prælatos, Generaleis, Prouincialeis Ordinum, quos recenſere prolixum foret; agnitus aliunde patronus Cœnobitarum omnium, maximè verò Reformatorum, qui ſi quid egerent in Curia Romana, in Regia, in Prouincia, ac Senatu ipſo, illius continuò implorabant opem.

Nunc, vt ſpecialiùs Studia dicātur, præmittendum imprimis eſt, fuiſſe Peireskium ingenio prompto, aut ſi quid certè defuit, arte, ac labore illud compenſaſſe. Quippe in rebus etiam conceptu difficillimis, inculcatione vix indiguit; & ſedula diſquiſitione, exercitationeque mentis, ipſam ad quidvis facilè intelligendum comparauit. Habuit enim præterea illud ita natum ad omnia, vt nullum fuerit doctrinæ genus, cuius deſiderio non inarſerit, & de quo non lubens conſeruerit cum peritis Viris ſermones. Moderatus certè quod ad alia ſpectat, videtur fuiſſe vnica ſciendi cupiditate immodicus; nemóque fuit, qui vehementiùs affectārit perficere celebre illud Liberalium diſciplinarum coronamentum. Quin-ne hoc ſolùm; ſed etiam Mechanicarum ſtudioſus fuit; eáque de cauſa nullus vnquam artifex præcellens, ac celebris fuit, quem remoratus, aliò tendentem, apud ſe non detinuerit, ex quo non multa ſeu opificia, ſeu artis arcana arripuerit; ipſum domi, victu, ſtipendiis, variiſque muneribus in menſeis, ac in annos fouens.

Sagacitate quoque mira fuit, adiutāte conſtantia, qua inueſtigando nunquam fuit defeſſus. Euenit proinde non rarò, vt coniecturæ ſucceſſerint, quòd ex oblatis circumſtantiis, cætera adnexa ſubodoraretur, ac fœliciter diuinaret. Nihil certè ipſi traditum in manus, cuius, quicquid notitiæ poterat haberi, non eruerit; adeō vt non immeritò habitus fuerit toto Orbe quaſi Arbiter rerum abſtruſiorum. Nempe, ſi quid vſpiam inuentum, cuius neſciretur origo, natura, deſtinatio, ſtatim ad illum prouocabatur; quaſi germana rei notitia citra eius opem haberi non poſſet. Quid, quod rerum etiam, quæ non forent, ſed eſſe tamen perhiberentur, rimatus conditionem eſt; diſquiſiuítque, num ſaltem poſſent in rerum natura exſtare?

De Solertia iam ſæpiùs dictum, ob quam nihil penè, quòd humanitùs fieri, haberíve poſſet, ſe conſecuturum nunquam deſperauit, modò iuuaret, intereſſétve animum eò intendere, explicaréque conatum, ac neruos. Et ſanè plurima peregit, ac obtinuit, viſa viribus, conditionéque ſuperiora; quoniam facilè proſpiciebat quicquid promouendo, obſtandóve eſſe poterat; impiger aliunde, vt illud vrgeret, hoc amoliretur, & omnia miſceret, quovſque votorum compos fieret. Quin-etiam amicos vbique parabat, & officiis variis vltrò obſtringebat, vt ſeu aliquid deſtinaſſet, ſeu deinceps occaſio deſtinationem factura eſſet, ad obſecundandum forent comparati. Quamobrem, re propoſita, quam peragendam arbitraretur, prouidebat primùm pretione, an prece, amore, an metu, iuſſu, an ſponte; & quis, quid, vbi, quomodo, quando, ad præſtitum finem conferret; ac tùm, nihil cunctando manum operi dexterè admouebat. Sic in excogitandis cauſis operum tam artis, quàm naturæ admirabilium, peracutus, ac celer fuit: facillimè enim coniiciebat, &, dum tantillum decoxerat, coniecturas ſuas ratiociniis omnifariis ſuffulciebat.

Memoriam ad-hæc habuit fœlicem, ac plurimùm firmam. Tametſi enim conquerebatur habere ſe fluxam, atque imbecillam; explicari tamen non poteſt, quanta fuerit varietas rerum, quarum ex ineunte æuo meminit, ídque non vniuersè modò, ſed cum ſingularibus etiam locorum, actionum, verborum, perſonarúmque circumſtantiis. Ex quo efficiebatur, vt inter loquendum, adſtanteis ſemper mirè recrearet; quòd, quæcunque ſuborta foret colloquendi occaſio, proferre è ſuo penu poſſet, quod appoſitè, lectis verbis, ſumma cum gratia recitaret. Nempe non fuit rapida quidem volubilitate verborum: at non fuit tamen hæſitans lingua, nec abſonus voce, nec ſenſu confuſus. Seu enim partus ingenij, ſeu theſaurus memoriæ, ſeu animi motus efferendus foret; adeò non inuita verba occurrebant, vt diſtinctè, grauiter, copioſè, ornatè omnia diceret; neque, ſi res fuiſſent coràm poſitæ, conſpici præclariùs potuiſſent.

Iudicio maturo, ac ſolido fuit: adiutus præſertim tanta experientia, lectione, & meditatione rerum. Et quamvis nonnullis videatur præcipitanter egiſſe, quòd nihil cunctatus vnquam fuerit, quoties promouendarum artium, adiutandorúmve virorum eruditorum occaſio incurrit: nihilominùs ipſamet res fuit, de qua cùm à primis annis, ac toto decurſu ætatis cogitauerit, nihil eſſe potuit deliberatius. Quin dicebat etiam nihil deliberandum, vbi ageretur de iis adiuuandis, qui eſſent generi humano ſua doctrina, ſuíſve inuentis quomodocunque auxiliaturi. Viſus eſt aliúde non nihil credulitati indulſiſſe; at cùm nerui, & artus ſapientiæ ſint, nihil temerè credere; non poſtulat aliunde ratio, vt nihil niſi viſum, auditum, palpatúmve admittatur. Nam delectus quidem habendus, neque cuivis fidendum eſt: ſunt tamen boni, doctíque Viri, tam falli, quàm fallere neſcij, quibus fidem non adhibere ferum, & immane videatur. Atque id præſertim, cùm ſit anguſti nimis ingenij, perſuaſum habere nihil eſſe in naturæ receſſibus, præter hæc familiaria, vulgóque obuerſanteis; & ea, quæ in vna regione, aut ætate viſuntur, menſuram fieri, ac typum omnium, quæ eſſe in cæteris poſſunt. Id cùm Peireskio perſpectum foret, facilè omneis audiit, de quorum ſeu eruditione, ſeu probitate non dubitauit; at cùm non pronunciaret ſtatim, quæ narrarentur eſſe ex iis, quæ fieri, eſſéve non poſſent: ſolitus eſt tamen expendere omnia, & niſi poſſet aliud, ſaltem ſic rogare omneis circumſtantias, vt ſi quid demùm crederet, id probabile eſſe oporteret. Quòd ſi interdū propriis ratiociniis nō diffidit, viſúſque

eſt

eſt paullò tenacior conceptæ ſemel ſententiæ; cauſa illi fuit, quòd exiſtimaret non eſſe ſemper vacillandum, neque decedendum de ea opinione, quam aliqua ratio, aut conjectura feciſſet firmam; niſi potior occurreret, quæ oppoſitam firmiùs ſtabiliret. Et ſanè nihil tutius quidem, quàm comparatam habere mentem ad exuendum omne præjudicium, vt rationi ac veritati ſine pertinacia locum præbeat: verùm, quia vix vnquam occurrunt momenta rerum paria, efficitur ſemper, vt mens in vnam partem propendeat; adeò vt quiſque tantò ſit excuſatione dignior, quantò vel nolens id ſequitur, quod veriſimilius videtur.

Dicendum rursùs fuiſſe illum ſedulitatis eximiæ, diligentiæque inexpugnatæ. Ea certè fuit major, quàm pro virium, valetudiniſque ratione; quando vix vnquam ita remiſit vehementem illam contentionem animi, vt vllam horam, necdum vllum diem abſque linea tranſegerit; adeò nullo vnquam momento deliciarum ſuarum obliuiſci potuit. Quorsùm verò innuam indefeſſum ſtudium, ſeu obſeruandum aliquid, ſeu committendum chartis fuit? Nam quantum quidem præſtiterit in obſeruando; ſeu res cæleſtes, ſeu terreſtres, ſeu naturales, ſeu arte-factæ, ſeu antiquæ, ſeu recentes, ſeu quæcumque tandem viſæ ſunt cura & attentione dignæ, paſſim iam inſinuauimus: in ſcribendo verò ſic impiger fuit, vt quicquid rerum occurreret, ſtatim faceret adnotatum. Literas prætereo, quas, ſi quiſpiam alius, & numeroſiſſimas, & eruditiſſimas, & plærumque etiam fuſiſſimas ſcripſit.

Refero potiùs, nihil vnquam memorabile accidiſſe, quod non ipſe ſtatim ſua manu in commentarios retulerit, cuiuſmodi fuêre pompæ panegyricæ, publicæ clades, proſperæ, aduersáve magnorum virorum euenta, contentiones celebres, habita cum Principibus, & eruditis viris colloquia, atque id genus plurima alia. Admonebat autem ineunctantem manum, ne deſcriptionem differendo interuenirent negotia, quæ exturbarent; ac interim memoria elangueſceret, & rerum multarum ſingularium minùs tenax efficeretur. Similis erat diligentia, qua, ſeu quidpiam notatu dignum ſibi in mentem incideret, ſeu audiret ab alio, ſeu ex libris expiſcaretur, arripiebat calamum; nec poterat pati, vt quidpiam periret, quod vel ſibi, vel aliis arbitraretur vſui futurum. Conſcribebat verò, quia exiſtimabat rem tum demùm eſſe in tuto, nec poſſe periode ex charta, ac ex memoria effluere; idque cùm ipſi, vt Socrates, aut Pythagoras fidere non poſſet; experiretúrque id, quod ſcriberet, ipſa ſcribendi contentione animo profundiùs infigi.

Cæterùm quicquid adnotaret, deligebat ſemper nouas ſchedas, ſeu diſtincta chartarum folia, vt ſi quid addendum poſteà videretur, efficeretur confuſum nihil. Præſcribebat autem in fronte, aut in ſummo margine adnotandæ rei argumentum, ſiue titulum charactere majuſculo (quo etiam ferè interſcribebat nomina propria, vocéſque alias, quæ poterát ex minutiore, aut non rectè legi, aut non tam citò occurrere) adiiciebátque annum, & diem, &, cùm ab alio acciperet, præmittebat etiam auctorem. Nec modò verò marginem interdum ex vna, ſæpiùs ex vtraque parte relinquebat, vt ſi feſtinando quidpiam omiſiſſet, poſſet illud adiicere, potiuſquam interiicere: ſed & ipſam frontem faciebat peramplam, vt diſcerni meliùs poſſet titulus, & maximè, ſi forte ipſum præmittere, præ feſtinatione, non ſatis vacaret. Quanquam id tarò; neque enim imperfectum quicquam volens relinquebat, quòd ſæpè nimis expertus fuiſſet res inchoatas, aut conciſas futuræ ampliationis ſpe, nouam manum, aliis curis interuenientibus, haud ſenſiſſe. Quapropter ſic omnia ſcribebat, vt ſi manus extrema foret; indignabatúrque, ſi quando juſſus aliquis, ſeu dictatum, ſeu excerptum, ſeu proprium quid conſcribere, non ſatis capacem relinqueret locum præficiendo titulo; aut marginem non ſatis congruum, congruámve ſatis diſtantiam inter voces, ac lineas, exſcriptionis elegantioris, ampliorìſque expectatione. Cenſebat enim, id, quod res erat, eam dilationem eſſe fallacem; &, niſi aliud, nonnullam certè inducere temporis jacturam.

Pari ratione ægrè ferebat, ſi quis procul abſens exſpectaret vel reditum, vel occaſionem aliam, vt quidpiam vberiùs narraret, vel tranſmitteret; volebat enim copiosè ſcribi, & quamprimùm mitti quodcumque noſſe, vel habere interrat; quia non rarò ex ſimili procraſtinatione fuerat rebus pulcherrimis, vtiliſſimiſque fruſtratus. Non poterat autem qui illum amaſſet, copioſas nimis literas dare, quòd rerum ſcriptarum nullas circumſtantias non explicitas peroptaret. Quin-etiam ſæpiùs querebatur, quòd qui ſcriberent, non ſatis cogitarent ea, quæ ſibi ipſis eſſent in luce, ac proinde vt nimis nota, vel non magni facerent, vel ſcribere negligerent, eſſe abſentibus planè incomperta; atque idcircò nihil ex illis non nouum iri habitum, eóque nomine placiturum. Hinc ſicut ipſe quid explorans, aut aliquem interrogans, nihil quod ad rem attineret, omittebat perquirere; ita cùm aliquid ab aliis inueſtigari, obſeruaríque ſeu procul, ſeu propè iubebat; mandabat ſemper, vt quibuſcumque id poſſet modis perſpiceretur, adeò vt nullæ, ſi fieri poſſet, laterent circumſtantiæ, quas proinde ipſe ferè præſcribebat; mirè aliunde oblectatus, ſi quis ſuopte marte, propriáque ſolertiâ, vel ad omneis, vel ad pluteis, vel ad aliquas certè attendiſſet.

Ad-hæc impenſo fuit ſtudio ad librorum copiam, varietatémque comparandam. Nam de MSS. vt nihil dicam, quos niſi habere antiquos potuit, exſcribi certè procurauit (exſcripſitque interdum ipſe) præhabitis indicibus Bibliothecarum celebrium, ac toto Orbe præcipuarum; vt ſi quid ſibi, ſtudioſiſve neceſſarium occurreret, vnde erui poſſet, in promptu haberet. Vt iſtos, inquam, prætercam, prælo ſubjectos conquiſiuit Romæ, Venetiis, Pariſiis, Antuerpiæ, Amſterodamo,

 Londino,

Londino, Lugduno, aliunde; idque non modò ab exactis Francofurtenſibus nundinis; ſed toto etiam anni decurſu, amicis admonentibus, tranſmittentibúſque qui pro votis eſſent; & ſubminiſtratâ ſeu per nummularios, ſeu per amicos ipſos pecuniâ. Si vſpiam quoque Bibliothecæ diſtraherentur, ſubhaſtarentúrque, coëmi rariores curauit, eóſque nominatim, qui forent elegantioris cuiuſdam, neque habitæ ſibi editionis. Et incredibile quidem dictu, quantam copiam congeſſerit; incredibile etiam, quotsùm non propterea completiſſimam Bibliothecam reliquerit: ſed neutrum videbitur mirum, ſi quis conſiderauerit quæſiiſſe eum libros non ſibi solùm, ſed etiam quibuſvis opus illis foret. Innumeros verò commodatò dedit, qui reſtituti nunquam ſunt; innumeros quoque donauit, vt ſuperiùs attigimus, quorum exemplaria vix, ac ne vix quidem ſperaret poſſe reſarciri. Id nempe cùm ex vſu eſſet eruditorum virorum: nam ex iis, quorum Bibliopolæ poſſent exempla ſufficere, mira profuſione eſt vſus. Eam ob cauſam quoties accepit aliquem recens editum, plura illius exempla voluit, quæ partim ſibi aſſeruaret, partim in amicos ſtatim diſtribueret, prout argumentum placiturum notat.

Seu donaret porrò, ſeu ſibi haberet, compingi atque contegi pereleganter appetiit; vnde & aluit continuò domi artificem induſtrium, qui compactionem exquiſitè elaboraret, decoraretque. Quin aluit etiam interdum plureis; neque enim vnus ſatis vnquam fuit, tot confluentibus vndique voluminibus perficiendis. Contigit etiam ſæpenumerò, vt commodatos ſibi libros, à ſuis poſſeſſoribus negligenter habitos, compactori ſuo reficiendos, exornandóſque tradiderit; cùm ij nimirùm vel argumento, vel raritate id mererentur; adeò vt ex malè curatis comptos faceret, redderétque. Sic curauit etiam quoſcunque eſt nactus peruetuſtos Codices, ſeu impreſſos, ſeu MSS. neque ipſos integros modò; ſed illorum etiã fragmenta, ſemeláque folia. Et cùm ex eo quæreretur, cur tam ſumptuoſus ea in re foret, cauſam dixit, quòd perſæpè libri optimi fata peſſima paterentur, cùm in manus ineruditas parùm culti incidetent; ac ſe ideò operam dare, vt, vel ex decore pretium obtinentes, nec ſcombros metuerent, nec thus. Quos ſibi verò compactos habuit, proprio charactere inſignitos voluit. Conſtitit ille ex tribus Græcis majuſculis literis N.K.Φ, eâ elegantiâ inter ſe commiſſis, vt geminatæ tam dextrorsùm, quàm ſiniſtrorsùm legi poſſent; ipsíſque initialibus exhiberentur tres illæ voces Νικόλαος Κλαύδιος Φαβρίκιος.

Quantum ad Bibliothecæ locum, is fuit ſanè nimis anguſtus, quantumvis præter parietes ſupellectile pretioſa ornatos, tabulatum quoque medium forulis onerauerit, ex eadémque inſtruxerit. Heinc libros quoque habuit tam in promuſæo, ſeu quaſi Bibliothecæ atrio, quàm per diuerſa conclauia, columnatim cumulatos. Et ſæpe quidem cogitauit de prolixa quadam pergula exædificanda: ſed tam multa mouenda fuerunt, potiſſimùm verò paterna, atque auita Bibliotheca, in quam aliunde maximam partem Cimeliorum conjecerat; tam etiam parùm otij ſibi ſemper fecit, ac habuit; vt rem exſequi non valuerit, ipſáſque ædeis, vt ab initio ſe habuerant, reliquerit. Mitto, quòd idem promuſæum, itémque domus atrium, hortulúſque, & alia loca onuſta fuerint marmoribus, tum effigiatis, tum inſculptis; quódque cùm in vetuſtiore illa Bibliotheca concluſam haberet congeriem immenſam antiquorum numiſmatum, ponderúmque, ſaltem leniorem; in alia verò tam pondera, quàm vaſa, quàm arma, quàm ſtatuas, quàm innumera alia; neceſſum fuerit omnia jacere veluti confuſa, ipſique vni, qui omnia probè nouerat, manere diſcreta. Longè ſanè abfuit ab iis, qui apud Senecam, Corinthia paucorum furore pretioſa, aurea ſubtilitate concinnant; nam etiam pretioſa, quæ ab initio comparârat, numiſmatibus loculamenta, neglexit; ex quo præſertim furta expertus, periculo ſuo cautior factus eſt, thecáſque ex ebeno, aliáve ſimili materia comparauit duntaxat rebus furto minus obnoxiis, vt tripodi illi, ſymbibíſque vaſis, cæteríſque eiuſmodi.

Nec tamen abs re inſinuaui quæ videri aliis poterant confuſa, non fuiſſe ipſi indiſcreta. Tametſi enim excuſationem non infrequenter texeret, quòd apud ſe omnia forent nihil aliud, quàm moles rudis, ac indigeſta; attamen nihil vnquam diu requiſiuit in tanta illa congerie; modò ipſe ſolus Cimelia, Libros, chartas, alia contrectaſſet; nec iuſſus quiſpiam alius conquirere interuertiſſet. Nam, vt de libris nihil dicam, quos ſuis titulis inſignitos, in ſuas quantum poterat claſſeis ſedeíſque diſtribuerat, quóſque Simeoni Corberano, ingenioſo glutinatori, vel leuiſſimâ circumſtantiâ, etiam quà indigeſti erant, ſignificare poterat; cætera ſic ſolitus fuit in faſciculos, papyraceo, alióve inuolucro contectos digerere, colligaréque, vt ipſe ſua manu, majuſculo charactere, præſcriberet titulos, quibus quicquid in vnoquoque foret concluſum, admoneretur.

Cùm ſoleret verò ſpeciatim literas acceptas in faſciculos colligare, prout variorum erant Virorum, locorúmve, aut temporum; ſuperſcribebat antè quis, vnde, quo anno, menſe, ac die perſcripſiſſet; ſubiiciebátque indiculum breuem rerum præcipuarum, quas inter legendum ſubnotârat lineola: exinde nempe adjuuabatur tum ad reſcribendum diſtinctiùs, atque expeditiùs; tum ad inueniendum, ſi quid aliquando ex literis requireretur. Si quid autem rerum nouarum continetur in literis, quod alij ſibi notum vellent, tum non promiſcuè eas oſtentabat; ſed exſcribi ita curabat, vt lineolis includeret quicquid exſcripto excluſum vellet; voculas reſcindens hominum, rerum, negotiorum, quæ ignorari intereſſet; ac, ne quid poſſet offendere, phraſin commutans, aut leniens.

Vt ſolebat porrò curare perſcriptas ad ſe literas, ita quas ipſe conſcribebat, Amanuenſibus exſcribendas dabat, aſſeruatáque earum exempla,

exempla, pro varietate, conditionéve ſeu regionum, ſeu hominum, in quaterniones conjiciebat. Cùm rogatus verò aliquando eſſet, cur id ageret; reſpondit, non ſanè quòd ſua aſſectatu digna putaret; ſed quòd ſæpenumerò intereſſet, quid pridem, nupérve aut ſcriptum, aut non ſcriptum foret, oculis ſubjicere; ne vel idem, aut eodem modo inculcaret cum tædio; vel omittere pergeret, de quo dubitaret, num antè ſcripſiſſet; vel repetere memoria non poſſet, quæ aliquando conquiſiiſſet, digeſſiſſétque impenſo ſtudio: vel non haberet vnde poſſet inficianteis rei cuiuſpiam ſe monitos, conuincere; vel denique, ſi literæ ſiniſtro quodam caſu periiſſent, in recudendis laboraret.

Quod ad librorum lectionem ſpectat, parùm profectò otij, quod poſſet illi impendere, poſtremis vitæ annis ſuperfuit. Siquidem totus penè fuit in conſcribendis Epiſtolis; & cùm libros peruolutaret, fecit maximè, vt aliquid excerperet, quod transferre in illas poſſet. Quandocumque autem ſe lectioni dedit, progredi curſim aut tranſvolare loca difficilia ſolitus non eſt; ſed lento gradu ſemper inceſſit, ſubſtitítque, quoties occurrit, quod remoram injiceret. Heinc præſtò ſemper calamum habuit, vt ſubjectâ lineolâ deſignaret loca obſcura, & quicquid notatu videretur dignum. Dicebat ſe enim inde admoneri, vt libro reſumpto, difficilem locum iteratò expenderet; obſeruabilem menti inculcaret; vſurpabilem ſtatim inueniret. Quare neque fuit ex illis, qui lautos libros obtinentes commaculare illos verentur ſimilibus lineis, notiſve marginalibus: pretioſiſſimos enim potiùs habuit, in quos plureis notas inſerere potuit; vnde omneis ferè ante compactionem aluminoſâ aquâ imbui, &, non ſatis fore margines præſentiens, folia chartæ puræ inſeri mandauit. Solitus fuit etiam, ſi quid ab amicis obſeruatum acciperet, aut interſerere ſua manu, aut per ipſoſmet, vel alios, in Codices ſuos interſcribenda procurare.

Eadem ratione, ſi quos habuit, vel dono datos, vel coëmptos, qui doctorum virorum fuiſſent, tantò ſemper cariores duxit, quantò plura illorum manu inter-exarata cognouit. Ex quo aliunde agnoſcitur, ſtudioſiſſimum illum fuiſſe habendorum autographorum, ac ineditorum præſertim, ſi qui obtineri ab Auctoribus, eorúmve hæredibus poſſent, quos in lucem edi, aut ſaltem, ſi per Auctores non liceret, exſcribi ſibi procuraret. Ea certè de cauſa ſemper habuit librarios, ſeu exſcriptores paratos (quos inter ſanè tacendus non eſt Amanuenſium fidiſſimus, patientiſſimúſque Franciſcus Parrotus) vt ſeu linguis vernaculis, ſeu Latina, Græca, Arabica, Turcica, aut aliâ quacumque quidpiam vellet, facerent ſatis. Scilicet paſſus nunquam eſt, vt minimum cuiuſpiam inuentum, obſeruatúmve deperderetur; adeò ſemper fuit ea ſpe, vt ex ipſo proficere, prodeſſéve alicui poſſet.

Æquum eſt autem commemorare, cùm circa alia omnia argumenta ſollicitus foret, oblitum ſanè non fuiſſe ea, quæ ſui eſſent muneris. Etenim cùm exiſtimaret vnicuique homini ad certum genus publicæ vitæ, ſeu pro naſcendi conditione, ſeu ex electione propria deſtinato, in id præcipuè incumbendum, quod inſtitutum poſtulat; ac cum licere ad alia ſtudia, pro lubitu, diuertere: idcircò ipſe cætera quidem conſectatus eſt ſtudia; at nō propterea intermiſit ſe in ea arte exercere, quam nôrat, ac profitebatur. Iuriſprudentiam nempe excoluit Cujaciana illa, ac liberali methodo, quæ ex ipſis fontibus Iuris, potiuſquàm ex Doctorum rivulis, Legum nitorem conſpicuum facit. Heinc verò præcipuè amauit antiquitatis ſtudium; quod eò maximè faceret; & præter Pandectas MSS. quos habuit, requiſiuit etiam alios Codices, quòd quædam editorum loca expeterent ab ipſis lucem. Hac certè occaſione memini, cùm aliquando dubitaret (& ne Pandectæ quidem Florentini prorsùs ſatisfacerent) de germana interpretatione Legis Neratius, circa retentam, amiſſámve ſolo animo poſſeſſionem, ſcripſiſſe eum Romam, vt ex vetere MSS. Cardinalis Barberini, ac Buccardi manu, textus Legis, cum ſcholiis marginalibus ſumma fide exſcriberetur. Nimirùm quóties fore præſenſit, vt circa cauſam celebrem ferret in Senatu ſuffragium, nullum non mouit lapidem, ne illud ferret imparatus.

Sic pridem circa eam quæſtionem, cui debeat accedere lucrum, creditori-ne, an debitori, vbi datis mutuò monetæ ſpeciebus, æſtimatio accreuerit, ex interueniente Principis edicto: Pacium adhuc ſuperſtitem interpellauit per literas, vt quicquid vſquam ea de re obſeruaſſet, communicaret. Sic nuper egit cum Salmaſio, de pœnis olim apud Romanos, aliáſque nationes præſcriptis in eos, qui ſtationes deſerunt, & animo potiùs puſillo, quàm malo, commiſſis ſibi arcibus cedunt. Sic cum Bignonio, eximio illo, quem huius æui Scæuolam, ac Varronem dicere liceat, de auctoritate Legum Romanarum per Galliam, propter edicta Alarici, Caroli Magni, aliorúmque Principum, qui vſi ſunt leges Theodoſiani Codicis, cæteráſque ratas habere. Perſcribebat ipſe intereà, quicquid ferè dici, aut excogitari hiſce de rebus poterat; adeò ſemper erat locuplete penu, adeóque illi reſcribebant debere eum ſolum ſe conſulere; verùm cum ipſis ita agebat, vt circa ea, quæ iam noſſet, congerenda non laborarent, ac in eo eſſent potiùs, vt nouum quidpiam oſtenderent.

Quod dixi porrò obiter circa antiquitatis ſtudium, complectitur id maximè vniuerſam Hiſtoriam, quam ſic animo informauerat, tenebátque, vt videri poſſet omnibus & locis, & temporibus interfuiſſe. Defixum quippe hoc ſemper habuit, conferre maximè hiſtoriā non illuſtrādo modò Iuris ſtudio, ſed componendæ etiam vitæ, animóque eximia quadam atque liberali delectatione afficiendo. Cenſebat enim quodammodo efficaciorem Philoſophiâ, quòd hæc quidem verbis homines erudiat, ſed illa exemplis accendat; ac aliunde faciat, vt nos vitæ breuis pigere

non debeat, quam reddit participem rerum, temporúmque præteritorum. Conquiſiuit proinde ſemper nationum omnium Hiſtoricos, & cùm per-antiquos haberet per-caros, tum eos duxit cariſſimos, qui vel noſtræ gentis eſſent, vel quomodocunque ad eam attinerent. Vt enim vix patienter tulit hominem ingenuum, qui in Orbe ſuo peregrinus eſſet, videre; ita callere ipſe voluit quicquid monumentis eſſet proditum, non de rebus modò ad Prouinciam, Galliámve ſpeciatim pertinentibus; ſed etiam de iis, quæ ad Italos, Hiſpanos, Germanos, Anglos, Hungaros ſpectarent, vniuerséque ad illos omneis, quibuſcum hominibus noſtris commercium, aut diſſidium fuit.

Et quàm ardenter, putas, expetiit interpretationem, atque editionem Arabicorum Codicum; quos optimus Golius ex Oriente nuper aduexit, continenteis hiſtoriam expeditionum, bellorúmque à Regibus noſtris geſtorum in Syria? Putauit enim poſſe fieri, vt eius nationis Scriptores ſecus, quàm noſtrates multa recitârint, quæ noſſe foret operæpretium; vt vel ex mutua collatione, elici, contexíque poſſet narratio quædam veriſimilior. Putauit etiam poſſe exinde plurima à noſtris omiſſa ſuppleri, cùm ipſe quoque innumera ſupplenda haberet ex variis illarum Regionum, atque temporum comitiis, diplomatibus, literis, ſigillis, inſignibus, inſcriptionibus, numiſmatibus, aliiſque id genus. Erat verò rerum huiuſcemodi præ aliis impensè curioſus, quòd teſteis eſſe diceret antiquitatis incorruptos, quódque ex iis addiſcerentur, quæ fruſtrà requireret quis ex hiſtoriographis omnibus.

Et memini quidem interdum, cùm vitris variæ conuexitatis diſpiceret chartas, & numiſmata minutiſſimorum, ac ſemeſorum characterum, objectum id fuiſſe, quod Seneca habet, *Illum tu otioſum vocas, qui maiorem dierum partem in æruginoſis lamellis conſumit*; itémque illud, *Inſanit veteres ſtatuas Damaſippus emendo*: ac eiuſmodi alia. Verùm ipſe, Non neſcio, inquit, effusè à multis rideri hæc ſtudia, quaſi, nec nobis ornamento, nec cæteris vſui ſint: ij tamen ſoli iure carpuntur, qui ad vanam, aut etiam nullam eruditionem hæc referunt; cùm plerique comparent ſolùm in ornamentum armariorum, ac parietum, nec alio fine habeant, quàm vt habere perhibeantur. Porrò laude digni videntur, nec tempus fruſtrà terere, qui talia conquirunt, expendunt, illuſtrant, vt bonis Authoribus legendis facem præferant; vt hiſtoriarum circumſtantiæ perfectiùs clareſcant; perſonæque, res, & actiones animo meliùs inſigantur. Scilicet ex ſtatuis, numiſmatibúſque cognoſcere licet, qualis fuerit vultus, habitúſque clarorum virorum, fœminarúmque illuſtrium, quarum nos actiones auditæ delectant; qua forma fuerint Dij, Deæque, & Heroës priſci, cum ſuis illis inſignibus; cuiuſmodi fuerint ſiue ornamenta, ſiue inſtrumenta religionum, bellorum, magiſtratuum, coronæ, currus, triumphi, ſellæ, innumeráque id genus alia. Quæ, & plura cùm recenſeret, tum prolatis compluribus monumentis facto monſtrauit; adeò vt innotuerint demùm pleraque Auctorum obſcura, nec alia ratione intellecta loca.

Sæpenumerò etiam in admirationem rapuit, vbi oſtendit, ſine rebus huiuſcemodi inſpectis, atque exploratis, non poſſe intelligi quid Auctores velint, cùm tam ſæpe mentionem faciunt Numiſmatum, ac Ponderum, vt Talentorum, Siclorum, Drachmarum, Denariorum, Victoriatorum, Seſtertiorum, itémque Aſſis, & partium eius; ac cæterorum bene multorum; de quibus cùm diſſereret, immenſamque copiam, & varietatem proferret, non paucos noui obſtupefactus. Ac ſpeciatim quidem aliquando, cùm multitudine Vnciarum pondere, & forma diuerſarum exhibita, rogatus fuit, quid ſibi vellent ſymbola illarum tam varia. Nam ſingularem quidem globulum appoſitum dixit, non vt deſignaretur modò vnitas; ſed etiam vt illius tumore, qui Græcè ὄγκος dicitur, ad vnciæ vocem fieret alluſio. Eadem ratione in pleriſque adjungi vncum, ſeu vncinum; vt pondus vnciale ſtatim notaretur. In quibuſdam verò, ac præſertim Hetruſcis, haſtam, quæ Græcè dicitur λογχὴ, vt ex λ diſſimulato ὀγχη, & ob cõmutabileis literas, ὄγχη vox ſuperſtes idem patefaceret. Sic plerumque adjectam ☾ vnitatem ſignificare, non tantùm quòd vnum hoc Sidus exiguâ luce noctem colluſtret; ſed etiam quòd ex voce Luna, L detracto, vna ſuperſit. Sic exhibitam in nonnullis Aſtragali faciem, quæ in jactu vocata vnio, vnitatem ſignificaret; etiam in quibuſdam ſolùm intellecta, cùm in auerſa parte ſolùm appareret oppoſita facies, ſenio appellata. Similia quoque declarauit, in cæteris Libræ, ſiue Aſſis partibus; vt cùm in Semiſſe declarauit, ſpicam idcircò appoſitam, quòd antiqui alluderent ad ſeminis, & ſemiſſis voces; ſed hæc attigiſſe ſufficiat: vt pateat illum ſuo ſtudio, ſolertiáque, & ſagaci examine ea potuiſſe interpretari, quæ in libris nuſquàm extarent; ac tantò faciliùs audienteis ſtupore quodam percellerent.

Nam alioquin minùs fuit mirum (etſi pleroſque delectauit, neque id ſanè immeritò) quòd de Menſuris, déque vaſis non minùs diſertè verba habuit, quàm ipſis menſuris, vaſiſque antiquis coràm poſitis, demonſtrationem apertam fecit. Et ſanè, quoties illi aut vas, aut numiſma, aut ſtatua, aut quicquid demùm aliud non vulgare oblatum eſt; ita ſemper ſolitus fuit, quàm primùm licuit, expendere, vt non in loculos referret, aut creditum reſtitueret, quin perſpexiſſe, quicquid de illo ſciri poſſet, aut conjici. Quippe & libros conſulebat, & cum ſimilibus conferebat, & memoria repetebat quicquid obſeruaſſet eò pertinens; &, vel capacitatem, vel pondus, vel formam nulla non arte explorabat; & eruditorum vbivis degentium requirebat ſententiam; & conjecturas proprias, quas quomodocunque fulcire poſſet, congerebat; &, vt paucis dicam, rem non dimittebat, quouſque nemo mor-

tædium

talium poſſet vberiùs cognoſcere. Eò cùm perueniſſet, tum demum quicquid nouerat, aut inſerebat in librum eiuſdem, affiniſve materiæ; aut ſchedæ commentariis interponendæ conſignabat; aut certè anſam arripiebat conſcribendi vnam, pluréſve Epiſtolas, in quibus laboris fructum explicaret. Quare oihil mirum, ſi cùm totâ vitâ ſedulitate hac fuerit, oihil tandem poſſet obiici, quod quaſi alter Oedipos noo ſtatim interpretaretur.

Eodem porrò modo ſeſe comparauit circa res Naturæ admirabileis; de quibus, quia paſſim varia diximus, non eſt cur ſpeciale quidpiam attexamus. Memorare id ſufficit, neminem plura aut obſeruaſſe, aut obſeruari procuraſſe, vt aliquæ tandem ſaniores, purioréſque vulgaribus notiones rerum elicerentur: qua de caoſa ſuſpexit genium, comprobauitque inſtitutum Cancellarij Anglorum magni, Franciſci Verulamij, quem ſæpiùs doluit non conoeniſſe, ſuperſtitem adhuc, cùm fuit, venitque poſtremùm Pariſiis. Diſplicebat profectò illi quæ Phyſica vulgò docetur in Scholis, tanquam nimis vmbratica, & ingeniorum potiùs technis, quàm experimentis naturæ innixa. Heinc corrugare ſolebat frootem, totúmque vultum contrahere, cùm incidiſſet in Phyſicos, qui ſubtilitate potiùs, quàm ſoliditate certarent; & acumen licèt commẽdans, dolebat tamen ipſum verbis, diſtinctiunculiſque potiùs deteri, quàm penetrandis ipſis rebus, oe ſua quidem fronte perſpectis, impendi. Ac ſi illi quidem forent opinioſiſſimi, & ſiue Ariſtoteleæ, ſiue alij Sectæ deditiſſimi homines, ipſe illos ſibi ſapere ſinebat, neque quidpiam conteſtabatur: ſin autem ij eſſent, qui veritatis amore præjodicium depouerent, & leniter audire mallent, quàm contumaciter obloqui; tum eos ſermones ipſe fundebat, qui ab illis cum voluptate, & applauſu exciperentur. Nam quantuiocumque aliquas eius opiniones non prorsùs prubarent, mirè tamen afficiebantur, dum ſua ratiocinia confirmaret ſemper, aut obſeruatione rerum, qoæ, licèt vulgares, non ſatis tamen aduerterentur; aut relatione tam propriorum, quàm alienorum experimentorum, quæ proferre ſemper multa potuit (adeò fuit ſemper adnotandorum, congerendorúmque curioſus) aut exhibitione ipſarummet rerum, de quibus quæſtio incidiſſet; inexhauſtâ enim abondauit copiâ rariorum mineralium, lapidum, plantarum, animalium, quæ quocunque pretio, aut quacunque arte, haberi, ac ſeruari poſſunt.

Ex his ferè elicitur non placuiſſe ipſi Dialecticas illas, Metaphyſicáſve argutias, quæ nihil bonæ frugis haberent, & foueudis ſolùm clamoſiſſimis contentionibus eſſeot comparatæ. Tametſi enim delectabator, dum quid argutè concluderetur; ſimul tamen ægrè ferebat, quod foret de re nihili. Sic ſæpè etiam afficiebatur, cùm audiret verba facienteis de rebus illis ſublimibus, ac non cadentibus in ſenſum. Nam poſſe quidem humanam mentem ad vſqoe Ideas, & ſeparatas Subſtantias intelligeodas prouehi, id mirabatur, commendabátque; at ſomniare tamen de illis tam multa, & analogiis, ratiociniiſque adeò leoibus communire, id non comprobabat, ſed miſerabatur. Dolebat nimirum, præclara ingenia prætergredi incognita, intactáque ea, quæ oculis patent, ſubjiciuntúrque manibus; excurrere verò ad ea, quæ ne conjectura quidem veriſimili attingere licet. Quio dicebat etiam ſubvereri ſe, oe Doctores ſibi nimium arrogent, cùm præter ea, quæ Fides docet, adeò confidenter de Deo, rebúſque diuinis diſputant tam molta. Nam inconcuſſa quidem habenda Decreta omnia Fidei; at qoæ prætereà ediſſerunt, non eſſe poſſe non iocomperta: & cùm nibil ab vno, oiſi pluribos reclamanribus defendatur, videri poſſe ſacratiſſimi argumenti majeſtatem minui. Hacce de cauſa ferebat quidem publicas illas de Logicis, Phyſicis, Medicis, aliiſque huiuſmodi rebus parùm juuanteis altercationes: at circa res Theologicas, impatienter ferebat frontem, qua conſpiciebat homines aſſumenteis ſe probaturos DEVM non eſſe, eſſe iniuſtum, impotentem, improuidum, miſerum, alia: quooiam tametſi id fieri veritatis illuſtrandæ causâ diceretur, parùm tamen decorè fieret; neque vllos Princeps, cordatúſve vir ſimilia de ſe, cùm præſertim nihil opus foret, cootrouerti non ægrè ferret.

Æquiùs tolerabat diſceptari mores, dum tamen etiam Religionis, Patriæque ſtatuta illæſa manerent. Cenſebat enim quam-maximam habendam eſſe legum rationem, quæ deſiderandæ quidem eſſent optimæ, at quaieſcunque tamen eſſent, venerationem mererentur. In earum quippe obſeruatione ſalutem ciuium conſiſtere; adeò vt etiam minùs iuſtæ ioſtioribus viſis ſalubriores fierent, ſi religiosè obſeruarentur. Porrò qui ſic affecti eſſent, minùs improbabat, ſi aliunde ritus inſtitutáque variarum gentium ſpeculando cognoſcerent, & cum noſtraöbus etiam compararent. Heinc enim putabat hominem ingenuum exuere poſſe præoccupationem, qua vulgus legem naturæ putat, quicquid ſibi in vſu eſt, nibílque ritè fieri, quod iooribus ſuis videatur alienum. Nempe cùm omnibus diſcuſſis, viderit cæteras nationes ſuos quoque mores ſuis tueri rationibus, & vnamquamque reliquarum conſuetudines improbare; tum poſſe illum animum ſuum ſupra vulgarem conditionem euehere, & defenſurum quidem ſua, ſed æquum tamen ſe præbiturum aduerſus omoeis homines, futorúmque, Socratis inſtar, non voius tantùm regionis, ſed Vniuerſi totius ciuem; nihil admiraturum in rebus humanis, &, vt paucis dicam, ea extiturum temperatione animi, vt maximam tranquillitatem, maximúmque adeò bonum conſequatur.

Eam certè ob cauſam, non ex libris, narrationibúſque eoulgaris modò, varietatem morum eruebat, & vel ſolus, vel cum amicis ſubiiciebat examini: ſed diligentiſſimè etiam quotqoot aduenirent ex diſſitis locis, rogabat ecquid illeic geotium circa inſtituta ſpeciale notaſſent; ac ſi quoquoverſùm qui diſcederent,

diſcederent, vt notarent, adhortabatur. Hac verò ratione ſic erat imbutus nationum omnium tam antiquis, quàm recentibus moribus, vt nihil penè noui renunciari poſſet; vtque apud omnes ſiue natus, ſiue conuerſatus fuiſſe videretur; atque adeò ad bonitatem, qua ſponte naturæ aduerſus omneis effundebatur, id humanitatis genus adderet, quo cuiuſvis demùm conditionis homines, tanquam fratres complectebatur; paratus omnibus prodeſſe, nocere autem nemini. Nam exoſa quidem habebat vitia illa teterrima, impietatem, crudelitatem, malitiam, perfidiam, & vno verbo cætera: ſed humanam tamen naturam à prauitate ſeponens, & conſiderans, commiſerabatur, quòd illa præ imbecillitate, excæcationéque non teneret virtutis viam. Scilicet homines non ſatis animum aduertere ad cupiditatum naturam, & ad germanos bonorum fineis. Si enim perſpectum haberent, quàm pauca naturæ ſufficiant, exularent dolus, & fraus, quibus ſuperuacua quæruntur; &, ſi agnoſcerent opum vſum, non exularent humanitas, honeſtas, moderatio, ſine quibus ſocietas, priuataque vita continuò turbatur.

Ad hæc, Mathematicas Arteis, quantùm poterat, excolebat; quòd altercationibus illis, de quibus antè dicebamus, minimè forent obnoxiæ; & mentem aliunde ſic imbuerent, vt partæ per demonſtrationem veritati aſſuefacta, ipſa veri ſpecie non facilè deciperetur; ac demùm ſui euidentia, certitudinéque eam voluptatem crearent, qua major, & honeſtior, conſtantiórque eſſe non poſſit. Et non vacauit quidem ſcrupuloſè ſingulis illarum partibus incumbere; ſed noſſe tamen voluit quæcunque præcipua, atque faciliora in omnibus fuerint. Adamauit autem præſertim Aſtronomiam, quòd homo natus ad contemplandum, nihil poſſit majus, ſublimius, excellentius, illuſtribus illis plagis inſpectare. Deinde Geographiam, quòd illa, vnà cum Chronologia, Hiſtoriam maximè colluſtrent, præſténtque ne Viri ingenui, ac aliunde literati, gerant ſeſe pro pueris; quin potiùs in totius Orbis, atque temporis quaſi poſſeſſionem mittantur. Poſteà Opticen, quòd per illam explicentur cauſæ tam multarum rerum, quæ apparent oculis, quæque vel mirabilia habentur, vel niſi habeantur, ſola familiaritas, & inconſiderantia facit.

Hinc illum Pictura mirè delectauit, eáque occaſione & Pictores aluit, & tabulas varias, imaginéſque obtinuit, quarum præſtantiam dijudicare, ſi quis alius, maximè nôrat. Frequenter verò teſtatus eſt, pœnitere ſe maximè, quòd à teneris vſque annis pingendi artem non didiciſſet; optaréque, ſi fieri poſſet, digitis duobus ſiniſtræ manus redemptam peritiam, quâ dextra careret. Quippe tametſi tam in Patria, quàm extra illam implorаſſet Pictorum variorum induſtriam, effigiandis rebus, quæ occurrerent; nihilominùs neque ſemper adfuiſſe ſibi peritiorum copiam, neque potuiſſe alienas manus adeò frequenter vſurpari, ac ſibi è re fuerat. Pari ratione Cælaturam, Sculpturam, Plaſticen amauit, ac artifices habuit, qui antiqua opera vel reſtaurarent, vel imitarentur. Pari quoque Architecturam, vniuerséque Mechanicas, ſeu quæ machinis, organíſque artificioſis circa aquam, & cætera, res mirabileis exſequuntur. Pari etiam Agriculturam, & vt breue faciam, omnem artem, atque induſtriam: adeò ſemper illius mens non ad vnam quaſi Cynoſuram, aut Helicen; ſed ad omnium artium, ac diſciplinarum vniuerſum Cælum, obtutum intendit.

Supereſt aliquid adjiciam de opinione vulgò effuſa, quòd componendis variis Libris & Tractatibus admouerit manum. Et ſanè haud negandum quidem, quin dudum ſpem multam feciſſet edendi in lucem Antiquitates Prouinciæ, euulgandíque obſeruationes in numiſmata, ſelectáque alia priſcarum rerum monumenta: quin flagraſſet pridem deſiderio emittendi Commentarios de Mediceis Sideribus, & Kalendario Conſtantiniano; quin voluiſſet perfectum opus de ponderibus, & menſuris publici iuris facere; quin multa quoque alia argumenta non affectaſſet: quoniam, vt nullum fuit genus laudabilis eruditionis, quod animi ſui amplitudine, curioſitatéque non fuerit complexus; ita nihil propemodùm fuit, de quo aliquid ſcribere pereruditè non deſtinârit. Veruntamen nihil demùm fuit, cuius ſcriptionem fuerit aggreſſus; ſi ea excipias, quæ, vt iam innui, in Epiſtolas tranſſumpta inſeruit: nam de libello quidem illo indigitato Squitinio quid ſentiendum foret, dictum eſt ſuo loco. Is nempe optimus Vir fuit, qui factum ſatis nunquam putarît, quantumcunque monumentorum aliqua de re obtinuiſſet: adeò vt toto quidem æuo congeſſerit varia de argumento quolibet; ſed, quia quo plura naneiſcebatur, eò ſibi plura deeſſe cenſebat, nihil tandem digeſſerit, imò ne inchoârit quidem.

Memini verò, cùm fatigarer à comprouincialibus circa Hiſtoriam Prouinciæ (an ſcilicet breui foret proditura) quæſiſſe ex eo, quónam vſque vellet reſpondere me nihil aliud, quàm laboris quidpiam adhuc ſupereſſe; ac tum ſubridendo excepiſſe illum, ideò intereſſe, vt opinio peruulgaretur de extrema manu breui imponenda Hiſtoriæ, quòd ea ratione plurimi deſiderantes ſui, ſuorúmve mentionem in illa haberi, maturarent vltrò conferre vetuſta quæpiam monumenta; quæ ſecùs, ne rogati quidem, communicaturi non forent. Addo ſperaſſe quidem illum, vt liceret demùm Belgenſerium ſecedere, immenſámque illam congeriem eò delatam euoluere, ac omnibus ritè digeſtis aliquid eruere, eáque ratione pertexere, vt mereri poſſe lucem videretur: attamen diffidiſſe quoque tam de ſua valetudine, quàm (negotiis ſemper incurrentibus) de illa otij fœlicitate; memor præſertim, quod contigiſſet circa receſſum nuperum, quò ne recluſerat quidem ſcrinium circa memoratam hiſtoriam; tametſi Valaveſius, qui auctor comportandi fuerat, ſollicitaret, & ſe adiutorem, ſcribámque offerret.

Quare

Quare cùm idem ſubvereretur ; & omnia tamen petire noller, id cepit conſilium,quod iam diximus, vt ex occaſionibus interdum ſubnatis, interdum quæſitis, Epiſtolas conſcriberet, in quas præcipua quæque referret. Heinc dicere licet plæraſque exſtare, quæ eruditionis refertiſſimæ pro totidem libris haberi, ac in lucem edi omninò mereantur. Huiuſmodi complures ſunt, in quibus de rebus antiquis, ac rebus naturæ mirabilibus ita diſſerit, vt nemo non inde eruditi poſſit. Minimè autem grauabatur, quæ rara habebat eius generis cum viris & bonis, & amicis communicare ; quoniam eruditos ſemper deligebat, qui exinde proficerent, & in elaborandis variis operibus adjutarentur. Perinde enim eſſe cenſebat, ſeu ipſe, ſeu alij publica illa facerent ; ſi modò ea iudicarentur, quæ legi vtiliter poſſent. Quinetiam ſperabat, ac profitebatur, vbi illa inſerta forent cæterorum operibus, tantò vtiliora futura,quantò per manus eruditas illuſtriora euaderent.

Se nimirùm non alio fine quærere, & ſuggerere, quàm vt eſſent irritamenta præclaris ingeniis, ad comminiſcendum meliora. Eſſe enim ſe imparem,qui fœtum maturum, elegantémque produceret, aut articulatim lambendo formaret ; fœlicem ſatis, ſi quomodocunque parturientibus obſtetricaretur. Solebat proinde, etiam non rogatus, cuivis ſcribenti ita adeſſe, vt nihil non ſubminiſtraret, ſeu ex propriis obſeruatis, ſeu ex cimeliis (non ſuis modò, ſed aliorum etiam ob eam cauſam impetratis) ſeu ex MSS. quos niſi haberet, ex Bibliothecis quibuſlibet obtinere ſatagebat. Ne memorem, quòd neminem ad ſcribendum quidpiam de re quacunque idoneum, non ſollicitauerit, impedimenta, ſi quæ forent, amolitus non fuerit, pecuniam, libros, & alia, ſi quæ opus eſſent, non fuerit largitus.

Sed de Epiſtolis dicere vt pergam, ſunt etiam digniſſimæ typis Morales complures; quibus conſolatur, hortatur, diſſuadet, aliáque miro cum lepore, ac energia exſequitur: ſed nuſquam, vt puto, facundior, quàm dum literatos viros admonet,vt à ſimultatibus caueant, à conuitiis, dicteriiſque mordacibus abſtineant, antiquitati honorem habeant, nec ſine ſpecie aliqua reuerentiæ ab ea diſcedant : judicium de rebus obſcuris,atque controuerſis non præcipitent;ambigua pro certis neque complectantur, neque diuendant ; proferre ſua potiùs, quàm euertere aliena affectent ; non eos imitentur, qui iter facturi immorantur in egerendis quotquot occurrunt lapidibus, aut faſciculum roſarum lecturi, ſpinas priùs omneis ex roſeto demerunt ; parcant, excuſent, eleuent, ſi quid peccatum ab aliis ; cogiténtque, ecquiſnam tandem dignus laude cenſendus ſit, ſi impeccabilis duntaxat laudandus ; gratè potiùs excipiant, quòd illi glaciem ſecuerint, calleiſque aſperrimos complanare ſaltem tentârint, agnoſcant nihil eſſe initio perfectum, neminémque ſuos conatus collaturum in publicum, niſi aliquam potiùs gratiam, quàm reprehenſionem ſperârit : meminerint ſe homines eſſe, & lapſibus quoque obnoxios, ac eo nomine merituros, vt ſibi quoque ignoſcatur, ſi ipſi in alios æqui fuerint ; atque id genus alia, quæ referre prolixum foret. Sunt quoque Epiſtolæ aliæ, quibus commendat, petit, excuſat, gratulatur, expoſtulat, cæteráque ſimilia agit, tanta venuſtate, & gratia, vt deſiderari nihil poſſit, adeò natus fuit ſeruando decoro, excogitandis rationibus, affectionibus commouendis. Prætereo autem illum perrarò Latinè ſcripſiſſe ; ac vſum præſertim Gallico ſermone; aut Italico,cuius ſuauitatem,veneréſque omneis ſuis non modò Epiſtolis, ſed colloquiis etiam cum viris Italis expreſſit. Ac talis quidem ille Vir fuit.

Redeo iam ad tempus, quo prædiximus 1637.
ipſum incidiſſe in lethalem morbum. Taceri verò primùm non debet, percrebuiſſe Romæ ante paucos menſeis rumorem de illius morte, indéque Pariſios etiam perueniſſe : vnde Valaveſius illeic tum degens, literas dedit congratulatorias, & meliorum votorum plenas. Non ſilendum etiam, quòd ipſe Peireskius, quatriduo priuſquàm decumberet, huiuſmodi ſomnium nobis enarrauit. Videbar, inquit, audire Sacrum in Sacello Palatij, cum prolapſo faſtigio, contignationéque effracta, ipſe, aliique Senatores, ac Sacerdos obruti ſumus. Cùm verò ad ſtrepitum primum vellet Sacerdos expauefactus ſacrificium deſerere, Ecquid, inquam, times, ô bone, qui Deum habes præ manibus? Quanquam hæc attingo, non vt videar portenta quædam congerere (vt ſolent multæ fabulæ pari occaſione narrari) ſed ne ad finem properanti prætermittatur aliquid, quod ſingulare videri poſſit. Cæterùm enim fabulas dixi, quæ referuntur vulgò ſimilia ; quòd niſi planè falſa ſint, occaſione ſaltem leui detorqueantur, & mero caſu potiùs contingant, quàm ex inſtituto naturæ, cui majori curæ non eſt ſapiens, quàm morio ; clarus, quàm obſcurus. Quod ad memorata certè attinet, non hac ſola vice rumor ſimilis de Peireskij morte fuerat euulgatus, vt ſuis locis attigimus ; potuit autem tantò faciliùs occaſionem accipere, quantò ſæpius auditum eſt ipſum cum morbis colluctari. Aliunde dies non multi erant, ex quo tectum Palatij magna ex parte conciderat : quare nihil mirum, ſi is caſus animo Peireskij infixus ſui ſpeciem, vt vulgò fit, inter dormiendum excitauit ; ſed miſtis aliis circumſtantiis, ob factam aliarum ſpecierum intercedentium confuſionem.

Vtcumque ſit, inualeſcebant tota vrbe malignæ febres, eámque ob cauſam, cùm nullum ſibi prætermiſſum officium veller, non ibat modò ad Præſidem primum, eiúſque vxorem iam conualeſcenteis, vt retulimus ; ſed aliis quoque frequens aderat, de quorum ſalute ſollicitus erat. In iis fuere & Franciſcus à Sancto Marco laudatus Senator, cuius amorem ingenuum, conſtantémque ſummè colebat ; & Gregorius Francus familiaris Medicus, in quo artis

peritiam, leuitatémque motum amabat; & Natalis Galliardus caræ indolis adoleſcens, quem vt ſperabat aliquando in iudiciis regnaturum, ita ob inſignem affectum, quo erga bonas literas accenſum nôrat, deperibat. Cùm eſſent & complures alij, ac morbi eſſent populares, & feruores augeſcerent, neque tamen ipſe præterea aut abſtineret à Senatu, aut à curandis amicorum, domeſticíſque negotiis, aut ab adjutandis ſtudioſis, aut ab Epiſtolis ſcribendis, aut à diſquirendis, atque obſeruandis rebus variis; difficile ſanè non fuit id, quod euênit, augurari. Accessit, quod cùm inuiſiſſet Maſſilienſem quendam amicum in diuerſorio decumbentem, transferri illum in ædeis ſuas, vt nitidiùs, ſtudioſiúſque curaretur, voluerit, ac ſæpiùs ipſi adfuerit, & per ipſum quoque delirium, aliáque morbi ſymptomata arteriam attrectauerit, idonea verba dederit, de victu, déque omnibus neceſſariis ipſi rebus continenter prouiderit. Ac ille quidem tandem conualuit; verùm dum conualeſceret, cœpit Peireskius malè habere.

Dies erat Iunij decimus, cùm ſub auroram expergefactus, vbi agnouit ſeſe induſium, ob ſudoris frequētiam, tota nocte non commutaſſe (vt bis, aut ter debuerat) & perſenſit intereà cum leui ſudore frigus horridiuſculum, oculos aperuit; & cubiculi non ritè occluſam feneſtram conſpiciens, morbum ſibi ipſe præſagiit. Hinc cœpit capite dolere; ſed ſurrexit tamen, & Curiæ interfuit, amicóſque, & ægros quoſdam pro more inuiſit, atque ſalutauit. Domum regreſſus, cùm dolor ille nihilo fieret remiſſior, prandere prorsùs recuſauit, ſperans (quod antè diximus illi non rarò ſucceſſiſſe) fore, vt integrum diem abſtineret planè à cibo, & potu, ingruens malum auerteretur. Totum pomeridianum tempus aut ſedit, aut decubuit; donec ſub Solis occaſum inuiſenti illum optimo Campinio occurrere voluit, tunicâ aſſumptâ, & poſt conſertos multos ſermones, ad limen domus deducere. Exeunte illo, aduenêre, ſalutaueréque Raymondus Maranus Guillelmi filius, & in eadem Toloſana Academia Iuris Profeſſor, cum ingenuo adoleſcente Fratris Conſiliarij filio, quibuſcum aliquandiu agendum in atrio, ac denudato capite fuit: cùm ſimul intereà de ipſis domo excipiendis curam agitaret, foretque multùm anxius, propter occupatam, quæ illis magis congruiſſet, ædium partem. Ægrè poſteà conſcendit gradus; & cùm ſe demùm recepiſſet in cubiculum, dolórque cum febre ingraueſceret, parum juſculi ſolùm hauſit. Obſeruârat, quoties à cibo, potúque prorsùs temperaret, nulla ſe laborare ſiti, quare tum, juſculo aſſumpto, ſitire ſeſe comperiens, haud boni eſſe ominis duxit.

Die inſequenti, quo feſtum fuit Dominici Corporis, togatum miſit, cuius ſuprà aliquoties meminimus, celebrem Iuris anteceſſorem Hannibalem Fabrorum, qui cum hoſpitibus verſaretur. Ipſe totum diem decubuit ac præter febrim, dolorem renum, hæmorrhoïdúmque perſenſit. Die alio ſecta ipſi vena, & perſeuerante febre, balneari aqua interdictum. Sub veſperam decimi tertij dolor capitis, cum febre increuit. Sequente paullò meliùs habuit, voluítque redeunte Pariſios Curſore, qui à Valaveſio literas detulerat, manu ſua reſcribere: attamen poſtquàm ter tentauit, térque calamum, cuius vitium eſſe opinabatur, commutauit, tertio tandem verſu ita manus hæſit, vt illa poſtrema ipſi fuerit inſcriptio. Cùm interim Ioanni Saluatori, quo Medico tum vtebatur, de apparanda potione ægrè conſenſiſſet, hauſit illam proximo mane: & ſe ab ea non malè habens, in curas varias incubuit.

Die decimo ſexto literas ad Fratrem dictauit, quibus morbum extenuaret; & ſub noctem tamen apparuere illi ad dorſum frequentiſſima exanthemata ſatis magna, ac rubicunda. Subſequutum eſt febris incrementum, & nox inſomnis penitùs. Hinc die alio ſub veſperam eductus eſt ſanguis ex interiore dextri pedis ſuffragine, vt auerteretur delirium, quod in morbis huiuſmodi & frequens, & vehemens erat. Ac die quidem conſequente, quia iam difficilior facta reſpiratio, tentatus delirio non fuit; ſed fuit tamen decimo-nono, agnoſcente me, ac veſtigia eruditionis obſeruante. Die vigeſimo, quo non tanta fuit, quanta ſuperioribus, ſtranguria, aliquantò ſe meliùs habuit; niſi quòd à meridie delirium apparuit paullò ſenſibilius; tametſi id fuit ſemper eruditum, mihíque duntaxat perſpectum. Nimirùm & me ferè vnum alloqui volebat, & parùm prorsùs loquebatur, & ſubmiſsè, difficilè, ac lentè expromebat verba.

Die ſequente delirium fuit adhuc vehementius: ſed vehementiore nempe facta febri, per quam denuò apparuerunt plurima exanthemata; & qua nonnihil viſa remitti, cucurbitulæ applicitæ fuerunt. Cùm videretur proinde tam Saluatori, quàm Priſio Inſulano Medico periculosè laborare, prouidendum nobis fuit, ne abſque ſalutifero Viatico exiret è viuis. Re illi propoſita, annuit, Sacrúmque præterea intra cubiculum audire vigeſimo ſecundo optauit. Quare memoratus Minutius, ex Minimorum Ordine, licentiâ ab Archiepiſcopo impetratâ, & Sacrum fecit, & Sacramentum Euchariſticum illi miniſtrauit. Excepit priùs confeſſionem optimus Rector Congregationis Oratoriæ Iacobus Reſins, qui pridem, dum ille incolumis foret, excipere conſueuerat. Peracta hæc ſub horam nonam, cùm ille continenter ſellæ inſediſſet, cui imponi ſe iuſſerat, vt facere poſſet vrinæ dimanationem faciliorem.

Defeſſum nimis arbitrabamur, cùm loco emoueri renuit, ſemouerique arbitros iuſſit, vt capita quædam Teſtamenti dictaret. Præcipua fuêre, Velle ſe condi in Majorum ſepulcro; intra Sacellum videlicet Eccleſiæ Dominicanorum, quod ad cornu læuum majoris altaris, Legare ipſis Dominicanis libras Turonicas trecentas, Oratorij Patribus mille. Mihi Mathematicos libros omneis, cũ inſtrumentis omnibus, & ex libris cæteris, arbitrato

arbitratu meo volumina centum, cum Vendelini effigie. Scipioni Peterio, in pignus affectus, Florentinorum Pandectarum exemplum; Hannibali Fabroto volumina de Iure ſex, pro arbitratu deligenda; Balthazari Viaſio ſex numiſmata, pro eius delectu; Arthuro Oliuario ex antiquis annulis vnum; Bonifacio Borrillio iconem Rubenij. Nepoti, luſtricis filiolis, Viris officioſis, famulis (quos inter meminiſſe voluit Antonij Agarrati, operam mihi inter obſeruandum res cæleſteis conferentis) ſummas pecuniæ varias. Illi, quem ad aurem Fratri nominârat (euentus autem Cardinalem Barberinum fuiſſe probauit) Pentateuchum Samaritanum. Hæredem inſtituere Fratrem, & teſtamenti curatores Honoratum Agutium Senatorem, & mox nominatum Balthazarem Viaſium. Id cùm in acta fuiſſet relatum, publicatúmque ſub veſperam, ſubſcribere ipſe, præ debilitate, non potuit. Vrina interim retenta, tumórque magnus, ac intenſus ad ipſam veſicæ regionem ſubortus.

Die vigeſimo tertio manè, ſatis quietè ſe habuit, ægréque tulit fomenta quædam tumori illi applicari. Circiter meridiem hortatus eſt me, ne Solis altitudinem inobſeruatam præterirem; meminítque interrogare, Solſtitiúm-ne exactum foret. Nō multò pòſt, verba delirij; ſed curioſi ſemper, atque eruditi. Sub horam quartam, educenda Chirurgi ope vrina fuit. Is, cùm cereâ candelâ vſus nihil proficeret, catheterem, ſeu organum Algaliam dictum vſurpauit. Et ſatis quidem tum deriuatum; ſed immenſo Viri labore, qui, cùm ſtare ipſe non poſſet, continendus erectus fuit. Cùm non-nihil interquieuiſſet, epiſtolium ad fratrem dictauit: ac poſt horam nonam Chirurgus iterùm vrinam eduxit: verùm parùm abfuit, quin deficeret tanto dolore, tanta ſimul laſſitudine fuit affectus.

Die tandem vigeſimo quarto, ſe ſub ipſum exortum Solis, rogauit illum Minutius, num ſibi extremam Vnctionem adminiſtrari pateretur. Annuit ſe id etiam optare; & cùm paullò pòſt Parochum adeſſe renunciauimus, Valde ſum ipſi obſtrictus, inquit. Tum innuens vt aurem ſibi admouerem, mandauit curarem libras duodecim Parocho exeunti donari. Sic ſemper ſollicitus fuerat de perſoluendis tam Medico, quàm Chirurgo in quaternos dies honorariis. Cæterùm, cùm abſolutiones à Parocho pronunciarentur, ipſe ſponte, ac manu ſua ſeſe Crucis ſigno communiit. Teſtatus eſt etiam oblectari ſe, cùm inunctio perageretur. Adſtiti deinde, ac iuſſi bono eſſe animo: nam ſi Deus quidem hanc vitæ, laborúmque metam præſcripſiſſet, fortiter ferendum, ſequendúmque Ducem, quo ſolitus erat animo infracto. Hæc autem ad verba annuit leniter. Pronunciauit poſteà Minutius generalem abſolutionem; &, cùm propoſuiſſet dimittendum aliis, vt vellet ſibi à Deo dimiſſum, quicquid in ipſum peccauerant: reſpondit ſtatim, ita eſto.

Interim regio abdominis, quam prætumidam, intenſámque jam diximus, emolliri non-nihil viſa, ita deinceps tenſa eſt, vt queſtus fuerit ſe ſuffocari. Abnuerat à die ſuperiore cataplaſmata; tum autem ſuperueniens Reſius, vnà cum Minutio, rogauit, vt Dei amore applicationem pateretur. Ille autem, quia ergo vobis ita videtur, ita fiat. Non longũ tamen pertulit tempus; ſed amoueri breui pòſt iuſſit; ſuffocari ſe iterùm conqueſtus. In remedium ergo ciendæ vrinæ quæſitus Chirurgus; ſed is in villam neſcio quam, aut quid acturus diſceſſerat. Requiſiti alij, vel manum adhibere auſi non ſunt, vel deſtituti organo fuerunt. Iuſſit intereà ſe ſellæ imponi, verùm, demiſſis pedibus, ſuſtentare ſe iam ampliùs nihil potuit; imò ſupra ſellam ita eſt collapſus, vt dejecto collo, diſtortíſque oculis viſus fuerit nobis animam efflare.

Reſtitutus lecto ſic vireis reſumpſit, vt potuerit adhuc de ſuffocatione queri. Aduenēre tum primus Præſes, ipſiúſque conjux, qui Curſorem nouum ad Chirurgum euocandum inſtigârunt. Accerſito interim alio, in exſcenſu lecti conſtitutus fuit; ſed Chirurgo fruſtrà adnitente, ob corrugatum præputium, catheterem inducere, eſt iterùm planè collapſus. Reſumpſerat aliquid virium, cùm Chirurgus alius ſub meridiem redux organum vix tandem intruſit, vrinámque fruſtrà excitare tentauit: ac ipſe defecit jam tertiùm, lectóque licèt repoſitus, parùm virium recuperauit. Verbum certè nullum deinceps emiſit; tametſi creberrima illa, difficillimáque reſpiratio viſa eſt interdū vocalis. Hinc à Reſio admonitus, vt Seruatoris IESV nomen ſalutiferum pronunciaret, obſecundare non potuit; & rogante illo, vt ſignum pietatis, quale poſſet, oſtenderet, oſtendit aliquoties, oculis ſublimè elatis. Denique tot laboribus, doloribúſque conflictatus, animum Deo reddidit, paullò ante horam à meridie tertiam: cùm vixiſſet annos LXIII. menſeis VI. dies XII. horas XX.

Ab exceſſu, curauit Nepos perhonorificum apparari funus. Et quia tum domi verſabatur plaſtes, ſculptórque egregius Petrus Pauillonus, quem ὁ μακαρίτης ante duos menſeis Roma redeuntem detinuerat, vt & truſcam Dianæ ſtatuam, & Tripodem lacerum, & opera alia marmorea reſtitueret; ideò vſurpata illius induſtria, vt gypſeum plaſma deformaretur ex totius oris dimenſionibus, quò deinceps ſtatua quam-ſimillima ex marmore conficeretur. Medicis quoque viſum eſt parteis corporis internas ſpectare, vt mortis cauſam, licèt non foret prorſùs obſcura, perſpicerent. Itaque nocte conſequente in id incubuerunt, exſectóque cadauere, deprehenderunt cor, jecur, pulmones, cætera non malè affecta: veſicam verò parte anteriore id contraxiſſe vitium, vt madefactæ papyri inſtar, vel leui tactu diſcerperetur. Hinc creditum illam ab vno, alteróve die diſruptam, vrinámque proinde effuſam in regionem abdominis, memoratum illum tumorem creaſſe. Poſtica pars ſana, & integra magis: in fundo autem copioſum phlegma, cum arenulis non admodùm multis. Ad ſphincterem

caruncula, calloſáve ſubſtantia fuit, quæ infernè lunulata, & triente propè digiti denſa meatus orificium obſtruebat. In ſiniſtro rene nihil inſolitum: at in dextro fuère arenulæ multæ, cum pleriſque calculis, ex quibus tres majores viſi; vnus quaſi amygdalum: cæteri duo quaſi lupini. Ex hac ergo cauſa nephritis ad dextrum latus fuerat; vt ſtranguria ex obturato per carunculam orificio. Inſequenti die, qui fuit VII. Kal. Quintilis, elatum funus magnâ pompâ, magno omnium bonorum luctu; conditúmque fuit, dum ſacra ſolemni more peragerentur, in illo majorum conditorio, ad ædem Diui Dominici, vndecimâ horâ ante-meridianâ.

Aberat magno ſuo dolore Valaueſius frater Pariſiis, cùm triſte fatum nunciatum eſt. Præter enim acerbitatem, deſideriúmque erepti cariſſimi capitis, mœſtitiam auxit, quòd aſſidere laboranti non contigiſſet, quòd non fouere deficientem, non ſatiari vultu, & complexibus, non mandata excipere, non extremas voces, quas penitùs menti figeret, audire. Qui illi caſum aperuere, literáſque noſtras ſimul reddidere, fuère eximij Fratres illi Puteani, quibus amicis optimis Fratrum vterque ſemper eſt vſus. Ex iis natu major Petro Seguerio Cancellario carus, rem illi nunciandam ſuſcepit: Cùm ipſum verò offendiſſet magnâ frequentiâ circumſeptum, &, rogatur num quidpiam vellet, quid eſſet rei ſignificaſſet; tum ille, ſecedamus inquit, grauiorem enim caſum narras, & vir ille major, affiníſque carior nobis exſtitit, quàm vt obiter dolendum videatur. Valaveſius autem, conſternatus licèt, generosè tamen animos reſumpſit, & Cardinalem Lugdunenſem conuênit, qui ipſe quoque pro amore, quo erga Fratrem fuerat, teſtatus eſt inſignem luctum. Acceſſit etiam ad maximum, & toto Orbe, totóque æuo celebrandum Ioannem Armandum Pleſſeum Cardinalem Richelium, qui & copiosè ſignificauit quàm caram haberet τοῦ μακαρίτου memoriam, & Abbatiam Aquiſtrienſem vltrò collatam voluit eius ex ſorore nepoti, ac Præſidis rationum primi Henrici Seguirani filio. Aduenîens deinde poſt vnum, alterúmve menſem in Prouinciam, nihil potiùs habuit, quàm iuſta perſoluere, adeſſéque etiam exſequiis, quas, conſtituto Cenotaphio, Rianſienſes celebres fecerunt. Scripſit quoque illicò Genuam, vt marmor inde aueheretur, erigendo monumento, quod & Fraterno nomini & amori mutuo eſſet conſentaneum.

Cæterùm ſtatim percrebuit rumor, interiiſſe Peireſkium, quà Orbis patet literatorum; qui vniuersè perculſi ſunt, quaſi Parente, ac Principe rei literariæ defuncto. Nempe cùm omnium ſpes foueret, animos omnium erigeret, omnibus præſidio, & auxilio eſſet; non potuère omnes non frangi, concideréque animis, quaſi ſubducto ſpiritu, quo vniuerſi animabantur. Statim autem dico: nam ecce Lugduno etiam Batauorum, III. Eidus Iulias datæ à Salmaſio ad Puteanos literæ ſunt, quibus ſe ineptum ad omnia ex renunciata morte perſcripſit. Et ne prætercam quæ ſubdidit, *Impar ſum*, inquit, *animo firmando, qui animo planè deſpondeo, ſtudiáque nullo habeo loco, ex quo ille non ſupereſt, qui ipſorum fautor, promotórque erat. Ac temperaretur quidem deſiderium, ſi licuiſſet ſuperſtiti teſtatum facere affectum, quem ob collata beneficia merito iure conceperam: nunc autem eſt mihi moriendum ingrato, quando ille eſt grati animi ſignificationi præmortuus. Quod poſſum, illud ſupereſt, vt ipſius memoriam veneratione proſequar, & ſcriptis meis ea tranſmittam teſtimonia in poſteros, quæ incomparabilis virtus, meritáque nunquam ſatis æſtimanda depoſcunt ab homine, qui illum, dum vixit, ſuſpexit, pluráque ab ipſo beneficia, quàm abs quoquam mortalium tulit. Sed dicere plura non poſſum, quin effluam totus in lacrymas, & neceſſe eſt ſtylum heic abrumpam.* Ecce aliunde literæ Româ poſtridie eas Eidus conſcriptæ à Naudæo ſunt, quibus hæc inter cætera, *Heu rerum vices! heu fata infanda! heu mors acerba, & infenſa bonis omnibus, quæ geſtienti lætitiæ interceſſit; Viro illo incomparabili, tunc cùm nihil minùs, quàm de eius obitu timebatur, è viuis ſublato! Vbi enim crinitum Sidus effulſit? vbi de cælo innotuit? vbi terræ-motus, fragores inſoliti, ſpectráque, & portenta apparuerunt, in eius Viri, omnium maximi, omnium optimi, ſapientiſſimique interitu? ſanè ludunt nos*, &c. Alias prætereo literas, in quibus illa paſſim leguntur, *Nulla ferent talem ſæcla futura virum.* Et, *Quando vllum inuenient parem?* Et, *Occidit igitur ſpes noſtra? occidit Sol noſter? occidere Charites? occidere generis humani deliciæ? occidit ille, Solus qui triſteis hac tempeſtate Camœnas reſpexit?*

Alias etiam prætereo, quibus amici, eruditíque, in quorum pectoribus candor, & gratitudo inhabitat, vt dolorem teſtati ſunt, ſic conſolationem mutuam adhibuerūt. Peruenère ad me complures; ſed principem locum eæ tenent, quibus Io. Ludouicus Gayus Balzacus, celebris ille ſcilicet, cui nemo non Gallicè modò, ſed Latinè etiam ſcribentium elegantiæ palmam non facilè cedat, ſingulariter parentauit. Prætereo ruſsùs Epicedia, Epitaphia, Threnos, Encomia, Elogia, quæ tam proſa, quàm carmine, variíſque linguis ſunt euulgata; ſed Latinè potiſſimùm, à Grotio, Rigaltio, Dumayo, Gothofredo, Gaffarello, Billono, & aliis; ex quibus nemo ſuccenſeat, ſi honoris cauſâ Viaſſium ſeponam, qui vt Peireskium ſummè coluit, ac ſummo illi in pretio fuit; ita ſe impigrum exhibuit in condendo Poëmate, quo laudes Viri egregias proſequutus eſt decentiſſimè, copioſiſſiméque. Quanquam operæpretium erit, ſi prætereà ſelegero, attexuerôque Epitaphium, quod à Rigaltio contextum eſt, quódque Valaveſius delegit, vt monumento incidatur. Id igitur ita ſe habet

HIC. SITVS. NICOLAVS. FABRY. PEIRESCIVS.
AMPLISSIMI. ORDINIS. IN AQVAR. SEXT. CVRIA. SENATOR.
CHRISTIANAM. RESVRRECTIONEM. EXPECTAT
RECONDITISSIMOS. ANTIQVARIÆ. SVPELLECTILIS. THESAVROS.

SAGACI

SAGACITATE. CONSILIO. LIBERALITATE.
CVNCTIS. ORBE. TOTO.
DISCIPLINARVM. STVDIOSIS. APERVIT.
DOCTISSIMIS. VNDE. PROFICERENT. SÆPE.
MONSTRAVIT.
MIRA. BEATITATE. FELIX.
SECVLO. SATIS. RIXOSO. NOTISSIMVS. SINE.
QVERELA. VIXIT.
VIII. CAL. IVL. ANNO. CHR. CIƆ.IƆC.XXXVII.
ÆTATIS. SVÆ. LVII.
OPTIMO. VIRO. BONOS. OMNES. BENE.
ADPRECARI. DECET.

Enimverò præterire non decet funebreis honores Romæ habitos; cùm vel reticeri non debeat callida virtutis æſtimatio, qua viri ſapientiſſimi etiam hominem Tranſalpinum condecorandum eſſe cenſuerunt. Cùm enim & Pontifex Summus, & Cardinalis Barberinus, & cæteri magni, ac eruditi homines non ſine ingenti dolore lugubrem caſum accepiſſent; placuit honores decernere, quibus Virum de nomine, orbéque Romano, atque literario bene meritum, exornarent. Cooptatus fuerat, dum in viuis eſſet, ac tametſi abſens, in eam, quam vocant *Humoriſtarum* Academiam: celebrem nempe ſocietatem eruditiorum hominum, quorum concio bis quoque menſe ita cogitur, vt magnâ aliunde frequentiâ, Academicorum vnus Orationem pro ſuggeſtu habeat, recitent alij Poëmata, elucubrationéſque alias eruditis auribus dignas. Itaque viſum in eo conuentu publicos honores Peireskio deferre, inſtitutis licèt reclamantibus, quibus id honoris conceditur ſolùm Academiæ Principibus; adeò vt totis quadraginta annis, conſequuti ipſum non pluses, quàm ſex, iíque Principes memorentur. Sed euicit nimirum famæ, ſplendórque eximiæ virtutis; euicit ſummi Cardinalis ſingularis propenſio: euicit Camilli Columnæ Academiæ Principis generoſa humanitas; euicit Academicorum, quorum ſuffragia inita ſunt, admiratio, & obſeruantia.

Indictus proinde eſt dies ad XII. Kal. Ianuarias, quo parata ſubſellia, tapetibúſque pullis inſtrata, vnà cum ſuggeſtu, & imagine τ *μακαρίτου*, conſpicuo loco. Conuenêre autem præter Barberinum, fratrémque Antonium, Cardinales Bentivolus, Cueva, Biſcia, Pamphilius, Pallota, Brancatius, Aldobrandinus, Burgheſius: ac cæterorum perillustrium, doctorúmque hominum multitudo tanta, vt illi capiendæ aula non ſuffecerit. Et carmina quidem in defuncti laudem Italicè, Latinè, Græcè recitârunt lectiſſima totius vrbis ingenia: funebrem verò orationem copioſam ſanè, & elegantem pronunciauit Ioannes Iacobus Buccardus delectus ad id muneris, tum ob raras ingenij dotes, tum ob amorem patrium, ſpecialémque erga Maneis dilectiſſimos affectum. Præcipua eius orationis commemorarem capita; ſed ea aliquoties edita iam eſt, vnà cum nuncupatione Cardinali maximo facta, eúmque ſubiuncta Epiſtola ad Luillerium iam memoratum. Acceſſere verò editioni Romanæ non recitata modò illa ab Academicis carmina; ſed literæ etiam Naudæi, quarum mentio facta iam eſt; & faſciculus prætereà inſignis Elogiorum funebrium, quæ, quòd totius propè Orbis idiomatibus ſint expreſſa (quadraginta enim, proximéve ſunt) ideò titulus ipſis ΠΑΓΓΛΩΣΣΙΑ, ſiue *generis humani* LESSVS *in funere delicij ſui.* Cumque ea editio probari deberet, Magiſtro ſacri Palatij, præiuit ecce, declarauitque cenſurâ ſuâ Lucas Holſtenius, illam *Buccardi laudationem disertè, & eleganter, atque ea prorsùs puritate, ac candore ſcriptam, quo ſummus ille, & incomparabilis Vir ſemper vixerat; & Epicedia à clariſſimis, ac præſtantiſſimis viris conſcripta, hoc eſt ipſas Muſarum lacrymas limpido, & erudito Romana Academia humore in Peresciy funere mananteis ad tanti viri memoriam poſteritati conſecrandam typis excudenda; cùm hominis ad bonas literas, arteiſque iuuandas nati exemplum ſanè illuſtre ob oculos ponant.*

Atque hæc quidem Romæ peracta paullò fuſiùs commemoro: quoniam ea fuit quaſi Apotheoſis, quam totius Orbis applauſus excepit. Nam licèt nemo eruditorum non totis votis optauerit, vt Peireskius fuiſſet diuturnior recreator hominum (quod olim dictum de Principe) quàm maturior Diuorum comes: attamen placuit omnibus exhibitos illi poſt mortem honores in eo theatro, cuius fuerat digniſſimus creditus, dum eſſet in viuis. Ac fortaſſis quidem, ſi eſſe contigiſſet ſuperſtiti, fuiſſent tandem ampliſſimi, non expetenti licèt, delati; verùm ij nihil poterant gloriæ illius addere, qui ſuffragiis communibus fuit ſemper quam-maximis dignus. Quin-etiam, vt fuit ſemper ditior iis, quas contempſit opibus: ita glorioſior honoribus, quos ambire eſt dedignatus. Quare & licèt medio in ſpatio integræ ætatis ereptus, quantùm tamen ad gloriam ſpectat, æuum peregit longiſſimum; qui virtute ſua obtinuit famam nominis ſempiternam. Quippe donec ſupererunt, qui bonas literas amabunt, memoriam illius cariſſimam ducent, cuius amorem in literas, & munificentiam erga literatos, per omneis reſperſam libros contuebuntur. Multorum paſſim meminimus; ſed reticuimus longè plureis, etiam ex inſcriptis eius omnibus; quoniam obrutis rerum copiâ, viſum ſatis eſt ea ſeligere, ex quibus, quæ eſſent in oculis omnium, monſtrata intelligerentur. Vnum reticere non licet, quod huius loci eſt proprium; nempe Auctores plurimos conſecranda illi deſtinaſſe ſua opera, quo tempore eſt fatis functus. Fuêre inter illos Campanella, Licetus, Hortenſios, Buccardus, Arcoſius, & quis tandem non? Quid putas verò præſtiturum fuiſſet, ſi contigiſſet illi ætatem maturiorem attingere? Plurima ſanè, & maxima cenſeri poſſunt ea, quæ peregit: at ſublatus tamen tunc eſt, cùm inciperet iam ſeipſum præclariſſimis facinoribus ſuperare. Iam enim plureis ſibi vias aperuerat in omneis Europæ Prouincias: in Aſiam, ac totum Orientem; in vniuerſam Africam,

& ad extremā vſque Æthiopiam; in vtramque Americam, & incognitum etiam Orbem; adeò vt iam poſſet vberiùs quacumque patet genus humanum, commiſcere mortaleis omneis literarum commercio; & literatis omnibus expetita omnia librorum, aliarúmque quarumvis rerum ſubſidia facere in promptu.

Sed de iis quidem, quæ fuerant illo ſuperſtite futura, DEVS optimus viderit. Luctum certè maximum fecit; cùm Gubernatorem eripuit, qui tenebat clauum Nauis Literariæ, vel potiùs ipſam Cynoſuram, in quam eruditi omnes reſpectabant; non ſubſtitutâ interim aliâ, ad quam ora obuertant ſua. Nam ſunt quidem, qui opibus, auctoritate, gratiâ, certum genus eruditionis, eruditorúmque adjuuent, ac foueant: verùm nemo eſt, qui, illius inſtar, quoſlibet, vbivis ſint gentium, ſtudio proſequatur ardentiſſimo; curas in id omneis conuertat, nihilque non poſthabeat; peculium in eam rem exhauriat, liberaliſſiméque profundat; fide ſit apud omneis magna, & occaſiones benefaciendi voluntate, induſtria, fœlicitate maxima captet. Vix certè credibile eſt exoriturum vnquam Virum, perinde natum, comparatúmque. Nam & quamvis ſuperior ætas, fœlicitate ſæculi oppidò perrara, produxerit triumviros illos, Pinellum, Velſerum, Molinum, ſingulari ſtudio in omne literatorum nomen propenſos: Peireskius tamen ſuperuenit, qui ſingulorum virtutes ita eſt complexus, vt omnium laudes, quaſi infra ſe poſitas, prægrauaſſe videatur. Quin-etiam, cùm ante claros illos Viros, vix pauci memorentur Reges, Imperatoréſque, qui pari affectu ducti fuerint; videtur Peireskius alia nulla re, quàm opum amplitudine, oſtentationéque inferior. Cenſuère id certè Viri eruditi, cùm verè regium, magnificúmque eius animum commendantes, & exemplar beneficentiæ nunquam intermoriturum agnoſcentes, prædicauerêre eum occupaſſe deſtinatam Regibus gloriam; ac ipſo quoque Mecœnate tantò fuiſſe laudabiliorem, quantò Auguſtum non habuit, cuius fauore, largitionéque benefaciendo vteretur. Atque is demùm verus eſt fructus, quem ille conſequutus eſt, vt gratam ſui recordationem in illorum pectoribus conſecratam reliquerit, qui ipſum Cælo exæquantes, in omnem tranſdent poſteritatem. Splendorem quærunt alij amplificandis Imperiis, ducendis exercitibus, exhibendis ſpectaculis, Mauſolæis, Pyramidibus, aliiſque id genus exſtruendis; ſed illos tamen velut inglorios, & ignobileis obliuio tandem obruit; aut, ſi quæ memoria eorum ſupereſt, vel deſpectui eſt, vel affectu caret. Ij ſoli, qui benefaciendo nomen, decúſque comparant, immortalitatem ſic adipiſcuntur, vt nemo vnquam ſine ardore, tacitóque ſenſu gratitudinis meminiſſe illorum poſſit.

HAC iêre via omnes Proceres, ad quorum amorem poſt tot ſæcula nos hiſtoriæ lectæ pelliciunt; hac tu vadis cæleſti paſſu, LVDOVICE VALESI, PRINCIPVM OPTIME; cuius immenſa bonitas ſentiri à nobis, non exprimi poteſt. Haud abs re ſanè ſum ominatus, tam caram tui memoriam, quàm Timoleontis perennaturam: tuliſti me enim, ſatis memini, de exacta illius vita apud Syracuſios, quibus præerat, diſſerentem. Quippe, neglectis rebus tuis, in eam curam totus incumbis, vt laborantem Prouinciam ſuſtentes, foueas, ſubleues, & (ſi liceat per tempora) in priſtinum etiam ſplendorem reſtituas. Perge modò tam tui amanteis, tam in te propenſos demereri populos; ij nempe ſunt, qui etiam-num RENATI illius, ex tua proſapia, Regis optimi, ac beneficentiſſimi, renaſcentem gloriam propagant, & colunt. Sed vt concludam, hæc tandem ſunt, quæ te jubente, ac aliis variè efflagitantibus, de Peireskio dicenda habui. Non deprecor veniam, quòd extremā manum ſeriùs, quàm optâris, imponam: noſti enim diuturnum morbum, diuturnioréſque reliquias, quibuſcum eſt anni dimidium exactum. Vix jam certè ſum ab iis liber, vt credere poſſis opuſculum hoc valetudine dubia lucubratum fuiſſe, atque idcircò nihil eſſe mirum, ſi animi cum corpore languentis præ ſe ferat notas. Qualecumque id fuerit, animi ſaltem erga te obſequentiſſimi teſtimonium feret. Ipſe intereà me comparo, vt ad te (quando pro tua illa rariſſima humanitate ita videtur) quam primùm redeam. Tu bene vale, PRINCIPVM DECVS. Abſoluebam Diniæ, XII. Kal. Mart. anno ſalutiferi partus M. DC. XXXIX.

FINIS.

PEIRESKII

PEIRESKII LAVDATIO

HABITA IN CONCIONE FVNEBRI ACADEMICORVM ROMANORVM.

Anno M. DC. XXXVII. Die Decembris XXI.

Jo. Iacobo Buccardo Pariſino perorante.

PRÆCLARE à vobis, & ex ordinis, nominiſque veſtri dignitate factum eſt; Academici Romani; quòd clariſſimo Viro Nicolao Claudio Fabricio Pereſcio, Gallorum humaniſſimo, atque doctiſſimo, publicos in morte honores, funebrémque laudationem decreuiſtis. Si enim pius mos iſte à maioribus veſtris, maximè ad eos homines, qui de Republica bene meriti eſſent, ornandos, & ad omnem poſteritatis memoriam commendandos inſtitutus eſt: tanta quidem, ac tam præclara extant Pereſcij merita, atque ornamenta, in eam Romanæ Reipublicæ partem, quæ doctrinæ, atque humanitatis ſtudia complectitur; vt non ſolùm labefactatæ rei literariæ inuidiam à Tranſalpinis nationibus remouiſſe, ſed & ipſorum Romanorum gloriam in colendis artibus adæquaſſe, vel potiùs ſuperaſſe videatur. Omnes enim ex omni ætate, qui in hac ciuitate diſciplinas, & ſcientias, vel induſtriâ ſuâ illuſtrârunt, vel authoritate, atque liberalitate, ornauerunt, ſi vnum in locum conferantur, cum Pereſcio minimè videntur comparandi. Qui cætera denique omnibus virtutibus adeò excellit, vt etiam hoc vno ætas noſtra potuerit in omni genere laudis, cum antiquitate certare. Quo maius mihi, ac difficilius onus impoſitum eſſe video; vt ego ſcilicet mediocri prorſus ingenio, nullo dicendi vſu, aut facultate, homo peregrinus; in hoc ornatiſſimo Romanorum, id eſt diſertorum politorúmque hominum conſeſſu, de innumeris, ac propè incredibilibus Viri laudibus verba faciam. Quod quidem à me nec confidentia, aut temeritate quadam ſuſceptum eſt; Eruditiſſimi Academici: ſed tum mea in vos obſeruantia, qui munus iſtud honorificentiſſimo veſtro decreto, ad me detuliſtis; meóque in eos obſequio, qui vt ſummum in me tenent imperium, ita illorum autoritatem, meo de me iudicio præferre neceſſe habui: tum verò maximè beneuolentia, atque pietate; quæ me ad gratias, quas viuo Pereſcio magnas ſemper habui, mortuo demùm, hoc ſupremo humanitatis officio referendas, pro eius in me meritorum magnitudine impulit. Cùm enim in patria vitam ſtudiis, quibus vſque à puero deditus fui, maximè accommodatam, viuere mihi per parentes non liceret; dum me in forum, & ad Curiam ooleotem trahunt: Lutetia ampliſſima, potentiſſimáque vrbe ſponte carens, ad hanc veſtram, in voluntarium exilium venire tandem decreui: ex qua nimirum religiones, leges, literas; omnem denique rerum omnium cognitionem, omnem vitæ elegantiam, ad nos olim effluxiſſe, cùm librorum lectione cognoueram, tum eadem hæc omnia, nunc ſub humaniſſimo, ſapientiſſimóque Pontifice, in ea magis magíſque vigere, ex eruditis noſtris hominibus intelligebam. Quibus potiſſimùm Autoribus, cùm Pereſcium rerum Romanarum gnariſſimum, ex itinere conueniſſem: is me & liberali hoſpitio, atque in intimam accepit amicitiam; & cum tam præclaris de huius ciuitatis inſtituto præceptis, atque ita graui ad literatos primarióſque vrbis Viros commendatione, Romam ex Prouincia decedentem proſecutus eſt, vt ſtatim ſub meum ingreſſum, non ſolùm populi ingenium, publicóſque mores cognouerim, méque eis accommodârim facillimè: ſed etiam in veſtrûm omnium; Eruditiſſimi Academici; conſuetudinem me inſinuauerim, & quod maximum eſt, in ſummorum Virorum rei, & publicæ & literariæ principum familiaritate, eum qui non niſi claris, doctíſque hominibus eſſe ſolet, locum obtinuerim. Quare impius profectò, ne dum ingratus apud vos, cæteróſque omneis haberer; cùm literatiſſimos quoſque maximè Italos, laudatione poſt deceſſum proſequi olim inſtituerim; ſi hodierno die omnium doctiſſimum, mihíque patriæ, neceſſitudinis, & beneficij vinculis coniunctiſſimum Virum, laudandi munus, quantumvis arduum, ac difficile recuſarem. Itaque rem aggrediar magni nominis, magni exempli; nouitatis, admirationíſque pleniſſimam: & quantum eloquentiæ ad id mihi deeſt, tantundem cùm à ſingulari mea in præſtantiſſimum Virum pietate perceptique ex

eius obitu doloris magnitudine; quæ nonnunquam diſertos ac copioſos facit: tum à veſtra beneuolentia; Patres Ampliſſimi, vóſque cæterj Ornatiſſimi Viri; veſtráque in me attentè audiendo benignitate, mutuari, atque adeò ſupplere conabor.

Nicolai Claudij Fabricij Peireskij vitam; quæ ſupra huius ætatis hominum captum, morémque putanda eſt; cum illis antiquorum præſtantiſſimis, ac beatiſſimis comparanti mihi; vna præ cæteris Titi Pomponij Attici, par adeò, & ſimilis viſa eſt; vt eam intereà dum ad alia propero, quæ expectationem de Claudi Fabricij doctrina, literarúmque ſtudio, à me ab initio concitatam magis expleant; veluti abſolutiſſimam tabulam vobis proponendam cenſuerim: in qua expreſſam Peireskij ingenij, virtutúmque imaginem videatis. Ambo ſiquidem nobilibus, literarúmque ſtudioſis geniti parentibus, peritiam in liberalibus doctrinis, ſicut adoleſcẽtiam in literata peregrinatione, apud exteros Principes, doctóſque Viros honoratiſſimi conſumpſere. Ambo magnas, & amplas in patria geſſerere amicitias: bonos viros, & ſtudioſos, tam ab aliena iniuria, quàm à mutua inter ſe obtrectatione; necnon ab egeſtate vindicauere. Domi, in quam vterque omnium ordinum homines liberaliter inuitauit, plus ſalis, quàm ſumptus in victu; velut in cultu non affluentem affectauere munditiam. Optimis alioquin omnibus rebus vſi, familia in primis, vt ne pediſſequus quidem quiſquam eſſet, qui non & anagnoſtæ, & librarij munus pulchrè præſtare poſſet. In Republica, quæ vtriuſque temporibus varia admodum commutabiliſque fuit; ita ambo verſati ſunt, vt ſemper optimarum partium eſſent. Honores verò, qui in eà ſibi patebant, non petierunt: ſed ordine, quo orti eſſent, contenti, in vetere vitæ inſtituto, id eſt in ſtudiis maximè Philoſophiæ, atque Antiquitatis; ſuauiſſimis, optimiſque moribus, ad ſenectutem bene, beatéque vixere.

Hæc pauca ex multis exempli causâ attuli, vt ſic deinceps habeatis: omnium Titi Pomponij virtutum, quarum pulcherrima extant in antiquitate monumenta; maximè temperantiæ, probitatis, atque prudentiæ laudem, Peireskio eſſe communem. Quamobrem iam ad illas venio, ad quas dudum feſtinat animus, quæ Claudij Fabricij adeò propriæ, támque ſuæ ſunt; vt nemo ex omni ætatum memoria, cum ipſo de earum gloria contendere, vel in ſocietatem venire poſſit. Nimirum aſſiduus, ac propè incredibilis labor, egregiáque opera, in omnium magnarum rerum, atque artium ſcientia, literarúmque cognitione percipienda: ardens in eas conſeruandas, amplificandáſque ſtudium, acriſque cura: perpetua denique, & conſtans voluntas, in homines literatos ornandos; & regia in ea omnia liberalitatis magnificentia. In quibus perſequendis, ea veritatis ſimul ac breuitatis ratio à me habebitur; vt remoto omni inſigni orationis ornatu; ſimplici, ac planè hiſtorica narratione, Peireskij ſtudium, liberalitatem, & in commentando, ſcribendóque diligentiam, rei literariæ præſtitas, ſummatim exponam.

Gens Fabricia, poſtquam ex Equeſtri ordine, apud quem per trecentos, & ampliùs annos, militari gloria floruerat, in Senatum Aquenſem cooptata eſt; ita ingenio, & doctrina excelluit, vt non ſolùm ampliſſimæ dignitatis, ſed etiam ſummæ eruditionis, in quartam ſobolem propagatæ hæreditas, vnà cum ſatis lauta literaria ſupellectile, ad Nicolaum Claudium Fabricium venerit. Qui cùm auitas ſtudiorum maximè, atque doctrinarum poſſeſſiones, non ſolùm tenere, immò etiam aliquid, atque adeò multum illis addere de ſuo decreuiſſet; omnem curam, ſumptúmque poſuit, in ornando potiſſimùm, atque amplificando eo inſtrumento, quo in optimis artibus comparandis, magno prorſus opus eſt. Quamobrem vbi optimos quoſque libros, primùm ſibi vndique colligendos; deinde auro, purpura, omni denique eleganti, & magnifico opere ornandos, per egregios artifices, qui ſuæ domi viuebant, diligenter curaſſet; illóſque omneis diligentiùs euoluiſſet: nihil quidquam habuit antiquius, quàm vt tota Europa peregrinaretur; non ſolùm ad hominum, qui tum viuebant, mores, ciuitatúmque inſtituta noſcenda: ſed vt tanquam in rem præſentem veniens, eáque demùm ſubiiciens, quæ auditione, vel lectione acceperat vetuſtiora antiquitatis monumenta acerrimè contemplaretur; ac quæcunque inde auferri poſſent, domum ſecum in Bibliothecam transferret. Quò primùm iter dirigeret, Italia ſeſe obtulit: in qua cùm ingenia præſtantiſſima, & elegantiſſima, humaniſſimi, optimíque mores, leges denique præclaræ, atque ſalutares nunc vigent; tum verò priſtinæ fortunæ, illorúmque omnibus artibus florentiſſimorum temporum, reliquiæ plurimæ ſuperſunt. Luſtratis igitur Liguriæ, Etruriæque oppidis, ad hanc veſtram vrbem, velut ad diuini, humaníque imperij domicilium, & antiquitatis atque humanitatis ſedem, magno itinere contendit: vbi fora, theatra, templa, thermas, arcus, & cryptas oculis, pedibúſque diligentiſſimè permenſus eſt; ſicut obeliſcos, columnas, ſtatuas, æra, marmora, gemmas, atque Codices; omnia denique priſcæ magnificentiæ, artiúmque monumenta; quæ in veſtrorum murorum ambitu, plura quàm in reliquo Terrarum Orbe, atque illuſtriora reperiuntur; attrectauit, & quæcunque potuit domum abſtulit: partim maximo pretio empta: partim oblata, datáque à doctis hominibus, qui, vt ſemper Romæ, tum maximè ſtudioſiſſimorum munificentiſſimorúmque Principum Aldobrandinorum tempeſtate, plurimi atque humaniſſimi fuère. Quos omneis, præcipuè Fuluium Vrſinum, & Lælium Paſqualinum, viros in colligendis, colendiſque antiquitatum reliquiis diligentiſſimos, & maximè induſtrios; ad admirationem, atque amicitiam adoleſcens Peireskij virtus, eximiáque doctrina traduxit. Eandem expectationem, fauorémque Roma Neapolim ſecũ attulit, dum verſatur cum Matthæo

Capuano

Capuano Conchanorum Principe, magis literarum amore, atque ſcientia, quàm ſumma dignitate, generis, fortunæque claro; ac Marte Gurguſtiola, in ſupremo conſilio $\overline{\text{vi}}$ - viro apprimè docto: qui ambo locupletiſſimos omnium rerum antiquarum theſauros domi habebant. Celebreis prætereà Ioannis Baptiſtæ Portæ, atque Ferrantis Imperati ædeis ibi frequentauit: quorum ille rerum occultarum, & quaſi à natura inuolutarum acerrimus inueſtigator, atque interpres: hic cuſtos, & conſeruator diligentiſſimus fuit. Et cùm hiſce rebus, non minùs quàm antiquitati ſtudium ſuum, laborémque Peireskius impertiret; conditiſſimum quémque inueſtigauit angulum, non ſolùm ampliſſimæ pulcherrimæque vrbis, ſed & totius feliciſſimi illius agri Campani; in quo iucundum, naturæ mirabilibus illic maximè gaudentis operibus, & antiquæ Græcorum, Romanorúmque magnificentiæ, ac luxuriæ, certamen ſpectaret. Italiam reliquam, omnémque Galliam Ciſalpinam pari diligentia luſtrauit: Ravennam ex itinere diuertens, vt inuiſeret, cùm funeſta illa Gothicæ barbariæ trophæa, Romani Imperij ruinis impoſita; tum maximè Hieronymum Rubeum, iſtarum antiquitatum, ac Medicinæ ſcriptorem luculentum. Inde Patauium ſe contulit, inuitatus præſertim fama, quæ de eximia Vincentij Pinelli doctrina, eiúſque refertiſſimo omnibus omnium linguarum, atque ſcientiarum voluminibus Muſæo, ita tum Europam peragrabat: vt docti homines, antiquos libros in Bibliothecam collecturi, vel ſuos edituri; ex lõginquis locis illuc ad eum conſulendum venirent. Ibi Pereſcius aliquamdiu moratus eſt, non tãtùm vt in Pinelli domum, ac Bibliothecam, ſed etiam in illius conſuetudinem penetraret: in quam ſe demùm totum dedit; ad eximium eius in literas, hominéſque literatos ornandos ſtudium, & cæteras omneis viri præſtantiſſimi virtutes cognoſcendas, percipiendáſque; quas ſcilicet imitaretur, & cunctas ipſe aliquando rei literariæ, cum maxima ad ſingulas acceſſione præſtaret. Eámque de ſe ſpem adeò magnam, ac propè exploratam iam tum illic dederat, vt Paulus Gualdus, vir & ſuopte ingenio, atque doctrina, & intima Ioannis Vincentij familiaritate clarus; in commentariis, quos de eius vita ſatis eleganteis conſcripſit, de Pereſcio affirmauerit: Ætatem noſtram, ſi quem Pinello parem ferret, non alium ab eo fore, qui Patavij vix dum plenam pubertatẽ egreſſus, eo ardore Pinellum, Pinellíque ſtudia fuerit complexus, vt ipſi Gualdo, cæteriſque doctioribus viris, miraculo eſſet. Qui quidem homines eruditi, quotquot Patavij tunc ætatem in literis beatiſſimè agebant; in primis Pinellus ipſe, & Hieronymus Aleander, atque Laurentius Pignorius, limato iudicio, ſicut polita doctrina excellentes, grauiſſimum hoc egregiæ indolis, à Gualdo tributum Peireskio teſtimonium, adeò approbauerunt, eámque in illo admirari ita amauere; vt præſenti domum quiſque ſuam, maxima cum hoſpitalitate patere voluerint; ſuáque reconditiora, tam quæ in priuatis Bibliothecis, quàm in publicis tabulariis, Patavij & Venetiis, vrbe earum, cæterarúmque rerum abundantia, florentiſſima ſeruarentur, iidem poſtea abſenti; quod plerique etiam ex reliquis Italiæ, atque adeò Europæ ciuitatibus fecere; de ſtudiis per literas communicauerint, libróſque ſuos ab ipſo, vel in eius nomine edendos honoris cauſá miſerunt. Sic florens gratia, & hoſpitiis clariſſimorum, doctiſſimorúmque hominum, vbi ſe locupletauit ſignis, tabulis, nummis, Codicibus, cæteríſve vetuſtiſſimis Italiæ ornamentis; Germania, vltimáque Britannia peregrinari perrexit. Atque ibi quidem plurimas antiquitatis reliquias collegit, nec non exiſtimationem ac beneuolentiam hominum, non ſolum in ſapientiæ, ac literarum ſtudiis, ſed etiam in Pictura, Architectura, cæteríſque elegantioribus artibus excellentium: quos Claudius Fabricius, illorum operum elegans ſpectator, vt olim in Italia, ita tum in illis regionibus coluit, ac ſicut cæteros omneis Viros doctos, ad ſuam adiunxit neceſſitudinem: præcipuè Petrum Paulum Rubenium, & ob rerum antiquarum cognitionem, & Picturæ, Sculpturæ, Architecturæque ſcientiam; quas ex Italia ad Belgas, primus cum priſtino ſplendore, atque dignitate, tranſtuliſſe videtur: Marcum Velſerum rei publicæ apud Vindelicos, & literariæ in tota Germania conſtituendæ, ſtudioſiſſimum $\overline{\text{ii}}$ - Virum. Ioannem Barclaium, tum in Britannia, magnam ex doctrinæ, ingeniíque elegantia laudem adeptum: Danielem Heinſium Batauorum potiſſimum; omniúmque doctiſſimum eius doctorem, Ioſephum Scaligerum, qui Claudium Fabricium, ſibi tantùm fama, ac nomine notum, vbi primùm ſecum de literis loquentem audiuit: vir acri, certóque iudicio, ipſiſſimum Pereſcium ipſum eſſe affirmauit. Poſtrema fuit Pariſienſis peregrinatio, quam ob librorum optimorum, doctiſſimorúmque hominum copiam ibi affluentem, iterare ei viſum eſt. Priore, ſe dedit Iacobo Auguſto Thuano, eiúſque celeberrimæ Bibliothecæ; ad quam Iſaacium Caſaubonum, Franciſcum Pithœum, cæteróſque ſummos Viros, ex ſuperiori ſæculo, præſtantium ingeniorum in Gallia feraciſſimo ſuperſtites, Claudius Fabricius videbat ventitãteis: qui ipſum Thuanum, velut hiſtoriæ, ita reliquarum maximarum artium, ac hominum, qui eas profiterentur, principem patronúmque optimum, & Gallici imperij, atque maieſtatis, acerrimum defenſorem, quotidie celebrabant. Poſt decennium domi conſumptum, in recognoſcendis literarum, antiquitatíſque monumentis, ex tota Europa collectis; iiſque in Muſæum ſuum, atque in memoriam, quæ ipſi propè diuina fuit, redigendis, digerendíſque: Lutetiam iterùm ſe contulit, ad verſandas, vorandáſque reliquas Bibliothecas: Regiam ſcilicet, Dionyſianam, Victorianam, D. Germani, atque Memmiorum; & ſtudioſos illarum cultores inuiſendos; quorum veluti noua ſoboles illic tum florebat. Inter quos, hodie

excellunt

excellunt Puteani fratres humaniſſimi, qui apud Thuani filios, patriis ingenij, virtutiſque dotibus ornatiſſimos, cognatos ſuos; non ſolùm eius Bibliothecam, ſed etiam literas, hominéſque iis deditos, veluti ſuæ tutelæ, ac fidei, Iacobi Auguſti teſtamento commendatos; quibuſcumque rebus poſſunt, iuuant, & mirabiliter ornant: Nicolaus Rigaltius, politiore doctrinæ, iudiciíque elegantia, & incorrupta Latini ſermonis integritate, omnibus antecellens: cui nos, ſi modò in hoc genere literarum aliquid profecimus, id totum debere gloriamur: Claudius Salmaſius, & Hugo Grotius, qui literaturæ, optimarúmque artium principatum ſibi vindicant. Petrum Seguerium, Henricum Memmium, atque Hieronymum Bignonium; Viros magis doctrina, eximióque ſuo in literas ſtudio, quàm ſupremis Gallicæ purpuræ honoribus illuſtreis, breuitatis causâ omitto. Sirmondum relinquo, Patavium, Morinum, Merſennum, Burdelotium, & Valeſium, alióſque propè innumerabileis; ex ſumma doctrina, præclariſſimíſque ſuis ſcriptis, maximè claros: quorum omnium animos, atque voluntates ſibi conciliauit Claudius Fabricius, & ad ſuos, id eſt ad rei literariæ vſus coniunxit. Atqui vnum præterire nequeo Guilielmum Varium, non minùs eloquentiæ, ac Philoſophiæ ſtudio, cæteríſque maximis virtutibus; quàm ſanctiſſima cum hoc noſtro Attico amicitia, Marco Tullio comparandum. Is ex quo Pereſcium in Senatum Aquenſem, cuius ipſe princeps erat, legit: continuò in conſuetudinem eius ſe dedit, ſic vt prorſus vnà illic vixerint; nec vnquam poſteà paſſus ſit eũ à ſe ſeparari. Quare cùm in Aulam à Rege euocatus eſſet, ad Annuli ſignatorij cuſtodiam; quod ſummum eſt apud Gallos, togati hominis faſtigium; eum illuc ſecum duxit; vnum eſſe in tota Gallia dignum exiſtimans, quem contubernalem, & conſiliorum in Republica, atque honorum, adiutorem, ſociúmque haberet. Huius porrò gratiâ, Pereſcius nulla ferè in re vſus eſt, niſi in deprecandis amicorum, hoc eſt doctiſſimorum Virorum, aut periculis, aut incommodis; & ſtudiorum ratione procuranda: ad quam præter cætera egregia ornamenta, id demum maximum contulit; vt ſe autore, maxima vetuſtiſſimorum Codicum copia, Regis nomine compararetur; ad ſupplendam, atque amplificandam Pariſienſem Bibliothecam: quæ omni tempore, ad omnium vſus ita patet; vt ex ea maximè, præclariora antiquarum doctrinarum monumenta, in dies eruantur. Quo autem potiſſimùm beneficio, ſe à Vario ornatum voluit, id vnum propè fuit; vt vetuſtiſſima curiarum, templorúmque tabularia, in omnibus Galliæ oppidis, ſibi ex eius authoritate inuiſere, atque excutere liceret. Cùm ab opibus alioquio, & honoribus conſectandis tam eſſet alienus, vt ſæpiùs repudiauerit à Vario vltrò oblatos, qui cùm Claudium Fabricium in ampliſſimum, priſtinæque dignitatis apud Gallos maximè retinentem, Antiſtitum ordinem cooptari vellet: vix ab eo tandem impetrauit, vt mediocre acciperet ſacerdotium. Mortuo Vario, qui ſuam omnem, vt ita dicã, antiquariam ſupellectilem, amiciſſimo, ſtudioſiſſimóque viro legauit; & teſtamenti tabulas, illius fidei atque autoritati commendauit: domum, Muſæúmque ſuum diu deſideratum, ſpectabat Pereſcius, cùm ecce ſub ipsũ à Pariſienſi Aula diſceſſum, ad Romanam denuò ex itinere inuitatur: optatiſſimo nuntio de noui Pontificis creatione, Maphæi ſcilicet Barberini Cardinalis. Siquidem hunc ante Pontificalia inſignia, perinde ingenij doctrinæque, ac ſanctitatis in Republica Romana Principem, ipſe tam bene nouerat; procuratáque olim ſimul, atque iterum, diuinorum illius Poëmatum editione, aliíſque officiis demeruerat; vt cùm nuntius, qui Regem ante omneis de ea re certiorem facere vellet, obuio Pereſcio tantùm dixiſſet: virum Romanorum Principum eruditiſſimum, eique amiciſſimum, in mortui Pontificis locum ſuffectum; ipſe cõtinuò, Maphæum ad gubernacula Reipublicæ ſedere intellexit cum incredibili lætitiæ voluptate. Præuidebat enim literarum ſtudia, in lucem, atque ſplendorem ſub doctiſſimo Pontifice reuocatum iri; ſtudioſóſque, vel ex vltimis terris, ad aulam Barberinam celebrandam, ornandámque; honorum, ac præmiorum ſpe aduolaturos. Ad quam temporum, literarúmque felicitatem, oculis ſaltem vſurpandam, ac Pontificem ſui ſtudioſum adorandum, Romam ab amicis non inuitus attrahebatur. Sed profectionis cauſam, ambitionem, à cuius vel ſuſpicione abhorrebat, potiùs quàm officium, viſum iri nolebat: & poſtquàm ex Circes Inſula, tanto labore tandem ſoluiſſet, ſi cantibus Sirenum illiceretur, vt apud eas hæreret veritus eſt: quare in ſuam tandem Ithacam, ad optatiſſimum ſtudiorum portum, ſe ex longa peregrinatione recepit. Tunc enim verò Pereſcij Muſæum, ac tota domus, ex præſentis domini regali propè liberalitate; qua videlicet non ſolùm in literas, earúmque inſtrumenta ornanda, ſed maximè in ſtudioſos homines iuuandos, colendóſque, deinceps vſus eſt; ipsâ Alcinoi Regiâ, & magnificentior, & hoſpitalior euaſit.

Delectum Romanæ aulæ florem, illuc aliquantò poſt Claudij Fabricij acceſſum, ſecum aduexerat Franciſcus Barberinus Cardinalis; qui à Pontifice ad iuſtiſſimum, fortiſſimúmque Galliæ Regem, Legatus mittebatur. Porrò autem hunc, ac nobilem eius comitatum, lautè adeò, atque ſplendidè accepit Pereſcius, vt cum ipſis Regibus de magnificentia certare viſus ſit: admiratus, veneratúſque in iuuentutis Principe, cùm maturam patrui Pontificis prudentiam, atque ſanctitatem: tum maximè ſingularem literarum ſcientiam, & erga homines ſtudioſos voluntatem. Atque ob illas adeò excellenteis primarij iuuenis virtutes, ei vſque ad extremum vitæ ſpatium, ita omne officium, cultúmque tribuit; vt nullus fermè ex Gallia in Italiam traiiceret, cui non tantùm literas obſeruantiæ, ſicut eruditionis plenas, ad eum perferendas traderet; ſed & libros, plantas, atque animalia rara, pe-

regrináſque, ad locupletiſſimæ Bibliothecæ Barberinæ, hortorúmque ornamentum. Cui viciſſim humaniſſimus Princeps, maximas ſemper habuit gratias, & eadem epiſtolarum frequentia, ſimilibúſque muneribus retulit. Haud minori obſeruantia, ornatiſſimos & doctiſſimos quoſque, ex celeberrima Legati cohorte coluit Pereſcius: Caſſianum Puteanum ante omneis, virum ob generis, virtutum, atque eruditionis claritudinem, ſummis laudibus honoribúſque dignum; cum quo, morum elegantiſſimorum, & in optimas Arteis, earúmque cultores, prolixæ naturæ ſimilitudine, ſibi coniunctiſſimo; de omni ſtudiorum ſuorum ratione, familiariter deinceps communicauit. Item cum Ioanne Baptiſta Donlo, qui ob ingenuitatem, aptúmque ad omnium magnarum rerum ſcientiam ingenium, fuit ipſi chariſſimus iſtarum amicitiarum ibi tum, ſicut Romæ demum aliarum, conciliator fuit Hieronymus Aleandec, vir optimis artibus, ſummiſque ornamentis præditus, & ab adoleſcentia, Fabricij amantiſſimus; qui nobilem eius, plenámque dignitatis, atque ſapientiæ domum, præſtantiſſimáque ſtudia, tunc ita miratus eſt; vt vnum omnium mortalium maximum, atque feliciſſimum Pereſcium, palam deinceps prædicare ſoleret: ſæpiúſque cogitauerit, ex Aula, atque ipſa vrbe, ad eius ſuauitatem, pretioſiſſimúmque literaturæ theſaurũ fruẽdum, Aquas-Sextias migrare. Quò deinceps omnes Principes Viri, qui Reipublicæ cauſa, ex Italia in Galliam, vel illinc ad hanc Prouinciam traiicebãt, ex itinere diuerterunt: vt hominem conuenirent, penes quem erant Commentarij, Acta, & reconditiora regnorum inſtrumenta; quique regionum ſitus, deſcriptiones terrarum, populorum origines, leges, fœdera, bella; Regum, virorúmque primariorum ſtirpeis, cognationes, atque ſucceſſiones optimè nouerat: ſic vt nemini fundi, domúſque ſuæ ratio fuerit, quàm illi Orbis noſtri ſtatus, atque conditio notior. Omnes item cuiuſvis ordinis, ac nationis homines, magnarum peregrinatúmque rerum ſtudioſi, illuc ſe conferebant, ad ipſum celeberrimúmque eius Muſæum inuiſendum; in quod præclara, ratáque omnia collecta, ſub vno aſpectu cernere erat; quorum conſpiciendorum cauſa antea mortales vniuerſum Terrarum Orbem peragrabant. Illa ſiquidem propè cuncta, ſecum ex peregrinationibus domum attulerat, tam ipſe Peireskius, quàm frater eius Palamedes Fabricius Valaveſius, vir humaniſſimus; qui ambo in ſtudiorum, domeſtici victus, reliqueque familiaris communitate, ita extra ſimultatem ad ſenectam vixere; vt nunquam alter cum altero in gratiam redierit. Ad ea porrò, noua quotidie comportabantur, non ſolùm è tota Europa, ſed ex Aſia, Africa, India, atque nouo Orbe; cùm vetus hic noſter, eius inexhauſtæ diſcendi auiditati non ſufficeret: ita vt nemo ex vltimis Terrarum oris ad has noſtras appelleret, quin illue inveheret plauſtra, atque nauigia rerum, natura, aut arte admirandarum. Has enim in ſingulos dies ad eum mittebant, homines in celeberrima quaque illarum prouinciarum vrbe, ac portu delecti; quorum opera, ad ea omnia diligentiſſimè comparando, infinito ſumptu ipſe vtebatur. Et cùm iſti homines, ſua quantumvis arguta ſedulitate, Pereſcio cumulatè ſatisfacere nequirent; ſæpiùs ipſe alios domo miſit, ad omneis maris Ægei Inſulas, montem Atho, Byſantium, Alexandriam, & ad miſerandas illas Memphis, atque Carthaginis reliquias: qui ſuo nomine, atque ære conquirerent, præter res alias nouitate mirabileis, præcipuè vetuſtiſſimos Codices, Græcos, Hebraicos, Arabicos, Perſicos, Coptos, Æthiopicos; denique cùm cætera Aſiaticæ, atque Africanæ antiquitatis monumenta, tum maximè priſcorum Principum Ægyptiorum corpora, pretioſiſſimis odoribus, medicaminibúſque condita. In quo profectò celabrata illa veterum Pergamenorum, Alexandrinorúmque Regum, nec non Gallorum noſtratium, in Bibliothecas magnificentiſſimè ornandas ſtudia, regali planè animo æmulatus eſſe videtur. Ad ſuam hanc bonarum artium officinam, & ſapientiæ, virtutiſque diuerſorium, omneis literarum, elegantiorúmque artium ſtudioſos, peregrè aduenienteis, non ſolùm benignè admittebat Pereſcius, & Bibliothecæ ſuæ totum eis explicabat theſaurum; ſed diutiſſimè illic retinebat, honeſto, ac maximè liberali acceptos hoſpitio: quibus demùm diſcedentibus, aliquot Cõdices, nummos, & alia, quæ ad eòrum ſtudia magis apta videbantur; omnia item, quæ ipſis opus fuerant, ex ſua re familiari largiſſimè dabat: quemadmodum cæteris propè omnibus literatis hominibus abſentibus, ſibi nomine tenus notis, quidquid in literaria, atque antiquaria ſua ſupellectile erat, quod ipſis, in lucubrationibus, adiumento fore arbitraretur; vltro nec petentibus, ſæpiúſque talium rerum ignaris mittebat. Si quid domi non eſſet, quod alicubi lateret, vt id quoquo modo ad illos perueniret, ſuáque deinceps quæ præ manibus haberent opera, polita, perfectáque ederent; nulli labori, aut impenſæ parcebat. Quos verò peregrinationes, rerum antiquarum, aut naturalium perquirendarum cauſa, parare audiebat; ipſis commendatitias literas, iumenta, atque viaticum de ſuo curabat: & ad eas ſuſcipiendas, multos iiſdem conditionibus vltrò oblatis inuitauit. Omneis denique, quos ſolo literarum, virtutiſque ſtudio, & fortunæ iniuria calamitoſos eſſe ſciebat, quibus rebus indiguerunt, adiuuit, ære alieno oppreſſos leuauit; vel illos Optimatibus diligenter cõmẽdabat, ac multa illis ſæpe impetrauit; cùm apud omneis paullò humaniores Europæ Principes, maximam gratiam autoritatémque obtineret: præſertim apud EMINENTISSIMOS CELSISSIMOSQVE VIROS, QVI GALLICI IMPERII CLAVVM HODIS TENENT, quippe qui, pro ſuo ſingulari literarum amore, atque ſcientia, doctos in oculis, auribus, atque complexu habent: & quæ ſua eſt regalis magnificentia, atque magnanimitas; eos omnibus omnium ordinum

num hominibus, in beneficiis honotibúſque tribuendis antepouuut. Beneficæ, prolixæque adeò, Perſcij naturæ teſteis oculatos, & ab ea ipſa locupletes, citare poſſum; non tantùm ex hac vrbe, iſtóqne conſeſſu; ſed vel ex vltima Syria, immenſáque Libani altitudiue, Amîram doctiſſimutn apud Maronitas Antiſtitem; ex Magna Græcia magnum Philoſophum Campanellam; ex Gallia eruditum hominem Petitum, & multitudinem aliorum, ex aliis Prouinciis infinitam. Innumerabilia item libetalitatis, ac magnificentiæ exempla, vobis referre haberem; vix de Rege, ne dum de Senatorij ordinis, cenſúſque homine credibilia Cùm tamen, quod propius miraculo, quàm fidei eſt, ipſe quadraginta millia ſeſtertiûm nummûm, hoc eſt vnciam vnam ex tota redituum ſumma, in hanc ſolam veſtram vrbem, ſingulis annis erogaret; quod & in eertas Europæ celeberrimas, eum feciſſe exiſtimandum eſt; partim in libtos, aliáque huius generis munera, huc ad amicos mittenda; partim in Codices, ſtatuas, æra, marmora, quæ hìc in dies eruebantur; vel eorum ſaltem exemplaria, & imagines pictas, fictáſve; aut in cera, gypſo, vel charta madente impreſſas, ſibi comparandas. Sed temporis me ratio; Eruditiſſimi Academici; vt vela eontraham, portúmque tandem reſpiciam, monet. Verumenimverò, veſter iſte vultuum ardor, animorúmque intentio, ſine dubio à me contendit, vt munus promiſſi omne conficiam; quo me vobis probaturum recepi, Claudiom Fabricium longè omneis ſuperaſſe; non ſolùm ſingulari in literas ſtudio, & largitate; ſed quod demum maximum eſt, indefeſſo labore, incredibilíque induſtria, in commentando, atque ſcribendo, de maximis quibuſque artibus; quarum profectò, nullam partem intactam reliquit.

Hiſtoriam Prouiociæ Galliæ Narbonenſis, hoc eſt patriæ ſuæ, pluribus, magníſque voluminibus cóſcripſit; diligenter adeò, vt ſiue antiquitatem, ſiue leges, pacem, vel bella, & Reipublicæ conuerſiones ſpectes; nihil eſt quod in illis deſideres. Nobilium eiuſdem Prouinciæ familiarum origiues, ſuæque ſeparatim, aliis voluminibus contexuit: & cùm gens Fabricia Piſis oriunda eſſet; vnde antè quadringentos annos, bellica laude florens, in Galliam propagata eſt; Piſanam, ipſámque adeò Italicam antiquitatem; cuius ſummus amator ſemper fuit, iiſdem libris præclarè illuſtrauit: multa ſeorſim recondita, in commentarium referens, de Gothicis Regibus, qui Italiæ impetium obtinuerunt, ex antiquis nummis petita; ſicut de Gallicis, quorum originibus, propaginibúſque, nimia vetuſtate obſcuratis, maximam attulerat lucem. Omnium denique rerum, quæ magnæ, ac memoria dignæ, ſua ætate geſtæ ſunt; venuſtiſſimos, ac pleniſſimos ſcripſerat commentarios. Philoſophiam, cui potiſſimùm naturali, mirificè deditus erat, ſuis etiam ſcriptis exornauit, atque amplificauit. Siquidem elegantem confecerat librum, de ludicris illis naturæ operibus, quæ certis regionibus è Terra effodiuntur: ſcilicet de lignis, rebúſque cæteris, à ſua in lapidis, vel aliam naturam degenerantibus: de vaſtis item, immanibúſque illis Gigantum, vt vulgus opioatur, oſſibus; quorum magnam vim, ex longinquis locis ſibi aduehendam curauerat: multa de illis, vt erat homo emunctæ naris, falſa odoratus. Plantarum verò peregrinarum, Indicarum imprimis ſingularem propè vniuſcuiuſque pertexuerat hiſtoriam; nondum tentatis experimentis illuſtratam; cùm ipſas arbores, nó ſolùm in ſtitpeis generis planè diuerſi; ſed in cornua, capita, aliaſque viuentium animalium parteis, proſpero euentu inſeuiſſet. Quorum animalium uaturam, modum, & pondus, vel ipſorum elephantorum, diligentiſſimè explorauerat; & ſingula eorum membra, etiam hominum, manu ſua diſſecuerat: oculos præſertim vaſtiſſimarum belluarum, atque cetorum; quos vſque ad vltimas Gadeis, homines quæſitum mittebat: vnde cùm de cæteris corporis partibus, tum de admirabili oculorum fabrica, atque munere, noua prorſus, & à nemine hactenus viſa, literis conſignauit. In Mathematicis illuſtrandis, non minus induſtriæ poſuit: ſéque ad Aſtrologiam potiſſimùm, ætate provectior ita dederat, vt altiſſimam turrim, magno illarum artium inſtrumento refertam inſtruxerit, vbi nocteis ſerenas, in Aſtrorum cótemplatione peruigilabat: quorum non ſolùm altitudines, magnitudines, vel motus diligenter obſeruabat; ſed in illorum materiem, ipſámque adeò naturam, acri acie penetrabat; per vitrea illa ſpecilla, quæ nouo, ac verè cæleſti inuento, remotiſſimas, obſcuriſſimáſque rerum ſpecies, ad oculos dilucidè perſpicieudas reuocant, quibus perinde verum vſum, ac nomen, inuenit Galileus Galilei, Mathematicorum ſine controuerſia Princeps, Fabricióque noſtro amiciſſimus. Eo inſtrumento Peireskius tam ceterarum Errantium ſtellarum, quàm ipſius Lunæ, varias facies, ac tenuiſſimas quaſque, quæ in ea apparent, notas, & quaſi maculas, ſedulò inſpectas, ſibi depingi, ac in tabulas incidi voluit; & ſuas de iis perpetuas obſeruationes literis mandauit: adeò vt noſter hic Terræ Orbis, nemini notior fuerit, quàm fuêre Peireskio cæleſtes; præſertim illius, vt veteres Italiæ Sapientes loquebantur, ἀντίχθων. Cuius prætetea defectiones, ipſe tam obſeruabat, quàm per omneis Mathematices, attentiùs obſeruandas curabat; non vt *Deæ*, cuius veluti alter Endymion, aſſiduus formæ ſpectator, atque mirator erat, laboranti ſuccurreret; ſed vt vrbium, portuum atque Inſularum, rata, certáque, & à quatuor extremis Cæli cardinibus, & à ſe inuicem interualla, inde reperire, atque conſtituere poſſet: receptóſque itinerum, atque nauigationum errores tolleret. Res à ſolis hactenus, iiſque vno, aut altero, maximis Regibus tentata: quam ad felicem exitum à Peireskio tandem perductum iri ſpes fuit. Accuratas enim earum defectionum obſeruationes, in celeberrimis veteris, nouique Orbis oppidis, faciendas curauit: quarum omnium

accuratiſſimam,

accuratiſſimam, atque vt Peireskij verbum vſurpem, palmarem, Neapoli à Ioanne Camillo Glorioſo, homine in Mathematicis diſciplinis excellenti, ſibíque amico, veniſſe ipſe aiebat. Ad hæc autem omnia, aſſiduè vtebatur opera Petri Gaſſendi, rerum Cæleſtium, atque Philoſophiæ ſcientia, Galliæ facilè primi, & Nicolao Cl. Fabricio intimi; ſic vt domi per plureis annos, vnà cum ipſo coniunctiſſimè vixerit; atque illic extremum eius exceperit ſpiritum: qui demum mortui nomen atque virtutem, grata memoria proſecutus, animum ad commentarios de Peireskij Vita ſcribendos appulit: eáſque parteis, quas olim mihi ſumpſeram, ab homine eruditiſſimo, atque amicitiæ conſuetudine, mihi maximè deuincto, præoccupatum iri lætor; immò verò etiam de ea re Fabricij Manibus gratulor. Operam eius in veſtra antiquitate ſcribendo reſtituenda, præclarè poſitam, Academici, non queo ſilentio prætetire: cùm nulla veterum Romanorum vtenſilia, nulla ornamenta, in eius manus venerint, habuit porrò domi pleraque, de quibus ſcriptum non reliquerit; omnium autem vbertimè, atque diligentiſſimè, de ponderibus, mēſuris, tripodibúſque antiquorum. Omitto alia, quæ in reliqua literatura effecit opera. Eius tantùm epiſtolas, in admirationis cumulum addam, quæ quidem ſunt ita multæ, atque eruditæ, vt ſi nullum aliud ſcriptionis genus vnquam attigiſſet: vniuerſum tamen omnium doctrinarum, & liberalium diſciplinarum Orbem impleuiſſe, dici potuerit. Nullum enim adeò præclarum, vel rarum, in bonis artibus naſci poteſt argumentum, de quo Peireskius conſulens, vel conſultus, ad eruditiſſimum quemque non ſcripſerit; doctè, frequenter, & copioſè admodum, vt omneis omnium Prouinciarum vrbeis, ſuis non dicam epiſtolis, ſed voluminibus oppleuiſſe videatur. Atqui vt ſciatis me non laudatoriè, ſed Latinè loqui; qualeis, & quantas ad hanc vrbem miſſas habeatis, exempli causâ, nunc adeò ex me cognoſcite. Extant propè innumeræ ad VRBANVM VIII. Pontificem Maximum, & Franciſcum Barberinum Cardinalem, illam bonarum artium cognationē, quam in ambobus optimis, doctiſſimiſque Principibus omnes admirātur, complectētes. Extant ad Cæſarem Baronium, & Ioannem Franciſcum Vidiū Balneum, Cardinaleis: Ioſephum Mariam Suareſium, Antiſtitē: Chriſtophorum Puteanum, & Conſtantinum Caietanum, omneis magnarum artium ſcientia inſigneis; de religione rebúſque diuinis: ſicut de humanis, atque hiſtoria, ad Vidū Bentivolum Cardinalem, & Auguſtinū Maſcardum; eius artis non ſolùm in hac vrbe, ſed in tota Italia facilè Principes: de naturalibus verò, iiſque occultioribus, ac magis peregrinis, ad Caſſianum Putealem, & Petrum Vallenſem; vtrumque tam huiuſmodi doctrinæ, quàm cæterarum magnarum rerum laude abundantem. Extant de literis, quas humaniores vocant, linguiſque tam veteribus, Europæis, Aſiaticis, atque Africanis, quàm recentioribus, Gothica, Cātabrica, Prouinciali, atque Italica; ad Lucam Holſtenium, Gabrielem Naudæum, Leonem Allatium, Vincentium Nogueram, & Federicum Vbaldinum; Viros in iis ſummos, atque perfectos, item ad Franciſcum Boncompagnum Cardinalē, Vincentium Iuſtinianum Marchionem, Mariam Felicem Zacbiam, & Alexandrum Rondaninum eius maritum, Stephanum Gualdum, & Claudium Menetriū; homines in antiquitatis reliquiis inueſtigandis, conſeruandiſque diligentiſſimos; de ſtatuis, nummis, gemmiſque veteribus; tum etiam de Codicibus antiquitùs ſcriptis; ad ſummos pariter Viros, Scipionem Cobellutium Cardinalem, & Nicolaum Alemannum: quos vnicè dilexerat Peteſcius; huiúſque demùm mortui benignitatem, in aperiendis Bibliothecæ Vaticanæ theſauris, vehementer poſteà deſiderauit. Homines in omnibus doctrinis præſtantiſſimos agnoſcitis, Academici; qui eò libentiùs nunc à me citati, ac veluti recenſi ſunt, quòd propè omnes, ſicut ipſe Pereſcius, in hanc ampliſſimam lecti olim Academiam; ordinis noſtri ſplendorem, atque gloriam illuſtrârunt, atque in dies amplificant. Porrò eandem, maiorémque Epiſtolarum vim, non ſolùm ad reliquas Italiæ vrbeis; Patauium maximè, ad Licetum, Rolum, Argoliū, & Thomaſinum; homines in artibus, quas profitentur magnos: ſed etiam Mantuam Carpetanorum, Lutetiam, Oxonium, Lugdunum Batavorum, Lovanium, Auguſtam, Vindobonam, & ad alias vtriuſque Orbis celeberrimas vrbeis, claris, doctiſque Viris maximè florenteis, perinde ac Romam, ab eo veniſſe exiſtimate. Quibus quidem epiſtolis, non tantùm Tranſalpinas, atque Ciſalpinas, ſed etiam cæteras omneis Europæas, ac barbaras nationes, humanitatis, & doctrinæ commercio miſcuit, atque conſociauit: ſic vt bonas Arteis, & vniuerſa earum inſtrumenta; quæ in Bibliotheca, ac mente ſua repoſita, ad omnium vſus inde promebat; inter illas demùm genteis fecerit communia. Quare de Fabricij doctrinæ præſtantia; aut Muſæi amplitudine, atque dignitate; ex ipſius ſcriptis, cæteriſque antiquorum monumentis, quæ in eius domo extant, minimè eſt iudicandum: ſed potiùs ſic habendum, nullas in Terræ Orbe celebreis eſſe Bibliothecas, in quibus celeberrimæ illius Pereſcianæ, pars aliqua non reperiatur; nullos libros noſtra ætate, ſcriptorum ad faſtidium feraci, in lucem fuiſſe editos, qui non Pereſcij doctrinam, ſicuti nomen præ ſe ferrent.

Fingite vobis animo, Academici, omnium ſtudioſorum vnum aliquod veluti corpus, in quò Claudius Fabricius, vice fungeretur partis illius in medio quietæ, cui alendæ reliqua membra, ſuo labore omnia quærunt; cuiúſque viciſſim haud ſegne miniſterium eſt, nec magis alitur, quàm cætera alit: adeò vt vniuerſa ſtudij, atque doctrinæ pabula, ab omnibus ſibi vndique conquiſita, atque congeſta, inſaturabili legendi, diſcendique auiditate vorans, & acri ad meditationem, ſcriptionémque ardore maturè conficiens, in

ſuccum, & ſanguinem vetteret; quem in omneis demùm parteis, ad ingeniorum alimenta, pariter diuiſum reddetet: niſi potiùs Peteſcium, illuſtris illius, atque immottalis corporis animam fuiſſe dicamus; quæ totum modetaretur ſingulâſque eius parteis, vi, ac numine ſuo conſeruaret, atque augeret. Numen dixi, Academici: is enim qui ſat breuis, ſeptem & quinquaginta annorum, vitæ partem alteram peregrè, & in Aula tranſegit, alteram in Curia, ad Senatoria munera, bis quaque die diligenter obeunda; tot tamen, ac tam illuſtria, ſui in literas ſtudij, atque largitatis, ad æternam poſteritatis memoriam, monumenta reliquit; libróſque, & epiſtolas, operâ, manúque ſua plureis; quàm alij longævi homines, & priuato otio abundantes legere ſolent; Latinè, Italicè, & Gallicè diligenter conſcripſit: is inquam, mihi ſanè ſupra hominem putandus eſſe videtur. Hanc porrò diuinam Nicolai Claudij Fabricij Peireskij animam, nunc mortalis corporis compagibus recluſam, ſuperas ſedes capeſcere, & in æterna illa, ac cæleſti domo, ætatem quam hîc nobiſcum beatam duxit, inter ipſos diuos beatiſſimam agere, vos Academici Romani, exiſtimare par eſt; & eam omni honore, qui Heroibus tribui ſolet, afficere. Præterquam enim quòd ſumma integritate, atque innocentia vixit; præterea Romanæ religionis, cæremoniarúmque maximè colens, & ad extremum ſpiritum retinentiſſimus fuit. P·o aris, delubríſque fortiter certauit; vt ad illa plurimos reduxerit, ex iſto hominum genere, qui nouis, atque alienis obſtricti religionibus, ab hac antiquiſſima, atque ſanctiſſima declinauerunt; vel apud illos, rei literariæ $\overline{\text{III}}$-Viros, non ſine ſpe victoriæ adortus. Quamobrem erga hominem, de Romana Republica, tam multis nominibus optimè meritum, in decorando eius morte grati eſtote, Academici; & ſicut eam, iam publica laudatione eſſe honorandam putauiſtis; ita quidquid præ ingenij, facundiæque meæ, necnon temporis anguſtiis, minùs ex amplitudine, atque dignitate argumenti, oratione exſequi potui; id demùm in præſentia, ornatiſſimis, optimíſque veſtris verſibus præſtate: in poſterum verò, Heroi noſtro diuturnam pro breui vita memoriam reddite: & quod ipſi gratiſſimum facturi eſtis, illius ſtudiorum veluti hæreditatem adite, & conſtanter tenete. Vos autem, Patres Ampliſſimi; ad eam, ad quam vocati eſtis Reipublicæ procurationme, vt excellentiſſimas omneis Nicolai Claudij Fabricij virtutes, maximis & in omni genere laudis eminentiſſimis (quales ſanè eſtis) Principibos imitandas adhibetis: pergite porrò: vt facitis; atque ita in primis diuinum eius ſtudium, regalémque liberalitatis magnificentiam imitamini, in eas Arteis promouendas, quibus omnis vitæ honeſtas, elegantia, ipſáque adeò humanitas conſtituitur, atque continetur; necnon in homines, qui eas colunt, amandos, ornandóſque honoribus, ac beneficiis; quæ ſancti illi, atque religioſi maiores veſtri, in ipſos præcipuè collata voluerunt. Indignum ſiquidem eſſet eos jacère, quorum opera, atque vigiliis, ſummum à Deo datum, hominum generi literarum bonum maximè viget: ſed prorſus digni ſunt, qui apud vos gratia, atque authoritate floreant. Siquidem Principes Viros, de ſe ſuíſque virtutibus bene meritos, æternis ſcriptorum ſuorum monumentis, ad immortalitatem conſecrant: ſicuti contrà læſi, vel neglecti, notas ad ignominiam, nulla temporis diuturnitate, nec armatis tyrannorum manibus eluendas inurunt. Quare à vobis minimè audiendi ſunt quidam homines nihili, qui etſi numerus tantùm in aulis veſtris, & fruges conſumere nati ſint, illic tamen vt vacua Belidum dolia, leuitate ſua verſatiles, & vanitate caſſum, atque inane ſonantes; maximas faciunt turbas, clamoréſque, ac riſus edunt, tam in hominum literatorum ingenium, moréſque, quàm aduerſus ipſarum literarum vſum, atque dignitatem. Literatis nihil innocentius, aut temperantius; Patres Ampliſſimi; vtpotè qui ſtudium, & tempus omne, quod iſti vel ambitioni, atque auaritiæ, vel rebus ridiculis, atque turpibus daut; in maximarum, optimarúmque contemplatione conſumunt: nec ſunt, vt iſti vocant, difficiles, aut moroſi; ſed actes rerum æſtimatores: non contumaces, & ſuperbi; ſed res homine ingenuo indignas nec facientes nec perferentes: non obſcuri; ſed modeſti: non denique ruſtici, aut agreſtes; ſed antiqui, & contrà; vnde etiam artes, quas profitentur, nomen inuenere, human. Literæ verò, quantum non ornamenti ſolùm, ſed & præſidij in ciuitatibus bene conſtitutis afferant, vel ex hac veſtra clarè patet: quæ vt olim afflicta, per earum neglectionem fuit; ita nunc doctiſſimus, ſapientiſſimúſque Pontifex verè Cæleſti dono, ac diuino munere ipſi donatus; cauſa eſt, quòd viget hodie veſtra Reſpublica, quòd floret, quòd beata eſt, quòd denique, cùm cæteræ Terrarum Orbis partes, bellorum, aliarúmque calamitatum tempeſtatibus agitentur; vna hæc (quod ei Deus Optimus Maximus proprium, ac perpetuum faxit) in pace, atque in otio conquieſcit.

DIXI.

GABRIELIS

GABRIELIS NAVDÆI
AD PETRVM GASSENDVM
DE PEIRESKII OBITV
EPISTOLA.

PRouocatus non ſemel obſeruationibus Aſtronomicis, quarum per me copiam fieri voluiſti celeberrimis hominibus Fortunio Liceto, & Scipioni Claromontio; ac literis tuis inſuper ad officium mutuæ neceſſitudinis, quæ dudum inter nos arctiſſimè coaluit, ſollicitatus; peramanter omninò te facere intellexi, qui me tamdiu ſilentio vſum fuiſſe, quæ tua eſt ſingularis humanitas, & beneuolentia, non moleſtè tuliſti; ſatiſque amori noſtro, & ſingulari meo in te obſequio factum fuiſſe exiſtimaſti, ſi dum vrgebam Syntagma meum de *Studio Militari*, hoc interim ſpatio nihil ad tuas reſponſi dederim; niſi quòd amantiſſimo vtriuſque noſtrûm clariſſimo Peireſkio frequenter ſignificabam, me, cùm per otium liceret, talem habiturum rationem eorum omnium, de quibus egiſti mecum per literas, vt ne quidem de ſuauiſſimâ tuâ vrbanitate queri poſſes; quòd illa non ſimilibus à me iocis, ac ſalibus excepta fuerit, & facetiarum colludio, gratiſſimáque viciſſitudine compenſata. Sed, heu rerum vices, heu fata infanda, heu mors acerba, & infenſa bonis omnibus, quæ geſtienti lætitiæ interceſſit! Viro illo incomparabili, tunc cùm nihil minus, quàm de eius occaſu timebatur, è viuis ſublato. Vbi enim crinitum Sidus effulſit? vbi de Cælo intonuit? vbi Terræ motus, & fragores inſoliti, ſpectráque, & portenta apparuerunt, in eius Viri omnium maximi, omnium optimi, ſapientiſſimíque interitu? Sanè ludunt nos, & fallunt ſuauiter Hiſtorici, cùm nullos Principes abſque iis ſignis interiiſſe referunt, ex quibus ariolationi de eorum impendente fato locus eſſe poſſet. Nam amabo te, GASSENDE, quî fieri poteſt, ſi Mundus non caſu regirut (vt certè diuinæ illum prouidentiæ arbitriis gubernari certiſſimum eſt) quòd Cælo curæ ſint homines, non ſuis plerumque meritis, ſed fortunæ cæco impetu, rerum gubernaculis admoti, nec vlla re, quàm ſuis opibus, & potentiâ (quâ ſapientiſſimè in hominum perniciem, per ſummas vitæ turpitudines, & flagitia abutuntur) commendati: & ipſi interim ſilente Cælo, non curante Luna, nemine quidquam nouum, aut inſolens in Elementis, atque venturi (ſi quæ ſunt) præſcils animalibus obſeruante, mortem oppetant, qui virtute regnum ſibi ampliſſimum, honeſtiſſimúmque inter homines compararunt; qui mortalium omnium commodis nati, omnes operâ, ſtudio, induſtriâ iuuant: omnium conatus vrgent, promouent, extollunt; quique Orbem vniuerſum in ſui admirationem trahunt fama, & commendatione meritorum? Huiuſmodi verò laudem, ſi Pereſciam vnum noſtris, elapsiſque ab omni æuo temporibus cumulatiſſimam tuliſſe dixerim, non eſt quòd aliquid reclamet, niſi aut virtutis hoſtis, aut laudis inuidus, aut ignarus rerum, de quibus boni omnes, & eruditi conſentiunt. Ecquis enim ipſo vnquam aut peritior exſtitit antiquitatis, naturæ, temporum, hiſtoriarum, linguarum? aut promptior iuuandis ſtudioſorum laboribus, quà voce, quà literis, quà libris, quà ſignis, plantis, animalibus, picturis, numiſmatis, & antiquæ, recentiſque memoriæ ſimilibus monumentis? aut aptior denique, qui iſtud facere poſſet voluntate, opibus, auctoritate, ſcientiâ, prouidentiâ, cæteriſque virtutibus, quarum mutuâ conſenſione ornatus ſit oportet, qui inſtar clariſſimi Peireſkii, Orbem literarium ſuis nutibus, & votis temperandum ſuſcipit. Quod equidem facere quàm arduum ſit, tu verò GASSENDE, iſtud coniicere potes, vel inde quòd ſi in priſcorum Heroum exempla recurras, qui iſtud ſimiliter fecerit, inuenies prorſus neminem. Atque vt elapſa proximè tempora Vincentium Pinellum, & Dominicum Molinum tulerint non multùm fortaſſe ſtudio, & voluntate iuuandi literatos inferiores Peireſkio; neſcio tamen quomodo adiumenta varia illis defuerunt, quæ huic noſtro, & communi omnium Mœcenati, vt plenâ velificatione curſum hunc à primâ ſtatim adoleſcentiâ inſtitutum, ad affectam vſque ætatem perduceret, in cauſa fuêre. Enimverò quanta etiam facilitate iſtud præſtiterit, nemini obſcurum eſſe poteſt, niſi qui Solem non videt pleno Meridie. Quis enim neſcit os eius non hominis, ſed Apollinis Delphici fuiſſe, ex quo oracula de rebus omnibus abſtruſis, & incognitis quotidie reddebantur? Domum verò inſtar celeberrimi emporij, mercibus pretioſiſſimis ex vtraque Indiâ, Æthiopiâ, Græciâ, Germaniâ, Italiâ, Hiſpaniâ, Angliâ, vicinioribúſque Prouinciis refertam extitiſſe, nullámque nauem Galliæ portus intraſſe, quæ non aliquod animal peregrinum, non plantas exoticas, non marmora priſcorum Cælo ſculpta, aut exarata; non Codices Samaritanos, Coptos, Arabas, Hebræos, Sinenſes, Græcos, non erutas ex Boſphoro, aut Peloponeſo antiquitatis penitiſſimæ reliquias, in vnius Peireſkij Cimeliarchium inferret? Quem denique latere poteſt, non conquiſitas ab eo fuiſſe tot opes in propriam tantùm oblectationem, aut Muſæi ſui ornamentum, in quo late

laterent ipſæ tanquam in Fauiſſis Capitolinis, aut ſepulchris, vnde oeſas eſſet quidquam eruere, ac depromere iu aliorum commoda: ſed Perescium hanc ſibi legem ſtatuiſſe, vt, ſi quos in orbe literario ſuis conſiliis, opibus, libris, ſtatuis, marmoribus iuuari poſſe intelligeret, non expectaret ipſe, vt moroſè precibus illud à ſe efflagitarent; ſed vltrò offerret, inferrétque in eorum ædes; ac penè dicam literatos omnes obrueret beneficiorum ſuorum magnitudine, & frequẽtia. Verùm quid opus eſt, optime GASSANDE, vt hæc ad te ſcribam, qui plura oculis ipſis, in maximo illo Heroë obſeruare potuiſti facinora, cõmendatione omnium hominum, ac memoria, æternitatéque temporum digniſſima, quàm quivis alius; niſi tu ipſe, qui amore io eum, ac diceodi, ſcribendíque lepore nemini concedis, muuus iſtud in te recipiss, ſcriptis voquam cooſignare poſſit? Profectò, cùm nulla eius vitæ pars miraculo caruerit; cùm nullus vnquam exortus ſit, cui plura, aut meliora debeant, ſtudiis doctriniſque præſtantioribus dediti homines; cùm eorum omnium, quæ pulchrè, eleganter, doctè per anteactas aliquot annorum decades ſcripta, aut obſeruata ſunt, pars maxima fuerit; nec ipſe mortalis exiſtimandus ſit, niſi morte ipsà, proh dolor! immaturâ, atque immiri in eum, qui nunquam occumbere debuiſſet: certè non cuiuſvis eſſe intelligo meritorum eius famam tranſmittere ad poſteros: nam vulgari ore iſtud facere piaculum eſt; parem verò tanti viri inuſitatis, incomparabilibúſque meritis inuenire orationem, videtur mihi omnino difficile. Quamobrem iſtius *Muſarum curatoris*, ſiue, vt cum Athenæo loquar, ἐπιμελητοῦ τ͂ μουσῶν, vitæ ſummam ex Orbe vniuerſo, per quem diffuſa illa fuit, in anguſtum aliquod volumen contrahere, hoc equidem vnum eſt, quod niſi tu, doctiſſime GASSENDA, præſtiteris, qni ſermone vales puro, eleganti, caſtigatóque, & aſſueto rebus diuinis, ac cæleſtibus celebrandis; cuiuſmodi omniuò Perescium fuiſſe nemo non bonus exiſtimat; quique ſupremos illos orbeis, eorúmque miracula; quæ profectò non latiùs pateot, quàm Peresciј fama, & merita, in exilem globum ſolertiſſimè reducis: vix certè alium inuenio, qui defungi hoc munere adeò commodè, feliciterque poſſit. Nam etſi omnes, qui Perescio amici fuerunt, ingenio, facultatéque dicendi valeant, & omnibus illis, non ſecus atque tibi, negotium incumbat celebrandi Virum, cuius recordatio ſanctiſſima illis eſſe debet; licèt etiam multa, quæ de præſtanti eius ingenio, laborum cootentione, & mirificâ voluntate bonorum omoium conatus ſubleuandi, dici, atque afferri in medium poſſent, ea cuivis ex præſtantiſſimis illius facinoribus, æquè ac tibi cognita eſſe potuerint; fatendum tamen eſt, quæcumque maiora ſunt ex eius laodibus, iſta propter intimam, quæ tecum illi fuit conſuetudinem, & aſſiduum multorum annorum conuictum, atqoe vſum; & faciliùs animaduerſa à te, & proſpecta certiùs, quàm ab aliis fuiſſe. Quare age, mi GASSENDA, calamum ſume, io ſeruire ſolitum maximis Viris aut tuendis, aut celebrandis, non minùs ſanè, quàm cælorum, naturæque miraculis explicandis: & cogita apud te fore ex vſu omnium, qui literis dant operam; & dignitate patriæ noſtræ commuois; è Principum, atque Magnatum gloria, & ſplendore; vt eius Viri imagioem, qui omnibus incitamento, & adiumento fuit ad virtutem, non ſolùm ad intuendum, verùm etiam ad imitandum, pro tuâ in viuentem, defunctúmque pietate, quæ prorſus egregia fuit, exprimas. Ego verò, qui clariſſ. Perescium eius loco ſemper habui, io quo vireis ſuas natura potiſſimùm experta eſt, vt hominem produceret, cui nihil deeſſet, quod eximium, booeſtúmque mortalibus concedi io hac vita poſſit; illúmque pro eo, ac debeo, verbis ornare non poſſim, quorum me pauperem reddit copia meritorum: propterea hoc vnum, vt facias, eoixè à te contendo; arbitrabórque meæ, & reliquorum pietati; qui Perescianos manes æterno cultu, gratiſſimáque veneratiooe proſequi debemus, factum eſſe ſatis; ſi non modò eruditiſſimum, atque munificentiſſimum, quod Orbis vniuerſi iudicio comprobatum eſt, ſed abſque exemplo maximum, ac optimum virum fuiſſe Perescium, ſummúmque literatorum fautorem, & cùm prudentiâ, tum eruditione, ac omoi virtutum genere excellentem, eóque nomioe inter ſæculi noſtri miracula habendum, colendúmque, per te, & præſens ætas, & futura cognoſcat. Vale, & niſi luges adhuc, lege, quæ lugens, & ingenti, ſubitóque mœrore perculſus ſcripſi. Romæ XVII. Kal. Auguſti M. DC. XXXVII.

EX CL. SALMASII PRÆFATIONE in Tabulam Cebetis Arabicam.

EX illo hominum genere, quos & priuatâ pariter, & publicâ causâ mœrere ereptos amici debent, fatis antè triennium conceſſit Nicolaus Fabricius Peireskius, quem virum vel nominare, laudare eſt. Eum, niſi fama talem ferret, qualem ego ſcio fuiſſe, penicillo hîc meo quamlibet rudibus lineis, atque obſcuris coloribus exprimere conarer, perfectiſſimum virtutis omnis, & omnigenæ eruditionis exemplar. Tentarem hoc, inquam, de cuius tamen vel minima parte dignè attingenda vix quidquam mihi promitterem. Præſtatem equidem quod debeo ſummis eius Viri erga me meritis, quæ nullum in me vitæ, quancumque dabitur, tempus obſuet, nulla delebit obliuio. Sed cùm

id

id aliter præſtare non poſſim, quin plura dicenda dictis prætermittam, ἀδυναμία omnium exequendorum numerorum, quos talis vita, & talis fama poſtulat; contrahere vela cogar, oráṁque legere ne in tam vaſto laudum pelago cum tenui cymbula deprehenſus naufragij pericliter. Hoc igitur ſufficiat dixiſſe, non alteri à multis retrò ſæculis Solem illuxiſſe, qui Reipublicæ literariæ promouendæ maiori cupidine flagrauerit, nec qui magis eam, dum vixit, promouerit. Vt non vnum Scientiæ genus curioſitatem eius prouocauit; ita nec vnum genus hominum beneuolentiam eius cum benefico animo coniunctam expertus eſt. Alij, quos innumeros eſſe ſcio, pro virili, ſi ingrati non erunt, prædicabunt quid, & quantum illi debeant. Quod ad me attinet, tanta ſunt, quæ in me contulit, tótque modis, quibus potuit cumque, ſtudia mea adiuuare niſus eſt, vt cogitatione ea comprehendere vix detur, nedum verbis exponere queam. Quibus omnibus adiumentis, ac præſidiis quando hodie mihi, illo amiſſo, carendum eſt, cum maxima ſtudiorum meorum, Ægyptiorum præcipuè, & Arabicorum remora, & impedimento; plus tamen defleo, quod Reſpublica literaria in illius Viri morte ſibi abeſſe perſpicit, quàm quæ mihi video periiſſe, quantumlibet maxima illa eſſe, propriâ tactus iacturâ, etiamnunc ſentiam. Poſt illud damnum, quod meum non magis eſſe, quàm totius Reipublicæ detrimentum fateor, & quidem maximè deplorandum, non aliud grauius, &c.

EX EPICEDIO PERESCIANO
ERICII. DORMALII
Ad Eminentiſſimum Principem
FRANCISCVM BARBERINVM
S.R.E. CARDINALEM.

Προτρεπτικὸν πρὸς Πέτρον τὸν Γασσένδιον.

Γράμμα τὸ σαβελικὸν δηλοῖ μόρον, ὃν ἐνὶ πᾶσαν
  Σβέσσε καὶ ἡμετέρης λαμπάδα χαρμοσύνης.
Αψ δὲ ζωγραφίων βιοτήν τε, καὶ ἤθεα φωτὸς,
  Δεύτερον αὐτέτλας, Πέτρε, τὸν ἠέλιον.
Ἀλλὰ φίλος τάχιον φρυκτώρει, ὡς ἀναφλεῦσαι
  Μοὶ σέθεν ἐκ χαρίδος, τηλιάδα μενέω.

Φιλοξενία, καὶ φιλοδωρεία.

Πῶς ἂν ἔπειτα θέλων, Πειρέσκιε, σεῖο λαθοίμην,
  Ἀμφὶ φιλοξενίης, καὶ μεγαλοφροσύνης;
Τίς γὰρ ἀπ' ἀλλοδαπῆς φιλαθηναίων κατὰ Κελτοὺς
  Ἦλθε θέων, καὶ σοῦ κεῖθεν ἄγευστος ἔβη;
Τίς πάρα σοι ξενίων οὐκ ἔμμορεν; ὥστε τις αἰεὶ
  Ἐν τε Κύδωνας ἔδω, καὶ πάρα σοί τις ἀεί.
Οὐ δόμος ἦν, ξεινὼν δὲ δόμος τεὸς, ᾧ με πενιχρὸν,
  Καὶ ποτὲ ΒΑΡΒΕΡΙΝΟΝ τὸν μεγαν᾽ ἐξένισας.
Χαῖρέ μοι, ὦ Φραγκοῖο κλεινὸν πέδον, ὅττι σε τρεῖς
  Μῦνος ὁ ἀγλαΐσας, φροῦδος ἀπηγλάϊσεν.

Θρηνητικόν.

Μουσοπόλων πρόβλημα μονώτατον, Ἑλλάδος ὄμμα
  Δεξιὸν, Ἀονίδων ἅρμα, καὶ ἡνίοχος,
Κεῖται Νικόλεως Πειρέσκιος. ᾤχετο δῆθεν,
  Ὤιχετο, ἀλλὰ φίλοις βάσκανος λιπόρθμος.

Οὐ μὰ τὸ, οὐ δηρὸν μεμαψύσομαι, ὄφρα μετέλθω
Σοὶ, κείνας χρυσεῦ ἐς Κλυμβύσιο πύλας.
Τόφρ' ἀπ' ἐμεῖο δέχου ἐλεγεῖον, ὃ πενθαλέω
Γραψάμενος θερμοῖς δάκρυσιν, οὐ μέλανι,
Δάκρυσιν, οὐ μέλανι γράψας, Πάτερ, ἐκ γὰρ ἅπαν μου
Κελτικὸν, ἓν σοι ἅπαν μουσικὸν ἐξεκόπη.

Κενοτάφιον.

Ποῦ σέο τοῦ θείου τὸ κενήριον, ἐν τίνι σηκῶν;
Ἐν βωμῶν τινι, ὦ πᾶν φίλον ἡμέτερον
Φαβρίκι; οὐκ ἄλλη περιπόθητέ σ' ἐν οὐδενὶ βωμῷ,
Η νεῷ, ἀλλὰ μέσῃ θήσομαι ἐν κραδίῃ.
Ἐν κραδίῃ, ψυχὴν γὰρ ἀφήρπασας, ὥστε σοι ἔμμεν
Τοῦτό μου ἡμιθανὲς σῶμα, τάφον κενεόν.

Cætera Elogia, tam proſâ, quàm carmine, volumine alio collecta ſeorſim edentur.

FINIS.

TYCHONIS

TYCHONIS BRAHEI, EQVITIS DANI ASTRONOMORVM CORIPHÆI VITA,

ITEMQVE

NICOLAI COPERNICI, GEORGII PEVRBACHII, & IOANNIS REGIOMONTANI, celebrium Aſtronomorum.

AD VIRVM ILLVSTREM

HENRICVM LVDOVICVM HABERTVM MON-MORIVM,

LIBELLORVM SVPPLICVM MAGISTRVM INTEGERRIMVM,

IN TYCHONIS BRAHEI VITAM PETRI GASSENDI

PRÆFATIO.

VIR ILLVSTRIS

Quod cenſuiſti, vt facerem, feciſſe me heic approbo, dum Vitam celebris illius Tychonis Brahei conſcriptam exhibeo. Cùm enim ante annos ſex, incipiente ad me redire, quaſi poſt-liminio, valetudine, ea me ſubiiſſet cogitatio, vt commutandi aëris gratiâ, diſceſſurus in patriam, deferrem quicquid monumentorum ad Tychonis Vitam attinentium mihi foret præ manibus; tum venit mihi quoque in mentem, adeſſe Regiomonti Pruſſiæ, ac Medicinam illeic facere præclarum Virum Ludouicum Keplerum, magni illius Ioannis filium, qui Tychonis Obſeruationes à Parente acceptas hæreditario iure poſſideret. Quare & ſubinde ad Virum eximium, carúmque amicum, Ioannem Heuelium, Dantiſcanæ Reipublicæ Conſulem (præclarum videlicet illum Selenographiæ authorem) dedi literas, quibus ipſum interpellaui, vt pro ea, quæ ipſi cum memorato Keplero intercedebat amicitia, obtineret mihi ab eo quidquid ſingulare aut per ſe ipſe noſſet, aut à Parente accepiſſet ad Tychonis Vitam illuſtrandam attinens; neque id modò, verùm etiam quidquid attineret ad ipſum Parentem, vt cuius Vitam conſcribere, niſi ſeorſim, at ſaltem conjunctim, miſtímque cum ea, quam Tychonis meditabar, in animo haberem. Reſcripſit autem Heuelius in hæc verba: *Mihi hac obſignanti literæ, à D. Keplero traduntur, ex quibus recipit ſe curaturum, vt breui vtriuſque Vitam, Tychonis ſcilicet, & Kepleri, vt & origines, cum omnibus circumſtantiis, typis exſcriptam habere poſſis.* Tametſi verò ille optimus Laurentius Eichſtadius, Ephemeridum ſcriptor, viſis penes Heuelium meis literis, ſponte, ac eodem tempore, quicquid perſpectum circa ea, quæ indigitâram, haberet, perſcripſit; ac iiſdemmet peoè diebus, plura fui nactus à Viro itidem optimo Olao VVormio, Medico Hafniæ Profeſſore (qui exſtincto recèns Longomontano collega, & familiaris fuerat, ac ab eo non pauca de Tychone nôrat) ratus nihilominùs fore,

vt

vt nihil aliud, quàm actum agerem, omnem prorſus dirigendorum commentariorum curam depoſui; digreſſúſque in Prouinciam, reſtituendæ, confirmandæque vacillanti adhuc ſanitati præſertim incubui. Annus eſt, ex quo & meliùs iam habens, & hûc regredi cogitans, cùm viderem quinquennium elapſum, ex quo factum mihi ea ſpes fuerat, interpellaui rurſus Hevelium, vt quid id rei foret, innueret: nam me quidem voluiſſe nihil ab eo tempore pertentare. Ille, cùm præclaro Bullialdo, communi noſtro, feciſſet reſcribendi ſpem, nihil tamen reſponſi dedit; ac ob id quidem, vt par eſt credere, quòd diu, grauitérque laborauerit; vt aliunde, nec ſine magno meo dolore, noſſe eſt datum.

Appuli hûc deinceps Vere nupero; & quia Tu ante meum diſceſſum, conſcius futuri reditus, præoccupâras, inſtruerâſque, non modò humaniſſimis tuis, ſed adhibitis etiam cariſſimorum nobis capitum Capellani, ac Neuræi, repetitis literis, vt neque aliò diuerterem, neque hoſpite alio vterer, quàm Te; id conceſſi omninò tuæ erga me & tam feruenti, & tam multorum iam annorum beneuolentiæ. Cùm procedente verò tempore, inter conſertos varios in illa tua erudita, jucundiſſimáque conſuetudine ſermones, quæſiiſſes aliquando ex me, quónam euaſiſſet conſilium, quod nôras abs me de Vita Tychonis ſcribenda ſuſceptum, ipſéque expoſuiſſem, qua mihi occaſione injecta fuiſſet remora; occœpiſti ediſſerere, aut non debuiſſe pridem me, aut non debere certè jam ſpem mihi factam quidquam morari. Poſſe aut Kepleri, aut alterius votis interceſſiſſe aliquid, quod inſtitutum auerterit; poſſe & fieri, vt tametſi Vita illeinc deinceps prodeat, quæ ſingularia plura contineat; in conſcripta tamen abs me occurrant etiam aliqua, quæ in illa deſiderentur, quæque pariter Viris eruditis, harúmque rerum amantibus cognoſcere jucundum ſit. Fore, vt exinde Tychonis gloria, cuius promouendæ (ob eam, quam ille ab omnibus bonis promeritus eſt, gratitudinis teſtationem) ſtudioſus ſemper fuerim, tantò euadat illuſtrior, quantò plures erunt, qui in id conſpirabunt, vt Vitæ ipſius conſcribendæ operam dent. Timendum eſſe interim, ne, dum alter alteri fidit, & præſtitum iri ab alio, quod per ſe ipſe poſſet, exſpectat; nemo id, quod eſt opus, aut aggrediatur, aut perficiat; ſicque copiâ illum, cui laborandum fuerit, inopem, vt dicitur, faciat. Annos iam ampliùs quinquaginta à Tychonis obitu eſſe; & rem tamen eſſe à nemine eorum, qui fuere cum illo verſati (quique vberiùs, cumulatiúſque ſingula vt noſſe, ſic deſcribere poterant) ſuſceptam; quare & niſi ego, qui aliquos nôrim ipſi conuerſatos, & non pauca reſciuerim, quæ ex editis libris addiſci non poſſint, id operæ aggrediar; euenturum fortè, vt integra etiam ſæcula elapſura ſint, abſque eo, quòd quiſpiam id moliri ſuſtineat, aut iis, quibus ego, inſtructus ſubſidiis (quantulacumque ea ſint) faciat. Dolere me neminem eſſe, qui Hipparchi illius Rhodij, quicum Tychonem conferre ſoleo, Vitam ad nos tranſmiſerit; cogitandum ergo mihi eſſe, quàm bene de ſeris poſteris meriturus ſim, ad quos per me peroeuerit, quantum jam habere adhuc licet, eximij Viri notitiam. Cùm hiſce ergo, & pluribus, quæ pro tuo illo erga bonos, benéque de humano genere merenteis affectu, ediſſeruiſti, permotus forem; recepi exſequuturum me, ac jam obſtrictam libero fidem.

Quandoquidem verò, occaſione eorum, quæ de Obſeruationibus à Tychone factis, inter colloquendum interſerui, ſciſcitatus es de Obſeruationum antiquitate, & progreſſu multa, quibus quæ reſponſa à me fuere, viſa tibi eiuſmodi ſunt, vt ea etiam chartis committi expeteris; en, vt breuiter tibi faciam ſatis. Principio indubium videtur, aliquam rerum Cæleſtium obſeruationem non minùs eſſe, quàm ipſam Hominum originem, antiquam. Siquidem tam præclarum eſt, tantíque vſus ſpectaculum, quod exhibetur cælitus, vt eſſe homines non potuerint, & non habere oculos ad id obſeruandum intentos. Nam, cætera inter, cùm viderent Solem non ex iiſdem locis dietim oriri, non in eadem occidere; certis temporibus humiliùs, certis altiùs aſcendere; ipſo humiliore facto Hiemem, altiore Æſtatem creari; non potuere ſanè non attendere ad hanc viciſſitudinem, iuxta quam fore ſibi tempeſtatem aſperiorem, mitiorem ve

remve ſperarent. Fuit aliunde Luna ſuâ illâ facierum commutatione eiuſmodi, vt non potuerit non oculos in ſe conuerſos facere; & maximè quidem temporibus ratis Phaſcis repetens; ob quas euenîſſe videtur, vt nulla non Natio illius circuitibus dimenſa fuerit tempora; idque, cùm Solis euectionibus, depreſſionibúſque frequentiores forent. Prætereo illam adeò pulchram nocturnorum Siderum faciem, ſnas quoque pro varietate tempeſtatum variationes ſubeuntem; ac ſpeciatim Luciferum nunc ſeriùs, nunc maturiùs, nunc nullatenus Soli præexorientem; cæteráque id genus ſimilia; ac adnoto ſolùm, licet homines huiuſcemodi varietatum cauſas tardiùs diſquiſierint, ac inuenerint; longè tamen antè eas animaduerſas, admirationéſque fuiſſe habitas, &, incompertâ licet causâ, vſibus vitæ accommodatas. Hùc attinet, quòd, qui Prometheus hominem finxiſſe primus dicitur, perhibetur quoque os illi ſublime dediſſe, vt talis eſſet, qui ab ipſo exortu vultus, oculóſque in Cælum, ac Sidera erectos haberet. Porrò quia hæc eſt generalis ſolùm, rudiſque obſeruandi ratio; ac ea requiri tempora poſſunt, quibus factæ Obſeruationes occaſionem primam condendæ cujuſpiam artis fecerint, Aſtronomiæque adeò originem præbuerint; res eſt ex veterum Scriptorum monumentis intelligenda.

Et ex Literis quidem Sacris res haberetur planè confecta, ſi vel leui quodam veſtigio deduci ex iis poſſet, quod ait Ioſephus, poſteros Sethi ante Diluuium Siderum Scientiam adinueniſſe, ac duabus columnis, vni lateritiæ, alteri lapideæ illam inſcripſiſſe, vt ſaltem ſeruari in lapidea, futuri Diluuij injuriam ſuperatura, poſſet: aut, ſi exſtaret certè vel leue indicium eius rationis, quam idem reddit, tam longæuæ apud illos vitæ; vt eſſet nimirum ſatis temporis ad perficiendum Aſtronomiam, quæ exigat annos minimùm ſexcentos, vt varietates omnes motuum Cæleſtium poſſint obſeruari. Ideò ſcilicet ille notat Magnum, vti appellant, Annum ex ſexcentis annis vulgaribus conſtare, quòd vulgaris opinio ſit cæleſteis motus ſemper variari, Lib.1.Antiq. cap.3. cap.4.

Donec conſumpto, magnus qui dicitur, Anno,
Rurſus in antiquum redeant vaga Sidera curſum,
Qualia prætcriti ſteterant ab origine Mundi. Epigr. de ætat.anim.

Cúmque ex Sethi ante Diluuium poſteris vnus prophetaſſe Enochus à B. Iuda Apoſtolo memoretur, poſſet res confecta haberi, ſi aut Enochus memoraretur, quidquam attigiſſe de Sideribus; aut Spurium non fuiſſe eum librum conſtaret, in quo arcana quædam de ſtellarum nominibus ab Enocho ſcripta Origenes, & Tertullianus prodiderunt; aut niſi hunc Librum B. Hieronymus apocryphum diceret; & non D. Auguſtinus ipſum iure abeſſe à Scripturarum canone apud Hebræos cauſaretur. Vt taceam poſſe videri mirum, non Ioſephum quoque eius meminiſſe; niſi fortè fecit, quòd, cùm cenſeret Patriarcharum illorum vitam eſſe ſexcentorum minimùm annorum debuiſſe, vt Aſtronomiam perficerent, noſſet excipiendum Enochum, qui vltra trecentos ſexaginta quinque annos non vixiſſet. Epiſt. Cath. Hom.18. in Num. lib.de hab. mul. in 1.ca. Ep.ad Tit. 15.de ciuit. 23. Gen.5. cap.9.

Poſſet quoque videri res à Diluuio penè confecta, ſi vel minimum eſſet verbulum, ex quo argui poſſet quod ab eodem perſcribitur, fuiſſe Ægyptios ab Abrahamo edoctos Aſtronomiam: ſed nimirum potuere quidem & Beroſus, & cæteri tam ipſi Ioſepho, quàm Euſebio citati, tale quid legiſſe in aliquibus priſcorum Rabbinorum libris; at non ſanè in Literis Sacris, apud quas eſt altum hac de re ſilentium. Quin-etiam pij Doctores ſunt, ac cæteros inter, Salianus, qui id ne probabile quidem putent, ob paruam Abrahami in Ægypto moram; ac cenſeant proinde poſſe id vero-ſimilius de Ioſepho illius pronepote dici. Et profectus quidè fuiſſe Abrahamus de Vr Chaldæorum legitur; at non proptereà legitur ipſum, aut accepiſſe à Chaldæis; aut ab iis ad Ægyptios tranſtuliſſe Aſtrorum ſcientiam. Ad Ioſephum verò eius pronepotem quod ſpectat, is legitur quidem fauiſſe Sacerdotibus, cùm terram Ægypti vniuerſam, occaſione diræ illius, ac diuturnæ famis, Regi oppignerans, Sacerdotum terram excepit, *quibus etiam*, inquit Scriptura, *ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur*; at cùm exinde comprobetur, quod habet Ariſtoteles, apud Ægyptios, quos aliunde voluit eſſe populorum antiquiſſimos, *fuiſſe Sacerdotes feriari permiſſos,* cap.3. cap.3. l.9. c.4. Ad an.1470. Gen.12. Gen.47. 1.Polit 10. 1.Metaph.1.

hancque

hancque exſtitiſſe illis occaſionem conſtituendi Mathematicas; Ioſephus nihilominùs nec magis, nec minùs illos edocuiſſe, quàm ab ipſis didiciſſe, Mathematicas legitur. Fortaſſis quoque gratia illa, quâ Sacerdotes eſt proſequutus, non modò eius venerationis, quâ illi apud Regem, & populum erant, argumentum fuit, ſed etiam gratitudinis quâ erga eos fuerit, quòd ipſe, puer paſtoritiùs, diſciplinarúmque ignarus, ad eos appulſus, & in Aula potens, quidpiam edoctus ab ipſis fuiſſet. Sanè & deinceps diuinus Moſes in eãdem Regiam Aulam inductus, non tam qooſquam erudiiſſe, quàm ipſe *eruditus* fuiſſe *in omni*
Act.7. *Sapientia Ægyptiorum* memoratur. Interim verò cùm hæc Sapientia complexa haud-dubiè Mathematicas fuerit; ac inter Mathematicas Aſtronomia ſemper præcelluerit; videri hæc Moſis eruditio poteſt antiquiſſimnm, quod exſtet in Scripturis Sacris ſcientiæ Siderum monumentum. Poſſet adhuc haberi antiquius, ſi probari poſſet, quod nonnulli cenſent, fuiſſe à Moſe Iobi hiſtoriam,
cap.9. vt ſuperioris æui, conſcriptam; quippe in ea Iobus meminit Arcturi, Orionis, atque Hyadum; prorsùs vt oportuerit fuiſſe tunc Stellas in Aſteriſmos artificio quodam digeſtas. Sed de tempore vtvt ſit; adnotari ſaltem hîc poteſt, videri Iobum, cùm foret Iudæis alienigena, hauſiſſe Dei cognitionem ex eo, qui in Scriptura Sacra *Cælorum Exercitus* appellatur; quando inuiſibilia Dei ex iis, quæ facta ſunt, conſpectis, non aliâ re intelliguntur magis; & merito
De dono ad Pæon. iure Syneſius Aſtronomiam vocans ὑπὲρ σεμνὸν ἐπιστήμην, *ſummè venerabilem ſcientiam*, eſſe eam dicit euectionem ad quidpiam antiquius, honorabiliuſve; ineffabilem ſcilicet Theologiam. Vt breue faciam, ac id prætercam, quod
Sap.7. legimus Deum Salomoni dediſſe, *vt*, cætera inter, *ſciret Anni curſus, & Stellarum diſpoſitiones*; ſi quid ex Sacris Literis expreſsè probat antiquitatem obſeruatorum Siderom, artíſque cuiuſpiam ex ipſis obſeruatis cõſtitutionem, id eſſe videtur quod ſacri Prophetæ querebantur jam temporibus ſuis, Chaldæos eſſe,
Eſa.47. qui Babylone *contemplarentur Sidera, & ſupputarent menſeis, vt ex eis ventura annunciarent*; ſcilicet ex hoc intelligitur, fuiſſe debere obſeruationem, artémque quandam Siderum apud Chaldæos peruetuſtam.

Ad Ethnicos verò Scriptores quod ſpectat, dicendom eſt primùm de fabuloſa temporum parte, quatenus veri quidpiam latere ſub fabularum inuolucris
Lib.3. poteſt. Atque vt à Deorum antiquiſſimo exordiar; is non alia de cauſa *Cælus*, Græcè οὐρανὸς ex Siculo Diodoro, fuit dictus, quàm quia impensè deditus obſeruationi Siderum fuit. Ipſius liberi cùm plurimi fuerint, ac imprimis Atlas, Saturnus, Titanes, in quibus ſpeciatim Hyperion, & Iapetus; reputari poteſt totam penè eius familiam in eandem Cæleſtium curam incubuiſſe. Nam, cùm Cælus in Mauritania ad Oceanum degeret, ác exinde latè non in Africa modò, ſed etiam in Europa regnaret; notum eſt Atlantem, qui illi in eadem regione ſucceſſit, ideò cenſeri feciſſe nomen celebri illius regionis Monti, quòd ex eo Sidera obſeruaret: nimirum antiqui, vt etiam-num vulgus, tam propè abeſſe Cælum reputabant à verticibus montium, vt quantò altiorem quis conſcenderet, tantò ſpectare Sidera clariùs, diſtinctiúſque exiſtimaretur. Addunt
Lib.3. l.2. c.8. Diodorus, Plinius, & alij ideò creditum fuiſſe Atlantem ſuſtentare Cælum ſuis humeris, quód fabricatus fuiſſet Sphæram, in qua totum Cælũ repræſentaretur:
Strom 1. Clemens verò Alexandrinus adnotat poſt Herodotum, Herculem, cùm Vates, & Phyſicus foret, dictum fuiſſe Mundi columnas ab Atlante (fortè vt propatruo) ſuſcipere, eumve onere Cæli ſubleuaſſe, quòd illi in ea ſcientia, ſtudióve Cæli ſucceſſerit. De Heſpero Atlantis filio, proditum eſt, cùm Sidera ex eo-
Diod. ibid. dem monte ſpecularetur, morbo ſubito abreptum euanoiſſe; ac plebem ob illius pietatem, & iuſtitiam, nominaſſe ex eo pulcherrimam ſtellam, quæ & Veſperugo (Venus ſcilicet, dum eſt occidua) dicitur. De illius ſororibus, quæ & Atlantides, & Pleiades dictæ, fecere ob idem ſtudiom nomen illi ſtellarum glomerulo, qui in Tauri dorſo conſpicuus eſt, attingo ſolùm fuiſſe vnam illarum Majam, è qua natus Mercurius ſcientiam Siderum tranſtuliſſe dicitur in Ægyptum. Exinde eſt nempe Manilianum illud de Ægyptiorum Aſtronomia,

1. Aſtron. *Tu Princeps, authórque ſacri, Cyllenie, tanti.*

Quanquam aliunde Æthiopes, cùm velint Ægyptios eſſe ſui coloniam, vt ex

Diodoro

Diodoro intelligitur, contendunt eoſdem à ſe Siderum ſcientiam accepiſſe, vti lib 5.
apud Lucianum eſt. Dignum certè eſt memoratu, quod, vt de Atlante, ac Pro- lib de Aſtrol.
metheo, ſic de Cepheo Æthiopum Rege ait Cicero, cùm, *Nec verò*, inquit, 5. Tuſcul.
Atlas ſuſtinere Cælum, nec Prometheus affixus Caucaſo, nec ſtellatus Cepheus cum uxore, genero, filia traderetur; niſi cæleſtium diuina cognitio nomen eorum ad errorem fabulæ traduxiſſet.

Iam de Saturno alio Cæli filio, qui relictâ Africâ, in Italia, Sicilia, Cretáque regnauit, hoc ferè argumentum eſt, fuiſſe eum Paterna ſtudia proſequutum, quòd lentiſſimus Planetarum eius nomine ſit donatus; fortaſſis quòd illius motum primus omnium deprehenderit, ac dictus Κρόνος, quaſi *χρόνος*, *Tempus*, ex eo fuerit, quòd nullus foret animaduerſus ex cæleſtibus circuitibus diuturnior. Cùm ex illius verò filiis, Pluto Agriculturâ, Neptunus Nauticâ magis afficeretur, cenſeri poteſt Iupiter in nobiliorem curam ſucceſſiſſe; ac ideò delegiſſe montem omnium celſiſſimum habitum, Olympum videlicet, vnde Sidera obſeruaret; vt proinde & ipſe dictus fuerit Olympius; & montis Olympi denominatio tranſlata in Cælum, cuius quia leges perſpectas haberet, idcircò regnare in Cælo fuerit creditus. Cùm Græci certè partim ad Deos, partim ad Heroas, partim ad Sapienteis referrent hanc ſcientiam; inre Achilles Tatius hac occaſione Æſchylum citat, Deo tribuentem, vt Aſtrorum ortus, occaſúſque oſtenderit, & Hiemem, Ver, cæteráſque tempeſtates diſtinxerit, quod ipſum Ioui tribuit Ouidius,

Diod. l. 5 & & alij.

Iſag. ad Phæn.

> *Pérque Hiemes, æſtúſque; & inæqualeis Autumnos,* 1. Metam.
> *Et breue Ver, ſpatiis exegit quattuor annum.*

Vbi & quod præmittitur fuiſſe Saturnum in Tartara à Ioue miſſum, reuinctúmque, deſignare videtur Iouem, cùm ſibi feciſſet cognominem Stellam, feciſſe & cognominem Patri Stellam vlteriorem in profundiſſimo Æthere quamſegniſſimè progredientem: quanquam videntur hæc nomina longè poſteriùs indita; (cùm antiquius ſit, vt Stella Iouis Phaëton, Saturni Phænon appelletur.) Ita penè porrò intelligi ex Luciano licet, qui & Tartarum interpretatur loc. cit.
altitudinem aëris ingentem, & negat idcircò Saturnum à Ioue aut in Tartarum præcipitem datum, aut conjectum in vincula, quatenus vulgò homines putant: Ad Hyperionem quod attinet, docet Diodorus illum, cùm eſſet Cæli fi- lib. 5.
lius, Solis, Lunæque curſus monſtraſſe; ac ideò ex filij eius nomine fuiſſe Solem Helion, & Lunam ex filiæ nomine Selenem vocatam. Poſtremo verò Iapetus, & ipſe Cæli filius, nihil quidem laude dignum peregit; at Prometheus ex ipſo natus, ideò alligato in Caucaſo monte, cordéque ab Aquila exeſus, interpretante Seruio, perhibitus eſt, quòd nimia cura, & ſollicitudine Aſtra ob- in Eccl. 7.
ſeruârit ex monte *Sideribus penè*, vt ille ait, *vicino, ac ideò maiora Aſtra demonſtrante, & diligenter eorum ortus, occaſúſque ſignificante.* Prætereo autem, quod idem docet, fuiſſe eum primum, qui Aſtrologiam Aſſyriis (vicinis nimirum Caucaſo) indicauerit; ac adjicio ſolùm, non alia de cauſa videri illum creditum homini animando detuliſſe ignem è Cælo in Terram, quàm quia hauſtam cælitùs ſcientiam in homines transfuderit, eiúſque amore illos inflammârit. Quod ſupereſt enim, cùm apud Aſſyrios idem ſit Belus, qui Iupiter, vt à Dio- Lib. 2.
doro ſcribitur; ipſe eſt potiùs, qui apud illos vt *ſacratiſſimus Deus eſt*, ita habe- l. 37. c. 10. & l. 7. c. 26.
tur, juxta Plinium, *Sideralis ſcientiæ inuentor.*

Nihil verò neceſſe eſt percurrere jam cætera, quæ prætereà fabuloſa habentur; v.c. quòd tritum illud de Phaëtonte ſic interpretantur, vt Solis curſum repererit quidem, ſed moriens tamen eius doctrinam imperfectam reliquerit; quod tuentur Bellerophontem non equo victore, ſed contemplatore animo elatum in Cælum; quòd Dædalum ea contemplatione, quaſi alarum remigio ad Arctos euectum, quam Icarus non imitatus (quippe rationum demonſtrationes, vt Gregoras habet, non perinde intelligens) à germana rerum cæleſtium In Syn. de Aſtrol.
cognitione exciderit; & quæ plura alia Lucianus recenſet; vt de Endymione Lunæ amaſio, de Tireſia Vate, & ſimilibus. Vnum tamen præterire non juuat, quod tam apud ipſum, quàm apud Tatium memoratur, quódque, quia iam eſt In Iſag.
Heroïcorum temporum, accedere propiùs ad id, quod Hiſtoricum appellant,

videtur. Illud eſt, quæ ſuborta fuit inter Atreum, & Thyeſtem de Regnọ contentio. Cùm publico enim Argiuornm, conſenſu illi eſſet Regnum decernendum, abs quo præclarius quoddam ſcientiæ exhiberetur ſpecimen; idcircò fuit Regnum ipſi Atreo delatum, quòd licet Thyeſtes Arietem in Cælo monſtraſſet (vode & fuit aureo Ariete donatus) ipſe tamen qnidpiam pręſtantius propalauerit, dum exortuum Solis varietatem ediſſerens, oſtendit non eodem Solem, & Mundum (hoc eſt Orbem ſtellatum) ferri, ſed in parteis oppoſitas; & eum, qui Mundi occaſus eſt, ipſum eſſe exortum Solis. Heinc eſt illud Euripidis,

Δείξας γὰρ ἄστρων τὴν ἐναντίαν ὁδὸν,

Qui Aſtrorum enim contrariam oſtendi viam.

Ad eadẽ ſpectat tempora, quod celebre eſt Herculẽ inſtituiſſe primum Olympica certamina, quæ poſt factam ioterruptiooem Iphitus inſtanrauerit. Quia
cap.18. enim ij ludi non alio fine fuiſſe inſtituti (vt ex Cenſorino intelligi poteſt) videntur, quàm ne ob illorum celebritatem ignotari poſſet quæ faciẽda foret quarto quoque anoo ſeſqui-menſis iotercalatio, ob quater vndecim, ſeu quadraginta quatuor dies, quibus motus Luoæ Solarẽ anteuerteret; & quater ſex horas, ſiue voum diem, quo Solis circuitus diebus quater trecẽtis ſexaginta quinque eſſet major; idcircò id factum citra obſeruatos Solis, ac Lunæ motus non poteſt. Spectat & quod ferunt de Orpheo, qui debuerit ſanè obſeruaſſe ſeptem Planẽtas, ſi
de Aſtrol. probabile ſit, quod ait Lucianus, ipſum illorũ harmoniá repræſentaſſe per ſeptichordẽ Lyrá, quam propteteà Græci in Cælo deſignauerint per aliquot ſtellas. Spectat, quod Sophocles de Palamede ait, qui & cęleſtia mõſtrârit, & ſpeciatim,

Ἄρκτου στροφάς τε, καὶ κυνὸς ψυχρὰν δύσιν,

Vrſæ rotatus, gelidum & occaſum Canis.

Spectat deniqne, quod Homerus recenſet, vt res iam tum iis temporibus, notas, ptæter Booten quidem, & Vrſam, ſeu Plauſtrum,

Odyſſ.E. *Πληϊάδας Ὑάδας τε, τό τε σθένος Ὠρίωνος,*

Pleiadas, atque Hyadas, robúrque ipſum Orionis.

Vt jam accedamns ad Hiſtoricum tempus, tota penè de Obſeruationum antiquitate controuerſia; inter Ægyptios, & Aſſyrios, Babyloniósve agitur. Nam Græci quidem, qui viderentur poſſe cum ipſis contendere, hanc illis palmam,
In Epin. vel ipſius Platonis confeſſione, cedunt. Is ſcilicet, *Qui primus*, inquit, *iſta inſpexit, fuit Barbarus. Antiqua enim regio Viros illos nutriit, qui primi ad iſta applicuere animũ, ob æſtiuam Cæli pulchritudinẽ, qualem obtinet Ægyptus, & Syria, vbi omnes, vt ſic dicã, ſtellæ perſpicuæ, tanquã amandatis procul nubibus, pluuiiſque, cernuntur.* Et certè, ſi illud, quod iam attigi de Iphitea inſtitutione, ioſtaurationéve Olympiadum, quæ aonis paullò minùs octingentis ante Chriſtum contigit; itémque libros
cap.18. non modò Homeri, ſed maximè quoque Heſiodi, qui ſub idem tempus, aut non multò antè flornerunt, excipias; nihil habent Græci antiquiùs obſeruationibus Thaletis, qni annis ſexcentis ante Chriſtum floruit, &, quam adhuc habuit cæleſtium rerum notitiam, ipſam ex Ægypto deduxit. Cùm ſoli itaque Ægyptij, illorúmve Sacerdotes ſint, qui cum Aſſyriis, ſeu Babyloniis, Philoſophiſve illorum, Chaldæis vocatis, de Obſeruationum vetuſtate certeot; difficile ſaoè eſt
2.At.8.in Epin. dictu, vtris ea tribuenda laus ſit. Nam quamvis Ioſephus & alij Chaldæis primas tribuant, aut Lactantius, & alij pro Ægyptiis ſtent; & Plato tamen, & Ci-
lib.2.cap.14 De diuin. cero, & Diodorus, & Locianus, & Achilles Tatius, & alij ſic vtroſque citant,
lib.1. & 28 lib. de Aſtrol. in Iſag. vt vtrique non alia, quàm ſua ipſorum fide nitantur. Neque id ſanè mirum; quando vtrique ſe pariter camporum planitie, ſerenitatéque aëris toentur, vtriqoe dicunt alteros quandam ſui eſſe coloniã; vtrique initia fabuloſa jactant, quæ diſcutere operoſum ſit; vtriqoe paria de tempore, ex quo vſque obſer-
loc.cit. uant cæleſtia, mentinntur. Chaldæi eoim apud Diodorum incubuiſſe ſe illis dicunt ab annorum millibus quadringentis tribus; & Ægyptij apud Cicero-
loc. cit. nem, millibos quadringentis, & ſeptuaginta. Niſi fortè Ægyptios velis vincere, quòd pretium ſibi auctione faciant? Quaſi ipſis ſatis non fuerit jactare illa
in Præfat. apud Laërtium aonorum millia quadringiota oouem, quibus ab vſque Vulcano Nili filio, ad vſque Alexandrum Macedonem Eclipſes contigerint, Solis quidem trecentæ ſeptuaginta tres; Lunæ verò octingentæ & triginta duæ;

Hilce

Hiſce itaque prætermiſſis, negandum non eſt quidem, quin aliquot ſeculis ante
Thaletis, cæterotúmque Græcorum peregrinationes, Ægyptij obſeruauerint;
at ex quo vſque tempore, res in fabuloſum, ac planè occultum reuoluitur tem-
pus. Cúmque tametſi Plinius ſcribat Epigenem non antiquiores apud Babylo- lib. 7. c. 56.
nios reperiſſe obſeruationes, quàm ſeptingentorum viginti annorum coctilibus
laterculis inſcriptas; & quæ Eclipſes antiquiſſimæ ex iis repertæ, fuere ab Hip- lib. 4. c. 6.
parcho ad Ptolemæum tranſmiſſæ, eodem propè annorum ante Chriſtum nu- Almag.
mero ſint; ac ad idem tempus pertineat, quod Beroſus, & Critodemus non an-
tiquiores exſtare ſuo tempore dixerint, quàm quadringentorum triginta anno-
rum; vt apud eundem Plinium eſt: Cùm, inquam, amplius aliquid vltra id tem- loc. cit.
pus dederimus: at non profectò vltra id largiemur, quod ſunt ipſimet Chaldæi
profeſſi, cùm teſtati fuere interroganti Calliſtheni (Ariſtotelis ſcilicet hortatu, in lib. 2. de
vti apud Simplicium eſt) nihil ſe habere annis mille nongentis, & tribus anti- cælo, comm. 46.
quius; qui anni quidem incœpiſſe cum Nino Beli filio, & Aſſyriorũ Rege primo
videntur. Ac tanta eſt quidem, quæ colligi ad ſummum poteſt Obſeruationum
antiquitas, vt videlicet nõ excedat mille, & nongentos ante Alexandrũ annos.

At verò, ecquid tandem eſt, quod obſeruatum ab vtriſvis fuit? Quod exſtet
quidem, ab Ægyptiis nihil, à Chaldæis parùm. Nam Ægyptij quidem Caniculæ
exortum, & alia obſeruitaſſe perhibentur; refértque etiam Pomponius Mela in-
ſculpſiſſe illos obeliſcis ſuis, Sidera, ex quo Ægyptij ſunt, curſus ſuos quater mu-
taſſe (quod quatenus acceperint, aut quomodo intellexerint quod Herodotus lib. 2.
explicat, Solem bis ortum fuiſſe vbi nunc occidit, bis occidiſſe vbi nunc oritur,
hariolari nihil eſt neceſſe) at nulla obſeruati cuiuſquam, cum temporis deſigna-
tione, tranſmiſſa ad nos memoria eſt; à Chaldæis autem memoratas illas apud
Ptolemæum Eclipſeis; ſed nihil tamen ampliùs tranſmiſſum habemus. De Ægy-
ptiis verò cùm loquor, ipſum Ptolemæum ſepono, cæteróſque, qui Alexandriæ
ab annis circiter ante Chriſtum trecentis, ſeu poſt Alexandrum floruere, vt Ti-
mocharis, Eratoſthenes, Hipparchus: ij nimirum fuere vel Græci, vel ob Græ-
cam linguam Græcis accenſendi, potiuſquàm antiquis Ægyptiis, quorum in-
uentis, obſeruatiſque ne Ptolemæus quidem, ſine controuerſia Ægyptius, quic-
quam fuit adjutus. Sed enim, quod tam ad Chaldæos, quàm ad Ægyptios atti-
net, diſtinguenda ſunt duplicia obſeruata, quæ iuxta receptam vulgò diſtinctio-
nem dici Aſtronomica, & Aſtrologica valeant; illa pertinentia ad motus, ma-
gnitudines, diſtantias, proportiones Siderum; iſta ad effectus, quos à Sideribus
pendere hariolati ſunt, tam in affectionibus aëris, quàm in actionibus, rebúſque
humanis. Videlicet vtraque gens mirè in ſuperſtitionẽ prona, perculſa primùm
viſis mirandis Solis, ac Lunæ defectibus, ac adnotatis ſubindè Stellis, quæ con-
trariam cæteris irent viam, cogitare cœpit, & iſta non ſine cauſa contingere, &
opus ſolùm eſſe ſtudio, quo ea, quæ exinde portenderentur, cognoſci poſſent.
Vnde & quia, vt de Chaldæis ſpecialim Diodorus teſtatur; attribuere vim ma- lib. 2.
ximam quinque Stellis Errãtibus, illas nempe interpretati voluntatis Deorum
Nuncias, quòd nõ vnâ, eadémque viâ cum Inerrãtibus incederent: quòd nunc
ad hæc, nunc ad alia loca orirentur, & occiderent; quòd magnitudinẽ, colorém-
que variarent: ideò his, aliiſque huiuſcemodi varietatibus applicandũ eſſe ani-
mũ cenſuerunt. Cúmque exiſtimarẽt, quò locus editior, vnde hæc obſeruaren-
tur, foret, eò poſſe omnia diſtinctiùs, euidentiúſque perſpici; ideò fuere illis cõ-
ſtructa ſummæ altitudinis ædificia, ac Babylone nominatim immẽſa illa Turris,
deſcripta ab Herodoto, ex ſumma cuius area, in qua erat & Beli templum, Side- lib. 1.
rum ortus, occaſos, alia, poſſent exactè, vt Diodorus idem memorat, adnotari. loc. cit.
Deprehendere aliunde quinque illos Planetas eundem propè curſum, quem
Lunam, Solémque tenere, ac Zodiacum proinde ſignârunt, in eóque vim
eſſe inſignem ominati ſunt, quòd Planetæ omnes in ipſo ſemper verſarentur.
Diſtinxere autem ipſum in duodecim parteis, ſeu Signa; quòd cum Luna duo-
decies, donec Sol ſemel, percurreret; & pro numero dierum, quo Sol
vnum Signum peruaderet, ſubdiſtinxere quodlibet Signum in triginta par-
teis, quas dicimus Gradus. Mitto vt proinde voluerint, ex eodem Diodoro
duodecim eſſe principes Deos, quibus ſingulis vnum Signum, vnúmque men-

ſem tribuerint; vt triginta Stellas Planetis ſubſtituerint, quas & dixerint Deos
conſiliarios; vt duodecim ſemper apparenteis ad Boream, duodecim ſemper
inconſpicuas ad Auſtrum habuerint, quarum illas viuentibus, iſtas congregatis
mortuis deputârint, ſimiliáque inſomnia; ac refero ſolùm, quo artificio diſtin-
Adu. Aſtrol. xerint Zodiacum in duodecim parteis. Exſtat res Chaldæis quidem apud Sex-
1. tum Empiricum, de Ægyptiis verò apud Macrobium.
in ſomn. 21.

Vtrique igitur acceptâ in vaſe anguſti infernè foraminis aquâ, effluere illam
permiſere in vas aliud ſuppoſitum, ab exortu cuiuſpiam ſtellæ vna nocte obſer-
uato, quovſque nocte inſequente exoriretur iterùm. Exceptam vaſe inferiore
aquam diuiſere in parteis duodecim æqualeis, & paratis vaſculis duobus, vnam
aquæ duodecimam ſigillatim capientibus, ac refusâ totâ in vas ſuperius aquâ, at-
tendere ad exortum alicuius Zodiaci ſtellæ, permiſeréque effluere aquam in
vaſculorum alterum, & quo momenro id foret oppletum obſeruata ſimul alia
exoriente ſtella, commutauere vaſculum, & ſic alternis procedentes, niſi vna
nocte, ſaltem pluribus, adnotauere duodecim ſtellas, quibus totus Zodiacus in
duodecim parteis diſcriminaretur. Quàm illi proinde exquiſitè dimẽſi Cælum
fuerint, vel ex hoc exemplo conjectari licet. Adferrem aliud de Chaldæis ex
loc. cit. eodem Empirico, apud quem, cùm illi naſcentium hominum fortunas pendere
præſertim ab Horoſcopo, Signóve exoriente vellent, ſic ſe componebant ad id
obſeruandum, vt ex duobus vnus parturienri adſtaret, alter in loco edito conſi-
deret, ac nato mox infante, ille indicium faceret, iſte, quod tunc Signum exori-
retur, adnotaret: verùm referre aliud præſtat, quod de Ægyptiis habet Macro-
ibid. c. 20. bius. Ij, cùm vellent Solis Diametrum pernoſſe, habuere vas ſaxeum in hemiſ-
phærij formam exeauatum, & æquabiliter conſtitutum, cum ſtylo ad medium
erecto, & lineis horariis duodecim interductis. Ipſo autẽ die Æquinoctij, atten-
dentes ad momentum, quo Solis ora ſuperior horizontem ſtringeret, adno-
tauere ſimul in labro vaſis locum, quem præter-raderet ſtyli vmbra. Adnotato
deinde loco, in quem vmbra deſineret, dum ora Solis inferior emergeret ex ho-
rizonte, dimenſi fuere interſtitium inter duas vmbrarum notas, ac deprehende-
re id eſſe primæ horæ partem nonam, ſiue hemiſpherij centeſimam octauam, &
totius proinde circuitus ducenteſimam ſextam-decimam; deduxeréque exinde
Solis Diametrum eſſe ſui orbis ducenreſimam decimam ſextam partem (quæ
eſt tamen proximè ſeptingenteſima) ſeu continere gradum vnum, ac beſſem,
centúmve minuta; quæ eſt tamen ſolùm dimidij paulóve ampliùs, gradus, ſiue
minutorum triginta, aut triginta vnius. Non memoro autẽ tale eſſe & vas, quod
Lib. 9. cap. 9. Scaphen Vitruuius appellãs (vti & Martianus Capella Scaphidium) eius inuen-
Lib. de Geom. tionem Ariſtarcho Samio attribuit. Non memoro etiam praxim pridem fuiſſe,
vt diameter Solis captaretur per hydrologium, colligeretúrve ex aquæ toto die
Lib. de mac. Lu. fluentis parte, quæ donec Sol totus exoriretur, defluxiſſet, vt à Plutarcho inſi-
lib. 8. nuatur, & à Capella deducitur; cùm & Cleomedes rationem hanc dimetiendi
Lib. 2. c. 1. per hydrologia ab Ægyptiis primùm excogitatã prodat. Interim autem iſthæc
attingo, quia nihil liceat obiicere, quod obſeruatum ſiue ab Ægyptiis, ſiue à
Babyloniis fuerit exquiſitiùs.

Et argumentum prætereà vis illj abfuere longiſſimè, vt ſuſpicarentur quem-
piam eſſe motum ſtellarum Inerrantium proprium; vt vllam Eccentricitatem
(niſi quòd Ægyptij, ex Macrobio, & aliis cenſuere Venerem, & Mercurium cir-
cumire, vt centrum, Solem) vt vllum proinde in Sole eſſe Apogeum, aliáque ſi-
milia: ex eóque effectum eſt, vt nullas commenti Hypotheſeis fuerint, quibus
regi in calculis variorum motuũ inſtituendis poſſent. Et conqueri quidem ſolet
In procem. Mat. Petrus Ramus, quòd jam non habeamus Aſtronomiam immunem Hypotheſi-
bus (atque idcircò facilem) qualem apud Ægyptios, Babylonióſque exſtitiſſe
ipſi Interpretes Ariſtotelis, & Proclus in Timæum teſtantur; ſed nimirum con-
queritur, quòd non pariter tam habeamus, quàm illos vtroſque imperfectam.
Nam vtcumque aliæ aliis ſimpliciores (ſicque faciliores) ſint Hypotheſes; con-
ſtare tamen Aſtronomia ſine aliquibus non poteſt. Heinc obſeruauere illi quidẽ
Planetas nunc eſſe directos, nunc retrogrados, nunc ſtatarios; & nunc Borea-
liùs, nunc Auſtraliùs diuagationes peragere; at dicere non poterãt qua ratione

hæc

hæc apparere,cogíque in numeros poſſent.Suis ſolùm illis Hieroglyphicis hos, vt poterant, motus repræſentabant, vt putà flexuoſis Serpentum corporibus; quemadmodum & motum Solis ipſo inceſſu Scarabei ſuam pilulam retrorſum voluentis, vti apud Clementem eſt; euenítque proinde, vt Eudoxus, qui iſtam motuum varietatem apud illos didicerat, exſtiterit primus, vt Interpretes Ariſtotelis adnotant, qui variorum Orbium commentus Hypotheſeis fuerit, quibus Phænomena explicarentur. Longiſſimè aliunde abſuere, vt haberent Fixarum loca exquiſitè determinata, vt putà ſecundum longitudinem, & latitudinem; aut ſecundum aſcenſionem rectam, & declinationem; quare neque potuere vera Planetarum loca ex comparatione ad Fixas definire, neque adeò exquiſitè vllas Obſeruationes deſignare. Hæcque profectò fuit cauſa, cur Hipparchus nullas Obſeruationes idoneas neque ab Ægyptiis, neque à Babyloniis habuerit, ex quibus ad condendum ſiue Hypotheſeis, ſiue Tabulas, repræſentandis motibus quinque Erraotium, iuuaretur; ac Ptolemæus primus fuerit, qui, vt exſtat in Almageſto, partim relictis ab Hipparcho, partim peractis à ſeipſo Obſeruationibus, aggredi id operis potuerit. Longiſſimè quoque abfuere, vt explorati quidpiam circa Siderum, Cælive diſtantiam, magnitudinémque haberent; nam ratio quidem illa Ægyptia, quam Petoſiris, & Necepſos, Plinio referente oſtenderunt, docentes vnum gradum in circulo, ſeu cælo Lunæ triginta tribus ſtadiis paulò ampliùs patere, in circulo Saturni duplum, in circulo Solis menſuræ vtriuſque dimidium; Ratio, inquam, illa quam fuerit innixa Obſeruationibus accuratis, vel ex eo poteſt intelligi, quòd exinde diameter Lunę gradus circiter dimidium complexa, colligatur ſtadiis ſeptemdecim non major. Solæ ergo Eclipſes fuere, quas obſeruatas vtrique illi ſic habuere in Commentariis, vt poſſent ex præteritis quidpiam coniicere de futuris. Ac non ſanè ex ſupputatis Tabularum exquiſitarum ope, Solis, ac Lunæ motibus; ſed quia, cùm deprehendiſſent, decimo-nono quoque anno Eclipſeis redire ad eoſdem vt plurimùm dies; ideò tentauere prædicere, quæ, & quando aliquæ eſſent euenturæ; idque ex quo animaduerterunt non anomaliam aliquam in Sole, ſed aliquam tamen in Luna inæqualitatem, quam reducentes ad medium, cenſuere Lunam peragere dietim, (quod apud Geminum de Chaldæis habetur) gradus tredecim, cùm paulò plus ſextante. Fuere autem in prædicendis Lunæ Eclipſibus fidentiores, tum quia Eclipſes per tria proximè ſæcula intra eaſdē dies redeunt, tum quia ob magnitudinem vmbræ Terræ, rarum eſt, vt Luna non in eam tota, ſiue parte incidat; at circa Solareis, quia Luna & tam parua eſt, & tantam parallaxim habet, vt Solem plerumque non præripiat; idcircò, vt de Babyloniis ſpeciatim Diodorus teſtatur, illi non fuere auſi ipſas ad certum tempus redigere: ſuperſtítque proinde ſolùm, vt, ſi quas prædicerent, eam conditionem adhiberent, ſi modò Dij cæremoniis, precibúſque, ad eas auertendas non flecterentur.

In lib. de cælo & 12. Metaph.

Lib. 7. c. 4.

Lib. 2. c. 23.

in Elem. Aſtron.

Lib. 2.

Nimirùm, quia iidem erant Sacerdotes, ipſorúmque intererat, vt voluntatis Deorum reputati interpretes, ac ideò futurorum conſcij, peritíque cæremoniarum, quibus Dij delectarentur; ideò, ne nihil dicerent, & falli tamen non viderentur, habebant omnia in myſteriis, eáque fouebant opinionibus, ritibúſque ſuperſtitioſis. Ægyptij ſanè in magna Sacrorum parte habebant libros Mercurij Aſtrologicos (vnum, de ordine Inerrantium, alterum, de Solis, ac Lunæ conjunctione, & illuſtratione; & tertium, quartúmque de Ortu) quos qua ſolerent pompa circumferre apud Clementem deſcribitur; neque mirum proinde eſt, ſi qui Sacerdotes illos, adeò ſacros, ſoli legerent, eſſe Vates reputarentur. Quòd nullam interim mentionem quinque Erranttium factam videas, ideò eſſe videtur, quòd illis energiam ſolùm quatenus ad Inerranteis referrentur, tribuerent; ac ſpeciatim quatenus in hac, illáve parte Signi alicuius Zodiaci forent, cúmque ipſa orirentur, aut occiderent. Tantum certè partibus Zodiaci tribuerunt, vt Babylonij, ac illos imitati Perſæ, & Indi ſingulos Decanos, deoſve gradus, ſeu trienteis Signorū, ac Ægyptij quoque gradus ſingulos, variati non poſſe in ortu cenſerent, quin variatio quædā inſignis in eo præſertim, qui per id tempus naſceretur, contingeret. Propterea ſcilicet Ægyptij conſecerant apud Diodorū

Lib. 6. Strom.

magnum illum Circulum aureum, craſſitudinis cubitalis, & trecentorum
ſexaginta quinque cubitorum ambitus, à Cambyſe tandem direptum, vt in
ſingulos cubitos totidem anni diebus reſpondenteis inſculperetur, quæ Sidera
dietim, ac in horas orirentur, aut occiderent, quidque ſimul ſignificarent: &
cùm cæteri ſingulis Decanis ſingulareis formas animalium tribuerent, attri-
buerent ipſi gradibus ſingulis, ac ſuas ſubinde adhiberent hariolationes. Exem-
pli enim gratiâ, primo gradui Arietis aſſignabant virum falcem dextrâ, baliſtam
ſiniſtrâ tenentem; ſecundo virum capite canino, dextrâ protensâ, & læuâ ge-
rentem baculum, &c. ac tum, adſcripta ſignificatione, decernebant eum, qui pro
horoſcopo haberet primum gradum Arietis, aliquando agricolam, aliquando
militem futurum; eum, qui ſecundum, rixoſum fore, ac inuidum; atque ita de
in Manil. lib.5. cæteris, quæ ex Aben Ezra Scaliger deduxit. Vt verbo dicam, quicquid notitiæ
tam Ægyptij, quàm Chaldæi habuere de Sideribus, id ad Aſtromantiam to-
tum retulere; atque idcircò apud illos non tam Aſtronomia germana, quàm
ſpuria, hoc eſt Aſtrologia diuinatrix viguit. Memoratus certè Beroſus, paulò poſt
Alexandri mortem, in Græciam aduentans, nihil ſolidi de Aſtronomia attuliſſe
proditus eſt, ſed inuexiſſe diuinatricem duntaxat Aſtrologiam; ob quam vt
Lib.9. cap.7. rem nouam, & populo miram, fuit ex Vitruuio, Plinióque magni habitus: di-
Lib 7. c.37. loco cit. gnáque memoratu eſt, quam idem Vitruuius, & Cleomedes ipſi Beroſo, Lucre-
lib.2. cap.4. tius vniuersè Chaldæis, Babyloniiſve opinionem tribuunt de Luna dimidio
lib.5. obſcura, dimidio lucida (prorsùs vt in horologiis machinariis conſimilis pila
ſolet adhiberi) ad declarandum videlicet vnde Lunæ Phaſes contingant; vt
potè quaſi non attendiſſent, & Lunam à Sole illuſtratam pro diuerſo ad nos
poſitu varietatem illam Phaſeon oſtentare, & eandem Lunæ faciem verſus
Terram ſemper conuerti. Aliunde verò Eudoxus redierat, nôrat quidem cu-
juſmodi hæc Aſtrologia, (cuius cultores primarij citarentur Petoſiris, Necce-
2. de diuin. pſus, Æſculapius) foret; verùm ipſam mirificè, vt Cicero habet, contempſit,
ac frugi aliud nihil retulit, quàm, vt Thales, & alij, elenchum aliquot Ecli-
pſeon, & quas jam memorauimus varietates motuum Errantium Stellarum,
quibus primus conatus fuit adhibere Hypotheſeis. Quin-etiam Plato, qui
lib.17. cum Eudoxo, vt à Strabone ſcribitur, fuit in Ægypto per tredecim annos,
lib.8. (tametſi ab aliis ſcribitur per pauciores; & Laërtius etiam memorat Eudo-
xum non cum Platone, ſed cum Chryſippo Medico in Ægyptum profectum,
& annum ſolum, quatuórque menſeis cum Sacerdotibus conuerſatum) pro-
feſſus eſt ſe nihil explorati circa eaſdem ſtellas habere; ac idcircò ſolùm in ſa-
gacitate, ſolertiáque Græcorum, qualem Eudoxum nôrat, ſpem poſuit. Poſt-
in Epinom. quàm enim quicquid de illis perſpectum habuit, commemorauit, *Ita verò*, in-
quit, *habendum, quicquid à Barbaris Græci accipiunt, id reddi ab ipſis perfectius;
quare & idem circa ea, de quibus eſt dictum cogitare licet. Nempe difficile eſt qui-
dem modum inuenire, quo hæc omnia adeò inuoluta explicentur; verùm magna eſt,
præclaráque ſpes, vt iſta præclariùs, meliúſque; quàm à Barbaris traducta fuerint,
conſtituantur.*

Ad Græcos itaque vt accedam; quæ antiquiſſima apud illos exſtat obſeruati
Cæli memoria, ea videtur eſſe Heſiodi, qui Agricolis tempora metendi, ſeren-
di, & alia, ex ortu, occaſúque Pleiadum, Hyadúmque, & Arcturi, Sirij, Orio-
nis, in libro operum, dierúmque præſcripſit,

Πληιάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων,

Donec Pleiades, quæ & Atlantides, exoriuntur, &c.

lib.18. c.25. neſcióque, an is, an alius ſit liber, quem intelligit Plinius, cùm de Heſiodo lo-
quens, *Huius quoque*, inquit, *nomine exſtat Aſtrologia.* Hoc interim loco duo
ſunt adnotanda. Vnum, attendiſſe Græcos primitùs ad hoſce ortus, occa-
ſúſque, tum vt varias anni tempeſtates diſcernerent, tum vt pluuias, ventos, &
Ex Gem. alias affectiones aëris illos conſequi ſolitas, deſignarent. Vnde & fuere exinde
Ptol. & aliis. à Thalete, Anaximandro, Democrito, Euctemone, Metone, Eudoxo, plu-
ribúſque aliis, confecta Parapegmata, ſeu Tabulæ quædam, quaſi Epheme-
rides; vel Diaria, in quibus ad dies anni ſingulos adſcribebatur, quæ Sidera aut
orirentur, aut occiderent; & quas futuras aëris affectiones ſignificarent. Tale

Parapegma

Parapegma confecit etiam poſtmodùm pro horizonte Romano Iulius Cæſar; lib.10.
vt dicere proiode apud Lucanum potuerit,

Nec meus Eudoxi faſtis ſuperabitur Annus.

Et illum certè Ouidius ſuos in Faſtos tranſtulit, teſtatus initio ſe ſimul exorta, lib.1.
lapſáque ſub terras Signa cantaturum. Sed de Græcis vt dicam; is apud eos magnus habebatur Aſtrologus, qui hæc comperiſſet, obſeruaſſétque, & de quo proinde dici poſſet, quod de Conone ait Catullus,

Omnia qui magni diſpexit lumina Mundi,
Stellarúmque Ortus comperit, atque obitus.

Videlicet ante Beroſi aduentum ſola hæc erat apud Græcos ἐπισημασία *præſignificatio*, ſiue ex Aſtris diuioatio; oiſi quòd apud euodem Heſiodum deducitur, qui dies Lunæ tum reputarentur fauſti, ac infauſti;

Πρῶτον ἔνη τετράς τε, ϗ ἑϐδόμη, ἱερὸν ἦμαρ, in dieb.
Primùm, prima dies, & quarta, at ſeptima ſacra, &c.

Alterum, eſſe apud Græcos, vti & apud alias nationes, omni maius memoria, redactas ſtellas in Imagines, Coostellationéſve habere, ac denominatas quidem parte maxima (quantum nomina iudicant, ac reputare congruum eſt) quateous ab initio placuit Agricolis, Paſtoribus, Nautis, quibus per noctem degere ſub dio familiare eſt. Quanquam & fuere aliquæ conſtellationes receotiùs adiectæ, vt à Thalete Plauſtrum minus, quod Laërtius, & Tatius recitant ex Callimacho, qui & aliunde celebrauit, quod Catullus eſt imitatus, Lib.1. in Iſag.
fuiſſe à Conooe in Cælum Comam Berenices inductam. Reperit etiam Cleo- de Co. Ber.
ſtratus ex Hygino Hædos: tametſi, quod Plioius illi quoque tribuit Signorum Lib 2. Aſtron.
Zodiaci inueotionem, ita accipiendum videtur, quaſi oſteoderit per quæ l.2. c.8.
Signa Sol, & cæteri Planetæ incedaot. Erant autem, vt hoc attingam diſtincta apud Græcos in Zodiaco Signa ſolùm vndecim; poſt modum verò adiecere duodecimum iuxta Ægyptios, qui, vt ex Seruio, Martiaoo, & aliis In 1. Georg.
iotelligitur, pro Chelis Scorpioois conſtituebaot Libram, locum à Virgilio l.8.
etiam Auguſto deſtinatum

——Ipſe tibi iam brachia contrahit ardens 1. Georg.
Scorpius.——

Adiecere, inquam, vt quemadmodum totus Zodiaci ambitus in Dodecatemoria, ſeu duodecim parteis æqualeis diſtribuitur, ita & conſtaret ex duodecim Signis. Tametſi, quia vtendum fuit Signis, cuiuſmodi caſu, & ſine arte diſtincta habebautur, non reſpondere Signa præciſè Dodecatemoriis ſuis, ob maius ſpatium, quod occuparent, Leo, v. c. quàm Caocer; Taurus, quàm Gemini. Gemini, inquam, qui licet Caſtor, & Pollux dici ſuleaot, non ipſis tamen in ſpatio tam paruo illud competit, vt vno orieute, alius occidat, occideote oriatur; ſed nimirùm hoc, quod de Dioſcuris proditum eſt, de duobus Hemiſpheriis Empiricus interpretatur. Prætereo autem ſuas, va- 1. adu. Phyſ.
riáſque natiooibus variis Conſtellatiooes fuiſſe (oam apud Ægyptios, v.g. noo Vrſa, non Cepheus, ooo Draco, ſed aliæ formæ, quemadmodum Tatius in Iſag.
memorat, exſtitere) ac addo dumtaxat, videri Eudoxum eſſe primum, qui partim Ægyptias, partim Græcas imagioes repræſentari in Globo, ſolidáve Sphæra curârit. Siquidem Aratus (in cuius Poëma ioſcriptum. Φαινόμενα, *Apparentia*, tot edita ſunt Commeotaria, vt, ne memorem Cicerooem, Germanicum, Auienum, alios Latinos Ioterpretes, Græca exſtiterint circiter quadraginta) Aratus, inquam, nihil aliud, quàm carmine expreſſit, quod Eudoxus proſâ in altero duorum hac de re librorum expoſuerat, veluti Hip- Lib.1. in Ar. phæn.
parchus Bythinus demonſtrat. An obiter verò adnotem, non eſſe mirum, ſi Aratus in multis aberrauerit; quando, vt in illius vita traditur, cùm apud Antigonum Gooatam ipſe Medicus, & Nicaoder Aſtrologus degerent, & vterque carmina eleganter ſcriberent; Rex præſcripſit Medico, vt Poëſeos ſpecimen in Aſtrologicis (tradito illi Eudoxi libro) Aſtrologo, vt in Medicis (Theriacis nimirùm, & Alexipharmacis) daret. An adnotem quoque Phænomena Euclidis, qui ſub idem tempus floruit, docuítque Alexaodriæ, vt ex lib.7.
Pappo intelligitur, alterius eſſe generis; quippe quæ nihil aliud ſint, quàm

principia quædam Aſtronomiæ, de Mundi figura, & circulis Sphæræ, ac potiſſi-
mùm de Zodiaco.

Sed ad antiquiores vt redeam, diximus iam primùm, qui poſterior He-
ſiodi, Homeríque temporibus, fuerit ſcrutatus Sidera, Thaletem Mileſium
lib. Florid. haberi. Is certè Apulejo, vt *antiquiſſimus*, ſic *peritiſſimus Aſtrorum contem-*
lib. 1. *plator* dicitur; ac apud Laërtium Eudemus teſtatur; hanc plerorumque fuiſſe
ſententiam; & quod primus Solis Eclipſeis, conuerſionéſque prædixiſſet, hanc
lib. 2. c. 8. ob cauſam Xenophanem, ac Herodotum fuiſſe admiratos, addítque Laërtius
Heraclitum, & Democritum idem atteſtari. Quod Apulejus porrò ſubiicit
eum *reperiſſe Siderum motus, & obliqua curricula*; id Plinius quidem Anaxi-
mandro illius diſcipulo tribuit (vnde & eum primum *rerum fores aperuiſſe* dicit)
lib. 1. tribuit & Diodorus Oenopidi Chio: quî poterat tamen ignorare Thales obli-
quitatem Signiferi, qui & de Solſtitiis, & de Æquinoctiis, vt apud Laërtium
habetur, ſcripſiſſet; & fuiſſet diù in Ægypto cum Sacerdotibus conuerſatus?
Profectò & quod perhibent prædixiſſe illum, inter cætera, celebrem Eclipſin,
quæ tempore belli inter Medos, Lydóſque in Sole contigit, non alia feciſſe
ratione videtur, quàm quia cùm recens ex Ægypto aduenißet, noſſet ſolere
Eclipſeis redire ad eoſdem dies poſt nouemdecim annos; & ob quampiam,
quæ contigiſſet ante annos nouemdecim, cõiiceret aliam illo tempore euen-
turam. Neque enim eſt, cur quis reputet, potuiſſe alioquin totam illius vi-
tam ſufficere ad omneis motus Solis, ac Lunæ ſic obſeruandos, vt commini-
ſci exinde omnia ſupputandis Eclipſeon temporibus neceſſaria poſſet. Quin-
In vita Dion. etiam, non alia ratione videtur deinceps Helicon Cyzicenus eam Solis Ecli-
pſin ex Plutarcho prædixiſſe, ob quam fuit Dionyſio admirationi habitus, ab
In vi. Paoli eóque argenti talento donatus; neque aliâ item Sulpitius Gallus eam Lunæ,
l. 2. c. 12. l. 8. quam opportunè Romano exercitui aduerſus Perſem pugnaturo prædictam,
c. 11 l. 1. c. 10. celebrant non modò Titus Liuius, Plutarchus, & Plinius; ſed etiam Valerius,
lib. 2. c. 76.
dec. 5. lib. 4. Quintilianus, & alij: quippe alia prædicendi ratio ante Hipparchum, qui Hy-
T. q. nat. 2. potheſeis, Tabuláſque idoneas condidit primus, minimè fuit. Profectò ne Co-
nonem quidem prædixiſſe vllam legimus; licet ipſe quoque ſeruatas ab Ægy-
ptiis defectiones Solis, quod habet Seneca, collegiſſet. Vt prætereani porrò
lib. 2. c. 8. Laërtium attribuere Anaximandro, quod Plinius tribuit auditori illius Ana-
ximeni (ipſum nempe primum inueniſſe Gnomonem, quo Solis conuerſio-
nes, ſeu Solſtitia, & Æquinoctia indicarentur, ac talem conſtituiſſe Lacedæ-
mone) ſpectat ad eadem tempora, quòd Pythagoras deprehendiſſe primus
lib. 9. dicitur à Plinio (tametſi id Parmenidi apud Laërtium Phauorinus tribuat) Lu-
ciferum & Veſperum eandem Veneris ſtellam eſſe. Fortè ad hanc ex ma-
tutina in veſpertinam, ex veſpertina in matutinam conuerſionem Veneris
accommodari valeat; quod D. Auguſtinus ex Varrone refert Ogygis tempo-
ribus (illis ſcilicet adhuc rudibus) mirabile in Cælo exſtitiſſe portentum, Stel-
lam Veneris nobiliſſimam mutaſſe colorem, magnitudinem, figuram, & cur-
ſum. An verò putemus Pythagoram potiùs rem hauſiſſe ex Ægyptiis, à qui-
bus quia, iuxta antè dicta, edoceri potuit, non Venerem modò, ſed etiam
Mercurium Soli circumduci, vt proinde vtrumque Sidus nunc matutinum,
nunc veſpertinum ſit; anſam exinde acceperit coniiciendi Solem, non modò
in illorum, ſed in cæterorum etiam Planetarum, atque adeò etiam totius
Mundi centro exſiſtere; ac Terram quoque circa ipſum, tanquam Planeta-
rum vnum circumferri? Hoc ſanè ſubinde fuit celebre Scholæ ipſius placi-
2. De Cælo tum, vt non ex Ariſtotele modò vniuersè intelligitur; ſed ſpeciatim quoque
13. lib. 8. de Philolao ex Laërtio, de Ariſtarcho ex Archimede; ne ea memorem, quæ
in Aren.
in Numa, Plutarchus variis in locis hac de re habet; ac illos prætercam, qui Terram
in Plat. non tam circa Solem, quàm circa proprium axem dumtaxat dietim conuerti
quæſt. &c.
De don. ſenſerunt; vt Timæus, qui à Syneſio, poſt Platonem, ἀστρονομικώτατος, *Aſtro-*
ad Pæon. *nomus ſummus* dicitur.
in Tim.

Cæterùm, per tempora eadem Thaletem proximè inſequuta, qui Cleo-
ſtratus memoratus eſt Zodiaci Signa deprehendiſſe, cùm attenderet interca-
lationem, quàm diximus antè, quarto quoque anno Olympiadico fieri ſoli-
tam,

tam, reſtituere quidem ad eundem diem motum Solis; non reſtituere autem motum Lunæ, niſi octauo anno, ſeu poſt duas Olympiadas, quibus intercalati eſſent nonaginta dies, ſeu tres menſes; ideò Tetraëteridis, ſeu ſpatij quatuor annorum vice, inuexit Octaëterida, ſiue ſpatium octo annorum, quo exacto, Nouilunia, ac Plenilunia ad eoſdem dies recurrerent. Cùm breui tamen deprehenſum fuiſſet inſtitutionem hanc fallere, & varij variè adhiberent medicas manus; Meton demùm, paullò Eudoxo antiquior, demonſtrauit ex Nouiluniis, Pleniluniiſque Eclipticis, ea non redire ad eoſdem dies, niſi poſt annos nouemdecim; vnde & author exſtitit Enneadecaëteridis, hoc eſt, Periodi, Cycli-ve Decemnouennalis. Ille proinde, & quia primus conſtituit in foro Heliotropium, Solatéve Horologium, quædámque alia præſtitit; magni habitùs apud Athenienſeis fuit. Quod ad periodum tamen ſpectat, Callipus, qui fuit Ariſtotelis familiaris, attendens eſſe illam æquo prolixiorem diei quadrante, cenſuit ex quatuor Periodis detrahendum eſſe vnum diem; ſicque nouam Periodum annorum ſeptuaginta ſex, ſiue quater nouemdecim, quibus exactis, vnus dies detraheretur, introduxit, quæ & Callipica eſt dicta, & diu percelebris manſit. Succedens poſtmodùm Hipparchus (& ipſe quidem Rhodius, vt à Bithyno, cuius ſunt libri in Aratæa phœnomena, diſtinguatur) deprehendit illam eſſe adhuc nimiam; ac debere adeò poſt quatuor Callippicas Periodos, ſeu annos trecentos, & quatuor, detrahi vnum prætereà diem. Ac ſæculorum quidem complurium experientia deinceps docuit ad Hipparchicam detractionem eſſe annos inſuper nouem, aut decem exſpectandos: ſed vtcumque ſit, adnotari poteſt Periodum Metonis, cum Callippica correctione adhibita, fuiſſe diuturni in Eccleſia vſus, titulo *Aurei Numeri*; tametſi, quia illi adhibita ſimul Hipparchi correctio non fuit, error dierum circiter quatuor, à tempore vſque Concilij Nicæni, circa Nouilunia, Pleniluniáque iam irrepſerat; cùm hæc denique vna fuit, ex duabus præcipuis anno ſuperioris ſæculi octogeſimo ſecundo, Calendarij reformandi cauſis.

Vt iam, quod ſemel, ac iterum de Eudoxo, inſinuaui, reſumam; is, cùm poſt reditum ex Ægypto, noſſet non modò Solem, & Lunam, ſed quinque etiam Erranteis Stellas circumire Zodiacum; atque ita quidem, vt tam Sol, & Luna, quàm eæ Stellæ variarent interdum latitudinem, ſeu à medio Zodiaci, orbitáve Ecliptica deuiarent (nempe Solem quoque exorbitare opinabatur) ac Stellæ prætereà non progrederentur modò, ſed interdum quoque regrederentur, ac ſtarent; ideò cogitans qua ratione iſta peragi in natura poſſent; imaginatus eſt, præter Aplanen, ſeu Sphæram Inerrantium, quæ ſuprema omnium circum-raperet in Occaſum cæteras, debere attribui tam Soli, quàm Lunæ treis Sphæras, & Stellarum ſingulis quatuor; quarum vna, eáque ſuprema, ſequeretur impreſſionem Sphæræ Fixarum, ſeu mauis Primi Mobilis; ſuccedens referret in Ortum; tertia deuiationem ab Ecliptica faceret; quarta, ſeu infima in Stellis, directionem, ſtationem, retrogradationem libratione quadam crearet. Fuere proinde Eudoxo Sphæræ vniuersè viginti ſeptem, eæque omnes concentricæ, vt ſuperiores poſſent inferiores abripere, & iſtæ poſſent intra illas conuolui. Callippus deinde duas Soli, duas Lunæ; Marti, Veneri, & Mercurio ſingulas adiunxit, ſicque habuit triginta treis; Ariſtoteles autem Sphæris omnibus, quæ Aplanes motum non ſequerentur (exceptis tamen Lunaribus) totidem, quas dixit Reuoluenteis, vt illas nimirùm motui Aplanes conformarent, appoſuit; ſicque quinquaginta ſex Sphæras vniuerſè conſtituit: quantum quidem elicere ex ipſius contextu licet. Prætereo autem iſtis, ac Platoni fuiſſe Lunam infimam; Solem ſupra ipſam; & ſupra Solem, quinque Vagas Stellas; ac videri omninò Archimedem, vno alteróve ſæculo pòſt, non ordine alio, quàm hoc, repræſentaſſe Planetas ſua illa in Sphæra, in qua tametſi Claudianus non exhibitos alios, quàm Solis, ac Lunæ motus memoret, 12. Metaph. 8.

Percurrit

In Epigr. *Percurrit proprium mentitus Signifer annum:*
Et ſimulata nouo Cynthia menſe redit:

2.de diuin. Addit tamen Cicero alios, vbi de Archimede loquens, *qui cùm*, inquit, *Lunæ, Solis, quinque Errantium motus in Sphæram alligauit, effecit idem, quod ille, qui in Timæo Platonis Mundum ædificauit Deus, vt tarditate, & celeritate diſſimillimos motus vna regeret conuerſio.* Ne memorem eundem Ciceronem eoſdem quoque addere circa eam Sphæram, *quam nuper*, inquit, ibid. *familiaris noſter effecit Poſidonius, cuius ſingulæ conuerſiones idem efficiunt in Sole, & in Luna, & in quinque Stellis Errantibus, quod efficitur in Cælo ſingulis diebus; & noctibus.* Quia verò Hipparchus poſtea deprehendit tam Solem, quàm Lunam, & quinque has Stellas nunc remotiùs, nunc propiùs à Terra abeſſe; & non poſſe iſtud per eiuſmodi concentricas Terræ Sphæras explicari; ideò, illis reiectis, reputauit motus Planetarum habendos eſſe eccentricos; &, quòd non potuerit tamen ipſe determinare ſingula, viam demonſtrauit, qua incedens deinceps Ptolemæus Artem confecit. Memorandi interim ſunt duo aut tres viri, ex quorum obſeruatis

Ap.Ptol.l.7. c 8.& ſeq. Hipparchus, & Ptolemæus profecerunt. Vnus fuit Timocharis, qui annis ante Chriſtum proximè trecentis, inter cætera, circa ſtellas Fixas, obſeruauit eam, quæ Ariſta, ſeu Spica Virginis vocatur, antecedere Æquinoctij Autumnalis punctum octo gradibus: accenſendus autem ipſi Ariſtillus, cuius etiam factis circa Fixas obſeruationibus Ptolemæus vtitur, vt oſtendat Fixas eſſe latitudine inuariatas. Pòſt autem, ſæculo non toto ſucceſſit Eratoſthenes, qui Ptolemæi Euergetæ prioris Bibliothecarius, author illi fuit, vt in Porticu Alexandriæ Armillas conſtitueret, quibus fuere quoque deinceps Hipparchus, & Ptolemæus vſi; ipſéque, inter cæ-

Ptol. l.1. cap.11. tera, obſeruauit, definiítque obliquitatem Signiferi, quam & Hipparchus, & Ptolemæus ratam habuerunt, graduum viginti trium, minutorum quinquaginta vnius.

De Hipparcho verò, qui annis ante Chriſtum circiter centum, & quadraginta floruit, vt quidpiam dicamus, explicare promptum non eſt, quan-

Ptol loc.cit. tum ipſi Aſtronomia debeat. Imprimis enim ex habita illa obſeruatione Timocharidis, & aliquibus aliis, tametſi ipſas non vndique exquiſitas eſſe cenſeret, quia ipſe tamen deprehendit non antecedere ampliùs Spicam Virginis Æquinoctij punctum, quàm gradibus ſex, cæteráſque ſtellas pari proportione: ideò intellexit Stellas quoque Fixas moueri in Ortum ſecundum Zodiacum; vnde & Librum *de Solſtitiorum, Æquinoctiorúmque tranſgreſſu* conſcripſit. Et quia ipſius tempore Noua quædam Stella, vt nuper tempore Tychonis, apparuit; idcircò, *ad dubitationem eſt adductus*, vt

Lib.2.c.26. verbis dicam Plinij, *an-ne hoc ſæpiùs fieret, mouerentúrque & ea, quas putamus affixas. Ideóque*, pergit Plinius, *auſus rem etiam Deo improbam, adnumerare poſteris Stellas, ac Sidera ad normam expungere, organis excogitatis, per quæ ſingularum loca, atque magnitudines ſignarentur; & facilè diſcerni poſſet ex eo, non modò an obirent, naſcerenturve; ſed an omninò aliqua tranſirent, mouerentúrve; itémque, an creſcerent, minuerentúrque; Cælo in hereditatem cunctis relicto, ſi quiſquam, qui rationem eam caperet, inuentus eſſet.* Quare & ex hoc primùm tempore, Fixarum loca obſeruata, deſignatáque ſecundum longitudinem, latitudinémque habemus; & quem ille Catalogum Stellarum contexuit, ipſe eſt; quem Ptolemæus poſteà in ſuum Almage-

Lib 7. c.5. ſtum inſeruit. Ne id memorem, quòd Hipparchus prætereà denotauit, quo poſitu variæ Stellæ inter ſe forent; an in eadem rectâ; an triquetrâ

cap.1. formâ; an quadratâ, &c. vt vel ex Ptolemæo conſtat. Ad-hæc, cùm Solis, ac Lunæ motus cogniti vtcumque iam forent; ipſe tamen eorum notitiam longè exquiſitiorem fecit. Quippe non modò memoratam Callipicæ Periodo correctionem adhibuit, ſed etiam, cùm longam Eclipſeon ſeriem collegiſſet (vt putà ab vſque illis Babylonicis, tempore Mardocempadi, ad vſque obſeruatas à ſcipſo, per annos ſexcentos) animaduertiſſet verò neque ſingulis nouemdecim annis pareis Eclipſeis recurrere,

neque

neque poſt aliquot decem nouennaleis recurſus, Eclipſeis quaſdam fierit
ac in cauſa eſſe tum latitudinem Lunæ variam, nodorúmque eius anti-
cipationem; tum eccentricitatem, ob quam motus nunc ſegniores ad Apo-
geum, nunc ad Perigeum citariores deprehenderentur; idcircò rationem
horum omnium habuit, Hypotheſeiſque, & iuxta ipſas, Tabulas motuum
condidit, ex quibus facta ſupputatione, prædicere tam tutò potuit, an,
& quæ, vel quantæ, & quando euenturæ Eclipſes in poſterum ſorent. Et
vide, vt proinde Plinius, vbi eſt de Thalete, & Sulpitio Gallo loquutus,
Poſt eos, inquit, *vtriuſque Sideris curſus in ſexcentos annos præcinuit Hippar-* lib.2.c.12.
*chus; menſeis gentium, diéſque, & horas, ac ſitus locorum, & viees populorum
complexus; æuo teſte, haud alio modo, quàm conſiliorum naturæ particeps.* Vi-
delicet debuit Hipparchus, præter tempora adnotata, quibus Eclipſes de-
berent aut Rhodi, aut Alexandriæ contingere, recenſuiſſe quaſdam re-
giones, vrbeíſque præcipuas, cùm deſignatione menſium, quibus vteren-
tur; & quibus futurum eſſettum diebus, tum horis, vt Eclipſes iis fierent; &
ſuccedentibus quidem Romæ prædictionibus, Plinij æuo.

Dignum verò eſt adnotatu, cùm auerer etiam Hipparchus & Hypothe-
ſeis conſtituere, & in Tabulas diducere motus pro Planetis cæteris, quio-
que e Stellis Errantibus; nanciſci tamen cum non potuiſſe neque ex Chal-
dæis, Babyloniiſve, neque ex Ægyptiis, neque etiam ex Græcis idoneas
vllas Obſeruationes circa hoſce Planetas peractas (quippe & cùm tales per-
agi non poſſent, locis Fixarum incognitis) & quas perfecit ipſemet, tem-
poris fuiſſe longè anguſtioris, quàm vt quidpiam certum, diuturnúmque
decernere ea de re poſſet. Quare & digeſſiſſe eum ſolùm quaſcumque
obſeruationes habuit, quo optimo ordine potuit, eáſque, ſi qui futuri eſ-
ſent, qui intelligerent, iiſque vti poſſent, reliquiſſe. Eueniſſe autem, vt,
cùm bona ſorte in Ptolemæi manus incidiſſent, ipſe illas iam conferens
cum ſuis, & adnixus fuerit, & cœperit primus tum Hypotheſeis, tum
Tabulas motuum idoneas pro his Planetis condere, tametſi id ſubtimidè,
quòd ob paucas nimis, & temporis non ſatis diuturni obſeruationes, non
auderet ſibi ſuarum Tabularum in longum tempus admodum, certitudi-
nem polliceri. Verùm recitare eius verba ne pigeat, *Tempus*, inquit, *ex* lib.9.c.2.
*quo Planetarum obſeruationes habemus conſcriptas, ad magnitudinem rerum com-
paratum, adeò breue eſt, vt infirmam faciat prædictionem in longum tempus.* Et
poſteà, *Quamobrem*, inquit, *puto Hipparchum, veri amantem*, φιλαληθη (hoc
enim Epitheto illum frequens donat) *cùm propter hæc omnia, tum maximè
quia tot veras à Priſcis obſeruationes non habuit, quot ipſe nobis exhibuit, So-
lis quidem, ac Lunæ ſuſcepiſſe negotium, ac id peragi motibus æquabilibus, cir-
cularibúſque, quantum fas fuit demonſtraſſe; ad Planetarum quinque negotium,
quantum commentarij ipſius, quos videre nobis contigit, oſtendunt, non ſuſcepiſſe
ſanè; ſed obſeruationes circa ipſos factas, & commodiore ſerie collegiſſe, & ex
ipſis planum feciſſe, non congruere apparentia Hypotheſibus, quibus Mathemati-
ci eius temporis vtebantur.* Et mox, vbi dixit, aut nihil omninò demon-
ſtraſſe cæteros, aut ſuſceptum negotium ad finem vſque non perduxiſſe,
Ipſe autem, inquit, *cogitauit, cùm reverà eximiè diſciplinas omneis calleret,
non debere ſe, aliorum inſtar, id aggredi, quod perducere ad exitum non poſ-
ſet.* Ptolemæus ergo fuit primus, qui ex germanis obſeruationibus motus
Planetarum in Hypotheſeis, Tabuláſque concinnas deduxit: adeò vt ante
ipſum conceſſum non fuerit loca Planetarum, niſi craſſo quodam modo,
definire.

Priuſquàm tamen de Ptolemæo, qui annis, iam poſt Chriſtum circi-
ter centum triginta floruit, déque conſequutis temporibus dicam: quia
tempore inter Hipparchum, & Ptolemæum intercedente, ſtudia hæc Ale-
xandriæ ita florere perſeuerârunt, vt ex Ægypto rediens Iulius Cæſar
deduxerit inde Soſigenem illum, cuius ope reſtitutionem Calendarij mo-
litus eſt, ac viſus proinde fuerit Aſtronomiæ ſtudium apud Romanos pro-
pagates

pagare; age peruideamus paucis, vt ſe apud illos Cæleſtium rerum cura habuerit. Imprimis verò ſeponendus, prætérque ordinem habendus videtur is, cuius obiter iam memini, Sulpitius Gallus, de quo memorabile eſt
Lib. de Sen. quod Cato apud Ciceronem inducitur dicens, dum, *Mori*, inquit, *videbamus in ſtudio dimetiundi penè Cæli, atque Terræ Gallum, familiarem Patris tui, Scipio. Quoties illum lux noctu aliquid deſcribere aggreſſum; quoties nox oppreſſit, cùm cæpiſſet manè? quam delectabatur, cùm defectiones Solis, & Lunæ multò nobis antè prædiceret?* Nempe ille Vir fuit planè ſingularis, ac in tánta bonarum Artium ignoratione, & negligentia ipſe tam ſtudioſus Cæleſtium, debuit omninò alicunde aut ex Ægypto, aut ex Græcia nactus eſſe Eclipſeon ſeriem, ac artem deducendi illas per circuitus decem nonennaleis, quemadmodum prædiximus. Quod ſupereſt enim, quanta, putas, fuit apud Romanos harum incuria? Ipſam profectò non potuit diſſimulare Virgilius tributo Anchiſæ vaticinio, iuxta quod Romani imperaturi quidem forent, at conceſſuri populis aliis, vt Sidera noſſent, ac deſcriberent,

6. Æn. *——Cælique meatus*
Deſcribent Radio, & ſurgentia Sidera dicent.

Cato quoque ipſe, quem illud de Gallo dixiſſe fingit Cicero, citatur ab
Lib. 2. c. 28. Agellio ſcriptum reliquiſſe, *Non licere ſcribere, quod in Tabula apud Pontificem Maximum eſt, quoties annona cara, quoties Lunæ, aut Solis lumini caligo, aut quid obſtiterit; vſque adeò*, pergit Agellius, *parui fecit, rationes veras Solis, & Lunæ deficientium, vel ſcire, vel dicere.* Quin-etiam licet ab vſque Numa Intercalationes variæ factæ fuiſſent; fuerat tamen totum earum artificium ex Græcis deſumptum: quippe quòd alioquin toto in Occidente
lib. 18. c. 25. ſumma harum rerum foret imperitia; ſubnotante hand abs re Plinio, neminem in Galliis, Hiſpaniis, & Africa fuiſſe, qui Siderum proderet exortus. Quanquam dignum ſanè memoratu eſt, exſtitiſſe ſaltem in Galliis Py-
2. Meteor. 7. theam Philoſophum (vt Cleomedes vocat) Maſſilienſem, qui circiter tempora Alexandri Macedonis, Gnomonis proportionem ad Solſtitialem vmbram obſeruauerit, eandémque Maſſiliæ deprehenderit, quam Hipparchum
lib. 2. Bizantij reperiſſe meminit Strabo: Qui cùm Eudoxus exiſtimaſſet Stellam Polarem in ipſo eſſe Polo, docuerit in Polo nullam eſſe Stellam, ſed locum eſſe vacuum, cui adiacerent Stellæ tres, quibuſcum punctum, quod eſſet Polus quadrangulam circiter figuram ſtatueret: vt apud Hipparchum Bithynum in Aratea ſcribentem habetur: Qui primus Oceanum in Boream tentârit, ac vltimam Thulen detexerit, in qua æſtiuum Tropicum eundem eſſe cum Polari, ſeu maximo ſemper apparentium, citatus Cleo-
In Elem. Aſtron. medes cohærenter prodit: Qui, vt ex eius libris de Oceano ſcriptis, Geminóque citatis, intelligitur, curioſus fuerit inquirendi, cuiuſmodi pro varietate regionum Cæli poſitus ſe haberet; nam, *Monſtrabant*, inquit, *nobis Barbari, qua occumberet Sol: eueniebátque circa hæc loca, vt nox fieret omninò parua, heic quidem duarum, illeic trium horarum; adeò vt, poſt occaſum Solis, paruâ morâ interpoſitâ, Sol denuò ſtatim oriretur.* Verùm iſtud quidem de locis Occidentalibus obiter. De Romanis ipſis dicere vt pergam, id non
lib. 7. c. 60. videtur reticendum, quod eſt à Plinio proditum, cùm de Horologiorum apud illos inuentione agens, docet primis illis Reipublicæ temporibus nominatos ſolùm, ex duodecim Tabulis, Ortus, atque Occaſus fuiſſe: Poſt aliquot annos adiunctum Meridiem; tum columnæ cuiuſdam indicatione, ſupremam horam; atque id quidem ſerenis tantùm diebus, ad vſque bellum Punicum primum. Confectum deinde vnum, alterúmve Solarium Horologium; ſed lineis non ſatis ad horas congruentibus, quovſque ſæculo pòſt, Q Marcius Philippus id diligentiùs ordinauit. Cúmque horæ adhuc forent incertæ nubilo, Naſicam Scipionem primum cœpiſſe aquâ diuidere horas dierum æquè, ac noctium, ídque Horologium ſub tecto dicaſſe, anno Vrbis D. X C V. *Tandem*, ſubdit Plinius, *Populi Romani indiſcreta lux fuit.* Id

prætereo

prætereo, quod aliàs habet, tum dè Auguſto, obeliſci vmbram ad hoſce vſus accommodante; tum de Mathematico Manlio pilam auratam vertici addente, quò ipſius verticis vmbra in ſemetipſam colligeretur. Id ſolùm accipio, quod inde habetur, viguiſſe iam tum Romæ Mathematicum ſtudium (quod & prouectum ad tempora Traiani oportuerit, quando, vt Ptolemæus refert, Sidera ibi tum obſeruauit Menelaus, vti & paulò antè Agrippa in Bithynia) viguiſſe, inquam, ex quo vſque aduectus Romam Soſigenes, amorem ſtudiúmque harum rerum accendit. Et de anni quidem Iuliani, quem conſtituit, forma, nihil eſt, quod ſubiiciam, quando res paſſim perſpecta eſt: prætereunte tamen non decet id, quod in illius commendationem habet Plinius, dum, *Ipſe*, inquit, *ternis commentationibus, quanquam diligentior eſſet cæteris, non ceſſauit tamen addubitare, ipſemet ſemet corrigendo:* tanto veritatis amore, tantâ diligentiâ, Hipparchi imitatione, fuit. Lib. 7. c. 3.

Iam de Ptolemæo, tantum eſt eius nomen, vt de eo dicendum aliud nihil ſit, quàm eſſe ipſum artis, ſcientiæve Aſtronomicæ conditorem. Nam rudera quidem nobilia collecta ab Hipparcho fuerant: verùm ipſe fuit, qui & illis, & aliquibus aliis, ac propriis etiam inuentis, obſeruatiſque additis, ſtructuram, formámque induxit: emerſitque adeò ex eius labore celebrata illa tantoperè μεγάλη σύνταξις, *Magna coordinatio, conſtructio, compoſitio*, qua ex libris tredecim conſtante omnem, quæ haberi potuit, doctrinam de Sole, de Luna, déque tam Inerrantibus, quàm Errantibus Stellis eſt complexus. Quanquam autem dies diem docuit, ac illud evênit, quod ipſemet præſumpſerat, fore, vt non pauca eſſent caſtiganda; vniuersè tamen quæ fuit ab ipſo inſtituta Ars, conſtitit, ipſámque deinceps amplexi non modò Alexandrini ſunt, ſed etiam Arabes, Latini, & quotquot ad nos vſque Aſtronomiam coluerunt. Nam Alexandriæ quidem floruiſſe per aliquot adhuc poſt ipſum ſæcula Aſtronomiam, non modò fidem faciunt, præter cæteros, & Theon (iunior ſcilicet) & Pappus, dicti Alexandrini, quorum ille eximios Commentarios in Ptolemæum edidit, hic cætera inter opera egregia, in quibus eſt liber Mathematicarum collectionum ſextus, obſeruauit annis à Chriſto circiter quadringentis obliquitatem Eclipticæ non tantam eſſe, quantam Eratoſthenes, Hipparchus, & Ptolemæus, ſed quantam propè noſtris hiſce temporibus deprehendimus: Non modo, inquam, iſti fidem faciunt; verùm etiam Patriarchæ illi Alexandrinæ Eccleſiæ, quorum ſententiæ ſtandum eſſe circa negotium Paſchatis, tum ipſum Nicænum Concilium, tum Epiſcopi deinceps varij, ipſéque etiam Sanctus Leo Pontifex Maximus, cenſuerunt. Tales fuere Theophilus, Cyrillus, Proterius, quos conſulere ideò viſum eſt, quòd exortæ ob Paſchatis celebrationem controuerſiæ de tempore Verni Æquinoctij, de Plenilunio proximè inſequente, déque conſtituendis iuxta hæc perſpecta, certis regulis, non poſſent meliùs, quàm ex iis, quæ ipſi ob vigentē Alexandriæ Aſtronomiam, comperta haberent, definiri. At verò ex Arabibus, qui in ſtudio Aſtronomiæ ſucceſſere Alexandrinis, & Ptolemæi Compoſitionem Magnam, quàm & dixere Almageſtum, alióſque libros varios ſuam in linguam tranſtulerunt, primus, præcipuúſque memoria dignus, fuit Albategnius, aliàs Mahometes Aractenſis dictus. Is octingentis paullò minùs poſt Chriſtum annis, ex Dynaſtarum Syriæ proſapia oriundus, varia obſeruauit partim Aractæ, partim Antiochiæ: ac deprehendit tum Solis Apogeum à Ptolemæi tempore in conſequentia progreſſum: tum Stellas Fixas regredi in Ortum vno gradu, non intra annos centum, vt ille ſtatuerat, ſed intra minùs, quàm ſeptuaginta: tum Eclipticæ obliquitatem, ſecundum Pappum, eſſe minorem (ſupra viginti treis nempe gradus, minutorum triginta quinque) tum alia id genus circa Stellas Fixas, circáque Planetas compluta: vnde & Ptolemæum in multis correxit, & Tabulas nouas condidit: & librum conſcripſit inſcriptum, *De ſcientia Stellarum:* Succeſſere per duo, aut tria ſæcula conſequentia Alphraganus, Arzachel, Almeon, aliique Arabes, quibus, quòd iam omnia Aſtrologicis nugamentis inquinarentur, Iudæi quidam, ipſi quoque diuinationis gloriam affectantes, ſeſe intermiſcuerunt.

Ante annos ab heinc quadringentos Alphonſus Caſtellæ, & Legionis Rex, ipſe quoque prædictionum Aſtrologicarum curioſus, intelligens tam Ptolemæi, quàm Albategnij Tabulas cum Cælo non prorſus congruere, Nouas Tabulas condere eſt aggreſſus; conuocauítque ideò quotquot Arabes, Iudæique ea tempeſtate celebres fuere, vt obſeruationes ad tantum negotium neceſſarias peragerent, ac ipſis ſtudioſè collatis cum iis, quæ ſuperiorum eſſent ætatum, Tabulas conderent exquiſitas. Memorabile eſt, quod aiunt, fuiſſe ad id impenſa ab eo aureorum millia quadringenta. Digna ſanè munificentia, liberalitáſque tanto Principe; digna, cuius memoriam nunquam intercidere bonarum artium cultores ſinant: verùm ex eo tamen infœlix, quòd illi Artifices non tam ad ſtudioſè obſeruandum, quàm ad ſcrupuloſè ſupputandum comparati, calculos plerumque non tam ad obſeruata collineantes, quàm ad myſteria quædam, ſeu nugas Cabballiſticas ſpectantes, inſtituerint; vt incuriam prætercam, qualem Regiomontanus deprehendens, perſpexit illos gradibus penè duobus à veris Fixarum locis aberraſſe, quia Ptolemæi numeros perinde habuiſſent, ac ſi ab eo fuiſſent initio annorum Chriſti conſtituti. Quò minùs profectò eſt mirum, ſi conditæ ab ipſis Tabulæ à Rege dictæ Alphonſinæ, & interdum quoque ab ipſo loco Toletanæ (vnde & qui Tabuliſtarum congregationi præfuit, memoratur fuiſſe Iſaacus quidam Toletanæ Synagogæ cantor) ſi Tabulæ, inquam, ab vſque tempore Alphonſi deprehenſæ fuerint cum Cælo non congruere, & nouam manum poſtulare. Remanſit tamen Aſtronomia penè conſepulta (niſi quòd & Thebitius Arabs, & Prophatius Iudæus quidpiam circa Fixarum motum, obliquitatémque Eclipticæ obſeruârunt) quouſque ante annos ducentos Georgius Peurbachius, & Ioannes Regiomontanus eius diſcipulus, ipſi quaſi è manibus Arabum, Iudæorúmque ereptæ, lucem in Germania accenderunt, Ptolemæum reduxerunt, Inſtrumenta apparârunt, non pauca obſeruârunt; tametſi, quia vterque fuere in ipſo ætatis flore extincti, rem eò vſque deducere, quò vſque præconceperant, non potuerunt. Illorum deinde exemplo animatus Nicolaus Copernicus cœpit perinitia ſuperioris ſæculi Aſtronomiam ſeriò illuſtrare; & reſtitutâ Mundo Pythagoricâ formâ, qualem iam antè innui, varia ad condendum Nouas Tabulas obſeruauit. Verùm quia neque circa Fixas aliud quicquam potuit, quàm promotionem illarum in longum, quatenus ab vſque Ptolemæo progreſſæ apparebant, conſtituere; ideò Canones quidem motuum quàm maximè potuit exquiſitos condidit; ſed & illi, & quæ fuere ipſis ſuper-extructæ Prutenicæ Tabulæ, magis quidem, quàm Alphonſinæ; at non tamen Cælo vndique quadrârunt. Laudabilis interim Vir, quòd fore illis quoque adhibendam correctionem præſentiens, adhortari ſolitus eſt ſitientiſſimum Aſtronomiæ iuuenem Georgium Ioachimum Rheticum, vt cum-primis operam daret reſtitutioni Affixarum, & earum maximè, quæ in Zodiaco, aut propè ipſum ſunt, & quibuſcum Planetæ comparari poſſunt; quòd, niſi illis reſtitutis, neque Planetarum loca obtinere, neque omninò quidpiam moliri circa Aſtronomiam exquiſitum liceret.

Exortus itaque eſt demum Tycho Braheus nobilis Danus, qui à prima vſque adoleſcentia obſeruandis Sideribus deditus, tantò magis illa Copernici adhortatione in Rhetici operibus euulgata permotus fuit, quantò peruidit non poſſe ſe abſque Fixarum reſtitutione determinare germanum locum Stellæ illius celebris, quæ ab initio Nouembris anni M. D. LXXII. vltra menſeis ſexdecim in Conſtellatione Caſſiopeiæ fulſit. Peruidit nimirùm errores penè omneis, qui à fundata vſque Aſtronomia deprehenſi in ea forent, ex eo originem habere, quòd Stellæ Fixæ non in iis fuiſſent, quibus ſupponerentur, locis, ſed aliquæ propiùs, aliquæ remotiùs: idque ſeu Hipparchus initio non ſat exquiſitè omneis conſignaſſet, quas & ferè per graduum ſextanteis ſolùm deſignârat (& difficile ſanè eſt quidpiam ſimul inuenire, ac perficere) ſeu exſcriptores Ptolemæi aut inſcitiâ, aut incuriâ plerarumque loca vitiaſſent; ſeu factæ illæ additiones, ob progreſſum in conſequentia, labem feciſſent aliquam; ſeu quavis alia demum ratione. Ac iam quidem generoſus ille,

&

& nunquam ſatis laudatus Princeps VVillelmus Haſſiæ Landgrauius in eam
quoque curam incubuerat, vt loca Fixarum reſtitueret; attamen rem per-
ficere, vt ipſi Tychoni, conceſſum non fuit. Tycho igitur heroïco auſu id
ſibi in animum induxit, vt ab ipſis vſque fundamentis Aſtronomiam in-
ſtauraret; atque idcircò neque labori, neque ſumptibus vllis parceret (&
conferente præſertim ad impenſas Friderico II. Rege laudatiſſimo) neceſ-
ſariis omnibus obſeruationibus peragendis. Quare & vbi primùm in Inſu-
la Huenna abs Rege conceſſa, exſtructóque Vraniburgo, Obſeruatoria ap-
parauit, ipsáque numeroſo, & magnifico Inſtrumentorum apparatu inſtru-
xit; cœpit (ac adhibitis quidem pluribus idoneis coadiutoribus) exquiſitè
obſeruare Poli eius loci per circum-polareis Stellas altitudinem; ex qua
altitudinem quoque Æquatoris intelligens, puncta Æquinoctialia ex tranſ-
curſu Solis per ea deſignauit; ac attendens prætereà ad parteis Tauri, &
Leonis medias, Apogeum Solis inuenit, eiuſdémque Eccentricitatem, cur-
ſúmque à puncto Æquinoctij verni deduxit. Ex Venere autem interdiu
cum Sole, noctu cum Fixis comparata, aſcenſiones rectas, declinationéſ-
que Fixarum rimari eſt aggreſſus; quod antiquiores quidem fallaciùs, vſur-
pata Luna, non Venere, præſtiterant. Exquiſitè verò imprimis Stellam
Lucidam, quæ eſt in Arietis vertice conſtituit, & ex ordine aliquot ſecun-
dum Zodiacum præcipuas; ac tum, diſquiſitis aliarum omnium cùm ab ipſis,
tum inter ſe mutuis diſtantiis, omnium & aſcenſiones rectas, declinatio-
néſque definiit, & longitudines, latitudinéſque præſcripſit, & antiquorum
Catalogum numero circiter ducentarum adauxit. Nam degentes quidem
antiqui in Auſtraliore horizonte, ducentas plus minùs Stellas adnotârant,
in horizonte Danico, longè Borealiore, inconſpicuas; at ipſe viciſſim cir-
citer ducentas ab illis neglectas, quaſi minutiores, collegit, & grandioribus
cæteris intermiſcuit. Cùm intereà autem ſemper obſeruaret Planetarum
omnium per Meridianum tranſitus, & diſtantias à Fixis Stellis vicinis, ac
præcipuis; fundamenta iecit ex quibus tum ſingulorum loca haberi, tum
motus definiri poſſent. Ac erat ipſi quidem pro votis Theoriam Aſtrono-
miæ totam, Tabuláſque nouas ex iis condere; ſed immatura morte præ-
uentus, perficere potis non fuit; ac plurimùm eſt, quòd Obſeruationes con-
ſignârit, reliqueritque, ex quibus Keplerus potuerit Theoriam, Tabulaſ-
que indigitas Rudolphinas conſtruere: & ex quibus, ac aliis, quæ peragi
deinceps poterunt, quicquid in hiſce Tabulis deſiderabitur, emendetur.
Id verò imprimis ſingulari commendatione dignum eſt, quòd Fixarum
loca per ipſum reſtituta habeamus; quódque proinde ipſe ſolus id aggreſ-
ſus fuerit, ac perfecerit, quod nemo ab Hipparcho vſque aggreſſus fuerat,
perfeceràtve.

Cætera prætereo, quæ illi debentur, vt quòd primus Cometas ferri per
Ætherea ſpatia demonſtrauerit: quòd Refractiones cauendas eſſe, & qua-
tenus, oſtenderit; quòd Lunæ latitudinem augendam eſſe ampliùs quadran-
te, quàm reputaretur, deprehenderit; quòd latitudines Fixarum variari pro-
pemodum conuicerit; quòd Hypotheſin, quàm, qui ſequi aut Ptolemaicam
non ſuſtinent, aut Copernicæam non audent, tueri poſſint, inuexerit; vel
certè, ſi fuit Apollonij Pergæi (vt penè ex ipſis Ptolemæo, & Copernico intel- L.b.5.c.55.
ligi licet) collato ſuo calculo probabiliſſimam fecerit; & quæ eſſe poſſunt hu- 12. Almag. 10.
iuſmodi plura. Obſeruo dumtaxat, quàm exquiſitè omnia ſupra anteceſſores
fuerit exſequutus. Nempe Organa fabrefecit ea conditione materiæ, ea com-
menſione magnitudinis, ea varietate conſtructionis, ea cura elaborationis, ea
præciſione diuiſionis, ea facilitate tractationis; ac eam prætereà adhibuit &
ſui, & coobſeruatorum complurium ſolertiam, diligentiam, induſtriam; vt
cùm Hipparchi, Ptolemæi, cæterorúmque obſeruata, per ſenas, aut ſum-
mùm duodenas graduum parteis deſignarentur; ſua ipſe per ſexageſimas, ſeu
vocata minuta, ſcrupuláve prima, ac ſæpe quoque per aliquot minuti vnius
parteis deſignârit. Quæſo verò, vt hoc attingam, quî comparari cum Ty-
chonis induſtria, præciſionéque in obſeruanda Eclipticæ obliquitate va-

leat illa obſeruandi Eratoſthenis ratio, quam Hipparchus, Ptolemæúſque probârunt, ſequutique ſunt; vt videlicet Meridianus diuideretur in parteis octoginta treis, ac interuallo Tropicorum deprehenſo capere ex illis vndecim, pronunciaretur diſtantiam Tropici-vnius ab Æquatore, eſſe talium partium quinque, ac ſemiſſis, ſeu, reductione ad gradus facta, viginti trium graduum, & minutorum quinquaginta vnius, ac trientis? Sed illi nimirum Scaphidio, cum erecto ad medium Gnomone, quale antè deſcriptum eſt, ad hoc negotium vtebantur; quod ad quam vſque ſubtilitatem pertingere poſſit, nemo eſt, qui non videat. Quadrans quoque ille Ptolemæi, quam-multùm abeſt à perfectione vel minimi eorum, quibus Tycho vſus? Idem dico de Regulis; nam & quod conſtitutæ illæ in Alexandrina Porticu, Palæſtráque Armillæ, aut ab ipſo etiam Ptolemæo confectæ quidquam comparandum cum Tychonicarum perfectione habuerint, non ſunt profectò cætera illa organa argumento. Nihil eſt ſubinde neceſſe, vt repetam Machinamenta, quibus fuere priſci Ægyptij, Babyloniíque vſi, ſeu in diſcernendis Zodiaci Signis, ſeu in Diametro Solis obtinenda. Nihil, vt ea commemorem; quibus vſi in eadem Diametro captanda Ariſtarchos, & Archimedes: quanquam mirari profectò ſubeſt, cùm Ariſtarchus adeò
In Aren. propè verum circa Solis Diametrum apud Archimedem collineârit, illam ſtatuens circuli partem ſeptingenteſimam, ac vigeſimam, gradúſve dimi-
Init. dium; quî fieri tamen potuerit, vt in ſuo *de Magnitudinibus, & diſtantijs* libro conſtituerit diametrum Lunæ, quæ tanta eſt proximè, quanta Solis; partem centeſimam octogeſimam, ſiue duos gradus, cùm dixit illam *quin-*
Lib. 6. *tam decimam partem Signi*; quod etiam à Pappo eſt animaduerſum. Nihil demùm, vt Organa, quibus fuere poſt-modum vſi Albategnius, Peurbachius, Regiomontanus, Copernicus, alij; ſiquidem, præter Regulas Regiomontano authore confectas (quibúſque eſt in obſeruandis Solis altitudinibus Bernardus VValterus illius diſcipulus vſus) ea omnia non longiſſimè modò, ſed & toto penè, vt ſic dicam, Cælo, ab exquiſita organorum Tychonicorum ratione abfuerunt. Hoc ſolùm optandum, vt quæ Obſeruationes fuere iis peractæ, in lucem edantur (quando ex, bonis auibus, vt infrà deductum videbis, ſuperſunt) optandum, inquam, tum ob cauſas illeic loci recenſitas; tum ob eam, quòd non omnes Stellæ, quarum ille Catalogum in Progymnaſmatibus exhibuit, deprehendantur ſatis congruè ſubductæ fuiſſe calculo (quatenus nimirùm ad Cælum non quadrant) cùm & ex eadem officina Catalogi varij prodierint, plerumque inter ſe diſcrepantes (vt inſinuabit ſpecimen ad Operis calcem appoſitum) totum verò hoc emendare liceat ex patefactis fontibus, Obſeruationibus ſcilicet, ex quibus quid fuerit vitioſè deductum, quídque probè denuò deduci poſſit, innoteſcat.

Interim verò, cùm tanto iure commendandus Hipparchus ſit; quòd Organis excogitatis dimenſus fuerit Sidera; non minore ſanè commendandus Tycho, qui ſolus per tot ſæcula auſus ſit illum imitari, ac ita imitatus ſit, vt eum ſuperaſſe reputari poſſit. Me quod attinet, cùm haberi Hipparchus alter Atlas valeat; Tychonem videor iure habere quaſi alterum Herculem, qui illius, quaſi fatiſcentis, onus, vicéſque ſubierit. Vocat eum proinde Keplerus Hipparchum noſtri ſæculi; quod verum cùm ſit, meritò
Lib. 2. c. 12. profectò vtriuſque occaſione exclamârit Plinius ſuum illud, *Macti ingenio eſte, Cæli Interpretes, rerúmque naturæ capaces; argumenti repertores, quo Deos, hominéſque viciſtis*! Et, *Viri ingentes, ſupráque mortalium naturam, tantorum numinum* (Solis nempe, ac Lunæ) *lege deprehenſa*! An verò liceat adiicere taleis maximè eſſe viros, quibus tritum illud ex Naſone competat,

1 Faſt. *Fælices Animæ, quibus hæc cognoſcere primis,*
Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit!

Tales certè ſunt, qui in domos ſuperas ſic ſcandunt, vt earum myſteria nobis referent, præſténtque, vt è Terra non diſcedentes, in Cælo verſemur; dicique adeò de illis debeat, quod ſtatim pòſt ſubiicitur,

Admouere

Admouere oculis diſtantia Sidera noſtris,
Ætheráque ingenio ſuppoſuere ſuo.

Quin-etiam illud; quod ſequitur,

Sic petitur Cælum, non vt ferat Oſſan Olympus,
Summáque Peliacus Sidera tangat apex,

interpretari ita licet, vt tales reverâ ſint Viri, qui ſuis illis Organis, quaſi ſcalis, & gradibus in Cælum aſcendant, & cum Cælo, ac Sideribus immortali gloria florentes perennent; ſecùs ac ſperare ij poſſunt, qui Gigantum more opes cumulant, titulóſque aceruant, quos adueniens mors caſúſve inſperatus, quaſi Iouis fulmen excutiat, ac denſa obliuionis caligine obruat. Quoties profectò ſubit Tychonis ſpeciatim cogitatio, is videtur appoſitè potuiſſe illud vſurpare, quod olim apud Synesium alius,

Οἶδ' ὅτι θνατὸς ἐγὼ, καὶ ἐφάμερος, ἀλλ' ὅταν ἄστρων
ἰχνεύω πυκινὰς ἀμφιδρόμους ἕλικας,
οὐκέτ' ἐπιψαύω γαίης ποσὶν, ἀλλὰ παρ' αὐτῷ
Ζηνὶ διοτρεφέος πίμπλαμαι ἀμβροσίης, De dono ad Paeon.

Noui, quod moriar, fragilis; ſectans tamen Aſtra,
Quæ hinc, illinc crebris ſunt reuoluta viis:
Haud vltrà Terram pedibus contingo; ſed ipſo
Cum Ioue diuinâ repleor Ambroſiâ.

Quippe in aſſidua, qua fuit, Aſtrorum peruestigatione, viſus omnino eſt communem conditionem mortalitatis, præſenſionémque futuræ mortis lenire, atque compenſare cum voluptate, qua ſe agnoſcebat non ſine fructu viuere; vtpotè qui generi humano adeò vtiliter laboraret, déque tota poſteritate adeò munificè mereretur, ac ſibi eam gloriam, famæque celebritatem quæreret, quæ nulla obſcurari, aut deficere longinquitate temporis poſſet.

Verum hactenus ea ſunto, quæ Tu, Vir Illvstris, non modò audire, ſed habere etiam legenda voluiſti, de rerum Cæleſtium obſeruatione, ac ſtudio, ab vſque antiquiſſimis, quantum licuit, temporibus, ad Tychonem Braheum vſque: nam ea quidem, quæ adinuento poſt Tychonis mortem Teleſcopio detecta in Cælo, obſeruatáque ſunt, Sol maculoſus; Luna ſuperficie inæquabilis; Venus Phaſeis, vt Luna ſubiens; Mercurius quoque, & Mars ex parte; Iupiter faſciatus, & ſtipatus quatuor veluti ſatellitibus; Saturnus tricorpor, Galaxias ſtellatus totus, ſtellatæque pariter variæ per Cælum quaſi nebululæ; ea, inquam, & plura, ſatis Tibi ſunt, ſupérque comperta. Ad Tychonis Vitam, cuius occaſione hæc ediſſerui, quod attinet; eius ſeriem, quaſi annaleis ſex Libellis complexus ſum; retuli nimirum ad ſuos quidque annos, quatenus fuiſſe ab eo geſtum, obſeruatum deprehendi. Si mihi præ manibus fuiſſent obſeruationum Codices, hoc eſt, Commentarij non modò annales, verùm etiam diarij; licuiſſet profectò, ob plureis circumſtantias adhibitas, omnia exhibere vt completiùs, ſic aliquantò fortè ornatiùs: Sed enim & Codices ipſi, dum editi erunt, ſeipſos loquentur, Tychonémque ampliùs celebrabunt; & mihi ſatis interea eſt, id præſtitiſſe quod potui, & ex ſuſcepto opere emerſiſſe, quatenùs licuit; integrum relinquens iis, qui bona ſorte Codices ſiue Manuſcriptos, ſiue editos perlegerint, pluráve aliunde, quàm ego habere perſpecta potuerint, vt omnia cumulatiùs, elaboratiúſque exſequantur. Fortè verò etiam non deerunt lectores, quibus videbor fuiſſe nimius; neque debuiſſe tot ſingularia ex iis, quæ à Tychone obſeruata, conſcriptáve fuere, interſerere: Sed cogitaui nempe, ſi vitam Ducis cuiuſpiam militaris mihi conſcribendam ſumpſiſſem, futurum fuiſſe, vt ſingulareis quaſque actiones ſcriberem, quibus maximè illius virtus, aut in ſuperandis prælio hoſtibus, aut in expugnandis vi, ac obſidione arcibus enituiſſet; cùm mihi verò præcellentis rerum Cæleſtium Obſeruatoris conſcribendam Vitam propoſuerim, reputaui non ſatis fore, ſi generatim ſolùm ipſius in obſeruando induſtriam, diligentiámque commendarem; ſed debere me eam quoque ſpeciatim, ſingularibúſve quibuſdã ſpeciminibus facere perſpectam. Et, cùm ipſe aliunde ea, quæ ex ſuis

obſeruationibus deduxit, ratiocinatúſque eſt, conſcriptis à ſe libris conſignârit; cenſui libri cuiuſque ſeriem, ſummámque eſſe exhibendam, pro ea, qua ſum opinione, celebratos eruditorum, laudatorúmque Virorum libros, eſſe totidem quaſi bella geſta, vrbeíſve expugnatas, in quibus quanta Imperatoris ſapientia inclaruerit, pernoſſe lectorem delectet. Fortè etiam, pleraque, fateor, inter legendum incident, quæ diſplicere eò valeant, quòd intelligi, niſi ab iis, qui fuerint Aſtronomiæ initiati, non facilè poſſint: verùm, & ea præter-volare facile erit cæteris, qui vulgaria magis requirent; &, cùm iſtis gratificari, quantum licuit, fuerim adnixus, ducere non debui illos negligendos, qui rerum Cæleſtium ſtudioſi cùm ſint, penitius quidpiam cognoſcere ex eius Viri ſtudiis, qui totum æuum in Cæleſtium contemplatione traduxit, exoptent. Quod supereſt autem, mihi abundè erit, ſi gratam Tibi rem fecero, cui me maximè probare eſt cordi. Vale. Pariſiis, tuis ex ædibus, Kalend. Septemb. M. DC. LIII.

TYCHONIS BRAHEI, EQVITIS DANI, ASTRONOMORVM CORYPHÆI VITA.

LIBER PRIMVS.

PER-ILLVSTRIS eſt apud Danos Braha, Braheorúmve vocata familia. Oriundam perhibent ex Suecia, vbi floret etiam-num ramus Braheorum Comitum; cùm in Dania nulla obſeruetur Comitum, Marchionum, Ducúmque diſtinctio. Ex hac igitur, quę apud Danos, ſtirpe ortum ducens Tycho patrem habuit *Ottonem Brahe*, ex Tichone alio, & Sophia Ruda prognatum. Is autem Tycho noſtri auus filius fuit Axilij Brahe; & Mariæ Longæ: Sophia verò ipſius cõjunx fuit Georgij Rudi, & Chriſtianæ Roſencranſiæ filia. Ad matrẽ quod attinet, ea fuit *Beata Billea*, prognata ex Claudio, & Elizabetha Vleſtanda. Fuit autem Claudius filius Stenonis, & Margaretæ Ronnoræ; Elixabetha verò Ioannis, & Margaretæ Trollæ filia. Nomina harum familiarum appoſita inſignibus legere licet in eo arcu, cui in nonnullis Operibus ſuppoſita eſt (æri nempe inciſa) Tychonis effigies. Ac in ipſis quidem columnis arcum ſuſtentantibus indicantur etiam familiæ tam Abauorum, quàm Abauiarum; verùm ſpecialia tam illorum, quàm iſtarum nomina ſunt perinde nobis comperta.

Fuit Otto Brahe Dominus Knudſtorpij, feudi videlicet auiti, ſitique in Scania, vltra oram maris Balthici, non procul Helſimburgo. Cùm illeic autem degeret, Beatam Billeam vxorem duxit, ex eáque ſuſcepit decem liberos, quinque purà mareis, quinque fœminas, quos ipſe hoc ordine natos in Aduerſariis domeſticis ſcripſit; Elizabetha, Tycho, Steno, Marina, Axelia, Margareta, Chriſtiana, Georgius, Canutus, Sophia. Heinc fuit filiorum primogenitus Tycho, quod & ipſe eſt teſtatus non ſemel, ac in illa ſpeciatim de ſuo ex Dania diſceſſu Elegia, hocce diſticho;

Aſt ego Braheus de quinis fratribus vnus,
Et genitus primò, vix reputatus eram.

Cùm verò Fratres ipſius omnes magnæ in Patria authoritatis, & magna ex parte Senatorij Ordinis fuerint; tum memorandus præcipuè Steno, qui Majeſtati Regiæ Conſiliarius, & in arce Caluodburgica Præſes, habuit cæteros inter liberos, tum filium Ottonem Baſneſium, tum Birgittam filiam, quæ illuſtri Friderico Reetzio nupta, quatuor filios edidit; Petrum, Stenonem, Antonium, Georgium, quorum natu maximum Legatione Regia Pariſiis fungentem, vnà cum natu minimo videre, affari, experiri beneuolos licuit. Ex filiabus autem, dicenda præſertim Sophia, quæ decennio poſt Tychonem nata, longè ſupervixit; exſtincta quippe à paucis annis propemodùm nonagenaria. Ea fuit perita Matheſeos, & Aſtronomiam cùm diligeret, tùm Aſtrologiam præſertim deperiit: vnde & expeditiſſima in erigendis Thematibus fuit. Reliquit verò filium Senatorem, inclytum Tagonum Totum Ericſolmium.

Ad TYCHONEM quod attinet, is natus eſt *Knudſtorpij* (cuius loci latitudo eſt 1546.
quinquaginta ſex graduum, & quadraginta ſex minutorum) anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto, ac menſe Decembri. In exemplo ad me tranſmiſſo paternorum Aduerſariorum, natus habetur die Martis, qui inter feſtum B. Luciæ, & Natalitia Domini fuit: quod ſi ritè conſtet, debuit, repetendo ſeriem Kalendarij ſecundum Stylum veterem, natus eſſe die eius menſis decima-nona. Exiſtimârunt aliqui natum fuiſſe decima-quinta; at ipſe in libro de Cometis, *Aſſumamus*, inquit, *Obſeruationes repertas die xiij. Decembris, qui nobis ante annos xxxi. natalis illuxit*. Cùm illeic tamen aſſerat ſe die xiij. natum; intelligendus dies eſt à meridie, vt ipſe in Aſtronomicis accipere ſolet, inceptus. Quippe vulgari modo loquendo, dicen-

dus eſt natus die xɪv. mane, & hora quidem
x. cum minutis xlvij. quod non modò habet
in Annalibus MSS. Ioannes Stephanus, qui
id ex Tychone accipere potuit, vt mihi qui-
dem per optimum Olaum VVormium com-
pertum eſt; ſed ipſemet etiam Tycho decla-
rauit in Natalitio Themate, quod olim ab
ipſo cum Magdeburgenſi Rollenhagio com-
municatum, præclarus Laurentius Eichſta-
dius & obtinuit, & mihi impertiit: In eo
quippe Tycho natus legitur die Decembris
xiij. horâ xxij. min xlvij. Ac Pater quidem in
Aduerſariis horam dicit inter nonam, ac de-
cimam; ſed ipſe Tycho tempus correxit,
gradum aſcendẽtem definiens, vt Eichſtadius
idem perſcripſit, ex accidente, quo naſi pars
ipſi fuit abſciſſa, vt dicetur inferiùs.

Fuêre Tychoni heinc patruus Georgius,
inde Steno auunculus, quos eſt impensè, &
ſui amanteis, & ſtudiorum ſuorum fautores
expertus. Duxerat Georgius à pluſculis annis
Ingeram Oxoniam, magni illius Petri Oxo-
nij, qui deinceps Aulæ Magiſter (hoc eſt pri-
mariæ poſt Regiam dignitatis) fuit, ſororem:
ſed ſterile conjugium erat. Itaque quam-pri-
mùm proles maſcula germano Ottoni fuit
nata, de ea quaſi propria habenda, educan-
dáque cogitauit. Cùm non obtineret autem
à Parentibus, vt Tycho ablactatus ſibi trade-
retur; curauit illum, infantem adhuc, ipſis
inſciis abripi, & ad ſe, inſignem illius curam
ſuſcepturum, adduci. Prætexuit autem Pa-
rentibus eam excuſationem, quòd nato jam
illis Stenone, ipſo frui deinceps poſſent, ac
foret æquum, vt geminatam prolem maſcu-
lam quaſi partirentur. Et fuit certè quamob-
rem illi tantò æquiore animo ferrent, quantò
non modò ipſe Patruus, ſed illius etiam vxor
Ingera Tychonem quaſi filium habuit, eúm-
que amore ſingulari complexa eſt, & non
modò quidem Patruo ſoſpite, ſed deinceps
quoque, donec fatis functo, ipſa ſuperſtes in
viuis fuit.

Priuſquàm infantiam exigeret, adhibuit
Patruus Præceptores, à quibus peritiam le-
gendi, ſcribendíque aſſequeretur: &, cùm
1554. jam circa ſeptimum ætatis annum conſiſte-
ret, vt linguâ Latina erudiretur, operam de-
dit. Et repugnabat quidem Pater, quippe ea
per id tempus mente, vt filij omnes arma po-
tiùs ſectarentur, quàm literas; at Patruus per-
ſpecta pueri indole, curioſa nimirùm, ac
Scientiis capeſſendis idonea, in eo perſtitit,
vt Latinè ſciret; maximéque, vt poſſet poſteà
Iuris ſcientiæ incumbere, ſicque capax eua-
dere ſummorum Regni munerum, ad quæ
Viri Nobiles non Militaribus ſolùm geſtis,
ſed prudentiâ quoque Iuris euehuntur. Ne-
que verò Otto in ea ſententia diu perſtitit;
ſiquidem breui Stenonem quoque literis La-
tinis inſtitui curauit. Fuit Tycho proinde to-
tis quinque annis ſub Latinæ linguæ magi-
ſtris, quos Patruus domum accerſiit, & à
quibus fuit imbutus humanioribus literis,
quarũ, ac præſertim Poëſeos, ſe peramantem
ſemper oſtendit. Videtur Parens eius Otto
per hoc quinquennium poſt annum putà ᴍ.
ᴅ. ʟᴠɪ. quo nata eſt Sophia, fatis conceſſiſſe;
quippe, cùm ipſi deinceps nulli nati liberi
perhibeantur; vxore licet juuene adhuc, vt
quæ in viuis adhuc foret, & ſeptuagenaria
quidem, anno nonageſimo ſeptimo, quo
diſceſſiſſe ex Dania Tychonem inferiùs di-
cetur.

Exactis jam duodecim annis (hoc eſt men-
ſe Aprili anni ᴍ. ᴅ. ʟɪx) miſit illum Patruus 1559.
Hafniam Regni Daniæ Metropolim, vt ope-
ram in celebri Academia impenderet Rheto-
ricæ, ac Philoſophiæ. Hiſce dum vacaret,
contigit, vt die Auguſti xxj. anni inſequen- 1560.
tis ᴍ ᴅ ʟx. Solis Eclipſis fieret; non tanta
profectò in Dania, quanta Conimbriæ in Lu-
ſitania, vbi ſcripſit Clauius *Solem circa meri-
diem non modico tempore contectum latuiſſe; te-
nebras fuiſſe quodammodo nocturnis maiores;
neque enim quo pedem quis poneret, videre po-
tuiſſe; clariſſiméque ſtellas in Cælo apparuiſſe:
aueis etiam, mirabile dictu, ex aere in terram
præ horrore tam tetræ obſcurationis decidiſſe*; at
tanta fuit tamen, quæ in ſe plurimorum ocu-
los, ipſiúſque Tychonis potiſſimùm, conuer-
terit. Demiratus iam fuerat ex lectitatis vul-
garibus Aſtrologorum Diariis, & exiis, quæ
paſſim de morte, fortuniſque hominum ab
ipſis prædicta jactari inaudierat, quî poſſent
futura ex Cæli, Siderúmque inſpectione
prænoſci: & exoptans ipſe quoque futura
prænoſſe; ac prædicere, Sphæricâ doctrinâ
occœperat imbui. Cùm verò attendit hanc
Eclipſim eo tempore contigiſſe, quo præ-
nunciatum fuerat, mirari adhuc magis cœ-
pit, & quaſi rem diuinam habuit, poſſe ho-
mines adeò exquiſitè callere motus Siderum,
vt illorum loca, poſitúſque mutuos proſpice-
re longè in futurum poſſint. Quare & con-
quiſiuit, coëmitque Stadianas Ephemeridas,
&, vt illarum non modò vſum, ſed etiam
rationem teneret, aſſequutus eſt, qualem-
cumque potuit, Theoriæ Planetarum noti-
tiam. Atque hoc quidem ipſi initium ſtudij
Aſtronomici fuit.

Anno deinde ᴍ. ᴅ. ʟxɪɪ. ac menſe Februa- 1562.
rio, diſceſſit Hafniâ, & deſtinatus cum Pæ-
dagogo Lipſiam, illuc ſub Martij finem per-
uenit. Eò verò Patruus mittendum cenſuit,
vt prudentiæ Iuris, cuius illeic ſtudia maxi-
mè florebant, operam nauaret. Lipſiæ ergo
dum moraretur, Iuri quidem, vt Patruo fa-
ceret ſatis, ſtuduit; at interim tamen ſcientiâ
Siderum longè magis afficiebatur, ægréque
ferebat Pædagogi genium, qui ſtellis quaſi
iratis natus, ferre non poterat, vt vllam ſuc-
ciſiuam horam ipſi impenderet; idque vo-
luntatem Parentum prætendens, quaſi ij, vt à
Iuris ſtudio quidquam diuerteretur, nollent.
Factum eſt proinde, vt tacito quodam Iuris
faſtidio teneretur, & aliquando etiam in
hoc qualecumque (quod & deinceps inter
ſodaleis frequenter in ore habuit) diſtichon
prorumperet,

*Ius Patina, & Legum ſunt nomine Iura ſub
vno;*
Grandia conducit, & grandia Iura vorant,

Cùm Patruus autem ſubminiſtraret etiam
neceſſariam ad res ludicras, animíve relaxa-
tionem attinenteis pecuniam; ipſe quidem
maxima

maxima ex parte impendebat illam coëmendis libris Aſtronomici argumenti: ſed huiuſmodi tamen libros clam Pædagogo ſibi habebat; neque etiam, quia pecuniam illius manu accipiebat, poterat totam in eos vſus, vt voluiſſet, impendere; quippe rationem reddere eius expenſæ tenebatur. Quoties itaque Pædagogus aduertere non poterat, libros illos peruolutabat; & nactus globulum cæleſtem (pugno ſcilicet non majorem) tum, cùm Pædagogus dormiret, inuigilabat Aſteriſmis cæleſtibus internoſcendis; & ea quidem attentione illos comparabat cum iis, qui erant in globo vtcunque depicti, vt intra menſem omneis qui forent in illo horizonte conſpicui, probè perſpectos habuerit. Didicit & Planetas noſſe ex Ephemeridibus Stadianis; quippe à quibus illorum loca inter Zodiaci Aſteriſmos præter-propter deſignarentur; & habita quidem præſertim ratione longitudinis, ſecundùm quam ea loca ſunt in deſignatis Aſteriſmis, aut non-nihil vltra, exortum verſus requirenda.

Quin-etiam, quia penetrare in ipſa Aſtronomiæ fundamenta deſiderans, agnoſcénſque Ephemeridas ex Aſtronomicis Tabulis deduci, conquiſiuit tam Alphonſinas, quàm Prutenicas Tabulas, iiſque intelligendis ſic inuigilauit, vt illarum vſum ſibi familiarem expeditúmque reddiderit; ex eóque factum fuerit, vt adnotatis inter Stellas affixas Planetarum locis, & aliquibus interductis imaginariis locis, ipsíſque cum ſimilibus in ipſo globo comparatis, potuerit deprehendere, non congruere huiuſmodi loca cum calculo ex vtriſque Tabulis deducto, & errore quidem plerumque intolerabili; tametſi calculus Alphonſinus magis à vero quàm Copernicæus, ſeu Prutenicus aberraret. Deprehendit quoque Ephemeridas Stadij, quæ ſolæ id temporis exſtabant, ab eo calculo, quem ipſe ex Prutenicis deduxiſſet, abludere; ac ideò eſſe vt fallaceis, ſic indiligenter contextas. Atque id quidem (res ſanè mira) prælucente ipſi nemine, ſed Marte proprio, ductúque Genij, quo ad hæc ſtudia inſtigabatur; cùm & perrumpendi forent obices, qui à Pædagogo ponebantur, & quorum causâ libertate ſeſe hiſce rebus dedendi carebat. Adde quòd, non ipſam modò Aſtronomiam, ſed alias etiam Matheſeos ſpecies Aſtronomiæ prorſus neceſſarias, potiſſimùm verò Geometriam, & Arithmeticam (vt de Optica, aliiſque nihil dicam) ſic addidicit, excoluitque, vt alio vſus præceptore, quàm ſeipſo non fuerit.

Quia verò aliunde animaduertit Tabularum confectionem ſupponere Obſeruationes rerum cæleſtium diligenter peractas; & hanc ipſam eſſe habendam, vt baſin totius Aſtronomiæ: idcircò cogitauit etiam hûc animum appellere, & quam-primùm occaſio, facultaſque obſeruandi foret, ſic in hanc curam incumbere, vt aut veteres corrigi, aut nouæ condi Tabulæ poſſent. Subiit autem primùm cogitatio hæc, poſt exactam illam, quæ vocatur Magna Conjunctio, duorum ſcilicet ſupremorum Planetarum, Saturni, ac Iouis, quæ vigeſimo quoque anno contingit, quæ-
que eſt anno M.D.LXIII. tuente Auguſto ce- 1563.
lebrata, cùm Planetæ forent circa finem Cancri, & Leonis initium. Quippe manifeſtè agnouit ſupputatum ex Tabulis tempus cum Cælo non congruere, ſperauítque poſſe laboribus ſuis aliquod remedium malo adhiberi. Ac defuere quidem illi Organa, quibus Conjunctionem, illiúſque tempus rimari ſcrupuloſiùs poſſet; at venit tamen illi in mentem majuſculum quemdam vſurpare Circinum, cuius commiſſura applicaretur oculo, crura aut in binos Planetas, aut alterum in Planetam vnum, alterum in Fixam aliquam Stellam dirigerentur. Siquidem, deſcripto aliunde in charta munda circulo, cuius ſemidiameter foret ipſa crurum circini à medio claui connectentis, ad ſummos apices longitudo, circumferentia in gradus, cum ſemiſſibus, quadrantibúſque diſtingueretur; ita applicabat deinde ad circuli centrum, clauum ipſum medium, ſiue centrum Circini, vt extrema crura (ſiue apices) ad circumferentiam applicita deſignarent in ipſa gradus, & parteis etiam graduum aliquas, quibus Planetæ inter ſe, aut vnus Planeta, Fixáque diſtarent. Mechanica quidem, ac rudis deſignatio; ſed ex qua tamen intellexit Alphonſinos numeros abfuiſſe à vero Conjunctionis tempore, toto menſe, & Copernicanos aliquot ſaltem diebus. Præterea autem illum deinceps, quòd aliquo ſemper Aſtrologiæ ſtudio ſimul teneretur, retuliſſe ad hanc Conjunctionem, eam peſtem, quæ annis inſequentibus per totam Europam graſſata, innumerabilem hominum multitudinem abſtulit; quod talis Conjunctio celebrata fuiſſet Leonis initio, partiliter, nec procul à ſtellis nebuloſis Cancri, quæ Ptolemæo ſuffocantes, atque peſtilentes dicuntur.

Degebat per id tempus Lipſiæ adoleſcens induſtrius Bartholomæus Scultetus, Matheſi incumbens ſub Ioanne Homelio, celebri Academiæ Mathematico; illo ſcilicet, quem poſt modum Tycho adinueniſſe retulit eleuationem Poli Lipſienſem graduum 51. minutorum 17. ac illi eſſe ſtandum edixit, *præ magna*, inquit, *diligentia, quam idem Homelius in fabricandis, & tractandis organis Mathematicis mechanicè adhibuit*. Scultetus ergo in apparandis Mathematicis inſtrumentis, cuiuſmodi à Præceptore præſcribebantur, ſedulus erat; quamobrem Tycho inita cum ipſo familiaritate, tradidit illi Radium ligneum ex Gemmæ Friſij præſcripto, ſed clam Pædagogo confectum, vt eum per puncta tranſverſè ducta Homelij more diſcerneret; quo more ipſe poſtmodum Tycho Quadrantum, Sextantúmque arcus, vt poſteà dicetur, diſcreuit. Tunc verò talem adeptus Radium, obſeruandis Sideribus è feneſtra quapiam, quoties ipſi ſerenitas arriſit, ſic inuigilauit, vt nocteis ſæpe integras eo in ſtudio tranſegerit; idque dormiente interim, ignorantéque Pædagogo. Ac breui quidem deprehendit diſtantiarum angulos per æqualeis Radij diuiſiones acceptos, proportionúmque regulâ expenſos exquiſitè ſibi inuicem non

congruere;

congruere; quare occaſione erroris explorata, adiuuentáque, excogitauit tabulam, qua eius Radij vitia, cùm apparare ſibi alium minimè poſſet, emendaret.

Vtcunque fuit multas eo Radio obſeruationes Lipſiæ peregit, eáſque in ſpeciali codice conſcriptas ita aſſeruauit, vt illis deinceps adjunxerit alias eodem peractas Radio, tum vbi fuit primùm in patriam reuerſus, tum vbi Germaniam proximis ſtatim annis reuiſit. Hinc eſt, cur de ſe alicubi loquens, *A decimo ſexto ætatis anno*, inquit, *Sidera iucundo labore ſcrutatus ſum; idque in adoleſcentia Lipſiæ ſtudiorum causâ morans, ſaltem per Radium Aſtronomicum, cùm alia organa in ea teneriore ætate deficerent, quantum fieri poterat, periclitabar.* Inſinuat quoque non fuiſſe ſe ipſi Homelio incognitum, cùm de memorata Poli eleuatione ſcribens, quam is per altitudinem Solis maximam, minimámque aſſequutus fuerit, *hanc ſedulò*, inquit, *perſcrutatus eſt, vt ipſemet cognoui, cùm ante annos plus minus viginti quinque Lipſiæ ſtudiorum causâ commorarer.* Denique verò quòd ex hoc vſque tempore præconceperit grande aliquid circa Aſtronomiam præſtare, agnoſci poteſt vel ex fronte Tabularum Rudolphinarum, vbi legitur *Scientiæ Aſtronomicæ Reſtauratio à Tychone illo Aſtronomorum Phœnice animo primum concepta,*
1564. *& deſtinata* fuiſſe *anno Chriſti* M.D.LXIV.

Triennium Lipſiæ cùm exegiſſet, redeundum illi in patriam fuit occaſione mortis Georgij patrui; cùm eo alioquin ſuperſtite, conſtituiſſet priùs & totam Germaniam, & vicinas quoque regiones illius permiſſu lu-
1565. ſtrare. Diſcedens ergo Lipſiâ anno M.D.LXV. ſub ipſum Maij medium, doluit, quòd videre in tranſcurſu ſolùm VVittebergam licuerit: quippe vbi percupierat aliquantulum commorari. Doluit & quòd Roſtochium: vnde rectà in patriam ſoluit. In patria cùm foret, cœpit quidem quampiam domeſticæ rei agitare curam: verùm eo maximè fine, vt corrogaret neceſſariam agitatæ animo peregrinationi pecuniam, ac ſimul dare operam, vt ſi quâ egeret per nummularios tranſmitteretur. Non deſinebat interim cœleſtium quidpiam obſeruitare, idque eodem ſemper Radio: neque enim animum adhuc appellere ad alia organa conficienda voluit, quòd ea non poſſent per varias regiones, niſi incommodè transferri, & citra labem omnem ſeruari; poſſet autem omnium facillimè Radius, vtpote duobus tantùm bacillis, ſiue Regulis mutuò diſſociabilibus vnáque plicatilibus conſtans. Cogitauit inſuper, ſi quid inter peregrinandum obſeruatu dignum ſeſe exhiberet, poſſe id deſignari imaginariis lineis inter aliquas ſtellas interductis, vti & inter ipſa obſeruandi initia ab eo factitatum iam retulimus. Hoc certè modo aliquoties Planetarum loca obſeruauit, delectis quatuor ſtellis Fixis, quæ geminæ in eandem lineam cum Planeta inciderent, ſicque geminæ lineæ ſe in Planeta interſecarent. Nempe ex cognitis aliũde ipſarum Affixarum locis, deducere calculo licet quo in loco Planeta ſit. Ad lineas verò dirigendas non filo vtebatur, quemadmodum poſtea de Mæſtlino dicendum eſt, ſed regulâ ad oculum applicitâ, & in ſtellas conuerſâ.

Quod ipſi maximè diſplicuit, effecitque, vt patriam faſtidio quodam auerſaretur, eamque cum regione aliâ commutare in animum induceret, contemptus fuit, quo in ea haberi liberalia ſtudia, quæ ipſe deperiret, peruidit. Quippe non modò cæteri, quos ſeu in vicinia, ſeu etiam in Aula internouit, nobiles Viri ea deſpiciebant, deridebántque; ſed ipſi etiam conſanguinei, affinéſque eum objurgabant, quòd non Iuriſprudentiæ, melioribúſque ſtudiis vacaret, ac ſolus erat auunculus Steno, qui ſequendum eſſe genium duceret. Quare & non ſine iracundiæ ſpecie diſceſſum ſuum maturauit,, & ne exſpectato quidem anno patriæ vale dixit, & VVittebergam ſemper cordi habens, illuc iter inſtituit, quò & ſub ipſum Aprilis medium an-
ni inſequentis M.D.LXVI. peruenit. Illeic iucundè cùm degeret, variáque ſemper obſeruitaret, conſtituerat non ante exactam Hiemem proximam demigrare: verùm quæ interuenit peſtis, effecit, vt aufugeret, ac ſeſe Roſtochium Autumno ineunte conferret. 1566.

Roſtochij dum ageret, is caſus illi contigit, quo bonam naſi partem amiſit. Sunt qui ad ſuperiorem annum, ac menſem Octobrim iſtud referant: quaſi ad hoc tempus perueniat directionis illius arcus, qui natalitio Themati, vt eſt antè dictum, corrigendo occaſionem fecit. Scilicet ille ex directione horoſcopi ad corpus Martis ſignificari quampiam in facie deformitatem exiſtimauit. Verùm annales memorati, caſum ad hunc annum, ac menſem Decembrim, ita referunt, vt Stephanus illorum author, qui Tychonem ſæpiùs inuiſit, hauſiſſe ex ore illius quæ de eo conſcripſit, videatur. Vtcunque ſit, res ex eo, ſeiu hunc modum habuit. Die Decembris decima, agebantur choreæ, ſponſaliorum occaſione, in Bacbmeſteri ædibus, cæteros inter adfuerunt tum Tycho, tum Danus alius nobilis, Manderupius Paſbergius, qui ſuborto diſſidio, malè inuicem affecti exierunt. Die vigeſima ſeptima, hoc eſt per feſta natalitia, recruduit mutuum odium, occaſione cuiuſdam ludi: Tycho nimirum, ſtudioſus licet, non auerſabatur quas relaxationes conditio, ætáſque ferebant. Hinc die inſequente vigeſima nona ventum demum ad arma eſt, conflictúſque fuit circa horam veſpertinam ſeptimam, ac adeò in tenebris denſis, per quas Manderupius id vulnus Tychoni inflixit, quo tota penè anterior pars naſi reſecta prorſus periit. Narrat quoque rem in Epiſtolis Ioannes Baptiſta Lautus: vbi videtur diſſidij cauſam in æmulationem referre, qua vterque præcellere in Mathematicis contendebat. Adiicit verò Tychonem ſibi ſubdititium naſum haud quidem è cera, ſed ex auro, argentóque conflatum ita agglutinaſſe, ita decenter appoſuiſſe, vt verum omninò naſum mentiretur. Retulit etiam mihi olim Guillelmus Ianſonius, qui toto biennio cum Tychone commoratus fuerat, ſolere illum ſemper circumgeſtare

pyxidulam, neſciebat vnguento, ao glutine repletam, è qua ſatis frequenter aliquid illineret naſo.

1567. Anno conſequente inter cætera à Tychone obſeruata, fuit Eclipſis Solis, quam in Progymnaſmatis primam omnium a ſe obſeruatarum fecit, ipſam ad diem Aprilis nonam, ac horam præcisè meridianam referens, cum quantitate obſcurationis digitorum ſex, & trientis. Scripſit quoque Tycho longo pôſt tempore ad Clauium, obſeruaſſe ſe hanc Eclipſin Roſtochij, ad littus maris Balthici, in ipſo quaſi meridie, digitorum non planè ſeptem: tametſi Keplerus profeſſus rem conſentire cum calculo, ait ſe in ſcheda alia inueniſſe horam vndecimam, ac digitos nouem. Hæc porrò Eclipſis celebris eſt ob id, quod ſcriptum à Clauio fuit, *Romæ Solem non totum defeciſſe, ſed relictum fuiſſe exilem quemdam circulum lucentem circum circa.* Quòd quidem Phænomenon variè à Keplero verſatur, ſi quà aut fidem eleuet, aut quî euenire potuerit, declaret. Ipſe Tycho conatus quoque fidem eleuare circa ſuperiorem, quam in Dania puer viderat, illud ſemper in votis habuit, vt poſſet totalem Solis Eclipſin conſpicere, quò ea quæ perhibebantur & de diurnis tenebris, & de aliis huiuſmodi euentis probaret: verùm nunquam licuit ſic eſſe felici: cùm ex nouem quas obſeruauit, conſignauítque, Eclipſibus, maxima dodrantem, proxima ſemiſſem diametri Solaris vix exceſſerit.

Perrexit deinceps morari, & aliquid ſemper obſeruare Roſtochij, niſi quòd, cùm per Æſtatem excurriſſet in patriam, rediit illûc per Hiemem, aceò ſe appulſum ſcripſit quibuſdam nempe literis ad Ioannem Albur-
1568. genſem datis, ipſis Kalendis Ianuarij, exceptúmque hoſpitio Leuini. Cùm verò die eius menſis 14. ſcriberet, *Hodie verò*, inquit, *Deo annuente, & proſperante in propriam quandam habitationem migrare conſtitui, quæ eſt in Iuriſtarum Collegio, ſatis commoda, & Obſeruationibus cæleſtibus, meiſque deſideriis apta. Illeic, ſi Deo ita viſum fuerit, hanc Hiemem transigere conſtitui; quid deinceps futurum ſit, dies dabit, & Domino illa proſpicienda relinquo, admonitus hoc ſapienti, & veteri verſu,*

Tu præſens cura, Domino committe futura.

Prætereo interim, quod ſubjunxit, *Tuũ verò eſt, mi Ioannes, eas, quas tibi noſtri diſceſſus concredidi cauſas in alto ſilentio apud te ſepelire, ne quis ſuſpicetur, vel intelligat me de quoquam quidquam conqueri, aut aliquid in patria fuiſſe, quod me ad diſcedendum impulerit. Id enim permagni intereſt, vt nemo audiat me de vlla re conqueri, vti etiam reuerà, de multis conqueri non poſſum. Fui enim in patria ab omnibus conſanguineis, & amicis, præter meritum bene exceptus, eo ſolo deficiente, quòd non omnibus placuerint mea exercitia: idque ſuam meretur excuſationem.* Anno poſtea partim illeic, partim VVittebergæ tranſacto, luſtrare vlteriùs Germaniam de-
1569. creuit, & ſuperato Danubio ipſam etiam Auguſtam-Vindelicorum inuiſit. Alia inter loca etiam Laugingâ tranſiit in ipſis Sueuiæ finibus, vbi Cyprianum Leovitium, virum Aſtrologicis ſtudiis impensè deditum cognouit. Quippe inuitatus etiam ab eo fuit, & cum ipſo in multam noctem vt cœnam produxit, ſic ſermones conſeruit. Quæſiit porrò ex eo Tycho inter cætera, an-ne interdum Sideribus obſeruandis inuigilaret, quò agnoſceret ſuas Ephemeridas tam laborioſè è numeris Alphonſinis ſupputatas cum Cælo non congruere: ille autem reſpondit ſe Inſtrumentis ad obſeruandum idoneis deſtitui, ſed attendiſſe tamen interdum per quædam horologia ad Eclipſeis Solis, ac Lunæ, deprehendiſſéque Solareis magis conſentire cum Copernicæo calculo, Lunareis magis cum Alphonſino; ac trium etiam ſuperiorum Planetarum motus cum illo magis facere, duorum inferiorum cum iſto.

Auguſtam cùm primùm acceſſit, admiratus eſt propugnaculorum, mœnium, foſſarum munimenta: architecturam ædificiorum priuatorum magnificam, viarum amplitudinem, amœnitatem fontium, ſalubritatem aëris, humanitatem ciuium, patritiorúmque maximè, induſtriam artificum, bonarum literarum cultum. Quare hiſce rebus allectus, conſtituit in ea ciuitate non-nihil diutiùs hærere, maximéque vbi familiareis, beneuolóſque habuit viros genere, dignitate, opibus, doctrina florenteis, ac illuſtreis imprimis fratres Ioannem Baptiſtam, & Paulum Hainzelios, illum quidem Septem-virum, iſtum verò Conſulem, ambo eruditos, ambo Aſtronomiæ, ſed Paulum præſertim, impensè amanteis. Quia porrò iamdudum apud ſe ſtatuerat, quam-primùm opportunum foret, idonea quædam organa peragendis cæleſtibus Obſeruationibus apparare (nôrat nempe ea, quæ vulgò haberentur, exiliora eſſe, incõmodioráque, quàm vt iis præſtari quidpiam ſolidum ad reſtitutionem Aſtronomiæ poſſet) ideò nactus artifices, qui præſcripta exſequerentur, cœpit imprimis meditari qua magnitudine, ac formâ eſſe deberet Organum, quod ſingula graduum minuta diſtinctè exhiberet. Contigit autem, vt dum rem circino in charta exploraret, ſuperveniens Paulus, rem cognouerit, ac in ſeſe receperit Machinæ operas, ac impenſas. Erant illæ futuræ inſignes: Quadrans enim deſtinabatur, cuius radij, ſeu latera arcum complectentia cubitorum quatuor-decim forent (videlicet nondum cogitârat Tycho minuta graduum in tranſverſas lineolas tribuere, ſed dumtaxat in eadem linea ſecundùm arcum deſignare) ille tamen paſſus eſt ſe ad opus eximium egregiè animari.

Erat Paulo prædium in pago Geggingà, dimidio milliatis ab vrbe in Noto-Libycum diſtante: quamobrem delectus eius prædij hortus, in quo is Quadrans conficeretur. Conducta autem fuere ad hoc præſtantes quique artifices Automatarij, aurifices, ferrarij, lignariique fabri, iique non pauci numero, qui partim vt Conſuli gratificarentur, partim mercede inuitati, alacriter ſe accin-

xere

xore ad opus: adeò vt intra menſis ſpatium conſtructus Quadrans fuerit, ac eiuſmodi quidem molis, quam viginti robuſti viri tranſtulerint ægrè in proximum collem. Latera nimirum trabes quercinæ erant, arcus ex ſolido, ſpecialíque ligno: trabes quoque duodecim erant, latera ipſa tum inter ſe, tum cum arcu connectentes; erat orichalcica lamina ipſi arcui ſuperducta, vt diuiſionem illam in minuta quinquies mille, & quadringenta caperet; erant & ferrea ligamenta compluta. Apparata erat in colle columna lignea quercina, admodum craſſa, ac robuſta, quæ ad perpendiculum continebatur parte inferiore in conum abeunte, chalybéque armata, intra ſtructuram ſolidam terrà concluſam, ſaxiſque munitam, vt poſſet manubriorum ope horizontaliter circumduci. Fuit proinde Quadrans verſo ſurſum centro, columnæ affixus clauo tereti, ſuſtentantibus interim arcum duobus capreolis, hinc inde à plumbi, ſeu perpendiculi ductu. Quòd eius vſus foret in Solis, reliquorúmque Siderum altitudinibus obſeruandis, & pinnacidia alteri laterum apposita forent, apparatæ ſimul erant quædam ſcalæ eriſinate fultæ, quas obſeruator conſcenderet, vt per pinnacidia ad ſtellas in humili ſitu poſſet collineare. Quòd etiam Machina tanta nullo tecto includi, quin proſpectus ad obſeruandum neceſſarius præpediretur, poſſet, ideò fuere quoque apparata integumenta aliqua, aëris iniuriis arcendis idonea, quæ quoties foret aliquid obſeruandum, amouerentur. Præterea autem Machinam cùm toto quinquennio intacta illæſáque conſtitiſſet, tandem tamen ſuperueniente ex aduerſo tempeſtate ingenti, diffractam diſtractámque periiſſe.

Quia verò huiuſmodi Quadrans comparatus dumtaxat fuit altitudinibus adnotandis; ideò ad metiendum diſtantias exquiſitiore deſignatione, quàm haberetur per Radium, curauit Tycho fieri Sextantem; ſed ex lignea ſolùm materia, duabus conſtantem regulis non totos quatuor cubitos longis, quæ tereti clauo ad alterum ſui extremum quaſi centrum connexæ, ſic diducerentur, conducerentúrque, vt collineando ex centro ad erecta in alteris extremis pinnacidia, interceptus arcus diſtantiam inter Sidera commonſtraret. Arcus, inquam, qui ad pinnacidia: citerius enim præter cochleam (ex iis, quas dicunt infinitas) diductioni, conductionique inſenſibili, inſeruientem, erat arcus alius, qui ad ſiſtendum, continendúmque in eodem plano regulas adiutaret. Ad hunc Sextantem, quòd ſatis leuem, tractabilémque reputaret, apparari fulcrum ſpeciale neglexit: licet eo fuerit creberrimè vſus ad peragendum Obſeruationes, quas in peculiari quodam Codice, donec Auguſtæ fuit, conſignauit. Neque verò animum ſolùm ad iſtum Sextantem conficiendum applicuit, ſed etiam ad parandum Globum, qui orgyiali diametro, ſeu ſex proximè pedum foret. Quanquam non multùm ante diſceſſum in hanc curam incubuit: Vnde & imperfectum, ſeu ex lignea tantùm materia conſtantem reliquit. Sed nempe artificem nactus, qualem fruſtra diu requiſierat, committere noluit, ne eius induſtriam in compingendo quaſi nucleo tantæ machinæ non experiretur. Ea quippe conſtabat interius è variis armillis, fruſtuliſque ligneis concinnè intertextis: & à centro vſque vndique ſuffultis inque globi formam extrorſum tornatis. Tametſi de globi huius tranſlatione, perfectione, & fortuna, quam eſt expertus, dicenda erunt inferiùs plura, vti & de ſtudiis Chymicis, quorum fuit ipſi per id temporis primum tyrocinium.

Quamobrem reſtat heic ſubiiciam, cùm Petrus Ramus quem æui ſui Philoſophum, Oratorémque celeberrimum Tycho vocat, Anno M. D. L X X. diſceſſiſſet Pariſiis, ac luſtratâ Helvetiâ, inuiſiſſet cæteras inter ciuitates Germaniæ, Heidelbergam, ac Norimbergam, & acceſſiſſet demùm Auguſtam, diu 1570
non fuiſſe, quin & Tychonem, & organa ab eo confecta peruidere voluerit. Erat tum in vrbe Gymnaſiarcha eximius, & de literis Græcis, ac Latinis bene meritus Hieronymus VVolphius, quicum Tycho inierat neceſſitudinem ſingularem. Is ergo Ramum ad Tychonem ex inopinato deduxit: ac fuere omnes inuitati ab Hainzelio Septem-viro, vt peracto prandio concederent rus, Quadrantis magni ſpectandi causâ. Demiratus machinam Ramus, ac incredibile penè habens potuiſſe eam molem in formam adeò concinnam elaborari, adhortatus Tychonem eſt, vt eius ſtructuram, vſúmque, ac memorati etiam Sextantis, & deſcriberet, & faceret publici Iuris. Ille autem alia vt plura, ſic longè maiora, perfectioráque animo voluebat.

Cùm obſtupeſceret autem Ramus potuiſſe Tychonem per ipſa Iuuentutis initia tantos ſumere animos, & magnâ de eius ſolertiâ, diligentiáque conceptâ ſpe, crederet illum eſſe eum poſſe, quem in Scholis ſuis Mathematicis, ac fuſius etiam in Prooemio Mathematico exoptauerat Aſtronomiam ſine abſurdo Hypotheſeon commento conſtituere; idcircò author illi fuit, vt poſtquam ſuis vigiliis, ac laboribus redegiſſet in ordinem motus Siderum per hypotheſeis: idem aggredi magno auſu ſine hypotheſibus affectaret. Nihil ſcilicet eſſe probabilius, quàm Aſtronomiæ cognitionem ideò fuiſſe olim Ægyptiis, vt legimus, facillimam, quòd non intricatâ hypotheſeon viâ, ſed alia quadam compendioſiore, planioréque incederent. At Tycho excepit, rem factu impoſſibilem poſtulari: quoniam cùm cæleſtia, vti & cætera, numero, & menſurâ conſtent, Hypotheſes nihil aliud, quàm per circulos, aliáſque figuras oſtendunt menſuram apparentis motus, quarum Arithmetica illas reſoluit in numeros; adeò vt velle ſine ipſis Aſtrorum motus capere, viribus humanis ſit maius. Illam autem apud Ægyptios facilitatem fuiſſe ſolùm in Planetarum Æquatoriis, quibus, cùm aliunde non ſuppeteret expedita ratio Ephemeridum, ſcrupuloſas, laborioſaſque ſupputationes declinàrunt: Non acquieſcente penitùs Ramo, ipſe non multum obſtitit; quippe

quippe cùm illum vt veritatis ſummè ardentem cognoſceret, ſic penitioris Aſtronomiæ non planè capientem ſubodoraretur.

Prætereo locum illum Rami inter cætera, ſic habere, *Fabula eſt longè abſurdiſſima, naturalium rerum veritatem per falſas cauſas demonſtrare. Quapropter Logica primum, deinde Mathematica Arithmetica, & Geometria elementa ad ampliſſima artis puritatem, & dignitatem conſtituendam adjumenti plurimum conferent. Atque vtinam Copernicus in iſtam Aſtrologia ſine Hypotheſibus conſtituenda cogitationem potius incubuiſſet: longè enim facilius ei fuiſſet Aſtrologiam Aſtrorum ſuorum veritati reſpondentem deſcribere, quàm Gigantei cuiuſdam laboris inſtar, Terram mouere, vt ad Terra motum quietas ſtellas ſpecularemur. Quin potiùs è tot nobilibus Germania ſcholis exoriare Philoſophus idem & Mathematicus aliquis, qui poſitam in medio ſempiterna laudis palmam aſſequare.* Ioannem verò Keplerum in ſuis de motibus Martis ea obſeruationibus Tychonis Commentariis, inter cætera ſic excipere, *Tu modò,* Rame, *ſubſidia rogans ampliſſima ſcientia à Logica, & Mathematica, ne, quæſo excluſeris adjumenta Phyſica, quibus illa carere nequaquam poteſt. Et ni fallor, facilem te das; quippe qui conformatori tuo præter Mathemata, etiam Philoſophiam circumjicis. Eadem igitur facilitate Philoſophiam ipſe etiam audi, rem vulgo abſurdiſſimam non Giganteo conatu, ſed optimis rationibus defendentem; quòd cùm agit, nihil nouum agit, nihil inſolens; ſed officio fungitur, ob quod inuenta eſt. Fabula eſt abſurdiſſima, fateor, naturalia per falſas demonſtrare cauſas; ſed fabula hac non eſt in Copernico; quippe qui veras, vt ipſe arbitratus eſt, Hypotheſeis ſuas non minùs quàm illi tui veteres,* (Eudoxus, Calippus, Ariſtoteles) *ſuas; neque tantùm eſt arbitratus, ſed & demonſtrat veras: teſtem do hoc opus.* Prætereo id, inquam, ac adnoto ſolùm, Ramum Pariſios reducem, ac priuſquam in Bartholomæana internecione miſerè periret, continere ſe non potuiſſe, quin ſcribendo aduerſus Schegkium, commemoraret, commendarétque Auguſtanum illum Quadrantem.

Auguſtà porrò diſcedens Tycho, tum Paulum Hainzelium rogauit, vt ſi quas magno illo Quadrante Obſeruationes peragerer, illas ſecum per literas communicaret, quod & Paulus ſe facturum recepit (quippe qui in illius gratiam maximè, tantam apparari machinam curaſſet) tum eidem Paulo reliquit, donóque dedit Sextantem ſuum, contentus nimirum in itinere Radium non perinde incommodum transferre; tum illius cuſtodiæ, curæque commiſit quem magnum Globum eatenus ligneum ſibi confici procurârat, vt ſeu rediret ipſe, ſeu aliunde quæſitum mitteret, ſaluum obtineret. Trajecto Danubio, vidit Ingolſtadij Philippum Appianum, quicum iucundiſſimum habuit de Petro parente, déque eius ſtudiis, quibus filius quoque non parù afficiebatur, ſerere ſermones. Deinceps autem ſuperatâ reliquâ Germaniâ, lareis ſuos reuiſit (& labente quidē iam Anno M.D.
1571. LXXI.) ſed poſtquam tamen Hafniam appulſus, aliquouſque illeic degit, vt conſanguineos, affineis, amicos variè interviſeret; Regem ſalutaret; probaret quid inter vitam aulicam, literatúmque otium intereſſet diſcriminis; & cum doctis denique viris, ſi quos in Academia nāciſceretur, familiaritatem iniret.

Erat Tychoni, vt antè dictum, Auunculus Steno Billeus, qui vt apprimè literatus erat, nullúmque improbabat ſtudiorum liberalium; ita agnoſcendo Tychonem magnum jam aliquid ſpirare, & complexus illum peramanter fuit, & ſe ipſius ſtudiis fauere velle ſignificauit. Obtinuerat ille iam antè feudum quoddam Regium nomine Herritzvadium, quod Monachorum cœnobium fuerat, ipſúmque non longè Knudſtorpio: quare & cùm tunc in eo habitaret, illam ædium partem Tychoni conceſſit, quæ ipſi eſt viſa commodiſſima cæleſtibus obſeruandis: Tychóque acceptam tantò magis habuit, quantò & locus fuit peramœnus, & Auunculi conſuetudo fuit & jucundiſſima, & beneuolentiæ teſtatione plena; vt præteream fuiſſe in promptu excorrere domum in vicinia ſitam, ſi negotij quidquam interdum vocaret. Quin-etiam vbi Steno accepit delectari etiam Tychonem Pyronomicis operis, conceſſit illi ſpatioſam domum, quam extra Cœnobij mœnia ad paſſus aliquot habebat, vt in ea commodè, ſecretóque fornaculas ſuas, clibanóſque extrueret, & quomodocumque ea vellet, ad id operæ vteretur. Tycho proinde vt in cœnobio Obſeruatorium apparauit, ſic in hac domo Laboratorium, ac mirè placuit Auunculo, quod declarauit ſe hac ratione integram Aſtronomiam proſequi, & excolere, quatenus in Obſeruatorio Aſtra Cæleſtia, Solem, Lunam, cæteráque contemplabatur; in Laboratorio verò circa Aſtra Terreſtria, Aurum, Argentum, alia, quæ iiſdem nominibus Solis, Lunæ, & cæterorum efferrentur, occupabatur: vnde & ipſi pro more fuit illam cæleſtem, iſtam terreſtrem Aſtronomiam appellitare, ac tantò magis, quantò Aſtra terreſtria eſſe agnouit influentiarum cæleſtibus analogarum.

Et quantùm quidem circa priorem deſudauerit, in confeſſo eſt; de poſteriore verò teſtatus eſt ipſe, fuiſſe ſe ab anno ætatis vigeſimo tertio non minùs in ea, quàm in alia ſeriò cognoſcenda, pertractandáque occupatum; ac nihil non fuiſſe in metallis, gemmis, mineralibus expertum. Quin-etiam per ipſa initia, & quouſque ſub finem inſequentis anni Nouum illud Sidus in Cælo apparens oculos perculit, videtur fuiſſe nonnihil magis erga terreſtrem Aſtronomiam, quàm erga cæleſtem affectus. Nempe neſcio quid ſpei grandis animo præconceperat (vt mos eſt tyronum, inexpertorúmque) ac ſummo idcircò ardore auebat rem quam-primùm perducere ad illum quem ſibi præſtituerat finem. Hinc major quædam illi cura Chymicæ illius ſupellectilis, quàm Organorum Aſtronomiæ cæleſti inſeruientium; quippe cæleſtia quidem frequenter, ſed Radio tamen ſolo ſcrutabatur; ac ideò lentè procurauit fabricam Sextantis illi ſimilis, quem Auguſtæ reliquerat, vt is perfectus vix fuerit, cùm Sidus

illud primùm apparuit. Adde quod deſtinârat
quidem inſignem quoque ſupellectilem ho-
rum Organorum ſibi apparare; ſed habebat
ſemper in animo Germaniam, vbi eſſet ido-
neos habiturus artifices, ac vbi debere ſe de-
mum ſedem figere in animo habuit, ſi quan-
do opum ſatis abundè (quod quidem maxi-
mè per Chymiam non deſperabat) adeptus
foret. Videlicet cùm Hafniam aliquoties ex-
curreret, & propter vitam aulicam, quam
ipſa naſcendi conditio faciebat propè neceſ-
ſariam, plurimum ſibi impedimenti ad ſtu-
dia fore provideret, ideò quam pridem coe-
perat, auerſationem patriæ reſumpſit, &
de quærenda, conſtituendáque apud exteros
ſede cogitauit.

Sextans porrò ille recentior aliquantò
maior Auguſtano fuit; geminæ enim Regu-
læ, & quaſi latera illius longitudinis fuere
pedum quatuor, vti & latitudinis digitorum
trium, craſſitudinis verò duorum. Ac fuere
quidem illæ quoque ex ligno, ipſóque ju-
glandi; ſed fuit tamen arcus ex ſolido ære ex-
quiſitè elaboratus, exquiſitéque diuiſus in
gradus, & minuta ſingula graduum: ſcilicet
gradus in illo erant propemodùm ſeſquidigi-
tales. Fuere verò etiam Regulæ, quà commit-
tebantur, laminulis æreis munitæ, æreóque
clauo tereti connexæ; præter ærea quoque,
ſeu oricbalcica pinnacidia; ne quid memo-
rem de interiore arcu; déque cochlea didu-
ctioni, conductioníque inſeruiente; neque
etiam de cochleolis ad affigendam vtrivis ar-
cui regulam currentem conferentibus; vbi
ea quidem poſt debitam collineationem fo-
ret ſiſtenda. Cùm exoptaſſet verò Tycho, vbi
Stella Noua apparuit, eſſe Organis hujuſ-
modi inſtructior; conſolationi tamen fuit,
quòd iſtud ſaltem præ manibus foret. Cæte-
rùm, quia Noua hæc Stella fuit ipſi, aliquan-
to ſegniùs properanti quaſi quoddam calcar
ad animos magnos reſumendos adhibitum:
ideò videtur quidpiam de ipſa pluſquam obi-
ter hoc loco attingendum.

1572. Anno itaque inſinuato M.D.LXXII. ac die
Nouembris xj. veſperi, paulò ante cœnam,
redibat Tycho lento gradu ex ſepoſito illo
ſuo, vt diximus, Laboratorio (ad quod inſpi-
ciendi, ordinandíque gratià, bis, terve dietim
diuertebatur) cùm inuitante ſerenitate, qua
ſpes Obſeruationum peractâ cœnâ conti-
nuandarum, cœpit oculos circumquaque
verſus Cælum conuertere. Ecce autem inſo-
lens Iubar in Aſteriſmo Caſſiopeiæ circa ver-
ticem tum exſtante, ita oculos radianti fulgo-
re, magnitudinéque perſtrinxit, vt ratus
aliunde nihil ſimile in eo Aſteriſmo fuiſſe
priùs viſum, planè obſtupuerit, & vix ſibi ipſi
attendenti, attonitóque habendam fidem
cenſuerit, quovſque famulos ſciſcitatus, &
ruſticos fortè curribus tranſvectos percontа-
tus eſt, num quid ſimile cernerent: ac illi vno
ore & cernere ſe ingentem Stellam profeſſi
ſunt, & talem fuiſſe nunquam à ſe illeic con-
ſpectam ſunt conteſtati. Ratus itaque eſſe hoc
quoddam nouum, inſolitúmque Phænome-
non, ad Obſeruatorium ſuum properat, Or-
ganum componit, ac diſtantiam Sideris
noui à circumvicinis Caſſiopeiæ Stellis di-
metitur, vt poſſit deinde exquiſitè illius lo-
cum deſignare. Adnotat & illius formam,
magnitudinem, lucem, colorem, aliáque
adjuncta. Lætatus eſt die inſequente conſta-
re adhuc Phænomenon, vt experiretur, num
foret euariata diſtantia; ac ſtatuit rem etiam
deinceps quam-maximè poſſet, ſedulò ex-
plorare.

Id illi erat moris ab aliquot annis, vt anni
cuiuſque initio Diarium ſibi ſecundùm to-
tam illius ſeriem conficeret, in quo vnà cum
exortibus, occaſibúſque Siderum, varios Pla-
netarum aſpectus, Lunæque præſertim Sy-
zygias, cum directionibus deſignaret, obſer-
uaturus quæ, & à quibus conſtitutionibus Si-
derum, aëris mutationes crearentur. Hac er-
go ratione anni inſequentis M.D.LXXIII. Dia- 1573.
rium condidit, nonnulláque illi de nupera
Stella (tum quoque conſpicua) quatenus illa
Geometricè ex obſeruatis deduxerat, præmi-
ſit. Hafniam Vere appetente accedens, id ſcri-
ptum ſecum detulit; & ſolitus excipi hoſpi-
tio à Ioanne Pratenſi Viro Doctore, Lecto-
réque in Academia eximio, ipſum illi inſpi-
ciundum dedit. Demiratus Ioannes rei noni-
tatem (erat quippe Hafniæ protſus inaudita)
fidem ægrè adhibuit; nec ſecus ſe habuit ſe-
nex optimus, & rerum bonarum ſtudioſiſſi-
mus Carolus Danzæus natione Aquitanus, &
illeic Chriſtianiſſimi Gallorum Regis nomi-
ne per complureis annos Legatus, qui acce-
pto Tychonis aduentu, ipſum cum Pratenſi
inuitauit ad prandium. Quippe cùm inter
epulandum Stellæ mentionem feciſſet Ty-
cho, exiſtimauit Carolus & jocari illum, &
tacitè ſolùm exprobrare Hafnienſibus Cæ-
leſtium rerum inanitatem. Tycho autem ſub-
ridens, aliud nihil expetiit, quàm affulgere eo
veſpere ſerenitatem aliquam, vt quid rei eſſet
ipſis approbaret. Fauens fuit Cælum, ac vter-
que eorum vidit, & obſtupuit; Ioannéſque
ſpeciatim Stellam eodem cenſu cum ea,
quam Hipparchus obſeruârat, duxit; vnde &
inſtare deinceps non deſiit, vt quod de ea ſcri-
ptum legerat, mandaretur typis. Abnuit ta-
men Tycho, id quidem prætexens, quod non
eſſet opuſculum ſatis exquiſitè limatum; ve-
rùm eo præjudicio (vt ipſemet poſteà ſcri-
pſit) faſcinatus, quòd dedeceret Nobilem Vi-
rum quidquam harum rerum moliri, aut in
publicum edere.

Cùm repetiiſſet Scaniam, ac non longo
pòſt tempore ſeſe recepiſſet Knudſtorpium,
vt ſe ad iter in Germaniam, Italiámque ac-
cingeret, miſit ad eum Pratenſis ſcripta va-
ria, variis ex locis Hafniam allata. Tum verò
ea legens, & commentis abſonis ſcatere ob-
ſeruans, cœpit ſuum libellum eo nomine,
quòd rem longè propiùs attingeret, pluria
æſtimare. Hinc, cùm occaſione quorum-
dam opificiorum rediiſſet Hafniam, & tum
Pratenſis illum vrgeret, tum inſtigatus ab
ipſo magnus ille Aulæ in Regno Magiſter
Petrus Oxonius, cuius ſuperiùs memini-
mus, adhortationi id adderet, quòd non
eſſet Viro Nobili indecorum ingenuas arteis
colere, & de iis quidpiam euulgare; ac poſſe
illum,

illum, niſi vera, ſaltem ſuppoſititia, aut Anagrammatiſmo tecta nominis epigraphe vti; dedit tandem vtcumque manus, ac ſe ea de re in Oxonij gratiam deliberaturum promiſit. Quin etiam, cùm foret reuerſus Knudſtorpium, & Pratenſis per literas eum interpellare non deſineret, Libellum permiſit illius arbitrio. Ac voluiſſet quidem niſi caſtigatum non tranſmittere; verùm, quod propter apparatum diuturnæ peregrinationis, crebrò à conſanguineis amicíſque inuiſeretur, aliud nihil potuit, quàm margini adſcribere, ſi quid eò vſque, à libro conſcripto, obſeruârat: Inibat nempe tum Menſis Maius, Stellaque adhuc conſpiciebatur, tametſi magnitudine, ſplendoréque iam deminuta. Pratenſis porrò Librum acceptum Typographo mox tradidit, Præfatiunculámque ipſe adjunxit, vt conſtaret, qua occaſione illum ederet, ac publici iuris faceret tam ſerò. Subjunxit etiam Epiſtolam, quâ licentiam efflagitârat, ac vna reſponſum, quo impetrauerat.

Vt de ipſo autem Diario, cui præfixa fuit tractatio de Noua Stella nihil attingam; illud de ipſa tractatione prætereúndum minimè eſt, quòd ex obſeruata Stellæ Nouæ diſtantia à tribus præcipuis Caſſiopeiæ ſtellis (puta Pectore, ſeu Schedir, Suprema cathedræ, & Flexura ad ilia, quibuſcum quâdam rhombi ſpeciem conſtituebat) Tycho eum locum Stellæ aſſignarit, qui immutandus vix quidquã fuerit, poſtquam inſequentibus annis ita eſt omnia Aſtra dimenſus, vt tum ſolùm licuerit quidpiam exquiſitè, ac certò de Stellæ huius Nouæ aſcenſione, & declinatione, déque eius longitudine, & latitudine pronuntiare. Idque, vt nihil interim de Parallaxeos defectu dicã, quem ille tunc ex eo deduxit, quod cùm Stella Noua, & Schedir in Meridiano ſimul, aut propemodum verſarentur, eandẽ tamen diſtantiam inter ſe in imo, quàm in ſummo ſitu tuerentur; cùm in iſto tamen non procul eſſent à vertice, in illo eſſent admodum dejectæ verſus horizontem. Summè intereà laudandus Vir, quòd cùm poſtmodùm primũ illum Tomum Progymnaſmatũ Nouæ huius Stellæ occaſione contexuit, non cæterorum modò Auctorum, qui ſcriptis de ipſa aliquid mandaſſent, obſeruata, ac opiniones ſuo ſubjecit examini, caſtigauitque quà opus fuit; ſed ſponte quoque ſuum iſtum Librum, de quo tacere poterat, pari expendit trutina, & correxit etiam, ſi quà fuit neceſſe. Quàm piòtas etiam prouidè egit, dum ſequutus tunc Ariſtotelicam, vulgarémque de natura Cæli, déque Cometarum materia, loco, motu ſententiam; verba hæc nihilominus ſubjecit, *Sed Deo dante aliquando, ſi noſtra ætate aliquis exſtiterit Cometa, eius rei certitudinem inquiremus.* Itémque, dũ ſequutus licet Copernicæas potiùs, quàm Alphonſinas Tabulas, iſthæc ſubdidit, *Confido locum huius Stellæ à nobis aſſignatum, & beneficio aſſumptarum Fixarum inuentum, non multùm à vero aberrare: & dabo operam, ſi Deus vitam prorogauerit, vt loca Fixarum ex propria Obſeruatione aliquãdo emendata in communem Aſtronomorum vtilitatẽ prodeant.*

Heinc, vt aliquid in hunc locum circa deſcriptionem Stellæ inſeram, videtur omninò id potiùs ex Progymnaſmatum opere, poſt emendationem compoſito, quàm ex hoc Libello, qui aliunde Stellam adhuc apparentem ſuppoſuit, eſſe delibandum. Itaque, vt de Tempore, duratione que primùm dicam; cùm Tycho Stellam viderit primùm die Nouembris xj. non ea fuit nihilominùs prima illius apparitio: nam Cornelius Gemma Louanij illam iam viderat die ix. memoratus Paulus Hainzelius Auguſtæ die vij. VVolfgangus Schuletus VVittebergæ die vj. Conjicit autem Tycho fuiſſe primùm exortam die v. hoc eſt tempore Nouilunij, quod illa die contigit. Hieronymus certè Munnſius Valentiæ in Hiſpania Profeſſor illam die ſecunda nondum fuiſſe exortam aſſeruit, non ex relatu modò Paſtorum, ſed etiam quod ipſo tum fortè oſtendens diſcipulis ſuis Stellarum ſedeis, & nomina, illam non animaduertiſſet. Neque obſtat, quod alij ad quintum, alij ad vigeſimum, alij ad alium diem menſis Octobris hoc initium retulerint; quippe quòd freti ſolùm fuerint, aut vanis rumuſculis, aut Aſtrologicis conjecturis. Perſeuerauit autem Stella, priuſquàm ſenſim decreſcendo penitùs euanuerit, vltra menſeis ſexdecim; ſiquidem videri non deſiit, niſi menſe Martio, ac ſub initium quidem Veris, Anni M. D LXXIV.

Ad Formam primã ſpecie exhibitam quod attinet, fuit imprimis Stella rotunda, & non crineis quidem, ſeu barbam, caudamve Cometarum inſtar diffundens; ſed radios tamen vehementi ſcintillatione ejaculans, vt Affixarum proprium eſt, præ quibus etiam viſa eſt coruſcare. Deinde, viſa eſt major ſpecie, quàm Lyra, & Canicula, atque adeò, quàm Affixa vlla. Quin etiam, cùm tunc Iupiter foret terris proximus, atque idcircò prægrandi ſpecie, viſa Stella eſt aliquantò grandior; ac æmulari quam-proximè Stellam Veneris, dum proxima eſt terris; adeò vt potuerit, non ſecus ac ipſa conſpici interdiu. Quanquam huiuſmodi magnitudo vltra primum menſem non perſeuerauit; ſed ſecundo ſtatim viſa eſt exæquata Ioui; tertio non-nihil minor; quarto æqualis Caniculæ; quinto Lyræ; ſexto, ſeptimoque Stellis, quæ dicuntur ſecundæ magnitudinis; octauo, nono; decimo Stellis tertiæ; vndecimo, duodecimo, decimo-tertio, Stellis quartæ; decimo-quarto, & decimo-quinto Stellis quintæ; decimo-ſexto Stellis ſextæ; factáque ſubinde eſt adeò exilis, vt conſpici tandem penitùs deſierit. Nec verò ſecus facta ſplendoris, ſeu lucis, colorı́ſque immutatio fuit: Quippe cùm initio foret lumine ſplendenti, albicanti, claro; cœpit menſe tertio aliquantum flaueſcere; quinto nonnihil rubeſcere, ac Aldebaræ inſtar rutilare; ſeptimo, octauóque Saturni inſtar liueſcere; ac deinceps fieri hebetior; tametſi ad extremum vſque pro modulo lucis ſcintillauerit.

Quod ad locum in Cælo ſpectat, is illi inuariatus fuit; ſiquidẽ quo primùm apparuit, in eo ſemper conſtitit; vnde & ſemper poſitu

eodem cum Stellis Caſſiopeïæ fuit; ſpeciatim verò cum tribus memoratis, quibuſcum rhombi ſpeciem conſtituit, itémque cum parua in erectione Sedis, numeróque vndecima, qua fuit aliquanto citerior (iuxta ſcilicet Galaxiæ oram) ſicque alium omninò motum, quam cæteræ Affixæ, hoc eſt diurnum, ſeu horarum viginti quatuor, non habuit. Vt has porrò eaſdem Stellas ſeligamus, quo ex intercepta inter illas, Nouámque diſtantia, locus Nouæ exploratior ſit: Ea deſtitit ecce à Stella, quæ in Pectore, grad. 7. min. 50. $\frac{1}{2}$. à Suprema Cathedræ. grad 5. min. 19. à Flexura ad Ilia, grad 5. min. 2. ab Erectione Sedis, gr. 1. min. 31. Ex quibus, aliiſque, poſtquàm progreſſu temporis Tycho Stellarum omnium loca, tam ſecundum Eclipticam, quàm ſecundum Æquatorem ex obſeruatis propriis definiit, deduxit fuiſſe Nouam Stellam in gradu 6. min. 54. ♉, cum Borea latitudine grad. 53. min. 45. ac habuiſſe Aſcenſionis rectæ grad. 0. min. 26 $\frac{2}{3}$. & Declinationis Boreæ grad 61. min 46. $\frac{1}{4}$. ac demum cum grad. 0. min. 29. ♈ culminaſſe.

Quod ſpectat verò ad Diſtantiam, remotionémve Stellæ à Terra; oſtendit Tycho fuiſſe eam ſitam inter Affixa Sidera; ac ſedem idcircò habuiſſe omnibus Planetis longè ſuperiorem. Id ſcilicet probat non modò ex eius lumine, colore, ſcintillatione, immobilitate, aliiſque adjunctis, quibus fuit Stellis Affixis, non Errantibus, conſimillima; ſed maximè etiam ex defectu Parallaxeos, ſeu diuerſitatis aſpectus, quæ ſi fuiſſet aliqua, non fuiſſet Stella in eodem loco humilis, ſublimiſque conſpecta: ſed humilis quidem (ſiue Meridianum infra Polum pertranſiens) conſpecta fuiſſet pluſquàm vno gradu eo loco depreſſior, quem ſublimis, (ſeu ſupra Polum, Meridianum peruadens) tenuiſſet, ſi vel tam parùm, quàm ipſa Luna ab orbe Terræ deſtitiſſet. Fuiſſe autem eodem in loco tam infra, quàm ſuprà conſpectam ex eo primùm docet, quod iam inſinuauimus; quia ſcilicet tam infrà, quàm ſupra tueri obſeruata eſt eandem prorſus diſtantiam non modò cum Schedit, ſeu Pectore Caſſiopeiæ, verùm etiã cum Capite, itémque cum Stella Polari, quibuſcum ſimulquam proximè in ipſo Meridiano fuit; cùm ſi tam parùm abfuiſſet à Terra, quàm Luna, euariata fuiſſet, ampliatáque diſtantia gradu integro, & minutis quinque. Deinde ex eo, quòd illius tam maxima, quàm minima ſupra horizontem altitudo, obſeruata eſt eandem Poli altitudinem exhibere, oſtenderéque ipſam Stellam tantundem à Polo vtrimque diſtantem. Ac ipſe quidem Tycho Herritzvadij, vbi Polus attollitur grad. 55. min. 58. obſeruauit ſolùm altitudinem minimam (quippe Quadrante deſtituebatur, ac vſui ſolùm erat Sextans) eámque deprehendit grad. 27. min. 45. quibus ad grad. 58. min. 13. declinationis complementum ad quadrantem, additis, exhibetur Poli altitudo ipſiſſima; verùm vſurpauit deinceps, quas Paulus Hainzelius obſeruauit Auguſtæ, ſummã infimámque altitudines & vaſtiſſimo quidẽ illo Quadranta ſuperiùs deſcripto. Quia verò altitudo Stellæ maxima illeic fuit grad. 76. min. 34 $\frac{1}{2}$. minima grad. 20. min. 9 $\frac{2}{3}$. conſtat dimidium differentiæ tam illi detractum, quàm huic additum, exhibere eandem Poli altitudinem, gr. 48. min. 25. quanta fuit aliundè per Stellas circumpolareis obſeruata: ac aliunde, ſeu hanc Poli eleuationem à maxima altitudine, ſeu à Poli eleuatione minimam detraxeris, relinqui grad 28. min. 12 $\frac{1}{2}$. hoc eſt idem declinationis, ad quadrantem complementum, ſeu eundem prorſus in Cælo locum: cùm ſi Stella tantundem ſolùm, quantùm Luna, à Terra abfuiſſet, futura fuiſſet in ſummo quidem ſitu quadrante gradus Polo admotior, in imo pluſquàm gradu ab eodem remotior. Tertiò, ex eo, quòd obſeruatæ variis in locis, ſeu ſummæ, ſeu imæ altitudines, varietate alia non fuerunt, quàm Polares eleuationes, vt fuit v. c. obſeruata minima Herritzvadij & Auguſtæ, & ſicubi Obſeruationes fuere aliquantò exquiſitiores. Nempe exinde quoque probatur caruiſſe Parallaxi Stellam; quæ proinde ſi nullam habuit, ſedem ſupra omneis Planetas, ac inter Affixas obtinuit.

Heic addo, cùm aliunde Tycho exiſtimârit Stellas Affixas diſtare à Terra quater decies mille Terrenis ſemidiametris, & Stellę Nouæ diameter viſa ſit per ipſa initia triũ, ac ſemiſſis minutorum; ideò ratiocinatum eum fuiſſe, molẽ, ſeu corpus ipſum Stellæ fuiſſe Terræ mole, ſiue corpore trecenties ſexagies maiorẽ: & molem hanc cum apparente magnitudine ita decre[...]ſſe, vt denique Terræ æqualis, minor, nulla euaſerit. Non addo verò quam Materiã, Phyſicámque cauſam huius Stellæ putauerit; non quid illã portendere mortalibus conjecerit; non quâ cenſurâ cæteros, qui de eadem Stella quidpiã ſcripſere, exceperit; hæc enim cõmodiùs poſteà attingentur. Subjicio heic ſolùm, ex eo, quod hæc Stella fecit illi anſam expungendi Sidera, & annumerãdi Stellas poſteris, planè vt Hipparcho fecit Noua illa, quæ exorta fuit eius tempore; ſubjicio, inquam, locũ Plinij, quem hacce de re etiam Tycho aliquoties cõmemorauit. Ille ergo ſe ita habet, *Hipparchus nunquam ſatis laudatus, vt quo nemo magis approbauerit cognationẽ cum homine Siderũ, animaſque noſtras partẽ eſſe Cæli Nouã Stellam, & aliam in æuo ſuo genitam deprehendit, eiúſque motu qua die fulſit, ad dubitationẽ eſt adductus, an-ne hoc ſæpiùs fieret, mouerentúrque & eæ, quas putamus Affixas. Idemque auſus rem etiam Deo improbam, annumerare poſteris Stellas, ac Sidera ad normã expãgere organis excogitatis, per quæ ſingularũ loca, atque magnitudines ſignaret; vt facilè diſcerni poſſet ex eo, nõ modò an obirẽt, naſcerẽtúrve: ſed an omninò aliqua trãſirent, mouerentúrve: item an creſcerent, minuerẽtúrque. Cælo in hæreditatẽ cunctis relicto, ſi quiſquã, qui rationem eã caperet, inuentus eſſet.*

Verùm ad id tempus vt redeam, quo Tycho eſt paſſus ſuam illam elucubrationem in lucem emitti; cogitârat quidẽ aliquantò poſt iter in Germaniam, ac porrò in Italiam inſtituere; verùm duæ illæ remoræ fuerunt; vna, quòd febri, aliiſque laborauit incommodis, ac per æſtatem potiſſimùm; altera quòd vxorem duxit. Adiiſſe eum certè per id tempus nuptias,

nuptias, vel ex eo poteſt intelligi, quòd anno inſequente M. D. LXXIV. nata eſt ipſi filia prima ex liberis, cui fuit Magdalena nomen. Fando porrò accepi à Goillelmo Cæſio Ianſonio, cuius iam antè memini, fuiſſe eã vxorem, cui Chriſtiana nomẽ, plebeïam, ex pago ipſo Knuſtorpio; ac omneis idcircò cognatos ob labem in familiam ex affinitate ignobili illatam, incanduiſſe ſummoperè; & ſimultates cum Tychone exortas ægrè denique, ipſo etiam Rege intercedente, compoſitas fuiſſe. Hinc dilata eius profectio non modò in reliquum annum, ſub cuius finem, hoc eſt menſe Decembri, die viij. hor. 8. min. 3. obſeruauit Lunæ Eclipſim totalem, quæ vſurpata illi deinceps Perigæo Solis com-
1574. probando fuit; ſed in ſequentem etiam totum, per quem nonnulla circumgeſtatu facilia organa apparauit, cuiúſque extremam præſertim partem, ac Hiemem totam Hafniæ tranſegit.

Facta ex eo occaſio fuit, quòd fama de eius peritia circa res Mathematicas, ac cæleſteis potiſſimùm, magnoperè increbeſcente, nobiles quidam adoleſcentes tum verſantes in Academia, expetierint quidpiam ab eo prælegi, quod perinde condiſcere à Profeſſoribus non poſſent: & quia id ab eo obtinere, neque ipſi, neque in eorum gratiam Prateuſis, Danzæus, aliíve cariores amici potuerunt, effecerint, vt etiam Rex ea de re ipſum interpellaret. Fecit autem optimus Princeps, illum rogando, vt dum ingenuis adoleſcentibus gratificaretur, ſuam ſimul Academiam, quam florere ſummoperè expeteret, condecoraret. Cùm non poſſet Tycho id negare Regi, cuius beneuolo affectui debere ſe multum erat conſcius, & cogitaret aliunde ipſum ad fauendum his ſtudiis comparatum reddere; conſtituit per eam Hiemem, quam Planetarum Theoriam appellant, ita explicare, vt exinde vſus Tabularum Prutenicarum fieret in promptu. Quare & ineunte iam Hieme tum prælectiones inchoauit, tum Orationem priùs habuit, quam nouennio poſt eius mortem, edidit Conradus Aſlacus Bergenſis, eam dicando fratri Tychonis Stenoni, cuius filium Ottonem per Academias exteras deduxerat, inſtitueratque; ac declarando ſe, cùm foret ante annos octodecim in ipſo Tychonis conuictu, illam deſcribẽdam ab eo obtinuiſſe.

Initium autem Orationis, quando ea rara occurrit, ecce *Clariſſimi Viri, véſque ſtudioſi Adoleſcentes; rogatus ſum, non ſolùm à quibuſdam veſtrûm amicis meis, ſed ab ipſo etiam Sereniſſimo Rege noſtro, vt nonnulla in Mathematicis diſciplinis publicè proponerem. Id muneris, etſi à meis conditionibus, & ingenij, ac exercitationis tenuitate admodum ſit alienum: tamen Regiæ Maieſtatis petitioni reſiſtere non licuit, veſtra non placuit; & meapte ſponte ab ineunte ætate eò propenſus fui, vt non ſolùm his ſtudiis perdiſcendis plurimùm temporis, & laboris impenderem, ſed & alios etiam ad idem ſollicitandum multoperè inſtigans, eorum conatus pro virili iuuarem. Quantum enim hæ diſciplinæ præ cæteris obtineant*, &c. Ecce & Concluſionem. *Reſtat nunc, vt vos mei inſtituti certiores faciam. Cùm itaque Regiæ Maieſtatis, & veſtræ petitioni nunc obtemperare, & quædam in Mathematicis ſcientiis publicè proponere decreuerim, nihil mihi viſum eſt commodius, & è re diſcentium vtilius, quàm alteram Aſtronomiæ partem, quæ motus ſecundi Mobilis complectitur, breuiter tradere: cùm primi Mobilis doctrina per ſe facilis ſit, & alias in hac Schola ſæpenumerò prælegatur. Id autem hac ratione abſoluere conſtitui, vt modum ſupputandi veros Planetarum motus ex Tabulis Prutenicis, quæ in hoc negotio ſunt exactiſſimæ, oſtendam, vnáque circulorum, quibus Planetas moueri imaginamur, & ex quorum ſupputatione numeri Tabularum ſupputati ſunt, cohærẽtiam, ac ordinem demonſtrabo: vt hac docendi methodo pulcherrimus fructus doctrinæ ſecũdi Mobilis quæ motũ ſeptem Errantium Stellarum cõplectitur, vobis innoteſcere poſſit. Cras itaque hac ipſa hora, id quod promiſimus, Deo auſpicante, inchoabimus.*

Quod ſupereſt œconomia totius Orationis ea eſt, vt breui quadam commendatione Mathematicarum diſciplinarũ vniuersè præmiſſa, commendentur duæ illæ, quibus Aſtronomia, quaſi alis euehitur, Geometria nempe (ad quam Trigonometrica, Optica, Gnomonica, Geographia, Architectura, ſeu Mechanica referuntur) & Arithmetica; ſubinde verò diſſeratur, tum paucioribus de ipſa Aſtronomia, cuius amplitudo (& quid ex Geometria, Arithmeticáque deducat) monſtratur; antiquitas ab vſque Setho, Abrahamóque deducitur; inſtitutio ad Hipparchũ, Ptolemeũ, Copernicũ refertur, dignitas, & præſtantia ex re ſubjecta declaratur; vtilitas deniq; ex diſtinctione tẽporũ, ex animi oblectatione, ex agnitione Numinis, ex futurorũ euentuum præmóſtratione petitur: tũ pluribus de Aſtrologia, quam repudiandam non eſſe oſtenditur primùm ex ordinatione diuina, quæ tot Sidera eſſe fruſtra noluerit; ac deinde experientia multiplici, non modò, quod ſpectat ad mutationes aëris, verùm etiam quod ad humanos caſus: ac vbi variæ objectiones, partim ex Philoſophia, partim ex Theologia propoſitæ ſunt, ipſis ex ordine reſpondetur. Hæc itaque œconomia, & quaſi argumentum Orationis totius eſt, vbi quod tantum operæ in ſtudio Aſtrologiæ aſſerendo, & propugnando poſuit, condonari, vel ex eo poteſt, quòd ſpes illi fuit, vt hocce quaſi illectamento plerique rerum Cæleſtium amore ita caperentur, vt illis, quemadmodũ ipſe, obſeruitandis incumberent. Nôrat nempe quàm eſſent curuæ hominum animæ in terras, quámque neglectui futurum eſſet Cæleſtium rerum ſtudium, niſi homines confiderent poſſe ſe ex iis conſequi notitiam rerum futurarum. Ipſe certè ex eo laudandus, quòd tametſi ardor noſcendi futura primam illi anſam obſeruandi fecerit, animóſque addiderit; hoc tamen deinceps habuerit, quaſi πάρεργον, ac præcipuo in pretio fuerit ipſa per ſe pulcherrima, longéque ſuauiſſima rerum nobiliſſimarum notitia.

Peractis prælectionibus, compoſitíſque domi rebus, nihil potiùs habuit, quàm ineunte Vere ſuccedentis anni M. D. LXXV. arripere 1575.
re tandem inſtitutum iter. Reliquit verò domi vxorem, & filium, quòd incertus adhuc,

vbi ſedem deligeret, explorare veller, ſi quà degere commodè apud exteros poſſet. Contendit porrò primùm in Haſſiam, vt laudatiſſimum Principem VVilhelmum Regionis Landgrauium conueniret, affaretúrque, quem inaudierat impenſo ſtudio Cœleſtibus rebus obſeruandis inuigilare. Is nempe natus ab anno vſque eius ſæculi xxxij. & principatum adeptus lxix. ita ſemper captus amore Cœleſtium, ita delectatus illorum obſeruatione fuerat, vt penè ex parte iam perfeciſſet, quod abs Tychone affectabatur: adeò vt, niſi pleno ſucceſſu, voto ſaltem, ac merito ſummis illis Heroïbus, quibus ſacra Vrania plurimum debet, ſit accenſendus. Edidit VVillebrordus Snellius, quas pauculas eius Obſeruationes nactus eſt, maximéque Meridianarum Solis Altitudinum, ab anno ſæculi lxj. ac habitarum etiam circa Planetas cæteros, ab anno xc. & dicendus poſteà, qui fuit illius Mathematicus, Chriſtophorus Rothmannus, prodidit fuiſſe etiam Cometam ab illo obſeruatum anno LVIII. Vide obiter quid de illo Ramus in Mathematico Proœmio. *Gulielmus*, inquit, *Land-grauius Haſſia videtur Caſſellas Alexandriam tranſtuliſſe. Sic Caſſellis artifices organorum obſeruandis Sideribus neceſſariorum inſtruxit. ſic quotidianis per inſtructa organa obſeruationibus oblectatur, vt Ptolemaus ex Ægypto in Germaniam cum Armillis. & Regulis veniſſe videatur.* Ac ſtatim, *Land grauij Mathematica organa Auguſtum Saxonia Electorem pari amore Aſtrologia incenderunt. iam ſua ſponte, & Homelio Doctore vehementer incenſum.* Peruenit ergo Tycho Caſſellas ſub Aprilis initium, ac lætitiâ ſummâ exceptus, ita pari vtrimque gaudio verſatus cum Landgrauio fuit. Nempe dies ſuauiſſimè inter colloquendum de rebus Cœleſtibus exigebantur: noctes verò inter obſeruandum, ſi quando fauit ſerenitas. Apparârat ſcilicet Princeps Obſeruatorium in ſumma Arce, in quo conſtitutis ſub dio organis Aſtronomicis, Quadrante, Torqueto, & aliis ex orichalco elaboratis, obſeruationes peragerentur. Protulit Tycho illeic nonnulla, quæ cõuehebat, vt quotieſcumque pateret opportunitas, obſeruare aliquid poſſet (erant verò ea minutiora, vt eſſent portatilia) quocirca & factâ eorum collatione cum inſtrumentis Principis, explorata mutuò probatáque fuit tum facilitas tractandi, tum fides. Cætera inter obſeruata, locus fuit Spicæ Virginis, cuius acceptas aliquoties cùm ab aliis Fixis diſtantias, tum ſummas altitudines, eáſque conſignatas manu Principis Tycho detulit, ac ſtudiosè ſeruauit. Detulit verò etiam quem cum eo Princeps communicauit reſtitutarum à ſe Affixarum Catalogum, ac cæteras inter, Aldeboræ, Dextri Orionis humeri, Canis maioris, Aquilæ, Vulturíſve volantis.

Inter diurna illa colloquia, iucundius nihil fuit, quàm ſermones de Noua Stella, quam ipſe etiam Land-grauius obſeruârat, conferere; tametſi eius Obſeruationes, quæ cœperant ſolùm à die Decembris III. continuatæ vltra diem Martij xxv. minimè fuiſſent, quòd tum foret ſatis, ſuperque perſpectum, Stellam omni motu ſpeciali deſtitui. Ac opinabatur quidem ille non caruiſſe Stellam omni penitùs parallaxi, vtcumque illa vix ad tria vſque minuta pertingeret, neque Tychoni tum vacauit rem ſcrupulosè expendere, vt quà error ſubeſſet, faceret perſpectum; at poſt-modum tamen illud præſtitit, vt poſteriùs quoque attingendum erit. Intereà ſuauiſſimum habuit ex Principe ipſo audire, illum eâ diligentiâ, attentionéque obſeruando fuiſſe (neque enim modò habebat viros ad obſeruandum deſtinatos. ſed ipſe quoque donec vacabat, eò appellebat animum) vt aliquando, cùm foret intentus ſupremæ altitudini non ſine labore, & niſu accipiendę (ſiquidem Stella à vertice ampliùs, quàm decem gradibus, ac ſemiſſe non aberat) ſuperuenerint quidem famuli, qui renunciârint partem domus incendio flagrare improuiſo; at ipſe id damnum non duxerit magni, præ exquiſita obſeruatione, quam perficere immotus ſuſtinuit. Suauiſſimum quoque fuit Tychoni audire, fuiſſe Solem à Principe ſæpenumerò obſeruatum fieri quaſi retrogradum, propè horizontem cùm foret, adeò vt Sole occaſuro, ductæ in horologiis Sciothericis lineæ non quadrarent ad tempora, quæ forent aliunde perſpecta horariis machinalibus; ſed æquo tardiùs attingerentur, ſicque horas facerent, quaſi Sole moram trahente, prolixiores. Quippe cùm iam Tycho quidpiam ſimile inter obſeruata Bernardi VValteri legiſſet, ipſéque inter propria non diſſimile aliquid notaſſet, cogitauit rem ſedulò per otium ita explorare, vt faceret planum, qua arte Obſeruationes Siderum in humili ſitu verſantium peractæ, poſſent emendari.

Hæc, & alia id genus fuere, de quibus inter illos actum totos octo, aut decem dies conſuetudine familiari fuit. Et cõſtitiſſet quidem Tycho non-nihil diutiùs apud Principem: at interueniente obitu filiolæ, quæ Principi luctum induxit, veritus eſt rem facere importunam; ac ideò ab illo diſceſſit (ne auſus quidem interpellare, vt exſcribi de Noua Stella Obſeruationes pateretur) & Francofurtum ad Mœnum petiit, vt celebribus Nundinis, quæ tum inſtabant, intereſſet. Dies aliquot ibi cõmoratus, ac peruolutatis libris variis, & nonnullis etiam coëmptis, ac imprimis, ſi quos non habuit, qui de Stella Noua forent editi, contendit in Helvetiã, & cùm luſtraſſet varias in itinere ciuitates, nulla tamen æque ac ipſa Rauracorum Baſilea placuit. Quare & in ea pluſculũ moratus, viciniã quoque circũſpexit, & cogitauit poſſe illeic ſedem cõmode deligi, in qua iaciendis neceſſariis ad inſtaurationẽ Aſtronomiæ fundamentis incumberetur. Senſit nimirum allici ſe tum aëris ſalubritate, & caritate victus non magna; tum Academiæ celebritate, & eruditorum in ea Virorum cõſuetudine; tum ipſo trium ampliſſimarum, Galliæ nimirum, ac Italiæ, Germaniæque regionum cõfinio, quo fieret, vt poſſet cũ illuſtribus, eruditíſque per illas Viris literarum commercium inſtituere, ac inuenta ſua latiùs ſpargere in publicũ vſum. Perluſtratâ Helvetia, tum in Venetorum ditionem excurrit, tum

dies

dies aliquot tranſegit Venetiis, eámque vrbem eſt multùm veneratus, ob ſapientiſſimum regimen, ac eruditionem etiam ſingularem Nobiliſſimorum Virorum complurium, quibuſcum conuerſatus eſt, quoſque vt ſummâ ſolertia, ita ſummo ingenij acumine præditos agnouit.

Repetiit ſubinde Germaniam, & Ratiſbonam cogitans, quò erant comitia ad Imperatoris Rudolphi coronationem conuocata, Vindelicorum Auguſtâ tranſiit, vbi & amicos reuiſit, recreauitque ſummoperè: & magnum illum Quadrantem ligneum non multò antè confractum doluit: & grandem Globum à ſe relictum, interhiantémque repertum ad tranſ-vectionem, ſi quà demùm pedem figeret, comparauit: denique autem abiens, ſecum abduxit Pictorem egregium (ipſúmque aliunde literatum virum) Tobiam Gemperlinum, qui peſte poſt-modum in Dania graſſante, diem Hafniæ obiit. Ratiſbonam cùm perueniſſet, ægerrimè tulit eò non acceſſiſſe cum cæteris Germaniæ Primoribus optimum Land grauium, quicum ſperârat ampliùs de rebus Aſtronomicis colloqui: conſolationi tamen fuit, quòd multos præſtanteis eruditione Viros, qui eò conuenerant, videre, affari, parare ſibi amicos licuit. Præcipuus inter illos fuit Thaddæus Hageeius Bohemus Aulæ Imperialis Medicus ordinarius, qui ipſi ſuum de Noua Stella libellum Dialexin inſcriptum donauit, ac ſimul exemplum libelli à memorato iam antè Hieronymo Munoſio Hiſpano de eodem argumento conſcripti, qui illi ètenus fuerat incompertus. Spectator intereà cùm fuiſſet magnificæ Coronationis, quæ in diem Nouembris primam incidit, non diu deinceps illeic fuit moratus; ſiquidem deſtinauit domum redire ante hiemem, vt ſe ad diſceſſum cum tota familia in ſuccedens Ver compararet.

Inter redeundum vidit Saltfeldiæ Eraſmum Reinholdum Iuniorem, ex quo ſuaue habuit nonnulla inquirere de Parente doctiſſimo, illo ſcilicet Tabularum Prutenicarum conditore. Is, cùm ſpeciatim de monumentis patris reſiduis rogaretur, Tabulas oſtendit locupletatas variè, potiſſimum verò quod ad Planetarum ſpectaret Proſtaphæreſeis, ad ſingula graduum minuta dena reſolutas. Dedit verò Tychoni ſuum, quem in ſuperiorem annum contexuerat Almanach Aſtrologicum, ob quædam quæ de Noua Stella ipſi attexta habebantur, & de quibus Tycho aliquid inaudierat. Vidit etiam VVittebergæ cùm alios, tum potiſſimùm VVolfgangum Sculetum, qui ante duos annos publicè reſponderat ad quæſtionem de Noua Stella à Caſparo Peucero iuniore inſtitutam, ac attribuerat Stellæ Parallaxin minutorum nouemdecim. Nempe inſpicere ſimul voluit, quibus inſtrumentis peruentum ad Parallaxeos notitiam fuiſſet. Non modò autem deprehendit Regulas Parallacticas, quibus ille vſum Ioannem Prætorium magni faciebat, nec dum fuiſſe planè abſolutas; ſed Quadrantem etiam illum ligneum, quo Eraſmus Reinholdus in decernenda VVittebergenſi Poli altitudine vſus fuerat, quóque etiam acceptæ Stellæ altitudines ferebantur, non eiuſmodi eſſe, qui poſſet Land grauiano illi præferri, licet foret Radio, Semidiametróve admodum maiore. Quin-etiam, cùm ſummè commendaret Reinholdum ob accuratiſſimam rationem adminiſtrandi numeros, admiratus eſt tamen tantum cultorem Aſtronomiæ non aliis fuiſſe Organis inſtructum; & occupatum in calculo, ſubducendiſve numeris, non fuiſſe ipſorum Siderum inſpiciundorum curioſiorem; ac potuiſſe etiam ſuo illo Quadrante vtentem à deſignanda Poli altitudine, ſexta penè gradus parte aberrare; quippe quam graduum 51. minutorum 54. conſtituerit, cùm vix tamen maior ſupra eum gradum ſit minutis 45.

DE TYCHONIS BRAHEI VITA,

LIBER SECVNDVS.

1575. IN Daniam, redux tacitè ſe ad id, qnod iam dixi, parabat; vt poſſet nempe Baſileæ Rauracorum ſe ſiſtere, vbi præter alia loci allectamenta, fore ſe liberum ſperabat ab importuno illo concurſu tot Nobilium, amicorúmque, quo futurum præſentiebat, vt obrueretur, interturbaretúrque à ſtudiis, quæ deſtinarat animo, ſi aut in Scania, Knudſtotpiique, aut alibi in qnapiam ampla Daniæ regione conſiſteret: Verùm neſciebat, quid intereà Rex optimus meditaretur. Contigerat, vt aliquantò poſt eius ex Haſſia diſceſſum, Legati quidam nomine Regis deſtinarêtur ad Land-grauium, qui & ſollicitè de Tychone quærens, & ſe expetere teſtatus, vt illi denuò occaſio ſui inuiſendi fieret, adiecerat rogare ſe illos, vt ſuo nomine Regem impensè hortarentur, quò generoſos Viri conatus in Aſtronomia inſtauranda pro ſua beneuolentia, munificentiâque Regia promoueret. Videlicet facturum rem immortali nomine dignam; quippe cnius emolumentum, vt permanaret ad poſteros, ita eum ſumma eius laude, ac fama eſſet perennaturum. Rex itaque adhortationis huiuſmodi non immemor, hæréſque aliunde eius affectus, quo Chriſtiannſ Parens mirè oblectatus Mathematicis ſtudiis, ea in Academia Hafnienſi inſtituerat; ac non neſcius Reges, Principéſque magnos, quòd hanc Cæleſtium rerum ſcientiam, aut coluiſſent ipſi, aut magno alioquin habuiſſent in pretio, gloriam ſibi, ac decus nunquam interiturum paraſſe: propenſus aliunde in ipſum Tychonem, totámque ipſius familiam, & gnarus illum à pueritia ita incubuiſſe huic ſcientiæ, ita ardenter ad ipſius illuſtrationem contendere, vt, ſi adiutaretur modò, poſſet quidpiam grande, ac ſupra id omne, quod earenus foret præſtitum moliri; ideò eius ſtudiis fauere conſtituit, & maximè quidem ex quo intellexit cogitare illum de ſede apud exteros quęritanda; ſcilicet indignum ducens facinus, patriæ hanc laudem præripi, quæ accerſenda potiùs, ſi quà liceret, ab exteris foret.

1576. Quamobrem, cùm ille Knuſtotpij res ſuas iam componeret, ac tale nihil cogitaret, deſtinauit ad ipſum Rex vnum ex pueris nobilibus, datis literis, quibus eum monebat, vt ad ſe quam-primùm, ſeu Hafniæ, ſeu vbivis in Inſula Zelandia foret, accederet. Cùm acceſſiſſet, Rex illum eſt complexus humaniſſimè, & teſtatus velle ſe omninò ſtudiorum ipſius rationem habere, vltrò obtulit, enneceſſitque Inſulam, quæ in Danico freto, Zelandiam inter, & Scaniam ſita, dicitur Latinè Venuſia, indigenis Huenna, exteris Scatlatina. Conceſſit, inquam, vt in ea, quaſi in ſeceſſu Aſtronomiæ operam daret, ac ſimul recepit in ſe quicquid impenſarum, ſeu ad Ædificia, ſeu ad Organa, ſeu ad operas, ſeu ad famulos, ſed ad quidvis deinum (etiam ad labores Pyronomicos) neceſſarium foret. Pronum eſt ſanè conicere, quo affectu Tycho hanc tantam Regiæ munificentiæ teſtationem exceperit, qui & peruidit ſe citra illam, tale nihil poſſe, quale animo conceperat, perficere; & patriæ amans, lætatus eſt fore, vt decori illi cederet, quicquid ſe ſuis laboribus conſequuturum gloriæ præſenſit. Non diu proinde deliberauit, nec repugnanteis amicos habuit, quo minùs mutaret de itinere ſuſcipiendo conſilium; ſed acceptam habens liberalitatem tanti Principis, Inſulæ ad vitam conceſſæ poſſeſſionem adiit. Eſt ea, vt dixi, in freto ſita, habétque Hafniam ad Libonotum tribus milliaribus diſtantem, ac Helſimburgum ad Boream in Scaniæ continente, duobus. Ambitu eſt paſſuum octies mille centum ſexaginta maiorum, taleis ſcilicet Tycho dicit. In montis formam ita aſſurgit, vt præalta licet, in planitiem tamen ſurſum deſinat; amœni proinde proſpectus, ac talis, vt protſus eſſe videatur à natura ad rerum Cæleſtium obſeruationem comparata. Nuſquam aliunde ſcopuloſa, ac non modò frugum optimarum ferax, ſed iumentis etiam abundans, damas, lepores, cuniculos, perdices magna copia alens, & capturæ quoque piſcium opportuna. Pagus in ea vnicus, quem Ruſtici plus minus quadraginta inhabitaut, ac ſuperſunt etiamnum veſtigia quatuor arcium, quæ in Inſula olim extiterunt. Paſcua quædam ſunt conſita atbuſtis; pratum paluſtre, è quo alni aſſurgunt; & corylorum ſiluula ad Boreũ declive, quà vergit in Ortum.

Inſulâ luſtratâ, deſtinauit Tycho magnificam Arcem in ipſo planiriei medio conſtituere, quæ à ſui hne, deſtinationeve, *Vraniburgum*, hoc eſt, Cæli ciuitas indigitaretur.

Deſigna

Deſignatione itaque factâ, apparatiſque omnibus, recepit Danzeus, de quo antè dictum, Lapidem primum fundamentalem eius ſtructuræ ponere; vnde & delegit Porphyrium, & hæc illi verba inſculpi curauit, REGNANTE IN DANIA FRIDERICO II. CAROLVS DANZÆVS AQVITANVS, R. G. I. D. L. (hoc eſt, vt opinor, Regis Gallorum in Dania Legatus) DOMVI HVIC PHILOSOPHIÆ, IMPRIMISQVE ASTRORVM CONTEMPLATIONI, REGIS DECRETO A NOBILI VIRO TYCHONE BRAHE DE KNVDSTRVP EXTRVCTÆ VOTIVVM HVNC LAPIDEM MEMORIÆ, ET FELICIS AVSPICII ERGO P. ANNO. CIↃ. IↃ. LXXVI. VI. ID. AVGVSTI. Poſitus ergo illo die Lapis (addit Tycho id factum manè, exoriente Sole vnà cum Ioue, iuxta Cor Leonis, Lunâ oppoſitâ occupante cardinem occiduum in Aquario) idque tum Danzæo, tum Viris Nobilibus, doctiſque amicis, qui eò conuenerant, vario vinorum genere ſolemniter litantibus, & pro more apprecantibus fauſta. Creſcere exinde opus cœpit; tametſi perfectum non fuerit, niſi annis inſequentibus, per quos fuere etiam alia ædificia exſtructa. Ad ipſam Arcem quod attinet, fuit eius forma quadrata, & facies valli quælibet exteriùs pedum trecentorum, diducto extrorſum ſub faciei medium Semicirculo, cuius diameter interiùs pedum nonaginta. Valli altitudo pedum XXII. craſſitudo ad fundamentum XX. Quatuor anguli exquiſitè quatuor angulis Cæli reſpondentes, Turribus ad Meridionalem, Septentrionalémque erectis, quarũ illa Typographeion, hæc domuncula miniſtrorum foret; Portis verò ad Orientalem, Occidentalémque exſtructis, cùm Moloſſorum ergaſtulis, & incumbentibus supernè Peregrinorum hoſpitamentis. Succedebat intra vallum Hortus arborum varij generis circiter trecentarum, vnà cum pergulis ad Semicirculorum centra recreationis causâ contextis. Is ambiebat Hortum herbarum, ac florum topiario opere variegatum, ac terminatum interiùs in Orbem muro pedes alto XLV. continentéque editiorem aream, in cuius medio præcipua domus, & ex qua viæ quatuor ad memoratos angulos, cum totidem oſtiis ad ineundum hortos.

Ipſa autem præcipua Domus formâ etiam fuit quadratâ, quovis latere pedum circiter LX. exſiſtente. Portæ ad Ortum Occaſúmque: Ad Meridiem verò, ac Boream appoſitæ rotundæ Turres duæ, diametro pedum XXXIJ. (additis videlicet X. pro exteriore, congruéque ſuffulto circumductu pedibus) quæ ad ſummum inferioris contignationis euectæ Obſeruatoria fierent, cum explicabilibus tectis, hoc eſt, quaſi valuis ſuperioribus, quæ aperiri in quamlibet hemiſpherij partem poſſent; idque cùm foret vtrobique Obſeruatorium geminum; maius quidem citra, verſus faciem domus; minus verò vltra, & ad circumferentiam turris. Longum foret internam Domus diſpoſitionem deſcribere; vt cœnacula æſtiuum, hibernúmque, cum picturis variis; vt cameras, cubiculáve, tam pro familia, quàm pro hoſpitibus, ſub duplici contignatione (præter octona pro ſtudioſis ſupra ſecundam) vt ſpeculam octogonalem ſuper-exſtantem, & proximè infra domus apicem, cui pro flabello imminens Pægaſus altus fuit à Terra pedibus LXXV. vt Muſæum, ac Bibliothecam intra Meridionalem turrim, ſub ipſo puta Obſeruatorio, ac ſupra Laboratorium crypte ſubterraneâ contentum, & fornaces ſexdecim varij generis continens: vt reſiduam ſtructuram ſubterraneam, vix quicquam minoris ſupereminente conſtantem: vt puteum cæmentitium, vlnis XL. profundum, è quo potuit etiam in ſingulas cameras per ſiphones aqua diſtribui: præter fontem in ipſo quaſi domus vmbilico quo rotatus volubilis Aquarius, aquas quoquoverſum, quoties luberet, eiaculabatur. Longum etiam foret ornamenta omnia toti ædificio, maximéque exteriùs adhibita commemorare; ſiquidem, præter ſymmetriam, nihil omninò, quod ad decorem; iuxta exquiſitiores Architecturæ regulas facere eſt viſum, prætermiſſum fuit. Præcipuam interim domum dico; quoniam præter ipſam, fuere & quas diximus eſſe in ipſis valli angulis, & duæ aliunde exteriùs ſitæ, altera ad Boream, in qua eſſent officinæ Artificum Aſtronomica inſtrumenta, aliáque fabricantium; altera ad Meridiem, quæ foret vt prædium œconomiæ deſtinatum. Vt taceam, cùm forent Viuaria, ſeu piſcinæ, LX. circiter per Auſtralem Inſulæ partem quà excauatæ, quà communitæ aggeribus, ac in illis præcipuæ tres; fuiſſe ad defluxum aquarum collectarum in infimam, inſignem Molitrinam exſtructam, eámque non modò frumentariam, ſed etiam papyraceam, & apparandis pellibus inſeruientem.

An heic memorem Obſeruatorium nouum, quod exſtructum quoque fuit poſt-modum in Colliculo ad Meridiem ſito, & ab arce diſſito minoribus paſſibus ſexaginta; nempe, cùm duo illa, de quibus iam dictum, non viderentur omnibus, quæ Tycho in dies meditabatur, ſuffectura Organis, ac præſertim maioribus, quæ tutiùs, firmiúſque conſtare, & à ventis fieri prorſus immunia expeteret, induxit ſibi in animum exſtruere in eo colle Obſeruatorium ſubterraneum in aliquot cryptas ex ſolido muro diſtinctum, in quibus huiuſcemodi Inſtrumenta reponeret, ac vſus opera ſtudioſorum, alios heic, alios illeic haberet, ne aut ſibi mutuò obſtarent, aut citiùs, quàm vellet, obſeruata inter ſe conferrent. Crypticum hoc Obſeruatorium indigitauit *Stellæburgum*, ipſúmque quadratâ areâ circumduxit, cuius ſingulæ facies verſus Mundi plagas conuerſæ, retinaculis erectis munitæ, & ſuis ſemicirculis quoque ad ſui medium extuberantes, pedes longæ ſeptuaginta forent. Apparatum fuit in medio Obſeruatorii hypocauſtum, ipſum quoque quadratum, eodémque conuerſas habens facies; ita vt adiretur ex ſingulis cryptis ad quatuor ipſius angulos conſtructis; præter quintam, & maximam, quæ ad Meridionalem erat faciem; cùm nulla foret ad Boream,

quà

poſſet, radij cubitorum quatuor. Fuit verò prætereà XXIV, in eodem Obſeruatorio ſubterraneo Armilla quædam emobilis, exteriúſque vſurpabilis, orichalco obducta, diametrique trium cubitorum. Fuit & XXV, Quadrans è ſolida lamina orichalcica, inauratáque, radij cubito non maioris; in cuius area, præter diuiſionem in limbo vulgatem, interducti fuere varij circuli Nonianæ in minutias diuiſioni inſeruientes. Fuit rurſus XXVI, appenſus in ipſo hypocauſto, Radius Aſtronomicus ea orichalco ſolido & cubitis tribus aliquanto longior, confectus antea à Gualtero Arſcenio nepote Gemmæ Friſij, à quo fuerat eius confectio deſcripta. Fuit porrò alius etiam Radius ex orichalcicis laminis, per lineas tranſuerſas, punctatáſque diuiſus. Fuit XXVII, Annulus Aſtronomicus, ex orichalco etiam totus, diametri nonnihil cubito maioris, qui eundem Arſcenium, iuxta eiuſdem Gemmæ præſcripta, habuerat authorem. Fuit XXVIII, paruum Aſtrolabium orichalcicum, ſpithamalis diametri, cuiuſmodi Ioannes Stoflerus deſcripſit. Poſtremò fuere etiam complures aliæ variis vſibus deſtinatæ machinæ (veluti excipiendis, v.c. Stellarum radiis, itémque Solis, ac Lunæ vmbris) quas iam memorare nihil attinet. Addo ſolùm fuiſſe in exterioris areæ Stellæburgicæ angulis fulcra diſpoſita cum ſuis globis, eo vſu, quo dictum circa alia Obſeruatoria: ac in ipſis eiuſdem areæ, tam Occidentali, quàm Orientali ſemicirculis erectas, columnas, quibus, cùm opus foret, non alia modò exemptitia Organa, ſed Regulæ etiam Ptolemaïcæ illuc tranſlatæ appenderentur: ídque præter erectam menſam, tabulámve lapideam rotundam, ad meridionalem ſemicirculum, ſupra quam Quadrans portatilis, aliáque id genus Organa ad obſeruationis facilitatem conſtituerentur.

Attingendum porrò adhuc vnum eſt, quod Tycho ſpeciatim, inter cætera, in vſum induxit: celebris nempe illa graduum per lineas, punctáque tranſuerſa diuiſio. Scilicet arcum diſtinguebat duabus lineis arcualibus, quarum intercapedo foret pars toſius radij, ſemidiametríve quadrageſimaoctaua: ac tum, aſſumptam in vtraque portionē gradui integro reſpondentem, in ſex parteis ſic diſcernebat, vt ab initio primæ inferioris, in finem primæ ſuperioris, ab hoc in finem ſecundæ inferioris, inde in finem tertiæ ſuperioris, inde in finem quartæ inferioris, inde in finem quintæ ſuperioris, ac inde demum in finem ſextæ inferioris, tranſuerſas lineas duceret, quæ decem punctis inter ſe æquidiſtantibus diſtinctæ, totum gradum in 1a. minuta exhiberent diuiſum: adeò vt tranſiens per quoddam punctum, ſeu filum perpendiculi, ſeu linea fiduciæ in norma, Alhidadáve appellata, perinde indicaret minutum, ac ſi illud potuiſſet in ſuperiore, inferioréve arcu diſcerni. Vnde & minùs mirabere, quod diximus quædam eius Inſtrumenta dena etiam ſecunda exhibuiſſe: quippe interſtitia denorum punctorum fuere in aliquibus tanta, vt poſſent in ſenas ſubdiſtingui particulas, quarum quælibet decem ſecundis æquiualeret: vt prætercam fuiſſe Inſtrumenta, in quibus, arcualibus lineis in duodecim parteis diſtinctis, tranſuerſæ lineæ in quinque ſolùm minuta ſic diſtribuerentur, vt interſtitium diſcernendis ſecundis amplum relinqueretur. Deum immortalem, quanta diſcretio, reſpectu eorum Inſtrumentorum, quibus Ptolemæus, aliíque antiquiores vſi; cùm in illis graduum diuiſio vltra parteis duodecim, ſeu minuta quina non exhiberetur! Incidit verò Tychoni in mentem iſtam diuiſionis formam vſurpare, ex ea Radij diuiſione, quam Lipſiæ ab Homelio, Scultetóque didicerat. Ac licet ea videri poſſet congruè dumtaxar vſurpari in parallelogrammis rectilineis, in quibus diagonia rectilinea itidem ſunt; perſpicuum eſt tamen tranſuerſas has lineas, tectas licet, nihil omninò, quod cadere in ſenſum poſſit; differre ab iis arcubus, qui forent per earum extrema ducendi. Quoniam, cùm iſti arcus ſint portiones eorum circulorum, qui ducendi prætereà per Inſtrumenti centrum forent, & ductæ rectæ ab iis extremis in centra horum circulorum, angulum creent eius duplum, qui in centro inſtrumenti fit: conſtat, ſi tam tranſuerſa linea, quàm arcus, cuius ſubtenſa eſt, biſecetur à linea ex centro eius arcus ducta, interſtitium inter ſubtenſam, & arcum, hoc eſt, minutorum quinque ſinum verſum, fore tantulum, vt ne vni quidem parti radij, ſemidiametríve centies milleſimæ adæquetur; quod quantùm ſupra omnem ſenſus acutiem ſit poſitum, liquet. Vt prætercam ipſum Tychonem rem ita deducere, vt oſtendat differentiam maximam via creare errorem trium ſecundorum. Cætera, quæ ad formam, vſúmque pinnacidiorum, ſeu dioptrarum, aliarúmque partium Inſtrumentorum attinent, prolixioris ſunt, quàm vt locus hic capere poſſit, explicationis.

Poſtremò videntur duo quædam eſſe hoc loco præoccupanda. Vnum eſt; Tychonem ex hoc tempore aluiſſe continenter varios iuuenes, Adoleſcentelſve ſtudioſos; qui pollentes viſu, ingeniſque acumine, ſibi adiutores obſeruando forent. Neque verò illos ſuſtentabat modò, ſed erudiebat etiam pro cuiuſque captu, in Mathematicis, & Philoſophicis diſciplinis. Ac alij quidem diutiùs, alij breuiùs apud ipſum commorabantur, ſed fuere tamen ſemper minimùm ſex, ſeptem, aut octo, interdum decem, aut duodecim (ídque præter pueros, iunioréſque diſcipulos) quos partim accerſebat ipſe ex Academiis, aliiſque locis, partim admittebat vltrò aduenienteis, ſeſéque offerenteis. Acceſſere interdum nouem numero, vno eodémque tempore, quos omneis excepit, ac niſi diſcedere volenteis non dimiſit. Ex iis, quos magni præſertim fecit, aliqui deinceps, prout dabitur occaſio, commemorabuntur; neque enim omneis recenſere, quorum elenchum optimus VVormius tranſmiſit, quicquam attinet. Alterum, Tychonem per annos viginti, ac vnum, quibus incoluit Inſulam, inſumpſiſſe in hæc omnia vltra Tonnam auri, vt

ipſemet

ipſemet loquitur; conſtat autem Tonna ex centum Dalerorum. millibus, quæ trecentis propè librarum Turonicarum millibus valēt. Quare & nihil ſibi reliquum fecit, ſeu ex propriis reditibus (teſtatur quinetiam Keplerus impenſum patrimonium) ſeu ex Regia munificentia. Videlicet optimus Rex, contulit ipſi, tum neceſſaria apparandis Ædificiis, ac Machinis; tum annuatim duo Dalerorum millia ex Telonio; tum etiam prætereà feudum in Noruegia, & Canonicatum in Epiſcopali Roſchildenſi Eccleſia, ſeu Præbendam ſancti Laurentij, quam iam Regum appellitant (Regis Cancellario ſolitam conferri) cuiúſque annuus reditus mille Daleris æſtimatus alij oneri addictus non eſt, quàm vt Sacellum, in quo Regum ex familia Oldemburgica exſtant Mauſolæa, ſartum tectum ſeruetur.

Iam, cùm ex hoc tempore vſque, nulla penè nox ſerena abierit, quin aliquam obſeruationem circa Sidera tam Errantia, quàm
1577. Affixa peregerit; tum cœpit præſertim Anno inſequente M. D. LXXVII. veſtigare Poli altitudinem ex circum-polaribus Stellis. Deprehendit autem ex ſumma, infimáque Stellæ Polaris, quæ in extrema Caudæ Cynoſuræ altitudine, attolli Polum Vraniburgi grad. 55. min. $34\frac{2}{3}$. idque cùm Stella per eum annum diſtaret à Polo grad. 2. min. 58. ſec. 50. quam & refert alicubi Geminam Friſium ante annos XXX. deprehendiſſe eadem ratione, ex maxima nempe, minimáque altitudine, diſtare à Polo grad 3. min. 8. Ne cætera verò recenſeam, ac ſpeciatim totaleis duas Lunæ Eclipſeis obſeruatas, alteram die Aprilis ſecunda; hor. 8. minut. 50. alteram Septembris XXVI hora 13. cum minutis 3. hærendum nō-nihil potiſſimùm eſt circa Cometam, qui ante finem eius anni apparuit, & per proximi initia euanuit. Scilicet poſt Stellam Nouam obſeruatam, nihil æquè habuit Tycho in votis, ac exoriri quempiam Cometam, ex quo accuratè obſeruato deprehenderet, eiuſmodi-ne corpora forent loci, ac materiæ cæleſtis, an elementaris. Ac doluit quidem, cùm fuit exortus, nondum adeſſe qualia, quátaque præconceperat Organa (quippe habebat præſertim cura ædificiorum ſollicitum) lætatus eſt tamen ſibi adeſſe tria, quibus poſſet rem exſequi non malè. Ea verò fuere, ad capiendum quidem diſtantias, tum Radius Aſtronomicus, tum Sextans totus chalybeus, radiíque trium circiter cubitorum: ad habendum autem altitudines, Quadrans ex lamina orichalcica, radij cubitorum non omninò duorum, cum Horizonte Azimuthali chalybeo, tricubitalis diametri, ad obtinendum Azimutha. Cæterùm, quia hic Cometa vt primus, ſic præcipuus fuit ex iis, qui fuere a Tychone obſeruati, & Tycho de eo ſcripſit Librum, qui eſt de Mundi Ætherei recentioribus Phænomenis ſecundus; ideò immorari non-nihil circa illius deſcriptionem iuuat.

Memorato itaque anno, ac die Nouembris XIIJ. cùm paulò ante Occaſum Solis adſtaret Tycho famulis ad vnum eorum viuariorum, quorum fuit non multò antè facta mentio, piſcantibus, oculos in eam Cæli partem, ſi congrua fortè ſerenitas in noctem proximam ſponderetur, erexit. En verò Stella ex improuiſo ſe conſpiciundam præbuit, qualem ſe Venus exhibet, cùm vicina Terris, & Sole decliui in eadem occidua regione verſatur. Spectaculo attonitus, nôrat ſcilicet Venerem, quam non multis antè diebus Ioui vicinam manè obſeruârat, procul ab eo loco eſſe, ac haberi illeic dumtaxat Saturnum, qui non tantæ eſſet magnitudinis, & breui præſertim occaſurus Heliacè, vt præſēte Sole poſſet conſpici; requiſiuit ex famulis, ſi quam illeic Stellam viderent & ipſi. Aſſerentibus, ac Venerem eſſe Heſperum factam iactantibus, excepit haud-quaquam rem ſic ſe habere; ac breui quidpiam inſolitum facto crepuſculo viſum iri. Nec vana præſenſio; nam ecce diurna luce paulatim ſe, Sole occaſo, ſubducente, non grandis modò, eáque alboris ſubliuidi, Stella apparuit, ſed diffuſa etiam ex ea vſque verſus Ortum, & quaſi in Solis oppoſitum longiſſima cauda, inſtar crinium, radiorúmve rubicundiorum, qui prope iſtam Stellam denſiores, extremum verſus rariores forent, ac leuiter, conuerſa ſurſum deuexitate, incuruarentur. Conſtitit proinde eam eſſe Cometam, crinitámve Stellam, quæ non viſa licet in Dania diebus antecedentibus, quibus Cælum fuerat nubibus obductum, fuiſſet tamen die decima in Noruegico Oceano conſpecta. Obſeruauit illam Tycho eodem veſpere; ac deprehendit Stellam quidem ipſam, ſeu Caput Cometæ eſſe diametri minutorum ſeptem, & Caudam longitudinis viginti duorum graduum; adeò vt, cùm Caput eſſet proximè ſupra ipſum Caput Sagittarij, Cauda ad vſque cornua Capricorni protenderetur. Obſeruauit quoque deinceps, quoties fauit ſerenitas; & cùm motu proprio in Ortum ferretur, deprehendit illam initio velociter progredi, & breui ad ſiniſtram Antinoi manum peruenire; prætergredi exinde, tum Delphini Caudam, tum Nareis Equulei; ac ſuperata demum lentiore iam motu Stella appellata Scheat Pægaſi, euanuiſſe inter ipſam, ac duas minutulas Stellas in Pegaſi pectore, poſt diem ſequentis Ianuarij XXVJ.

Enimverò, cùm iſta quidem pingui Minerua deducta ſint; quod ad ſcrupuloſiorem tamen deſignationem attinet; quia Tychoni in mente fuit tam motum, quàm locū Cometæ in Mundo exquiſitè aſſequi: ideò, quoties licuit, illius diſtantiam à Fixis illuſtrioribus circum-vicinis eſt dimenſus; vt perſpectis Fixarum locis, tum ſitum Cometæ in dies ſingulos obtineret; tum iter illius, ac itineris ad Eclipticam inclinationem intelligeret; tum eiuſdem à Terra diſtantiam, hiſque affinia perveſtigaret. Quocirca & edixit primò, Cometam, hoc eſt eius Caput, ſeu Stellam, fuiſſe die illa menſis Nouembris XIIJ. in gradu 7. min. 15. Capricorni, cum grad. 8. min. 59. latitudinis Boreę, ac habuiſſe Aſcēſionis rectę grad. 277. min. 23. cum declinatione Auſtrina grad. 14. m. 17. & memorata die Ianuarij XXVJ.

fuiſſe

fuiſſe in gr.20.min.55.Piſcium,cum latitudine itē Borea gr.29.m.15.ac habuiſſe Aſcēſionis rectæ grad.339.min.35.cum declinatione iam Borea grad.23.min.10. nempe Æquatorem interſecuit ſub diem Nouembris xxiij. ſed nimium foret tædium, ſi Cometæ ſitus reſpectu tā Eclipticæ,quàm reſpectu Æquatoris ſingulos dies commemoraretur. Notaſſe ſufficiat, quibus Cæli locis primùm, poſtremúmque viſus fuerit, vt interducere circulum, ſiue ſemitam, quà inceſſit, liceat. Edixit deinde iſtam ſemitam antecedenter produci intellectam,interſecuiſſe Eclipticam quidem, in gradu 20.min.55. Sagittarij, cum inclinationis angulo verſus eandem,grad.29.min.15. Æquatorem verò in gradu 299. min. 50.cum angulo inclinationis verſus ipſum, grad.33. minutis 45. Edixit ad-hæc motum Cometæ diurnum ea lege ſemper decreuiſſe, vt cùm à die Nouembris xiij. in xiv. fuiſſet graduum 3. min.48.hinc in xv. grad.3.min.25. hinc in xvj. grad.3. min.9. hinc in xvij. gr.2. min.58. atque ita porrò, fuerit tandem die Ianuarij xxv min.17.& die xxvj.min.16. adeò vt totum apparitionis iter, ſeu ea portio Circuli magni, quam deſcribere motu proprio eſt obſeruatus, fuerit graduum ſeptuaginta vnius, & ſemiſſis quam proximè, nulla ratione habita itineris antecedentis. Cùm motum autem proprium dico, nihil eſt profectò neceſſe admonere fuiſſe Cometam prætetea abreptum (Planetarum ſcilicet inſtar) motu illo communi, ſeu Mobilis primi, quo reuoluebatur dietim circa Terram; atque ita quidem, vt nunquam videri in Meridiano potuerit, neque idcircò in altitudine ſupra Horizontem maxima obſeruari.

Edixit inſuper, ac præcipuè, fuiſſe Cometam in ætherea, non in elemētari regione;ſeu non depreſſum infra Lunam, ſed longè ſuprà euectum fuiſſe. Ad hoc autem eſt triplici comprobationis genere vſus. Primum fuit, quia Cometa tempore tuto apparitionis exquiſitiſſimè deſcripſit ſuo motu arcum circuli maximi; quatenus aſſumpta per dies ſingulos obſeruationis latitudo, ſubtenſa ſemper fuit eiuſdem inclinationis anguli cum Ecliptica, qui recitatus mox antè eſt; ſecus profectò, ac eueniſſet, niſi eiuſmodi circulus biſſecuiſſet Eclipticam,totámque adeò Sphæram (quod circulorum maximorum propriū eſt) in duas æquas parteis. Atque id quidem, cùm notum ſit, nullum ſublunare, igneúmque, vt volunt, Meteorum eſſe poſſe motu adeò regulari, vt à circuli maximi tramite nunquam deflectatur; cùm ſeu pabuli conſectatio, ſeu facta à ventis, Sideribúſvę abductio talem conſtantiam nullam patiatur. Confirmatur autem, tum quia ſublunares hi ignes, vt vagi, fluctuantéſque ſunt, ſic variè intendunt, remittúntque curſum; cùm tamen Cometa vno ſemper tenore, ac proportione ſeruata, velocitatem temperarit, factúſque tardus fuerit: prorſus vt Planetæ ad ſtationem tendentes. Tum quia, vtcumque initio velox,procul tamen abfuit à velocitate, qua Luna propriam decurrit orbitam (quippe etiam dum lentiſſima eſt, vltra 10. gradus dietim peruadit) adeò proinde, vt par ſit regionem illi ſuperiorem,ſeu Sidera inter, quæ ſegniùs Luna mouentur, aſſignare. Tum quia cæleſte potiùs quidpiam,quàm elementare ſapit, quòd Cometa viam à Capricorni Tropico, in Tropicum Cancri ducti obliquo inſtiterit. Alterum fuit, quia Cometa eodem veſpere,interiectis aliquot horis, atque adeò in variis altitudinibus ab iiſdem Fixis diſtare obſeruatus,aut nullam,aut penè inſenſibilem altitudinis Parallaxin exhibuit:nimirùm cùm vix aliam loci diuerſitatem ſubierit, quàm popoſcerit facta diurni motus per tempus interiectū promotio. Obſeruationes certè peractæ diebus per Nouembrim,ac Decembrim variis ægrè Parallaxin admittunt minuti vnius, aut alterius; cùm, ſi vel in ipſo Lunæ orbe fuiſſet, admiſſurus fuiſſet ſextuplo maiorem; vt eſſe proinde illum oportuerit ſaltem ſextuplo, atque adeò pluſquam trecentis terrenis Semidiametris diſtantiorem à nobis, quàm Lunam. Tertium fuit, quia Cometa eodem proximè tempore in variis Horizontibus ab iiſdem Fixis diſtare obſeruatus, aut nullam, aut vix aliam ſubiit varietatem diſtantiæ, quàm pro intercapedine temporis, & ratione diurni motus; ac præſertim quidem, cùm Stellæ eundem proximè verticalem cum ipſo Cometa obtinuerunt; vt cum die Nouembris xvj. Tycho obſeruauit diſtantiam Cometæ à lucida Vulturis grad.17. min.50½. & Taddæus Hagecius obſeruauit eandem Pragæ in Bohemia grad.17.min.52. Quæ ſeſquiminuti differentiola reuocari poteſt ad Meridianorum differentiam (exſiſtente alioquin hora vtrique ſexta) tametſi habita ratione diuerſæ altitudinis Poli graduum propemodum ſex, ea futura fuiſſet minutorum 7. ſi Cometa vel proximè infra orbem Lunæ extitiſſet.

Edixit prætetea Cometam non eadē ſemper diſtantia abfuiſſe à Terra; ſed id ſupponendo,quod infrà dicetur,Mercurium,ac Venerem circuitus ſuos circa Solē, quaſi quoddam centrum obire; exiſtimauit Cometam quoque circumiiſſe pariter Solem,& ampliore quidem circuitu, quàm Venerem;adeò vt, quemadmodum orbis Veneris Mercurialem complectitur, ſic orbis Cometæ complexus fuerit Venereum. Et quia tēpore primæ apparitionis, quaſi ex Perigeo prodibat (ſed in conſequentia nihilominus ſecus ac Venus, & Mercurius)idcircò Cometam die Nouembris xiij. deſtitiſſe à Terra terrenis Semidiametris ducentis vndecim; die Decembris ſecunda,cùm in maxima à Sole digreſſione foret, Semidiametris quingentis, ſexaginta tribus; ac demum Ianuarij xxvj. Semidiametris 1733. hoc eſt triente proximè remotiorem à Terra, quàm Solem, dum in longitudine media eſt. Edixit vlteriùs Cometam, cùm die illa xiij. diametro apparuit, minutorum ſeptem, fuiſſe proinde in ipſo Cælo, diametro prolixa trecentis ſexaginta octo milliaribus Germanicis; id nimirùm colligitur ex aſſumpta à Terra diſtantia, & ſuppoſita vnius terrenæ diametri magnitudine, milliarium eorundem octingentorum

ſexaginta. Colligitur verò etiam ex eo, quod diamerer Cometæ ſe habuerit ad diametrum Terræ, vt tria ad quatuordecim, & ad diametrũ Lunæ, vt tria ad quatuor; itémque ex eo, quòd globi in tripla ratione diametrorum ſint, fuiſſe Cometam Terrâ minorem centies, & ſemel, cùm ferè beſſe; & Lunâ bis, cum proximè triente. Poſtremò, cùm hoc de Capite ipſo, Stelláve ſit iotelligendum: Edixit Caudam tempore eodem viſam prolixam viginti duobus gradibus, aut (quòd non tota ob tenuitatem diſcerni poſſet) viginti qoioque, fuiſſe conſequenter prolixam Semidiametris terrenis nonaginta ſex (vti & lata partium ſex, eſſe debuir lata Semidiametris vigintí duobus) Idque, cùm ipſum Caudæ extremum foret aliquantò remotios à Terra, quàm Capot (qoatuordecim puta, aut qoindecim Semidiametris) habito reſpectu ad Veneris ſitum. Nempe id ſpeciale Cometa hic habuit, vt tempore apparitionis toro Caudam exporrexerit in oppoſitas ad amuſſim non Soli, ſed Veneri parteis; ſiquidem ex variorum dietum obſeruationibus eonſtitit, non Solem, ſed Venerem, & Caput Cometæ, cum medio Caudæ ductu, ab ipſa eius eductione, & neglecta deioceps curuitate, eodẽ circulo magoo contineri. Quo factum, vt Tycho ſoſpicatus fuerit Appianum, qui primus adnotauit, ſcriptíſqoe mandauit Cometarum Caudas io parteis à Sole auerſas protendi, non attendiſſe, ao exquiſitè, an præterpropter protendereotur. Prætereo autem, tum quod voluit illam Caudæ incuruationem fuiſſe dumtaxat apparentem ex lege quapiam Optica; tum quòd iteratò exiode inſectatus eſt Ariſtoteleã de ignea Cometæ natura ſentẽtiam; quatenus, ſi Cauda fuit quaſi flamma, oon ea ſurſum directè contendit, ſed obliquè deorſum; id prodente ſitu Stellæ Veneris, quæ fuit Capite Cometæ euectior.

Atque hæc eſt quidem quaſi eorum ſumma, quæ Tycho ſcriptis conſignauit, poſtquàm Cometa euaouit, ac per annum quidem
1578. M. O. LXXVIII. cùm & poſt nouennium reſumpto in manus, retractatóque opere, tum pauca quædam interſeruerit, tum examen adiecerit obſeruatiouom, opinionúmque à variis Authoribus proditarum. Priuſquam tamen manum operi admoueret; quia peruidit nihil poſſe certi ex obſeruatis erui, niſi Stellæ Fixæ, quibuſcum Cometam comparauerat, in vera loca reſtituerẽtur, à quibus loogitudinum, & latitudinum Abacus ab vſque Hippareho, & Ptolemæo dedoctus, & ab Alphonſinis, Copernicóque additione motus octauæ Sphæræ ſolùm correctus, ſic abluderet, vt gradu interdum integro, interdum plus, mioúſve ab iis abhorreret: quia id, inquam peruidit, ideò de admoueoda huic reſtitotioni manu cogitauit. Itaque, licet noodum haberet Armillare illud Aſtrolabium, cuiuſmodi fuiſſe Hipparcho, Ptolemæóque eſt obſeruatum; nõ eſt tamẽ malè voti cópos factus, cùm ad hoc negorium deſcriptum Quadraotem ſingula minuta exhibentem, & ſuper Horizunte, circulóve Azimuthali circumductilẽ vſurpauit. Nempe reſtituto priùs loco Solis, habitáque ex altitudine Poli, etiam Æquatoris altitudine; ita obſeruauit Meridianam cuiuſque Stellarũ altitodinem, vt declinationem illius exiode obtinuerit, & loco Solis per id tempus noto, etiam Aſcenſiunem rectam aſſequutus fuerit: ac tum ex his datis, longitudinem, latitudinémque eiuſdem Stellæ deduxerit. Foere autem huiuſmodi Stellæ Locida Vulturis volantis, ſiue Aquilæ; Lucida io ſiniſtra Antiooi manu; Inferior in Capricorni cornu; Humerus Aquarij vterque; Os, Prima alæ, Scheat, Dextrum genu, & Borealior paruularum in pectore Pegaſi; Fidicula demùm, ſeu lucida Lyræ. Quarum quidem loca poſteriùs grandioribus vſus Ioſtrumeotis non-nihil correxit, ſed tam parum tamen id fuit, vt facta ratiocinia circa Cometæ locum, & alia, nihilomioùs conſtitcriot; neque res viſa fuerit digna, ob quam calculus, nuo ſine ingenti quodam labure, retexeretur.

Obſeruauit etiam Tycho eodem anno Diametrum Solis viſibilem miſſo per rotundum foramen eius radio io pauimentum, planúmve excipiẽs perpendiculũ ex foramioe ad angulos rectos; qua occaſione id adſcripſit encomiũ, vt *Rectangulum magiſter ſit vniuerſæ Matheſeos.* Quippe ad ipsũ referens, quod vniuersè de Triangulo hocce Diſticho aliàs cecinit,

Cuncta Trigonus habet; ſatagit, quæ docta Matheſis:
Ille aperit clauſũ quicquid Olympus habet.

Obſeruauit, inqoã, tum ſub Martij medium, cùm Sol verſaretur mediam circiter longitudinem; tum ſub mediom Iunij, cùm ipſum circiter Apogejum. Deprehẽdit verò Diametrum eſſe priore qoidem tempore min. 30. & ſecundorum ſemel 40. ſemel 44. nuoc 50. poſteriore autem, ſemel minutis 30. ſec. 4. bis mio. 29. ſec. 30. Ex quo deinceps factum fuit, vt diametrum Solis perſcrutatus fuerit, directu in Sulem canali, duos, & triginta circiter pedes lungo, ac radiis traiectis rotondo supernè foraminulo, infernéque exceptis fundo candido; deprehenderit autem Solem eſſe Diametro Apogejoo quidem minutorum 30. (niſi quod ſæpenumerò paucula ſecuoda defuerunt) Perigejum verò minut. 32. (niſi quòd ſecuuda item paucula ſuperfuerũt) & medio loco conſtitutum miuurorum proximè 31. Nihil addo de Eclipſi Lunæ, quam digitorum duorum, ac ſemiſſis obſeruauit menſe Septembri, die XVI. manè, hora prima cum miu. XVII. vti neque de Eclipſi Solis, quàm digirorum 5. min. 50. obſeruauit
ſequẽte anoo M. O. LXXIX. die Februarij XXV. 1579.
hura 5. cum 30. minotis. Addo ſolùm illum ſic per hoſce annos operas vrſiſſe, ædificiáque promooiſſe, vt, ingerentibus ſe licet variis difficultatibus, Vrani-burgum tamen, & alia, Stellæ-borgo excepto, penè abſoluta
anno inſequente M. O. LXXX. fuetiot, ac præci- 1580.
pua cura ſuperfuerit Organorũ perficiẽdorũ.

Illo ioterim anno, cùm pleraque alia, ac ſpeciatim Lunæ Eclipſin totalem die Ianuarij vltima hora 10. ac mio. 9. obſeruauit; tũ præſertim aliom Cometam, qui fuit ab Octobris initio, io medium Decembrim conſpectus.

Is,

Is,cùm Meridianum ſuó motu rétrogtado ſæpiùs pertranſiret,ac diligenret interim adnotatentur tempora, ac tempote eodem ſimilia obſeruarentur in Haſſia ; videri mirum potuit,obſeruationes Haſſiacas deficete ſemper minutis octodecim,ab eo tempote,qnod,differentiâ Meridianorum ſpectatâ,fuerat adnotandum.Sed Tycho nimirùm errorem coniecit in vitium perpendiculi , quod Land-grauiani non præcauiſſent;vnde & ea de re poſtmodum tum eum Land grauio egit,tum cum Rothmanno potiſſimùm , qui tamen eo tempore nondum fuerat apud Land-grauium. Et ſcribens quidem Keplerus anno poſt illum quadtageſimo , ſubdubitare viſus eſt, exſtarent-ne Tychonicæ eius anni obſeruatiooes ; ſed ſubiecit tamen habuiſſe ſe præ manibus Cometæ loca ex obſeruationibus computata , ac ea tranſcripſiſſe in exemplar Mœſtliniani de eodem Cometa libelli Refert ſcilicet Mœſtlínum , Roëſlinum, Rothmannum,Hageciuni de eodem ſcripſiſſe,conſenſiſſeqne Cometæ curſum fuiſſe per ſpatia ætheris, ſiue ſupta Lunam tranſactum.Commemorat idem Kepletus Tychonem , dum hunc Cometam deſctiberet , adnotaiſſe ſe die quadam Veneris, ac bora veſpertina ſexta,ſub Nouembris finem,aut Decembris initium , cùm foret in eymba , Huennam inter, & Scaniam , Cometam vidiſſe ſatis adhuc conſpicuum (Caudâ licet ægrè apparente, quæ fuit aliunde longè in hoc , quàm in Cometa ſupetiote breuior) fuiſſe autem ipſum prope Caput Herculis , ac illo inferiorem verſus Corum, tribus ad ſummum Solis diametris , hoc eſt , ferè ſeſqui-gradu ; cùm & producta per vtrumque linea tranſitura eſſe per eã, quæ eſt media in Cycni corpore,videretur. Tycho ipſe aliunde de ſuperiore Cometa agens , ac fuiſſe illum æthereum , neque ſolidos vllos orbeis eius traiectioni obſtitiſſe defendens : hunc quoque adducit in argumentum ; *Nam* , inquit , *toto illo tempore in antecedentia Signorum motu retrogrado plusquàm per quaterna Zodiaci dodecatemoria ferebatur ; idque etiam ordinario , & regulari , non interrupto , aut vago curſu , velut hac , & alia latiùs libro ſequente , cum ex profeſſo de eodem Cometa agemus,è certis obſeruationibus oſtendemus;vbi etiam hunc in ipſo æthere eiuſcemodi curſum deſignaviſſe,inuictis demonſtrationibus comprobabimus.* Acpoſtea : *Et quid dicemus de Cometa anni* LXXX. *qui ipſam Primi mobilis reuolutionem ſuo proprio curſu ab Oriente in Occidentem totó durationis tempore antevertebat ? Perpetuò enim contra ordinem Signorum in antecedentia ferebatur* , &c. Non fuit portò vnquam perfectus , qui affectus heic indicatur, Liber de Æthereis Phænomenis Tertius.

Acceſſit hoc anno ad Tychonem Paulus VVitichius Vratiſlavienſis Mathematicus;ac Tycho illum tantò faciliùs in familiaritatem admiſit, quantò ingenioſum Geometram agnouit , ac eum , qui vltrò ſponderet ſe totó vitæ tempore alterum in ſtudiis Aſtronomicis Acharem fututum.Factum eſt proinde, vt cum illo omnia ſua inuenta , ſeu quæ tum in promptu habebat,ſeu quæ animo deſtinârat, communicârit ; ipſéque VVitichius,cùm præ cæteris non modò diuiſionem illam per tranſuerſas lineas animaduertiſſet , verùm adnotaſſet præterea Pinnacidia illa quadrata, æqualia , parallela, ea ratione compoſita, vt oculus citra, & ad vtriuſque pinnacidij axem conſtitutus , videret ſimul ſurſum, deorſum, dextrorſum , læuorſum , Stellam obiectam quaſi ex dimidio ; exſultabundus dixerit , vidiſſe ſe tandem , expertúmque eſſe , quod diu , ſed fruſtrà à Dudithio quæſierat , nec ſe fruſtrà in Daniam , vel eo veniſſe nomine, quòd ne centum quidem coronatorum pretio habitam notitiam commutare vellet. Conqueſtus tamen poſteà fuit Tycho , vix eum conſtitiſſe ampliùs , quàm treis menſeis; ſed prætextu adeundæ hæreditatis in patria, ac ſpe reditus poſt duos menſeis facta , ita abiiſſe , vt deinceps nunquam , nec redierit , nec literas dederit ; ac Tycho ſolùm poſt quinque annos ex literis Land-grauij ad Ranzouium , accepit tranſiiſſe illum per Haſſiam , & commoratum aliquandiu communicaſſe , vt ſua inuenta , quæ abs Tychone acceperat ; quippe nulla facta ipſius mentione.

Anno deinde M.D.LXXXI. natus eſt Tycho- 1581.
ni filiorum primogenitus , qui fuit ipſe quoque appellatus Tycho. Nempe alius quoque Georgius nominatus natus ipſi poſt triennium fuit : neque pluteis mares;quod ſciam quidem,habuit,cùm tamen quatuor habuerit filias ; vt putà , præter Magdalenam , de qua dictum iam, vocatas Sophiam,Elizabetham, & Cæcillam. Fuit illi hoc anno obſeruata Stellæ Polaris diſtãria à Polo grad.2.min 57. ſec.30. & præter Lunæ Eclipſin totalem , quam obſeruauit menſe Ianuario , die XIX. hora 9. minutis 57. circa aliam etiam Totalem , quæ menſæ Iulio , ac die XVJ. manè contigit , medium quidem eius definiit ad horam 5. (tribus minutis minùs) ſeu Lunâ iam procul infra Horizontem demerſâ ; at ſimul tamen adnotauit exſtitiſſe ſolùm Lunam , cùm occubuit , dimidia ſui parte obſcuram.

Sed hæc vt omittam ; cùm ſe iam ad conſcribendum ſucceſſiuis horis ſuum illum Librum de Noua Stella,quaſi aliquod Aſtronomiæ Progymnaſma accingeret : ſatis quidem habere ſe obſeruationum ſibi eſt viſus , vt Solarem curſum reſtitueret,ac Ephemeridem exactam in duos illos annos , quibus Stella fuit terris viſa , contexeret ; at non reputauit tamen ſibi factum ſatis circa reſtitutionem Stellarum , quibuſcum Nouam compararat , & quarum loca occurrerent eo in opere deſignanda. Commodùm proinde affulſit occaſio à Februario vſque exeunte Anni 1582.
M.D.LXXXII. vt exquiſitè loca Stellarum non Caſſiopeiæ , ac vicinarum modò , ſed reliquarum etiam toto Cælo conſpicuarum reſtitueret ; Idque interuentu Veneris , quæ interdiu cõſpicua , cõparari cum Sole poſſet; nocte ſuperſtes,cũ proximis Stellis,quæ ipſæ deinde compararétur cũ Lucida ſupra Caput Arietis , vt ea quaſi omnium fundamentum ſtabiliretur.Scilicet illã primã delegit, relicta

alia minutiore, quæ Copernico prima fuerat, vt Rectam eius Aſcenſionem certam ratámque faceret, qnò cæterarum Aſcenſiones ab ea deinceps deducerentur, & ex cognitis aliũde per Armillas Æquatorias, aut altitudines Meridianas Quadrante acceptas declinationibus, ſingularum longitudines, latitudinéſque haberentur. Heinc, quia opus, ac labor fuit in Aſcenſionibus conſtituendis, poterat quidem differentia Aſcenſionis duarum aliquarum Stellarum haberi (ex noto nempe tẽpore inter vtriuſque tranſitum per Meridianum intercedente) at nullius Stellæ Aſcenſio à puncto vſque verni Æquinoctij nnmerarl poterat, niſi ipſa Stella compararetur cum Sole, cuius ſolius Aſcenſio per ſe nota eſt ex noto momento, quo id punctum præteriit, ac eo tempore quod exinde fluxit.

Enimuerò, quia Stellæ Fixæ, quòd ſiot interdiu inconſpicuæ, comparari ipſæ cum Sole non poſſunt; ideò antiquum fuit, vt res Lunæ, interuentu peragererur, quippe quæ interdiu, noctúque conſpicua, poſſet, Sole adbuc ſupra Horizontem verſante, cum eo comparari; ac poſſet deinde cum Stellis, poſt eius occaſum comparentibus: obſeruando nempe ioterdiu, quæ Aſcenſionis differentia inter Solem, ac Lunam foret; ac poſteà, quæ foret ioter eandem Lunam, & aliquam Stellam. Lubrica fuit tamen iſthæc methodus, propter Lunæ motum, & Parallaxin interuenientem, cuius haberi ratio ſine intricatione non potuit: ne quidpiam de Solis decliuis (ſi tempus præſertim decurtandum fuit) refractione adiiciam, quam etiam antiqui ne ſomniârunt quidem. Ac fuere quidem etiam aliæ Aſcenſionis rectæ obtinendæ rationes, illáque imprimis, qua vſus Copernicus, ex obſeruata declinatione, ac adhibita ſimul Stellæ alicuius inſignis, vt Spicæ Virginis, latitudine; aliaque item, qua Landgrauius, ac Tycbo quoque priùs vſi, ex adnotato tempore, quo aliquæ Stellæ Meridianum pertranſeuot, aut in certo ſuot Azimutho, cum data earumdem altitudine, & loco Solis antè perſpecto; verùm & adhibitio illa latitudinis ex Tabulis ſuppoſitæ quædam principij petitio eſt; & illud tranſitus momentum arduum adeò obtentu eſt, vt penitùs fieri indubitatum non poſſit. Quippe & nulla horologia machinalia adeò exquiſita, adeò non obnoxia mutationibus aëris poſſuot fieri, vt huic præciſioni ſufficiant; & quamvis Tycho adhibuiſſet etiam clepſydras ex argento viuo variè ſublimato, reuiuificatóque; itémque ex plumbi calcinati ſubtiliſſimo puluere, deprehenderat tamen ne ſic quidem ſe id, quod affectabat, poſſe adipiſci.

Commodum itaque, vt dixi, affulſit Stella Veneris, qua intercedente rem exſequeretur. Ea quippe & longè tardior motu proprio, quàm Luna eſt, & Parallaxi longè immunior; vt quæ proinde cenſeri poteſt adhibenda correctio, longè ſit facilior, ac tutior. Quamobrẽ accepta interdiu inter Venerem, Solémque diſtantiâ vnà cum vtriuſque altitudine, & declinatione; ac interdum quoque Azimutho; accipiebat rurſus diſtantiam inter Venerẽ, & aliquam Stellam, in Zodiaco præſertim, inſignem; ac vtriuſque altitudinem, declinationem, Azimuthum; ex quibus, adnotato aliunde vtriuſque obſeruationis tempore, vt iuxta intercapedinem haberetur ratio promotæ interim Veneris, Rectam eius Stellæ Aſcenſionem deduxit. Non fuit proinde laborioſum ex Declinatiooe, com Aſcenſione adhibita, eiuſdem longitudinem latitudinémque aſſequi; ipſámque cum Lucida illa ſupra Arietis Caput comparare. Quomodo verò, & ad quod tempus rectam huius Stellæ Aſcenſionem definierit, dicendum erit poſteriùs; ſiquidem præter obſeruationes, quas ſupra centenas ea de re hoc anno peregit, itémque præter quam-plurimas, quas peregit annis conſequentibus, ipſáſque, Venere tam Eoa, quàm Veſpertina, ac in quovis ſitu ſupra Horizontem tam antè, quàm poſt Meridianum exſiſtente (fuit autem, quoties opus viſum, refractionis habita ratio) præter hæc, inquam, accuratiùs curſum Solis ſic obſeruauit, vt factam eius correctionem ad hocce negotium vſurpauerit. Vt certè Apogæum Solis debitè conſtitueret, cœpit hoc anno obſeruare Solis tranſitum non modò per puncta Æquinoctialia; ſed etiam per medias tam Tauri, quàm Leonis parteis; idque menſibus Aprili, ac Iulio.

An addam verò Cometam tertium fuiſſe ab illo, menſe Maïo ad Septentrionem obſeruatum? Id ſaltem notatu eſt dignum, quòd illius Caudam perinde, ac Cometæ, qui ante quinqueonium effulſerat, dirigi animaduerterit, non io partem Soli ad amuſſim oppoſitam, ſed in oppoſitam Veneri, retrogradæ tum exſiſtenti. Notandum verò etiam eſt, fuiſſe huic Cometæ cum eo, qui ante biennium apparuerat commune, vt contractiorem Caudam habuerit, ſicque acceſſerit ad Barbati formam. Exiſtimauit Tycho, nec iniuriâ, id eam ob cauſam contigiſſe, quòd vterque horum Cometarum ad oppoſitionem cum Sole vergeret, ſicque Caudam habens à Terra, quàm ipſum Caput, diſtantiorem, partem illius in directum reſpectu viſus abſumpſerit, ac Terræ proinde contractiorem exhibuerit, quàm ſi tranſuersùm expanſam habuiſſet.

Reticendum porrò hoc loco non eſt, cùm Tycho hæreret, vera-ne foret Copernici, an Ptolemæi ſententia, decreuiſſe illum hoc anno argumentum conquirere, quo facere poſſet alterutri fidem. Deſumendum autem id putauit ex Marte, qui per hiemem opponeretur Soli in Cancro, ac ob latitudinem Boream euaderet in dies ſublimior. Itaque incredibilem, vt Keplerus habet, teſtatus diligentiam eſt, præpoſito etiam Obſeruationibus titulo, *Pro inquirẽdis Parallaxibus Martis*; & ipſemet Tycho ſcribens poſt-modum ad Peucerum, *Habitis igitur tunc*, inquit, *pluribus accuratis obſeruationibus tã circa Ortum, quàm Occaſũ, eiuſque per Meridianũ tranſitum, deprehendi Martẽ maiorem cauſari Parallaxin, quàm ipſũ Solẽ; ideoque etiã terris propinquiorem, cum Acronychus eſt, fieri, adſtipulante vna motu ipſius diurno, cũ Copernicanis potius numeris cõſentiete,*

eo

eò quòd paulò celeriùs certo dierum internallo in tercedentia repedaret, quàm Alphonſinorum concederet à Ptolemæo deducta ratiocinatio; Idque ob minorem à terris diſtantiam, qua motum paulò intenſiorem apparere efficiebat. Propoſito autem conſimili ex Venere argumento, concludit; *Itaque quòd Ptolemaïcis Hypotheſibus hæc omnia minimè congruerent, impellebar, vt poſt modum magis magiſque Copernicanæ inuentioni fidem attribuerem.* Prætereo verò, quòd Keplerus deprehendit, Miniſtros Tychonis calculum texenteis ſe, & Tychonem deluſiſſe; ſiquidem illi obſeruata ad Copernicanum Schema accommodantes, aliud, quàm quòd Tycho propoſuerat, exſequuti ſunt, *Ille enim volebat*, inquit, *vt ex matutinis, & veſpertinis obſeruationibus inter ſe comparatis, inquirerent Parallaxin Martis: hi verò inquiſiuerunt, quantam Parallaxin faceret ſchema Copernicanū.* Prætereo quoque, licet Keplerus Solem longè ampliùs à Terra, quàm vulgò credatur, conſtituens, deduxerit, ſi interdum Martis Parallaxis aliqua ſit, eam tamen neque ſenſibilem, neque obſeruabilem eſſe; non obeſſe hoc nihilominus, quin Mars Terræ aliquando propior ſit, quàm Sol (cuius ille quoque imminuit Parallaxin tantoperè) vt eſt à Mœſtlino etiam obſeruatum. Quod dixi porrò obſeruationes circa Martem hieme factas; extendi id con-
1583. ſtat ad principium anni M. D. LXXXIII.
quo aliunde definire Apogæum Solis, eiuſque Eccentricitatem cœpit. Ac rem quidem non-nihil ſecus, elapſo deinceps quinquennio, definiit; ſed res interim hoc loco dicenda, propter exſtructas inſequentium aliquot annorum Ephemeridas; quas velut primitias ſuo è Typographeio expreſſit, & cum amicis communicauit. Cùm igitur exiſtimaret ſe Poli altitudinem per ſtellam Polarem exquiſitè adeptum, atque idcircò de Æquatoris altitudine foret certus, obſeruare perrexit temporis momenta, quibus Sol, ſeu vere aſcendens, ſeu Autumno deſcendens, Æquatorem interſecaret, ſiue in ipſo Æquatore, punctiſve Æquinoctialibus foret (attendendo putà Armillis ad Æquatorem compoſitis, & inquirendo etiam aliquot antè, & pòſt diebus altitudinem Meridianam Solis) ac tum, iis obtentis, ſupputauit quot dies, horæ, & minuta à verno Æquinoctio in autumnale intercurriſſent: (cùm ſit manifeſtum ab autumnali in vernum, non intercurrere totidem.) Et quia agnouit veteres lubrica nimis ratione vſos, cùm puncta quoque Solſtitialia pari ratione venati ſunt (ſcilicet ob penè inſenſibilem per dies aliquot circumſtanteis, Meridianæ Solis altitudinis, declinationiſque adeò, variationem) eam ob rem, vt iam cœperat, ita & perrexit potiùs obſeruare Solis tranſitum per medias Tauri, & Leonis parteis; quoniam adnotatis conſimiliter diebus, horis, & minutis inter vernum Æquinoctium, & dimidium Tauri; ac inter dimidium Leonis, & autũnale Æquinoctium intercedentibus; ratiocinatus eſt lõgè tutiùs, vt de Apogeio, ſic de Eccentricitate Solis. Quippe ex Sexqui-Signi alterutrius arcu, & perſpecto tempore, quo Sol ipſum motu inæquali percurrere apparet, intelligere, ac determinare licet angulum, qui reſiduum arcum ad vſque Apogeion ex ipſa Terra dimetitur, ac intercapedinem quoque, quæ eſt inter Terram, illiúſve centrum, & centrum Eccentrici, è quo idem Sol fuerit æquabiliter moueri ſpectandus. Itaque per id quidem tempus Apogeion Solis in gradu 5. min. 45. Cancri eſſe cenſuit, ac habuit Eccentricitatem partium 359. qualium Semidiameter Eccentrici 100000. foret.

Dixi interim illum fuiſſe certum de altitudine Æquatoris, ob præhabitam ex Polari Stella Poli altitudinem (illa ſcilicet exſiſtente huius ad quadrantem complemento) quoniã deprehendit anteceſſores omneis in eo fuiſſe hallucinatos; quòd altitudinem Æquatoris ex vtraque Solſtitiali, ſeu ſumma, ac ima Meridiana Solis altitudine obſeruata, deducerent; differentiam videlicet inter vtramque bipartientes, ac illius dimidium altitudini adiicientes. Siquidem, cùm illi non ſuſpicarentur eam per Brumam fieri radiorum Solis refractionem, vt Sol in ipſo etiam Meridie aliquot minutis elatior appareat ſupra Horizontem, quàm reuerâ ſit: ideò apparentem per Solſtitium hiemale altitudinem pro vera habentes, tum contractiorem æquo fecere altitudinum differentiam, tum Æquatorem habentes intermedium, euexere ipſum æquo altius dimidio illius refractorij additamenti; vnde & fecere tantumdem depreſſiorem altitudinem Poli. Effectum verò quoque eſt ſimul, vt declinationem Solis maximam æquo contractiorem habuerint; ac præſertim Regiomontanus, VVernerus, & Copernicus, qui illam definierãt, gr. 23. min. 28$\frac{1}{2}$. quam ipſe tamen minutorum prætereà trium deprehendit. Et qua quidem ratione deprehenderit, intellectu facile eſt; videlicet nihil morando brumalem altitudinem, ſubduxit ſolùm quam (data Poli eleuatione) habuit altitudinem Æquatoris, ex obſeruata per Solſtitium æſtiuum Solis altitudine; ac reſidua fuit Declinatio maxima, hoc eſt vera Tropici, ab Æquatore diſtantia, grad. 23. min. 31$\frac{1}{2}$. Quò autem magis appareret erroris cauſam in Refractionis neglectum eſſe conferendã; bipartitus eſt ipſe quoque quam obſeruauit inter ſummam, ac imam altitudines differentiam; ac deprehendit ſimiliter, fieri hâc ratione declinationem maximam non maiorem, quàm grad. 23. min. 18. quæ vno etiam adhuc minuto diminuenda ſit, ſi nulla habeatur Parallaxeos ratio, quam illi ne habuerint, ſatis in confeſſo non eſt.

Vt verò adhuc vberiùs rem ſic ſe habere 1584.
conſtaret; cùm ſequente anno M. D. LXXXIV.
Leuinus Bylouius Georgij Friderici Marchionis Anſpachenſis apud Daniæ Regem Legatus, rediret naui Regia in patriam, dedit Tycho illi, vt amico veteri, in comitatum, vnum ex ſtudioſis nomine Eliam Olai Morſianum, iuuenem induſtrium, cum Inſtrumento idoneo, quo Fruemburgi VVarmiæ in Pruſſia, vbi obſeruârat Copernicus, Poli altitudinẽ ſcrutaretur. Is autẽ perhumaniter exceptus à nobilibus eius loci Canonicis (illi

nimirùm Copernici caram habebant memoriam, vt qui ibidem Canonicatum ex conceſſione Lucæ Vatzelrodij VVarmienſis Epiſcopi, auunculique ſui obtinuiſſet) is, inquam, per menſem, & ampliùs illeic commoratus, locúmque nactus opportunum, altitudinem Meridianam tum Solis interdiu, tum Stellarum noctu ſæpe numerò obſeruauit; & Sole quidem tum verſante in Boreo ſemicirculo; vt propterea foret refractione immunis. Cùm rediiſſet, explorans Tycho, quæ ille obſeruârat, agnouit idipſum, quod ſuſpicatus fuerat, eſſe nempe omninò altitudinem Poli Fruemburgi grad.54. min.22$\frac{1}{2}$. quam Copernicus prodiderat ſolùm gr.54.min.19$\frac{1}{2}$. ac mirum idcircò non eſſe, ſi Copernicus lapſus fuerit, vt circa ſummam declinationem, ita circa Æquatoris altitudinem, tribus minutis proxiorè, ex quibus fuerit etiam Solſtitium æquo promotius conſtitutum. Non eſt interim reticendum, Eliam, priuſquàm rediret, fuiſſe à memorato Marchione rogatum, (& miſſo quidem M. Mænio Regiomonti Pruſſiæ Profeſſore Mathematum) vt Polarem Regiomonti altitudinem, pari qua Fruemburgi diligentiâ expenderet, ac re per aliquot hebdomadas præſtita, conſtitiſſe Polum illeic eleuari grad.54. min.43. cùm tamen Eraſmus Reinholdus Prutenicas Tabulas ad illum locum referens, feciſſet ſolùm eleuatum (ſed Appiano nempe confiſus) gr.54. min.17. dimidij penè gradus errore.

Sed neque reticendum eſt, Nobilem Virum Ioannem Hannouium VVarmienſem Canonicum dono per Eliam miſiſſe ad Tychonem Ptolemaïcas Regulas, ſeu Parallacticum Inſtrumentum, quod Copernicus ſua manu feciſſe, vſurpaſſéque perhibebatur. Id prorſus ligneum, abiegnúmque; æquales binæ Regulæ quatuor longæ cubitis; diuiſio in particulas 1414. facta. Tycho autem ipſum, non ſanè vſus gratiâ, ſed in memoriam Copernici, quem vix vnquam ſine elogio Eximij, Ingentis, aut Incomparabilis nominauit, cariſſimum habuit, & ſartum tectum, quaſi rem pretioſiſſimam aſſeruauit. Iuuat autem hoc loco adſcribere verſus, quos enthuſiaſmo veluti quodam, eo ipſo die (Iulij ſcilicet xxiij.) quo Inſtrumentum accepit, tum extulit, tum in Tabella Inſtrumento appenſa exarari voluit. Ij fuere huiuſcemodi

Is, qualem nec Terra virum per ſæcula multa
Procreat, inuidiâ tardans quæque optima, qualem
Ipſa ſibi vix Aſtra ferunt per mille recurſus,
Tot centriſque, poliſque licet, tótque orbibus orbem
Tam rapido inuoluant curſu, nec laſſa fatiſcãt.
Ille is, qui Cælo genitus, cæleſtia terris
Progenuit, ſed partu alio, quàm priſca Parentum
Fert veterum ſoboles, Cælo nec forſitan ipſi
Degeneri patriæ proprios ſub imagine vultus,
Sed magis atque magis referente, quod omnis Olympi
Teſtatur facies, vulgi licet inſcia turba
Non videat, quidnã reuolutis cõgruat Aſtris.
Ille &, qui Cælo poterat deducere Solem,
Ac prohibere loco, Terráſque inuoluere Olympo
Et Lunam Terris, Mundique inuertere formam,
Ne qua parte tamen, quamuis conuerſa, dehiſcat,
Sed concinna magis, longéque minoribus vſa
Subſidijs, moti referat ſpectacula Cæli.
Ille, inquam, tantos olim Copernicus auſus,
His leuibus Baculis, facili licet arte paratis,
Aggreſſus toti leges præſcribere Olympo,
Aſtráque celſa adeo vili ſubducere ligno
Suſtinuit, ſuperûm ingreſſus penetralia, nulli
Quàm prope Mortali conceſſam ab origine Mundi eſt.
Quid non ingenium ſuperat? ſunt montibus olim
Incaſſum montes congeſti, Pelion, Oſſa,
Ætnáque teſtantur, ſimul his glomeratus Olympus,
Innumerique alij, necdum potuiſſe Gigantes
Corpore prævalidos, ſed mentis acumine inerteis,
In Superas penetrare domos. Ille inclytus, illa
Viribus ingenij confiſus, robore nullo,
Fuſtibus his paruis celſum ſuperauit Olympũ.
O tanti monumenta Viri! Sint lignea quamuis:
His tamen inuideat fuluum (ſi noſceret) aurum.

Prætereo autem, cùm initio Octobris Elegiacum carmen condidiſſet in Ptolemæi effigiem, quam in Muſæo, cum aliis pleriſque conſtituerat; condidiſſe quoque ſubinde in effigiem Copernici, allatam fortaſſis ab eodem Olao; ſiquidem ea ipſa fuiſſe dicitur, quam Copernicus ſua manu pinxiſſe è ſpeculo perhibetur. Prætereo etiam, cùm Stellæburgum hocce anno, vti iã antè deduximus, constructum fuerit, ac in medio illo hypocauſto fuerint octo Aſtronomorum collocatæ effigies, & in iis etiam Copernici, fuiſſe ſingulis diſticha ſingularia ſubſcripta. Ne ea verò heic memorem (vti neque ea, quæ per hocce tempus, cùm ad Nobileis quoſque alios, tum potiſſimùm ad Falconem Goyom, affinem, amicúmque ſuum, Virum & Nobilem, & Græcè, Latinéque eruditum miſit) neque etiam aliquot alia circa ſuperiorum, inferiorúmque rerum connexionem repræſentatam figuris Hieroglyphicis Philoſophorum duorum, quorum alteri Cæleſtia ſcrutanti adſcriptum foret: SVSPICIENDO DESPICIO: alteri Terreſtria, DESPICIENDO SVSPICIO (hiſce nimirum tam Cæleſtem, quàm Terreſtrem, ſeu Metallicam ſignificauit Aſtronomiam) Ne hoc, inquam, loco iſta memorem, ac multò minùs Inſcriptiones varias eidẽ Stellæ-burgo inſculptas, ac illam ſpeciatim QVID SI SIC? appoſitam depictæ propriæ (in hypocauſto videlicet cæleſtium Orbium Hypotheſi: attexere heic ſolùm iuuat inſculptam quadrato lapidi Porphyrio ad faciem portæ interiorem (ſeu auſtrum verſus) Inſcriptionem, quæ hiſce verbis, charactéreque maiuſculo expreſſa fuit.

D.O.

D. O. M. Poſteritatique Sacrum.

Aſtronomiam Scientiarum omnium antiquiſſimam & praſtantiſſimam, diu quidem, multùmque cultam, nondum tamen ſatis ſolidè conſtitutam, aut à mendis vindicatam animaduertens, & inſtauranda, perficiendaque, varia, eadémque exacta adinuenit, conſtruxitque Organa, ad omnimodas caleſtium corporum obſeruationes ſufficientia, labore, diligentia, impendióque incredibili, qua partim proxima eandem ob cauſam exadificata arce Vraniburgo, partim hiſce cryptis, ad conſtantiorem, & opportuniorem vſum diſpoſuit, tibique, ô inclyta omni auo ſucceſſura Poſteritas hunc theſaurum rariſſimum, & pretioſiſſimum commendans, dicans, conſecrans, vt in aterni Dei admiranda caleſtis machina Opificis gloriam, artiſque diuina propagationem, ac patria honorem perpetuò conſerues, nec vetuſtate, alióve incommodo collabaſcere, aut alior ſum transferri vel quocumque modo violari ſinas ſi nihil aliud, Authoris ſaltem Vniuerſi vindicem reuerens oculum, Qui ea cuncta in hac Inſula & inchoauit, & abſoluit: hoc monumento poſito te rogat, & obteſtatur TYCHO BRAHE.

Haec, qui hac legis, faciſque, & Vale.

Videretur poſſe quoque ad hunc annum referri abſoluta magni illius Globi confectio, qui inchoatus primùm Auguſtæ Vindelicorum fuerat, & exinde in Inſulam poſt ſedem in ea fixam tranſvectus; verùm quia tametſi Inſcriptio ipſum hunc annum præferat, id fuit tamen certo conſilio, de quo poſteà dicetur, factum; ideò res videtur non incommodè reiici in locum vlteriorem poſſe. Videretur quoque referenda hûc eſſe (niſi etiam ad ſuperiorem annum) excogitatio Hypotheſeos, Mundanive Syſtematis ipſi Tychoni peculiaris; quatenùs cùm menſe Septembri verſaretur apud ipſum Nobilis Vir Ericus Langius, quidam illius famulus nomine Nicolaus Raymarus, Dithmarſus delineatam Hypotheſin quapiam in charta obiter vidit, ac ſibi quaſi à ſe in angulo Poloniæ quodam excogitatam arrogans, illam vt ſuam biennio poſt apud Land-grauium venditauit; vbi & impudenter in Tychonem deblaterans repreſſus à Rothmanno fuit: Attamen hac quoque de re commodiùs deinceps dicetur. Quare ſupereſt heic adiiciam, cùm duas hoc anno Eclipſeis obſeruauerit, vnam putà Solis digitorum trium, die Aprilis xx. hora 5. minut. 39. alteram Lunæ, eámque totalem, die Nouembris vij. ab hor. 11. minut. 12. in hor. 15. minut. 0. adnotaſſe illum circa poſteriorem, contigiſſe eius Medium, non hora 13. minut. 6. vti oportuiſſet, bipertito tempore; ſed horâ 13. minut. 12. vt habetur quidem in Elencho Eclipſeon: aut hor. 13. minut. 8. vt in Epiſtolis ad Rothmannum: ad quem ſcripſit ſe ratione infallibili inquiſiſſe ex æquatoria certarum Stellarum remotione à Meridiano: ac præmiſit hæc tempora non eſſe ſemper æqualia, vt eatenus creditum fuerat. Taceo verò quòd cohærenter ſubnotauit Medium Caſſellis obſeruatum, debuiſſe referri ad hor. 12. min. 56. non ad hor. 13. min. 3. quódque Rothmannus ad eum reſcribens, confirmauit fuiſſe errorem obſeruatoris VVitichij, qui affirmârit temerè ſe ex Obſeruationibus aſſumpſiſſe, & locum Solis, & Aſcenſionem rectam, Declinationémque dextri Orionis Humeri, vt tempora deduceret; quippe cùm nihil tale obſeruatum fuiſſet. Taceo quoque quod ſubdidit Henricum Brucæum apud Roſtochienſeis Mathematicum Quadrante non magno orichalcico (quem illi, vt amico pridem dederat) vſum, retuliſſe Medium Eclipſeos ad hor. 13. minut. 4. cùm eſſe idem Roſtochij tempus, quod Vraniburgi deberet, ob nullam, inſenſibilémve differentiam Meridianorum.

Iam, cùm annus M. D. LXXXV. medius fuerit ſeptem annorum, quibus præſertim in eo incubuit, vt ex Venere tam matutina, quàm veſpertina, interdiu cum Sole, noctu cum Affixis Stellis comparata, ipſarum Affixarum loca, tam ſecundum Æquatorem, quàm ſecundum Eclipticam debitè conſtitueret; idcircò hunc annum delegit, ad quem exeuntem definiret, quibus locis eſſent Stellæ quædam præcipuæ, ſecundum totum Zodiacum; vt cæterarum deinceps toto Cælo reſperſarum, vel ex ſolis earum diſtantiis cùm ab iſtis, tum inter ſe, loca definiri ſimiliter poſſent. Itaque multus primùm fuit, vt memoratæ Lucidæ Stellæ ſupra Caput Arietis Aſcenſionem Rectam exquiſitiſſimè obtineret, quòd eâ ſubſtratâ, quaſi fundamento, facilè, foret, veluti ſuperexſtruere reliquam molem. Nimirùm ad quindecim vſque Conſiderationes inſtituit Obſeruationum toto ſeptennio habitarum, & partim ſpectatarum ſeorſim, partim inter ſe inuicem per binos annos comparatarum, ex quarum ſingulis deducta eiuſce Stellæ Aſcenſio; ac ne vllo quidem diſcrimine, quod vnius minuti exceſſerit beſſem. Conſtituit proinde Aſcenſionem rectam Lucidæ Stellæ Arietis grad. 26. min. 0. ſec. 30. 1585.

Deinde verò ex habita, tum per Armillas Æquatorias, tum per Meridianas altitudines, Declinatione tam huius Stellæ, quàm aliarum aliquot ſecundum Zodiacum fuſarum; ac obſeruatâ aliunde binarum ſingularum mutuâ diſtantiâ, rem aggreſſus eſt longè admirabiliſſimam, texturam nimirùm Æquatoris integram ex ſingularibus arcubus, quos deſignarent anguli creati ad Polum ex declinationum arcubus, interceptáque diſtantia inter Stellas geminas ſecundum ſeriem Zodiaci ſumptas, & vt incipienteis à Lucida Arietis, ita in eandem deſinenteis. Nempe acceptis primùm quatuor, Lucida putà Arietis, Capite Geminorum inferiore, Spica Virginis, & Lucida Vulturis; arcus Æquatoris ipſis intercepti, ac inuicem iuncti exhibuere grad. 359. min. 59. ſec. 58. hoc eſt integrum circulum duobus tantum ſecundis minùs. Sic acceptis ſex, vt putà Lucida Arietis, Calce Borei Geminorum pedis, Corde Leonis, Spica Virginis, Lucida Vulturis, & Prima alæ Pegaſi; arcus intercepti, iunctique

exhibuere grad. 360. min. 0. ſec. 9. hoc eſt integrum circulum, cum ſecundis nouem ſolummodò ampliùs. Sic acceptis octo, nimirùm Lucida Arietis, Oculo Tauri, Capite Geminorum inferiore, Corde Leonis, Spica Virginis, Borea ſiniſtræ manus Ophiuchi, Lucida Vultutis, Prima alæ Pegaſi, arcus intercepti, junctique exhibuere gradus 359. min. 59. ſec. 56. hoc eſt integrum circulum, deficientibus non ampliùs, quàm quatuor ſecundis. Quod profectò, niſi miraculi loco, hac in pragmateia habeatur, nihil eſt, quod habeodum miraculo ſit.

Denique, cùm ex habitis Aſcenſionalibus differentiis, nihil facilius fuerit, quàm ex ſuppoſita Aſcenſione Lucidæ Stellæ Arietis, Aſcenſionem rectam cuiuſque harum Stellarum deducere; facile quoque deinceps fuit, ex habita cuiuſque Stellæ Aſcenſione, & Declinatione, ac ſuppoſita maxima, quæ eſt antè dicta, Declinatione Eclipticæ, cuiuſque Longitudinem, Latitudinémque obtinere. Vt verò aliquantò ampliorem, quàm Stellarum nouem mox nominatarum exhiberet Catalogum, duodecim quoque alias adhibuit, ſecundùm ductum Zodiaci, neque ab Æquatore procul diſſitas, quarum loca ſimiliter, tam ſecundùm Eclipticam, quàm ſecundùm Æquatorem definiit. Cùm prætereundum porrò ſit quod comprobare etiam voluit, eſſe Stellarum limites reſpectu Æquinoctialium punctorum rectè præfinitos, idque iuſtar Copernici, ex Virginis Spica (cuius non aliunde ſuppoſuit, ſed ipſe ſpeciali ratione præbuit latitudinem) tum non erit fortè incongruum eiuſmodi Catalogum, hunc in locum inſerere, quòd habere hoc quaſi fundamentum totius Aſtronomiæ ab ipſo reſtitutæ poſſit. Ille igitur cum præmiſſo hocce titulo ſic ſe habet,

TABELLA

EXHIBENS XXI. PECVLIARIVM Stellarum per ſingulos Zodiaci Aſteriſmos hinc inde collocatarum vera reſpectu Æquatoris, atque Ecliptica loca, ad annum M. D. LXXXV. *completum calitùs deducta; vt ex his reliquarum Fixarum, tum etiam Planetarum quovis in ſitu obſeruentur Apparentia.*

NOMINA	Ad Æquatorem.				Ad Eclipticam.					
STELLARVM.	Aſc.	Recta.	Declinatio.			Longitudo.			Latitudo.		
	gr.	min.	gr.	min.		gr.	min.		gr.	min.	
Prima ♈	22.	44	17.	14.	B.	27.	24.	♈	7.	8½	B.
Lucida ♈	26.	0⅓	21.	28⅓	B.	1.	53.	♉	9.	57.	B.
Boreus oculus ♉	61.	8	18.	12.	B.	2.	40.	♊	2	36⅓	A.
Oc. ♉, Aldebora	63.	3¼	15.	36¼	B.	4.	0.	♊	5.	31.	A.
Calx Pedis ♊	89.	29⅚	22.	38½	B.	29.	31⅓	♊	0.	53.	A.
Lucidus Pes ♊	93.	24⅓	16.	40⅓	B.	3.	18.	♋	6.	48⅓	A.
Inf. Cap ♊, Pollux	109.	58	28.	57¼	B.	17.	30½	♋	6.	38.	B.
Aſellus Boreus	114.	44⅔	22.	52⅔	B.	1.	44.	♌	3.	7.	B.
Lucida Colli ♌	149.	13⅓	21.	54⅓	B.	23.	46.	♌	8.	47.	B.
Cor ♌, Regulus	146.	32¼	13.	57⅓	B.	24.	4⅓	♌	0.	26½	B.
Tertia Auſtr. alæ ♍	185.	8⅓	0.	51⅓	B.	4.	22½	♎	5.	50.	B.
Spica ♍, Ariſta	195.	52⅚	8.	56⅓	A.	18.	3	♎	1.	59.	A.
Lanx Borealis ♎	213.	43	7.	45¼	A.	13.	35¼	♏	8.	35.	B.
Bor. man. Ophiuchi	238.	11⅔	2.	33¼	A.	26.	31.	♏	17.	20.	B.
Cor Scorpij	241	4⅓	25.	23.	A.	4.	0.	♐	4.	27.	A.
Media Capitis ♐	280.	0	22.	13.	A.	9.	25.	♑	0.	49.	B.
Luc. Vult. Aquila	292.	37⅔	7.	51¼	B.	25.	56.	♑	29.	21⅓	B.
Præced. Caudæ ♑	319	15⅓	18.	24⅓	A.	16.	1.	♒	2.	26.	A.
Sin. Humerus ♒	317.	24⅓	7.	18⅔	A.	17.	38.	♒	8.	42.	B.
Prima Alæ Pegaſi	341.	2⅓	13.	0⅓	B.	17.	44.	♓	19.	26.	B.
Luc. in connexu ♓	25.	9⅚	0.	44½	B.	23.	44⅓	♈	9.	4½	M.

Heic, cùm nihil neceſſe ſit cætera adſcribere obſeruata, vt diſtantiam Stellæ Polaris à Polo grad. 2. minut. 56. ſec. 10. ac eiuſmodi alia: At præterire tamen non decet obſeruata circa Cometam, qui hoc anno, ac menſibus Octobri, Nouembríque apparuit. Is certè tantò magis dicendus, quantò non Caudatus, Barbatúſve apparuit; neque enim vllam appendicem, qualem alij ferè, exporrectam exhibuit

exhibuit (niſi quòd ſemel, ac iterùm viſus eſt radiolum ſpithamalem emittere) verùm rotunda ſpecie Crinitus circum, Comatúſve, hoc eſt, verè κομήτης. Circæúſve fuit. Tycho igitur, qui illum vidit primùm die Octobris xviij. fuiſſe eum dicit obſcuro, raro, & nebuloſo lumine; ac fuiſſe illi nebululæ, quæ Præſepe Cancri vocatur, totâ ſuâ formâ quam ſimillimum; niſi quòd aliquantò major per dies primos videbatur. Stellam quidem Ioui, quam proximè parem, ſed præ obtuſa tamen luce, fuiſſe ægre conſpicuam, niſi quòd fuit ſub medium, luminis paullò compactioris. Rothmannus, qui ipſum Caſſellis à die vſquè octaua vidit (ſed nimirùm nubes, ac pluuiæ Cœli conſpectum Vraniburgi ab initio penè Octobris eripuerant) apparuiſſe dicit in modum Halonis circa Stellam aliquam; fuiſſe aut parem, aut etiam majorem Venere, cùm maxima apparet: deprehenſu non facilem, niſi à ſciente præmonſtraretur; compactiùs meditullium, quaſi Stellam quartæ magnitudinis exſtitiſſe. Addit circa VIII. Nouembris, cùm jam paullatim euaneſceret, perſimilem fuiſſe illi in Cancro Nebulæ; idque de forma, & colore confirmat Tycho circa diem IV. tametſi jam foret aliquantò minor; cùm & deinceps decreſcere pergens, circa Nouembris medium penitùs euanuerit.

Quo die Rothmannus primùm vidit, in Cauda Ceti exſtitit; quo primùm Tycho, prope linum Auſtralioris Piſcis jam fuit. Prætergreſſum deinde ait totam Arietis Conſtellationem, ac Tauri dorſo ſuperato, deſiiſſe non longè à Pleiadibus; vt quas latitudine quidem exceſſerit, at longitudine tamen non fuerit aſſequutus. Vt ſpecialiùs autem curſum definiamus: Rothmannus die octaua Octobris, ac hora xj. cum minutis quinque, Cometam ex obſeruatione repoſuit in grad. 23. min. 9. Piſciũ, cum latitudine Auſtrina grad. 13. min. 52. (Literæ Land-grauij habent ſex, & octo minuta ampliùs.) Die autem VIII. Nouembris, hora x. cum ſemiſſe, in quam obſeruatio eius deſinit, in gr. 16. min. 17. ♉ cum Borea latitudine grad. 7. min. 16. Tycho autem ad diem Octobris xviij. ac horam x. cum quadrante, tribuit illi locum in gr. 19. min. 29. Arietis, cum latitudine Auſtrina gr. 3. min. 30. Ad diem verò Nouembris xij. ac horam ix. cum triente, tribuit in gr. 18. minut. 46. ♉ cum Borea latit. gr. 8. min. 6. Ex quibus licet intelligi ecquis præter-propter Cometæ ductus fuerit, ecquave magni Circuli portio, quam ille motu ſuo deſcripſit. Is quippe fuit graduum proximè 60. & eo quidem motus decremento, vt cùm initio vltra duos gradus, ac beſſem dietim perageret; ſub finem non confecerit, niſi gradus circiter dimidium. Præter-propter interim dico; quoniam adnotatum à Tychone fuit, illum circulum, qui Æquatorem interſecuit in gr. 14. min. 55. à verno Æquinoctio, & Eclipticam in grad. 27. minut. 38. Arietis, variabilem habuiſſe ad vtrumque horum circulorum inclinationem. Quippe cùm ea initio foret reſpectu Æquatoris graduum 45. min. 28. & reſpectu Eclipticæ grad. 23. min. 17. ita tamen ſenſim decreuit, vt ſub finem fuerit reſpectu illius, gr. 44. min. 19 reſpectu iſtius gr. 21. min. 34.

Quod ſupereſt, nullam Cometæ Parallaxin Rothmannus tribuit; ac id ex aliquot diorum obſeruationibus comprobat: vnde & illum euehit ad vſque Sphæram, regionémve Saturni. Tycho autem non omnem quidem Parallaxin denegat, ſed penè tamen inſenſibilem tribuit; quando, vt ea interdum minuti vnius viſa eſt, ita & aliquoties comprobata eſt dimidij duntaxat minuti; idque tum cùm eſſe debuiſſet minutorum 48. ſi vel tantum propè, quantum ipſa Luna exſtitiſſet; quo factum eſt, vt niſi ſupra Solem, ſaltem non longè infra reponendum cenſuerit. Notatu dignum interim eſt, quod inſinuat alicubi, eſſe potuiſſe iſtum Cometam, reuerâ, ac in ſe caudatum, quemadmodum cæteros; verùm, quia in ipſo prope Solis oppoſitu verſabatur, Terrâque intercepta exſiſtente, fuſa in partem à Sole auerſam cauda, vltra ipſum Cometæ caput in directum protendebatur, capútque eius axem regebat; ideò eueniſſe, vt tota, extremo non-nihil latiore, apparuerit quaſi circumpoſita capiti; ſicque diuerſam à cæteris Cometæ ſpeciem fecerit, non re, ſed ad ſenſum dumtaxat.

DE

TYCHONIS BRAHEI VITA,

LIBER TERTIVS.

1585. IIs, quæ aliunde, præter Tychonis obſeruationes, heic aſſumo, occaſionem facit commercium, quod per literas inſtitutum ex nato, hoc Cometa fuit Tychonem inter, & Land-grauium, ac ſimul eruditum, cordatúmque virum Chriſtophorum Rothmannum Bernburgenſem, quem Land-grauius aſſumpſerat in Mathematicum aulicum, ac vt præeſſet tribus Studioſis, quos alebat Cæleſtibus obſeruationibus peragendis. Scilicet, cùm primùm Cometa apparuit, verſabatur Land-grauius Rotemburgi, ibique à Rothmanno Caſſellis relicto literas accepit, quibus apparere Cometam admonitus fuit. Dies erat menſis XIX. cùm ipſe Land-grauius Cometam ſpectauit, & ductis per ipſum, pérque Affixas quaſdam lineis, iiſque in Globum proprium tranſlatis (neque enim alia Inſtrumenta ad manum erant) cenſuit illum eſſe in gradu 21. Arietis cum gradibus quatuor latitudinis Auſtrinæ. Poſtridie ergo literas dedit ad Henricum Rãzonium, Regium in Holſatia, & adiunctis Prouinciis Vicarium, ipſiúſque Tychonis affinem, quibus illi, cætera inter, iſtã Cometæ apparitionem ſignificauit, ac petiit, vt à Tychone, ſuo nomine ſalutato, obtineret, indicarétque ecquid ab eo de Cometa obſeruatum fuiſſet. Scripſit ſubinde ad Tychonem Ranzonius, miſſo literarum Land-grauij exemplo; quod cum datis à Patente, Gerardus Ranzouius eius filius, & magnificæ Croneburgicæ arcis recèns à Rege in vicino Selandiæ littore præfectus, ipſi reddidit, cùm Tycho in Aula apud Regem foret. Delectauit mirè Tychonem opportunam adeò occaſionem natam communicandi cum Principe tanto, ac tam benemerente de rebus Aſtronomicis: Quo factum eſt, vt ipſemet, deſtinato vno ex ſuis Studioſis, ſcripſerit ad Land-grauium; ſed Kalendis iam Martiis
1586. anni M D. LXXXVI.

Adiunxit portò literis Cometæ hiſtoriolam, vnà cum locis ad dies varios quà obſeruatis, quà deductis, cúmque ratiocinio de inſenſibili, aut perexigua Parallaxi; ac ſimul petiit; quas Land-grauius tum de hoc, tum de aliis antecedentibus Cometis, atque etiam de Noua Stella obſeruationes peregiſſet. Neque hoc ſolum, verum etiam quas haberet obſeruatas perpetuorum Siderum inter ſe diſtantias, Meridianáſque altitudines; paria pollicitus viciſſim. Et quia Land-grauius in ſuis ad Ranzouium literis ſignificarat ſe inſtructione Pauli VVitichij confici curaſſe ex puro orichalcho tum horizontalem Quadrantem, tum Sextantem bicubitalem ea ratione diuiſum, vt ad quadrantem vſque vnius minuti partem exhiberet: ideò adiecit Tycho, VVittichium illum ante quinquennium penes ſe fuiſſe, addidiciſſéque Organorum ſuorum diuiſionem, & fabricam; ac ſe vereri nihilominùs, ne ille ſuggeſſerit potiùs formam ſextantis, quem tum habebat, cuíque penitus fidendum non foret, quàm alium animo conceptum, ac deinceps elaboratum, quem illi quoque indicârat. Quare, vt Land-grauius rem perciperet, Iconem ad eum huiuſce noui Sextantis miſit, ac ſimul etiam Vraniburgi, Armillarúmque Æquatoriarum; quippe ſcribere de Mechanica Aſtronomiæ, parte Librum cogitans, cælari iam curauerat Inſtrumentorum aliquot figuras. Miſit quinetiam ad faciendum ſuorum Inſtrumentorum fidem, Solarem Ephemeridem, quam explorare Land-grauius poſſet; admonuit eum modò, vt Refractiones caueret, rationem haberet Parallaxeos, Declinationem maximam 23. graduum, & $31\frac{1}{2}$ minutorum ſupponeret, ac altitudinem Æquatoris non ex Solſtitiali vtraque altitudine, ſed ex ſumpta per Polarem Stellam Poli altitudine venaretur. Subiecit poſtremò mittere ſe omnia per charum, fidúmque domeſticum Petrum Iacobi, Studioſorum vnum, ex quo, vt ſuarum rerum omnium tam Aſtronomicarum, quàm Pyronomicarum participe, plura longè addiſcere, quàm ex datis literis poſſet, cùm & eidem ad ſe redeunti concredere poſſet, ſi quid attineret.

Literis Tychonis acceptis, dici non poteſt quanto gaudio perfuſus Princeps fuerit. Rothmannum illicò accerſiit; at oſtendere illi noluit acceptum de Cometa ſcriptum, quin ille ſuum attuliſſet, vt vtriuſque obſeruationes ſimul inſpici, conferríque inuicem poſſent. Vbi autem illæ expenſæ; ita conſentire deprehenſæ ſunt, vt minuto vix diſſiderent; mira fuit tam Principis, quàm Mathematici exſultatio; cœpitque Princeps, vt Tychoni exoptare Cælum Auſtralius, ac purius;

ſic

ſic Organa ſua eo ipſo cariora habere, & cómendare induſtriam ſui Automatarij Iuſti Byrgij, quem indagine, quaſi alterum Archimedem dixit. Iuſſit Petrum illa explorare, vt de ipſis referre ad Tychonem poſſet; ac mandauit ſimul exſcribi, quæ de Noua Stella obſeruârat, quæque obſeruata circa Fixas habebat, & tam quidẽ prioribus, quàm poſterioribus Inſtrumentis. Reſcribens autem profeſſus eſt nihil poſſe exquiſiti de Cometa Anni M. D. LXXVII. mittere; quòd tum destitutus Mathematico, nihil exactè obſeruare de eius Parallaxi potuiſſet (& Rothmannum certè penes ſe ab vno, alteróve anno dumtaxat, habebat) quod ſpectaret ad nuperũ, mittendi curam Rothmanno commiſit. Commiſit verò etiam curam præſcribendi vberiùs, quæ præcipua quædam ſuis literis attigit, vt de variata Affixarum Latitudine, etiam in aliquibus ad dimidium gradus; de comprobata methodo inquirendæ Poli altitudinis per circumpolareis Stellas; & de obſeruatis Refractionibus, ac ſpeciatim in Venere, quæ aliquando occidua, & duobus gradibus viſa alta, penè horæ quadrante, quaſi Stationaria apparuerit, ac penè momento deinceps euanuerit. Denique autem rogauit Tychonem, vt vellet ipſe quoque ſuas obſeruationes impertiri.

Prætereo autem ſatisfeciſſe Rothmannum Land-grauij votis, ac miſiſſe Tractatus ſui, quem de Cometa inſtituerat, priora quinque Capita, tribus reliquis nondum abſolutis (is eſt, quem Snellius poſt-modùm cum ſua Cometæ Anni M. DC. XVIII. deſcriptione in lucem miſit.) Scripſiſſe, ſuppoſitam fuiſſe Obliquitatem maximam graduũ 23. min. 30. ac Poli altitudinẽ ex circum-polaribus Stellis deprehenſam grad. 51. min. 20. Refractionem Solis ſpeciatim non obſeruatam aſcendere ad vſque 30. grad. altitudinem; neque fieri ad Horizontem vltra quadrantem, aut trientem gradus. Non videri, excepta vaporum regione, diuerſitatem Diaphani inter aërem, æthereúmque, aliquam eſſe. Deprehenſum fuiſſe à ſe contra aliorum traditionem, Stellarum latitudines pro mutatione Eclipticæ variari. Expetere ſe Obſeruationem Eclipſeos Lunaris, quæ contigerat ante duos annos, ſi peracta quidem à Tychone foret, ad internoſcendum differẽtiam Meridianorum: ſin minùs, id venandũ eſſe ex obſeruata vtrobique Lunæ altitudine, vno, ac eodem die, aut diebus non multum diſtantibus, ac vnà, habita Parallaxeos ratione. Non parum ſibi laboris fuiſſe in corrigendis Inſtrumentorum defectibus, quos Vittichius ſatis non præcauerat, & pleraque alia. Hæc, inquam, prætereo, ac adnoto potiùs, cùm Land-grauius reſcripſiſſet, remiſiſſétque Petrum ad Tychonem, à die Aprilis XIV. fuiſſe illi deinceps miram reſponſi accipiendi impatientiam; adeò vt literas non modò iteratò die Auguſti XVj. ſed tertiùm quoque die Octobris XIV. dederit; & Rothmannus quoque ſuas interpoſuerit, quibus eſt teſtatus nullum eſſe diem; quo non à ſuo Principe de reſponſione rogaretur, cogeretúrque excuſationem ex ipſa locorum intercapedine texere. Adiecit autem ſe deprehendiſſe altitudines Meridianas eatenus acceptas vno minuto abundare, ob perpendiculum non exquiſitè collocatum.

At verò ipſe Tycho, cùm poſteriùs ſcripſit, remorãm non modò in intercapedinem contulit, ob quam non alia exhiberetur literas mittendi occaſio, quàm per Mercatores Vere, & Autumno ad Francofurtenſeis Nundinas pergenteis; ſed etiam in factum caſu quodam obſtaculum, quo Mercatori ad Nundinas autumnaleis diſcedenti, dare literas, vt ſtatuerat, non potuiſſet. Id autem ex eo contigit, quòd cùm per id tempus ipſe Regis Socer Vdalricus Megapolenſis Dux, vnà cum Eliſabetha coniuge, & fratris filio Duce Sigiſmũdo, verſarentur in Dania, voluerint illis ipſis diebus, quibus tradendæ literæ erant, Vraniburgum inuiſere, ac ſpectare coram tũ Aſtronomica Inſtrumenta, tum apparatum Pyronomicum, (quippe ipſe quoque Vdalricus à multis annis deditus Chymicis ſtudiis fuerat) & deducente quidem ipſa Daniæ Regina Sophia, quæ parentis imitatione iiſdem ſtudiis delectata, bis hoc anno mare traiecit, vt Tychonis Laboratorium, operáſque contemplaretur; ipſi aliunde quibuſcumque in Aula potuit officiis fauens. Et conſcriptæ quidem fuere literæ Tychonis ante anni finem (ſiquidem Ranzouius ſcribens ad Tychonem ſequentis initio, teſtatus eſt ſe accepiſſe illarum ſimul, ac ſuperiorum, & ſcriptarum quoque à Land-grauio exemplum) verùm illas, niſi occaſione vernalium Nundinarum inſequentium (quibuſdam interim interiectis, adiectíſque) non miſit.

Inter cætera verò inſinuauit eſſe ſe in ea opinione, vt omnes Cometæ ſupra Lunam ſint, prout quatuor eatenus viſos, obſeruatóſque deprehendit: ſpem autem fecit tranſmittendi exemplum Operis Cometici, quod tum adornabat ad prælum. Significauit inter diſtantias Stellarum ad ſe miſſas, ac ſuas, nihil intereſſe ſenſibilis diſcriminis, quòd altitudines verò Meridianæ duobus minutis abundarent, cauſam coniecit, quòd aut pinnacidia, aut perpendicula non forent rectè conſtituta. Quòd longitudines, latitudinéſque ex globo deſumptæ non ſatis exactè quadrarent, Mechanicæ praxeos imperfectionem cauſatus eſt; quòd autem calculo deductæ, quinque, aut ſex minutis antecederent, cauſatus eſt imparem huic tanto negotio Horologiorum fidem. Deduxit vt ipſe proinde, non per Horologia, aut Lunam, ſed per Venerem interdiu, noctúque conſpicuam aggreſſus Stellarum reſtitutionem foret, meminítque obiter Martis Acronychi, quem Terræ propiorem tertia ferè parte obſeruaſſet, quàm Solem, neque prætetiit variationem latitudinis Stellarum à ſe animaduerſam. Cùm varia autem mitteret: *Peto*, inquit, *à tua Celſitudine, quibus poſſum precibus, vt obſeruationes has noſtras nemini communicare velis, cauereque, ne publicæ fiant, præſertim quantum ad Fixarum Longitudines, Latitudinéſque attinet, quas ob id etiam peculiari charta ſeorſum notari curaui. Nouit enim tua Celſitudo quam optimè quan-*

tum

tum temporis, laboris, diligentia, & ſumptuum requiratur, antequam ad huius rei exactam cognitionem peruenire liceat. Et ſanè nulli alteri in tota Germania, vel alibi, cuiuſcumque eſſet conditionis, hac mea inuenta communicarem; ſuppreſsique ea hactenus, quamuis à multis hoc nomine ſollicitatus. Plerique enim, cùm nihil per ſe egregij in his praſtare velint; aliorum inuentis, & laboribus, ſeſe ornare, eáque pro ſuis venditare, non ſine graui authoris iniuria non erubeſcunt. Quæ verò miſit, ea fuere I. Collatio locorum Stellarom xxiv. ex globo Principis deſumptorum, cum deductis per calculum, ex aſſumptis datis. II. Diſtantiæ xlviij. inter vxrias Stellas Sextanribus ipſius Tychonis Aſtronomicis explorxtæ. III. Altitudines Meridixnæ Fixarum xcvj. eiuſdem Quadrantibus proximè elapſis annis obſeruxtæ. IV. Longitudines, Lxtitudinéſque Fixarum lij. ex Obſeruationibus accuratis ad initium anni M.D.LXXXVII. deductæ eum exlculis tam Alphonſinu, quàm Copernicano, vt diſcrimen pxteret, adiunctis. V. Loca ſingulorum ſeptem Planetxrum ternis diebus Ixnuarij eiuſdem anni obſeruxta, vnà cum iiſdem calculis adiunctis.

Ad Rothmannũ autem reſcribẽs, tum xlia attigit, rum ſupplementum de Cometis, ac obſeruatam denuò Poli altitudinem petiit. Miratus eſt declinationem Eclipticæ maximam habitam ab ipſo dumraxat minutorum 30. ſuprà grxdus 23. quod ex Land-grauianis obſeruxtionibus habita rxtione Parallxxeos, maior proximè ſeſqui-minnto erueretur. Ediſſeruit Cæleſtix ſpatix fluida eſſe, non ſolida; ac eſſe aërem, æthcrémque Diaphana diuerſa. Refractionem in Sole 30. gradus xlto, dimidij xdhuc minuti ſentiri; in Horizonte verò (non habita etixm ratione Parallaxeos, quæ ipſi quidpiam detrxhat) minutorum 28. Multus fuit circa variatxm Fixarum latitudinem; rxtiocinxndo ſcilicet, cùm Eclipticæ obliquitas ab vſque Timocharidis, Hipparchi, & Ptolemæi temporibus, viginti plus minùs minutis decreuerit, & Ecliptica ad Æquatorem admotâ, Stellæ v.g. ad Tropicum Cancri, æſtiuúmque Solſtitium Bureales, xugeri latitudine toridem minutis debuerint, Auſtrales verò toridem minui (ac proportione, verſus puncta Æquinoctialia procedendo) idipſum factum obſeruari. Cxſtorem enim, v. g. Borealiorem tam eſſe minutis 19. Pollucem 17. Cor Leonis 16. Spicxm, quæ olim antè, nunc poſt Æquinoctium xutumnale eſt, vix quicquam decreuiſſe; atque itx de cæteris. Ac tametſi aliæ ſint Stellæ, quæ oppoſitum arguere videantur, pleraſque tamen corrigi, redigive in ordinem poſſe, vt Oculum Txuri, & Lucidam Aquilæ, ſolúmque eſſe Canem maiorem, cui triente gradus adaucto, cum tantundem eſſe miontus deberet, manus adhiberi medicx non vxleat, niſi coniecto in tranſcriptores vitio: neque debere ex hac Stellx fieri cæteris præiudicium. Lætatus eſt, deprehenſum eſſe in perpendiculo minuti vnius errorem; quòd enim miſſæ Declinationes duobus minutis abundarent, ideò factum eſſe, quòd Stellxrum altitudo habita vno mionto maior, & Æquxtoris vno minor fuiſſet: vt putà, quòd Poli correcta altitudo minutorum, non 20. ſed 19. ſupra gradus 55. foret. Subſcripſit circa negotium obſeruandi ex Luna Meridianorum differentiam, & maximè quidem circx nonageſimum gradum; xc verè interim circa Eclipſeis Lunæ totaleis, & cum mora, admonuit, meliùs diſcerni tempus ingreſſus corporis totius in vmbram, & primi egreſſus ex eadem, quàm primi initij, ac finis vltimi momenta. Denique, vt alix reticeam, Copernicum ſic commendauit, vt non inferiorem Ptolemæo habuerit; imò etiam io Hypotheſeôs concinnitxre longè ſuperiorem: xc poſtquàm abſurda, quæ ex ex deduci ſolent, excuſauit: *Sed non eſt*, inquit, *huius loci copioſius de his differere: ea verò aliquando, Deo volente, latius in Opere noſtro Aſtronomico excutiemus; & fortè aliam Hypotheſium rationem, qua nec Mathematicè, nec Phyſicè abſurda videbitur, & contra ipſa artis principia non peccet, introducemus.*

Sub anni finem depingi ſe à memorato Gempetlino ſecum Auguſtâ deducto voluit: ac cælari etiam ſequente ſtxtim anno effigiem in magni Quadrxntis orichalcici arex, quæ alia etiam exhiber ad Muſæum, Obſeruatorium, Lxboratoriúmque, vt eſt xntè dictum, ſpectantia. Expreſſx autem illeic hxbetur effigies *tantâ ſolertiâ, támque competenter*, inquit ipſemet, *vt vix ſimilior dari poſſit.* Quem verò Torquem collo appenſum cum Elephantis caſtellum dorſo geſtantis ſimulacro vides; id inſigne eſt Equitum, quo Nobiles Dani, & de Republica præſertim bene meriti à Rege donantur, quóque ideò Tycho donatus à Friderico fuerat; cùm & Chriſtianus poſteà alium torquem, ipſúmque aureum cum ſui effigie illi dederit, vt ſuo poſteà loco dicetur. Inſequente porrò memorxto xnno, qui fuit M. D. LXXXVII. incu- 1587.
buit Tycho potiſſimùm in xbſoluendo, ac typis mandando ſuo illo Opere de Cometa ante xnnos decem conſpecto. Nxm poſtquàm quidem Cometx euanuit, Tractatum de illo inſtituit, Capitibúſque nouem ea complexus fuit, quorum argumentum, ſummamve ſuperiùs iam retulimus: verùm deerat illi Caput decimum, quo cæterorum obſeruata, opinionéſque de eodem Cometa conſtituerat expendere. Hoc ergo demum anno obtentis quotquot nanciſci licuit de ipſo libellis, xut ſchedis, id abſoluit Caput, & pauca ſolùm aliqux circa cætera interiecit; ſiquidem intacta præſertim reliquit aſſignata Stellarum locx, & quæ varix ex iis deducta Cometæ attribuerat; quòd licet fuiſſet deinceps rimatus Stellarum loca exquiſitiùs; diſcrepantia tamen deprehenſa adeò exigua fuerit, vt loca Cometæ nihilominus inuariata xd ſenſum prodierint; xc Parallaxis potiſſimùm eadem ſemper conſtiterit; neque ideò neceſſe fuerit plenum laboris calculum iterxre. Licet porrò hoc decimum Caput valde prolixum euaſerit (quippe ipſum ſolum nouem præcedentia xliquantum exſuperat)

noluit

noluit tamen ipſum in plura partiri, ne hic Liber, quem inſcripſit ſecundum *de Mundi ætherei recentioribus Phænomenis*, Capitum numero excederet alium, quem de Noua Stella affectum diuiſúmque in totidem Capita (licet nondum abſoluta) habebat, & Priorem iſto haberi, tametſi poſteriùs edendum, volebat. Enimverò, cùm iſtud Caput eius eſſet mulis, vt ideò ſecundam Libri partem indigitârit, ipſum idcircò in duo membra diſtinxit, ínque eorum priore obſeruationes, opinionéſque Authorum qui Cometam ſupra Lunam conſtituerunt, & in poſteriore illorum, qui infra, in examen vocauit.

Ac in priore quidem commemorati habentur quatuor, quorum primus ipſe Landgrauius, qui vnà cum relatis antè literis, obſeruationes miſerat, hoc eſt, Cometæ Azimutha, altitudinéſque acceptas horis variis, diebus Nouembris xj. xvj. xvij. xx. xxj. xxiv. xxv. xxx. & diebus Decembris j. ij. iij. vj. ac xxx quo Caudæ longitudo redacta fuit ad quatuor gradus, quæ die Nouembris xvj. fuerat graduum ſeptemdecim, cum ſumma latitudine graduum ſex, & ſemiſſis. Ex hiſce autem azimuthis, altitudinibúſque variè comparatis, deduxit Tycho, tametſi Landgrauius, tum Mathematico deſtitutus, non omnia omninò exquiſitè obſeruitaſſet, nihilominus nullum fuiſſe tempus, quo non Cometa ſe ſuperiorem ipsâ Lunâ prodiderit. Secundus Michaël Mœſtlinus, Tubingæ id temporis Matheſeos Profeſſor, cùm priùs egiſſet Diaconum Backnangi. Is captatis Cometæ locis, & filo quidem illius Caput bináſque Stellas intercipiente, deduxit Cometam, aut nulla, aut perexigua Parallaxi fuiſſe; Tycho verò probauit quidem concluſionem, ſed quam ipſe potiùs ex obſeruatis Mœſtlinianis deducere potuerit, ob Stellarum loca à ſe reſtituta, quàm illa potuerit, ea loca ſupponens, quæ Prutenicæ Tabulæ à veris abludentes præſcribunt. Mirè intereà commendauit virum occaſione ſolertiæ, quàm teſtatus eſt, orbem inueſtigans circa Sphæram Veneris in Copernici Hypotheſi, ſecundum quem fuerit Cometa traductus. Tertius Cornelius Gemma, qui Cometæ quidem minorem, quàm Lunæ Parallaxin tribuerit: at non iuxta obſeruationes craſſas nimis, neque id probanteis; verùm quòd variatio diſtantiæ in gradibus variis altitudinis à Manu Antinoi, die Nouemb. 20. ab Equuleo, die Decembris ſecunda; ab Ore, & à prima alæ Pægaſi, die xiij. quòd, inquam variatio huiuſcemodi viſa fuerit minor, quàm ſi Cometa, vel in ipſo Lunæ orbe extitiſſet; vnde & in orbe Mercurij reponendum cenſuit. Quartus Heliſæus Roëſlinus, qui Gemmæ obſeruata ſupponens, eiúſque placitis adhærens, Cometam, vt ille, retulit ad Mercurij Sphæram, & aliunde etiam Super-lunarem probauit, ex motus regularitate, proportionéque illius certa; ex proprietate luminis à flammeo diuerſi; ex durationis diuturnitate, aliiſque eiuſcemodi.

In poſteriori ſunt longè plures; ſed in iis tamen quatuor, qui etiam ſe rem demonſtraſſe ex obſeruationibus putauerunt. Inprimis Taddæus Hagecius, qui & Cometam Radio obſeruauit, & ſe reperiſſe eius Parallaxin credidit vltra gradus ſex, ac elatiorem ſupra Terrá Semidiametrorum terrenorum non ampliùs octo: tametſi ex ipſiuſmet obſeruationibus eruatur Parallaxin Cometæ inſenſibilem fuiſſe; vnde & poſtmodum, re meliùs expenſa, ſententiam correxit, quippe calculo rem deducens qui priùs, vt Gemma, ac Roëſlinus ex globo ſolùm deduxerat. Deinde Bartholomæus Scultetus, qui tum Parallaxin deduxit graduum quinque, & ampliùs; tum diſtantiam à Terra Semidiametrorum nouem; ſed nempe ex dedomenis falſis; vtcumque ſcrupuloſius fuerit in ſupputandis etiam millaribus, & paſſibus, ínque durationis diebus, ac horis. Tertiò Andreas Nolthius, qui ex falſis etiam datis Parallaxin pluſquam graduum quinque, & diſtantiam à Terra Semidiametrorum ferè nouem deduxit. Quartò Nicolaus VVinckle-rus, qui commentatione inepta Parallaxin tribuit 7. penè grad. in altitudine grad. 46. & diſtantiam octo Semidiametrorum. Cæteri ſunt Ioannes Prærotius, qui de Noua Stella rectè, de Cometa perperam ſenſit. Marcellus Squarcialupus, qui verè quidem æthereum, at non alia obſeruationa, quàm oculari Cometam fecit. Simon Grynæus, qui obſeruationibus ieiuniſſimis ſe rem confeciſſe putauit. Conradus Daſypodius, qui nihil aliud eſt, quàm Aſtrologica nugatus vti, & Georgius Heniſchius, Nicolaus Bazelius, Valentinus Steinmetzius, Ioannes Huetuius, Theodorus Graminæus: qui aliquas quidem, ſed pueriles tamen obſeruatiunculas prodiderunt: cùm & penè idem de Dauide Cythræo, déque cæteris, qui Theologicè de Cometa ſcripſere, videatur ſentiendum.

Hiſce portò omnibus cũ ſua obſeruata, tũ ex iis deducta oppoſuit; ac id interim memorabile manet, quod Keplerus ait, Braheum primum demonſtraſſe eſſe Cometas ſupra Lunam ex Parallaxibus diurnis. Aliqui-ne interdum infra Lunam ſint, alia quæſtio eſt; ſed ipſe nihilominus eſſe omneis ſupra conſtanter defendit. Et ne quis Ioannis Regiomontani, aut Vogelini obſeruationes opponeret, *Quo illæ*, inquit, *loco habendæ veniant, & quantum illis tribuendum ſit, opportuniore loco vberiùs declarabo. Id ſaltem heic breuiter indicabo: Vogelini data, è quibus Parallaxin eruere conabatur, non fuiſſe exacta, & Regiomontanum potiùs Ariſtotelica authoritate inductum, Parallaxin ſex partium Cometa anni* M. CCCC. LXXV. *aſſignaſſe, quàm quod è certis obſeruationibus eam fuiſſe tãtam citra omne dubium expertus ſit. Nec enim Mathematicè è certis obſeruationibus rẽ omnem, vt decuit, demonſtrauit.* Repetit ſubinde ſe commodiore loco oſtẽſurum; ſed nuſquam tamen oſtenſum exſtat; vti neque id declaratum, quod declaraturum ſe in Epilogo huius Operis aliquoties recepit, de Materia, Cauſaque, & de Effectibus, Præſagiiſque Cometarũ: ſed Epilogũ nẽpe Operis

intellexiſſe videtur non Libri huius concluſionem, verùm quam fuit appoſiturus ad calcem Libri inſequentis, ſeu Tertij, quem Tractationi de Cometis aliis à ſe obſeruatis deſtinârat. Id quippe, vel illud ſatis indicat, quod in primi Libri Concluſione habet, cùm de Materia, & Cauſa Nouæ Stellæ agens: *Noſtram quoque*, inquit, *hac de re cenſuram non huic loco, ſed iuxta totius huius operis, quod de Nouitijs Celi Phænomenis agit, Epilogum vniuerſalem, poſtquàm Cometarum quoque aliquot præcedentibus annis animaduerſorum conſiderationem Aſtronomicam pari diligentia exantlâro, manifeſtare decreui.* Et ſtatim, *Conuenientiùs itaque eum in locum, circa videlicet totius Operis finem, vbi aliorum de Cometarum generatione ſententias recitauero, earúmque inſufficientiam, & enormitatem oſtendere, atque noſtra de his aſſertioni viam præparauero, hoc negotium differémus.* Et rurſus, *illoc quoque, cur Stella hæc Noua, licet ex eadem materia conſumptioni non obnoxia, qua Galaxia, quæ perpetuò eadem manet, conſtiterit, diſſolutioni nihilominùs obnoxia fuerit, rationes vberiùs adducam; cùm ſimile quid in ipſis, quoque Cometis vſu veniat.* Nempe iam antè edixerat: *Cometas quoque, vt plurimùm iuxta Galaxiæ territoria conformari, exoririque, vel dum hæc tranſeunt, paullò lucidiores, apparentioréſque deprehendi.* Præterea autem quod de Cometis cum Thaddæo agens; *Quæ*, inquit, *ad cauſas Aſtrologicas generationis Cometarum attinent, nihil aliud habeo, quod dicam, quàm quòd planè cum illo ſentiam, Cometas ex influentia conſtitutionum peculiarium Planetarum nullatenus procreari, nec dum, vt inde prædici poſſint, ſed ſupernaturalem, & Metaphyſicam eſſe eorum productionem de qua in Epiloge huius Operis meam ſententiam vberiùs exponere inſtitui.* Item quòd poſteà, *Nullatenus*, inquit, *cum iis ſentio, qui hiſce ſecundarijs Stellis, quas Meteororum loco fruſtra reputant, omnem vim, & efficaciam derogant. Videntur enim hi peccare contra communiter receptum axioma, quo aſſeritur Deum, & naturam nihil fruſtra efficere; ſed de toto hoc negotio in Epiloge huius Operis, &c.* Quæ fuſiuſculè ſolùm refero, vt liceat vtcumque, quæ eius ſententia eſſe potuiſſet, ſubodorari.

Hiſce ergo dimiſſis; cùm ad Rothmannum ſcribens dixiſſet ſe fortè Hypotheſin aliam, quàm Ptolemaïcam, aut Copernicanam in Opere ſuo Aſtronomico introducturum; pollicitationem deinceps anteuertit: cùm caput de Cometa Octauum recentiore cura adornans, inſeruit in ipſum quam meditatus Hypotheſin (ſeu Orbium cæleſtium, ac totius Mundi ſtructuram, ac diſpoſitionem) fuerat ante annos treis, aut etiam ex quo obſeruatum ab illo Acronichum Martem memorauimus, vt experiretur, Ptolemaïca-ne, an Copernicana præſtaret. Videlicet animaduertens cæleſteis orbeis à Ptolemæo inconcinnè diſtribui; fruſtrà Epicyclos tot, ac tantos explicandis Planetarum retrogradationibus, variíſque ad Solem reſpectibus multiplicari; æqualitatem circularis motus, non ex proprij circuli, ſed ex alterius Eccentrici, Æquantíſque vocati centro, aduerſus prima Matheſeos, ſeu naturæ & artis principia metiri: Non ferens aliunde in Copernico, vt vt hæc abſurda cauente, Terram, cùm ſit craſſum, pigrúmque, & inhabile ad mouendum corpus, mobilem tamen fieri (& motu quidem triplici) ac inter Planetas cieri; ídque aduerſus non Phyſica modò, verùm etiam Theologica, Scripturæve Sacræ principia (quippe cùm in Literis Sacris ſtabilitas Terræ aſſeratur non ſemel) inſuperque regionem illam Saturnum inter, & Stellas Fixas, propè immenſam, & prorſus tamen Sideribus vacuam ſupponi; iſta, *inquam*, Tycho animaduertens, ac ferre non valens, animum applicuit excogitandæ Hypotheſi, hiſce incommodis immuni. Eam verò propoſuit hocce Titulo, exhibuitque hac ſpecie.

NOVA

NOVA MVNDANI SYSTEMATIS Hypotypoſis à Tychone nuper adinuenta, qua tum vetus illa Ptolemaica redundantia, & inconcinnitas; tum etiam recens Copernicana in motu Terræ Phyſica abſurditas excluduntur, omniáque apparentijs cæleſtibus aptiſsimè correſpondent.



Vt verbo autem de hac Mundani Syſtematis Hypotypoſi dicam; videre in ea licet quieſcere Terram in centro Mundi, ac tria quædam circa ipſam, vt circa proprium centrum moueri; primò Lunam, ſecundò Solem, poſtremò Affixarum Sphæram, quæ pars Mundi extima ſit. Videre etiam licet quinque Errantes Stellas circa Solem ferri, vt circa ſuum centrum, Mercurium quidem, & Venerem propiùs, ita vt Terram nunquam ſe inter, ipſúmque Solem habeant (reſpectu autem Terræ modò ſuperiores, modò inferiores Sole ſint) Martem, Iouem, Saturnum remotiùs; ita vt aliquando Terra ipſis Solique intercipiatur; & Marti ſpeciatim ea ratione, vt tunc ſit Terræ propior, quàm Sol. Intelligi deinde licet, dum Sol diurnè, ſeu ſpatio viginti quatuor horarum (quemadmodum Luna, ac Sphæra Fixarum) circa Terram fertur, abripi vnà, ac moueri etiam cum illo diurnè quinque Errones circa Terram; idque dum interim circa Solem propriis cieantur motibus; & ſpatiis quidem liberrimis, ſeu liquidiſſimis tranſlati. Ac huiuſmodi quidem Hypotypoſis eſt, qua deuitari proinde cenſuit abſurda illa commemorata, idque cumprimis, quòd motu Solis per Zodiacum incedentis, & motibus interim propriis Erronum ipſum concomitantium, ſaluentur in ipſis Retrogradationũ, Stationúmque Phœnomena, abſque vllis Epycicles; digreſſiones item exiguæ Mercurij, ac Veneris à Sole; magnæ autem Martis, Iouis, ac Saturni, cum grandeſcente illorum ſpecie, dum Terram prope tranſeunt; denique & ipſa motus Solis ſimplicis cum ſingulorum motibus commiſtio. Quod ad reliquas autem illas inæqualitates apparentes ſpectat, quas veteres Æquantibus, Copernicus Epicyclo in Eccentrici circumferentia ſaluarunt; ipſe aut per vnum circellum in Eccentrico, aut per duos in Concentrico ſaluari poſſe exiſtimauit. Quanquam rem totam vno verbo indigitare contentus fuit; ſpecialem eius tractationem, comprobationémque reſeruans in deſtinatum illud à ſe Redintegratione Aſtronomiæ Opus. Adnotare porrò heic iuuat, cùm Tycho ab initio Syſtema ſuum ſic expreſſiſſet, vt orbis Martis orbem Solis circum ambiret vndique, neque ipſum interſecaret; contigiſſe, vt non modò Raymarus Dithmarſus (qui, vt eſt antè dictum, illius picturam penes Tychonem viderat) huiuſcemodi deinceps Syſtema, vt ſuum venditauerit; ſed tanquam ſuum quoque iactauerit citatus paullò antè Roëſlinus (ſoliditate orbium addita) ac nuper etiam Andreas Argolus immutatione aliqua euulgauerit tanquam ſuum.

Cùm Tycho porrò interim varia per eundem annum obſeruârit, tum ſunt duo quædam præſertim notanda; Vnum, quòd cùm Venus ſub finem Februarij in Boream latitudinem vltra nouem gradus excurriſſet; illam die xxj. ſub horam ſextam veſpertinam conſpexerit; ac die deinceps xxiv. ipſam eandem rurſus conſpexerit manè ante exortum Solis. Alterum, quòd cùm ab vſque Ptolemæo Latitudo maxima Lunæ habita quinque præcisè graduum fuiſſet; ipſe illam maiorem quin-

decem minutis deprehenderit. Facilè nimirùm id fuit, quòd Latitudo maxima Luna verſata hoc anno circa Cancri,& Capricorni initia fuerit; neque incompertum, quatenus debuerint impedimenta ex Parallaxi, & Refractione præcaueri. Non idcircò tamen ex hac quadrantis gradus diſcrepantia, aut Ptolemæum, aut ipſius obſeruata redarguit; ſed cauſam eſſe in eo cenſuit, quòd quemadmodum via Solis inclinationem ad Æquatorem ſic mutauerat, vt versùs ipſum acceſſiſſet; ita potuiſſet orbita Lunæ ſic ſuam mutare ad viam Solis, vt ab ea receſſiſſe deprehenderetur. Non addo, quæ alia circa Parallaxeis, Refractiones, Diametrum, Defectúmque Lunæ obſeruauit, non item, quæ circa ipſam Venerem, tam veſpertinam, quàm Eoam, cum Sole, Fixiſque collatam; non quæ circa Solis ingreſſus in parteis Signorum Solſtitialibus, Æquinoctialibúſque punctis inter medias, nõn alia demum innumera. Id reſumo potiùs, quod de literis in Haſſiam miſſis eſt intermiſſum; niſi quod præmittendum eſt, cùm earum exemplum, vt iam diximus, tranſmiſſum ad Ranzouium fuiſſet, reſcripſiſſe illum ab anni initio, ac adhortatum fuiſſe Tychonem, vt tam ipſas, aliáſque datas, quam abs Land-grauio, aliiſque doctis, clariſque viris habitas mutuò, remque Aſtronomicam illuſtranteis, publici iuris faceret, ſubiungerétque Operi, quod tunc erat præ manibus; ac Tychonem quidem rem habuiſſe in animo; ſed in aliud tamen tempus diſtuliſſe.

Ad literas igitur in Haſſiam datas, vt redeam, præter exſpectationem fuit, quod rediens Bibliopola ex vernalibus Nundinis, reſponſi nihil attulit, ſed nempe, cùm ille Caſſellis Francofurto rediens, tranſiret, Land-grauius fuerat occaſione quarumdam nuptiarum diſtractus, & Rothmannus quoque negotiis, neſcio, quibus implicitus; vt Mercator proinde nihil retulerit aliud, quàm Land-grauium ſibi Rothmanni ore ſignificaſſe, fore, vt breui per miſſum proprium Tabellariũ reſcriberet; ac adiecisse ipſum Rothmannum, decreuiſſe ſe, impetratà à Principe licentià, inuiſere ipſum Tychonem. Quo factum eſt, vt nullis acceptis etiam ſub Augusti medium literis, ſcripſerit Tycho eodem Mercatore Francofurtum repetente ad Rothmannum, impensè eum rogans, vt eùm ſuum, tum ſui Principis reſponſum, niſi per Tabellarium, at ſaltem per Mercatorem daret; ac ſimul quam-primùm compararet ſe ad accedendum Vraniburgum. Reſcripſere porrò tandem, tum Land-grauius die Septembris xj. tum Rothmannus xxj. Et quia Rothmannus de Refractionibus agens, ſcripſerat, non ſatis attentus, extremam aëris craſſioris ſuperficiem diſtare à ſuperficie Terræ ex Opticorum demonſtratione per Terræ Semediametrum, cùm ne per ſexageſimam quidem Semidiametri partem diſtet; ideò literas alias dedit die Octobris xix. quibus Tychonẽ animaduerſæ abſurditatis admonuit, rogauitque, vt rem emendans pro Semidiametro, Semidiametri terrenæ partem ſexageſimam reponeret; ac pro duplicatione aëris craſſioris, ſcriberet vbique in appoſita demonſtratione, multiplicationem. Quod ſupereſt, reſcribens Land-grauius, teſtatus eſt lætitiam, ob obſeruationum in diſtantiis, declinationibúſque conſenſum; &, quòd diſcrepantia foret in Longitudinibus minutorum citciter quinque, non ideò ſe fidem ſuis Inſtrumentis detrahere, & re præſertim per Venerem Tychonico more à Rothmanno probata. Adiecit ſibi in animo eſſe Reſtitutionem quadringẽtarum Stellarum, quarum iam ducentæ ſupputatæ erant, ac ſimul obſeruandi modum, & demonſtrationem publici iuris facere; at nulla diſcrepantiæ, vt ſua cuique fides integra conſtaret, mentione. Rothmannus autem capita de Cometa reſidua mittens, perſtitit in nulla Cometæ Parallaxi agnita, inque nulla ætheris, aëriſque diuerſitate, niſi quatenus hic circum-terrenus incraſſatur vaporibus, qui Refractionibus cauſæ ſint: quippe cùm, ſi Refractiones ex diuerſitate aëris, ætheríſque procederent, non ad gradum trigeſimum, ſed dumtaxat ad verticem, continuata decrementi proportione, terminarentur. Adiecit minores in Haſſia Refractiones eſſe, quàm in Dania: illáſque omninò pro diuerſitate craſſitudinis aëris, vaporúmve in illo exſiſtentium variari. Subcripſit ratiocinio de mutata Stellarum latitudine inſtituto; neque ob vnam Sirij Stellam diſcrepantem, tot aliarum conſenſum repudiandum duxit. Significauit Principi placere, vt quas Fixarum obſeruationes ad editionem apparabat, ipſi Daniæ Regi dicaret; ac fieri illa occaſione, vt ipſum conueniret, poſſe. Occaſione porrò eius editionis, *Nec te offendet*, inquit, *quòd licet videamus te omni humana diligentia in tuis obſeruationibus vſum; nihilominus tamen à noſtris, quas oculis noſtris vidimus, non diſcedamus.* Id ob memorata quinque minuta dicit, quorum diſcrepantiam attingens, *Neminem*, inquit, *qui modò ſubtilitatem huius negotij intelligat, offendet, quin potiùs eo maiorem fidem apud poſteritatem merebimur*, ac vbi illum eſſe ſecurum de non euulgandis obſeruationibus cõmunicatis iuſſit, *Tibi*, inquit, *Regnum, tibi reſtaurationem Aſtronomiæ relinquimus, ac gaudemus eſſe, qui ea in re præſtare poſſit id, quod antehac præſtitit nemo.* Cæterùm inter, quæ prætereo, illud eſt, quod ad calcem monet reieciſſe ſe à Cometa motum diurnum, quòd illum omninò Terræ attribuendum comperierit.

Inſequens annus M.D.LXXXVIII. extremus 1588.
fuit eius quinquennij, quo Tycho præſertim attendit ad Solis ingreſſum in puncta Æquinoctialia, mediáſque illas Signorum parteis, de quibus ante-dictum eſt; ad obtinendum præciſè Apogeum, & Eccentricitatem Solis; ac extremus quoque ſeptennij, quo præſertim Fixarum locis reſtituendis inuigilauit, ex Venere interdiu cum Sole, noctu cum ipſis comparata: ſed res dicenda poſteriùs eſt. Atque vt nihil interim dicam, neque de Eclipſi Solis, qui deficere Vraniburgi cœpit horâ à meridie 1. minut. 32. deſiit horâ 2. min. 51. vtcumque illius in ſuo Eclipſeon Catalogo

talogo non meminerit, cùm meminerit tamen defectus totalis, qui in Luna ſic contigit, vt niſi maligne ſub medium non conſpiceretur, die Martij III. hora 3. min. 2. à media nocte (idque tardius horæ ſemiſſe, quàm per Prutenicum calculum; horæ vnius, ac trientis, quàm per Alphonſinum debuiſſet.) Vt nihil, inquam, de his, neque de cæteris obſeruatis dicam; dicendus eſt potiùs, quem Tycho luctuoſiſſimum duxit caſum. Is fuit mors Regis Friderici, eius nominis in Dania II. qui anno ætatis quinquageſimo quarto, & Regni vigeſimo nono, per ipſa Aprilis initia diem obiit, & in arce quidem Anderſchonia, è qua duos poſt menſeis tranſlatus fuit Roſchildam, in Sacellum à Tychone curatum; vbi illius buſtum opere inſigni elaboratum conſtitutum fuit. Quantum is fauiſſet Tychoni, illiúſque ſtudiis, ex antè deductis manifeſtum eſt. Quare timens Tycho, ne qui erat illius filius, ſucceſſórque Chriſtiernus IV. non pari foret ergа ſe, bonáſque arteis animo, conſternatus non parum fuit, tametſi quid ſpei non malæ concepit, tum ex ipſius indole; tum ex eo, quòd ſaltem, donec in ætate pupillari foret (quippe vndecennis ſolùm erat) ij quatuor Seniores è Regni Conſiliariis, qui clauum tenebant Reipublicæ, nihil conſtitutorum ab optimo Rege immutaturi viderentur; ac potiſſimùm, quia id ſtatim à Friderici obitu ratum fecerunt diplomate, cui & ſubſcripſerunt, & ſigilla ſua appoſuerunt. Spem verò potiſſimùm habuit in Nicolao Caaſio, Cancellario Regni, & Quatuor-virorum primario, quem & apprimè eruditum, & ſui peramantem nôrat. Is eſt, cui Rothmannus dicare ſuum de Cometa nupero Opus deſtinârat, eo nomine ſolùm, quòd qua eſſet virtute, intellexit ex carmine ab ipſo Tychone condito in illius laudem.

Operæ interim Typographicæ circa Cometam ſic proceſſerunt, vt abſolutæ per id tempus fuerint, & Tycho exempla Libri quædam ad amicos, alióſque viros Matheſeos peritos deſtinauerit. Non poſtremus in ipſis fuit Sculterus ille, quem Lipſiæ nôrat; quippe cùm ille exemplum ſuum commodato dediſſet viro eximio Iacobo Monavio Vratiſlauienſi; hæc Monauius, cætera inter, die menſis Iunij xvij. reſcripſit: *O vos felices animas quibus in domos ſuperas ſcandere cura fuit, & eſt hodie quoque! Miratus ſum magis, quam intellexi, tantam diligentiam D. Tychonis, quanta animaduertitur in hoc illius Opere. Fac illum horteris, vt reliquas etiam promat Operis illius partes; etiamſi ſæculum hoc noſtrum non ſit dignum iſtis tot, & tantis bonis, quæ non agnoſcit eâ, qua par erat, gratitudine.* Deſtinauit etiam exemplum ad Rothmannum ſub æſtiuum Solſtitium per vnum ex Studioſis nomine Gellium Saſceridem, qui nauatâ aliquot annis circa labores tam Aſtronomicos, quàm Pyronomicos operâ, illùc diſcedebat; vnde & per ipſum commendari illum voluit Principi, quicum foret ſuo nómine, neſcio quid negotij communicaturus. Excuſauit autem, quòd neque dediſſet, neque etiam tunc daret ad literas ipſius, ac Principis quoque, ſuperioris anni reſponſum; quippe præpeditus partim publicis, partim priuatis negotiis, quódque eo tempore Venere interdiù conſpicua, exſpectaret donec peractæ Obſeruationes circa ipſam forent, vt ex collatione earum cum antecedentibus facta, eliceretur quidpiam componendo diſſidio circa illa quinque minuta idoneum. Teſtatus verò ſimul eſt quem dolorem conceperat, vt ex morte optimi Regis, ita ex eo quod Comitia Hamburgenſia non ſucceſſiſſent, ad quæ aduenturum ſperârat Land-grauium, futurúmque adeò, vt cùm poſſet illic, niſi etiam propiùs coràm ſalutare. Neque ſanè id fruſtrà: ſiquidem Land-grauius proficiſci in Daniam conſtituerat, vt inuiſendi Regis gratiâ, ſic Vraniburgum quoque adeundi, omniáque Organa, & Tychonem ipſum, Studioſóſque obſeruanteis ſpectandi. Quod quidem, & Rex iam reſciuerat, & naueis quaſdam adornari illi deducendo, tum Vraniburgum, tum ad arcem magnificam recens exſtructam, Coroneburgúmque vocatam mandârat. Non eſt verò intereà tacendum, cùm Rothmannus Libri exemplum oſtendiſſet Land-grauio, illum pluſquàm 3. horis integris, in eo euoluendo occupatum fuiſſe, ac ita lectione eius delectatum, vt ipſius adſtantibus commendandi vix faceret finem, & gratioſè contenderet eſſe Librum ad ſe tranſmiſſum, Rothmanno excipiente ſuum potiùs eſſe; ac Tychonem hauddubiè proprium miſſurum ad Principem, vbi totum opus abſolutum foret. Vnde & Rothmannus Tychoni poſteà author fuit, vt fidem ſuam redimeret, ac duo præterea mitteret exempla, vnum ad filium Land grauij Mauritium; qui tametſi non hiſce ſtudiis, foret iam nihilominùs apprimè eruditus Latinis, Græciſque, & Hebraicis literis; alterum ad Bernhardum Principem Anhaltinum verſantem cum Mauritio, & Mathematicis imbutum: hoc nempe illis ad harum artium amorem, cultúmque iocentiuum fore.

Succedente porrò Auguſto, ac ſub ipſius medium vberiores, vt ad Rothmannum, ſic ad Land-grauium literas dedit. Et cum Land-grauio quidem egit maxime de quinque aliquoties memoratis minutis. Litem ſcilicet prorſus dirimendam, ex obſeruata Venere non veſpertina modò, ſed matutina etiam, ac in eadem proximè, tantaque altitudine, quæ ſit refractionis periculo immunis. Quippe, ſi nullus error ſubſit, loca Stellarum eadem vtroque ex ſitu exhibitum iri (vt ſibi quidem contigit) ſin minùs, quæ Stellæ æquo promotiores ex veſpertino fuerunt deductæ, iri deinde ex matutino deductum æquo retardatiores: idque haud-dubiè euenturum, ſi Princeps iuſſerit rem quoque ex matutino explorari; maximéque, cùm Venus Ianuario ſuperioris anni obſeruata in eo ſitu fuerit, in quo refractio potuerit facillimè imponere. Non improbare interim ſe quò minùs Princeps in obſeruatis conſtet; probaréque etiam, quòd illud diſcrimen momenti perexigui, cóparatum ad veterum hallucinationes, habuerit. Hortari proinde, vt editionē

Obſeruationum circa Affixarum loca(tem futuram adeò ipſi Principi glorioſam)maturet: ſe in parem curam incubiturum : & vtraſque Obſeruationes, vel ex eo fidem habituras, quòd illud diſcrimen inſinuaturum ſit, nihil fuiſſe in mutuam gratiam citra experientiam admiſſum. Cùm Rothmanno verò hæſit maximè circa Refractionum cauſam, non modò ex vaporibus, ſed etiam ex diuerſitate, qua aër, ætherque Diaphana ſunt, repetendam. Congruum nempe eſſe, vt cœleſtis regio tale nihil habeat, quale elementaris hæc. Aërem tamen ſic attenuari, ac potiſſimùm verſus Lunam, vt nihil penè inter ipſum, ætherémque diſcriminis ſit, ſicque non valdè ſenſibilem ex diuerſitate Refractionem creari; quæ aliunde non terminetur ſanè ad gradum trigeſimum, ſed vlterius inſenſibiliter, & ad ipſum vſque verticem decreſcat; vtcunque obſeruetur refractio non pari tenore, quo prope Horizontem ſuccedenter decreſcere. Probatum ſibi fieri ex miſſis de Refractione obſeruatis, pareis Refractiones in Haſſia, ac in Huenna fieri: & ad Crepuſculum quod attinet, conſtare ſibi, id incipere, ac deſinere, Sole infra Horizontem depreſſo gradibus ſexdecim ac ſemiſſe, non iuxta Nonium octodecim; idque circiter æquinoctia; vt proinde tunc Crepuſculi arcus graduum præciſe viginti quinque ſit. Cæterùm, miſſam demùm faciendam illam de aëris, ac ætheris diuerſitate controuerſiam; cùm noſſe Aſtronomos ſufficiat, quàm altè aſcendant vapores, quæque ex illis impedimenta fiant; & cauſa alioquin ad Phyſicos, Theologóſve pertineat. Cætera prætereo, & quæ circa Alchymiam, metallaque præſertim habet (ſcilicet Rothmannus de illis ipſum quidpiam rogauerat) ac addo ſolùm, quod ab eo petiit, vt Librum miſſum expenderet, ſuúmque de eo iudicium ferret; maximéque de Hypotheſi, cui vellet ſuam in Planetarum curſu reſtitutionem accommodare, & *quam*, inquit, *quò diligentiùs perſpexeris, eò magis arridebit.*

Expectarat Tycho reſponſum in reditu è Nundinis; at Princeps in filiæ nuptiis occupatus, mandauit Rothmanno, vt vtriſque literis reſponderet: Rothmannus verò circa datas quidem ad Principem literas reſpondendum aliud, addendúmve ad ſuperiores non duxit, quàm fuiſſe, Refractionum quoque in Venere per azimutha obſeruanda, ac eius diſtantia à Tertia Stella Arietis accipienda, habitam rationem. Circa literas verò ad ſe datas, pluſculus adhuc in diſtinctione aëris, ac ætheris fuit; quatenùs nihil ea de re, neque Phyſici, neque Theologi definire ſine Matheſi præeunte poſſunt, neque poteſt aliquid certi de Cometarum generatione, & materia, niſi hac quæſtione deciſa, conſtitui. Quippe aſſumi, non probari, quod nihil generari, aut corrumpi in regione cæleſti dicunt; neque id aſſumi à Tychone cæleſtes Cometas ſtatuente. Non idcircò iri excitatum ſonum à tranſeuntibus Planetis (quod ille quidem obiecerat) propter ſummam aëris à vaporibus non incraſſati tenuitatem. Neque obſtare quam proportionē in Elemētis vulgò agnoſcunt; nam & nullam eſſe futuram, aëre ad vſque Lunam continuato. Decrementum refractionis proportione faciendum oſtendi, ſecluſis vaporibus, & ſuppoſita ſola aëris, ætheriſque diuerſitate; ac fore etiam ex eadem cauſa, vt ipſæ Stellæ ampliùs, quàm Sol, aut Luna refringantur. Crepuſculi finem à ſe obſeruatum non contigiſſe circa æquinoctia, niſi depreſſo Sole ad vigeſimum quartum gradum. Aliis prætereà commemoratis, commendat Librum ad ſe tranſmiſſum, agnoſcens ita demonſtratum Cometæ curſum in æthere, vt nemo contradicere, qui ſit Matheſeos peritus, poſſit. Deſiderare ſolùm ſe declarationem propriæ de Cometarum materia, generationéque ſententiæ: nam quod de Cauda quidem habetur, non probari à ſe, exiſtimante Caudam eiuſdem cum ipſo Capite materiæ, quatenùs radij Cometā traiecti alborem illum oſtentare, niſi medio ponè exſiſtente craſſo, non poſſunt; cùm & aliunde non ſemper Cauda in oppoſitum Solis dirigatur. Declarauit etiam non placere ſibi illam Tychonis Hypotheſin (cui ipſe quoque excogitaſſet non abſimilem; ac fuiſſet etiam author Landgrauio, vt in Automato eam exprimeret, vnde & Land-grauius eſſe eandem agnouerit.) Scilicet vtcumque nihil eſſe aliud, quàm Copernicea inuerſa videatur, eam tamen aſpergere adhuc ſuperiores Planetas regreſſionis maculâ, ac oſtendere quidem, quod Directi, Stationarij, Retrogradi fiant; at non tamen quare ſic fiant, fictive appareant, quemadmodum Coperniceam. Inducit ab ipſa violentam, præter motum ſimplicem cuiuſque Planetæ, tractionem, quæ aliunde motus, Sphæráſque, ſeu mavis, regiones Planetarum mirè perturbet. Copernicum nihil tale egiſſe; neque quid peccaſſe, aut aduerſus Sacram Scripturam, quæ accommodatè ad vulgi captum loquitur; aut aduerſus Phyſicam, per quam licet defendere grauitatem eſſe affectionem, non Terræ totius in centrum, ſed partium in ipſam (quam ſeruari integram interſit) conitentium; idque intelligi etiam poſſe in ipſis Planetarum globis, quibus Terræ globus ſimilis cùm ſit, ac aëre ſolo pari modo circumducatur, poſſit proinde haud ſecus conuolui.

Verùm, vt reſumam, quod iam cœperam: cùm hoc demùm anno aſſequutus foret tum ingreſſum Solis in puncta Æquinoctialia, tum loca aliquot Fixarum, quæ baſeos inſtar cæteris eſſent, ex obſeruata tam matutina, quàm veſpertina Venere; cœpit de adornando primo Progymnaſmatum Libro cogitare, ac de reficiendis præſertim duobus primis capitibus, quorum alterum motus Solis, alterum Stellarum Fixarum reſtitutionem contineret. Nempe hæc duo præmiſſa voluit aliis octo Capitibus, quæ ſpeciatim ad tractationem de Noua Stella pertinent, & in quibus iam apparatis, non tam multa fuere deinceps mouenda. Quod ad Reſtitutionem porrò motus Solaris attinet, ille ea methodo vſus,

quam

quam compendioſè deſcripſimus circa annum LXXXIII. deprehendit, ac pronuntiauit eſſe Apogeion Solis iſto anno M. D.LXXXIIX. in gradu 5. min. 30. Cancri, ac eius Eccentricitatem eſſe partium 358. qualium Semidiameter Eccentrici eſt 100000. Subinde verò tabulam confecit vocatarum Proſtaphæreſeon, hoc eſt, additamentorum, reſegmentorúmque, ſiue Æquationum, motui Solis medio (ſeu qui per Eccentricum æquabilis fit, qualiſque ex centro Eccentrici conſpiceretur) adhibendarum, ad hoc, vt motus apparens, verúſve vocatus (qualiſque è terra inæquabilis conſpicitur) prodeat; atque id quidem in ſingulos ab Apogejo gradus, ac Proſtaphæreſi maxima exſiſtente gradus 2. minut. $2\frac{1}{2}$. Præterea autem Apogejon, non in eodem loco conſtanter hærere, ſed ſenſim moueri dodrante minuti in ſingulos annos, iuxta Signorum ſeriem (ſcilicet ab vſque Hipparcho, integro Signo promotum eſt; vtcumque Ptolemæus illud quaſi immotum habuerit) ac ipſam quoque Eccentricitatem temporis progreſſu non-nihil variari; vt proinde neceſſe ſit varias quoque fieri longo annorum tractu Proſtaphæreſeis. Adnoto potiùs Tychonem quidem deprehendiſſe poſtmodùm eſſe Eccentricitatem dimidio minorem habendam; at ipſum propterea nihil immutaſſe, tum quòd tempus non ſuppetierit, tum quòd hac ratione Proſtaphæreſes vix ampliùs minuto vſpiam variarentur.

Ad hæc, definiit Annum Siderum, ſeu quo Sol digreſſus ab aliquo Sidere fixo, ad idemmet redit, dierum 365. hor. 6. min 9. ſec. 27. proximè, & Vertentem, ſeu quo Sol ab vno Zodiaci puncto ad idemmet reuertitur, dierum 365. hor. 5 min. 48. ſec. 45. hic ſcilicet eſt illo breuior, propter Affixarum motum, de quo poſteà. Hoc tamen autem Tabulæ ſuperiori Epochas præmiſit mediorũ Solis motuum, hoc eſt, tam Apogei, quàm Longitudinis, ad Meridiem Kalendarum Ianuarij, ab anno M. CCCC. in annum M. D C C C. (ſcilicet per hæc tempora Eccentricitatem, Proſtaphæreſeiſque adeò, parùm variari reputás) collegitque ſingul anni vertentis motus in annos viginti; ac motum ſpeciatim longitudinis, in menſeis tam communis, quàm Biſſextilis anni, itémque in dies, horas, ac minuta, ſecundáque diſtribuit. Subiunxit verò Tabulæ eidem Tabulam aliam motus Solis diurni, eiúſque apparentis; ex qua conſtat Solem in Apogejo verſantem non videri dietim conficere, niſi minut. 57. ſec. 5. verſantem verò in Perigeio conficere min. 61. ſec. 21. ſicque verſus Apogejum, lentiſſimum eſſe, verſus Perigeium, velociſſimum; quòd apparentiæ angulus in Terra creatus ex linea Apogeij, & linea à viſu in Solem directa, ſit hinc inde ab Apogeio ſemper æquo minor, hinc inde à Perigeio ſẽper æquo maior. Appoſuit ſubinde Ephemeridem Solis ex his Tabulis ſupputatam in annos M. D L X X I I & M. D. L X X I I I. quibus Noua Stella apparuit, ac, vt vberiorem fidem faceret teſtimoniorum congruè (ſaltem ad tempora hæc noſtra, circumſtantiáque) Solis motuum, tum explorandi rationem docui, tum periculum ipſe fecit, non modò in obſeruatis à ſe Meridianis aliquot Solis altitudinibus; ſed in aliis etiam à Regiomontano, VValtero, Land-grauio exactè adnotatis.

Hiſce deductis, aliquot præterea Tabulas adhibuit, earúmque etiam fundamenta, conſtructionémque expoſuit. Et prima quidem Tabula eſt Refractionum Solarium, crebrò, ac ſtudioſè obſeruatarum, ex qua habemus refringi, ſeu attolli Solem in ipſiſſimo quidem Horizonte min. 34. altum vno grad. 26. altum duobus, 20. altum tribus, 17. altum quatuor, $15\frac{1}{2}$. altum quinque, $14\frac{1}{2}$. atque ita deinceps, donec altus gradibus 45. refringatur 5. ſecundis dumtaxat. Præterea autem, quòd Refractionis cauſam reperit ex vaporibus, qui aërem nobis proximum illo ſuperiore craſſiorem reddentes, deflectũt Solis radios, ipſúmque in loco non ſuo oſtendunt. Cúmque ſuæ illi ſententiæ de aliquantula etiam cauſa, tametſi inſenſibili, ex aëris, ac ætheris diuerſitate ſumenda inſiſtat, meminit habiti iam ſui per Epiſtolas cũ Rothmanno diſſidij, repetitque ſimul Ioannem Penam Gallum primum eſſe, quem nouerit defendiſſe, non eſſe aliam per cæleſteis illas regiones, quàm per aëream, ſubſtantiam fuſam: Id ſcilicet Pena in præclara illa de vſu Optices Præfatione; in qua etiam quoſdam Cometas Lunâ ſuperiores, aliáque ſcitu digna autumauit. Inſequens Tabula eſt Parallaxeon Solarium, quas eſſe deducit minutorum 3. Sole exſiſtente in Horizonte ipſiſſimo; minutorum 2. in 48. graduum altitudine; minuti 1. in altitudine graduum 70 ſecundorum dumtaxat 3. quando vno gradu à vertice eſt. Atque id quidẽ donec Sol in loco Apogeium inter, ac Perigeium medio verſatur; quoniam ſunt alioquin paucula ſecunda, aut detrahenda, donec Sol Apogeius eſt, aut adiicienda, cùm Perigeius (ſex nempe, aut ſeptem verſus Horizontem.) Qua occaſione Tabula alia poſtmodùm contexitur Diſtantiarum Solis à Terra, ex qua intelligimus Solem Apogeium diſtare à Terra Semidiametris terrenis 1182. Perigeium 1101. ac medio in loco verſantem 1142. Adnotari intefim poteſt, cùm, vt Refractio Solem altiorem, ita Parallaxis depreſſiorem æquo oſtendat; ſi ex maxima Refractione 34. minutorum detrahamus Parallaxim maximam trium minutorum, dici poſſe Solem, dum inferiore ſui margine Horizontem ad viſum ſtringit, eſſe reipsâ totum demerſum; quando illius Diameter minutorum eſt proximè triginta & vnius Succedunt duæ Tabulæ, altera Declinationis Eclipticæ, contexta per dena ſingulorum graduum minuta, ídque ſupponendo angulum Obliquitatis Eclipticæ, maximamve declinationem, graduum 23. min. 31. ſec. 30. Altera Aſcenſionum Rectarum eiuſdem Eclipticæ, ſecundùm gradus ſingulos, ſuppoſita eadem declinatione. Subiiciuntur hiſce adhuc duæ (quaſi Parerga) ac in Aſtrologorum quidem potiſſimùm gratiam, quarum altera eſt Reuolutionum Solis, tribus ſæculis, hoc eſt, ſuperiori, præſẽti,

ſucceſſuro inſeruiens; altera Æquationis dierum naturalium; ad hoc nempe inſeruiens, vt ex dato Solis loco, Tempus apparens in æquale, aut æquale in apparens conuertatur.

Denique ad Motum Solis reſtitutum adhibere voluit quaſi Appēdicem, Lunaris motus Reſtitutionem: verùm, quæ exſtat edita, non ea eſt, quæ tunc conſcripta ab eo fuit, ac typis primùm committi cœpta; ſed quam deinceps limatiorem non longè ante mortem perfecit, vt dicendum ſuo loco eſt. Exinde verò eſt, quamobrem initio huius Appendicis Elenchum præmittens Eclipſeon viginti vnius, & Solarium nouem; Eclipſeis adiiciat, quæ fuerint obſeruatæ annis poſterioribus ad vſque Solarem menſis Iunij, anni M. DC. itémque quamobrem aliquoties deinceps in Operis ſerie profiteatur ſe alias vberiùs de Reſtitutione Lunæ tractaturum; tametſi hoc loco integra Lunæ Theoria pertractata habeatur. Sed notādum nimirùm eſt, cùm Opus prælo committere ab inſequente anno cœpiſſet, non vno tenore proceſſiſſe operas; verùm ſic fuiſſe ter interruptas, vt cùm ſuſpicaretur poſſe quidpiam addi, aut corrigi, locum aliquot foliis quaternionibúſve poſteà cudendis reliquerit. Vnde & eſt factum, vt cùm iſto loco, treis ſolùm quaterniones pagellarum octonûm reliquiſſet, partémque etiam ex reſiduis de Reſtitutione Solis, & ex Appendice cœpta adimpleſſet, tum illos immutauerit, tum tres prætereà alios, ſemiſſémque adiecerit, & cyphrarum ſerie interrupta, ſpecialeis cyphras viginti octo pagellis adhibuerit. Itaque de Luna inferiùs.

Ad reſtitutionem Fixarum Capite ſecundo contentam quod ſpectat, rem penè iam deduximus circa M. D. LXXXV. annum. Deduximus etiam deinceps, quod de earundem Stellarum latitudine variata in hoc Caput inſertum eſt, vbi etiam Rothmanni ſecum hacce de re conſenſum refert. Id notandum interim, quod præmittit de inuariata ſemper manente Fixarum inter ſe diſtantia; quatenus, vt Ptolemæus deprehendit Stellas aliquas ab Hipparcho obſeruatas in quapiam recta linea, in eadem adhuc perſeuerare, ita ipſe eaſdē, ac alias prætereà obſeruatas à Ptolemæo, in eadem conſtare deprehendit. Enimverò, & illud tacendum non eſt, quòd collatis aliorum, maximéque Hipparchi, Albategnij, & Copernici obſeruationibus cum ſuis; competit motum Affixarum, ſiue mavis Sphæræ octauæ in Ortum, eſſe annuatim min. ſecundorum 51. præciſè; ac ideò Fixas integro gradu intra annos 70. menſeſque 7. progredi, quod Ptolemæus intra annos 100. Albategnius intra 66. contingere opinabantur; integram verò octauæ Sphæræ reuolutionem peragi intra annos 25410. Hacce re præmiſſa, Abacum confecit Octingentarum præcipuarum, per Aſteriſmos omneis reſperſarum Stellarum; ac in ipſo illarum loca, hoc eſt, cuiuſque Longitudinem & Latitudinem retulit, determinauítque ad annum completum M. DC. vt ſuppoſita hac quaſi Epoche, nihil aliud, quàm aut detrahendum pro annis antecedentibus, aut adiiciendum pro conſequentibus ſit, quantum progreſſæ Stellæ fuerint, aut progreſſuræ ſint, inter Epochen, & quemque annum datum. Vnde & ipſe Tabulam vnam tum præmiſit in duo antecedētia ſæcula, tum aliam ſubiecit in duo conſequentia: tametſi neque has Tabulas, neque Abacum prælo commiſit, cùm operæ procederent; ſed tum demùm, cùm habuit Stellas octingētas calculo ſubductas. Nimirum cùm initio ſe non tot obtenturum ſperaſſet, ac deſtinaſſet proinde illis dumtaxat quaterniones duos; illos deinceps, quaſi numero duplicato ingeminauit; ac idcircò cyphras non rectis, verſiſque, ſed rectis dumtaxat pagellis, vt cum reſumpta ſerie cohærerent, præfixit. Et completurus quidem erat numerum Stellarum millenarium (idque ex informibus præſertim, ipſiſque minùs præcipuis; quippe & hoc ſe facturum recepit, & fecit reipsà, vt ex dicendis inferiùs circa Manuſcripta Catalogi exempla ad varios tranſmiſſa, conſtabit. Hinc, ne mirere veteres non plureis, quàm mille, & viginti duas numeraſſe, cùm in rectiore tamen Sphæra habitantes cernere poſſent, vltra ducentas Tychoni inconſpicuas; cauſam eſſe vides, quòd totidem pene ab iis neglectas curauerit; maximéque, cùm vel in vna Caſſiopeïæ Conſtellatione numerum duplicauerit, tredecim, putà ad tredecim à veteribus notatas, adiectis.

Neque verò Tycho præfiniit modò ſecundum Longitudinem, Latitudinémque huiuſcemodi octingentarum Stellarum loca; ſed centum quoque ex iis ſelegit, ac in ſpecialem Tabulam illarum loca retulit ſecundum Aſcenſionem Rectam, ſecundúmque Declinationem, ſupputata ad annos, tam M. DC quàm M. DCC. completos. Adiunxit & illi Tabulam Refractionum Stellarum, ex qua licet intelligi, non eas tantas, quantas Solareis eſſe. Quippe in ipſo Horizonte Stellarum Refractio eſt minutorum ſolùm 30. in vno, primóve altitudinis gradu, min. 21 $\frac{1}{2}$. in ſecundo, 15 $\frac{1}{2}$. in tertio, 11 $\frac{1}{2}$. in quarto, 11. in quinto, 10. ac denique in vigeſimo nulla: cùm Solis tamen Refractio in Horizonte minutorum 34. in vigeſimo gradu min. 4 $\frac{1}{2}$. euaneſcat ſolùm in 45. vt non multò antè memorauimus. Vt autem praxi veluti quadam declararet, quemadmodum deducatur locus alicuius Stellæ, Planetæ, Cometæ, cuiuſlibétque Phænomeni, ex data illius diſtantia à duabus Stellis, quarū perſpecta lōgitudo, ac latitudo ſit: ideò, Stellas XXVJ. Conſtellationis Caſſiopeiæ, in qua Noua Stella apparuit (Libri nempe hujus argumentum, & occaſio) delegit, ac earum loca ſecundum Lōgitudinem, & Latitudinē definiit, & ad annū M D. LXXII. completum retulit, ex datis illarū diſtantiis à duabus quibuſdam Stellarum quatuor inſigniū, Lucidæ putà Arietis, Aldebaræ, Pollucis, Capellæ, quarū lōgitudinem, latitudinémque præhabuit. Deniq; cùm nemo, ab Hipparcho vſque, tale aliquid præſtitiſſet, ſed numeri Hipparchici retinerentur ab omnibus, ac ſolūmodò ad Stellarum lōgitudinē adderetur, quod motu illo octauæ Sphæræ tēpus abatur eſſe promotū; idque cū illi numeri

per

per dena dumtaxat minuta (& plerumque quidem mendoſiſſimè) tam ſecundum longitudinem, quàm ſecundum latitudinem Stellarum loca exhiberent: ac ſolus eſſet Landgrauius, qui (dignâ ſanè Principe curâ) in id incubuiſſet, quadringentarúmque Stellarum reſtituendarum ſpem feciſſet (veluti heic etiam à Tychone attingitur, non omiſſo diſſidio illorum quinque minutorum.) Cùm id, inquam, ſic ſe haberet; merito iure eſt Tycho vſus iſta, non inuidenda ſanè, ſed grata, ac beneuola mente excipienda Apoſtrophe, quàm triennio pòſt, pagellas aliquot recudens, lacunáſque complens, ipſi Fixarum reſtitutioni in hunc modum appoſuit, *En igitur habes, exoptatiſſima, & grata vti ſpero, Poſteritas, Stellarum Affixarum, omnium propemodum, quæ in noſtro Climate conſpiciuntur, præſertim quoad præcipuas, & notatu digniores, quotquot hactenus Inſtrumentis noſtris nulli fallacia obnoxiis aſſequi licuit, accuratiſſimam Reſtitutionem intra proximè elapſum decennium, vel eò amplius, plurimarum noctium vigilys. indefeſſo calculi labore, & impenſis omni æſtimatione maioribus; tandem exantlatam, atque in publicum vſum concinnatam, tibique harum cupida, liberali, amplo, & perenni munere conſecratam.* Quin etiam iure quaſi erupit in præclarum illud ad Aſtronomiæ cultores Paræneticum, cujus hoc initium,

Et iam ſtrata via eſt, multis priùs inuia ſæclis,
Magno equidẽ, & vigili tãdẽ exãtlata labore.
Scandere inacceſſi liceat quà culmina Cœli,
Et ſuperas penetrare domos. habitacula diuũ;
Seu lubeat Fixas, vario, ſeu tramite motas
Deſignare Faces, curſumque ſitúmque probare
Sidereum, ſummi vt conſtent miracula Iouæ.
Ergo agite, ô Iuuenes, quibus eſt vigor acris, & altus
Ingenij genijque fauor; quibus inclyta ab ortu
Vrania diuum Cœli inſpirauit amorem,
Et dedit æthereis Terram, ac terreſtria quæque
Poſt habuiſſe bonis, qui non temeraria vulgi
Iudicia, aut tetricas vocci curatis inertum;
Obſcuris talpas mittentes degere in antris,
Perpetuò vt cæcæ maneant, velut eſſe cupiſcũt;
Huc ſpirate alacres, &c.

1589. Inierat iam M. D. LXXXIX. annus, cùm hiſce duobus Capitibus de Reſtitutione Solis, & Fixarum ad prælum ſubeundum paratis, & pro prima parte totius Libri habitis, adornare cœpit, quæ octo de Noua Stella iam adumbrârat, deſtinatis quinque ad ſecundam partem, ea continentem, quæ Tycho tum circa Stellam Nouam obſeruauit, tum ex obſeruatis deduxit: tria verò ad tertiam ea complectentem, quæ circa aliorum obſeruata, ac placita diſquiſiuit, ac cenſuit. Non eſt porrò, quorſum in iis, quæ ad ſecundam partem ſpectant, immoremur; cùm quicquid in ea eſt notatu dignum, circa illud tempus, quo Stella apparuit, attigerimus; ac illud dumtaxat prætermiſerimus, quòd ille occaſione magnitudinis Nouæ Stellæ de magnitudine Solis, Lunæ, & tam Inerrantium, quàm Errãtium Stellarum Capite ſeptimo ediſſeruit. Vnde & hac ſolùm de re, vt dicamus; ſupponens ille imprimis Solem abeſſe à Terra, cùm in mediocri diſtantia eſt, terrenis Semidiametris 1150. (octo nimirùm ampliùs, & ob rationem quidem non prorſus myſterio carentem, de qua eſt antè dictum ac eſſe aliunde viſibilem illius Diametrum minutorum 31. pronuntiauit Solem eſſe Terra maiorem proximè centies, & quadragies. Supponendo deinde Lunam abeſſe à Terra in mediocri itidem diſtantia Semidiametris terrenis 60. ac Diametrum eſſe, apparerève minutorum 33. pronuntiauit Lunam eſſe proximè quadragies bis minorem, quàm Terram. Soppoſita poſteà mediocri, tam Mercurij, quàm Veneris diſtantia à Terra, quanta Solis eſt, ac Diametro illius minut. $2\frac{1}{6}$. iſtius $3\frac{1}{4}$. pronuntiauit Mercurium eſſe vndevicies, & Venerem ſexies, proximève, Terra minorem. Suppoſita ad hæc mediocri diſtantia, Martis quidem, Semidiametrorum 1745. Iouis, 3990. Saturni, 10550. ac Diametro Martis, min. $1\frac{2}{3}$. Iouis, $2\frac{1}{4}$. Saturni, $1\frac{5}{6}$. pronuntiauit Martem Terra minorem proxime terdecies; Iouem autem maiorem proximè quaterdecies, & Saturnum vicies bis, aut aliquantò ampliùs. Suppoſitis denique Fixis abeſſe ad ſummum à Terra Semidiametris 14000. ac Diametrum Stellarum Primæ magnitudinis eſſe minutorum 2. Secundæ, $1\frac{1}{3}$. Tertiæ, $1\frac{1}{12}$. Quartæ $0\frac{3}{4}$. Quintæ, $0\frac{1}{2}$. Sextæ, $0\frac{1}{3}$. pronuntiauit Stellas Primæ Magnitudinis ſexagies octies circiter maiores, quàm Terram (niſi quòd quæ ſunt ex illis præcipuæ, veluti Canis maior, ac Lyra, haberi poſſunt maiores centies, & quæ infrà mediocreis, maiores ſolùm quadragies, quinquies) Stellas autem Secundæ, maiores vicies, octies; Tertiæ, vndecies; Quartæ, paullò ampliùs, quàm ter; Quintæ; paullò ampliùs, quàm ſemel; at Stellas Sextæ eſſe ter proximè minores.

Prolixa deinde ſequitur Tychonis in cæterorum obſeruationes opinionéſque inquiſitio. Nam fusè primùm illos recenſet, qui fecere Stellam omnis Parallaxeos expertem, ac ſuperiorem adeò Planetis inque orbe Fixarum ſitam. Subiicit illos, qui Parallaxin Stellæ attribuere nonnullam quidem, at non tam paruam tamen, quin adhuc in regione ætherea, ſupràve Lunam conſtitueretur. Poſtremò illos adiicit, qui Stellam, aut ſub Luna habuerunt, aut nihil ſolidi de ea cenſuerunt. Ex primis, nouem numerat, quibus & ſubiungit ſeſe decimum, ob Librum à ſe tempore Stellę editum, quem perinde, ac ſcripta cæterorum in examen vocat. Primo autem loco meritò fuit memoratus ſæpe, & nũquam tamen ſatis laudatus Land-grauius, qui tametſi eo tempore, aliquam Stellæ Parallaxin, ob Poli altitudinem non ſatis exquiſitè perſpectam attribuerit; ea nihilominùs obſeruata cum Tychone cõmunicauit, ex quibus licuit elicere caruiſſe Parallaxi Stellã; quòd & ipſe poſteà Land-grauius deprehendit. II. Taddæus Hagecius, de quo etiam eſt aliquoties dictum, quique obſeruationes quidem non vndequaque exquiſitas peregit, ſed non malè tamen ex non ratis dedomenis Stellam Parallaxi caruiſſe concluſit. III. Paulus

Paulus Fabricius, Cæſareus Mathematicus, qui verè quidem etiam concluſit fuiſſe Parallaxi deſtitutam Stellam; at nullis prolatis obſeruationibus, ex quibus poſſet oſtendere ſe negotio ſatisfeciſſe. IV. Bartbolomæus Reiſacherus, Viennenſis Matbematicus, qui etiam rectè quidem concluſit defectum Paxallaxeôs; at ex obſeruatis, aut nullis, aut paucis; iiſque non exactis, aut fidis Cùm ille autem, vt fieri ſolet, eam Poli altitudinem, quam Peurbachius, & Regiomontanus dixerant, ſuppoſuerit; miratur Tycho, neque illum, neque tot alios præſtanteis Mathematicos feciſſe rei periculum, & *an-ne ita decet*, inquit, *nos ſeruiliter addictos aliorum prolatis, vt nihil in his ipſimet experiamur?* V. Paolus Hainzelius, cuius literas ad Volphium bac de Stella refert: at vidimus ante Tychonem vſurpare Hainzelij obſeruationes probando Parallaxeos defectui, vt ſuas; nempe ob magnum illum quadrantem. VI. Michaël Mœſtlinus, cuius libellum referens, & ſtudium induſtriamque commendans, id ferè ſolùm improbat, quòd Stellæ ſitu per filum obſeruato, eo modo, quo antè eſt dictum, eius tamen locum ex ſtellis non correctis deduxerit, ac fuerit alioquin Copernici Hypotheſin ſequutus. VII. Cornelius Gemma, qui veram quidē de defectu Parallaxeos ſententiam, at ex nimis tamen erroneis obſeruationibus deduxit. VIII. Hieronymus Munoſius, Mathematicus Valentinus, qui diſtantias quidem ſatis exactè obſeruauit; at locum non bene deduxit. Probaturus autem Tycho defectum Parallaxeos ex obſeruationibus factis in variis Horizontibus, ſuas non modò cum Hainzelianis, ſed cum Munoſianis etiam contulit. IX. Franciſcus Valeſius, qui Stellam quidem inter Fixas habuit; ſed eſſe eam tamen reputauit vnam ex veteribus Caſſiopeiæ Stellis, quæ ob paruitatem inconſpicua, grandem ſpeciem induerit, ob medium craſſius lumeri addenſans, per quod Stella tranſierit, octauæ Sphæræ motu traducta. X. verò de ipſo Tychone, primóve eius libro nihil heic attingendum, cùm rem ſuo iam loco deduxerimus.

Ex ſecundis recenſet octo, quorum rurſus primus ipſe eſt Land-grauius, quatenus, vt iam dixi, initio, literiſque ad Peucerum, & ad Electorem Saxoniæ (à quo fuerat admonitus apparitionis Stellæ) datis, Parallaxin 3. minutorum (ſi tamen tantam) in Stella admiſit, ſicque Stellam Sole paullò inferiorem, diſtantémque à Terra 1062. terrenis Semidiametris fecit. II. Caſparus Peucerus, VVittebergenſis Profeſſor primarius; is ſcilicet, de quo mox dictum, quique Stellæ Parallaxin min. 19. tribuit, ipſámque idcircò à Terra diſtātem terrenis Semidiametris 164. & ſuperare Mercurij Sphæram, ac Veneream attingere ſtatuit: Neque ſecus VVolfgangus Sculerus, cùm, vt ſuperiùs attigimus, quæſtioni à Caſparo Peucero iuniore propoſitæ faceret ſatis. III Ioannes Prætorius, itidem Vittebergenſis, qui Stellam, aut intra orbeis Planetarum, aut etiam ſuprà ſtatuendam cenſuit; ac ideò Ioannis Penæ ſententiam de aërea Cæli regione non improbandam duxit. IV. Philippus Appianus Petri filius, cuius ſuperiùs meminimus, quippe verè quidē aſſeruit exſtitiſſe Stellam regione elementari ſuperiorem; at caruiſſe illam Parallaxi, nulla aut obſeruatione, aut demonſtratione probauit. V. Thomas Diggeſæus Anglus, qui Parallaxin, non-niſi 2. minutorum Stellæ attribuit, imò minorem, ac ferè nullam, ob inſenſibilem, aut nullam à Fixa vicina in ſublimi, humilique ſitu diuaricationem. Eius obſeruata, cum aliquibus circa doctrinam Parallaxeon Problematibus refert Tycho, in eoque non probat, quod Copernici opinionem ſectatus, poſſe ſe illam demonſtrare Apodixibus firmiſſimis profiteretur. VI. Ioannes Dee, & ipſe Anglus, qui conſcripto de Parallaxibus libello, ac ſpe obſeruandi Stellam facta, an præſtiterit, eſt incertum; ſed interim tamen tranſeundo Caſſellis opinari ſe dixit, extitiſſe quidem in æthere Stellam, at non tamen ſemper in eadem à Terris diſtantia; quippe quæ ex humiliore ſitu ſeſe paullatim in ſubliniorem per rectam lineam receperit: quæ ſententia Lādgrauio quoque (vt nihil de Gemma dicam) non diſplicuit. Ita ſcilicet retulit Rothmannus, cùm anno inſequente Tychonem inuiſit; vnde & ipſi facta eſt occaſio, vt iſtud poſteriùs interſereret. VII. Elias Camerarius Francofurti ad Oderam Profeſſor, qui eiuſdem de recepta ſenſim in ſublime Stella ſententiæ, illius Parallaxin fecit minutorum nunc 50. nunc 4. (idque ex obſeruatis ejus altitudinibus) nunc etiam admiſit nullam vnquam fuiſſe. VIII. Eraſmus Reinholdus iunior, qui Parallaxin 3. dumtaxat minutorum Stellæ attribuit, ſed ex obſeruatis nempe Land-grauianis, quæ licet euulgauerit, Land-grauij tamen mentionem non fecit.

Ex poſtremis tredecim profert. Primo autem loco, eſt memoratus antè Cyprianus Leouitius, qui calculator licet egregius, ſolidi tamen nihil obſeruauit, aut docuit; vt conſtare poteſt, vel ex eo, quòd in Latitudine Stellæ definienda quatuor gradibus aberrauit, prodiditque Stellam poſt duos menſeis moueri cœpiſſe, ac poſt vnum menſem, promotam fuiſſe treis gradus in Boream; ne memorem omnia fuiſſe ab eo infecta Aſtrologicis nugamentis. II. David Chytræus, in eo laudabilis, quod Melanchthonis præceptoris imitatione iuueneis adhortatus eſt, ipſe Profeſſor Theologus, ad Mathematicum ſtudium. Quin-etiam, licet habuerit primùm Stellam ſublunarem, & quaſi Cometam, ac Aſtrologicas quoque prædictiones commiſcuerit; deinceps tamen de Cometa inſequuto ſcribens, illum in æthereæ potiùs, quàm in elementari regione conſtituit. III. Guillelmus Poſtellus, qui vtcumque initio fuiſſe Stellam ſine Parallaxi, & Rhombum illum quatuor Stellarum Caſſiopeiæ, Crucem eſſe balbutierit; deinceps tamen nihil aliud, quàm omnia ſuperſtitioſis præſagiis compleuit. IV. Annibal Raymundus Veronenſis, qui nugatus eſt nihil fuiſſe Stellam aliud, quàm illam Caſſiopeiæ 11. Stellam,

Stellam, quæ ſolito illuſtrior præ quapiam fumoſitate euaſerit. V. Cornelius Frangipanus, qui eiuſdem cum Raymundo ſententiæ, id ſolùm adiecit, quòd Stella loco ſuo emota duobus gradibus verſus Boream proceſſerit. VI. Bartholomæus Raiſacherus, Viennenſis Mathematicus, qui priuſquàm omnia exquiſitè diſcerneret (viſu imbecillo cùm foret) in eadẽ fuit cum illis Italis opinione. VII. Anonymus quidam Germanus, qui rurſus idem; verùm de Stella Caſſiopeiæ xij. ſomniauit. VIII. Andreas Nolthius, Mathematicus Embecenſis, qui & Stellam Cometam habuit, & Diametrum illi attribuit 10. minutorum, Patallaxin minut. 39. diſtantiam à Terra Semidiametrorum terrenorum 19. minut. 50. ſec. 12. ac milliariũ adeò Germanicorũ 17059. Vide futilem ſcrupuloſitatem. IX. Georgius Buſchius Erfurdienſis Pictor, qui etiam, tum Cometam, ipſúmque ſublunarem habuit; tum Diametrum illi ſeſquiminuti attribuens, diſtantiam eius à Terra fecit Semidiametrorum 50. ſeu milliarium 2579. & paſſuũ 1905. Vide iterum futilitatem; cùm & notabile ſit, ex illius obſeruationibus, vtcumque craſſis, elici diſtitiſſe Stellam à Terra Semidiametris 185. X. Theodorus Graminæus, Mathematicus Colonienſis, qui & Stellam Cometam, & initio quidem non caudatum, habuit, & nihil aliud, quàm Paterga, Aſtrologicáque, & Cabballiſtica nugamenta commiſcuit. XI. Adamus Vrſinus, & XII. Andreas Ruſa Aſtrologi, qui in ſuis Prognoſticis, ſiue Almanach, nihil, niſi inane quidpiam effutierunt. XIII. Anonymus quidam Kalendariorum fabricator, qui aliis quibuſdam Stellam Terræ admouentibus ad Semidiametros 19. 15. aut 12. admouit ipſe ad milliaria 730. adiecitque illam intra dies 53. emotam fuiſſe minutis 19. ſec. 6. tertio 1. O nugatorem!

Verùm hæc quidem, vt iam innui, per anni decurſum expoliit; at interim tamen ab extremis vſque ſuperioris anni menſibus, Caput primum prælo commiſit; neque multò pòſt, computatis foliis, quaternionibúſve, qui illi ſufficerent, ſecundum quoque inchoauit; idémque etiam circa tertium, & octauum (hoc eſt, ſecundam, & tertiam partem) præſtitit; adeò vt quatuor, quaſi initiis factis, plura ſimul præla nonnunquam incaluerint (vtcumque etiam, varias ob cauſas, nonnunquam decaluerint, veluti, cùm deficiens charta tempore præfixo aduecta non fuit: adeò proinde, vt per æſtatem in Papyraceo molendino conſtruendo incubuerit.) Nequicquam profectò non eſt, quòd ſcribens ad Land-grauium ante finem Februarij, poſtquàm deduxit ſe comprobaſſe ex Venere Octobri ſuperiore veſpertina, & elapſo mox Ianuario, Eoa, nihil vitij in aſſignatis à ſe Fixarum locis ſubeſſe; ac illa adeò quinque minuta in locis à Land-grauio aſſignatis excedere; quæ apud ſe quoque ex veſpertina, aut Eoa ſolùm, & neglectis præſertim Parallaxeon, Refractionúmque implicationibus, exceſſiſſent; quod, inquam, poſtquam illud deduxit, huiuſcemodi verba ſubiicit; *Quin & mea ratiocinia, cur non aliter in his ſtatuendum ſentiam, quàm pridem à me indicatum eſt, etiam tua Celſitudo propediem, fauente diuino auxilio, è ſecundo Capite prioris Tomi noſtri de Recentioribus Ætherei Mundi Phænomenis, quem nunc ſub prælis habeo, perſpiciet.* Præterea verò, eum tranſmiſiſſe cum his literis, Solareis Ephemeridas in annos labentem, ſequentémque ſupputatas, iuxta factam nouiſſimam motuum Solis Reſtitutionem; ſeu mauis, iuxta Tabulas in primum illud Caput inſertas. Quoniam autem ſimul literas ad Rothmannum dedit, quæ parum abfuit, quin infenſè ab eo exceptæ fuerint: ideo non videntur prorsùs reticendæ: ac potiſſimùm, quia conſcriptæ aliquanto animatiùs, ſuperciliosiúſque videntur; ac fortè quidem potiſſimum, ob Hypotheſin ſugillatam.

Teſtatur ergo nolle ſe primùm contendere multum de Cæli materia, quando ille ſe nullis ratiociniis ab arrepta ſemel ſententia dimoueri ſinit. Licere illi, per ſe, Cælo commiſcere aërem, imò &, ſi quis aquam, ignem, aut omnia ſimul Elementa velit; modò & ſibi ſit liberum quod ſentiat, proferre; qui ſi illaturus in Cælum Elementarem materiam foret, igneam potiùs cum Paracelſo ob eam cauſam inueheret, quod aliorum Elementorum congrua animalia excipientium inſtar, Solem, Stelláſque excipiat, quæ ignis cuiuſdam incombuſtibilis ſpeciem repræſentant. Sed hiſce, aliiſque dimiſſis, cùm nihil ſe, ob præoccupatam opinionem, perſuaſurum videat; vnum ſe dumtaxat eius argumento de creanda ex diuerſa materia Refractione opponere; ſcilicet, quòd communis aqua per iteratas eleuationes defæcatiſſima reddita, & ſpiritus vini ab omni phlegmate purgatiſſimus, diuerſæ oppidò ſint ſubſtantiæ, & conſimili tamen cryſtallo concluſæ tranſparentiâ non diſcrepent, neque adeò diuerſam Refractionem creent. Nullum fieri illi ſubſidiũ ex procreatione Cometarum, qui igneam potiùs naturam arguant; illúmque abſurda aſſumptione ſtabilire aliam incaſſum conari, ac ſe decreuiſſe id adeò euidenter oſtendere, vt refragari iuſtè nemo queat. Deinde, repetiiſſe ſe ſuperioribus etiam diebus Crepuſculorum obſeruationem, ac eandem ſemper comperiſſe depreſſionem Solis infra Horizontem, ſiue deſinente, ſiue incipiente crepuſculo; illiúſque adeò animaduerſionem exorbitare nimiùm, inualidúmque eſſe, quod ille de Crepuſculorum, Refractionúmque diuerſitate propoſuit. Poſſe illum videre apud ſuos Authores, quæ de Secretiore Philoſophia cognoſcere prætereà auet: ſibi id temporis non vacare, neque tutum eſſe rem literis committere. Lætari ſe, quòd Libet placuerit. Quòd ille adiecerit eandem ferè ſibi ad inuẽtam Lunæ maximam Latitudinem, expetere ſe, vt renunciet, quantum, quatenúſque iſtud explorârit, maximéque, vt fidem vberiorem Bruçæo faciat (qui mutatam hanc Lunæ Latitudinem officere obiecerat quantitati Eclipſeon reſpondenti alioquin calculo nõ malè) quanquam nihil deprompere ſuis ex obſerua-

tis

tis vult, quod non ratum ſit, quódque alterius ſuffragio non egeat. Optare etiam, vt indicet, quî errare Tabulas in deſignatione Nodorum plus gradibus quatuor deprehenderit; cùm Tabulæ nullæ ſic exorbitent, vt in quantitate Eclipſeos beſſe diametri Lunæ peccent; quod exiode quidem fieri ſequeretur. Ad hæc, non declaraſſe ſe quam Cometarum materiam, generationémque eſſe putet (niſi quod cæleſtem dixit obiter) id enim fuiſſe in concluſionem totius Operis reſeruatum: neque ex voce generationis colligi debere corruptionem ſe in Cælum inducere; neque enim ſtrictè, & Grammaticorum more vſurpaſſe ſe generationis vocem, ac inſpici debuiſſe Libri titulum, in quo deuitata Generationis vox, ne vllus eſſet cauillationi locus. Cometæ Caudam non ex eadem cum Capite materia eſſe, ſed traiectos radios, vel illud arguere, quòd radiatim prodeant, atque diffundantur, quódque in auerſam à Sole partem eant; etiam ille anni M. D. LVIII. à Land-grauio adhuc iuuene obſeruatos, & ab ipſo Rothmanno obiectus; vt nihil dicatur de cæteris, qui pro acceſſu quidem ad oppoſitionem cum Sole, Caudam in Barbam contrahunt, ſed ſemper nihilominùs porrigunt in oppoſitum Solis. Denique, ſi Hypotheſis tantopere illi diſpliceat, & Copernicum ſequi malit, eſſe id ipſi integrum; cùm & facile etiam ſit, aëre in Cælum inducto, Terram, maréque inuehere. Oſtenſurum ſe ſuo tempore, quàm longè antecellat ſua Hypotheſis, quámque conſtet ſemper abſurditates Phyſicæ in Copernicanam obiectæ. Non valere aliunde, quod ille circa Scripturam Sacram excuſat. Maiore enim authoritate, reuerentiáque habendam eſſe, quàm vt ea ratione in cothurni modum trahatur. Quippe quæ, vtcumque ſe vulgi captui accommodet, non idcircò tamen non vera proponat. Illud certè de Luna luminari magno, & minori tamen, quàm Sol ſit, intelligi ſolùm de magnitudine luminis; nam alioquin vulgus non haber Lunam minorem, quàm Solem. Nihil morari ſe obiectam tractionem, retrogradationiſque labem; quòd illa nihil aliud ſit, quàm naturalis, & inſita diuinitùs concomitantia. Non ſumpſiſſe ſe occaſionem ex Copernicana Hypotheſi inuerſa; ſed ex Marte Acronycho, & ex libertate ætherez regionis. Si ille quid tale vnquam cogitârat, ſe id latuiſſe; ac intelligere tamen Vrſum illum Dithmarſum oſtendiſſe Land-grauio viſam apud ſe Hypotheſin, quæ expreſſa fuerit in automato; idque, vel ex eo comprobari, quòd Martis orbem vndique ambientem Solis orbem exhibeat, vt conſpecta ab illo Charta, quæ fuerat negligentiùs exarata, exhibuit. Miſſurum ſe exempla Libri inſinuata; ac non poſſe ſe plura ſcribere, cùm ob occupationes alias, tum ob hemicranij dolorem ex coryza diebus ſuperioribus præ nocturno frigore inter obſeruandum contracta.

Taleis literas Rothmannus non hàbuit ante diem Auguſti xvij. idque cùm iam ſex antè diebus accepiſſet alias, & ipſe iam breueis dediſſet die Iulij xxvij. quibus Tychonem admonuerat, non acceptarum literarum, ac eius ardoris, quo exſpectabat Lád-grauius tum literas accipere, tum addiſcere, quid moliretur noui. Deſtinârat autem literas ad Ranzouium, ipſi quoque Land-grauij deſiderium ſignificans; adiecto Epiſtolio pridie ad ſe à Principe dato (quippe cùm Hombergi venandi causâ verſaretur) vnde & Tycho poſtmodum haſce, aliaſque literas ex Holſatia à Ranzouio accepit. Sed vt de Rothmanni reſponſo ad ſuperiores quidpiam heic dicam; Is ſe reſponſurum paucis recipit, quod occupationibus diſtrahatur, quódque videat ipſũ Tychonem, aut ob occupationes varias, aut etiam ob morbum, literas ſuas longè aliter, ac ſcriptæ forent, intellexiſſe. Nuſquam ſe quicquam detraxiſſe authoritati Literarum Sacrarum, nihilque dixiſſe, quod non ipſe, ac Theologi omnes Sacras Literas interpretantes dicerent; quin etiam D. Auguſtinum multò liberiùs de illis loqui. Sibi ſolius Dei gloriam in omni actione propoſitam eſſe; ac ideò non eſſe, cur ille quid impium de ſe cogitet. Non eſſe, cur penitùs cæcus circa Crepuſcula habeatur; neque enim ſe eſſe adeò temerarium, vt aliquid ſcribat, quod expertus non ſit. Loquutum ſe fuiſſe de Crepuſculo, non pro luce dubia vulgariter accepto, ſed pro ſuperſtite albicantia, quæ in occiduo aëre aliquovſque perſeuerat; neque enim illeic tam eſt, quàm iuxta Horizontem reliquum obſcurus. Non agnoſcere ſe, cur ſuis Refractionibus ille detrabat; neque enim ſe poſſe alias eruere, quàm Inſtrumenta monſtrent; iniquam eſſe poſtulationem, ſi ille à ſe aliud exigat. Nihil ſe circa generationem in Æthere reprehendiſſe; ſed rem dubitanter ſolùm propoſuiſſe, ſi quà eliceret illius ſententiam. Scripſiſſe ſe potiùs de Cometarum Caudâ, quod examini illius ſubiiceret, quàm quod verè vrgeret: ac Principem ſuum vel eo excuſandum; quòd tempore illius Cometæ nondum foret ſatis in obſeruando exercitatus. Nolle ſe, vt ille obſeruationẽ Principis euulget; neque etiam quam ſuam cum ipſo de Cometarum generatione communicauit, ſententiam; alioquin rem fore cum muto, quòd præter illum nemo eam nôrit, & ipſe in aliam ſic inciderit, vt totum illud de materiâ, illuminationéque Cometarum mutaturus ſit, ſi alium Cometam ſemel obſeruârit. Nihil velle ſe ampliùs de äere illo per Cælum diffuſo cum eo agere: tem ſe pertractaſſe in ſuo de Fixis Stellis Opere, illum ipſi non immiſcendo; ac debere ipſum idem agere; doctos poſteà viros diiudicaturos. Agnoſcere ſe id ſaltem obtentum, vt diaphania aëris puri à diaphania materiæ Planetis circumfuſæ nihilo differat: fore, vt reliquam ſententiam filia temporis veritas eum doceat. Aduertere ſe quoque Trinitatis myſterium, niſi principiis Chymicis (de quibus ille fuerat loquutus) ſaltem ex eo, quòd omnia conſtent ex terrena materia, aqueo glutine, ſpiritu aëreo; ac cæleſti quidem calore, virtutéque agente. Se olim peculiari ſcripto de Hypotheſibus Ptolemæi, & Copernici; vtra vera ſit, diſcuſſurum.

ſurum. Et ſic quidem fuit die Auguſti xxij. reſponſum.

Tycho autem deinceps XXIV. Nouembris reſcribens, ſignificauit ſibi non morbum, occupationéſve obſtitiſſe, quò minus literis expreſſam illius mentem aſſequeretur; neque enim latuiſſe in illis inſolubilia ænigmata; aut objeciſſe aliquid, quod ex illis colligeretur; cùm & fuiſſet fortè æquo indulgentior. Mirari ſe potiùs, cur ipſe tam ægrè, ac ſiniſtrè ſuas interpretatus, tam rhapſodicè ad eas reſpondiſſet. Nuſquam ſe impietatis illum accuſaſſe; ſed ſolùm de Literis Sacris id, quod ſentiret, quodque res eſſet, expoſuiſſe. Nondum deguſtaſſe illum, quam quintam eſſentiam ſalsè exprobret; & donec eam olfecerit, ſatius eſſe iudicio immaturo ſuperſedere. Non præſumpſiſſe ſe illum circa Crepuſcula occæcare; bene agi, ſi ex ſua, aliorúmve mente, caligo pellatur. Non debuiſſe illum dicere ſe ſcire Crepuſculum vulgariter loquendo Sole depreſſo gradibus ſeptendecim deſinere: quaſi verò ipſe nihil adhuc foret, niſi quod vulgus ſapit, molitus; & in re præſertim, in qua præ cæteris facili, ipſe non ſuos ſolùm, ſed ſeptem aut octo præterea ſtudioſorum oculos adhibuerit; ille tam fuerit Lynceus, vt ſuos ſolùm vſurpando rem acutiùs perniderit. Non poſtulaſſe ſe ab illo vnquam, vt in ſui gratiam quicquam diceret; monuiſſe magis de veritate enucleanda penitiùs, & circa Refractiones ſpeciatim, quas modicas eſſe, & Crepuſcula ampliora, contradictio eſt. Habere ſe pluſquàm vicena, ipſáque plerumque quadricubitalia, aut quincubitalia Organa; illum duo ſolùm bicubitalia, & ex ſua adhuc ſolertia profecta, vt debeat proinde ſibi gratias, quòd tam perſpicax euaſerit; quanquam neque omnia VVitichio, aliive vnquam ſic propalauit, vt non ſibi arcanum aliquid reſeruauerit; ac par eſſe proinde illum, niſi attendere diligentiùs velit, acquieſcere ſibi. Quod ille dubitanter, & eruendæ ſententiæ ergò propoſuit, feciſſe VVittichium, & alios; at ſe factum fuiſſe experientiâ cautiorem. Lætari interim, quòd illi: circa obiecta de corruptione in Cœlos inducta pulcrè reſipuerit ſcripta de Cometarum Cauda reuocauerit, ac in viam redierit: ſcripta de Cometa obſeruato à Principe, non ſcripta malit. Quod ille rogauit ne qoid vulgaretur, non eſſe iam rem ſibi integram; quoniam, cum Ranzovius, Peucerus, & alij poſtulaſſent, vt iſtæ mutuæ ederentur Literæ, admota jam eſſet manus operi; atque ita quidem; vt res laudi verteretur Principi, ac ipſi quoque, de quo ſemper nonniſi honorificè & ſentiret, & loqueretur. Si quid deinceps recantaret, id veritatis ſtudio, & vertendum, & commendandum. Dum quidpiam ex ſcripto de Cometa attinget, non fore rem ſibi cum muto, cùm ille id ſeribens, & ad ſe mittens mutus non fuiſſet. Se rerum à ſe ſcriptarum non ſic pœnitere, quin illi eſſe velit integrum eas diſcutere; videat modò (vt candidè agat) nec juuenili quodam feruore ſententiam immaturam pronuntiet. Gratulari ſe, quod in aliam de Cometarum materia opinionem diuerterit; reuerâ enim capi non poſſe, quo raptu ex Terra in orbem Saturni euehi tanta moles potuerit, ex qua Cometa conſtiterit. Chaſmata illa, ſeu nocturnam lucem, quæ interdum ad Boream apparet, non à Sole nimis depreſſo, in vaporibus ſupra terram nimis humilibus creari; ſed ex ſulphuroſo halitu ardente, diſcurrentéque per aërem. Si ille exſpectare alium Cometam velit, licere; non inconſultum intereà fore, ſi acquieſcere ſibi renuens, judicium tamen ſuſpenderit. Accipere libenter ſe, quòd ille ampliùs diſceptare de Cæli materia ſecum nolit: ſeu autem immiſceatur, ſeu non immiſceatur illius ſcriptis, perinde fore. Non recuſare ſe virorum intelligentium judicium, & quod ille tertium, qui judex ſit, exigat, ſe conditionem acciperet; ac cæteros inter, quos ille deligere voluerit, Peucerum ſe intereà nominare. Trinitatis myſterium non in Terra; Aqua, & Aëre; ſed in alijs tribus principiis occultioribus contineri. Gloriari illum immeritò, ac nimis inconſideratè præcipitare judicium, quòd ſe obtinuiſſe circa diaphaniam Aëris, ac Ætheris ait, quaſi ipſe ex illo exemplo de Aqua, & Vino depuratis concludere voluerit eandem vtriuſque eſſe materiam; & non potiùs oſtenderit ex eadem diaphania eandem materiam non concludi. Addere illum; fore, vt veritas temporis filia reliquum doceat, & ſe illud quidem gratè amplexurum, quicquid docuerit veritas: attamen ſe nihil adhuc eorum, quæ protulerit, retractaſſe; cùm ſatis longa ſit eorum ſeries, quæ ille, vel vnâ retractarit Epiſtolâ. Ille ne Ptolemaicam, Coperniceamve Hypotheſin probare velit, liberum eſſe; ſe nihilominùs ſuam ſic probaturum, vbi in motibus Mobilium Secundorum verſabitur, vt ſi ille quæ plura excogitarit; intereà velit opponere, rem facturus ſit non ingratam. Quòd videat autem illi præcipuè arridere Coperniceam de triplici motu Terræ attributo ſententiam poſſe hæc deligi; quæ ſigillatim obiiciantur. Aduerſus Diurnum quidem, caſum globi ex turre dimiſſi, qui profectò non ad amuſſim in ſubjectum punctum caderet, ſi, eo verſante in aëre, Terra cum turri ſubduceretur; idque curſu adeò veloci, vt in illis Borealibus regionibus, ſeſqui-centum majorum paſſuum intra ſecundum ſcrupulum foret. Aduerſus verò Annuum, immenſam illam, eamque inanem capacitatem Saturnum inter, & Affixas, quæ pluſquam ſeptingenties continere id ſpatium debeat, quod à Sole, habito vt centro, in Saturnum erit; ſi orbis Terræ annuus, vel vnius minuti ſit, ſicque Stella tertiæ magnitudinis non major: quid ſi euadat prorſus inſenſibilis? Aduerſus Tertium, repugnantiam, vt axis Terræ eiuſque centrum motibus contrariis agantur; ne quid dicatur interim de Intricationibus Librationum. Et hæc quidem Tycho, nonnulláque alia, præter id poſtſcriptum, quo Rothmannum hortatus eſt, vt Reſtitutionis Fixarum Land-grauianæ editionem maturaret, nihil morando minuto-

rum illorum quinque diſcrepantiam, cuius ipſe quoque in primo Progymnaſmatum tomo faceret mentionem.

Sed hæc tantiſper vt intermittam, acceſſit ad Tychonem ante finem anni celeberrimus ſtudioſiorum Chriſtianus, qui ab obſcura Cimbriæ parœcia Longo-montanus cognominatus fuit. Is ante annos xxvij. patre Seuerino, matre Marina parentibus agricolis natus, non parùm luctatus cum fortuna fuit, nunc apud parentes, nunc apud amitam, nunc apud patruum educatus; & partim parœciæ Paſtori erudiendus traditus, partim ad operas ruſticanas vocatus; quouſque annos xv. natus, clam ſe ſubduxit, & in diſtantem xij. milliaribus ſcholam Viburgenſem ſeſe recepit Moratus illeic xj. annos, partim induſtriâ victum parans, partim indefeſſo labore literis inuigilans, ac ſtudia inter cætera, etiam Mathematicis ſub Mathia Huaſio incumbens, ad celebrem Hafniæ Academiam appulit, in eâque ſic ſeſe per annum probauit Profeſſoribus, vt fuerit ab illis maximoperè apud Tychonem commẽdatus. Ita fuit portò per octẽnium, quo Tycho prætereà in Huenna fuit, laborioſus, ac ſedulus, vt denique obſeruandi praxin præ cæteris calluerit, ipſiſque ſæpè præfuerit, & calculi etiam texendi præcipuus miniſter, & adiutor fuerit. Verùm ex poſteriùs dicendis cognoſcendum vberiùs eſt, quanti illum Tycho fecerit, quàm merito iure voluerit, ſi quid induſtriâ maximè indigeret, illi commiſſum. Adnoto heic ſolùm delectationi illi ſummæ fuiſſe, quòd per ipſam brumam obſeruare licuit, vt imum Solſtitium, ſic ſummam, ac imam Stellæ Polaris altitudinem, quæ deprehenſa proinde eſt diſtare à Polo grad. 1. minut. 54. ſec. 50.

1590. Succedente anno M. D. XC. ac ſub finem Februarij, initiúmque Martij, Cometes apparuit, cui obſeruitando ſtudioſè incubitum fuit. Erat per id tempus Venus veſpertina, Tychóque in captanda eius maxima digreſſione occupabatur, cum die Februarij xxiij. poſt nubiloſum quatriduum ad illam attendens, deprehendit ex improuiſo inter Andromedæ, & Arietis aſteriſmos, ac iuxta Piſcem Boreum, Stellam ſubobſcuram, minúſque compactam, Diametro quaſi minutorum trium, & exacto crepuſculo, etiam pertenui Cauda donatam. Cauda hæc viſa initiò longa decem circiter gradibus, ita ſenſim euanuit, vt die Martij primâ ægrè conſpici, deinceps nullo modo potuerit. Caput quoque ipſum ita ſenſim euanuit, vt poſt diem vj. obſeruari nequierit; ſicque obſeruatus euaſerit per xij. non ampliùs dies. Fuit eius motus in conſequentia, circulum deſcribens, cuius initio gradus 7. minuta 34. intra vnum diem confecit: in fine autem grad. 1. min. item 34. ſed decrementi proportione per dies intermedios ſeruata. Huiuſcemodi verò circulus deprehenſus conſtanter fuit maximus, iſque Æquatorem interſecans in grad. 339. min. 45. cum inclinatione ad eundem, graduum præcisè 42. Cùm die prima obſeruationis, ac ſub horam quidem ix. verſaretur Caput in gr. 18. min. 27. Arietis, cum Borea latitudine gr. 18. min. 14. die poſtrema fuit in Geminorum gr. 3. min. 15. cum latitudine Borea grad. 20. min. 46. Et quia à die vſque obſeruationis quarta conſpici potuit non veſpere modò in ſumma altitudine, verùm etiam manè in ima, ob declinationem Boream graduum pluſquàm 34 adeò, vt die vltimo obtinuerit manè etiam gradus ſeptem altitudinis, ob declinationem graduum 41. & amplius; ideò Tycho delegit primum, ſecundúmque Martij dies, quibus Cometa manè quinque aut ſex plus minus gradus attollebatur, vt obſeruata exquiſitè tam ſumma, quàm ima altitudine (& iſta quidem per habitam refractionis rationem correcta) exploraret, quid inde quoque de Parallaxi colligeretur. Comperit porrò, neque hâc, neque alia via exhibitam fuiſſe vllam Parallaxin, quæ incurrere potuerit in ſenſum. De Cauda, obſeruauit illam in auerſam à Sole partem exquiſitè dirigi; vnde & expetiit à Rothmanno Cometam viſum, obſeruatúmque; vt agnoſceret crines illi ex ſola radiorum traiectione affictos. Heinc ad illum ipſa die prima obſeruationis literas dedit, quibus eum Cometæ apparentis admonuit, dedit & ineunte Aprili ad Land-grauium, cum deſcriptione, & diario motu ex obſeruatione deducto adiunctis. Prætereo autem Tychonem in illis ad Rothmannum literis ſignificaſſe Tomum ſuum primum eſſe iam penè, operâ Typographicâ abſolutum; quippe laborem iam in tertia, vltimáque parte vrgeri.

DE

DE TYCHONIS BRAHEI VITA,

LIBER QVARTVS.

1590. CVM verò ab vſque ſuperiore Autumno, Iacobus Rex Scotiæ Aſtojam in Noruegia appulſus (vxorē ducturus Annam Regis ſororem, & Friderici filiam, quæ deſpóſata ab vſque Auguſto, & in Scotiam nauigans, eò abducta immanis tempeſtatis vi fuerat) nuptias ibidem ſub Nouembtis finem celebraſſet, ac poſteà menſe Martio aduentaſſet in Daniam, Tychonem breui vnà cum Conſiliariis, magnóque nobilium comitatu inuiſit: Ex eóque eſt factum, vt Tycho hoſpites quotidianos, quouſque Iacobus menſe Maio rediit in Scotiā, exceperit. Egit porrò, ac eruditè cum Tychone ſermones habuit eruditus Princeps de argumentis variis, ac de mobilitate præſertim quam Terræ Copetnicus tribuit. Inſpexit quoque Organa, ac perſpectum habere vſum, vtendique rationem voluit. Luſtrauit quoque, & ſpectauit ſtudioſiùs quicquid fuit in partibus ædificiorum ſingulis, & cùm in Muſæo, præter imagines Hipparchi, Ptolemæi, Albategnij, Copernici, Guillelmi Land-grauij, animaduertiſſet Poetæ Buchanani effigiē, quam à Petro Iunio legationem obeunte Tycho acceperat, eam eſſe ſui olim Præceptoris ſtatim agnouit, ipsique & nutu, & digito applauſit. Quàm lætus à Tychone abierit, teſtari poteſt, non tam quòd regiis muneribus illum donauit, quàm quòd triennio pòſt rem expreſſit eo Priuilegij diplomate, quod ad Tychonem in annos xxx. circa Operum editionem miſit, *Neque enim*, inquit, *nobis ex aliorum relatione, aut nuda Operum tuorum inſpectione iſta diſcenda fuerunt; verùm ipſi coràm noſtris oculis auribus noſtris αὐτόπται, ϗ αὐτήκοοι in tuis illis Vraniæ dicatis ædibus ea vidimus, ea audiuimus, variiſque literatiſſimis, atque iucundiſſimis tuis nobiſcū habitis ſermonibus hauſimus, quæ etiamnum animum noſtrum ita afficiunt, vt maiore ne cum voluntate, an admiratione iſta nobiſcum recolamus, difficile ſit ſtatuere Quod equidē nos non illubenter omnibus mortalibus, præſentibus, futuris, hoc diplomate teſtamur; vſque adeò, vt ſi quis de induſtria Vraniburgum tuum adire velit, niſi prorsùs ἄμουσος ſit, domum reuerſus, operæ pretium ſe retuliſſe cōperiat*, Quia verò Tycho petierat quoque abs Rege quædam Carmina (is quippe eruditè Latina condebat) vt illis appoſitis Progymnaſmata condecorarentur; ideò Rex fecit, & propria manu, prout ille rogârat, ſcripſit, miſitque huiuſcemodi,

Æthereis bis quinque globis, queis Machina Mundi
Vertitur, vt celſo eſt cruſtatus fornice Olympus
Ignibus, & pictus fulgētibus vndiq; lychnis:
Pellucens vitreis domibus, vaſtiſque Planeta
Orbibus, vt geminat curſus, vi, & ſpōte rotati,
Vt miti, aut toruo adſpectu longè antè futura
Præmonſtrant, Regniſque Tonans, quæ fata voluit,
His tellure cupis, quæ vis, quis motus, & ordo
Cernere: ſublimem, deductūque æthera Terra
Tychonis pandunt opera: lege, diſce, videbis
Mira, domi Mūdū inuenies, Cælūque libello

Aliud.

Quàm temerè eſt auſus Phaëton, vel præſtat Apollo,
Qui regit ignivomos æthere anhelus equos:
Plus Tycho: cuncta Aſtra regis; tibi cedit Apollo;
Charus & Vraniæ es Hoſpes, alūnus, amor.

Non ſunt verò hoc loco etiam reticenda, quæ Regis Iacobi Cancellarius Vraniburgi ſcripſit, cùm illeic adeſſet die Martis xx.

Regia Muſarum, decus Orbis, & æmula Olympi
Alma domus, dignū nomine Numē habes.
Quæ Sophiæ, aut mirum Babylonia, Græcia, Memphis
Priſca habuere, habet hic vnus, & vna domus.
Nil mirum Alcidem Cælum ſubiiſſe ferēdo,
Aut puerum raptum deriuniſſe Deos:
Vraniam in terras celſo qui eduxit Olympo,
Quantus & οὐρανίοις annumerandus erit.

Eſt & hoc, vt putatur eiuſdem,

Vidit, & obſtupuit Rex Huennam Scoticus almam;
Miratus clarī tot monumenta viri.

Præobtinuit Tycho hoc anno, ac Iunij quidē Eidibus ſimilis in xxx. annos Priuilegij diploma Cæſareū, quo cætera inter, verba hæc continentur, *Edoctis itaque fide digno, & quidem eorum, qui iudicare de iis artibus ac ſcientiis poſſint, teſtimonio, Te ad ſtudia illa perfectè & accuratè, excolēda, tot, tātáq; præſidia afferre, vt qui tibi pares ſint, hac ætate vix reperiantur. Cùm enim genere ſis nobili, iis opibus, ac facultatibus, quæ ad præclara ingenia, quorum operā cum tua coniuncta, certiorē, faciliorēque,*

opportuniſſimo ad hoc delecto loco, Obſeruationē reddat, alēda; quæ denique ad Inſtrumenta, & magnitudine, & artificio ſingulari facta, uti dicere, cōparanda ſufficiant, te præditū, atque inſtructum eſſe, nullíſque ſūptibus in typis, in prælis, in alijs adminiculis, vt domi omnia, quæ ad illarū artium monumenta Poſteritati cōſecrāda requirātur, in promptu habeas, parcere, adeóque tempus omne, téque ipſum totum, rerum illarum ſuperarum, atque cæleſtium contēplationi impēdere, tantúmque in ijs verſatū eſſe, vt præter exactā Cometarum doctrinā, ab inueteratis vetuſtiorum erroribus ſolidè vindicatam, cuius iam antè ſpecimen abs te inſigne eſt editū: nouæ quoque Cæleſtium motuum Hypotheſis, quæ omniū ætatum obſeruationibus exactè reſpondeāt (quod neque prioribus illis Ptolemæi, neque poſterioribus Copernici Hypotheſibus præſtitū fuiſſe, præter alios, tu ipſe accuratiſſimis tuis Obſeruationibus doces) abs te expectentur; minimè prætermittere voluimus, quia Reipublicæ causâ, ad quā hæc abs te ornamenta accedunt, Cæſareo noſtro Elogio te ſuſciperemus decorandū; & quanquā per te ſatis animatus es, animandū magis, vt fœliciſſimè cœpta, grauiter, alacritérque perficias.

Nomine porrò eorū, quorum digno fide teſtimonio edoctū ſe Cæſar teſtatur, fuit Iacobus Curtius, Procancellarius Imperij, eximius ille ſcilicet, qui literis die eiuſdē menſis xxviij. ad Tychonē datis, illum inter alia ſic affatus eſt, *Quòd iudiciū meū de Scriptis tuis amanter exquiris, quòd cēſuræ meæ eam, quæ tibi cū doctiſſimis quibuſdam viris non tam lis, quàm amica eſt concertatio, ſubijcis; in eo tantum mihi à te honoris tribui accipio, quanti non facerem, ſi Reges, & Principes de Regnis, & Prouincijs integris diſceptantes, me ſibi Iudicem conſtituerent. Vt verò id, quod petis, & offers, mihi faciendum ſumam, nec eruditio, quæ in me aut nulla eſt, aut verò exigua, neque modeſtia mea patitur. Ne tamen ad tam amicam poſtulationem planè ſurdus ſim, hoc habeto. De ſcriptis tuis quid in genere ſentiam, teſtabitur Cæſareæ Maieſtatis priuilegium, quod hiſce literis adiunctum tibi mitto, cuius ita ſcribendi ego Cæſari author, & porrò vera in eo Cæſarem teſtari, ſponſor fui. In ſpecie verò ea, quæ de Cometis poſterioribus, quotquot ipſe obſeruaſti, à te tradita, ſolidiſſimiſque rationibus confirmata ſunt, talia eſſe puto, vt de ijs ne ambigi quidem ampliùs ab eruditis viris queat.*

Atque hæc quidem occaſione Diplomatis Cæſarei exſcribo; ſed literæ tamen eiuſmodi ſūt, ex quibus, ſi quidpiam præterea heic adiecero, videri non debeat cuiquam importunum. En ergo illarum initium: *Magnas tibi ago gratias, Nobilis, æquè, ac eruditiſſime Vir, quòd me non modò, literis tuis cōpellare, ſed beneuolentiam quoque tuam tam amanter offerre mihi volueris. Ego certè, licet faciē tuam nō viderim, meliorem tamē tui partem, mentē nempe, ex ſcriptis tuis, quibus teipſum æternitati iā conſecraſti, iā olim & amaui, & ſuſpexi: & eius causâ totū te videre, venerari, & amplexari nō minùs auidè concupiui, quàm illi olim, qui ex vltimis Hiſpaniæ finibus ad Liuiū videndū in vrbem profecti ſunt. Auxit hoc meum deſiderium humaniſſima hæc tua cōpellatio, & in tantū auxit, vt, niſi Cæſaris volūtas, & muneris publici, quod gero, ratio prohiberent, ita me Deus amet, neque itineris intercapedo, & moleſtia, neque ſuauiſſimæ coniugis, dulciſſimorūque pignorum amor, & illecebra cohiberent, quin arrepto itineris comite cōmuni amico Thaddæo Hagecio, ad te in Daniam vſque excurrerē. Dicere nequeo, quantoperè me delectet cū Hagecio mente, poſtquàm corpore non poſſumus, totā Huennā perluſtrare, & in primis exactiſſima tua Obſeruatoria Inſtrumenta, totū denique Mathematicū illum apparatū, vel imaginatione tantum complecti. Quid verò, ſi ipſe ſpectator adeſſē téque ipſum omnia non explicantē tantū, ſed exercentem etiā videre poſſem?* Eo quid poſt-modùm. *Macte itaque animo, Vir Nobiliſſime, & fac, vt diuinis tuis inuentis quàm ocyſſimè fruamur. Etſi enim arduum, & , vt ipſe verè ſcribis, multorum hoc ſit opus annorū; ſpero tamen, imò confido te maximā iam eius partē exantlaſſe, & in recolligendis, & ordinandis ijs, quæ iam conſtituiſti, Tabuliſque inde condendis magis hoc tempore, quàm in confirmandis ampliùs inuentis tuis verſari. Quæ in re, cùm diſcipulorū tuorum operâ, magna ex parte iuuari poſſis, iterùm, atque iterùm te rogatū volo, ne nos nimiùm diu ſuſpenſos habeas. Vitā tibi ex animo ad Neſtoreos vſque annos exopto; noſti tamen quàm fallaces ſint ſpes noſtræ, & quàm immatura plerumque diuinis præſertim ingenijs mors obtigerit. Falle itaque moras, & vel non maturo partu hunc ingenij tui fœtum orbi terrarū ede. Si fata longiorem tibi, quā auidè optamus, & ſperamus, vitam cōceſſerint, poteris & edita recudere, & iudicio tādem tuo quoque (noſtro enim, quin iā prima editione ſatisfacturus ſis, nihil dubito) ſatisfacere. Liberabis interim nos perpetuo metu, ne, dum nimiū cunctaris, toto opere fruſtremur. Ego certè tantā de te tuiſque his Hypotheſibus ſpem concepi, vt vel à te, vel à nemine ſolidā Aſtronomicæ artis exædificationem expectandā eſſe, pro certo affirmare audeā. Qui enim præter diuinam ingenij vim tot, tantiſque rebus huc neceſſarijs inſtructus ſit, tot, tantóſque ſūptus, labores, & annos cōtulerit, non eſt in Europa (cum Europam dico, totum orbem dico) qui tibi comparari queat, quiſquam. Abeſt hinc, ita me Deus amet, omnis adulatio, à qua & dignitas, quam gero, & grauitas, quam cum omnibus tueri laboro, me apud notos, atque ignotos, in ingenti præſertim de facie, bonitatis laude, ſatis, ſupérque vindicabunt.*

Cætera prætereo, ac illa ſpeciatim, quæ ſūmi Viri peritiā in Mathematicis declarant; vt excogitatum Compēdium Trigonometrici calculi per Tabulas Sinuū ſola additione, & ſubtractione adminiſtrandi; & excogitata Quadrātis per interductos arcus diuiſio Nonianā longè perfectior, cuius deſcriptionē ſuperioribus literis Tycho in Mechanicis ſubiunxit.

Menſe Iulio, ac die xxj. obſeruauit Tycho Solarem Eclipſin digitorum quinque, hora ſeptima, min. 54. Et quia Mæſtlinus eandem obſeruauit Tubingæ, ideò vtriuſque obſeruationem Keplerus in ſuis ad Vitellionem Paralipomenis ſatis copioſè retulit, comparauit, expendit. Cùm duæ verò inſuper Eclipſes Lunares hocce anno contigerint, obſeruauit quidem Tycho poſteriorem, quæ

die xxx. Decembris, hora 6. min. 55. exhibita fuit, verùm obſeruare priorem non potuit, quæ Solarem anteceſſit die Iulij vij. quámque tamen idem Mœſtlinus eâ obſeruauit circũſtantiâ, quam commemorare ſit operæ pretium. Apparuere ſcilicet ambo ſupra Horizontem Luminaria, patiente licet Luna defectum propter interpoſitam Terram. Sed verba eius referre præſtat, *Nos heic Tubingæ,* inquit, *Solis centro ſupra Horizontem emergente, vidimus Lunam ab Auſtro aliquot digitis iam deficientem, duobus penè gradibus eleuatam; & contrà, Luna centro ſub occaſum deſcendente notauimus Solis ſupra ortum duorum graduum altitudinem. Occidit autem Luna potiùs, quàm ad maximam obſcurationem deuenerat.* Quæ sanè obſeruatio arguit Refractiones eſſe aliquando, & alicubi, quàm Tycho definiit maiores; quando bipartiẽdo illam duorum graduum altitudinem, fuit Refractio vtrimque vnius, vt minimùm, gradus; verùm ritè excuſat Keplerus, aërem requiri à Tychone admodùm purum, ac ſerenum, quãdo Refractionum periculum facit. An addam verò heic aliam alterius quidem generis, ſed dignam tamen notatu Eclipſim, quam idem Mœſtlinus die Octobris iij. obſeruauit, cùm manè, hora 5. Martem totum à Venere occultatum animaduertit? Hac certè occaſione admonere debeo mendum ſubeſſe illis noſtris in x. Laërtii Librum Animaduerſionibus, cum pag. 903. vbi hæc Eclipſis refertur, adſcriptus eſt annus M.DC. pro M.D.XC. vti & mox antè circa Eclipſin Iouis à Marte die ix. Ianuarij, Mœſtlino, & Kepplero viſam, adſcriptus eſt annus M D.CI. pro M. D. XCI. Sed hæc prætereunda; cùm & prætereamus, quæ plurima Tycho obſeruauit, ac potiſſimùm circa Cycnum, in cuius Stellis reſtituendis hoc maximè anno incubuit; & cum menſibus quidem aliis, tum Auguſto, ac eius die xj. præ cæteris; quo quæ facta obſeruatio eſt, *Solemnis* Keplero vocatur.

Paucis poſt diebus acceſſit Huennam, ex inopinato Rothmannus; quippe qui ægrè ex grauibus, diuturniſque morbis conualeſcens, ſibi animo defixiſſet, fore, vt priſtinam ſanitatem ex peregrinatione, aëriſque mutatione recuperaret. Sentiebat ſecus Princeps; ſed volenti tamen tantò faciliùs annuit, quantò ille ſe inuiſurum Tychonem recepit. Qua porrò lætitia affectus ex eius aduentu Tycho fuerit, ex iis, quæ deducta iam ſunt, non eſt coniicere operoſum. Attulit, redditque illi Rothmannus binas literas, alteras quidem à Principe, alteras verò à ſeipſo: ſcilicet, vt ſe reſcripſiſſe ad ſuperiores Tychonis literas fidem faceret, eas ad manum habuit, quas non miſerat, ſed ſcripſerat tamen à menſe Aprili. Literæ Principis eò faciebant, Tum vt excuſaretur reſponſionis mora, quòd Rothmannus malè habuiſſet, quódque ipſe ob ætatem ingraueſcentem, curáſque graueis, non iam perinde alacriter, ac eâ animi perſpicaciâ, qua priùs, hiſce ſtudiis incumberet; tametſi non deſiueret, vel claudicando inſequi, vt pedo ſuo innixæ anus: Tum vt Rothmannum commendaret, cui peculiare capus habenti, propriúmque quotannis pileum comparenti aſſenſiſſet; ægrè laturus, ſi quidpiam aduerſi illi accideret; quòd iuuenis & ingenioſus, & inſigniter eruditus foret: Tum, vt rogaret, quî ſe Rex iunior, ſtatúſque Regni, ac res quoque Tychonis propriæ ſeſe haberent. Rothmanni autem literæ in eo erant, vt, priore parte deſcriberentur incommoda, quæ paſſus per hyemem foerat ex podagra, & calculo adhibitis fruſtrà Galenicis remediis (vnde & ſub finem Vitrioli, Tartarique oleum à Tychone expetiit) poſteriore, vt reſponderetur ad ea argumenta, quæ fuerant aduerſus motum triplicem Terræ attributum à Tychone obiecta. Nam ad primum quidem de Globo cadente; reſpondiſſe Copernicum, moueri cadentia compoſito motu, ex recto putà, quo petunt Terram; & circulari, quo interim vnà cum Terra, ob eandem cum illa naturam, propenſionémque circumducuntur. Neque verò eſſe hanc motus velocitatem habentem abſurdam; niſi ea, quæ Cælo tribuitur, incomparabiliter abſurdior habeatur; ac præſertim abripiens nitentia mobilia in oppoſitum; vt proinde, cùm totum hoc motu illo Terræ ſimplici ſaluetur, videatur omninò natura, quæ ſemper quantocumque poteſt compendio vtitur, illum vſurpare. Ad Secundũ de Vaſtitate inter Saturnũ, & Affixas; minimè pugnare illam cum ſapiẽtia, potentia, atque volũtate diuina; imò decere maximè ſignificantiam Opificis; cùm & Rex, quò maior, eò amplius palatium decere putet ſuam maieſtatem. Ad Tertium de Axis reflexione; poſſe optimè illam cohærere cum pergẽnte ſuam viam centro, quod reſpectu illius ſit quaſi immotũ. Quinetiam nullam propriè eſſe reflexionem, ſed conſtantiam, quòd axis in ſui ipſius Paralleliſmo verſus eaſdem Mundi, Æquatoriſve polorum Regiones; dum interea centrum per Eclipticam pergit, maneat. Adiunctæ erant his literis, qualeſcumque ille potuerat per inualetudinem circa Cometam nuperum peragere, obſeruationes.

Rothmannus porrò cum Tychone reliquo Auguſto, ac toto Septembri moratus, Organa eius omnia diſpexit, obſeruandique rationem peruidit: & quæ apud Land-grauium eſſent, quæque appararentur (globúſque imprimis orichalcicus quaternûm pedum diametro) expoſuit. Ac recepit quidem tum nonnulla ſe antè ſuum diſceſſum perſcripturum ad Principem, tum exploratis, deſcriptiſque accuratiùs omnibus, plura à reditu commemoraturum: at inſinuauit tacitè non auſurum ſe omnia, quæ in Machinis pervidiſſet, ad eum referre: neque enim illum habiturum fidem, ac rem exaggerari in gratiam ipſius Tychonis exiſtimaturum, ſi luculenter, & vt erat, Inſtrumentorum multitudinem, magnitudinem, ſtructuram, ornatum, vnà cùm tractandi, vtendive facilitate exponeret; quòd res omnem fidem ſuperaret, neque machinæ Principis conferri cum ipſis vllatenùs poſſent. Mirè adhortatus illum Tycho eſt, vt maturè perficeret ſuſceptam illam deſcriptionẽ, demõſtrationémque Stellarum,

quo & inſtitui collatio inter Caſſellanas, Vraniburgicáſque obſeruationes, & cauſa illios quinque minutorum diſcriminis intelligi poſſet; ipſéque ſeſe id quàm-primùm præſtiturum pollicitus eſt. Cùm prætereà autem plurimis de rebus colloquuti inuicem fuerint, tum potiſſimùm de Hypotheſi, quam Rothmannus admiratus fuerit, fatendo ea, quæ occaſione Acronychi Martis Tycho edisſeruit, venire in mẽtem ſibi non potuiſſe; alioquin enim iudicium ſuum nõ fuiſſe præcipitaturum: ſcilicet quaſi agnoſcendo deduci exinde inæqualitatem, quæ congruè ſaluari per Hypotheſin Copernicanam minimè poſſet. Itémque de ipſa ſpeciatim opinione Copernici, cuius diſputatæ quis ſucceſſus fuerit, en ipſius Tychonis verba; *Cùm per aliquot ſeptimanas mecum ille heic moraretur, ſubinde hac de re ore tenus cum eo egi, ipſiúſque argumẽta in ſpeciẽ ſatis plauſibilia infregi, hominémque alias in ſuo propoſito admodũ perſeuerantem tandẽ eò adegi, vt hæſitaret primum nonnihil, poſteà timidiùs, minùſque certò iſta aſſereret; demùm etiã priores cõceptiones omnino auctiſari videretur; adeò vt ſe nihil hac de re hactenus in publicũ edidiſſe, nec in poſterũ id facturum, ſed ſaltem diſputandi gratia hac mihi propoſuiſſe aſſeueraret.* Ille ne id ſeriò, an, ne rem non gratam faceret Tychoni, id aſſeuerârit, non conſtat: vtcumque autem ſit, attingere iuuat, quæ Tycho aduerſus exceptiones ſuperiore epiſtola à Rothmãno allatas regerenda cenſuit, quibúſque, cùm poſtmodùm epiſtolas ederet, nihil fuiſſe à Rothmanno reſponſum, quòd illa interea non vidiſſet, dixit.

Inſtitit ergo circa illud, ad euertendum motum Diurnum, de globo cadente argumẽtum, Scientiam motus naturalis non ineſſe partibus à ſua radice, ſuóve toto ſeparatis, vt in metallis, lapidibus, lignis, aliíſque rebus reſciſſis conſtat; ac tantò minùs globo, aliíve corpori terreno à Terra auulſo, curſúmque abducto; quoniam alio motu interea diſtrahitur, & ne dici quidem poteſt, aut aërem, rem adeò tenuem, motum Terræ conſequi, aut pertrahere ſecum cadens corpus. Id confirmari ex eo, quòd Bombardicus globus in ortum, occaſúmque vi pari extruſus, tantumdem ſpatij ſuprà Terræ ſuperficiem conficiat; cùm, ſi Terra intereà ferretur in ortum, non tantumdem promoueretur, qui in ortum exploſus foret, vt præueniente ſuo motu Terra; longè autem ampliùs, qui in occaſum, vt Terra interim refugiente. Confirmari rurſus à pari ex telo, quod è naui ſurſum emiſſum, donec nauis progreditur, non in eandem, condémve locum, è quo emiſſus fuit, recidit; ſed longè retrò, ac tantò magis, quantò nauis fuerit promota velociùs. Tametſi verò Primus motus ſit incredibiliter in Cælo, quàm in Terra foret, celerior; hac tamen in re elucere imperſcrutabilem ſapiẽtiam, & poteſtatem Opificis incomprehenſibilis Dei, qui corporibus cæleſtibus tam vaſtis celeriorem omni cogitatione motum, ipſúmque ſimul vt vniformem, ſic diuiſum, ac duplicem attribuere, & voluit, & potuit. Neque abſonum eſſe inferiora, dum motus proprios obeunt in ortum, ſequi intereà celerrimam Supremi in occaſum motionem, ob quandam analogiam, concomitantiámque motus diuinitùs inditam, & quaſi congenitam à natura; ſimiléque eſſe, vt dum aues, aut piſces ſuis nitentes motibus ab aëre, aut aqua in aduerſum feruntur. Ad Annuum motum quod attinet, corruere illum cum diurno ait; vti, & cum ipſo Tertium, ſeu axis, quaſi nutationẽ. Hoc ſolùm circa Annuum habet; cùm Deus nihil fruſtraneum, nihil non certâ harmoniâ faciat; non decere, vt tantam illam à Saturno ad Fixas vaſtitatem fecerit, quæ vltra ſeptuagies centena ſemidiametrorum Terræ millia obtinens; ſit inanis tamen, & nullius Terricolarum reſpectu vſus; cùm & prodat Stellas tãtæ eſſe molis, vt non Sole modò, ſed toto etiam orbe Solis maiores magna ex parte ſint: adeò proinde, vt nihil eſſe magis ageometricum, aſymmetrúmque valeat; nihil à diuina Sapientia, prouidentiáque magis alienum. Et quid fuiſſet quidem Rothmannus ad hæc omnia repoſiturus, nihil eſt neceſſe conijcere; videri nihilominùs inter cætera mirum poteſt, Tychonem, virũ ad obſeruandum, experiendúmque adeò natum, non induxiſſe in animum experiri, idne verum eſſet, quod aliorum imitatione de telo è naui progrediente ſurſum emiſſo obijceret; cùm, ſi exploraſſet, falſum comperiſſet, ac peruidiſſet id argumentum motui Terræ potiùs fauere; & petitâ cauſâ ex naui tam iaculatori, quàm arcui quàm telo motum imprimente, ſterneret etiam viam reſponſioni ad obiecta illa de globo in ortum, occaſúmque exploſo, aliáque id genus conſimilia. Tametſi iſtud heic obiter. Detinuiſſet porrò Tycho diutiùs Rothmannum admodùm lubẽs; at diſcedere ante hyemem, & Bernburgo patriâ ſuâ tranſire volenti author fuit, ne Octobri inſtante diutiùs differret, quòd ex eo vſque tempore nauigatio per Balticum Mare magis, magíſque importuna contingeret euaderet. Aſſerebat ille ſe meliùs ex peregrinatione habere: at nondum tamen erat illi valetudo integra, pallore faciei id ſubindicante; accepit autem à Tychone remedia quædam Spagyrica, quibus aduerſus nephritidẽ, arthritidémque vteretur; ipſo Tychone pollicito plura ſe, ſeu coram, ſeu per literas admonitum, impertiturum. Dimiſit ergò illum Tycho, literáſque ad Land grauium ipſis Octobris Kalendis dedit, quibus teſtatus eſt, quàm gratus Rothmanni acceſſus extitiſſet, quámque ſibi pro votis fuiſſet, agnoſcere Principẽ, tametſi obrepente ſenio, ac vrgente curarũ mole, diuerti nihilominùs ad ſtudia Mathematica, quantum quotiéſque licitum foret. Ac mirum quidem iam non eſſe, ſi non ea alacritate, perſpicacitatéque id exſequeretur, qua priùs; at conſultũ optimè fore, ſi quod ipſe per ſe non poſſet, id per idoneos artifices ſua authoritate, & liberalitate ſuſtẽtatos præſtaret. Adiecit habere ſe omnia in Daniæ Regno pacificè; ac Regẽ electũ verſari per id tempus in Cimbria, vbi erant mox Comitia finienda. Se quod attineret, vacate pro more Philoſophicis ſtudijs, quantũ per

alias

alias occupationes, & auocamenta liceret. Librum ſuum primùm iam ferè ſubiiſſe extremanì manum Typographi; ſed remoram tamen ex papyri impreſſoriæ defectu injectam; quoniam tametſi moletrinam conficiendæ papyro exſtruxiſſet, chartopæo tamen, quem breui è Germania exſpectabat, deſtitueretur. Denique, quòd illi reddita non fuiſſent, idque atteſtante Ruthmanno, quæ vere ineunte de Cometa tranſmiſerat; ſe iam iteratò ad eum mittere, iterùm deſcripta. Quandoquidem porrò ad Land-grauium Rothmannus reuerſus non eſt, neque literas ad eum miſit; ideò non eſt mirum, ſi 1591. menſe Februario inſequentis anni ſcribens ad Tychonem Land-grauius, rogauerit illum, vt quas ſimul dabat ad Rothmannum literas, curaret ad illum perferri; ac Tycho deinceps reſcribens, neſciuſque vbi ille foret, aut quidnam ipſi contigiſſet, eas literas remiſerit.

Accepit intereà Tycho literas à Ioanne Antonio Magino celebri Matheſeos apud Bononienſeis Profeſſore literas ſuperiore Septembri datas, vnà cum Ioaonis VVerneri de motu octauæ Sphæræ Libro, cuius exemplum totâ Germaniâ fruſtrà conquiſitum Tycho expetierat. Adjecit verò etiam exemplum editarum recens à ſe Theoricarum, quas Copernici obſeruatis congruas, ſed ad Hypotheſin de Terra quieſcente traductas, interpretaturus erat, commentariiſque illuſtraturus, quibúſque Hypotheſeis Tychonis interſerere, declararéque expetebat. Dedit verò iſta Maginus interuentu cuiuſpiam Dani, qui ex Tychonis ſtudioſis fuerat, quique Tychonis nomine obtulerat Libri de Cometa exemplum. Hinc & ob id pignus vltrò ad ſe tranſmiſſum, egit Maginus cumulatas gratias, &, *Cùm incredibilem*, inquit, *in illo diligentiam tuam, & accuratam obſeruandi viam perſpexerim, mihi perſuadeo fore, vt cæleſtium corporum motus emendare exactiſſimè poſſis, fructúque opera illius, maximo omnium ſtudio, atque exſpectationi cumulatiſſimè ſatisfacias; vnde nomini tuo ſempiternum decus adjungatur.* Teſtatus eſt etiam ſe magna Libri Progymnaſmatum primi exſpectatione teneri; obſeruationum item; & ſpeculationum, quas probare, & ſequi minimè erubeſceret, vti & probabat Hypotheſin; niſi quod noluiſſet orbeis Solis, ac Martis ſe interſecare; cùm admittendum tamen id foret, Studioſo illo ſignificante, obſeruatum Martem propiorem fieri Terris, quàm Solem. Petiit intereà ad illuſtrandum, quas Ephemeridas ad prælum reuocaturus breui erat, tum compendioſam Affixarum emendatarum deſcriptionem; tum notitiam quampiam Eccentricitatum, commenſionúmque Planetariorum orbium, ipſiúſque præſertim Martis, inobſeruabilis habiti, cuiuſque Eccentricitatem immutari, periodúmque ſuam habere ipſe opinaretur.

Memorato Februario, ac die xxij. Lunâ plenâ, periculum fecit difficultatis obſeruandi, determinandique Lunæ Diametrum, quatenus attendentibus quinque, aut ſex obſeruatoribus, & Diametro vicies bis obſeruata, eius determinatio à 31. in 36. minuta excurrit. Siquidem obſeruata bis fuit minutorum 31. ſexies 32. ſepties 33. ſexies 34. ſemel 36. Cuius quidem diuerſitatis cauſam ipſi alibi ediſſerimus, ipſi ſcilicet eam quoque experti; ſed intermiſcenda heic noſtra non ſunt. Nihil recenſeo de cæteris hoc anno ab eo obſeruatis; niſi quòd Martem Acronichum ſub diem Iunij ix. ita obſeruauit, vt eo circa Solis Perigeion verſante, facta anſa fuerit ratæ habendæ Hypotheſeos de interſecante Solarem orbe Martio; quódque ſubſequutam Eclipſin Solarem menſis Iulij non maiorem duobus cum ſemiſſe digitis, retulit ad decimæ diei horam 10. ac min. 3. Adnoto autem ne hoc quidem anno fuiſſe primum Librum prorsùs abſolutum. Quippe ad Land-grauium reſcribens initio Aprilis per eundem tabellarium, qui die Februarij 111. ab eo deſtinatus, non ante diem Martij xxiij. Vraniburgum acceſſerat, ſupereſſe aliquot adhuc ex quinto Alphabeto inchoato quaterniones ſignificauit; ac ſe adhuc moliri inſerendam deſcriptionem Canonicam octingentarum citeiter fixarum. Sic menſe Septembri, chartopæum licet iam nactos, non tamen ſpem fecit, vt liber ante brumam abſolueretur; qui neque tunc quidem, neque longè poſt, ſic fuit abſolutus, vt poſſet ad Land-grauium variè interpellantem tranſmitti.

Per hæc tempora Rex Electus annos iam natus xiv. inuiſere Huennam voluit; quare & eò acceſſit cum tribus ex quatuor antè memoratis primariis Senatoribus, ac aliis prætereà proceribus auliciſque variis. Curioſè porrò ſpectauit Rex, tum ædificia, tum organa, ſciſcitatúſque eſt Tychonem non pauca. Quia verò Tycho ſubnotauit demirari præſertim Regem globum orichalcicum inauratum, qui torulis intùs aptatis motum diurnum imitaretur, idque Sole, & Luna intereà ſuos motus obeuntibus, ac Luna quidem circuitu menſtruo varietatem phaſeon exhibente, Sole raptu diurno iudicante horas; eapropter ipſi eum obtulit, ac impensè, vt in Cimeliarchium transferri iuberet, rogauit. Acceptum itaque Rex habuit, ſtudioséque deinceps ſeruauit; donauit autem viciſſim Tychonem torque aureo; qualem geſtabat tunc temporis; per-eleganti ſcilicet artificio elaboratum, ac ipſius Regis effigie inſignem. Is eſt breuior ille, & ſuperior in Tychonis effigie, quam pars Aſtronomiæ Mechanica præ ſe fert in ipſamet fronte.

Quia porrò Land-grauius illis literis ſub Februarij initium datis Tychonem rogârat, vt aliquas obſeruationes, & Stellarum præſertim Fixarum ad ſe mitteret; ac inſtiterat, vt de ſtatu Regni, déque ſuo priuato quidpiam ſcriberet; idcircò Aprilis initio reſcribens, precatus eſt Land-grauium, ne ægrè ferret, niſi quidquam ex obſeruationibus mitteret; non eſſe rem tutam, propter tot viarum, quà terrâ, quà mari anfractus, ac parùm ſinceram fidem hominum, in quos poſſent incidere. Fore, vt qualiſcumque mora non ſine fœnore penſaretur, quod inſerere

in ſecundum Libri primi caput Stellarum circiter octingentarum deſcriptionem ſtatuiſſet. Ad Regni ſtatum quod attineret, ſignificauit magnam ſpem de electi iunioris Regis indole, & educatione non immeritò concipi. Habere ſe pacificè omnia in illo quaſi interregno, ſtatúque Ariſtocratico; quippe quatuor Senioribus è Regni Conſiliariis, optimóque imprimis Caaſſio, Rempublicam adminiſtrantibus; ac ſi quid incideret arduum, ſolitóque grauius deferentibus ad Regni comitia, quæ quotannis circa æſtiuum Solſtitium ſoleant celebrari: idque quouſque Rex ad ætatem maturiorem peruenerit: cùm & illi intereà obſeruantia ſumma habeatur. Ad ſe, ſuáque quod ſpectaret, degere ſe ſemper ſua in Inſula priuatum publicíſque rebus immunem, quibus & nunquam ſeſe libens, ac niſi quapiam neceſſitate cogente, immiſcuerit. Sinere ſe aliis ambitionem hanc, lætaríque eſſe tam multos, per quos oneribus his veriùs, quàm honoribus ſubleuetur, ac poſſit intereà Philoſophiæ ſtudiis, rebúſque cæleſtibus potiùs, quàm terrenis incumbere. Quamquam ne ſic quidem eſſe beato liceat, vt non variis tumultuoſíſque impedimentis diſtrahatur, ſeu ſuo fato, ſeu quorundam prauis conſiliis id accidat; ſe tamen Numinis fauore, animi magnitudine, integritatéque, & veri, iuſtique obſeruantia fretum, fœlicem rerum exitum, quacumque id fiat ratione, ſperare. Id porrò, & quia ſubiicit,

Omne ſolum forti patria, & Cælum vndique ſupra eſt,

inſinuat, quod poſteà dicetur, fuiſſe iam tum quoſdam, qui cœperint primùm in aula de eius ſtudiis detrahere, ac deinde ob erogatam in ea penſionem ex telonio, ſubmurmurare; quo factum proinde, vt iam tum de transferenda aliò Vraniæ ſede cogitârit.

Rogârat quoque Tychonem Land-grauius, vt quia inaudierat in Noruegia Animal eſſe nomine Rix, ceruo procerius, ſed prætenuibus cornibus, cuius deſcriptio apud nullum hiſtoriæ animalium authorem extaret, & cuiuſmodi tamen aliquot cùm Hafniæ, tum Friderisburgi à Daniæ Rege alerentur; ideò depingi illud curaret; eiuſque iconem, ac ſimul hiſtoriam ad ſe mitteret. Reſcripſit autem Tycho eiuſmodi nullum, neque Hafniæ, neque Friderisburgi reperiri animal; fuiſſe autem ſolùm Hafniæ animal Noruegicum Rangiferum vocatum, quod æſtate ſuperiore præ regionis aliquantò auſtralioris calore expiraſſet; ac erratum fortè circa nomen fuiſſe, vti & circa proceritatem, circáque cornuum vt longitudinem, ita & variam intricationem. Mittere ſe illius iconem, non tam ex Geſnero deſumptam (vtcunque apud illum non malè ſe habeat) quàm ex indicatione cuiuſdam ſtudioſi, qui Bergis in Noruegia natus, eiuſmodi feras ſæpiùs viderit, ac retulerit etiam de earum indole aliqua, vnà cum icone tranſmiſſa. Inquiſiturum vberiùs ſe, ac facturum ſatis, ſi licuerit ampliùs. Habere ſe iuniorem Alcem, quam ſi exoptet, ſit tranſmiſſurus. Quia verò Land-grauius menſe Maio reſcribens, ſignificauit habuiſſe ſe quidem Rangiferos ceruos ex Suecia, geminà vice, ad vſque centum, qui tamen cùm per hiemem & ſe bene habuiſſent, & vehiculum etiam in glacie ſuo more traxiſſent, redeunte tamen deinde calore, omnes ad vnum interiiſſent: Alceis autem quod ſpectaret, alere ſe vnam, quæ ſuperata hieme adhuc benè haberet, curſitaret, ſaltitaret, & ad ſe intra hortum ferarum Zapfemburgenſem vectum eſſedo accurreret, & ſe vt canis aliquis obſeruaret; ac licet ſcripſiſſet in Sueciam, vt plureis haberet; facturum tamen Tychonem rem gratam, ſi vnam, alterámve, &c. quæ forent potiſſimùm cicures ad ſe mitteret; ipſum ſe & ſumptus, & viaticum repenſurum. Quia id, inquam, Land-grauius ſcripſit, & non exſpectato reſponſo, miſit die Auguſti vltima tabellarium, literis aliis oblatam priùs à Tychone Alcem acceptans, quam foret, præter animum gratum, equo Zapfemburgenſi remuneraturus: idcircò Tycho literis ad ipſum geminis reſpondit, alteris quidem ſub initium, alteris ſub finem Septembris.

Et prioribus quidem ſcripſit ſe cùm requiſiturum Alceis alias, tum miſſurum fuiſſe, quam in Scaniæ villa alebat, niſi dum eam vellet deportari in Inſulam, periiſſet Landſcronæ, quod oppidum Huennæ è regione eſt, cùm illeic in arce relicta, oblectationis gratiâ; apud Virum Nobilem neptis ſuæ coniugem fuiſſet. Accidiſſe enim aliquando, vt cùm in menſa ſederetur, ea ſponte gradus conſcenderit, quos deinde, vbi largiore ceruiſiæ potu fuit ingurgitata, exſcendere ſalua non potuerit, ſed cadens pedem fregerit, eóque, nullo remedio ſanari valente, obierit. Poſterioribus autem, cùm neque ſuam Alcem, vtpote demortuam, neque vllam aliam fruſtrà requiſitam poſſet mittere, ſcripſiſſe diligenter ſe cùm ad Axillum Guldenſteruum Noruegiæ Proregem, ſuúmque conſanguineum, tum ad Virum alium nobilem, ſuúmque affinem, vt vterque par Alcium opportunitate prima mitterent; & cùm bonam foueret ſpem, vt ab vtroque, aut altero ſaltem, obtineret aliquas, ſpem quoque illi facere, vt niſi ante Hiemem, ſaltem Vere inſtante ad eum mitterentur. Prætereo autem, quod occaſione Orygis à Geſnero memorati, de Viris quibuſdam Noruegis ſubiunxit, eſſe ſcilicet, qui per altas, & niue coopertas rupeis leuigatis aſſeribus ad pedum plantas ſubligatis, ea velocitate currant, vt etiam ceruos aſſequantur. Prætereo item, quòd cùm Princeps literis vtriſque meminiſſet Rothmannum ad ſe, inuitatum licet, nondum acceſſiſſe, morbos prætendentem, de quibus non conſtaret, fuiſſe Tychonem id demiratum, & ſpectato præſertim anni ab eius ex Huenna diſceſſu interuallo, quo toto ſi morbus ſæuiiſſet, inſigne remedium Paracelſicum, de quo ipſi conſtaret, habere potuiſſe. Futurum fortaſſis, vt maiore quapiam liberalitate allici, ad ſuſceptum opus de Stellis reſtituendis perficiendum

ciendum poſſet: quamquam & Princeps verè ad ſe ſcripſerat, eſſe illi quoddam peculiare caput, cui proprium quotannis compararet pileum.

Remiſſurus porrò Tabellarium Tycho, ac ſuſpicatus Rothmannum ne miſiſſe quidem ad Land grauium, quam ſtudiosè factam Inſtrumentorum ſuorum deſcriptionem detulerat; idcircò eorum deſignationem à Germano quodam Amanuenſi conſcribi curauit, eámque vna cum deſcriptione, iconibúſque Vraniburgi, Stellæ-burgi, totiúſque Inſulæ tabellario perferendam dedit. De ea porrò heic nihil iam dico; quando res ſatis intelligi ex ſuperiùs deductis poteſt: ſubiicio potiùs, quod prætermiſſum in Vraniburgi deſcriptione fuit, quodque à Longomontano refertur, dum poſtquam memorauit Iacobum Chriſtmannum reformare quidpiam in Tychonica tam Solis, quàm Lunæ Theoria voluiſſe; adjecitque, quod ad Solem attinet, pepercisse illi Tychonem, quòd indignum eum reputaret, in quo refutando quidpiam otij perderet, tum ſubiicit: *Pro ſe autem Luna olim Hieroglyphico Vraniburgi ad parietem depicto loquuta eſt, cum noctu plena orbem ſuum liberè percurrens, ad canis latratum contemptum, ſed appoſitè admodum reſponderit,* NIL MOROR NVGAS. Addo verò, quod Cryptica Stellæ-burgi apparatu deſcripto, appoſitum fuit. Habuerat Tycho fuſilem ex orichalco Mercurij ſtatuam paullò maiorem cubito, ac eius elegantiæ, vt antiquæ apud Romanos induſtriæ genium redoleret. Impoſuerat iſtam exteriùs rotundo Hypocauſti faſtigio, ac ita quidem inſiſtentem ſuppoſito automato, vt ipſo agente, in gyrum, motu velut ſpontaneo cieretur. Cùm anno autem ſuperiore Henricus Iulius Brunſvicenſis Dux, qui alteram Regis ſororem nomine Eliſam in vxorem duxerat, Tychonem inuiſiſſet, ac illi ſtatua huiuſmodi arriſiſſet ſummoperè, Tycho illam quidem petenti conceſſit, ſed ea tamen conditione, vt eius modiſlum obtineret, quo elaborari ſimilem curaret per idoneum artificem. Quoniam verò Dux promiſſis non ſtetit; ac ne ſemel quidem, iterúmque interpellatus per literas; eâ propter id Tycho prætermiſſum voluit, ſed quaſi ſuæ indignationis monumentum inſeri, in eam deſcriptionem iuſſit. Hæc inter, Iacobus Florentius Artifex Globorum cæleſtium, terreſtriúmque Amſterodami eximius, ſparſo rumore de correctis à Tychone Fixarum locis, deſtinauit in Daniam filium, ac Tychonem precatus eſt, vt pateretur ab eo exſcribi reſtitutarum omnium Affixarum Catalogum, quas nouis Globis inſcriberet, pollicitus eo meo ipſius illis quoque inſcriptum iri; ac fore, vt deinceps cæleſtes Globi Tychonici, Braheaníque appellarentur. Et gratum quidem id habuit Tycho; verùm, quia licet penè abſolutus octingentarum calculus foret, nondum tamen committi prælo occœperat, ipséque niſi typis expreſſum nemini illum credere in animum induxerat (nempe, vt plurium communem factum, ſibi priuatim nemo arrogaret) idcircò non dedit quidem exſcribendum, ſed ſpem tamen fecit tranſmittendi exempli ſtatim, ac foret editus; tametſi author fuit, ne Pater quidquam præcipitaret, quouſque aliarum prætereà ducentarum calculum mox ſuſcipiendum abſoluiſſet; ne aut illæ globis deeſſent, aut perperàm, cæteras inter bene adnotatas, collocarentur. Permiſit verò, vt magnum Globum intra Muſæum inſpectaret, inque eo Stellas conſideraret, quæ partim inſculptæ iam erant, partim in dies inſculpebantur, prout germanus cuiuſque locus erat calculo deſignatus. Sic verò etiam, cùm iam antè ad Maginum reſcriberet, nihil aliud, quàm ſpem fecerat paris exempli tranſmittendi; tametſi aliunde non pauca, neque breuiter declarauerat, quæ mirificè Maginum recreârunt. Is certè idcircò fuit exſtimulatus, vt anni inſequentis M. D. XCII. Februario ineunte Librum editurus, 1592.
cui titulum fecit Tetragonicam Tabulam (propter expeditam rationem Quadratæ radicis numeri cuiuſque, etiam magni adinueniendæ) ipſum illi dicauerit: quanquam Tycho eius exemplum ad ſe deſtinatum minimè accepit; ac aliud ſolùm, non ante ſexennium, caſu repertum habuit.

Non ſunt verò heic ex Nuncupatoria Magini Epiſtola quæpiam reticenda. Nam, vt prætereeam, quæ ille habet de Sextante à ſe Tychonici inſtar confecto, déque eiſdem eo compertis, quas Tycho indicauerat, aliquot Fixarum diſtantiis; quæ item de Quadrante ex ligno, metallóque decempedali, ac ideò non ſolùm minuta, ſed aliquot etiam minuti parteis continente, quem Paulus Bonfilius Bononienſis Patricius curaſſet fabrefieri (deſtinato etiam Sextante paris radij) vt hiſce Inſtrumentis in ſumma turri collocatis Obſeruationes peragerentur, quæ eſſe Tychoni poſſent vſui; en quid in Tychonis commendationem fuerit inſertum, *Qualecumque,* inquit, *hoc ſit opus, Tibi glorioſiſſimi nominis viro, ac noſtra ætatis Aſtronomo eminentiſſimo, grati animi, & obſeruantia erga te ſingularis causâ dicare volui; idque maximis de cauſis. Primùm enim tu ipſe es, cui maximè debeo, quod amicitia tua fores tam amanter, ac humaniter mihi aperuiſti, atque mihi plus honoris tribuiſti, quàm eruditio (ſi qua eſt) tenuis mea, ac perexigua poſtulabat; cùm mihi enim ſecundum Librum de recentioribus Mundi Phænomenis per Danum quemdam ſtudioſum miſiſti; ſimúlque per eundem quid de illis ſentirem quæſiuiſti:* (videtur hic fuiſſe antè nominatus Gellius Saſcerides, qui per id tempus Magino adfuit, & alia inter, Obſeruationem circa Martem cum eo peregit) *necnon etiam, quòd mea Epiſtola humaniſſimè reſpondiſti; multa mecum de rebus Aſtronomicis diſſerendo. Deinde, tu vnus es, cui hanc meam Tetragonicam tabulam acceptam fore maximè confido, propterea quod ipsâ vti fœliciſſimè poteris ad eliciendos inæqualitatum motuum Planetarum angulos, & promptiori quidem compendio, quàm per Tangentium, & Secantium Tabulas. Tandem, quia tu ille es præſtantiſſimus Aſtronomia inſtaurator, cui plurimùm debet noſtra ætas, & debebunt poſteri om-*

nes;

nes; quandoquidem non ego ſolùm, ſed omnes ferè ſincera mentis viri de tuis Aſtronomicis fundamentis ſpem eam conceperunt, vt à te ſolo Aſtronomia reſtitutionem auidè exſpectent. Etenim tu taleis miro artificio, ac inuento cœleſtium Sphærarum confinxiſti Hypotypoſeis, qualeis probè ſufficere poſſe ad tuenda Phænomena, & apparentias cœlitùs animaduerſas, ac ad definienda cœleſtium luminum loca ad quæuis temporis, non ambigendum eſt. Hortor itaque te, obteſtórque, exiguo hoc munuſculo tibi oblato, vt quoad fœliciter exorſus es, & multo iam tempore in hoc doctrina genere moliris, tandem abſoluas. Namque nullum alium rectiùs, & fœliciùs id præſtare poſſe, quàm te, qui ingenio es acerrimo natus, ad Aſtronomia collapſe illuſtrationem, rectè, ac ſincerè iudico, idque ſperant omnes. Etenim, ſi tuum laborioſiſſimum, ac preſtantiſſimum Theatrum abſolutum nobis quamprimum communicabis, tu profecto, qui olim motuum correctionem tentabunt, & qui nunc pertentant, omnem eripies gloriam, atque in poſteriùm tentaturis omnem præripies occaſionem, & materiam. Scio quidem poſt tuorum laborum editionem mea Scripta correctionem deſideratura; ſed tantùm abeſt, vt hæc me perturbent, vt potius deſiderem quamprimum tuas ſpeculationes publici iuris fieri: Nam confeſtim Ephemeridès meas corrigam, quarum ſecunda editio auidè exſpectatur, vel, ſi opus erit, de nouo alias pertexam.

Subjuncta huic Epiſtolæ leguntur varia in Tychonis commendationem carmina, maximéque Andreæ Chiocci, qui tam Latina, quàm Græca conſcripſit. Et Latinorum quidem huiuſmodi initium eſt,

Dum rapidos Cœlorum orbeis, errantiáque Aſtra,
Sidereo captus circumvectaris amore,
Et varios Solis curſus Lunæque labores,
Ac Iouis excelſi ſolium, Paphiáque recenſes
Regna Deæ; tum quà Cyllenius ignis in orbeis
Permeet aduerſos, & cæteris lumina iungat
Vſque ſibi, ſocióque lubens ſulgore niteſcat;
Vtque per æthereos errent inimica receſſus
Frigida Saturni, atque horrentis ſidera Martis,
Non tam mente ſagax flammantis mœnia Mundi
Luſtrare, eximiiſque tuis, Brahe magne, videris
Cœleſtis rationis opus contexere chartis,
Corpore quàm ſimul immenſum per Inane ſupernas
Appetiiſſe domos, quas multo deinde labore
Rimatus, præclara tuo de pectore pandis
Dogmata, queis ſera aſſurgant ætate Nepotes,
&c.

Græcorum verò huiuſmodi

Εὐςαλέως τηρίον κανόνας, καὶ δαίδαλα κύκλων
Νώμησε ὁ Βραὰς, δείκνυσιν ἐμμελέως.
Πλεῖστα μὲν Ἀρχαίων τισὶν ὂν πεποιήαθα τούτων,
Οὐδεὶς δ' ἐμφανέως πάντα δίδαξεν ὅμως,
&c.

Quorum hæc eſſe interpretatio poteſt,

Scitas Cœlorum leges, variòſque meatus
Perſpiciens Brahe, ſingula ritè docet,
Ex his, multa quidem Priſcis tractata quibuſdam;
Tam clarè at nemo pandere cuncta potis,
&c.

Carmina hæc me admonent, ne ea heic prætercam, quæ habere Tycho à Mauritio Land grauij filio expetiit. Nempe, cùm xx. die eiuſdem menſis Februarij literas ad Land-grauium daret, dedit quoque ad Mauritium, vt, quia nôrat illum non modò linguarum Hebraïcæ, Græcæ, Latinæ eximiè peritum, ſed aliarum quoque liberalium artium, Poëſeóſque imprimis ſtudioſum, rogaret ipſum, vt Carmen quoddam in Opera ſua Aſtronomica luderet, quod mox edendis vnà cum eo, quod à Rege Scotiæ exſpectabat (quodque fuit iam antè recitatum) præfigeretur. Miſit proinde ſimul tria quaternionis primi exempla, petiitque, vt ille ſua manu carmen ſcriberet in ſecunda Pagina, ea nempe, in cuius antecedente Rex foret ſuum conſcripturus. Proluſit porrò & ipſe Tycho, iſthæc ſubiiciens literis,

Inclyte Mauriti, ſublimibus annue cœptis,
Si vacat, atque aliò non tua cura vocat.
Nec pigeat noſtros venis illuſtrare labores
Melliſluis, tibi quam fautor Apollo dedit.
Non indigna, tuo nec eges alieno Parente,
Qui iura egregiè callet, amátque poli.
Nec tibi dedecori eſt, quia Principis entheus ſoli
Haud obſtrictus ſolo, mens agat alta volet.
Adde quod, vnà nouem Muſas, quas diligis, inter
Vrania eſt primo conſpicienda loco.
Hanc igitur modico ſi ornaris carmine, fiet
Cum fratre, & reliquo plus tibi amica choro.
Ipſe quoque (vt magnis liceat componere parua)
Si meus quid valeat Muſula, gratus ero.

Mauritius verò, & reſcripſit plenas modeſtiæ literas, & vt condidit, ſic ſua manu ſcripſit, quæ inſequuntur carmina; vtcumque ea in excudendo primo quaternione fuerint prætermiſſa; ſed nempe inter Epiſtolas, quo ſequitur modo leguntur,

Vranie ſuperat reliquas diuina Sorores.
Dicitur & ſacri gloria prima chori.
Hanc coluere Patres priſci, Regéſque potentes,
Qui propiùs mentis vi tetigere Deos.
Hanc optat ſapiens ſtudiorum figere metam,
Vt famà celebris præmia digna ferat.
Quantò etenim terras celſus ſupereminet Æther,
Illius eſt tantò notio laude prior.
Ipſa docet Cœli motus, Cœlúmque tueri
Vultibus erectis nos iubet eſſe Deus.
Nec ventura malis timeamus fata, ſed Aſtris
Præmoniti, ad Superùm cõfugiamus opem.
Nec quæramus humi paſtum, ſed laude vehamur,
Qui ſtruxit Cœli tale Creator opus.
Ergo tuis lætus meritis, ſtudiiſque fouere
Perge Deam tantam, munera larga dabit,
Quandoquidem dudum miratur peruia cuncta
Eſſe tuis Fabricis, quæ latuere prius.
Heinc tibi ſeruanti leges ſublimis Olympi,
Inter honoratum præparat Aſtra locum.

Quas interim literas dixi conſcriptas ad Land-grauium, excuſabant Alceis alioquin paratas,

paratas, non potuiſſe è Noruegia propter Hyemem aduehi. Poſcebat quoque in illis Tycho, vt Land-grauius obſeruationes Fixarum ad ſe mitteret, vnà cum obſeruatione Eclipſis nnperi Decembris, quæ ſibi fuiſſet inconſpecta; Vt ſibi à Mœſtlino, præter aliquot Saturni, ac Martis Acronychiſmos, imperraret etiam aliquot Eclipſeis Lunæ obſeruatas, euiuſmodi ex Hiſpania quoque & Polonia requiſierat, ad Geographiæ emendationem; Vt Auromatopæi interuentu ad ſe deſtinaret eximium quempiam Aurifabrum, qui Horologia, organaque curaret; quippe apud ſe obiiſſe, quem multis annis aluerat, Ioannem Crolium Artificem induſtrium: Vt ab eodem Automatopæo, aut alio Cometæ anni M. D. LXXX. obſeruatore inueſtigaret cauſam defectus minutorum temporaneorum octodecim, de quo ſuo jam loco eſt dictum; Vt denique ſi niſi Rothmannus rediiſſet, reſignaret ſcriptam ad ipſum Epiſtolam, quæ eiuſdem erat circa obſeruationes argumenri; addebatque ſolùm, vt ille exponeret quam rationem facillimam contexendi Canones Sinuum excogitaſſe Byrgius dicebarur. Cùm Land-grauius autem nihil aliud, quàm obſeruationem nuperæ Eclipſeos à Mathematico Marpurgenſi in eam rem acciro, ad Tychonem miſerit (quippe ne rum quidem Rothmannus redierat) ac renuntiarit Automatopæum euocatum à Cæſare, ſed in paucos dumtaxat menſeis, receperitque miſſurum ſe, ſi fortè quempiam idoneum Aurifabrum nanciſceretur; quod ſupereſt, quia ver jam inierar, ac reputabat potuiſſe Alceis jam auectas eſſe ex Noruegia, ideò Tabellarium ad eum deſtinauit, qui animalia deduceret, neque ſine ipſis, aut ſaltem abſque fœmella ad ſe rediret; quippe eà egere maſculam jam binam, de qua antè perſcripſerat.

Tabellario moras in Dania trahente, alium exeunte Iulio deſtinauit nuncium, deducendarum Alcium callentem; is nimirùm aliquot jam ex Suecia vſque deduxerat, quæ tamen deinceps in horto ferarum interierant, vti & Rupicapræ, ac Damæ ob glandium, vt Land-grauius quidem opinabatur, tantam copiam, quæ pleriſque locis coacetuata computruiſſet, animalibuſque depaſcentibus in perniciem ceſſiſſet. Quia verò Axillus qninque Alceis paratas in Noruegia habens, neque Nauclerum comperetat, qni recipere in ſe veller conuehendas incolumeis; neque eſſe ſatis tutum duxerat illas terrâ tranſmittere, ob loca inuia, confragoſaque, obque imminenteis feruores, quorum in primo ſtatim egreſſu è natiuo ſolo patientes non forent, idque ſpe agendi coràm pluribus, ob inſtantem reditum faciens; eapropter Tycho tabellarium ad Axilli vſque reditum detinuit. Ac venit ille quidem in Daniam vno ſeriùs menſe, quàm ſpem fecerat; ſed interim tamen commodùm acceſſit recentior ille nuncius, qui in Noruegiam vſque mitteretur, acceptis literis ab Axillo, & curâ demandatâ, vt impoſitis naui Alcibus tecta Bremam trajiceret, ac inde porrò terrâ aduentaret. Hoc ipſum porrò eſt, quod Tycho remittens tabellarium ſignificauit Land-grauio: idque adjecit, quia norat Rothmannum nondum rediiſſe, idcircò exoptare ſe ſubſtitui illi quempiam, qui inchoatam telam pertexens, obſeruationibus Aſtronomicis continuandis inuigilaret; tametſi, *meum non eſt*, inquit, *Tuæ Celſitudini quidpiam præſcribere; præſertim cùm naturali quadam propenſitate, & ſingulari fauore ad hæc ſtudia amplianda, & promouenda non ſine præclara laude feratur.*

Verum iſta quidem inclinante Septembri, quo etiam ſcripſit ad Mauritium plenas gratiarum literas, ob carmina ad ſe tranſmiſſa. Ceterû conſcriptæ ad parentem VVilhelmû, extremæ fuere commercij ante annos ſeptẽ inſtituti. Intereà quippe optimus Princeps vitam cum morte commutauit; dignus, cuius nomen Cælo inſcribatur, nec minùs, quâ Iouis, Atlantis, Herculis, Promethei, cæterorũque Principum, quibus fuit Cælum curæ, perennet. Qua conſternatione rumorem de eius morte ſtatim reſperſum Tycho exceperit, difficile ſanè conjectu non eſt, Viro amiſſo, quẽ habebat ampliſſimo theatro potiorem. Parentauit autem eius Manibus illo Epicedio, Elegiáve, cuius primum hoc diſtichon,

Sic ne jaces, Princeps ô præſtantiſſimè? ſicne-
Alter Atlas, terris abdite, ſic ne jaces?

Præterea verò, cùm jam non poſſet ad VVilhelmû mittere Alceis, quæ plures duabus adnectæ viuę, mas nimirùm, ac fœmina (cæteris demortuis in itinere) ex Noruegia non fuerunt, miſiſſe eum illas ad Mauritium, vnà cum literis inſequente Decembri. Hoc vnum adnoto, Mauritium, dignum Parente filium, nõ fuiſſe paſſum obſeruandorum cæleſtium curam intermitti; quando cœptæ ante duos annos Planetarum obſeruationes à Iuſto Byrgio peragi, continuatæ habentur in conſequenteis annos quinque, inter illas, quæ poſtmodum typis mandatæ à Snellio fuerunt. Non fuerant verò huiuſmodi circa Planetas obſeruationes citra Tychonis conſilium, adhortationemque inſtitutæ: animaduertens enim Land-grauium ſoli circa Fixas reſtitutioni incumbere; *Optarem*, inquit, *plurimum, vt Celſitudo pari ſedulitate Planetarum etiam apparenteis motus Cœliùs indagari curaret: id quod per reſtituta Affixarum loca non difficulter præſtatur: Et, ſi non alibi, circa Acronychias trium ſuperiorum fulſiones*, &c.

Ipſo anni fine ſcriptæ Patauio à degente illeic Medico Doctore ad ſtudioſum Danum fuere literæ, ex quibus conſtat quanti jã Tycho illa in regione fuerit nominis; & Magino quidem præſertim famam illius latè ſpargente. Donec ille certè ſuperiore æſtate cõmoratus Venetiis fuit, deliberarunt Veneti in Rogatorum conſilio, vt quiſpiam Matheſeos peritus coronatorum trecentorum ſtipendio in Ægyptũ deſtinaretur, qui illeic Aſtronomicas obſeruationes perageret, ipſi Tychoni Aſtronomiam reſtituenti inſeruituras. Delegerat jam ſeceſſum Patauij optimus ille literarum, artiumque omnium bonarum fautor, & conciliandarum inter literatos amicitiarũ artifex eximius Vincentius Pinellus: cũ Galilæus

verò

verò jã tũ degeret Matheſcos Profeſſor Patauij, (quippe Orationẽ inauguralẽ die Decẽbr. 7. magna frequentia habuit) ideò Pinellus viri genium, eruditionémque ſaciens maximi, in eo incubuit, vt in Tychonis amicitiam eum inſinuaret; & re quidem primùm tentata illis eiſdem literis, quarum extrema hæc verba exſtant *Tanta enim heic Tycho certè eſt celebritatis, quanta nemo eorum, qui nunc viuunt.*

1593. Circiter anni eiuſdem finem, inſequentíſve initium typis mandare cœpit Tycho, quas Epiſtolas memorauimus inter ipſum, atque Land-grauium, Rothmannúmque hactenus ſcriptas; & præmiſſa quidem non modò Land-grauianâ illâ ad Ranzouium, anni M. D. LXXXV. Sed Ranzouianâ etiam vno, alteróve pòſt anno ad Tychonem datâ, qua illum Ranzouius adhortabatur, vt easdem ſcriptas Operi illi ſubiungeret, quod nouerat ipſi ſuo prælo verſari. Hæc eſt, quam jam ante inſinuauimus, cùm Tycho prouocatum ſe à Ranzouio, & Peucero dixit ad Epiſtolas typis conſignandas. Quod autem tum eas ſub prælo eſſe ſcripſit, eo feciſſe fine videtur, vt Rothmanno anſa conquerendi præcluderetur, ſi ea deinceps edita; quæ ne ederentur, rogaſſet, videtur. Heic certè notanda verba illa Kepleri, *Cùm autem*, inquit, *hic Tychonis congerro tanti nominis, anno* M. D XCII. *fatis conceſſiſſet. Tycho cõſilium cœpit Epiſtolas edendi, eiúſque Typum, procedentibus adhuc operis in Tomo primo Progymnaſmatum, aut ſuſpenſis, vt ſolebat (quippe priuatæ Typographiæ poſſeſſor) tardè, nec ante annum* M D.XCVI. *Tomum Epiſtolarum tunc primum abſoluit.* Quippe ex his verbis elicitur, tum, niſi poſt Land-grauij mortem, non fuiſſe Epiſtolas cudi cœptas; tum, ne eo quidem tempore abſolutum fuiſſe Tomum illum primum. Debuit interim, quæ Operis Concluſio adjuncta ab hæredibus fuit, conſcripta à Tychone fuiſſe ante huiuſce anni menſem Iulium; ſiquidem tametſi in ea conſpectos legamus Tychoni ſeptenos Cometas; author nihilominùs Appendicis legi in ea quinos ſolùm ſcripſit, adeò proinde, vt cùm ſextus Cometa illo ſolùm menſe apparuerit, rem fuiſſe ante illum conſcriptam oporteat.

Vt quidpiam verò attingamus de Concluſione huiuſmodi; præmittitur primùm Anacephalæoſis, qua ea recenſentur, quæ fuere toto opere præſtita, quæque ipſi aliquantò fuſiùs iam antè memorauimus. Deinde, quia duo videbantur capita adhuc ſupereſſe, alterum Phyſicum, de materia, cauſaque efficiente Stellæ; alterum Aſtrologicum, de eiuſdem effectis, & ſignificationibus: ideò non-nihil quidem circa vtrumque immoratur; ſed *hac tamen*, inquit, *proteſtatione præmiſſa, quòd ea, quæ de his iuxta noſtram æſtimationem proferam, neutiquam iis, quæ demonſtratiuè, & citra iuſtam refragationem in hac tota præcedentis Libri elucubratione propoſita ſunt quoad certitudinis indubiam euidentiam conferenda, æquiparandáque veniant: ſed coniecturalia ſolummodo, & probabili veriſimilitudine allata ſint.* Circa prius igitur caput: quod primùm ſpectat ad Materiam, edicit fuiſſe illam cæleſtem, ac eandem, quæ eſt aliarum Stellarum; vtcumque ad tam ſolidam coagmentationem exaltata non fuerit. Non potuiſſe certè illuc vſque elementarem aſcendere, ac eâ præſertim copiâ, quæ pluſquàm trecenties Terræ molem exſuperaret. Cælum, licet tenuiſſimum, non eſſe tamen incorporeum; ac ideò conſtare ex materia, quam nihil vetuerit, condenſari in globum, & niſi proprio, ſaltem Solari illuſtratam lumine, Sideris ſpeciem exhibere. Eſſe eam ad hoc abundè in Galaxia potiſſimùm; vnde & Stella genita in illius confinio fuit, & poſtquàm euanuit, remanſit, quo fulſerat loco, hiatus quaſi ſemilunaris, qui nocte ſerena, ac illuni acuto viſu cerni valeat, quemque ſaltem nemo priùs obſeruârit. Ariſtotelem non eſſe audiendum, qui Galaxiam ſublunarem, & quaſi ſpeciem Cometæ facit, quando & perpetua, conſtánſque in eadem ſemper Cæli parte, cum reuolutione cohæſio, defectúſque non parallaxeos modò, ſed refractionis etiam ſpecialis, errorem illum coarguit; & Cometas quoque ſupra Lunam eſſe, ac aut ex eadem Galaxiæ materia gigni, aut per eam tranſeuntis ſplendore non-nihil augeri, obſeruati nuper Cometæ conuincunt. Mirum non eſſe, niſi Stella coagmentationis eius fuerit, qua aliarum inſtar perdurare potuerit; quippe cùm fieri in æthere idem, quod in terræ viſceribus valeat, vbi vt indiſſolubile aurum, ita exſolubile plumbum gignitur. Quod ad Efficientem cauſam attinet; fore, vt de ea tum agatur, cùm ad totius Operis de recentioribus Æthereis Phænomenis calcem, etiam de Cometis actum fuerit, qui conſimilem nanciſcuntur cauſam. Fore prætereà, vt ibidem loci cauſa diſſolutionis tam Stellæ, quàm Cometarum ediſſeratur.

Circa alterum caput, quod eſt de Effectis, ſeu vaticiniis; illos non probat, qui prætextu ignorantiæ Aſtrologorum, cenſent Stellam nihil energiæ, ſignificationíſque habuiſſe. Nam dici quidẽ poſſe præſagia ex Aſtris difficilia eſſe, aut impoſſibilia etiam cognitu; at dicere nulla, id abſonum eſſe. Heinc, cùm ſic præſertim difficile noſſe, quid hæc Stella portenderit; quando ſimiles tam rarò viſuntur, & ne Hipparchica quidem illa, cui motus tributus, omnia iſti paria habuerit; eſſe nihilominùs conſentaneum, vt ſicut illa Monarchiæ Græcæ inclinationem, & Romanæ incrementum præceſſit, ita ſit magna aliqua Rerumpublicarum innouatio hanc conſequutura. Iri tamen res mutatum in melius, vt Stella Ioniali fulgore emicuit; licet non ſine tumultu quodam, ob eam, quæ ſucceſſit, Martiam rutilantiam. Imminutum quoque, niſi etiam exſtinctum Religionem faſtuoſam iri: ob eundem Iouialem ſplendorem, qui & mutatus fuerit, & tandem emanúerit Rem confirmari ex ſitu Stellæ prope colurum Æquinoctiorum, ac ſub initium verni quadrantis, quod ſit indicio ſuperuentu ram maiorem lucem aliquam, quæ tenebras priores diſcutiat. Aliunde verò eius ſitum in parte Cæli Borea euenta præſignificare in regione Septentrionali: licet de tempore, & de loco ex

duubus

duobus quibuſdam iudicandum ſit. Et de Tempore quidem, ex directione Conjunctionis Magnæ, quam in fine Trigoni aquei Stellæ exortus anteceſſit; ideò, cùm ea Conjunctio contigerit Anno M. D. LXXXIII. ac fine Aprilis, in 21. gradu Piſcium, à quo numeratis in Rectam Stellæ Aſcenſionem nouem gradibus, indicentur totidem anni, qui à Conjunctione porrò numerari annum prodant M. D. XCII. quo incipere Stellæ effecta debeant; parque ſit proinde homines Stellæ tempore natos, & à Deo ad magna, inſolitaque deſtinatos, eum circiter annum quid grande moliri. Cùm ſit verò etiam directionis Zodiacalis habenda ratio, & Stellæ longitudine exſiſtente in gradu Tauri penè ſeptimo, intercipiantur à loco Conjunctionis gradus propè quadraginta octo, indicenturque adeò anni totidem, qui à Conjunctione vſque numerati annum prodant M. D. CXXXI. idcirco congruere, vt circiter eum annum effecta Stellæ vigeant, & Trigono quidem igneo iam vigente. Cæterùm, & cùm ſeptima hæc ſit à condito Mundo facta Trigonorum reſtitutio; quippe priores contigerunt Enochi, Noæ, Moſis, Regum Iſraëlis, Chriſti nati, Caroli Magni temporibus, quibus ſingulis exſtitere inſignes quædam mutationes, & numero quidem imparibus in melius: par eſſe, vt hæc impar numero, ſit fœliciores ſtatus prænuncia; eius videlicet, in quo vaticinati Prophetæ ſunt, verſaturum cum agno lupum, pardum cum hœdo, &c. quique rerum interitum generalem ſit præceſſurus. De Loco verò, cùm par ſit mutationem incipere in aliqua parte eius in Terra Paralleli, cui Stella verticalis fuit, ideò de hac parte judicandum eſſe ex eo Nouilunio, cui Stellæ exortus coincidit; ſcilicet, vt illam eſſe intelligamus, cui eo momento Stella in Meridiano, verticaliſque exſtitit. Et quia id Nouilunium fuit Vraniburgi die Nouembris quinta, hora ſeptima min. 32. cùm Stella ab eius Meridiano abeſſet ad ortum gradibus ſexdecim, ſicque immineret adhuc parti Boreali Moſchouiæ; ideò debere mutationem ab ea regione incipere. Facere hûc autem tum Prophetiam apud Ezechielē de Gogo Principe Moſochi, ſeu Moſchi, Moſchouiticæve nationis; tum vaticinium Sibyllæ Tiburtinæ de Sidere orituro, & magnam Septentrionis domum radiis ſuis illuſtraturo, detectum in Helveria anno M. D. XX. tum aliud quoque carmine expreſſum Sibyllæ Babylonicæ,

Tunc autem ſignum dabitur diuinitùs ingens;
Namque relucebit clariſſima Stella, &c.

Ad Cometam quod attinet, is apparuit quidem à die ſecunda Iulij ad vſque Auguſti 24. at nullatenus obſeruari à Tychone in Huenna potuit, ob continentes penè fulgores (vocant illi Chaſmata) qui peragente curſum Cometa in parte Cæli Borea, Auroræ claræ ſpeciem per ſingulas nocteis in ea exhibuerunt. Conſolationi cuipiam fuit, quòd ſtudioſus Danus, qui ipſi ante aliquot annos in exercitationibus Aſtronomicis inſeruierat, ac tum Serueſtæ Anhaldinorum, ſtudiorum cauſâ morabatur, obſeruationes aliquot circa Cometam peregerat; tametſi, quod ille vſus fuiſſet Radio, Quadranteque nimis exili, nihil ex illis deducere, vndique cohærens, ac exploratum potuit. Delectauit illum magis, quòd accepit eundem antecedente Maio, ac die XX. obſeruaſſe itidem Serueſtæ deficere Solem infernè, ac vergendo in læuam, ad duos proximè digitos; cùm nihil obſeruatum defectus in Huenna fuerit, vbi calculus tempus prodit ad horam 2. min 40.

Quoniam verò donec plaga Cæli Borea obducebatur fulgoribus, Auſtrina erat reuelatior, obſeruationibuſque Planetarum patentior; ideò occupatus eo tempore circa Martem potiſſimum, qui tum in Aquario verſabatur, fuit; ac demiratus non parum eſt, latitudines eius maximas ante, vel poſt oppoſitiones, non verò in ipſis cum Sole oppoſitionibus obſeruari. Hinc nimirùm ſunt verba illa, quæ manu ſua in Codicem obſeruationum inſeruit, quæque & Keplerus, & Longomontanus poſtmodum citârunt, cùm adnixi ſunt occaſionem admirationis tollere. Ea ſe in hunc modum habent) *Conſideratione dignum eſt, quod Mars circa x. diem Auguſti habuerit maximam latitudinem Auſtrinam, & poſteà decreuerit; ita vt die xxiv in oppoſitione, quaſi quarta parte gradus, propior Ecliptica redditus ſit: quod tamen Canones, etiam correcto maxima latitudinis loco. in 18. Aquarij nequaquam adhibent, quomodocumque aſſumatur illeic maxima latitudo; cuius rei cauſa ſtudioſè inquirenda venit.* Quo loco addendum id quoque, quod in libro de noua Stella inter expendendum opiniones euentuum prædixerat, vt nempe Auguſto, ac Septembri huius anni Mars ea ſpecie grandeſceret, eoque lumine rutilaret, vt pro nouo Sidere haberi ab ignorantibus cauſam poſſet. Cauſa autem fuit vicinia, acceſſuſve ad Terram maior, Marte nempe ad Perigeium, non modò Epicycli, ſed etiam Eccentrici admoto. Prætereo verò quod ſubiicit, idem prædictum ab Andrea Perlachio de anno M. D. XXIX. ſcribere Keplerum, adnotatam rem fuiſſe à Melanchthone, *Iulio ſcilicet. & Auguſto tam prodigioſa ſpecie viſum Martem, vt nouum Sidus crederetur:* cùm & idem fieri deinceps medio tempore oportuerit, anno putà M. D. LXI.

Anno inſequente ſummus fuit dolor ob 1594.
acceptam mortem viri optimi, ſummiq; amici Iacobi Curtij, qui non multò antè prætextu negotij Cæſaris agendi, venerat in Daniā, vt votum expleret, hoc eſt, vt Tychonem coràm affaretur, apparatumque obſeruatorium ſuis hauriret oculis. Alias inter cauſas doloris id fuit, quòd prouidens Tycho fore, vt mutare ſedem cogeretur, rem cum Curtio communicaſſet, & Curtius recepiſſet ſe ea de re ita acturum cum Cæſare, vt aſylum ipſi tutum pararetur. Quin etiam, ſi fortè migratio in Bohemiam contingeret, obtulerat illi quas Pragæ habebat ampliſſimas ædeis, ac ipſi illarum ideam, delineationemve eo fine reliquerat, vt ſi quid in iis immutandū, addēdúve, quod cōmodum vſibus foret, judicaret, id & maturè ſignificari, & opportunè perfici

poſſet.Quamobrẽ bac excidens ſpe,fuit mœrore non leui affectus,tametſi deinceps cõſolationi fuit,quòd ſcribẽs ad illum Hagecius, ſpem fecit illuſtrem Coraducium Curtij in eo mnnere ſncceſſorem, pronnm quoque affectum in eum teſtaturuin.Tenebat illum interim ſollicitudo maxima rom Hypotbeſeon, tum Tabularum condendarum, circa Planetas ſingulos, & Martem quidem potiſſimùm conatus pletumque variè eludente. Cùm ideò verò nulla obſeruandi occaſio intermitteretur, tum ſingulare præſertim fuit, quod circa Lunarem Eclipſin menſis Octobris contigit. Nempe cùm ipſe eam referat ad diem xix. ac hor. 19. cum min. 26. addit Keplerus illam ad ſummnm Lunæ limbum ſic contigiſſe,vt citra verticalem, ſeu ex parte occaſus initium habuetir; cùm & ad eandem poſtea deſierit, vt moris in Lunæ Eclipſibus eſt.

Allatæ non multo poſt tempore fuere à Rothmanno literæ Berneburgi datæ ſub finem Septembris. Recreatus iis verò tantò magis fuit, quantò ex illius ab Huenna diſceſſu, hoc eſt ab anuis quatuor nullas prorsùs habuerat. Ipſis ille aliud nihil voluit, quàm diuturnum ſilentium excuſatum facere,cauſando cruciatus ex arthriride, nephritidéque immaneis,qui impedüſſent etiam,ne redire ad Principem ante illius obitum poſſet,& quod diſcedens receperat, inde portò tranſmittere. Rogauit autem, quî fieret, vt Tycho ſuum illum de Cometis Librum,'qui foret pridem typis expreſſis, penes ſe randiu ſupprimeret: experi enim ipſum à quamplurimis,ac inuidendum non eſſe,neque propriæ famæ, neque commendationi Matheſeos,quæ non foret deinceps pro more reputanda inutilis; quoniam conſtaret Aſtronomos poſſe ea falſa conuincere, quæ forent conſtanter babita pro veris.Libenter ſe quidem culturum Vranien; at conſtare de obſtaculo, ipſiúſque adeò Tychonis eſſe, illam ſplendidè exornare.Adjecit ſe,ſi acceſſiſſet ad Principem incolumem, commendaturum apud eum fuiſſe (tametſi vtcumque id præſtitiſſet per literas) quem viderat hortum Sororis ipſius Tychonis Sophiæ,quàm & Pbiloſophicam dixit,& per-quam ſolertiſſimam, nobiliſſimámque matronam. Ac talis fuit quidem conſcripta à Rothmanuo Epiſtola: ad quam cum Tycbo reſponderit, incertum eſt tamen,an vllæ deinceps datæ à Rothmanno fuerint; quando hæ duæ extremæ ſunt, quæ in Libro editarum à Tychone exſtant.

1595. Quam porrò Tycho ad Rothmannnm dedit,menſis Ianuarij, ac adeò anni M. D. XCV. eſt. In ea poſtquàm ipſi condoluit, remedia ſua obtulit, ob non requiſita ſucceſuit, excuſat Librum de Cometis nondum publici iuris factum, tum quòd ſtudium obſeruationum, deductioniſque motuom hanc curam præpedierit; tum quòd præter exſpectationem,multa longo jam tempore & otium, & Vraniæ cultum inrerturbantia inciderint: tum quòd tulerit ægrè ſuos labores ingratè à nonnullis exceptos, ſpeciatímque à Scoto quodam Medico, quem tametſi non nominet, nouimus tamen Craigium vocatum. Hic ſcilicet intercedente conſertaneo quodam,qui Tychonem fortè inuiſerat,cùm Liber recens abſolueretur,exemplum illius obtinuit,& literis ad Tycbonem datis,eius ſententiam de Cometis in Æthere verſantibus labefactare conatus eſt. Ratus Tycho illum nihil aliud quàm erudiri copioſius velle, ac amicè,& candidè veritatem requirere, Apologiam ſcripſit penè extemporaneam, quàm & ad illum anno jam M.D.LXXXIX. miſit. Ille verò triennio exacto, Librum in Tychonem emiſit ſcommatis, dicteriis, cauillis, &, vt ipſe addit, *diſtractionibus, peruerſionibúſque ſcatentem*, hoccè titulo, *Capnuraniæ reſtinctio, ſeu, Cometarum in Æthera ſublimationis refutatio*; prorsùs, vt ſi Tycho cenſuiſſet gigni Cometas ex terrenis fumis. Quocirca Liber iſte eſt, ad capita cuius præcipua Tycho ſic deinceps hac reſpondet Epiſtola, vt ipſam idcirco prolixiorem texat; ac ſpem etiam faciat vberioris refutationis,niſi à ſeipſo,ſaltem ab amico,diſcipulorúmve aliquo (cuiuſmodi Longomontanus deinceps exſtitit) faciendæ. Nihil interim neceſſe eſt attingere ex iis,quæ hac Epiſtola reſpondentur: quando quicquid obiicitur, & nullius momenti eſt, & mirum videtur Tychonem potuiſſe id ipſum,vel tantiſper morari. Illud prætereo, quod ad calcem Reſponſionis ſuæ ad Rothmanni rationes pro motu Terræ memorat, argumentúmque ex eo addit, quod Martis Eccentricitas non ea ſit, quam Copernicus, vt Terræ mobilitatẽ adſtrueret, poſuit; ſed aliam,ipſámque non nihil maiorem, tantùm abeſt,vt minorem,quam Ptolemæus, poſuerat. Citat ad idem Venerẽ,cuius Apogeion non in gradu ſeptimo Geminorum collocat, ſed potiùs ſub Cancri initium; ac tradit percupere ſe,vt Land-grauianæ obſeruationes, cum reſtitutione Fixarum, cui ille incubuerat,edantur. Quę deinceps Rothmanno mens, aut quod fatum fuerit, neſcitur: ſolúmque, quod ſciam, obſeruauit, quidpiam circa Cometam anni inſequentis, & in viuis adhuc eo tempore fuit, quo quinque poſt annos Tycho in Bohemiam appulit,

Heic autem non tam memoranda,quæ varia Tycho obſeruanit (ac tres nominatim Eclipſes,duæ totales Lunæ,altera Aprilis xiij. hor. 16. min. 36. altera Octobris vii. hor. 20. min. 29. Vna Solis digitorum 3. min. 50. Septembris xxiij. bor. 3. min. 8.) quàm dicendum eſt Magnum illum Globum orichalcicum, cuius aliquoties iam meminimus, fuiſſe vndequaque abſolutum, cælatis nimirum Fixis propè mille, quibus eſſe locis anno Chriſti M. DC. completo debuerunt. Cùm enim adoectus Auguſta eo ipſo anno, quo Vraniburgum fundatum,deprehenſus fuiſſet interbians rimis, & non exquiſite rotundus, malo vtrique proniſum fuit, tum rimis oppletis, tum ſuperſtratis aliquot membranarum centuriis, & facto biennij periculo, num tempeſtatum varietas rotunditatem quidquam vitiaret, ſuperſtructæ fuerunt orichalcicæ laminæ, ea compactione, vt totus

Globus

Globus ex ſolido orichalco videretur conflatus. Facta læuigatione, & tam Æquatoris, quàm Zodiaci circulis cælatis, inque minuta ſingula per tranſuerſa puncta diuiſis, exploratum vno adhuc anno eſt, num quà ab exacta rotunditate deſciſceret. Cùm non feciſſet, tum delineatæ ſingulæ Imagines fuere, tum Stellæ inſculptæ, prout fuit cuiuſque temporis progreſſu locus obſeruatus. Hic autem eſt annus, quo ille Stellarum millenarius propè numerus fuit obſeruando completus; ac adeò globus extremam manum anno à prima ſui ſtructura vigeſimo quinto adhibitam ſenſit. Dico autem propemodum; quoniam dum Tycho hæc memorat, ſupponit parui fuiſſe momenti ſexaginta minutulas, quæ fuere ſolùm biennio pòſt (& paullò quidem antè diſceſſum ex Dania) adjectæ; maximè autem IV. inter Capellam, & Polarem penè in eadem recta; XIV. inter Capellam, & Polarem ad latera, in duo trapezia, & duo triangula tributas; iij. inter vltimas caudæ Vrſæ ad latus: ix. in flexuoſa linea ſub informi inter caudas Vrſæ, & Leonis: vj. vltra, citráque Polarem. Non memoro autem Meridianum, Horizontémque circulos magnitudinis congruæ, fuiſſe pro more punctis tranſverſis in minuta graduum ſingula diuiſos: & Quadrantem quoque à verticali puncto dependentem in Horizontem, indigitantémque vnà operâ altitudines, atque azimutha. Non memoro item apparatum fulcri, ſiue Pedeſtalli quinque circiter pedes alti; neque vniuersè certantem cum Machinæ totius mole, ſoliditate, ſubtilitate, tractabilitate, elegantiam; ſed addo ſolùm inſcriptionem, quæ literis aureis in ipſo Horizonte talis legitur, ANNO à CHRISTO NATO CIↃ. IↃ. XXCIV. REGNANTE IN DANIA FRIDERICO II. HVNC COELESTI MACHINÆ CONFORMEM GLOBVM, IN QVO AFFIXA OCTAVÆ SPHERÆ SIDERA COELITVS ORGANIS DEPRIHENSA, SVIS QVÆQVE LOCIS AD AMVSSIM, REPRÆSENTARE, ERRANTIVMQVE STELLARVM PER HÆC APPARENTIAS PERVESTIGARE DECREVIT: CÆLO TERRIGENIS, QVI RATIONEM EAM CAPIVNT, MECHANICO OPERE PATEFACTO, TYCHO BRAHE O. F. SIBI, ET POSTERIS F. F. Quòd verò annus heic adſcribatur 1584. *Ideo fit*, inquit ipſe Tycho, *quòd is circa medium tempus, dum hac ſtructura elaboraretur, incideret, quadriennio nimirùm ante obitum laudatiſſimæ memoriæ Regis Friderici. qui me, meáque ſtudia liberaliter, & clementer fouit, ac regio amore, quoad vixit proſequutus eſt.* Memorabile autem eſt conſtitiſſe vniuersè hunc Globum Daleris imperialibus quinquies mille, quod Coldingius ſe Pragæ accepiſſe ex ore ipſius Tychonis teſtatur.

Fuere eodem anno Globi varij iuxta Tychonis reſtitutionem in inferiore Germania confecti; ſed continentes tamen dumtaxat octingentas circiter Stellas, quas diximus in Libro primo Progymnaſmatum contineri. Nempe, quia complexi illas quaterniones typis expreſſi iam fuerant; ideò Tycho eorũ exempla aliquot iam diſperſerat, miſeratque ſpeciatim vnum ad memoratum Florentium artificem Amſterodamenſem. Ad integrum volumen quod ſpectat; id communicatum cum nemine voluit, quòd ſibi nondum factum ſatis circa Lunæ motum putaret, prouideretque aliquot nouos quaterniones inſertum iri. Cogitabat quoque relatam ante Concluſionem non nihil retractare; vnde & eam typis non commiſerat; ac nolebat aliunde Librum, quaſi *ἀκέφαλον ſine capite* conſpici; quippe defectu Præfationis, ad quam concinnandam varia quidem in varias ſchedas iam conjecerat, ſed quibus adunandis tempus non ſumpſiſſet. Defectu, inquam, Præfationis, non item verò Nuncupatoriæ, vt fieri ſolet Epiſtolæ: ſiquidem, vt neque libellum de Noua Stella primùm editum, neque aut Ephemeridas, aut opuſcula quæpiam alia cuipiam omnind dicauerat, ita conſtituit nemini, neque ampliorem hunc de eadem Stella Librum, neque vllum omnind alium deinceps edendum cuiquam dicare; excepto ſolo Epiſtolarum primo, qui abſoluebatur iam tum, quemque Haſſiæ Land-grauio Mauritio conſecrandum cenſuit. Nihil tamen notandum, quòd propoſitum conſtanter non tenuerit, quando Rudolpho Imperatori tum Mechanicorum Librum nuncupauit, tum Aſtronomicas Tabulas, & Rudolphinas indigitare, & ipſimet Imperatori inſcribere pro votis habuit.

Ad Epiſtolarum volumen quod ſpectat, 1596. annus ſequens fuit, ac verni Æquinoctij dies, ad quem retulit factam Mauritio nuncupationem. Facilis verò conjectu eſt, quam habuit Mauritio nuncupandi cauſam; quando notum eſt volumine hoc contineri Epiſtolas, quæ ab eius Parente VVilelmo, eiúſque Mathematico ad Tychonem, viciſſim ab ipſo Tychone ad vtrumque fuere conſcriptæ: ne memorentur etiam datæ à Tychone ad Mauritium, & à Mauritio cum carminibus ad Tychonem. Augurabatur autem Tycho editionem hanc fore Mauritio non ingratam, vel ex eo, quòd in Oratione funebri, quam in VVillelmi exſequiis Hieronymus Turlerus habuit, illis de hoc nouo Atlante præmiſſis; *Itaque & in Aula ſua artifices ſemper aluit præclaros; &, ſi quos in locis etiam remotis circa eas doctrinas excellere comperiſſet, eos vel magnis præmiis ad ſe inuitabat, vel, ſi nec id poſſet, per literas crebrò de difficillimis Quæſtionibus cum illis conferebat;* tum hæc ſubiiciuntur: *Quod ſi eas tantum Epiſtolas edi in publicum aliquando contingat, quas iis rebus ad virum, & genere, & ſcientia Mathematica nobilem Tychonem Brahe Danum ſubinde, extremis maximè annis, miſit; vel inde conſtabit Poſteritati quàm induſtrius, quam exercitatus fuerit, quantum ad Tabularum Aſtronomicarum tollendos errores, ad loca Stellarum exactiùs cognoſcenda laborioſis ſuis obſeruationibus contulerit.* Omitto verò cùm Tycho Ranzouij, aliorúmque hortatu deſtinaſſet nõ iſtas modò, ſed alias quoque ad alios, & ab aliis viris doctis, quæ Aſtronomici argumẽti forent,

ſcriptas literas edere, ac in plureis Libros partiri; ideò voluiſſe eum non injuriá primum ex his Librum texere, ac præmittere; quando Atlantem attinerent, non ſolùm genere illuſtrem, verùm in hac etiam arte Principem. Omitto etiam adhortationem, quam ad Mauritium adhibet, vt Fixarum reſtitutionem tanto tempore, tam crebris vigiliis, ac tot ſumptibus à Parente quæſitam perire non ſinat; vt ideò Rothmannum peritóſve alios artifices euocet, aut niſi ſint alij, ſibi ipſi bona fide acturo rem totam concredat; vt organa Aſtronomica magna ſedulitate, & cura à Parente elaborata, in ſuo vigore, & vſu perpetuò illibata conſeruet.

Omitto hæc, inquam, ac adnoto ſolùm, cùm præter ſpeciale in Librum hunc primum Epiſtolarum argumentum, generalem etiam in omneis Præfationem conſcripſerit; declarare eum primùm quantæ molis fuerit Redintegrationem Aſtronomiæ moliri, ac excuſare proinde, niſi exſpectationi multorum tam citò ſatisfecerit. Quippe apparatum Obſeruatorij, idoneorumque Inſtrumentorum, temporis multùm exigere. Poſſe quidem Solarem motum intra quadriennium reſtitui; idque collatis ſingulorum annorum obſeruationibus habitis in variis Eclipticæ locis (& ſerenitate præſertim non ſemper quotannis perinde fauente) ſed Lunarem tamen decurſum annorum longè plurium depoſcere; tum ob Eclipſeon, quæ non ſemper aut ſupra Horizontem, aut ſereno Cælo contingunt, examen; tum ob alia obſeruanda in Quadraturis, lociſque intermediis; in Apogeio, Perigeio, Mediis elongationibus, ſiue Eccentrici, ſiue Epicycli maioris; adeò vt vix anni ſedecim ad iſta ſufficiant. Ad Veneris quoque, & Mercurij motus, annos exigi bene multos, vt maximæ à Sole digreſſiones, tam matutinæ, quàm veſpertinæ, ac in variis quidem Eccentricorum locis obſeruentur; & ſitus etiam alij; cùm interim Mercurius ob Solis viciniam rarò conſpiciatur. Exigi ad Martem annos xii. niſi etiam potiùs xxiv. vt illius Acronychiſmus in alternis Signis abundè innoteſcat. Exigi ad Iouem etiam xii. vt præter ſitus varios, obſeruari in Signis ſingulis Acronichus poſſit. Ad Saturnum, niſi annos xxx. ſaltem xx. aut xxiv. ad omnia in illius motu denotanda eſſe neceſſarios. Non ſufficere certè ad Stellas Errantes treis Acronychiſmos, vt vulgò putatur, vel illud arguere, quòd Tabulæ exinde deductæ cum Cælo non congruant. Hiſce addendum porrò eſſe, quòd tempus ad Reſtitutionem Affixarum eſt impendendum; quodque ad reductionem omnium motuum in Hypotheſin, numeróſque congruos. Deinde, cùm Primus hic Liber ſcriptas ad Landgrauium, aut ab eo acceptas literas contineat, fore, vt Secundus eas complectatur, quibus actum (nec proſâ modò, ſed carmine etiam) cum eruditis, amiciſque in Patria, vicinióve degentibus; Tertius autem, & ſequentes, eas, quibus cùm aliis degentibus remotiùs, aut jam actum, aut deinceps agendum. Ac cœpit quidem non longè poſt Librum ſecundum excudere: verùm breui quoque intermiſſæ propter inſequutas turbas operæ, reſumptæ deinceps non fuere; nihilque, quod ſciam eo ex Libro innotuit.

Menſe Iulio fulſit Cometes, iſque ſeptimus, poſtremuſque eorum, qui fuere Tychoni viſi, obſeruatique. Ipſe certè de obſeruationibus in Huenna paractis loquens, factas eas dicit. *tam in Fixis Stellis, quam omnibus Erraticis, tum quoque Cometis intereà eluceſcentibus, quos*, inquit, *ſeptenos iſtic calitus accuratè denotauimus*. Quòd verò nobis nondum conſtet, quid circa Poſtremum hunc præſtiterit; poteſt res vtcumque ſuppleri ex ea deſcriptione ſpecie latiore habita, quam ex Rothmanno edidit Snellius. Ex ipſa autem conſtat Cometam fuiſſe die xxi. & veſperi quidem, ac horâ 10. exactâ, non nihil ſupra duas Stellas tertiæ magnitudinis, quæ in pede Vrſæ maioris poſtremo, ac æſtimatam fuiſſe viſu ſimplici in gradu Leonis 28. Cum Septentrionali latitudine graduum circiter $27\frac{2}{3}$. caudâ interim verſus vltimam Caudæ eiuſdem Vrſæ directâ: niſi quòd nonnihil recedens à recta linea in occaſum, viſa eſt non prorſus oppoſita Soli. Die autem xxv. ſic viſum fuiſſe cum iiſdem Stellis Triangulum Iſoſceles, idque, cùm ipſe foret ad occaſum ſitus, conſtituere (tametſi ægrè ob vapores, & lumen Lunæ deprehendebatur) vt æſtimatus rurſus viſu ſimplici fuerit confeciſſe in ductu ſuo gradus circiter 4. in Zodiaco autem aliquantò amplius; ſicque diurnus illius motus videatur fuiſſe in longitudinem quidem Vnius gradus circiter, in latitudinem autem dimidij gradus.

Porrò hic ipſe annus fuit, quo oſorum Tychonis inuidia erupit. Quippe & nonnulli ex Nobilibus ægrè ferebant illum tandiù tot obtinere ex Regia munificentia reditus, ac euadere interim apud exteras nationes illuſtrem; quando videbant dietim complureis vix alia de cauſa in Daniam, quàm eius ſolius adeundi gratiâ appellere; & non pauci ex iis, qui colere ſtudia literarum videri volebant, ferre patienter non poterant, eſſe illum ea claritate, vt ipſi præ eo nulli haberentur. Erant in his Medici quidam, qui videntes non modò ex Dania, ſed ex regionibus etiam cæteris maximam ægrotorum turbam ad Tychonem confugere, & ſpagyrica illius remedia, quæ quibuſlibet gratis largiebatur, experiri fœliciter, ac morborum etiam vulgò habitorum inſanabilium, leuamen ſentire, liuore inſigni exardeſcebant, & quà poterant apud quoſlibet, proceresque potiſſimùm, quibus præſtabant operam, ipſius nomen traducebant. Itaque non longè ab ipſa inauguratione Regis, annis octodecim jam maioris, cùm forent noui aliqui ex Magiſtratibus primariis, tam ſua ſponte, quàm alieno inſtinctu malè in Tychonem affecti (fuere autem in iis tam Aulæ Magiſter, quàm Regis Cancellarius) cœpere ij primùm exaggerare exhauſtum ærarium, ac neceſſitatem reuocandi factas compluribus penſitationes,

maxi

maximè verò erogatas in res nihili, vt illam Tychonis. Cauſati deinde ſunt Norvegicum feudum nimis diu ab illo poſſeſſum; ac par eſſe, vt eo alius donaretur, qui poſſet patriæ operam magis frugiferam collocare. Denique probro illi verterunt, quòd incolume non ſeruaret Sacellum illud Roſchildenſe, cuius causâ dudum fruebatur præbenda S. Laurentij; iam quippe præ eius incuriâ, & eſſe araneis obuelata omnia, & tota penè effracta, dilapsáque feneſtrarum vitra. Quare & fuit ex ordine priuatus hiſce omnibus, Rege partim inſcio, partim fucatis huiuſmodi artificiis præoccupato: quodque Tychonem magis permouit, mala Cancellarij mens fuit, qui cùm deberet ſarta tecta legitima acta tueri, & cedentia potiſſimùm in tantam patriæ gloriam, ipſe illa exautorârit diſertíſque verbis ad eum ſcripſerit, non eſſe Regi integrum quicquam in Aſtronomicorum Inſtrumentorum curam conferre, ac memoratam demum præbendam ſuos in vſus conuerterit.

Hæc inter, Tycho, cùm iam non poſſet ex redditibus propriis in tot ſumptus ſufficere, neque ſuſtineret tamen in ſuſcepta tantis animis Aſtronomiæ cura non generosè perſeuerare, cepit quidem de requirendo apud cæteros patrocinio, ac adeò de ſede Vraniæ aliò transferenda conſilium; maximéque, quia ſubueritus eſt, ne odio, ac authoritate maleuolorum increbreſcente, ipſum quoque Huennæ feudum, tametſi ad vitam conceſſum, ſibi adimeretur: conſtitit tamen adhuc illeic cum vniuerſa familia, nihílque emouit, aut de obſeruationibus, aliiſque laboribus quicquam remiſit, quovſque verè inſequen-
1597. tis anni, qui fuit M. D. XCVII. ſtatim ac millenarij Affixarum numeri verificationem perfecit, quæſita Hafniæ domo, tranſtulit in eam minora, leuioráque organa, ac reliquit ferè ea ſolùm, quæ ad Stellæburgum defixa maiora, grauioráque erant. Nempe cogitabat ſupellectilem totam eas in ædeis concludere, vt direptioni minus paterent, ac liceret faciliùs, aut vnà ſecum auehere, aut quæſitum poſtmodum mittere, vnde opus foret: Quia interim verò, bonis bene multis facinus indignum reputantibus, obmurmuratum variè eſt: ideò facta quædam ſecuritas fuit tum retinendæ Inſulæ, tum ſeruandorum ſine noxa hærentium in ea organorum. Quò facinus porrò eleuari ſpecioſa quapiam ratione poſſet, ipſe Aulæ Magiſter Chriſtophorus VValchandorpius, diuturnum fouens odium ab vſque rixa ob vulneratum ſequacem Tychonis canem excitata, duos deſtinauit in Inſulam viros in doctis vulgò habitos (inque iis Thomam Feuchium) vt de Tychonis ſtudiis referrent. ij autem vulgari dumtaxat Sphæræ cognitione imbuti, & qui organa vocarentur, vſurparentur, inſeruirent, neſcij, ita loquuti ad gratiam ſunt, vt declarârint Tychonis ſtudia nihil omninò pendenda, ac eſſe non modò inutilia, ſed noxiæ etiam curioſitatis. Id prætextui deinceps fuit, vt cùm Tycho, relictis quibuſdam in Inſula famulis, degeret maximè in vrbe, ac tum aliquid ſemper obſeruaret, tum tranſlatis etiam aliquot clibanulis, Chymiæ vacare pergeret, Aulæ Magiſter vetare illi per Prætorem iuſſerit, ne ſe ampliùs huiuſmodi exercitationibus dederet; atque id quidem nomine Regis, qui in Germania tamen aberat; quippe ducturus in vxorem Annam Katharinam Ioachimi Friderici Marchionis Brandenburgici filiam, quam & reipſa duxit Halberſtebiæ, ſub finem Nouembris. Contigit quoque, vt petulantes quidam irruere in ipſum tentârint, ac Paſtorem etiam, Parochúmve eius malè exceperint, & prouocatus ad vltionem Iudex, ne ius diceret, inhibitus fuerit.

Hiſce ergo de cauſis Tycho nihil eſſe ampliùs morandum cenſuit, pertexíique adeò auehere Huennâ quicquid rerum mobilium fuit, ac ferè dumtaxat memorata illa organa reliquit, bonæque fortunæ, & Coloni curæ commiſit, tanquam non antè inde exportanda, quàm ſedes certa, tutáque apud exteros foret conſtituta; ne ſi pluries emouerentur, labem quampiam contraherent. Conduxit ſubinde onerariam nauim: inque eam impoſuit cùm totam familiam, ſupellectilémque, tum emota iam organa, ac vnà Librorum typis commiſſorum exempla. Familiam cùm dico, non modò vxorem, duos filios, quatuor filias, ac famulos ſimul, ancillásque intelligo; ſed maiorem etiam ſtudioſorum partem, qui eum rogârunt, vt eandem cum ipſo experiri fortunam liceret. Fuit in iis Franciſcus Gansnebus Tegnagellius, adoleſcens nobilis, qui Tychonis quoque fuit poſtmodùm gener. In aliis verò, qui tum ſequuti Tychonem non ſunt, fuit Longomontanus, qui cùm inclinante iam Vere expetiiſſet in præcipuas Germaniæ Academias excurrere, abeundi veniam ſic impetrârat, vt Tycho illum non ſine hac commendatione dimiſſum voluiſſet, *Ego Tycho Brahe Ottonides, Dominus hereditarius de Knudſtrup, & arcis Vraniburgi in Inſula Daniæ Venuſia Fundator, & Præſes, tenore præſentium teſtor, quod harum exhibitor Chriſtianus Seuerini F. Cimbricus, mihi in Aſtronomicis exercitiis per octennium fermè fideliter nauauerit operam, & in cæteris prætereà ſe geſſerit, vti virtutis, & bonarum literarum amantem decere poſſet. Nunc verò, cùm à me miſſionem peteret, non inuitè dimittendum cenſui, ſuóque arbitrio relinquendum. Commendatum igitur volo omnibus cuiuſque ordinis & ſtatus, vt illum ſua humanitate, & beneficentia complectantur. In cuius rei fidem Sigillum meum appoſui, & manu mea propria ſubſcripſi à Hafnia Kalendis Iunij* M D. XCVII.

TYCHO BRAHE.

DE

TYCHONIS BRAHEI VITA,

LIBER QVINTVS.

1597. VELA igitur fecit Tycho Æſtate penè media, ac iter direxit Roſtochium, tum quia & vrbem familiarem, & multos in ea amicos ab adoleſcentia habebat (imprimíſque Henricum Brucæum, cui pridem donârat Quadrantem orichalcicum) tum quia illeic videbatur promptior, commodiórque exſcenſus, & locus ſatis opportunus, vnde quocumque vocaretur, aut tendere ſponte luberet, eò iter inſtitueret; ac vbi interim non-nihil exſpectaret, ſi fortè in patriam; animis mutatis (quod ob bonorum indignationem non deſperabat fieri poſſe, vt euenitet) reuocaretur. Cùm appuliſſet tamen Roſtochium, non diu fore illeic ob increbreſcentem de peſte rumorem, hærendum præſenſit. Quare & Organa præcipua eruere è thecis, conditoriíſque ſuis noluit, ſed Radium dumtaxat Aſtronomicum, ſi quid fortaſſis videretur obſeruandum, ad manum habuit. Hac verò ratione ſub finem Octobris obſeruauit Martem inter Stellas Geminorum verſantem, variáſque eius diſtantias à circumvicinis Stellis denotauit, &, quòd interim alia ratio deſignandi tempora non ſuppeteret, ea deduxit ex Stellis Cycni, obſeruando putà perpendicula, in quæ illæ ex ordine coincidebant cum Stella Polari. Verùm, iam tum peſte vberiùs graſſante, deflexit in Holſatiam, acceſſurus ad Henricum Ranzouium, qui peramanter illum ad ſe, arcémque ſuam VVandeſburgum, non ampliùs dimidio milliaris diſtantem Hamburgo, inuitârat. Illeic humaniſſimè exceptus, tenere ſe non potuit, quin Elegiam conderet, quam tametſi longiuſculam, quippe Hecatonſticha eſt, non erit fortè legere, ſi heic apponatur, importunum,

Dania, quid merui? quo te mea Patria, laſi
Vſque adeo, vt rebus ſis minùs aqua meis?
Scilicet illud erat, tibi quo nocuiſſe reprehẽdar,
Quo maius per me nomen in orbe geras?
Dic age, quis pro te tot, tantáque fecerit antè,
Vt veheret famam cunctis per Aſtra tuam?
Quid facturus adhuc, quis, qua meliora reliqui,
Digeret expediens vſibus aptu ſuis?
Mittitur u VVenam ſocio comitatus ab imo,
Secreta Vrania, quem bene noſſe putant.
Venit, & vt vidit ſpectacula maxima Diua,
Pauca licet remanent, obſtupuiſſe ferunt.
Quid faciat rerum ignarius, qui talia pandit,
Nec conſpectu vnquam, nec ſibi nota priùs?
Adſtat inexpertus; Fabricarũ nomina quarit:
Qua reſerare nequit, vellicat inuidia.
Nec mirũ, meus hũc quia fortè inſtruxerat oſor
Qui mihi iamdudũ clam parit omne malũ.
Hoc quoque ſic à te, Tellus natiua, ferendum?
Hac etiam meritis gratia danda meis,
Vt qua noſſe nequis, carpas, oneréſque cauillis,
Multimodo noſtrum deminuáſque decus?
Te celebrẽ ſtudui meritis celebrare per orbem:
Tu mihi dic ſed, cur detrahis immeritò?
Hac ſunt parua puto: lõgè his grauiera ferebã:
Vix iſtheic noſtri cura, fauórque fuit.
In patria latui, toto penè cognitus orbe;
Vt multos alios delituiſſe liquet.
Sunt ubi fendis, titulis, & honeribus aucti,
Par quibus aut atas, aut genus eſſe nequit.
Aſt ego Braheus de quinis fratribus vnus,
Et genitus primo, vix reputatus eram.
Non tamẽ inuideo; miſeret magis iſtu ſequutũ,
Nil quibus eſt ſolidi quaque caduca nimis.
Vix aliqui noſtros ibi ſuſpexere labores;
Herculeis quamuis aquiparare licet.
Alcides feſſo, vt fertur ſubuenis Olympo,
Ne rueret praceps machina vaſta Poli.
Aſt, Ptolomae, tuis, Alphõſe, Copernice, veſtris
Lapſibus occurrens ipſe ego ſiſto pedes.
Vt Cali veſtram deluſeris orbita curam
Edocui; licèt hac cura ſtupenda foret.
Firmauíque nouis Cali laquearia fulcris;
Ne capias rimas poſteà, neve ruas.
Poſteritas grato veluti teſtabitur ore,
Noſtra licet iam nunc gratia muta ſilet.
Quanta Mechaoniis ſimul ac effecimus arte,
Qua facilè agrotis languida membra leuãt.
Dania ſi taceas, Norici, Sueciqùe loquentur,
Senſit vbi noſtram plurimus ager opem.
Nec tamen heinc lucrum ſectabar, vt vndique moris;
Gratis quippe dabam partu labore graui.
Nimirum hoc fuerat, cur tãta odiu inuida tẽſi;
Heinc abitus noſtri manat origo vetus.
Quaque diu latuis, nec apertè, cognita, donec
Inuidia virus qui ſtabiliret, erat.
Sic vitium pepulit virtutem. non mala cauſa;
Diſceſſu in noſtro crimen abeſſe puta.
Quantas ſuſtinui curas, impendia quanta,
Vt fieret celſum, quod meditabar, opus?
Quàm multis etiam Sophia myſteria pandi,
Quos alui longum ſumptibus ipſe meis?

Pluraque

Pluráque prætereà, vereor quæ dicere cuncta,
Ne proprias laudes enumerare ferar.
Pro quibus, ô Superi, mihi gratia reddita talis,
Sex ego cum natis, matréque vt exſul agam!
Sũ tamen haud exſul, libertas obtigit ampla;
Exſilium in patria veriùs ante tuli.
Nunc ego proſper ago; proprij nunc iuris alumnus;
Nunc mihi pro patria maximus Orbis adeſt.
Excipiunt alij, ſic proſpiciente Iehoua;
Gratus erit cunctis noſter vbique labor,
Tu licet hunc renuens ſpernas, damniſque fatiges,
O Patria, ô laudis prodiga facta tuæ!
Ergo ingrata vale: patria eſt mihi quælibet ora,
Quæ volet æthereis aqua litare ſacris.
Quæ volet & noſtros agnoſcere grata labores,
Quæ mihi pro meritis nõ feret immerita.
Dania, ſed fateor, ſatis excuſabilis in ſe eſt:
Condolet, & proprijs ingemit ipſa malis,
Tu quoque, magnanimi Federici heroica Proles,
Inſcius hac culpa, Rex generoſe, vacas.
Iuniſiſque alijs, animus quibus integer, iſta
Fiunt: Dij faciant non mage praua ſequi.
Sunt aliqui pauci, quibus haud tamen ipſe nocebam,
Qui mihi, quâ poſſunt arte, doléque nocẽt.
Hi valeant, meritiſque ſuis, quæ digna reportent,
Vindicis vt ſtatuent iuſſa verenda Dei.
Salue Ranzouum, veneraude Henrice, propago,
Vraniam primus qui capis hoſpitio
Heic, vbi vicinis Hamburgi mœnibus altis,
VVandesburga nouas arx habet alta domos.
Quas tibi conſtruxit memoratus is optimus Heros,
Octo gerens vitæ luſtra peracta ſuæ.
Det Deus aſtrigeri ſapiẽs moderator Olympi
Nos hac vtiliter ſorte, locóque frui;
Ipſius vt cunctis pateant miracula terris,
Æthere in abſtruſo quæ latuere diu,
Quin tua, Ranzoui, donec tibi Sidera Cælum
Vindicat, Hoſpitij fama ſuperſtes erit.

Quoniam verò mens Tychoni non fuit ſedem illeic fixam habere, & ab vſque communicatis cum optimo Curtio conſiliis, menti ſemper defixum habuit, & ſpem, & rationem ſtudiorum ponendam eſſe in Cæſare: ideò re deliberata cum Ranzouio, curarurum ſe Ranzouius recepit, vt Coloniẽſis Elector, cui Cæſar multùm tribueret, literas ad ipsũ haud vulgareis daret, & alias quoque de meliora nota ſciberet ad Ioannem Baruuitium, qui à Secretis Cæſari, nihil non apud illum poſſet (cùm & aliunde meritorum Tychonis foret conſcius, re conſtante ex ſubſcriptione relari antè diplomatis) idque, quò negotium vt certiùs, ita citiùs promoueretur. Ipſe quoque Tycho ad Hagecium ſcripſit, & quicquid conſilij cepiſſet, quidque animo agitaret, aperuit; vt partim ſeipſo, qua erat apud Cæſarem gratia, partim Rudolpho Corraducio Procancellario intercedente, ad eundem ſcopum collinearet. Cùm noſſet verò Imperatori mitè placere Machinas raro artificio ſpectabileis, & ſtudia etiam Chymica à ſolertioribus exculta; ideò cogitauit edere quam-primum Aſtronomiæ ſuæ Mechanicam partem, vt ipſi illam nuncuparet, exemplúmque tranſmitteret, in quo non modò conſpicerentur tot Organorum exquiſitorum, quæ ſecum deueheret, icones, ſed ad calcem quoque ſignificaretur quantum ſtudij, & operæ circa Chymiam ab ipſa vſque adoleſcentia impendiſſet. Itaque, quia iam in Huenna curárat non ædificiorum, & Inſulæ modò, ſed præcipuorum etiam quocumque organorum iconas quà æri, quà buxo incidi, ac deſcriptionem quoque adumbrârat, quam adhibiturus eſſet ſingulis; ideò cælaturas digeſſit, deſcriptionéſque omnium abſoluit; ac euocauit Hamburgo Philippum de Oht Chalcographum, cui deuectum Huennâ Typographeon committeret, ac vnà totius Operis excudendi curam. Ipſe Præfationem interim conſcripſit, qua nuncupato Cæſari Opere, tum inſinuauit, quid diſcriminis intat vſurpata à veteribus, ſuáque Inſtrumenta foret; tum declarauit ſe *Primo loco* exhibiturum organa obſeruandis Altitudinibus, Azimuthiſque comparata (Quadranteiſque potiſſimùm.) *Secundò* Armillas tam Zodiacaleis longitudinibus, & latitudinibus, quàm Æquatorias, rectis Aſcenſionibus, Declinationibúſque deſignandis idoneas. *Tertiò* Organa alia (& Sextanteia præſertim) intercapedinibus ſcrutandis inſeruientia: *Quartò* nonnulla minutiora; tum illa quoque demùm recenſuit, quæ quaſi parerga adhibita voluit.

Dicendũ heic foret de ipſis Organis, quæ deinceps ſua ſerie depicta, deſcriptáque habentur; at debent, quæ fuere ſuperiùs de ipſis dicta, ſufficere; attingendúmque ſolùm iam eſt, quid fuerit ſubinde attextum. Attexuit ille igitur quandam ſuæ vitæ quaſi Synopſin, cum Obſeruationum progreſſu à vocatis Puerilibus, per Iuuenileis, in Virileis; cum recenſione eorum, quæ à xxv. potiſſimum annis circa Solem, Lunam, ac Stellas, tam Inerranteis, quàm Erranteis, ipſámque etiam Nouam, & circa Cometas quoque præſtitit; commemoratis prætereà ad calcem Aſtrologicis, Spagiriciſque, ſeu Chymicis, de quibus mox antè præmonuimus, ſtudiis. Subiecit verò cohærenter, & quaſi occaſione pagellarum vacantium, memoratas illas tam Curtij, quàm Magini Epiſtolas, & mentione etiam decreti Venetorum facta. Tum ſe expetere declarauit, communicari ſecum maturè obſeruationes organis à Magino deſcriptis peractas, *quod nunc*, inquit, *commodius fieri poſſe exiſtimo; ſiquidem in Germania degam, atque hoc tempore prope Hamburgum, Emporium celebre (quod cum Italia quoque plurima habet commercia) in arce quadam Ranzouiana ſubſiſtam; aut etiam, ſi alibi fortè poſt-hac in Teu-*

tonia fuerim, id quicquid erit, facilè me inueniat: Tum adhortatus Venetos eſt, vt exſequutioni heroicum adeò, ac liberale decretum mandarent. deſtinantes idoneum Obſeruatorem Alexandriam, vt, cùm veriſimile foret Ptolemæum exquiſitè adnotaſſe Poli in ea vrbe altitudinem, exploraretur num eadem iam, quindecim nempe pòſt ſæculis, altitudo perſeueraret, an variata foret aliquatenus, vt Mathematici quidam Itali (maximéque Dominicus Maria, Præceptor Copernici) ſuſpicati fuerant; ac non modò id exploraretur, & per Meridianas quidem tam Solis, quàm Fixarum altitudines; ſed Stellæ quoque ad vſque Canopum nobis Borealibus inconſpicuæ, cum nobis conſpicuis ſic compararentur, vt reſtitutis illarum locis obſeruationes veterum illeic peractæ poſſent expendi, *Ego vero*, inquit, *quantum in me eſt, huic negotio auxiliatrices etiam ferre manus, ſiue Inſtrumenta, & media ordinando. ſiue ea, quæ facienda ſunt, præſcribendo, nullatenus erga vos meo defuturus ſum officio, quod vobis omni cum obſequio ſemper reuerenter offero; qualis non diffi.ar inueniri in Italia*, &c.

Poſtremò Appendicem adiunxit de Architectonicis Structuris, quæ Obſeruationibus Aſtronomicis ſint præſertim congruæ. Eas autem deſcribens exigit imprimis, vt & locus editus ſit, quò Horizon vndique pateat; & aliunde procul à turba, vt otio frui Philoſophico liceat. Deinde, cùm cuivis non contingat, aut naſci, aut degere poſſe in locis Auſtralioribus, vbi rectior Sphæra, & ſerenitas crebrior; oportere ait ea eſſe contentum loci, & temporis occaſione, quæ ad manum fuerit, & incommoda, ſi quæ incidant, conſtante diligentia ſuperare. Habere etiam Arctoam oram ſua commoda, ob longiores nocteis, *quódque*, inquit, *intenſo ſuo gelu, ſpirantibus præſertim Borealibus ventis, aërem ita depuret, & extenuet, vt pluribus ſæpenumero cõtinuis diebus defæcatiſſimus ſit, adeò vt Stellæ noctu quam-maximè fulgeant, atque ſcintillent; cùm tamen in Auſtralioribus regionibus creberrimè aut Cœlũ aliàs nubibus obductum vdum ſit, & cœleſtibus conſiderationibus minus pateat.* Meminit ſubinde Land-grauium exoptaſſe ſibi (nimirum Tychoni) Auſtraliorem ſedem; *ídque*, inquit, *optima intentione eum feciſſe non eſt dubium, fortè etiam quò me iſthuc alliceret: atqui ego*, pergit, *exiſtimo in Dania non pauciores, quàm vel in Haſſia, aut quavis alia Germaniæ parte (vti de cæteris Europæ regionibus nunc non dicam) obtineri poſſe Siderum obſeruationes; niſi quod nonnullæ Stellæ in Auſtralioribus plagis oriantur, quæ in Borea perpetuò latent: quod tamen non magni eſt momenti, nec ad Aſtronomiæ reſtaurationem admodùm conducit. Teſtari id poterunt.* ita adhuc pergit, *Libri vnus, & viginti manu-ſcripti, qui penes me ſunt, totidem annorum accuratiſſimas obſeruationes in Dania peractas complectentes, quas, & quales vix alibi, vt in magis Meridionali regione à quoquam intereà (abſit inuidia dicto) obtentas eſſe arbitror: In quibus non ſolùm omnium Planetarum ſingulis annis, & ne quidem Mercurio rarius, ob minorem à Sole digreſſionem apparente, loca, & viciſſitudines crebrò, & multifariam explorata habentur; ſed & Inerrantium Stellarum, quotquot viſui vtcumque patent, poſitus ſubtiliſſimè denotati ſunt.*

Quod ad ædificia demum attinet; ea ferè ſcribit, quæ in praxin deduxit, quæque intelligi ea ante-dictis licet. Vnde & adhiber, quaſi in exẽplum, Ortographiam, Icnographiámque tam Vraniburgi, quàm Stellæ-burgi, vnà cum appoſitis ſingularum partium deſcriptionibus, Topographiáque etiam Inſulæ, cui quod ſubiicit, non videtur heic prætereundum, *Inſumpſi autem*, inquit, *in hæc omnia vltra Tonnam auri. Quæcũque enim, ſiue è Beneficijs regijs, ſiue propriis reditibus annuis conquirere licuit, in eos vſus expendebam: vt de moleſtijs, & laboribus ingentibus, quos iſtheic per annos xxi ſuſtinui, nihil addam. Ex his, & aliis quivis cordatus facilè æſtimare poterit, me non-niſi grauiſſimis de cauſis, præſertimque in hac quinquagenaria ætate, & magna familiæ copia, Inſulam tanti conſtantem, vnáque Patriam dulciſſimam, ínque ea ſanguine iunctos, atque amicos quam-plurimos deſeruiſſe. Quæ verò, quantáque me ad hoc impulerint, volens heic ſubiiceo. Interim ſereniſſimũ Regem meum Chriſtianum IV. Dominum Clementiſſimum, qui laudatiſſimæ memoriæ Patri Friderico Regi horum iſtheic Fundatori, & Promotori nuper ſucceſſit, lubens excuſatum habeo. Neque enim ambigo, ſi tempeſtiuè & ſufficienter, quæ hoc negotium Regno fortaſſis non inhonorificum concernunt, ipſi propoſita fuiſſent; quin pro ea, qua eſt, heroica natura, & ingenio perſpicaci, generoſóque animo, & ad ingenuas artes propenſo excellenter præditus, hæc Regibus digniſſima ſtudia clementer, & liberaliter in ſuo Regno conſeruaturus, ac perpetuaturus fuiſſet. Sed fortè ſic erat in fatis, quò Aſtronomiæ reſtauratio latiùs promulgaretur, atque vniuerſalior redderetur. Quin & hoc quivis facilè perpendet, quàm ſeriè & anxiè Aſtronomiæ reſtauratio nobis cordi ſit, cùm tot labores, atque impenſas, tot conturbationes, & aduerſitates eius cauſa fortiter ferre voluerim; adeò vt, ne patriam quidem, ac chariſſima quæque derelinquere dubitàrim,*

Tantus amor nobis Aſtrorum expangere normas!

Neque verò ſunt etiam heic carmina illa reticenda, quæ inter deſcribendum Vraniburgum illi exciderunt,

Vrania ſacrata domus, ſpecula inclyta Cœli,
Excelſo fundata loco, firmatáque vallis,
Arboribúſque, herbiſque tuis circumſita in hortis;
Quater ſeptenos luſtraſti cuncta per annos
Sidera, dum caput auguſtũ ſuſtollis Olympo;
Sic-cine ſpreta taces? ſic nunc orbata quieſcis?
Forſitan id Superis viſum, quibus omnia curæ:
Ne magna exiguis ſtringantur munera clauſtris.
Sic volunt; variántque vices terreſtria quæque;
Sit tibi laus ſoli, qui Cœlum, & Sidera torques.

Sed

Sed hæc quidem de Opere illo, cui tum VVandesburgi excuſo factus titulus, *Tychonis Brahe Aſtronomia inſtaurata Mechanica;* ídque cum ſubiuncta, non Tychonis ipſius effigie, vt in Noribergenſi editione; ſed imagine illa, cui fuiſſe adſcriptum ſuperiùs memorauimus: *Suſpiciendo deſpicio*, vti & alia ipſi obuerſa oppoſita fuit ad Operis calcem, cum hac adſcriptione: *Deſpiciendo ſuſpicio.* Dies porrò ad quem factam Nuncupationem retulit, fuit vltimus anni ſeu pridie Kalendas Ianuarias, vt foret occaſio tranſmittendi Librum, quaſi Strenam ad Cæſarem. Tranſmiſit verò etiam exemplum MS. Catalogi, quem tẽpeſtiuè abſoluerat mille Affixarum Stellarum (ducentis nempe intertitis additíſque ad octingentas, quarum in Libro de Noua Stella Canonica expoſitio eſt) ídque præmiſſa, quaſi in locum Præfationis Epiſtola, ad diem Ianuarij ſecundam relata. Deduxit fuſiuſculè in ea quid fuiſſet à Maioribus, quid à ſeipſo præſtitum circa obſeruationem, conſignationémque Stellarum Inerrantium; & cuiuſmodi eſſent quædam Tabulæ Catalogo tranſmiſſo ſubiunctæ. Quia enim fuit Longitudo, Latitudoque Stellarũ relata ad annum completum M. DC. ideò attexuit duas Tabulas, quarum in Progymnaſmatis altera antecedit, altera conſequitur Canonicam expoſitionem de Stellarum progreſſu in longitudinem per annos antecedenteis, pérque conſequenteis ducentos. Tabulam item, quæ ibidem exſtat, continens centum ſelectarum Stellarum Aſcenſiones rectas, & Declinationes ad annos completos M. DC. & M. DCC. Tabulam quoque Refractionum, quæ in eodem Libro, ac præterea Tabulas duas continenteis Longitudinem, Latitudinem, Aſcenſionem rectam, & Declinationem xxxvj. Stellarum, xij. ex Zodiaco, xij. Borealium, xij. Auſtralium, tam ſecundum ipſum, quàm ſecundum Alphonſum, & Copernicum; vt quid inter iſtos, ipſúmque foret diſcriminis, conſtaret. Pertexuit & vſum harum Tabularum, primarúmque duarum ſpeciatim, in quarum exemplũ Natale ipſius Imperatoris tempus aſſumens, ipſum retulit ad annum 1551. & diem Iulij 18. Ad Præfationem vt redeam, illam hiſce verbis concluſit, *Tibi verò*, Auguſtiſſime Imperator, *hanc à nobis multis annis exantlatam, & tandem canonicè deſcriptam Stellarum Inerrantium expoſitionem ſubmiſſe, & reuerenter omnium primò offerendam cenſuimus, vt tua clementiſſima voluntate hæc ipſa ſuſcipiens, me & ea, quæ tracto cæleſtia, & ſublimia exercitia in poſterum Cæſareo fauore, atque clementia complecti non dedigneris. Hanc igitur ipſam inſtantis huius anni ſtrenulam, vt tua Imperatoria Maieſtas clementi vultu accipiat, & excipiat, ſumma demiſſione rogo. Cui me, meáque ſtudia omnia ad obſequia quæuis pro virili præſtanda paratiſſima, quàm humillimè voueo. Dabantur prope Hamburgum in arce Ranzouiana VVandesburgo, circa terminos Germaniæ & Cimbricæ Cherſoneſi, Anno 1598. poſtridie Kalendarum Ianuarij.*

Quod heic dicit Catalogum fuiſſe Cæſari primò offerendum, facit, vt obſeruem curaſſe Tychonem per hæc tẽpora plura per Studioſos exſcribi memorati Catalogi, Præfationiſque, & adiunctorum, quæ ad varios mitteret, exempla. Quippe aliqua deſtinauit ad celebreis quáſque Europæ Academias, teſtatúrque Keplerus ſe vnum, cùm ab eo in Styriam rediret, habuiſſe. quod ad Academiã Viennenſem (quoniam eò quapiam occaſione erat digreſſurus) deferret. Vbi notandum, cùm Keplerus Catalogum ſibi ex eo deſcripſiſſet, deſcriptum hunc eſſe, quem Suum appellat, cùm ad Tabularum Rudolphinarum calcem recenſet, quid diſcriminis circa aliquarum Stellarum deſignationem adnotârit. Deſtinauit & aliqua ad Mathematicos præcipuos, imprimis verò ad Maginum, qui Hipparchi commendationem ex primo Progymnaſmatum Libro referens, addénſque Ptolemæum eius veſtigia inſequutum nomen obtinuiſſe Principis Aſtronomiæ, haberi id dicit *in Præfatione, quam*, inquit, *ad Rodolphum ſecundum de Inerrantium Stellarum verificatione conſcripſit, & mihi manuſcriptam, cum earundem Stellarum abſolutiſſimo Catalogo communicauit, vbi cenſet deſcriptionem Stellarum Fixarum, quæ ex Ptolemæi magna Conſtructione ad nos propagata eſt, fuiſſe ipſiuſmet Hipparchi.* Denique deſtinauit etiam ad Magnates aliquos, literarúmque, & literatorum fautores, vnumque præ cæteris ad eximium Principem VVolfgangum Theodoricum, Salisburgenſem Archiepiſcopum, quod mihi aliquando, erudito Rotæo intercedente, conceſſit in manus. Fuit verò Catalogus cum adiunctis magnificè compactus in vnum cum Mechanica Codicem, in cuius pagina Mechanices titulum præcedente exaratum manu hoc fuit, *Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Principi, ac Domino, Domino VVolfgango Theodorico Archiepiſcopo Salisburgenſi, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legato, Domino ſuo Clementiſſimo.*

Accipe clementi, Princeps VVolfgange, fauore
Organa Sidereas apta notare vias.
His ter ſeptenos luſtrauimus Aſtra per annos:
Suſtinuit tantum donec Huenna decus.
Aſt vbi tam grandeis ea paruula ferre triumphos.
Ampliùs haud valuit, fatáque verſa retrò:
Prouida Diua Poli, cernens inſtare ruinam,
Tranſtulit hæc aliò, quò mage tuta forent.
Indignum reputans ſua Sacra perire ſub Arcto,
Qualia vix alibi ſplẽdidus Auſter habet.
Ergo Cæſaribus nunc conſecrátque, dicátque,
Fulta ſub auſpicijs, Magne Rudolphe, tuis.

Illuſtriſſimæ, & Reuerendiſſimæ Celſitudinis veſtræ ſummiſsè addictiſſimus Tycho Brahe dd. Suſcripſit nimirùm Tycho manu propria. Pagina verò antecedens Præfationem, cum Catalogo, ſic habet,

Hos quoque ſtelliferos cape, Princeps inclyte, fetus.

Quos

Quos operoſa diu noxque, diéſque dedit.
Debnerant equidem quibus orti, fulgere in- oris,
Et iubar heinc imos ſpargere ad Antipodas:
Ni ſuperis aliter viſum, qui fata gubernant,
Vraniaque aliter, qua ſua Sacra fouet.
Neſcia contemni, fraudari, odia inuida noxās,
Cenſuráſque rudeis, Sorditiémque pati,
Plurima quaque aliàs fanda, atque infanda tuliſſet,
Regna viſi mallet nunc peregrina ſequi.
Nec peregrina tamen; Calum tota vndique Tellus
Suſpicit, athereis, inuigilátque viis.
Proſperiora igitur cœleſtia Numina ſpondent:
Tanta nec ingratis ſunt peritura viris.

Cùm ſit porrò de hoc Codice quidpiam iterum infrà attingendum, iuuat heic ſolùm circa Stellarum Catalogum ſubiicere, conſentire eum quidem parte maxima, tam cum inſerto in Librum primum Progymnaſmatum, circa octingentas Stellas, quàm cum Keplerino circa ducentas additas; ſed & præferre aliquid tamen non contemnendi diſcriminis, quod ſi hic locus pateretur, non inuitus in gratiam Studioſorum commemorarem. Quippe præter Stellas plus minùs viginti, quarum Longitudo, Latitudóve non ampliùs differt, quàm minuti dimidio; ſunt vltra triginta, quarum aliquæ differunt, non minutis modò vno, ſex, ſeptem, nouem, decem, viginti, triginta ſex, verùm etiam gradibus vno, duobus, quatuor, quinque, octo, decem. Aliàs fortaſſis dabitur occaſio commodior iſta recenſendi; obſeruo dumtaxat videri tam hunc, quàm Keplerinum Catalogum, eóſque, quos ille Longimontani, & Piſeri, vt à ſuo interdum diſcrepanteis, citat, non videri ex eodem quaſi prototypo, ectypóve deſcriptos; quando præter mox inſinuata diſcrimina, Stellæ pleræque aliter in hoc, quàm in illis indigitantur; habentúrque in hoc ex conſtellatione Ophiuchi Stellæ xij, quas Keplerus ſuo defeciſſe teſtatur; itémque vna in Geminis, vna in Ophiuco, vna in Eridano; quarum ille non meminit; ac nomina etiam duarum in Cygno Stellarum, quæ ille non appoſuit. Sed heic quidem hac de re nimis.

Cùm prouidiſſet intereà Tycho duas fore inſequente Februario Eclipſeis, alterá Lunæ, alteram Solis; ideò aliqua Inſtrumenta ſuis è thecis eduxerat, Quadrantémque, & Armillas ſpeciatim, quibus etiam obſeruauit attolli VVandeſburgi Polum grad. 53. min. 36. Quanquam & vt educeret, non poſtrema illi fuit cauſa prona voluntas Ioannis Molleri, Mathematici Brandemburgici, qui tempore quidem coronationis Regis illum in Huenna inuiſerat; ſed non ſatis tamen pro voto morari cum ipſo potuerat; & cùm deinceps Regina fuit Brandeburgo deducta in Daniam, ſeſe in comitatum dedit; & non reperto illeic Tychone, ad eum in Holſatiam deflexit. Fuit ipſi, vt Mathematicum ingenium, ſic manus ad Mechanicen huc facientem induſtria; vnde & obſequio affectus pleno accedente, quaodiu cum Tychone illeic fuit, Studioſorum, quos Tycho ſemper ſuſtētabat, penſis, & laboribus præfuit, ac poſteà diſcedens pollicitus eſt, vbicunque Tycho ſedem poneret, ſe ad ipſum, veniâ à ſuo Principe impetratâ conuolaturū. Quod idem quoque pollicitus Dauid Fabricius Friſius eſt, qui ipſius famâ permotus eum illeic moratorem inuiſit, & ſuam in obſeruando induſtriam eximiè probauit. Sed de Eclipſibus vt dicam, contigit, ea, quæ Lunæ fuit, die eius menſis x. manè; cumque deſierit Lunâ iam infra Horizontem demerſá, deduxit, calculo adiuuante, contigiſſe Vraniburgi eius Medium hora 6. min.7. Non fuit autem, vt ſperârat, totalis; ſiquidem ſuperfuit per ſummum defectum digiti dimidium. Ad Solarem quod attinet, obſeruauit illam die eiuſdem menſis xxiv. etiam manè: & ex initio, quod adnorauit hora 9. min. 54. aliiſque phaſibus, deduxit Medium fuiſſe Vraniburgi, tribus circiter gradibus orientalioris, hora 11. ac min. 16. idque cum defectu digitorum 9. min. 20. Nihil motandum interim eſt, quod Keplerus in Opticis ſcripſit, fuiſſe hanc Eclipſin in Huenna Daniæ à quodam Tychonis ſtudioſo contemplationis huius causa in Inſula verſante, obſeruatam: ſiquidem ipſemet ſe poſteà in Rodulphinis Tabulis fuiſſe hallucinatum ait, agnoſcitque obſeruationem, qua Finis proditur hora 12. min. 32. neque Tychonis eſſe, neque Vraniburgicam omninò, ſed Dauidis Origani Francofurti ad Oderam commorantis.

Quo loco id videtur adnotatu dignum, quod ipſe Origanus de ſe huiuſce Eclipſeos occaſione narrat. Videlicet, cùm in priore Ephemeridum editione deduxiſſet, ſupputatione ex Prutenicis Tabulis confecta, debere Eclipſeos initium Francofurti contingere hora 8. min. $50\frac{1}{2}$. ac totalem penè futuram (digitorum quippe 11. min. $57\frac{1}{2}$) ideò fuiſſe maturè ſe ad obſeruationē illius accinctum, & plerique quidē Academiæ collegis, ſtudioſiſque adſtantibus. Eueniſſe autem, vt initium contigerit ſeſqui-horâ tardiùs; quippe hora 10. min. 20. & defectus ſummus non fuerit, niſi digitorum 9. aut perparum ampliùs: ne de duratione aliquid adiiciam, quæ fuit etiam dimidio horæ, aut aliquid ampliùs, prædictione minor. Fuiſſe proinde occaſionem factam calumniandi & artem, & artificem; vtcumque ipſe quidem rectè calculos ex datis Tabulis ſubduxiſſet. Subiicit verò, *Calculus autem Tychonicus adeò exquiſitè quoad tempus, & quantitatem cum obſeruationibus conſenſit, vt poſtquàm Tabulas Tychonicas nactus ſum, communicante mihi illas circa Pentecoſtes ferias anni* M. DC. II. *doctiſſimo Viro Ioanne Mollero Illuſtriſſimi Electoris Brandemburgici Domini mei Clementiſſimi Mathematico praſtantiſſimo, amico meo ſingulari, & ex iis in hanc Eclipſin inquiſiui ſummoperè admiratus fuerim, tam accuratam limitationem in motibus Solis, & Luna Tychonem adhibere potuiſſe, ne à meis obſeruationibus calculus quidquam etiam fere deflecteret.* Suppoſuit autem Origanus Meridianum

Franco

Francofurtenſem duodecim minutis temporariis ab Vraniburgico diſtare.

Non multò pòſt accepit Tycho Vratiſlauiâ literas à Iacobo Monauio, ex quibus nouit Longomontanum tum eò acceſſiſſe, tum fuiſſe diſceſſurum Lipſiam: quare literas ad eum Lipſiam dedit, hortatúſque eſt, vt ad ſe, priuſquàm VVandesburgo digrederetur, accederet: quippe eſſe aliqua, de quibus agere præſens cum ipſo vellet, neque tamen commodum foret ea chartis committere. Et, *ſi*, inquit, *viaticum tibi ad manus non eſt, mutuo ab aliquo pete, vel oppignera quod à me, qualecunque tandem ſit, bona fide redimendum: aut aliquis pro te ſpondeat; faxo, vt ille ſit indemnis. Non eſt, quòd verearis, ne te heic vltra voluntatem detineam: nam ipſemet non conſtitui heic diu manere.* Et ſtatim, *Vide iam, mi Chriſtierne, ne fallas expectationem meam; ſed quamprimùm te heic ſiſtas. Inuenies me viciſſim gratum, vt huius pro me ſuſcepti itineris non pœniteat.* Expetebat porrò illum maximè, vt abſolueretur Theoria Lunæ, & qui quaterniones primo Progymnaſmatum libro deerant, mandari typis Hamburgi poſſent, ac in exempla inſeri, quæ integra deinceps transferrentur. Nam ipſe quidem vnum iam prælo quaternionem expreſſerat; ſed reſtiterat in eo tamen, tum quòd ſcateret mendis typographicis, tum quòd Eclipſes nuperæ aliquid adhuc ad perfectam Lunæ Theoriam deeſſe inſinuaſſent. Interim verò, quia nôrat ex præteritarum Nundinarum Catalogo exſtare Nicolai Euerhardi Ephemeridas, ex Nouis Tabulis (vt titulo quidem præferebatur) quæ Hamburgi venales non forent; adiecit, vt earum exemplum deferret, & ſi quid præterea, quod noſſet fore gratũ, occurreret ac innuit, quàm gratè habiturus eſſet, reſcire ex ipſo quales eſſent Libri, & Manuſcripti potiſſimum (ac venales-ne, & quo pretio) quos penes VVittichij ſororem, Monauio ducente, vidiſſet. Denique verò, quia ſuperiore anno Raimarus Vrſus, ille Dithmarſus, Librum Pragæ ediderat de Aſtronomicis Hypotheſibus, in quo Rothmannum quidem, & Roëſlinum variis probris onerat, ſed Tychonem innumeris, occaſione eorum, quæ de ſe in Epiſtolis eius legerat: ideò, cùm eiuſmodi Liber ad Tychonis manus recens perueniſſet, iſthæc occaſione ipſius literis inſeruit, *Vidiſti proculdubio Plagiarij mei, impuri illius Vrſi, maledicentiſſimum ſcriptum, in quo præter alia innumera conuitia, meo, & meorum honori non parcit. Ego quidem refutatione illum indignum cenſeo, cùm omnes modeſtiæ limites, imò honeſtatis longè tranſcenderit: efficiam tamen, vt non impunè ferat. Cùm tibi de plagio ipſius, tum quoque omnibus circumſtantijs, proculdubio ex aliorum, qui tunc adfuerunt, relatu innotuerit; rogo in charta deſignare velis, quicquid hac de re à tuis apud me commilitonibus inaudiuiſti (ego quidem nonnulla adhuc recordor; ſed poterunt aliqua tanto temporis interuallo, & inter tot alias curas mihi facilè excidiſſe) tum quoque quid alij in Academijs, vbi intereà fuiſti, de hoc maledico ſcripto ſentiant. Verùm, vt tecum pleniùs, non tantùm de hoc negotio, quod ex alto deſpicio, ſed & de alijs quibuſdam longè maioris momenti loqui queam, cuperem quam-maximè, vt antequam hinc, &c.* Fuere autem hæ literæ xxv. die Martij datæ, ac ſubſequutæ etiam aliæ eiuſdem planè argumenti die Aprilis xj. verùm cùm illas Longomontanus accepiſſet Roſtochij, VVãdesburgum quidem aduenit; ſed breui tamen exinde domũ, vt cõponeret res ſuas, diſceſſit.

Sub idem tempus, cùm Tycho habuiſſet, quas literas Ioannes Keplerus ad ipſum in Daniam deſtinauerat (& quibus tamen, vt redderentur ſeriùs, diſceſſus ex Dania occaſioni fuerat) ad illas reſpondit. Nimirùm Keplerus ante annos quatuor è VVirtembergia patria euocatus in Styriam; vt Matheſin Gratij publicè doceret, tametſi valdè iuuenis (natus quippe VVilæ oppido Imperij, ſed VVirtembergici agri, deſinente anno lxxj. ſeu die Decembris xxvij. hora à Meridie ſeſqui-ſecunda; & aggreſſus Tubingæ an. lxxxix. ſtudium Philoſophicum; ac biennio poſt, Mœſtlino monſtrãte Mathematicum) conſcripſerat iam anno xcv. ſuum Prodromũ, ſeu Coſmographicũ Myſterium, *De admirabili proportione Orbium Cæleſtium, déque cauſis Cælorum numeri, magnitudinis, motuúmque periodicorum genuinis, & proprijs, demõſtratum per quinque regularia corpora Geometrica* Cùmque is Liber anno pòſt fuiſſet Tubingæ editus, & Catalogo Nundinarum Vernalium, quas Tychonis diſceſſus conſequutus fuit, interſcriptus; requiſierat ſtatim Keplerus, miſſis exemplis, ac literis, quod ferrent de eo iudicium, vti Galileus, Maginus, aliíque viri celebres, ſic ipſe potiſſimùm Tycho, quem ex Mœſtlino eſſe habendum, quaſi Anteſignanum nôrat. Adde quòd reputârat Librum non fore illi prorſus ingratum, vel eo nomine, quòd eius mentionem aliquoties feciſſet, ac ſpeciatim capite primo, occaſione probatæ ſibi Hypotheſeos Copernici, ac huiuſmodi quidem verbis: *Vidit hoc fœliciſſimus ille Tycho Brahe, Aſtronomus omni celebratione maior, qui quamuis omninò de loco Terræ à Copernico diſſentiret, tamen ex eo retinuit id, cuius gratiâ rerum hactenùs incognitarũ cauſas habemus; Solem nempe eſſe centrum quinque Planetarum.* Itaque Tycho literis, Libríque exemplo pellectis, reſponſum dedit, cuius argumentum, *hoc erat*, inquit ipſe Keplerus, *vti ſuſpenſis ſpeculationibus à priori deſcendentibus, animum potiùs ad obſeruationes, quas ſimul offerebat, conſiderandas adijcerem, inque ijs primo gradu facto, poſteà demum ad cauſas aſcenderem, & tale quid in ſua potius Hypotheſi, quam ipſe Copernicana veriorem cenſebat, comminiſcerer: denique, vt ad ipſum me conferrem; quippe qui iam mare tranſiiſſet.*

Dimiſit deinde Tycho Tengnagelium, vere ruente, in Hollandiam, ac illi commiſit, inter cætera, Librorum à ſe typis mandatorum exempla, offerẽda cum literis Mauritio Naſſauio, Principi virtute bellica illuſtri, & Matheſeos per quàm ſtudioſo, qui vt munus gratè accepit, & perhumaniter reſcripſit, ita ſe daturum operam recepit, vt Tycho euocaretur ab Ordinibus, ac tam præclara ſtudia

impenſis

impenſis liberalibus fouerentur. Idem recepit quoque Barneueldius, authoritatis apud Ordines magnæ: & Ioſephus etiam Scaliger, cui, tanquam viro nominis inter literatos magni, multum tribuebatur, pollicitus eſt nihil ſe intermiſſurum, quò minùs res perficeretur, ac vereri ſe ſolùm conteſtatus eſt, ne conſiliis Ordinum lentè admodum procedentibus, is honos Regioni, & ſibi voluptas pelliciendi ad ſe tanti viri præriperetur. Et certè Cæſar, re cognita, mandârat iam Procancellario, vt Tychonem accerſeret, fidem illi faciens, fore, vt apud ſe exciperetur pro meritis, ac vt eius ſtudiis promouendis nihil prorsùs deeſſet. Heinc per eam æſtatem literas, non vnas, vt à Coraducio, ita ab Hagecio accepit, quibus vt in Bohemiam quam-primùm accederet, fuit ſollicitatus; & Ranxouius literas quoque à Colonienſi Electore habuit, quibus ſperare ſe optimè de acceſſu Tychonis ad Cæſarem ſignificauit; adiecitque, ſi præter ſuam omnem exſpectationem contingeret, vt illius ſtudiis non ſatis liberaliter conſuleretur à Cæſare, ſe idipſum sũma animi alacritate præſtiturum. Hacce de cauſa reſcribens Tycho ad Scaligerum, & Librorum exempla tranſmittens (imprimíſque de Noua Stella, in quo inſigne eius elogium) tum gratias egit pro tanto affectu, tum declarauit ſe non inuitè in Batauiam demigraturum, quippe placere ſibi ſolertia eius regionis ingenia; at obſtare, quòd, dum per annum in ipſis Germaniæ, ac Daniæ finibus moratur (vt videat, num interim patria, cuius amore diſtinetur, ſaniora capiat conſilia) inuitaretur à Cæſare, ac in eo ſit, vt Pragam ad ipſum contendat. Quod ſi fortè ea profectio pro votis non ſucceſſerit, Ordinéſque ſe, & ſua ſtudia pro illius adhortatione, & hoſpitio excipere, & liberaliter proſequi, vt alia ſolent, voluerint, ſe haud illubenter, cum toto apparatu Aſtronomico, ad eos conceſſurum.

Atque hæ quidem literæ fuere VVandesburgi ex arce Ranxouiana, die xxiij. Auguſti conſcriptæ: quò magis eſt mirum Keplerum, cùm de Eclipſi Lunæ totali, quæ die ſexta einſdem menſis fuit obſeruata, loquitur, referre eius obſeruationem, quaſi à Tychone habitam VVittembergæ. Scilicet illa adhuc fuit, tum obſeruata VVandesburgi, tum ratione habita Vraniburgici Meridiani, relata ad horam eius diei 7. cum min. 37. & Tycho illeinc non diſceſſit, neque VVittebergam peruenit, niſi procedente autumno. Deduxit porrò quidem ſecum filios, ſtudioſóſque, ac tranſtulit ſimul apparatum Organicum; at reliquit tamen vxorem, & filias, cum parte maiore ſupellectilis; videlicet quaſi ſemper ambigens de peregrinationis ſucceſſu. Quòd cœpto autem itinere, non Pragam vſque perrexit, ſed VVittebergæ conſtiterit (vbi vſos eſt ædibus, conſuetudinéque cariſſimi Ieſſenij) cauſa quidem fuit, quòd & Pragæ graſſari peſtem, & Cæſarem ea de cauſa abiiſſe Pilſenam inaudiit; ſed fecit etiam maximè, tum quòd expeteret vberiùs quale crearetur ſui deſideriũ apud Cæſarem experiri, tum quòd cogitaret poſſe illeic ſe ſubiicere prælo quatuor, aut quinque reſiduos circa Theoriam Lunæ quaterniones (duobus iam antè Hamburgi cuſis) ſicque Librum primum Progymnaſmatum integrum in Bohemiam transferre. Quin-etiam, quia Longomontanus ſpem fecerat breui abſoluendi ſuæ pro Tychone Reſponſionis, aduerſus Craigiũ, de quo iam antè dictum eſt, ſperauit poſſe ſe quoque illam ita prælo ſubiicere, vt ex illius acceſſione Tomus de Cometa effectus completior, deferri quoque eodem poſſet: quocirca & illeinc non diſcedere ante hyemem exactam conſtituit. Hac certè de cauſa ipſo anni fine reſcribens ad Longomontanum, qui è patria rediens Vandesburgum acceſſerat, & muliebrem illeic familiam (donec Andreas famulus à ſe rediret, ac vbi eſſet, & quî valeret, renuntiaret) ſuâ recreabat præſentiâ, ſignificauit velle ſe, præter quaterniones, quos ſub prælo haberet, duos illos recudere, quos ille fuiſſe corruptè adeò Hamburgi cuſos querebatur; cùm & poſterior etiam recuſus, quàm antè inemendatior, foret. Aperiit etiam, quo deſiderio maturari ab illo vellet refutationem Craigij, vt poſſet quoque mandari typis.

Vt conſtet verò quanto affectu in virum ſemper fuerit, *Si res,* inquit, *tua vllo modo id ferent, vt ad me accedere poſſis feceris mihi rem apprimè gratam, nec tibi infrugiferam. Cùm enim anteà à te intellexerim, & hæ tua literæ* (ſcilicet VVandeſburgi datæ) *non obſcurè inſinuent, quòd in Academiam aliquam exteram aſcendere cupias, vbi ſecundum conditionem, atque ætatem honeſtè viuere poſſis; poterit id ſanè aliquantiſper non incommodè fieri, donec diuina prouidentia res meæ quietum, & certum locum in portu exoptato, & firmo, concedente, vti ſpero, Cæſare, obtinuerint. Tunc melius tibi, & tuis commodis proſpicere non omittam; interim etiam de liberali ſuſtentatione meis ſumptibus tibi prouidebo, nec quicquam tibi deeſſe patiar, quod opportuna viuendi ratio exigat: atque vbi præſens fueris (neque enim de tua erga me voluntate, aut obſequio quidquam dubito) plenius de iis, quæ tibi vſui eſſe poterint, inter nos agemus.* Ac ſtatim, *Tu verò, mi dilectiſſime Domine Chriſtierne, te in quam primum reſolue: Ego tibi & tuis commodis, quantum in me eſt, nullatenus ſum defuturus, ſed omni beneuolentia, & ad meliora ſemper promouendi amore, & animi propenſitate proſequar: idque reipsâ, potiuſquam verbis, quam-primum ſe occaſio obtulerit oſtendam.*
Eodem ſpectant quoque aliæ literæ die xj. 1599.
Ianuarij inſequentis conſcriptæ. Addit verò in ipſis Tycho non putare ſe, vt Vrſus ille Profeſſionem Mathematicam Pragæ adeptus, aduentum opperiatur ſuum; quare & ſe operam daturum, vt Longomontanus illi ſubſtituatur; ſin VVitteberga magis arrideat, adeſſe illeic Profeſſorem, qui Vrſo lubens ſucceſſurus, locum lubens ceſſurus ſit. Prætereo autem literas haſce Longomontano redditas fuiſſe, non VVandeſburgi, vnde abierat, ſed alteras Ripis, alteras Roſtochij. Prætereo rurſus, cùm prouidiſſet fore ſe diutulè VVittebergæ, fuiſſe aſſenſum Tengnagelio exoptanti Italiam per Hiemem inuiſere,

ac illi idcircò literas dediſſe cum ad alios, tum ad Maginum, qui ipſum Bononiâ ſub anni initium tranſeuntem, Románque pergentem, perquam beneuolè excepit.

Contigit intereà, hoc eſt die menſis Ianuarij vltima, Eclipſis in Luna totalis, quæ VVittebergæ obſeruata, non parum laboris Tychoni creauit. Nam retulit eam quidem reſpectu Vraniburgici Meridiani ad horâ matutinam 5. & min. 50. (habitâ nempe Meridianorum differentia minutorum 4. vti ex deſcriptione Eclipſeos, quàm Melchior Ioſtelius Tychonis conſilio euulgauit, conſtat) ſed interim tamen, quòd Tabulæ motuum, quas putabat ſe tot iâ tentamẽtis rectè inſtituiſſe, quibuſque edẽdis iâ tum incumbebat, tẽpori illius nõ reſpõderint, ideò peruidit aliquid adhuc inexplorati itineris circa Theoriam Lunæ ſupereſſe. En proinde quid literis die Martij xxj. ad Longomõtanum Roſtochij verſantem datis hac occaſione ſcripſerit, *Conſtitueram heic edere ſex illos quaterniones, qui in Luna deſiderantur, atque ſic Tomum Primũ Progymnaſmatum abſoluere, vt in hiſce Francofurdianis Nundinis exſtare poſſent: & iam inchoatus erat labor ille Typographicus, poſt quàm papyrum meam impreſſoriam VVãdeburgo acceperam; verùm, dum Eclipſi Lunæ die vltimo Ianuarij diligenter heic per mea Inſtrumẽta attendo, deprehendi eius Initium per duas quintas vnius horæ quamproximè calculum præuertere; ideóque à propoſito deſtiti, donec huic deuiationi prouiſum fuerit. Scis enim me exactam requirere concordantiam, quoad fieri poſſit. Nec ſatis mirari poſſum, qui fiat, quòd Eclipſis anni lxxxij. in Ianuario etiam facta, ac propè Apogæum tam bellè noſtris numeris conueniat; hæc autem pariter iuxta Apogæum, & eodem anni tempore ita diſcrepet. Suſpicor igitur aliquam adhuc inæqualitatem anomaliæ Lunæ ſubeſſe, quæ poſt aliquot annos peracta Eclipſium ad ſimilia fermè loca reſtitutione, præſertim iuxta Apogæum, & Perigæum euidentiùs pateat. Qua de re tecum, qui omneis noſtras Eclipſeis diligenter examinaſti, atque ipſarum varietatem perſpectam habes, conferre auerem, vt eò citiùs huic obſtaculo ſuccurratur; quod facilè fieri poſſe exiſtimo: ſum enim iam in alijs rebus occupatiſſimus, vt ſatis huic diſquiſitioni vacare nequeã. Si igitur me acceſſeris cum auriga VVietebergenſi, vbi iſthuc reuerſus fuerit, rem mihi apprimè gratam, nec tibi inutilẽ præſtiteris.* En verò quid hiſce ſubiiciat, *Sum*, inquit, *denuò euocatus Pragam, ex clementiſſimo Cæſaris mandato per literas ampliſſimi Domini Procancellarij Coraducij (vt ex adiuncto exemplari vides) & paro nunc omnia ad iter, quod tamen ante Paſcha ingredi non licebit, ob aquarum nimiam copiam, poſt quàm niues ſubitò diſſolutæ ſunt, vias difficillimas, & periculoſas reddentem. Si adfueris, & me comitari libuerit, dabo operã, vt tuis rebus rectiùs conſulatur, quàm vſpiã alibi. Sin verò heic manere, aut redire iſthuc malis, erit & hoc tibi liberum, Ego tuis commodis quocunque modo, quantũ que in me eſt, ſedulò ſtudebo: non patiar vllum ergà te officium deſiderari. Vale, & literas has nemini oſtende.*

Itaque, cùm peſtis Pragenſis deſæuiiſſet per hyemem, & Imperator ſeſe in vrbem vere appetente recepiſſet, diſceſſit eò Tycho vere procedente. Cùm accederet, miſit ad eum Cæſar, qui ipſum in Curtianas ædeis in Retſchino ſitas (quas & iuſſerat in illius vſũ apparari) deduceret; ac vetuit, ne ad ſe ſalutandum, priuſquàm illeic congruè interquieuiſſet, induceretur. Inductum deinceps dicere non licet, quanta illum humanitate optimus Princeps exceperit, qui & non diù ſuſpenſam hærere illius mentem voluit, ſed ſtatim rata ipſi fecit in annuam penſionem tria aureorum (Goltgulden) millia: ac recepit quoque ſe prima quaque occaſione addicturum illi, familiæque, & poſteris idoneum, inſignéque feudum; ac domum etiam intra vrbem, in quam dum luberet, ſe reciperet, pro ſuo genio vitam acturus. Poſſe illum intereà Curtianas ædeis incolere, quibus non fuiſſent eius ſtudiis exercitationibúſque, ſiuè Aſtronomicis, ſiue Chymicis, ſiue quibuſcumque foret libitum, accommodatiores repertæ; aut, ſi fortè ea extra vrbem tractare magis commodum foret, varias ſibi eſſe in vicinia arceis, quarum eſſet ipſi viſam omnium opportuniſſimam conceſſurus. Mãdauit prætereà, vt quicquid quocumque modo neceſſarium videri poſſet, miniſtraretur: ac effectum proinde eſt, vt Tycho dicere nihil aliud in animi grati teſtationem potuerit: quàm verbis idoneis, quibus eum teſtatum faceret, deficientibus, incubiturum in eo ſe, vt totum pro ſe Cælum loqueretur, ac tota ſciret Poſteritas, quanto perfugio Reginæ artium Princeps maximus, optimuſque fuiſſet. Non addo, quanto eum affectu complexus Coraducius fuerit; qua beneuolentiæ teſtificatione Barovvitius; qua exſultatione Hagecius; addo ſolùm fuiſſe eum ſibi, ſuæque fortunæ gratulatum, quòd ſibi, vt alteri Æneæ fata oſtendiſſent quietas ſedeis, vbi eſſet fas regna Vraniæ reſurgere; vbi tot illas machinas, quaſi errantеis Deos, agitatáque Numina conſidere licitum foret: vbi demum poſſet illud dicere, *Perieramus, niſi periiſſemus.* Heinc, quam-primùm luſtrata domo, ac penè adoratis, vt ſic dicam, quacumque per eam incedebat, optimi Curtij veſtigiis (deprehendit autem vt peramplam, ita magnificè exſtructam) delegit locum maximè omnium obſeruando idoneum; ac fieri curauit pedeſtalium fulciendo Organo comparatum, ad quaterna cuius latera oblonga hæ fuere depictæ effigies: in vno quidem Regis Alphonſi, ac ſub eo ſedentium Ptolemæi, & Albategnij: in altero Caroli V. ac ſub eo Copernici, & Appiani: in tertio Rodulphi II. ac ſub eo ipſius Tychonis, ſolius menſæ aſſidentis, inque Cæſarem reſpectantis: in poſtremo Friderici II. Regis Daniæ, ac ſub eo arcis Vraniburgi, cum ſubſcripto hoc aureis literis Epigrammate, quod Chriſtophorus Arnoldus Sileſius, Poëta laureatus condidit;

Vraniæ ſacrata domus, tuus incola vbi nunc?
Parte Rodulphæa, reſpice, Tycho ſedet.
Solius auſpiciis quia gloria digna Rudolphi,
Sub quibus Aſtrorũ grãde perẽnat opus.

Hieronymus quoque Trentlerus, is ſcilicet

Iuris-conſultus,quem in Land-grauij funere peroraſſe meminimus, cùm tone verſaretur in Cæſaris aula, hæc euulgauit carmina,

Marte Alphonſus erat magnus, ſed maior ab Arte
Semper victurus, maximus & Tabulis.
Queis, licet eximius, licet haud reſpondeat Aſtris,
Digna tamen tanto Principe cura fuit.
Iam tua laus maior, maior tua cura, Rudolphe.
Qua noua plena nouo ſurgit ab Aſtronomo.
Hic eſt ille Tycho,modò quē ſubmiſit in orbē
Vrania, ille, orbi reddat vt Vraniam.
Omnibus Alphonſis fælicior vne Rudolphe,
Cuius ab auſpicijs hoc reparatur opus.
Ægypti Aſtronomus clarus, ſat clarus & ille,
Qui modò Terrarum currere fecit onus.
At mage tēporibus clareſcent ſidera noſtris,
Aere, Rudolphe, tuo; Tycho, labore tuo.

Tametſi verò Organa ſuis è thecis educta explicuit, ídque vt Rudolpho gratificaretur (qui & peruidere ea voluit,& exquiſito eorū artificio delectatus eſt, & quo eſsēt vſu ſtudioſè accepit;& deſcriptis maioribus,quæ relicta in Dania fuerant, adhortatus Tychonē eſt, vt ea aduehi quamprimùm curaret) nihilominùs,qoia breui agnouit non licere ſibi in aola tam ampla,tantáque inuiſentium frequentia,eſſe quantum veller,quaotúque opus foret; ſolitario, ac vnum omnioò ex oblatis extra vrbem locis eſſe deligendum;ideò ſegniùs ſe ad obſeruandum,donec in vrbe fuit, comparaoit.Obſeruata eſt tamen illeic, tom Eclipſis,quæ menſe Iulio contigit, tum Poli altitudo,quam aliquoties venatus eſt ex Meridiana altitudine tam Solis, quàm aliquot Stellarum. Ac Polatem quidem altitudinem eſſe deprehendit graduum 50.min.$4\frac{1}{2}$.Quod ſpectat verò ad Eclipſin, quæ memorato Iulio,ae die eios xij.ſiue,ſtylo nouo,xxij.Oriente Sole contigit, non tam ipſe eam obſeruauit,quàm vni ſtudioſorum obſeruandam cōmiſit.Quippe ad Longomontanum ſcribens, *Eclipſis,* inquit,*Solis in Iulio huius anni circa ortum viſa,meis Inſtrumentis Pragæ quoque in turricula veteris Collegij obſeruata eſt per Ioannem meum Hamburgenſem, odſtantibus aliis, deprehenſúſque eſt Sol, cùm eleuaretur duobus gradibus,deficientibus ſaltem totidem* (hoc eſt duobus ſolùm) *minutis, quaſi vnum digitum de limbo verſus Septentrionem inclinato,interuentu Lunæ amiſiſſe, & poſteà ſucceſſiuè rotunditatem acquiſiuiſſe conſuetam.* Qoibus ex verbis intelligitur Eclipſin iam tum fuiſſe decreſcentem, cùm in Catalogo perhibeatur acceſſiſſe (accederéve debuiſſe) ad digitos treis, & horâ quidem 4. ac min.8.

Quod dico autem,*die xij.ſiue,Stylo Nouo, xxij.*hoc facio,vt ſit occaſioni admonēdi hoc loco,quoſcúque menſium,annorúmque dies memorauimus (nēpe dum obſeruatum, actū, ſcriptum qoid fuiſſe relatum eſt)eſſe eos habendos ſtylo Veteri,ſeu quaſi ex Iuliano Kalendario, ex quo nulla facta detractio: id nempe,quia Tycho ad hoc vſque tempus huiuſmodi ſtylo, ptovt apud Danos, aliáſque aliquot nationes moris eſt,vſus fuit;ipsūque in Progymnaſmatis cōſtanter retinuit.Quos verò deinceps referemos dies,habendos eſſe ſtylo Nouo,ſeu quaſi ex Kalendario Gregoriano,reformatóve, quod Iulianū diebus decem antecedit,propter detractos totidem ab anno vſque M. D. LXXXII. & menſe Octobri (cuius cùm numerari deberet dies quintus, numeratus fuit quintus-decimos.) Id videlicet, quia Tycho deinceps hoc eodem Stylo vſus fuit,ptovt mos eſt in Bohemia, aliíſque regionibus,in quibos Gregoriana Kalendarij reformatio viget. Qui certè anno ſuperiore ſcribens VVandeſburgo ad Scaligerum datas literas dixerat,*die xxiij. Aug.Stylo veteri;* ſcribens iam ad Longomontanum, datas *die xx.Auguſti Stylo nouo* dicit:ac anno ſequente,*4.Auguſti,Stylo nouo,anno Chriſti vulgari, &c.* Et Snellius aliquot ipſius obſeruationes referens, quas appellat Bohemicas, eas deſcriptas dicit *Stylo Gregoriano.*

Porrò ex arcibus, domibúſve, quarum illi Cæſar extra vrbem optionem dedit,quaſque ſub Maij finē inuiſit,tres fuere,quas ille ſplēdidiſſimas,iucūdiſſimas,eximias vocauit,vna Brandiſium,altera Lyſſa,tertia Benachia, ſeu Benatica;ſingulæ non toto vno die,dieíve dimidio ab vrbe diſtantes. Non delegit autem Brandiſium, tum quòd ſitus foret aliquantò decliuior,tum quòd audiret Cæſarem eo maximè loco,tanquam venationi peropportuno delectari. Ex cæteris verò Beoachiam commodiorem ſibi viſam prætulit,quā & Bohemorum Venerias, ob amœnitatem eſt interpretatus Vnde & eam deſcribēs, *Eſt locus,*inquit, *editus, vt vndique liber pateat horizon. Ædificia ſplēdida, & cōmoda. Propè eſt parua ciuitas ad fluuiolū Liſar in Albim excurrētem ſita,ipſi arci quaſi contigua.Diſtat Pragâ quinque milliaribus,via exſiſtente plana,vt iter ſaltem*(hoc eſt tantùm)*ſit ſex horarum,& ad Septentrionem quidē,ſed non-nihil tamen ad ortum, verſus Sileſiam;ita vt Gorlicium duorum ſaltem dierum itinere hinc remoueatur.*Itaque quam-primùm cōmodum eſt viſum,accerſiit Cæſar Capitaneum, Præfectúmve Brandiſij, mandauitque illi,vt Tychonem in Benachiæ arcis poſſeſſionem immitteret; & quicquid neceſſarium foret, prooideret. Quare & res præſtita fuit ſub diem Auguſti xx.tranſitúmque Brandiſio eſt,vnde literas ad Longomōtanum,tanquam in tranſcurſu,& feſtinanter dedit.Quamprimùm illeic conſtitit, tenere ſe non potuit, quin carmina hæc funderet,

Subtraxti reditus,laudes,& temporis vſum;
Pluráque tentabas, Patria, damna mihi:
Aſt ego, dante Deo, ſuperans incommoda quæque,
Conſcius & recti, nil tamen iſta moror.
Ingenio,genióque meo comitórque, fruórque:
Dania, in hæc poteras iuris habere nihil.
Reſtituit reditus, laudes, & temporis vſum,
Pluráq; præſtabit Cæſaris ampla manus.
Ergo, ingrata, vale, mea Patria: Patria iam ſit,
Quam mihi clementer, magne Rudolphe, dabis.
Donec in abſtruſis,ſine fine, & limite Cœlis,
Ad patriā æternā,te duce, Chriſte, ferar.

Deiode

Deiude & hæc, quæ ſupra iannam noui Obſeruatotij legi voluit,

Qua Boreas rennit, Rodulphus Sacra Secundus
Hûc elemente manu tranſtulit Vrania.
Auſpiciis igitur luſtrẽt nunc Cæſaris orbem:
Clares vt ille ſolo, clareas ille polo.
Dum Cælum Aſtrorum, dum Sol, & Luna manebunt;
Heinc tibi perpetuè nomina, Cæſar, erunt.
Gratiáque Aſtrorum Authori ſit ſumma, quod Aſtra
Exſilium in terris non tolerare ſinit.

Hæc item ſupra ianuam noui Laboratorij,

Pyronoma ſecreta artis, qua terrea verſat,
Ætheris aſtriferi viribus analoga;
Hûc quoque Rudolphi traduxit cura ſecũdi,
Dum ſimul Arctois hac reprobata forẽt.
Ergo illi vt ſuperus modo ſe manifeſtat Olympus,
Sic referet gazas infima Terra ſuas.
Felix in terris Cæſar, ſuper æthera fœlix,
Ætheris & Terræ, cui ſacra bina patent.

Scripſit quoque ſubinde Tycho, die videlicet vltima Auguſti, ad Ioaunem Georgium Hervvartum ab Hoënburg Iuriſcõſultum, & Duci Bauariæ à Secretis conſiltis (ac deinceps quoque Cãcellarium, Præfectũ Svvabæ, &c.) quem nôrat à iuuene vſque impensè amantem, peritúmque Aſtronomiæ, & ad quem ſcribendi opportunitas proximis diebus fuerat oblata. Vbi verò illi fortunam expoſuit, communicauit totam rationem Lunaris ſui Syſtematis, cum adiuncto diagrammate, & calculos etiam Lunaris Eclipſeos. Ediſſeruit inſuper varia de Luminarium defectibus, déque eo, quòd Venus non comparuiſſe aliquãdo præter ſolitum traderetur. Præterea autẽ illum deinceps reſcripſiſſe menſe Septembri Monachio; & lætitiam ſummam teſtatum, quòd provt animus ſibi præſagierat, Cæſar ipſi eiuſque ſtudiis pro dignitate proſpexiſſet, multa eruditè repoſuiſſe, ac circa antiquorum obſeruationes potiſſimùm, quas non exactas cauſatus eſt; inſinuaſſe abs ſe collectas aliquot veteres Eclipſeis, quæ eatenus animaduerſæ, ſupputatæque à nemine forent, quaſque auerct ex Tabulis Tychonicis expendere; nihil morari ſe ſoluendi cuiuſquam trianguli difficultatem; ſoluere ſe enim multiplicationum, ac diuiſionum vice, additiones ſolùm ſubtractionéſque vſurpare (quod vt fieri poſſet, docuit poſt-modũ ſuo Logarithmotum Canone Neperus.) Quia verò Tycho exoptârat, vt ad cæteros Principes, qui eruditionem non auerſarẽtur, ſic ad Bauaros ipſos quoque Libros ſuos tranſmittere, idcircò ſubiunxit Hervvartus, *Principes mei clementiſſimi, ad enim ſcire deſideras, ſtudijs quidẽ hiſce non admodum afficiuntur; attamen literas, & literatos amãt, ita vt ſperem munus illud tuum, de quo ſcribis, futurum eſſe illis gratum, atque acceptum; mihi certè erit quàm gratiſſimum.* Adiecit porrò etiam hæc, *Habet sereniſſimus Princeps meus Bibliothecam inſtructiſſimam, regiis ſumptibus comparatam, & Libris MS. Hebraicis Græcis, &c. refertam. Mitto his iunctum Indicem Librorum Mathematicorum, quem velim apud te retineas, vt ſi fortè occurrat Liber aliquis, quem ex iis deſideres, eius me certiorem reddere poſſis.*

Sed hæc vt mittam, cæteras inter eius loci deſtinationes, curæ præſertim fuit prouidere, quà exciperentur ſtudioſi, numeroſíque viri idonei, variis in rebus adiutarmi, de quibus, præter iam habitos, ad ſe euocandis ſollicitus fuit. Scilicet & iam ſcripſerat, & deinceps quoque ad Keplerum, vt accederet, ſcripſit. Impetrauit à Cæſare ad Marchionem Brandemburgicum literas, quibus ab eo petiit, vt ſuum Mathematicum, memoratũ putà Mullerum, morari apud ſe aliquantiſper pateretur, ſic nempe ipſi, ac Mullero, priuſquàm VVittebergæ ſeiungerentur, conuenerat. Accerſiit quoque ex orientali Friſia Dauidem Fabricium, partim quidem, vt ſibi eſſet à priuatis concionibus, ſed maximè, vt operam in Aſtronomicis præſtaret; quippe cuius induſtriam noſſet, ex quo aliquandiu collaboratorem VVandeſburgi habuerat. Quin-etiam, quia ex literis à Rothmanno datis, & à Rollenhagio (Aſtrologo illo ſcilicet, quicum ſuũ Thema natalitium communicauit) VVittebergæ acceptis, eſſe adhuc in viuis Rothmãnum innotuerat: eapropter ad eum quoque ſcripſit, & ad ſe, ſi liceret quidem per valetudinem, inuitauit. Accepit verò tantò maiore cum voluptate eum ſupereſſe, quantò Vrſus Dithmarſus (ſiue, vt ipſe loquitur, *Vrſina iſta, & Dithmarſica beſtia*) rumorem ſparſerat fuiſſe ipſum pudendis neſcio quibus morbis pridem infectum, & tandem confectum. Scilicet fuerat ille quoque Rothmanno eapropter infenſus, quòd Caſſellis tranſiens, & Tychonem conuitiis proſcindens, repreſſus ab eo vehementer fuiſſet; ex quo hæc eius verba leguntur in literis menſis Septembris anni LXXXVI. *Plura ſcriberem, præſertim de impuro nebulone Nicolao Raymaro Vrſo Dithmarſo, qui ſuperiori hyeme apud tuam Excellentiam typographicam literarum collectionem, & ordinationem, vt opinor, exercuit, &c.* Vtque hoc adhuc interiiciam, idipſum, quod Tycho coniecerat, euenit, quatenùs aliquantò poſt ad Longomontanum ſcribens, *Cæterùm*, inquit, *de fera iſta Dithmarſica, nimis effera, & bruta, vt aliqua ſubiungam, licet indigna ſit, cuius recordetur, ſcias iſtam ante aliquot ſeptimanas, provt nuper reſcivi, Pragâ ſe ſubduxiſſe, ſiue malè ſibi conſcia, & quòd iuſtas pœnas per leges formidaret; ſiue quid aliud ſinu ſuo latenter more ſuo ruminans. Sed inueſtiganda tamen ſuo tempore per otium, atque in ius pertrahenda, & punienda, quod etiam optimi quique Pragæ ſuadẽt.* Vocauit quoque duos quos VVittebergæ nôrat, ſtudioſos calculi admodum peritos, & acciri ſe per Ioſtelium petenteis: ne quid dicam de cæteris, quos etiam vltrò acceſſuros ſperauit.

Non cenſuit verò ampliùs morandum, quò minùs mitteret quæſitum, & familiam reſiduam per Tengnagelium reducẽ, ac deſtinatũ generum, & quæ maiora in Dania Inſtrumẽta reliquerat: per primogenitũ Tychonem. Fecit hoc porrò Cæſare, vt iam meminimus, hortante; & cum dediſſet comitem fi-

lio Paſchalium Mulæum, ſcripſit quoque ad Longomũtanum, vt ſi ipſis vellet ſe tertium in itinere adiungere, & cum iis in Daniam, ínque deſertam Inſulam proficiſci, ac eodem curru in Buhemiam cum ipſis iiſdem regredi, intelligeret hac quoque ratione rem ſibi gratam eſſe facturum: *Vtpotè*, inquit, *cùm ſciam te Inſtrumentis maioribus componendis, & conſeruandis, atque in iis, quæ huc mechanicè facienda ſunt, ſolertem eſſe, eáque ritè præordinare poſſe, tum quoque vrgere, vt ſine temporis iactura omnia maturè, & rectè cõficiantur.* Subiunxit autem, *Scripſit iuſſu Cæſaris magnificus Dominus Barvvicius ſupremus Imperij Secretarius, Cæſari intimus, imò apud ipſum, Fac totum, vti loquuntur, ad Dominum Henricũ Rõmelium, vt Aſtronomicarum rerum, quaſcumque ibi reſiduas habuero, euectionem promoueat; & ego pariter ad Aulæ Magiſtrũ hac de re literas dedi.* Ac illi quidem tum diſceſſerunt; Lõgomontanus autem accedere tandem ad Tychonem prætulit, cùm ob verba illa, quibus concluſa Epiſtola, *Hæc feſtinãti calamo ad te exarata boni conſulas; atque deſiderijs noſtris, tuóque commodo morem gere. Videbis heic locum amœniſſimum, in edito, & ſaluberrimo aere ſitum*: tum ob hæc, quæ priùs inſerta: *Exoptarem primo quoque tempore quaterniones paucolos, qui in Tomo Progymnaſmatum noſtrorũ primo deſiderantur, labore Typographico compleri: ſiquidem ea, quæ incuria Hamburgenſis Typographi perdidit, vſui, ſcis, eſſe nequeũt, nec VVittebergæ ea recudere, ob cauſã tibi notam placuerit. Inueniemus facilè rationẽ, vbi ſimul fuerimus, quò obſtaculis, quoad nunc fieri poteſt ſuccurratur, vt Liber is breui in lucẽ prodire poſſit. Cogita enim quanto non ſolùm meo damno tot exemplaria tandiu mecum reſeruo, ſed & quàm deſiderio aliorum, minùs, dum publicatio differtur, ſatisfacio. Poterit etiam mox ſubſequi Prima pars ſecundi Tomi, quæ de Cometa anni* LXXVII. *vnà cum Apologiis huc pertinentibus luculenter agit: donec altera pars reliquorum Cometarum à nobis obſeruatorum deſcriptiones complectens (quarum fundamenta in promptu ſunt) ſubiungatur.*

Sed quid Longomontanus quidem eò appulſus peregerit, aut quandiu illeic cum Tychone moratus fuerit, dicetur poſteà. Intereà, cum literis illis dixerit ſe iam obſeruaſſe Polarem altitudinem grad. 50. min. 16. ſcilicet ex Sole, & Stellis ad Meridianum appellẽtibus: adnotandum eſt fuiſſe eam deinceps illi obſeruatam min. $1\frac{3}{4}$, auctiorem, cùm per brumã venatus eſt, tam maximam veſperi, quam minimam manè Stellæ Polaris eleuationem, ex qua aliunde deducitur, diſtitiſſe tunc eam Stellam à Polo grad. 2. min. 51. ſec. 5. Tandem autem habita ratione obſeruatæ Cordis Leonis altitudinis, *Satis præciſè*, inquit, *ſcopum tetigerimus, ſtatuentes Benaticæ Poli eleuationem grad. 50. minut.* $18\frac{1}{4}$. Circa eiuſdem loci lõgitudinem, ſcribit Snellius aſſumpſiſſe eum illam in Lunari Eclipſi 9. min. temporariis Vraniburgicâ maiorem; idque, cùm in Solari Eclipſi paullò aliter. An verò cũ Eclipſis Solis ea videatur fuiſſe, quæ inſequente Iunio obſeruata Benaticæ fuit, & de qua dicetur aliquantò pòſt, Eclipſis Lunæ ea fuit, quæ mẽſis Ianuarij die xxx. anteceſſit, quámque 1600.
in Catalogum, perinde, ac Solarem non retulit? Vtcumque ſit, notandum eſt, incipere ab hoc Ianuario, Kalendiſque ipſius, Spicilegium Obſeruationum tam Benaticæ, quàm Pragæ habitarum, quod à Snellio editum eſt. Eo continentur non modò Solis, ſed aliorum etiam Planetarum Meridianæ aliquot altitudines, ac non paucæ quoque eorumdem à Fixis diſtantiæ, etiam Mercurij; etiam Veneris interdiù conſpectæ, à Sole.

Heic iam, cùm Kepleri ad Tychonem acceſſus memorandus ſit, videtur res verbis ipſiuſmet dicenda. Ille ergo, poſt recitatum, quod & iam antè retulimus, literarum Tychonis argumentum, *Cùm*, inquit, *non ſtatim ego reſponderem, Brahæus eodem argumento plures ad me per annum ſequentem ſcripſit Epiſtolas, quarum vna poſt aliam ſuà quelibet morâ interpoſitâ, mihi ſunt redditæ. Interim Græcij diſſipato noſtro cœtu diſcentium, ipſe ſalarium, quod capiebam à Proceribus Prouinciæ, ſine opera, bene collocaturus, conſilium tandem cœpi Tychonem Brahe viſitandi, toties inuitantem.* Et commemorato Tychonis Benaticam vſque progreſſu, *Hæc omnia*, inquit, *mihi Fridericus Hofmannus L.B. Seyrus Imperatoris Rudolphi Conſiliarius aulicus, qui tunc Pragâ venerat, retulit: me ad capeſſendum iter adhortatus eſt, loco mihi oblato in comitatu ſuo. Ita factum, vt ad Brahæum venirem initio anni* M. DC. *quando Ferdinandus Archidux nuptias Græcij celebrauit cum conſobrina ſua Bauarica: breuique captis Brahæanorum laborum, viciſſimque exhibitis ingenij mei experimentis, pactus conditiones cum ipſo commorandi, quas Styriæ proceres ratas haberent; poſt aliquot menſium conuerſationem reuerſus ſum Græcium.* Nimirum, vt inde familiam transferret: quippe idemmet alibi tempus acceſſus, abitúſque ſpecialiùs definiens, *Anno*, inquit, M. DC. *menſe Februario, primùm ad Tychonem veni Benaticam, præſente Longomontano, crebris à Tychone literis è Styria euocatus, occaſione ab editione mei Myſterij Coſmographici ſuppeditata, pactúſque cum illo menſe Iunio, reuerſus ſum in Styriam, accerſitum familiam, & ſupellectilem librariam.*

Vides obiter adfuiſſe iam tum Benaticæ Longomontanum. Tametſi verò ille debuerat Lunæ præſertim incumbere; nihilominus occaſione Martis per ea tempora Acronychi, oppoſitioníſque ipſius cum Sole, quæ obſeruata die Ianuarij xxix. iam fuerat, reperit Keplerus illum occupatum in corrigenda Martis Theoria, quæ adumbrata cum ceteris ex Dania vſque fuerat. Keplerus ergo, qui ad Tychonem accedens habuerat maximè in votis addiſcere veras correctáſque Eccentricitates, proportionéſque orbium, ac in Marte potiſſimùm, cuius eſſe Sidus inobſeruabile non abs re dictum à Plinio nôrat; idcircò lætatus ſũmoperè eſt factã occaſionem, qua & edoceri hæc poſſet, & periculum facere meditationũ in ſuo Myſterio Coſmographico expreſſarum. Reformabatur tunc

Tabula mediarum Martis oppoſitionum ab anno vſque M. D. LXXX. excogitataque Hypotheſis erat, quæ eas omneis repræſentaret ad duo proximè minuta, ſecundùm longitudinem; vnde & conſtructa erat mediorum motuum Tabula, vnà cum æquationibus, ac deducti etiam motus medij tam Apogæi, quàm Nodorũ in circumſtanteis quadringẽtos annos, vt de Solaribus dictum eſt: at quę erat fœlicitas ſecundum longitudinem, non eadem tamen in ſitu Acronicho ſecundum latitudinem ſuccedebat; laborabatque adeò Longòmontanus circa id, circaque orbis annui Parallaxin. Suſpicatus ergo eſt Keplerus eſſe Hypotheſin aut ritè aſſumptam; poſſeque rem fortè non malè quadrare ad ea, quæ in ſuo Myſterio præconceperat; ac ea de cauſa diſquirere cum Longomontano, & Tychone cœpit, num poſſet alia ratio Hypotheſeos inſtitui, quæ tot loca Planetæ Eccentrica exprimeret, & falſa ne ea eſſe poſſet, quæ id eatenùs per omnem Zodiaci circumductionem præſtitiſſet. Obtinuit proinde à Tychone, & obſeruationum de Marte peruidendarum copiam, &, vt eiſdem ſuo modo vti, ſuóque inſtituto accommodare poſſet, licentiam. Cùm non potuiſſet autem, donec Benaticæ fuit, rem perficere; illi tamen acriter adeò per aliquot annos deinceps incubuit, vt nouennio pòſt, inſigne Opus ediderit *De Stella Martis motibus, ex Obſeruationibus Tychonis.*

Mitto porrò, cùm agnouiſſet intra primum octiduũ, quo cum Tychone fuit commoratus, placere ipſi, quemadmodum Ptolemæo quoque, & Copernico, Planetas in ſuis inæqualitatibus motum Solis reſpicere, non apparentem, ſed ſimplicem; cùm ipſe tamen in Myſterio inſinuaſſet oppoſitum; ideò rem in Marte expendere cœpit; ac tametſi rem non planè euicit, priuſquam inde diſcederet, occaſioni tamen fuit, cur Longomontanus deinceps in Theoria Lunæ occupatus, deprehenderit inæqualitatem Lunæ menſtruam eſſe alligatam ad verum, non ad ſimplicem Solis motum. Ac deprehendit quidem etiam, maximéque cùm animum ad Theorias Martis, Veneris, & Mercurij adiiceret, idipſum, quod Tycho ante annos nouem ſubodoratus fuerat, Eccentricitatem Solis in Progymnaſmatis aſſignatam eſſe imminuendam, partemque illius tribuendam circulo æquatorio, vt ſi æquales arcus circuli Solaris inæqualibus menſurarentur temporibus: Verùm ipſe Tycho, dum ex eo quæreretur; vellet-ne aliquam eius rei mentionem in Progymnaſmatibus fieri, *Cùm*, inquit, *quantitas huius Æquantis nondũ exquiſitè conſtet, in præſens intermittam; nam hoc quidem negotium tardè procedit; ego vero propero, vt librum, vel tandem aliquando edam* Quare & minùs mirum, ſi dimiſſis tantiſper tam Martia, quam cæterorum Planetarum Theoriis, Longomontani induſtriam vſurpauerit, in luxata Lunæ Theoria conſtabilienda, quæ iteratò mandata typis in Librum tandem infereretur.

Cæterùm res penè perfecta iam erat, cùm fuit denuò quidpiam negotij factum ex Eclipſi Solis, quæ die vltima Iunij contigit. Siquidem cùm ex calculo, iuxta factam eatenùs reſtitutionem inſtituto, via ad digitos quatuor peruentura eſſe ſpectaretur, digitos tamen quinque exceſſit, fuitque omninò maior digito pluſquàm ſeſqui altero: atque adeò cùm cœperit minutis à meridie 46. & deſierit hora 2. min. 47. duratio euaſit ſpectatâ productior; fuitque idcircò aliquid adhuc Iulio inſequente reſtituendum. Vtcumque ſit, Longomontanus, præmiſſo Eclipſeon à Tychone obſeruatarum Catalogo, vnà cum mediis motibus tam diurnis, quàm annuis, qui Longitudinis Lunæ à Sole, Anomaliæ, & Latitudinis dicuntur, eam probauit Hypotheſin, quam etiam aa. poſt annis in ſua Aſtronomia Danica retinuit, hocque ſub titulo expoſuit, *Deſcriptio, ac demonſtratio Theoria Luna, olim apud D. Tychonem B. in Bohemia Authoris operâ ſimul inuenta, & libro primo Progymnaſmatum eius inſerta.* Conſtat ipſa primùm ex Apſidum linea, circulóque Eccentrico, cuius centrum ita moueatur ſuper circulo per ipſum Mundi centrum tranſeunte, vt in qualibet coniunctione, & oppoſitione vnà cum Mundi centro coincidat. Deinde ex Epicyclo duplici, maiore nempe, qui motu menſtruo in conſequentia transferatur, & minore, cuius centrum quidem in ſuperficie maioris erat in præcedentia (supernè videlicet) ſed ſuperficie tamen Lunam in conſequentia duplo celeriùs ſic reuehat, vt quoties eius centrum eſt in Apogæo maioris, Luna ſit eiuſdem maioris centro proxima, quod in coniunctionibus, & oppoſitionibus ſit: quoties in Perigeïo, remotiſſima, quod in Quadraturis contingit. Denique ex Circello circa maioris Epicycli centrum, in tranſuerſa cuius diametro intelligatur fieri Variatio, ſeu quædam quaſi libratio explicandæ inæqualitati à Tychone inter Quadraturas, & Syzygias hoc eſt coniunctionem, & oppoſitionem, deprehenſæ.

Subiuncta deinde ſpeciali pro Luna Æquatione temporis, tum Epochas motuum mediorum deducit, partim in collectis, partim in expanſis annis, ab vſque M. CCCC. ad vſque M. D CCC. ac in ſingulis etiam annis, mẽſibus, diebus, horis, minutis, cum adiunctis Tabula Proſtaphæreſeos Epicyclicæ, vnáque Elongationis à centro, & Eccentricitatis; & ſubiuncta ratione ſupputandi ex Tabulis (idque præter demonſtrationem Geometricam) veram longitudinem Lunæ. Tum ad eruendum pari modo Lunæ latitudinem, adhibet & ſchema ſpeciale, & Tabulam Proſtaphæreſeon pro motu Nodorum, qui non fuerat ante Tychonem inæquabilis habitus; & Tabulam ipſiuſmet latitudinis, quæ ante eundẽ habita gradibus quinq; maior non fuerat, cùm ipſe deprehẽderit excurrere illam ad vſque minuta $17\frac{2}{3}$. vlteriùs; & exemplum (præter adiunctam ſimiliter demonſtrationem) eius eruendæ ex Tabulis; & modũ inueſtigãdi Nodos, ac reducendi Lunæ loci ad Eclipticam, Tabella hac de re adiuncta. Tum exhibet variam Lunæ à Terra di-

ſtantiam, maximam putà terrenarum ſemidiametrorum $60\frac{2}{3}$. minimam $52\frac{1}{4}$. & cohærenter Tabulam Parallaxeon Lunarium, per ſingulos gradus altitudinis; & habendo quidem eam, quæ in ipſo Horizonte fit, Luna exſiſtête remotiſſima, minutorum $65\frac{1}{2}$ & exſiſtente proxima, minutorum $65\frac{1}{3}$. Idque cùm aliquot ſubiunctis exemplis, & adhibita etiá Refractionum Tabula, habendo maximam, ſeu illam, quæ in Horizonte crearur, min. 33. illam, quæ in vno altitudinis grad. minur. 15. atque ita ex ordine: penè vt dictum eſt circa Solem. Tum demùm tradit methodum ſupputandarum Eclipſeon. Declarat nempe, qua ratione inquirere tempora Syzygiarum mediarum oporreat; qua ratione inueſtigare, an Syzygia Ecliptica ſit, & an tempus ſit rectè conſtitutum; qua ratione in Eclipſi Solis enucleare Parallaxeis Luminarium: ac ſubinde exhibita Tabella motus Lunæ horarij, & ſimul dimidij ante, & poſt Syzygiam diei, Tabelláque item Reuolutionis Synodicæ Lunæ ad Solem per ſingulos menſes, ac per menſis dimidium; rem fuſiùs declarat, ſupputando Eclipſeis duas, alteram Lunæ, alteram Solis, quæ futuræ erant anno inſequenti, quæque deinceps, niſi Tychone fatis iam functo, non contigerunt.

Et quod ſpectat quidem ad Eclipſin Lunæ, prædictum eius mediũ fuit Pragæ an. M.DCI. die Decembris IX. (ſeu veteri ſtylo, Nouembris XXIX.) hor. 7. min. 1 quod non longè ſanè abludit ab obſeruatione Kepleri, qui illeic ſuperſtes, medium habuit hor. 6. min. 59. Quod tota autem duratio prædicta fuerit horarũ 3. min. 36. quæ fuit tamen ſolùm obſeruata horarũ 3. min. 12. cauſa fuit, quòd error vt idem Keplerus notauit, irrepſerit in calculum; quo incidentiæ ſcrupula deducta fuere hor. 1. min. 47. ſec. 50. cùm ex methodo, ac Tabulis, non prodeat ampliùs, quàm hor. 1. min. 34. ſec. 39 *defectus tamen*, inquit ille, *paullò minor videbatur eo, qui in Lunaribus* (Theoricis néпе iſtis) *pingitur.* Ad Solarem quod attinet, eius calculus ſic pertexitur, vt Tabula Semidiametrorum Solis, Lunæ, ac Vmbræ terrenæ, quà Luna tranſit, inſeratur; Idque poſtquàm eſt adnotatum Lunæ Semidiametrum fieri minorem ſolito in coniunctione Ecliptica; vnde & proditur Semidiameter Solis Apogei quidem minutorum 15. Perigei autem min. 16. Lunæ verò Apogeïæ, vt in oppoſitione minur. 16. ita in coniunctione minut. $12\frac{4}{5}$. Perigeiæ, vt in oppoſitione min. 18. ſcribit Longomontanus poſt ſuum è Bohemia abitum excreuiſſe errorem ad vnum minutum, ſcilicet debuiſſe ſolùm perueniri ad min. 17.) ita in coniunctione min. $14\frac{2}{5}$. Denique autem Semidiameter Vmbræ, exſiſtente quidem Luna Apogeia, min 43. Perigeia verò, min. 47. Cùm pertinuerit porrò Eclipſis ad Nouilunium inſequens, quod contigit die XXIV. (ſeu XIV. ſt. vet.) ac prædictum fuerit Initium hor. 2. minut. 7. ſec. 54. Finis hor 4. min. 0. ſec. 32. & Quantitas non alio modo fuerit, quàm Schemate exhibita; ecce quid deinceps Keplerus nomine hæredũ Tychonis in Appendice ad Tomum primum; *Qua cauſa etiam fuit*, inquit, *cur figuram Eclipſeos anni M.DCI. paullò poſt mortem ipſius viſa nihil mutauerimus; licet aliquantula ſeſe inſinuârit diſcrepantia; de qua hoc monendum videtur, non latitudinem Lunæ, non Parallaxeis non quicquam ex præcipuis illi calculo defuiſſe, quo minùs in quantitate cum Cælo exactiſſimè conſentiret: ſed ſolas Luminarium diametros in cauſa verſari, quas quo minùs expeditè metiri poſſimus diuerſa cauſa Optica in vtroque Luminari prohibent. Quod ſi Lunæ diametrum aſſumas min. $30\frac{1}{3}$. Solis min. 31. de quo poſtea, quantitas concordabit, cæteris omnibus manentibus. Hæc itaque figura, vt dictum, à nobis relicta fuit, vti erat a parente noſtro adornata.*

An heic verò obiter addam, fuiſſe hunc ex Keplero locum à Longomõtano poſteà ſubnotatum, dum retulit ſe eãdẽ Eclipſin vltra Nidroſiam obſeruaſſe, ſub eleuatione Poli graduũ proximè 65. in ipſo Horizonte, hor. 1. & Refractione quidem adiutante; adiecitque, cùm poſteà veniſſet Bergas Noruégiæ, vbi Polus attollitur grad. $60\frac{2}{3}$. Andream Foſſium eruditiſſimum illius loci Epiſcopum oſtẽdiſſe ſibi quem delineârat Typum Eclipſeos, ex relatione Piſcatorum, qui illam maxima cum admiratione in littore vicino ſpectârant, *In eodem autem Typo*, inquit, *Sol in corpus Lunare intra ſui complexum in medio comprehenderat, vt vndequaque ad imaginem luce ſua diffuſa, ſeſquialtero digito æqualiter quaſi emineret. Quamuis autem* (pergit) *Luna hoc propè Apogeion verſabatur, non tamen in reformata Hypotheſi propterea iam diminuta diametro conſpecta fuiſſet, niſi denſior aër, & quaſi vapor Oceani interueniſſet.* Quod addo quidẽ, vt inſinuem nihil eſſe videri neceſſe ad vapores Oceani, aut denſitatem aëris maiorem ad Boream, quàm ad Auſtrum recurrere; quando id referendum ad Solam Diametrorum conditionem videtur. Siquidem, vt taceam quantum Teleſcopium detrahendum monſtret ex Diametro Lunæ nudis ſpectatæ oculis, vt deducimus alibi; attingo ſolùm Diametrum Solis fuiſſe à nobis ea ratione, quam aliàs tradimus, obſeruatam, in Apogeio quidem min. 30. ſec. 12. in Perigeio verò min. 31. ſec. 6. Lunæ verò in Perigeio quidem min. 31. ſec. 6. perinde ac Solis; at in Apogeio, non ampliùs, quàm min. 16. ſec. 36. ex quo efficitur, vt cùm in hac Eclipſi Sol Pêrigeius, Luna Apogeia fuerit, Solis Diameter excellerit Lunarem min. $4\frac{1}{3}$. hoc eſt circũquaque min. $2\frac{1}{4}$. ſeu digito vno; cùm illa alioquin delineatio exſtiterit ſolùm præterpropter facta. Qua etiam ratione non videtur neceſſe, vt Keplerus ſe torqueat circa memoratam ſuperiùs Eclipſin anni M. D. LXXVII. in qua ſcripſit Clauius relictum exilem circulum circumquaque, dum idcircò ad aërem, qui Solem circumſtet, recurrit, quaſi Luna tunc verſante in media longitudine, maiore fuerit Diametro, quàm Sol, etiam Perigeus, qui tunc nihilominùs ad Apogeiũ tenderet; quippe ex noſtra obſeruatione, fuit adhuc tũc minor Lunæ Diameter min. 1 ſec. 40. vt proinde ſuperfuerint circumquaque ex Sole ſecũda 50. hoc eſt triẽs digiti, quo potuerit ille circulus cõſtare. Sed hæc, vt monui,

monui,obiter; niſi quòd inde habetur cauſa, cur obſeruationes coëgerint Tychonem ad habendum Diametrum Lunæ in Ecliptica cõjunctione lõge diminutam ab ea,quam illi temporibus cæteris, ac in oppoſitione ſpeciatim attribuit, tametſi potiùs conjecerit aliam ſubeſſe Opticam cauſam,quàm vt ſuſpicari potuerit, Diametrum Lunæ Perigeiæ tantam, etiam extra Eclipſin, pati deminutionem poſſe. Prætereo autem,quòd reputàrit Lunæ Diametrum in Eclipſi Solis nunquam eſſe minutis vndetriginta maiorem, ideò illum quidem iſto, de quo dicimus, anno M. DC. ſcripſiſſe ad Clauium, *Mirari ſe viſam ab illo anno* M. D. LX. *totalem Eclipſin in Luſitania, tenebráſque interdiu nocturnas: nec enim pati ſua obſeruata, vt Sol à Luna, quantumuis humillima, totus tegatur*: ſed docere tamen Keplerum argui ex Eclipſi,quam deſcripſimus, non eſſe a Tabella Semidiametrorum Tychonica ſtandum.

Ad inſtitutum vt redeam,poſtquàm agnouit Tycho Longomontanum illo circa Lunam labore (eoque iam demum ſeptenni) perfunctum, cogitare ſemper publicam Matheſeos profeſſionem in patria,in qua alioquin de exoptaret conſeneſcere, ægrè quidem illum dimiſit; ſed quo erat tamen in illum affectu, humaniſſimè vt abiret, conſenſit; ac tum literas pro illius votis ad amicos in Daniam dedit, tum, quia ille ſignificauit velle ſe in Poloniam per Sileſiam diuertere,ac inter redeundum inuiſere loca, in quibus obſeruaſſet Copernicus; idcircò & ipſi prouidit de ampliſſimo viatico, &, præter literas ſpecialeis, etiam commendatitias generaleis hoc tenore dedit, *Ego Tycho Brahe de Knudſtorp, ex Dania oriundus, Sacra Cæſarea Ma.eſtatis arcem Benaticam in Regno Bohemia inhabitans,teſtor omnibus, cuiuſcunque conditionis, & dignitatis ſint, hiſce meis literis, earundem exhibitorem erudititiſſimum, & honeſtiſſimum virum Magiſtrum Chriſtianum Seuerini Longomontanum,natione Cimbrum,mihi per octennium in Dania,& poſteà etiam aliquandiu in Germania,& Bohemia fuiſſe domeſticum, atque in exercitiis Aſtronomicis diligentem,& fidelem nauaſſe operam. Nunc verò,cùm res eius non ferant,vt diutiùs mecum commaneat,vel accreſcente ætate, cogitet etiam vitæ rationem inire,ideóque in Patriam ad ſuos reuerti: Ego conatus eius nullatenus impedire volui, ſed eum liberè,& cum bona gratia dimiſi. Quare omnes generoſos,& nobiles Viros,præſertim in Dania mihi ſanguine junctos, & alias quocumque locorum claros, ac eruditos Viros officiosè, & peramanter rogatos habeo, vt prænominatum Magiſtrum Chriſtianum ſibi diligenter commendatum habeant,atque ad optima quaque ipſum promouere non degrauentur. Inuenient me viciſſim in quævis officia rursùm in eorum gratiam, quantum per me licuerit, præſtanda quam paratiſſimum. Dabantur Pragæ in Metropoli Bohemiæ, die 4. Auguſti ſtylo nouo, anno Chriſti vulgari* M. DC.

Solatio interim illi erat,quòd Longomontani diſceſſum Kepleri acceſſu cõpenſaturus foret, cùm ex inopinato literas accepit, quibus Keplerus inſinuauit non eſſe ſibi integrum pactis conditionibus ſtare,quòd à Styriæ Proceribus, quantum in ære erat, vndequaque non probarentur. Quamobrem Tycho literis repetitis ad illum ſcripſit,vt nihil moraretur eorum ſtipendiorum, quæ apud Proceres mereba, jacturam; ſe nimirùm jam cum Cæſare egiſſe, vt amplioribus ab eo donaretur,efficeretúrque Majeſtatis eius Mathematicus. Scripſerat iam ante ad Maginum, ſi accedere fortè ad ſe poſſet, incubiturus Tabulis iuxta obſeruationes eatenùs peractas condendis; verùm quia ille operam quidem ardente affectu obtulerat, ſed ita tamen vt exemplum obſeruationum ad ſe tranſderetur, neque enim ſe poſſe pluribus de cauſis tranſire in Bohemiam; ideò nolens Tycho obſeruationes tranſdi, aut abs ſe diſtrahi, conſtituerat artificem coadiutorem penes ſe habere, cui obſeruationes ſolùm neceſſarias collaborando ſubminiſtraret. Quare & ex quo agnouit Kepleri induſtriam, in eo fuit conſtanter, vt ipſum ad ſe quouis pretio acceſſeret. Acceſſit proinde ad ipſum Keplerus, totámque ſtatim familiam, ſupellectilémque Librariam in Bohemiam tranſtulit Octobri inſequente. Acceſſit tamen quartanâ laborans, qua correptus fuerat in itinere; vnde magno vtriuſque dolore moliri quicquàm arduum vix potuit totis octo, aut nouem menſibus, quibus fuit illa detentus.

Reperit porrò Tychonem Pragæ, ibíque ideò conſtitit, quod Tycho pertæſus incommodorum Benaticæ, commemorati ampliùs ea in arce non ſuſtineret. Scriptum certè reliquit Keplerus ſe, cùm primùm initio anni aduenisset Benaticam, inueniſſe eum illeic *conflictantem cum imperitia locorum, hominum, lingua, morum; nec eo tamen ſegniùs obſeruationibus,& ſcribendis ad varios epiſtolis incumbentem.* Aberat adhuc Cæſar ab vrbe; quippe Pilſenam vere digreſſus; non ante Autumnum inclinatum rediturus fuerat. Significato autem Tychonis de repetenda Praga conſilio, aſſenſit Cæſar, adjecitque ſe, cùm in vrbem primùm rediiſſet, de ædibus, quàm fieri poſſet commodiſſimis proviſurum. Poſſe illum intereà transferre in hortos, ædeíſque Regiæ adjacenteis, & Inſtrumenta, & familiam totam. Subinde ergo Tycho ſedem iterarò tranſtulit Pragam, ac per idem tempus maiora Inſtrumenta, quæ ante annum miſerat quæſitum, ex Dania accipiens (familiam ab vſque vere exceperat) ipſa ex naui, qua fuerant aducta,in Cæſaris hortos tranſpoſuit. Cùm Cæſar deinceps rediiſſet, vbi addidicit ex Tychone nullas videri tota vrbe ædeis Curtianis commodiores, illas idcircò in eius vſum ex Curtij vidua redemit, Tychoque in eas anno inſequente M. DCI. ac die 1601.
Februarij XXV. migrauit.

Inſtrumentis eòdem tranſlatis, & ſuccedenter diſpoſitis, obſeruitare varia cœpit, ac interim quoque proferre è ſcriniis, non quæ tunc quidem perficerentur, ſed quibus Keplerus per feriationes, ſeu cùm liber foret à febri, tempus falleret. Ac peroptaſſe ille quidem & plura habere, & plura aggredi;

verùm Tycho partim, vt niminm eius ardorein temperaret, partim, vt quaſi in arcanis haberet ſemper aliquid,nihil non parcè communicabat, factus ſcilicet propter fraudeis, quas foret paſſus, diffideotior. Heinc illa Kepleri querela, cùm ad Maginum ſcribens, *Quid hoc*, ioqnit, *mali dicam eſſe in arte noſtra, quæ omnis iuſtitiæ, fideique norma eſt, & origo, quòd in eam fraudes irruperunt, quibus decepti retinentur viri ſummi, quò minùs, vt par erat, quicquid profecere, in commune conferant, in publicum edant, petentibus communicent? Prœuit Tycho pleraque: Planetarum Theorias reſtauratas, Eccentricitates, proportiones orbium, ad examinanda mea Harmonica quæſiui*: Et mox; *Obſeruationes quidem lectiſſimas porrigit, non tamen aliter, quàm intra ſuos parietes. Labora*, inquit, *tu quoque; credo, quod Copernicanæ Hypotheſeos defenſorem, aliùs ipſe ſententiæ, ſpectare conſtituit*. Ac ſtatim, *Admiranda tu quoque commemoras, ſimulque premere illa, & ipſe profiteris. O rem indignam! adeò perdita eſſe tempora, vt viris doctis quoque in metu ſit verſandum*: Et rursùs, *Etſi quidem ea, quæ à Tychone habeo, vicißim tecum communicare non poſſum, niſi ipſo conſentiente (fidem namque ſuper hac re illi dedi) ſpero tamen te fore mihi æquum ſi eorum, quæ proprio Marte adinueni, liberali communicatione canderem meum perſpexeris.*

Scribebat hæc porrò Keplerus Kalendis Iunij ex Styria; eò ſcilicet hereditatis nomine vxoris adeundæ occaſione recurrerat, febri licet nondum immunis, qua nihilominùs liberatus ſub ipſumnet Solſtitium fuit. Cùm menſe Septembri reuertiſſet Pragam, & proſpera forer valetudine, nihil ampliùs cunctandum Tycho cenſuit, ſed manum omninò admouendam eſſe reuocandis ad calculum obſeruationibus quibuſque præcipuis, ad multiplicia ſingulorum Planetarum loca obtinenda, & cohærenter ad explorandum, corrigendumque excogitatas circa illos hypotheſeis, niſi fortè obſeruationes melioris notæ ipſis quadrarent; idque quò poſſent denique eiuſmodi Tabulæ condi, ex quibus deriuati motus Cælo exquiſitè congruerent; quod fuit illi primum, ſupremúmque votum. Deducto ad Cæſarem Keplero, lætatus eſt Cæſar ipſum conualuiſſe, ac teſtatus eſt velle ſe eum quidem Mathematicum ſibi habere, ſed addictum tamen Tychoni, quaſi miniſtrum à calculis. Et cùm Tycho expoſuiſſet ſuum circa Tabulas inſtitutum, ac ſe cogitare adiecisset illas ex eius nomine, ſi gratum quidem ipſi foret, Rudolpheas, Rudolphináſve (vti Alphonſinæ ex nomine Alphonſi fuerant) inſcribere, quò tanta eius munificentia in artem nobiliſſimam apud poſteros perennaret, ac Rudolphi nomen celebre tum foret, cùm cæteri, aliunde gloriam aucupati, jacerent ſumma obliuione obruti, planéque inglorij; tum aſſenſit Cæſar, tum ſe eius affectum gratè complecti ſignificauit.

Exinde ergo operæ peralacriter procedebant, Tychóque etiam in eo erat, vt iam tum demum publici iuris Progymnaſmata faceret, cùm ecce fatalis, luctuoſúſque caſus illum è viuis abſtulit. Scripſit Keplerus in Tabularum Præfatione obiiſſe illum die XXIV. Nouembris; at videtur ſanè Nouember præ incogitantia ſcribenti poſt annos XXVj. irrepſiſſe pro Octobri. Nam & tametſi ibidem dicat ſe, ex quo rediit menſe Septembri potuiſſe duos non ampliùs menſeis eius conuerſatione frui; intelligi id poteſt de duabus menſium partibus, maximéque, ſi ad Tychonem Septembri ineunte acceſſit, & Tycho exeunte Octobri eſt mòrtuus. Facit porrò, vt ad Octobrim referenda hæc mors videatur, imprimis quidem, quòd in Tychonis funere Oratio, quam non legi quidem, ſed de qua nihilominùs mihi optimus VVormius fidem fecit per literas, idipſum apertè teſtetur; ac ipſa quidem typis excuſa & Pragæ, & ipſo eodem anno M.DC.I. Deinde, quòd cum oratione excuſa fuerint carmina varia, ac cætera inter, diſtichon Chronologicum, quod Octobrim perſpicuè notet. Denique, quòd Snellius ad calcem Tychonicarum Obſeruationum ſubjunctarum Haſſiacis, expreſsè id habeat, ac duæ præterea ex eo loco deduci conjecturæ poſſint; Vna, quòd Obſeruatio illeic vltimò memorata, & ad Martem attinens, ad vndecimum Octobris diem ſpectet, cuius perendie narratur ſtatim incidiſſe Tycho in lethalem morbum (ſic verò etiam poſtmodùm eiuſdem eſt diei obſeruata vltimò Meridiana Solis altitudo grad. 32. min. $48\frac{2}{3}$.) Altera, quòd verba iſta ſubiiciantur, *Erat huius morbi initio Luna in oppoſito Saturni, & quadrato Martis in Tauro, & Mars eodem loco, quem ſibi Tycho orientem gradum conſtituerat*: quippe hæc Cæli conſtitutio menſe Octobri fuit, non Nouembri.

Fuit ergo Octob. dies 13. cū ab illuſtri Roſemberchio inuitatus nobilis Mincovvitius Tychonem ſecum ad cœnam deduxit. Priuſquàm conſiderent, non emiſit Tycho, vt pro more habebat, vrinam; quò effectum eſt, vt cùm paullò largiùs inter cœnandum biberetur, tendi veſicam ſenſerit, prouideritque non poſſe ſe diu admodùm trahere cœnam. Quare aliquantiſper quidem, ſed denique tamen nihil moratus conuiuiorum leges, è menſa abiit, ac domum petiit, verùm orificio veſicæ obturato, & vi expultrice, præ nimia retentione labefactata, vrinam iam tum reddere non potuit. Grauiſſimi exinde cruciatus, ac in iis toti dies quinque penitùs inſomnes tranſacti. Cœpit ſubinde non tam fluere, quàm interpeditè ſtillare vrina; ac non tam ſomnus placidus, quàm continens importunorum inſomniorum ſeries ſucceſſit. Vigebat ſimul interna febris; vnde & conſequutum paullatim delirium etiam vigiliam fecit inquietam. Exaſperabat interim malum, quòd Medicorum rationem victus præſcribentium audiens non foret; nec, ſi quid luberet, ac depoſceret, ferre patienter repulſam poſſet. Fuere autem alij dies quinque per hæc incommoda exacti, nocte inſequente, eáque extremâ tranquillè ſatis ſe habuit, nihilque non ſuaue per delirium fuit. Varia

inter

inter viſa quibus fuit affectus, in hæc verba creberrimè, quaſi qui carmen texit, erupit, *Ne fruſtrà vixiſſe videar.* Nempe hæc illum cogitatio ſubierat ſæpe-numero, quaſi lenimentum laborum, quos magnos, varióſque obibat. Iuuat certè heic adſcribere, quod in literis ad Longomontanum, cùm de accerſendis ad ſe adoleſcentibus ſtudioſis, eruditíſque viris egiſſet, in hunc modum ſubjunxerat: *Nam ſcholam Aſtronomicam, multorúmque in eadem operas, fauente Cæleſtium opifice, Cæſare clementiſſimè ſubſidia largiente, de nouo erigere conſtituo; cuius vſusfructus ad poſteritatem omnem, vti ſpero, perſeuerabit, in Dei fabrica celeſtis authoris gloriam, & Cæſaris nunquam intermorituram memoriam, & laudabilem famam; atque, ne nos etiam fruſtrà extitiſſe, talentúmque diuinitùs conceſſum abſcondiſſe, ac tempus pretioſiſſimum inutilibus, vt nimis multi, quod dolendum eſt, faciunt, contriuiſſe videamur.*

Succedente die, quæ fuit, vt iam attigi, XXIV. ſolutum quidem delirium, ſuáque animo reſtituta ſerenitas; verùm ea fuerat morbi conflictatio, vt effœtis iam viribus, multis ſupereſſe horis non valuerit. Mortem imminere jam ſentiens, optauit labores à ſe exantlatos in Dei gloriam cedere, filiis, generóque mandauit, ne perire eos ſinerent, maximéque fulti præſidio Imperatoris optimi, cui futuros curæ nullus dubitaret. Studioſos adhortatus eſt, ne exercitationes intermitterent: &, cum Keplero Tabularum maturationem commendaret, meminiſſétque hærentem illum opinioni Copernici, tribuere Soli eam energiam, quæ Phyſica cauſa circumductionis Planetarum ſit, Epicyclóſque illorum omneis ſic Soli connectat, vt quiſque ſemper periodum ſuam in centri cum Sole congreſſu abſoluat, *Quæſo te*, inquit, *mi Ioannes, vt quando quod tu Soli pellicienti, ego ipſis Planetis vltro affectantibus, & quaſi adulantibus tribuo, velis eadem omnia in mea demonſtrare Hypotheſi, quæ in Copernicana declarare tibi eſt cordi.* Aderat tum Pragæ illuſtris, & generoſus Ericus Brahe, Suecus, Comes VVittebornius, & Regis Poloniæ Conſiliarius, qui ob cognationem generis antiquam, Tychonem ſummè deperibat, quique ab vſque morbi principio ab illo non diſceſſerat, ac per eas horas lecto aſſidens, quà opus erat, eum ſubleuabat, animóſque amanter addebat. Tycho ergo ad eum conuerſus, & gratias egit pro tanto affectu, & rogauit, vt cognationem totam ſaluere extremum iuberet ſuo nomine. Denique, vt verbis Snellianis hoc dicam, *victa natura, inter conſolationes, preces, & ſuorum lacrymas placidiſſimè exſpirauit.* Atque is quidem fuit Tychonis vitæ exitus: nam quod alioquin rumor in Dania, Noruegia, ac alicubi etiam per Germaniam percrebuit, fuiſſe eum veneno, Aulicorum quorundam inuidiâ, ſublatum, veriſimilitudine caret. Compleuit autem Annos non plures, quàm LIV. cum menſibus præcisè X. Breue tempus, ſi ætatem ſpectes, quam potuerat attingere, quamque tot inertes plerumque aſſequuntur; at prolixam tamen, ſi rerum præclarè actarum magnitudinem æſtimes; quarum fama eſt apud homines, donec amore rerum cæleſtium tenebuntur, perennatura.

DE

DE
TYCHONIS BRAHEI
VITA,
LIBER SEXTVS.

NVnc priuſquam de funere, & iis, quæ mortem conſequura ſunt, attingere quidpiam pergamus, pauca quædam de habitu oris, corporiſque, & de ſtudiis, ac moribus viri prælibanda ſunt. Fuit igitur Tycho, quantum fando accepi, ſtatura quidem mediocri, ſed in proceram tamen vergente. Qui Pragæ illum deinceps viderunt, fuiſſe leuiter obeſum narrârunt. Eius conſtirutio vegeta, actnoſáque, & morbis vt taris, ſic non admodum grauibus obnoxia. Senſiſſe eum certè grauem ſtrangnriam, ante illam, qua interiit, auditum non commemini, & ſuis in ſcriptis vix meminit ſemel doloris grauis *frontis, & hemicranÿ*, quo laborauit, *ob coryzam, quam*, inquit, *paucis ante diebus ex rigore nocturno inter obſeruandum contraxeram, immaturè conſtipatam* Rubore genatum fuit viuido, & flaucdine capillitij ſatura, ſeu ex rufo leuiter miſta. Ita ſanè intelligi poteſt, vel ex iis coloribus, qui appicti fuere (in exemplo ad Saliſburgenſem Archiepiſcopum miſſo) tum cæteris organis, tum ſpeciatim Illi murali Quadranti, in cuius arca cælata fuit ipſius effigies, vt iam antè dictum. Quod ſupereſt autem, ipſa vultus ſpecies, ac naſi præſertim adiectitij concinnitas innoteſcet melius ex inſpecta illius effigie, quàm ex adhibita vlla deſcriptione, quæ in multis nunc primi, nunc ſecundi Libri Progymnaſmatum exemplis habetur; cũ pileo ſcilicet, ac pallio, vice eius cucullî, ac diploidis, quicum in Quadrante Tycho exhibitus; nempe habitu viri noctu obſeruantis, quem Keplerus etiam vtcunque expreſſit in ipſo frontiſpicio Tabularum Rudolphinarum. Eſt verò ipſa quoque conſtituta in area ſub arcu, & inter columnas, quibus gentilitia inſignia appenſa: quo modo habetur etiam alia, verùm nudato capite, in ipſa fronte Mechanices editionis Norimbergenſis. Illam præfero, quòd ipſemet Tycho eam delegerit, quæ agglutinaretur verſæ paginæ Tituli exempli iam commemorati. Delegit, inquam, præ alia, quam imprimi quidem voluerit (abſque tamen arcu, & columnis) in vmbilico anticæ faciei integumenti cærulei (ex ſerico panno) Codicis eiuſdem; verumtamen parum morando eius ſimilitudinem, quatenus ea fuit in ornamentum auro obducta. Præterea autem fuiſſe in poſtica integumenti facie Brahcanæ domus inſignia impreſſa, appictáque (palum nempe aureum in ſcuto cæruleo) ſed reticendum tamen non eſt, cùm tam effigiei, quàm inſignium ipſa quaſi loculamenta ouatâ formâ extiterint (& longitudinis quidem digitorum non omninò trium, latitudinis non omnino duorum) fuiſſe vtrique diſtichon literis aureis circumſcriptum. Et circa effigiem quidem hoc,

Hic patet exterior Tychonis forma Brahei:
Pulcrius eniteat, quæ latet interior.

Circum verò inſignia iſtud,

Arma, genus, fundi pereunt, durabile virtus,
Et doctrina decus nobilitatis habent.

Ad Studia quod ſpectat, videtur res penè ex deductis intelligi: quando tam manifeſtum eſt incubuiſſe illum duobus maximè, Aſtronomiæ putà, & Chymiæ, ſiue, vt ipſi dicere familiare fuit, Pyronomiæ. Hiſce, inquã, duobus maximè, ex quibus arbitratus eſt germanam omnẽ, quæ de rebus naturæ haberi poteſt, notitiã pendere: nam cætera quidem non prorsùs neglexit; ſed tamen quaſi πάρεργα habuit, niſi quod Poëſin tota vita coluit. Id ſcilicet probant, quæ varia eius carmina interjecimus; in quibus cùm bona, cùm mala, cùm mediocria ſint (& præter alia quidem; nonnulla, in quibus videtur non ſatis accuratè ſyllabarum quantitas obſeruari) intelligi licet fudiſſe eum illa naturæ potiùs genio, & oblectandi animi causâ, quàm contentione animi, famæve aucupandæ gratiâ. Quod idem ſentiendum, cùm antitheſi aliqua circa Poëſin alienam luſit; vt cùm cæleſte ſtudium frigere ex eo dolens, quòd plerumque viri induſtrij, benéque affecti aſſurgere ad ipſam præ indigentia non valeant; locupletes autem præ luxu, ipſi incumbere non ſuſtineant, vſurpat illud Iuuenalis,

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi: ——

Ac ſubiicit, non minùs verè, niſi etiam veriùs, habere ſe rem, ſi hoc modo inuertatur,

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res numeroſa domi. ——

Idipſum verò de ipſa quoque, quam proſâ expreſſit, eloquutione dicendum eſt. Siquidem

dem tametſi eſt viſus interdum ſtudioſè quidpiam dicere; vt plurimùm tamen naturam ſequutus, res potiùs, quàm verba ſpectauit, neque an phraſis gentilitia, an Latina foret, attendit; & voces aliunde nonnullas, præter familiariorem vſum, vt *ſaltem*, pro *ſolùm*, *iſteic* pro *illeic*, frequentiùs aſſumpſit; ac inter componendum voces, heterogenea idiomata conſeruit, vt *Vraniburgum*, *Stellaburgum*, *Sympatriota*, &c. Quin-etiam non cauit plerumque, ne analogia abriperetur, vt dum Conjunctiuorum inſtat, *poterint*, pro *poterunt*, dixit, & paſſiuorum more *Ditmarſicam beſtiam indignam* dixit, *quæ recordetur*, hoc eſt, cuius ſit recordatio, ſiue mentio aliqua fiat. Id nimirùm factum, quia, vt ipſe ait, *maiorem curam rebus, quàm verbis diſcendis, & peruestigandis ab ineunte ætate adhibuit*: non verò quòd noluiſſet tersè, atque Latinè dicere; id enim non modò in Copernico, ſed etiam in Regiomontano, aliiſque Mathematicis, vigente adhoc barbarie, probauit; ac de Epiſtolis ſuis loquens, occupationes graueis cauſatur, quòd tersâ, comptáque oratione vti non licuerit: *Tametſi*, inquit, *quàm maximè id præſtare voluiſſem, aut etiam ſuſtinuiſſem.* Et poſteà, Senecæ occaſione, qui & rerum gnarus, & verborum haud negligens fuerit, *Quæ duo*, inquit, *ſi ſimul coniungi poſſent, equidem eò laudabiliora eſſe non inficior; ſaluâ tamen rerum, vti par eſt, prærogatiuâ, & iudicij arduâ, grauique cenſurâ: ante omnia verè veritatis intemeratæ ſincerâ, & non ſophiſticâ inquiſitione, ac demonſtratione ſartâ tectâ permanente.* Nihil proinde notandum eſt, quòd ſæpè ſæpiùs eadem repetierit, & Galileus propterea loquacitatem in eo notârit; id enim, vt res meliùs inculcarentur, præſtare potuit. Nihil item, quòd videatur interdum non ſatis grauiter tranſitione vti, quemadmodum in recenſendis Authorum apud varias nationes de Stella Noua placitis; id enim defeſſo animo tribuendum. Nihil, quòd videri poſſit nimis in hiſce alluſionibus. *Doctrina Academica, Adamica volebam dicere: Author Stramineus, volebam dicere Gramineus: Medium famoſum, & fumoſum: Non tam Scoticè, quàm ſcopticè; Genio, & ingenio: Ludit, & illudit: Imprudenter, aut potiùs impudenter: Ne res emittam, vel potiùs amittam: Emiſit commentarium, imò potiùs commentum: An tam fortis hic Annibal Veronenſis, quàm ille Annibal Carthaginienſis*, &c. Etenim hæc poſſunt animo indignanti (cùm poſſit etiam indignatio verſum facere) condonari.

Otio heic iam abuteremur, ſi quidpiam circa Aſtronomiam, priúſve illud ſtudiorum genus aggrederemur ſubiicere; cùm hoc ipſum ſit, de quo eſt totâ vitæ ſerie tam copioſè dictum. Itaque duo ſolùm quædam quaſi præter-addenda ſunt. Vnum, fuiſſe illum hoc ſtudium legitimè, ac vt par eſt, ſectatum, cùm rerum cæleſtium notitiam non ex muſæis, libríſve ſolis, ſed ex ipſo maximè Cælo coram poſito, ſpectatóque, & ſibi quæſiuit, & aliis monſtrauit. Quo loco nihil poteſt appoſitè magis, quàm quod ipſe habet, aduerſus illos commemorari, qui cæleſtium licet inanes, quòd libros tamen peruolutârint, calculóſque verſauerint, jactant ſeſe Aſtronomos; dum occaſione Nouæ Stellæ, quam aurigæ, tabellarij, nautæ, ſimiléſque idiotæ conſpexerint primi, poſtquàm taxauit cæteros, qui luctum, faſtúmque in proſequendis ſcientiis, artibúſque aliis ſectantur, ſic infit, *Quin & inter eos ipſos, qui aliquo ſiue naturæ ductu, ſiue inſtitutione, aut profeſſione, qua victum acquirunt, ſic exigente, Aſtronomiam exercere putantur; hanc non in Cælo ipſo, vti par erat, adminiſtrant, ſed Pagellis quibuſdam, Tabulis, atque Figuris ſub tecto tractantes, ſatis ſe ſuo officio functos autumant; adeò vt, quam plurimi illorum, etiam nulla Stellarum cognitione (pudet referre) deſtituantur, ſufficere arbitrati, ſi ex Tabulis, & Ephemeridibus Kalendaria, atque Geneſeis lucri causâ conſcribere, vel, quod veriùs eſt, bonas chartas bis nugamentis contaminare didicerint. Sicque exigui lucelli causâ Arti ampliſſimæ extenuationem, propriæque famæ notam inurere, vel ſeipſis forſitan inſciis, non indecorum ducentes. De talibus Aſtronomis Regiomontanus olim conqueſtus eſt, quod ſegnes ſint, minimèque vigilantes, & ſtrenui maiorum ſectatores, & ſublimem hanc, vti decuit, artem, non in ipſo Cælo, ſed tugurio (ſi Vaporario prope fornacem aut in cauponis addidiſſet, fortè nihil alieni dixiſſet) exerceant: vt ob id non tam admiratione dignum, quàm dolendum potiùs videatur, imperitos idiotas, adeóque rudiſſimum hominum genus citiùs, & promptiùs animaduertiſſe Stellam, de qua agimus, nouiter in Cælo exortam, antequam illi, qui in Scholis, neſcio quâ doctrinarum copia tumidi, etiam inter eos ipſos, qui hanc Philoſophiæ partem cæleſtia ſcrutantem proclamant.* Eadem alibi quoque habet, maximè verò dum Landgrauium commendans, *Is*, inquit, *non in tuguriis, aut libris, aut vaporariis, vt de vulgaribus Aſtronomis conqueritur Regiomontanus, hanc artem exercuit, ſed in ipſo Cælo, per appoſita, & ſolidè elaborata organa, ſuiſmet ipſius ſæpe numero oculis illi ſedulò inuigilare non detrectauit, eámque ſuſtentatis idoneis Artificibus plurimùm promouit. In quo etiam heroico, & verè Atlantico propoſito, vſque dum Sidera, & Solem intueri licuit, (quorum causâ eſſe hominibus oculos attributos quidam antiquitùs philoſophantium non abs re protulerunt) conſtanter permanſit.* Itémque dum Mœſtlino aſſentiens, eos redarguit, qui *aliorum inuentis contenti, ſi Tabulas motuum, & Ephemeridas, quoties opus eſt, adhibeant, rectè rem peractam exiſtimant, nec intereà Cælum debitis organis introſpiciunt, an taleis reuerà motus apparenteis exhibeat, qualeis numeri Tabularum ſuggerunt. Quod ſi conſideratione, & diligentia competente exſequerentur vtique viderent ſimile quid inter Cælum, & Tabulas accidere, ac ſi quis inſtrumento quodam muſico ad canendum, vel ſaltandum aliquos inuitaret, qui etiam canerent, aut ſaltarent quidem; ſed non eandem prorſus melodiam, vel ſaltum, quem inſonaret Muſicus.*

Alterum, cùm Tycho excitatus ad huiuſmodi ſtudium fuerit illâ ſciendi futura ſpe, qua Aſtrologorum pollicitationes in eius animo accenderant, mirum non eſſe, ſi fuerit quoque impensè Aſtrologiæ per adoleſcen-

tiam

tiam addictus, & commendatam publica etiam oratione eam fecerit. Quin-etiam dici poteſt eam perſuaſionem illi inſediſſe, quam vix vnquam totam exuiſſe, niſi ſub vitæ finem videatur. Nam licet plerumque deluſus, eius fallaciam perſpexiſſet, in eo tamen ſolùm eſſe culpam cenſuit, quòd Tabulæ motuum cæleſtium ea non exhiberent Planetarum loca, quæ Cælo congruerent; ex quo effectum eſt, vt illam & ſepoſuerit, & in manus non priùs reſumendam cenſuerit, quàm exquiſitæ Tabulæ conditæ iuxta exquiſitas obſeruationes haberentur. Vbi peractæ autem fuere obſeruationes plurimæ, (& perfectis licet nondum Tabulis) cœpit tamen poſſe veriores Planetarum ſitus deſignare; tum reſumendo horis quibuſdam ſucceſſiuis Aſtrologicum ſtudium, agnouit quidem turſùs euenta pollicitationibus, niſi caſu, non reſpondere; verùm tunc eſſe culpam cenſuit, non in eo, quòd Aſtra effectus futuros non portenderent, ſed in eo, quòd Ars illa prænoſcendi, non foret rectè conſtituta. Id enim ſemper defixum habuit, quod de Stellis Fixis acturus in Progymnaſmatis expreſſit, cùm de illis loquens: *Præterquam*, inquit, *quod per ſe varios, ſatiſque euidentes ſortiantur effectus: Planetarum inſuper vireis plurimùm ſtimulant, atque in actum deducunt; cùm ſint tanquam Matres ab his veluti Patribus impregnatæ, atque fœcundatæ, fœtúſque ſuos verſus Terram, centrum Vniuerſi perpetuò edant.* Quare & cogitare cœpit, vt de inſtauranda Aſtronomia, ita & de condenda alia Aſtrologia, in qua Directiones quidem, & Reuolutiones inter cætera retineret, ſed ſecus nihilominùs ac fieri ſolet, deduceret. Teſtatus interim ſemper eſt, velle eam ſibi ſoli habere, nihilque circa illam, aut perparum certè, publici iuris facere; tum quia foret ſemper ſtochaſtica ſolùm, ſeu coniecturalis; neque deeſſent eruditi viri, qui ob paucas hallucinationes totam erroneam reputarent, nihilique eam penderent; tum quòd ex oppoſito alij forent, qui indubitatam habentes, ſuperſtitione ea tenerentur, qua certitudinem prouiſorum Deo ſoli tribuendam, in aliqua eius opera transferrent.

Et quòd maturè quidem fallaciam, vanitatémque Aſtrologiæ, qualis ad eum vſque fuit habita, & agnouerit, & deriſerit, paſſim indicant varia eius loca, tum in libro de Stella Noua; vbi neque repetere quicquam ex iis voluit, quæ ad Aſtrologiam attinentia in præcedente libro dixerat: neque immorari in diſcutiendis iis, quæ alij Authores Aſtrologica inuexerant, tanquam illa habens, quibus hæreretur, indigna. Ecce enim v.c. Leouicio, ſuo alioquin amico, loquens: *Si is*, inquit, *calculum Aſtronomicum, in quo admodum fœlix atque expeditus erat, ſolummodo exercuiſſet, & Aſtrologica iudicia, aut intacta reliquiſſet, vel certè moderatiùs, & circumſpectiùs attigiſſet, fortè id non ſaltem ſibi ipſi, ſed toti arti magis fuiſſet honorificum, nec tot paſſim calumniis obnoxium.* Tum in libro de Cometa: vbi non modò Daſypodium celebrem alium Aſtrologum eadem ratione carpit his verbis: *Longe præſtitiſſet ipſum per exquiſitas obſeruationes, adhibitis Geometricis demonſtrationibus litem hanc diremiſſe, & certi aliquid in his conſtituiſſe. Qua ſane in re longè præſtantiorem operam collocaſſet, quàm in ambiguis, & nondum ſatis perſpectis Aſtrologorum vaticiniis, quæ, cùm in Mundo coæuis Sideribus ſæpe-numero longè alio euentu ſeſe exhibeant, quam ferunt illorum Apoteleſmata: ſanè in his nouis generationibus, quarum ſitus, & origo hactenus incognita latuit, multo minùs certitudinem ratam exhibebunt.* Non modò id, inquam, pluráque in alios quos appellat Aſtrologaſtros; ſed etiam inter recenſendum obſeruationum tempora, quibus vno in loco ſerenum, in alio forent nubila, prædictiones Aſtrologorum non poſſe hac in re ſuccedere arguit: Et maxime quidem, dum Hagecij obſeruationes cum ſuis comparans, *Euenit*, inquit, *vt obid Meteorologicarum Prædictionum ratio admodum intricata, & difficilis, ne dicam impoſſibilis eſſe, vel hoc ſolo documento conuincatur. ſiquidem in tam parua intercapidine Horizontum, contraria ferè conſtitutio aeris, & nubium penè ſemper exſtiterit, vt ex collatione dierum, in quibus, & ego obſeruationes habuimus, facilè conſtabit. Vix enim inuenies, quin cum heic ſerenum, illeic obſcurum, & vice verſa exſtiterint. Viderint itaque ij, qui diarias Prognoſticationes mutationum aeris conſcribunt, num differentia longitudinis, & latitudinis tantilla in orbe Terræ ſchemata Syzygiarum Luminarium, & reliquorum Planetarum commiſtiones unde ſuas depromunt prædictiones, tantum alterare poſſit, vt tam diuerſam auræ mutationem in Bohemia, & heic producat; quod vix eos etiam ſi Lynce oculatiores eſſent, deprehenſuros exiſtimo.* Tum in libro Epiſtolarum; vbi inter cætera ad Rothmanum ſcribens, occaſione Eclipſeos, cuius tempore non modò in Anglia, ſed etiam in Cimbria Cælum fuiſſet planè ſerenum, in Huenna autem multum, & in Haſſia omninò obſcurum, & pluuium; *Heinc manifeſtum euadit*, inquit, *quàm friuolo, & incerto fundamento Aſtrologorum vulgarium Meteorologica prædictiones nitantur; cum in tam vicinis horizontibus aeris conſtitutio toto Cælo ſæpenumerò diſcrepet.*

Quòd autem demùm Aſtrologiam fallacem, vanámque habuerit, quatenus exſiſtente ſolùm generali cæleſtium corporum efficacia, & diuerſitate ſpecialium effectuum à ſpecialibus, proximiſque cauſis pendente, nulla eſſe ars Aſtrologiæ poteſt, quæ, præ iſtarum ignoratione, ſpecialeis effectus prænoſſe, ac prædicere, & maximè quidem ſpectanteis ad res humanas, valeat: oſtendi id poteſt, vel ex Keplero, qui ipſi conuerſatus eſt extremis vitæ temporibus, & quo nemo meliùs, quæ eius mens foret, perſpicere potuit. Quo fit, vt non pigeat locum integrum, ex Præfatione in Rudolphinas Tabulas huc transſcribere; vbi errore commemorato Prutenicarum Tabularum, quæ anno ſpeciatim M. DC. XXV. exhibuiſſent Martem quinque proximè gradibus, quàm in Cælo eſſet, promotiorem, ſic pergit: *Huiuſmodi igitur aberrationes Prutenicarum, cùm inde, ex quo illa fuerunt*

fuerunt edita, viri docti, & in Siderum obſeruationibus exercitati deprehendiſſent (quos inter ſummo ſuo merito commemorandus eſt, vt coryphæus, illuſtriſſimus Cattorũ Princeps Gulielmus) coortus eſt denique Tycho Brahæus, ex regni Daniæ nobilitate præcipua, qui poſthabitis cæteris æqualium ſtudiis, Aſtronomiæ reſtaurationem ingenti animo complexus, hoc vnicum opus ſibi delegit, in quo ætatem ſuam tranſigeret, opéſque auitas ſplendidas, quibus erat ſuffultus, impenderet, Quodque in præcipua gloriæ parte cenſeo, fecit hoc ille animo ab omnibus ſuperſtitionibus Aſtrologicis vacuo, inque vnũ ſolum finem totius Philoſophiæ ſupremum, in cognitionẽ & Dei, & ſui ipſius erectiſſimo: quòd cùm in ſcriptis, & carminibus, quibus delectabatur, tum in quotidianis colloquiis æqualitate conſtantiſſima reddidit conteſtatiſſimum: Aſtrologorum verò vanitatem, inertiam, ignauiam, & ſordeis plurimum & deridere & deteſtari eſt ſolitus: ſic tamen, vt ſiderũ effectus in ſublunaribus partem Philoſophiæ præſtantiſſimã nequaquam negaret: gnarus effectus illos siderum generaleis ab Euentibus ipſis in rebus humanis indiuiduis accuratiſſimo iudicio diſtinguere. Quod cùm non caperet vulgus hominũ, ad miraculoſas prædictiones credulũ, ad rumores falſos diſſeminãdos promptũ, vtraque re vaniſſimũ, nonnunquam virum innocentiſſimum inepto eius famæ ſtudio ſermonibus obliquis, & inuidiæ Magnatũ obiecit.

Ad Chymiæ ſtudium quod attinet, nihil etiã eſt, quod addatur ad ea, quæ paſſim inſinuata ſunt, & ex quibus elicitur id, quod ipſe ad Rothmannum aliquando ſcripſit, dũ apertè teſtatus eſt, *ſe non minori conamine, & ſumptu Aſtronomiam hanc terreſtrem excolere, quàm illam cæleſtem, ordinatis ad eam ritè tractandam opportunis ſtructuris, & fornacum magna varietate, & copia.* Ac nihil quidem ſcriptũ de ſuis circa ipſam operationibus, obſeruationibúſque reliquit; ſed ſignificauit tamen publicè paratum ſe eſſe, qui delectu habito, ea, quæ & plurimo labore, & non mediocribus ſumptibus expertus eſſet, communicaret. *De his enim*, inquit, *cum illuſtribus, & Principibus viris, aliiſque præſtantibus, & eruditis, qui talibus afficiuntur atque eorum cognitionem aliquã habent, ingenuè conferre, atque nonnulla iis communicare per occaſionem non tergiuerſabor; modo mihi de eorum voluntate conſtiterit, quique ea ſecreta habituri ſiat. Talia enim vulgaria fieri, nec expedit, nec æquum eſt. Neque enim cuiuis datum, licet multi eiuſcemodi profiteantur, hæc myſteria debito modo ſecundum naturæ exigentiam innoxiè, atque vtiliter exſequi.* Cùm proinde non conſtet quid circa Metalla, eorúmque præſertim trãſmutationem obtinuerit; hoc tamen conſtat, fuiſſe ab eo Chymica remedia complura adinuenta, quorum aliqua etiam num in Dania illius nomen præferunt, maximè verò Elixir tam aduerſus febrem, quàm aduerſus peſtem. Quos authores in ea arte præcipuum locum tenere cenſuit, fuere ex iis, quos veteres dixit, Hermes Triſmegiſtus, Author Tabulæ Smaragdinæ, Geber, Rupeſciſſa, Arnoldus de Villa-noua, Raymundus Lullius, Thomas Aquinas, Rogerius Baco, Turba Philoſophorum, Albertus Magnus; ex iis quos dixit ſuperioris æui, Iſaacus Hollandus, & Theophraſtus Paracelſus, *quem plures*, inquit, *oppugnant, quàm intelligunt.*

Importunum forte non erit, ſi heic illud adſcripſero, quod ediſſerit occaſione memorati ſuperiùs illius ſui Emblematis de duobus Philoſophis, quorum alter ſe *ſuſpiciendo deſpicere*, alter *deſpiciendo ſuſpicere* ait. Itaque poſtquàm ſpectate hæc dixit ad vtramque, hoc eſt ſuperiorem, inferiorémque Aſtronomiam; & præter conſideratione͂ Theologicam, ac Ethicam, innuere Phyſicam præſertim, in qua ſuperiora inferioribus per admirandam analogiam ita connexa ſint, vt neutrum ſine altero rectè percipi, penitúſque indagari queat; tum paucis interpoſitis, ſubdit, *Scire conuenit id eſſe ſeptem Planetas in Cælo, quod ſunt ſeptem Metalla in Terra quodque in homine ad vtriuſque ideam fabricato, qui ob id Microcoſmus ritè appellatur, ſeptem principalia Membra: atque hæc omnia tam pulcra, & concinna ſimilitudine inuicẽ colligata ſunt, vt paria ferè videantur habere officia, eaſdémque proprietates, & naturas. Sic duo principalia luminaria in Cælo Sol, & Luna, duobus præſtantioribus Metallis, Auro, & Argento; in homine verò duobus præcipuis vitalibus membris, Cordi, & Cerebro æquiparantur. Duo benefici Planetæ Iupiter, & Venus, inter Metalla terrena Stannum, & Cuprum, poſt priora ſecundæ dignitatis ſibi locum adſciſcunt; in corporibus verò noſtris Iecur officinam ſanguinis, & Renes generationis miniſtros. Duo verò Planetæ, quos maleficos appellant, Saturnus, & Mars, metallis abiectioribus, Plumbo videlicet, & Ferro correſpondent, atque in corporibus hominum duo minus neceſſaria, & vilia membra ſortiuntur, Splenem, & Fel, quæ ſunt receptacula atræ flauæque bilis exuberantis. Mercurius cæleſtis, vt eſt naturâ ſuâ indifferens, & Proteo mutabilior; ſic etiam Mercurium terreſtrem, ſiue Argentum viuũ ſibi analogum habet, quod etiam in varias tranſmutatur formas, & omnium reliquorum metallorum naturã æmulatur, mirabileiſque induit Metamorphoſeis: in corpore autem Microcoſmico huic inter ſeptem membra principalia rectè aſſimilatur Pulmo, cuius officium eſt ſpiritum trahere, Corque, & reliqua membra ſua anhelatione refocillare: inſeruit etiam loquelæ plurimum, velut & Mercurius ille cæleſtis huic præeſſe creditur. Multa ſunt præterea in his ſeptẽ admiranda ſimilitudine, quæ paucis explicari nequeunt ſibi inuicem colligata. Sic etiam reliqua Terræ Mineralia, Gẽmæ, Marchaſitæ, & Salia, cum diuerſis Planetis certa lege conſentiunt, & naturæ imprimis Affixarum Stellarum aſſociãtur, quæ Planetarum vireis in ſe, licèt obſcuriùs, continent; quemadmodum etiã herbæ, & vegetabilia è certo quodã ordine non ſolum Planetis, ſed etiam Fixis ſideribus in terreſtri Aſtronomia aſſignantur, eorundemque naturam, quantum in ſe eſt, æmulantur. Hæc, & plura eiuſcemodi penitùs intelligere nõ docet vulgaris Phyſica, neque Academiæ Peripateticorum ſophiſmatibus, & fucis dementata, incruſtatæque latentem in his realem, & ipſiſſimum veritatis nucleum introſpicere, vel didicerunt, vel docent. Pyronomica ſchola adeunda eſt, quæ, &c.*

Ex quibus intelligi ſanè licet non fuiſſe illi admodum curæ vulgarem Philoſophiã, philoſophandive apud Peripateticos rationem,

vtpote quam ſemper habuerit longè imperfectiſſimam, ac fouendis ſolùm contentionibus, clamoribúſque comparatam. Quo fit, vt minùs mirum videatur, ſi loco non magno habuerit, quos in eo lauream adeptos Artium Magiſtros appellitant, vt conſtare vel ex eo poteſt, quòd cùm aliquando Rothmannus ipſi commendaſſet Victorini Schonfeldij Profeſſoris Marpurgenſis filium, vt illum ſuos inter ſtudioſos aliquandiu reciperet, ſuiſque in artibus erudiret; ac illud quoque adjeciſſet: *Eſt, vt audio, promotus liberalium artiũ Magiſter*; id hiſce verbis exceperit. *Si Victorinus Schonfelde hùc filium ſuum miſerit, me inuiſendi causâ, per me illi id licet. Quamprimum illi, vel mihi ita videbitur, vt ad ſuos remeet, vtrique ſatis liberum erit. An promotus ſit in Magiſtrum liberalium Artium, nec ne, apud me perinde eſt: mallem tamen illum talem eſſe quàm appellari. Sed hoc non tam leui pretio proſtat; ſufficeret harum diſcipulum eſſe.* Probauit ergo potiùs Paracelſicam Philoſophiam, illiuſque principia facta ab ipſo vſque Paracelſo celebria. Vnde & non modò materiam ab illo aſſignatam retinuit, ſed efficientem quoque cauſam, quam etiam cum eo Archæum nominauit: vt dum de maiore, aut minore corporum compactione loquens: *Cùm*, inquit, *omnium metallorũ, atque gẽmarum vna, eademque ſit prima materia, non tamen omnia per Archæi naturalis, vti vocat Paracelſus, energiam, ad eãdem maturitate ſubtilitate, digeſtaque ſunt.* Quâ etiam de cauſa Paracelſi mentem ſibi perſpectam profitetur; vt dum Graminæum reprehendit circa illius ſententiam de Penatibus Superis. *quam*, inquit, *minùs rectè intelligendo deprauat, exiſtimans eum per Penates ſuperos Planetas intellexiſſe; cum alij illeic non dentur; quod à Paracelſi mente alieniſſimum eſt. De qua re alibi, & conuenientiore loco diſſerendi dabitur occaſio.* Sed hæc quidem de Studiis.

De Moribus vt paucis agam hoc imprimis eſſe videtur de eius Religione dicendum; cùm natus fuerit in Dania, ex quo id Regnum à Catholica Romanáque fide defecit, ſequutum eum quidem fuiſſe patrio more, quam Reformationem Lutheranam dicunt; at non videri tamen illam eâ complexum pertinaciâ, vt non & aſſenſum in profeſſione oppoſita damnanda cohibuerit, & in conſectatoribus mentem reformatiorem deſiderârit. Nam primùm, dum exempli gratiâ, Theodorum Graminæum reprehendit, quòd *ex friuola, & nullius momenti*, vt ait, occaſione Lutherum, aſſecláſque perſtringat. *Neque enim hæc dico*, inquit, *quod de controuerſiis Religionum iudicium interponere velim. Diiudicet hæc, qui verum à falſo diſcernere, atque corda omnium ſcrutari, cunctáque abſque præiudicio decidere ſolus nouit.* Deinde, vbi de præſagiis Nouæ ex Stella diſſerit, *Opinantur quidem*, inquit, *plerique Religionis ſtatum hiſce temporibus ad clariſſimam quandam, adeóque Meridianam, depulſis omnibus tenebris, perueniſſe lucem: Vnde igitur controuerſia, tantáque opinionum varietas, & concertationes doctorum virorum Religionem profitentium; adeò vt calamorum bella ipſis iam armis ſint crebriora, & nocentiora? Vnde tot clancularia, & aperta odia, inuidiæ, obtrectationes, calumniæ, vindictæ, cupiditates, ambitiones, auaritiæ, fraudes, philautiæ, intemperantia, & alia eiuſcemodi naturæ terreſtris, atque Academicæ coinquinamenta, Olympicam ſecundum Chriſtum renouationem quam minimum redolentia? Verendum ſanè eſt, ne aliquale diluculum matutinum adhuc multis nebulis, & obſcuritatibus contaminatum ipſiſſimam ſupremi Meridiei lucem reputemus.* Ac rurſus, vbi de quodam ſcripto, eiúſque interpretatione, cui ſubſcripſiſſet Landgrauius, *Facilè*, inquit, *animaduerto ex aduerſantium Theologiæ Profeſſorum noſtri æui editis ſcriptis, eos non candidè vbique, & conuenienter aduerſariorum ſententias citare, aut interpretari; ſed magnam, & pertinacem philautiam, ambitionem, odium, & vincendi vindictæque cupiditatem apud eorum quamplurimos irreligiosè præualere; ita vt ſub prætextu promotionis Euangelicæ ſeipſos, & ſua vt plurimum quærant. Sed hi in valore ſuo relinquantur, & cauſam ſuam ipſi apud iuſtum Iudicem, prout poterint dicant.*

Quod ſupereſt autem, vt Literis Sacris ſũmum ſemper honorem habuit, ipſarumque authoritatẽ ſeruari intemeratã voluit, quod teſtari poſſunt vel ea, quæ circa motũ Terræ à Copernico attributum, ab ipſo repudiatũ, aliquoties attigimus; ita ſumma veneratione diuinum Numen ſemper coluit, nihilque voluit, in eius laudem commendationémque relatum. *Dei*, inquit, *ſolius gloriam in omnibus ſpectandam ſemper cenſui; cùm veritas abſque ipſius patefactione, & dono introſpici nequeat: omne enim donum perfectum à Deo.* Et quod in quotidianis quidem colloquiis frequentius nihil in ore habuerit, quàm inexhauſtam Dei ſapientiam, quàm ſummi Cælorum, Siderumque Opificis opem, cæteráque id genus, intelligi res ſatis poteſt ex iis, quæ mox ante Keplerus, teſtis idoneus, retulit. Quod verò ſeu proſa, ſeu carmine ſcribens, paria frequens extulerit, legenti eius opera conſtant. Spectant huc nonnulla ex carminibus, quæ recitata ante ſunt, cum & poſſint adhuc ex Paræneſi illa addi,

Ecquis & Auctorẽ Mundi per condita vaſto,
Tot miranda Polo ſpectacla agnoſcere geſtit?

Ac iterum,

Tu modò mirifici ſapiens Fundator Olympi
Annue, & adfer opem tua facta ſtupenda notanti:

Sed nẽpe manifeſtò eſt, nihil æquè fuiſſe illi cordi, quàm vt cæleſtium corporum, totiuſque Mundanæ molis ſymmetriã agnoſceret, quò ex eius patefactione immenſam Dei ſapientiam facere commendatam poſſet. Huc facit inter cætera, quòd cùm retuliſſet, vt diameter globi Lunaris cõtineretur octies-decies in Solaris diametro, ſic diametrum orbis, ſiue Cæli Lunæ in orbis Solis diametro, qua maximus eſt, cõtineri etiã octies-decies, tũ hæc ſubdidit: *Pulcra ſanè, & cõcinna Symmetria, nec à quoquã, quod ſciam hactenus conſiderata. Et, ſi omnia ad exactam trutinam expendantur (quod commodiore loco facere decreuimus) fortè & hæc, & plura alia admirandam & ſummam Opificis ſapientiam, vel in ipſa proportione Mundanorum corpo-*

rum

rum teſtantia, plenius, & accuratius patefient.

Nihil neceſſe eſt heic ſubiiciam, ſeu de pietate in parentes, ſeu de caritate in Patriam, cùm res fete poſſit intelligi ex ſuperiùs dictis. Nam ad Parentes quidem quod ſpectat, videri poteſt non alia occaſione, eùm è Patria excedetet, texere voluiſſe enumerationem eotum, quæ io Aſtronoıoia, aut eatenus petegerat, aut peragenda deinceps reſtabant, quàm vt eo prætextu, io ipſa narrationis fronte illos recenſeret, & congruo quidem cum elogio, vt nomina eotum perpetuæ memoriæ cum ſuis laboribus conſectaret. Ac de Patte quidem loquens, *Parens enim*, inquit, *ipſe meus honoranda memoria Otto Brahe, filios ſuos, quos quinque habuit, quorum ego ſum primogenitus, &c.* De Matte verò, præmiſſa mentione dè vxote Patrui, quæ Aulæ Magiſtta fuerat; *ſuccedente illi*, pergit, *in eodem officio Matre mea cariſſima, & honorandiſſima, Beata Billea per octennium, quæ etiamnum ex Dei gratia ſuperſtes eſt, agens annum ætatis lxxi.* Tum & de ipſo Patrito, quem quaſi parentem, & habuit, & colnit: *Lipſia litteris humanioribus operam dabam, ſuſtentante me iſtic, vnà cum Pædagogo, Patruo meo cariſſimo Georgio B.ahe, qui ante annos circiter e-iginta fatis conceſſit.* Ac tutſus, de eius vxote, tanqnam ſui quoque, Parentis inſtar, amantiſſima, *ducta*, inquit, *in vxorem nobiliſſima, & prudentiſſima domina Ingera Oxonia, magni illius Petri Oxonij, poſtea Regni Daniæ Aulæ Magiſtri ſorore, quæ ante quinquennium diem obiit, quæque me etiam, dum vixit, inſtar filij ſingulari amore complexa eſt.* Meminit verò etiam gratè Avunculi ſui Stenonis, quem vitum dicit *liberalium omnium exercitationum cupidiſſimum*, & quicum degiſſe ſe ait, poſtquàm è Germania primùm tediit, grata videlicet illius conſuetndine delectatus, & quia, *cùm*, inqnit, *apprimè litteratus eſſet, ſtudiis excellentioribus plurimùm fauebat, & me, meoſque conatus ſingulari amore proſequebatur.* Ad Patriam verò quod attinet, dici non poteſt, quanto affectu decori illi eſſe ſtuduerit; quantamque ptoinde, & qnantùm petennaturam chatitatem illa ex eius laboribus, ſtudiiſque, & conſequuta hactenus, & pottò ſit conſequutura. Cettè & tametſi petperàm coactus ab illa excedere, valete quaſi ingratam iuſſit; non tamen tam in ipſam Patriam, quàm in Magnates aliquos abitus ſui culpam conìecit: ex quo illud eſt, inter cæterà;

Dania ſed, fateor, ſatis excuſabilis in ſe eſt:
Condolet, & propriis ingemit ipſa malis.

Cùm pergit porrò,

Tu quoque magnanimi Federici heroïca proles,
Inſcius hac culpa, Rex generoſe, vacas,

Intelligere duo quædam licet: Vnum eſt, quanta venetatione proſequutus Principem fuerit, cùm ab eo licet priuatus ſuis penſitationibus, ipſum tamen fieri excuſatum voluit, quod etiam ſuo loco vberiùs, ac illius verbis commeminimus. Altetum, quanta fuerit in Ftedericum Regis Parentem, ac munificum etga ſe, ergaque Aſtronomiam benefactotem gratitudine; quippe quem & nuſquam ſine elogio nominârit, & nihil æquè ſtuduerit, ac immortali nomine reddere illuſttem apud poſteros, quos etiam inuitauetit ad illius nomen gratè celebrandum. Hûc nempe inter alia ſpectat, quòd ea commemorans, quæ ille regio fauore largitus eſt, pergit; *Huius nunquam ſatis laudati Regis conſilij mentionem, & memoriam recolere ſoleo; cùm non tantummodò de me, ſed & de tota re Aſtronomica hac ratione ſit eximiè meritus. Quare vniuerſam Poſteritatem, ad quam, vti ſpero, huius rei vſus-fructus aliquando perueniet ſereniſſimi, & optimi illius Regis nomen grata mente celebrare decet.* Dicerem quoque de eximio affectu gratitudinis, quo eſt etiam Rudolphum Impetatotem optimum proſequutus, niſi res foret non multò ántè tam proſa, quàm carmine ipſiuſmet verbis expreſſa, ac niſi exſtaret, quod eſſe vt præcipuum, ita perpetuũ monumentum gratitudinis voluit, ipſa ab eius nomine Rudolphinarum Tabularum inſctiptio.

Qoid oon viciſſim dicete liceat de illius beneficentia, déque animo verè liberali, & magnifico, quatenúſ ad nullam rem minùs, quàm ad augendum peculium natus, tot illas ac tam amplas opes, ſeu auitas, ſeu regias, in vtilitatem alienam impendit? Primùm nempe extruendis illis non minus ſumptuoſis, quàm comparatis ad cœleſteis obſeruationes ædificiis, quæ non peruentura ad hæredes noſſet, ſed ſperaret ſolùm deſtinatum iri, ſe fatis functo, hominibus, quibus cœleſtia curæ forent. Secundò apparandis illis tot Inſtrumentis, & Machinis, tantæ molis, tantæ varietatis, tanti artificij, tanti ornatus, diuiſionis tã accuratæ, tractationis tam facilis, vſus tam præclari: idque, cùm ſperatet ea quoque non in hæredes alios, quàm in cultores ſcientiæ vnà cum ædificiis, Inſulaque tota eſſe transferenda. Tertiò, ſuſtentandis, ac ſimul inſtituendis, tot ſtudioſis Iuuenibus, qui cæleſtium amore capti, coadiutores ſe adhiberẽt, quorumque ſperatet fore aliquos, qui io eaſdem curas poſt ſe incumberent. Quartò conficiendis tot medicaminibus, quę omnino gratis, ſummaque cum humanitate indigentibus diſtribueret, ac mitteret etiam, quaſi opifex per orbem factus, ad abſenteis. Quintò excipiẽdis tot hoſpitibus, qui & vndique, & crebrò aduentabant, quibuſque ab initio partem ædificij, deſtinauerat commodam apprimèque inſtructam. Vt verbo dicã, quòd aliunde altius humanis exſerens caput, longè omninò ab ambiendis publicis muniis fuerit, commendari poteſt non minùs, quàm fœlices animæ illæ, quibus in domos ſuperas ſcandere curæ primis fuit, quòd, vt verbis eiuſdem Poëtæ dicatur,

Non leuis ambitio, perfuſaque gloria fuco,
Magnarúmve fames ſollicitauit opum.

Quod attinet verò ad illud,

Non Venus, & vinum ſublimia pectora fregit,
Officiumque fori, militiave labor,

verum eſt quidem illum à foro, ad quod Patruus, itemque à militia, ad quam Parens eum deſtinárat, abſtinuiſſe: at non à Venere, & vino perinde abſtinuit; tametſi non eò vſque

iis indulſit, vt ſublime pectus inde fregerit. Quinetiam licet noo ingenuam, ſed ex plebe vxorem duxit, feciſſe quidem amore poteſt; at poteſt etiam vt ancillam, potiuſquàm dominam haberet; ac eſſet, cui ſua non diſpliceŗent ſtudia, cuique graue non videretur, ant in aula noo commorari, aut conjugem etiam extra Patriam ſequi. Licet alinnde morbus extremus ex vberiore compotatione occaſionem habuerit; compotatio tamen pro more fuit gentis; & morbus aliunde is fuit, non quem inducere ſolet crapnla, ſed ad quam natura corpus comparat, quique niſi illa, poteſt multis aliis occaſionibus excitari.

Hiſce ne addam, tantùm abeſſe, vt liuore affectus aduerſus eos fuerit, quos currere eodem in ſtadio cognouit, vt quaſi calcaria potiùs adhibens, tum commendârit induſtriam, tum ad ſtrenuè, generoſéque pergendum fuerit adhortatus. Quo ex capite, ſi quid forſan fuit reprehenſione dignum, non modò conteſtatus eſt, ſe id veritatis ſolius gratiâ refutare, & ſalua quidem authòritate, ac æſtimatione, qua quiſque habebatur; verùm etiam per-rarum fuit, vt non elogium præmiſerit, ſi modò ij, quos redarguebat, non ſe ineptiſſimos præſtarent. Et vide, vt Mœſtlionm non modò commendârit, ſed commendatum etiam Principibus voluerit; cùm occaſione Libelli, excogitatæque ab eo circa Cometam hypotheſeos, hæc habet: *Certè ex hoc ipſo erudito, & Mathematico ſcientio eximiam cognitionem redolente libello, quem de Cometa hoc publicauit Mœſtlinus, imò vel ex hac ſola hypotheſeos conſtitntione, qua eius motum apparentem ſaluare conatur, ipſius ingenij profunditatem, & ſcientiæ Aſtronomicæ excellentem peritiam, tanquam ex vngue Leonem colligere licet. Nec dubito, ſi vir hic Inſtrumentis iuſtæ magnitudinis affabrè è ſolido metallo elaboratis non deſtitueretur, ſumptúſque alij neceſſarij ad tantum opus abſoluendum illi cum otio, & opportunitate tractandi ſuppeterent, quin in ſublimi illa & auguſta Aſtrorum ſcientia à ſuis mendis vindicanda, præ aliis, eximij quid fœlici ſucceſſu moliretur: præſertim, cum magno amore huius diuinæ ſcientio teneatur, & ad eam penitiùs capeſſendam ingenio, & diligentia non careat; ætatéque inſuper florente adhuc præditus ſit, quæ diuturnitatem obſeruationum, & laboris molem ſuſtinere valeat. Quo nomine Illuſtriſſimi Germaniæ Principes, & Viri opibus abundantes rem omni laude, perpetuáque memoriâ longè digniſſimam præſtarent ſi eius conatibus ſua liberalitate opportunè ſubuenirent. Non enim eſt hoc ſtudium mediocris fortuno hominum, vt ab iis debito modo exerceri, vel ſicubi defectus aliquis incidat, iuſtè redintegrari poſſit; ſed veluti inde ſemper ab initio apud Reges, & Principes ſapientiores in præcipua authoritate, & pretio ſemper habitum eſt, ſic etiam Regum, & Principum fauorem, auxiliatricéſque manus perpetuò requirit, præſertim vbi, &c.* Vide etiam commendationé, adhortationémque eximiam ad Landgrauium; *Tuam*, inquit, *Celſitudinem colophonis loco humiliter, & obnixè obteſtor, vt omnibus neruis hanc diuinam Aſtrorum ſcientiam à mendis, quibus ſtatet, vindicare, excultioremque reddere, quod etiam ſuapte ſponte hactenus egregiè factitauit, in poſterum magis, magiſque conari nõ intermittat. Hac enim ratione tua Celſitudo apud omnem Poſteritatem tam ſublimem & diuinam ſcietiam venerat uram, gratiſſimam, diutiſſimam, imoque ſui memoriam conſeruabit, quæ eò magis perpetua, præſtantiórque erit, quòd non è terrenis, & interitui obnoxiis rebus, quas vulgus ſuſpicit, comparata ſit. Nouit Celſitudo tua hoc ſtudium non eſſe tenuioris fortunæ hominum, neque ab illis, etiã ſi quam maximè cuperent, intelligeréntque, debito modo excoli poſſe. Cumque nullus ſit, præter tuam, Celſitudinem inter omneis Europæ Principes viros, quem Deus hoc heroïco ingenio ornârit, vt tam arduam ſcientiam penitiùs intelligat, eámque ab erroribus vindicare, & omnibus modis redintegrare norit; decet ſanè tuam Celſitudinem huius principalis, & Principis cognitione digniſſimæ ſcientiæ præ cæteris viris Principibus, præcipuam etiam curam gerere, eiúſque inſtaurationem & ad poſteritatem conſeruationem omni conatu moliri. Hoc etiam nomine tua Celſitudo ſuum Mathematicum Chriſtophorum Rothmannum ſibi præ aliis commendatum habeat, eò quod ipſum hiſce exercitiis admodum ſolertem, & fidelem nauare operam, ac exactæ veritatis percupidum eſſe indagatorem multis indiciis cognoſcam.*

Quod ſupereſt, aiunt eum fuiſſe ſoapte natura, & lætum, & nonnihil loquacem, ac ſubiracundum: adeò vt, cùm foret in jocos, & hilaritatem procliuis, ac proinde ſcommata, & ſaleis in alios ſæpiùs ſpargeret, ferre tamen ſatis patienter noo poſſet, ſi quando in ſe ab æqualibus ſpargerentur. Quo loco inſeri etiam poteſt fuiſſe illum ſuarum opinionum, niſi tenacem, at ſaltem, dum illas ratas haberet, ita amantem, vt ſatis impatienter ferret ſibi obſtinatè contradici, vt intelligi poteſt, vel ex vnis, alteriſque literis, quarum ſunt ſuperiùs relata argumenta. Memorant quoque eum extitiſſe erga potentiores moroſum; ac narraſſe mihi Cæſium memini, cùm Dux Brunſvvicenſis illum inuiſiſſet, & lautè exceptus, ſub menſæ iam finem, ſerò eſſe, ac abeundum dixiſſet, Tychonem tertium aſſidentem, quaſi lepido joco excepiſſe, non poſſe id ſua ſine venia fieri, ſurrexiſſe Ducem, quaſi indignabundum, & ne vale quidem Tychoni dicto, petiiſſe limen: at illum viciſſim facto indignatum menſæ obſtinatè hæſiſſe, donec quadam quaſi pœnitentia ductus, pergentem ad nauim inſequutus eſt, ac eo inuocato, poculum manu oſtentauit, quaſi vini hauſtu cõtractam culpam elueret. Cùm Dux autem ad eum conuerſus, vultum illicò auertiſſet, auertiſſe ſtatim & ipſum, neque deduxiſſe illum ad nauigium. An verò in partem indignationis venit, quòd Dux ipſo inuito abſportaret præclatam illam Mercurij ſtatuam, cuius ſuperiùs meminimus, cuiuſque obtinere deinceps ectypum nunquam potuit? Inaudij quoque inſigne odium, quo VValchandorpius Aulæ Magiſter Tychonem proſequutus fuit, ex eo habuiſſe originem, quòd pedis ictum cùm impegiſſet io canem illum venaticum, quem fuiſſe io deliciis Tychoni memorauimus, ipſe rem impatienter ferens, ſe miſere infenſum quà vultu, quà voce declarauerit.

Fuiſſe

Fuiſſe eum aliunde, quod obiter dixi, ad hilaritatem, & ludicra narum, vel id comprobat, quòd præter illam Mercurij ſtatuam, varia habebat automata, quibus illudens ruſticis, aliiſque dæmonas ſubeſſe ſuſpicantibus, mirè recreabatur. Quod etiam ob cæleſtium curam futura noſſe reputaretur, fouebat volens hanc opinionem, magnóque erat oblectamento, ſi qui adeſſent creduli, reddere illos quadam ſpecie Prophetiæ admirabundos. Dictum antè eſt ſingulis ſtudioſis ſua fuiſſe ſupra ſecundam contignationem cubicula; cùm ſingulis verò ad eos euocandos tintinnabula adhibuiſſet, pulſatoriáque ductibus cæcis partim ſuum in cubiculum, partim in cœnaculum, partim in Muſæum ita traduxiſſet, vt quà occultè terminabantur, vel leuiter tacta ſonum, atque adeò admonitionem in cubiculis facerent; ideò ſimulabat plerumque, aduenis ſecum verſantibus, indigere ſe aliquo, ac tum attracto clam pulſatorio, dicebat familiari, & qua colloquebatur voce, adeſto Petre, adeſto Chriſtiane; lætabatúrque ſtupere adſtanteis, qui crepitaculum non audierant, quî ſignificare tam depreſſa voce degenti tam procul aliquid potuiſſet.

Vti iuuabat porrò illum cæterorum credulitati hacce ratione imponere, ſic fama eſt illum non omninò credulitate, ſuperſtitionéque caruiſſe. Nam, vt id prætercam, quod alicubi ſcripſit *veram Cabbalam, atque Magiã, ſi ſine abuſu, & Dei, creaturarúmque offenſione tractẽtur, per imagines, figuras & notas, plurima aliàs abſtruſa reſerare, & patefacere*; ecce memorát, ſi domum egreſſo anus primulùm occurriſſet, domum regredi ſolitum, quòd id reputaret ominis infauſti. Omini quoque malo vertere conſueſſe, ſi occurriſſet lepus in itinere. Vraniburgi cùm degeret, fatuum fouebat nomine Lep, cui ad pedes aſſidenti, quoties menſæ accumberet, manu ſua porrigeret cibum. Is, vt aſſiduè ridicula, deliráque multa garriebat, ita aliquando quæpiam momentoſa: Tycho verò mentem emotam eſſe præſagiorum capacem perſuaſus, accuratè ea, quæ ab illo proferebantur, obſeruitabat. Longomontanus, ne id factum ab eo fruſtrà quis crederet, refert, ſi quiſpiam cœpiſſet ægrotare in Inſula, interrogatum de eo Lepem certò prædixiſſe, moriturus-ne, an conualiturus foret. Retulit, inquam, ex literis optimi VVormij tum ad me, tum ad eruditum Peyrerium, in quibus etiam legitur, Tychone aliquando peregrè abſente, diſcipulos, qui rediturum tam citò non opinabantur, cœpiſſe hilariùs genio indulgere, ac fatuum præſentem intereà exclamaſſe *Iuncher xaa landit*. hoc eſt, *Dominus aduenit.* Cùm amandatus autem vnus, qui rem exploraret, turrim conſcendiſſet, vidiſſe eum Tychonem iam ſcaphâ appuliſſe, ac re nnuciata, ſingulos ad ſua penſa prouocaſſe. Legitur &, cùm aliàs Tycho duos ex Studioſis Hafniam deſtinaſſet, negotia quæpiam curaturos, præſcriptóque die redituros, prandente illo die Tychone, exclamaſſe Lepem, inter cætera, *En, vt tui ſe in mari lauant.* Suſpicatum Tychonem illos naufragium paſſos, conſcendere quempiam iuſſiſſe Obſeruatorium, ſi qua fortè ſcapham, ſuóſque videret; retuliſſe autem illum, vidiſſe ſe in littore madidos aliquos, maléque affectos, & ſcapham non longè ſubuerſam. Atque hæc quidem omnia non eo fine recito, vt vel probem, vel improbem, aut hæc quidem vera, illa verò falſa pronunciem; ſed solùm, ne quid, quod in meam notitiam venerit, ſupprimatur, & lectoribus æquis anſa fiat expendendi, ac diiudicandi, cuiuſmodi Vir, vt doctrinâ, ita moribus fuerit.

Nunc, vt ea, quæ obitum eius fuere ſequuta, percurramus; teſtatus eſt Cæſar inſignem dolorem; ac ſepeliri Virum in Templo veteris Vrbis primario per-honorificè mandauit. Sepultus proinde illeic fuit habitu, ritúque Equeſtri, die inſequentis Nouembris IV. Qui orationem funebrem habuit, fuit Ieſſenius à Ieſſen, is, vt opinor, cuius fuerat, VVittebergæ cùm degeret, conſuetudine iucundiſſimâ vſus. Fuere in eius commendationem Epicedia multa conſcripta; ſed à Keplero potiſſimùm, ac Paulo Coldingo ex Cimbria, qui morienti quoque Tychoni adſtitit. Epitaphium verò hoc fuit.

Iamdudum ſurſum, nunc primùm ſpecto deorſum;
Deſpiciens Mundum, ſuſpiciénſque Deum.

Diſtichon autem Chronologicum, hoc eſt numerali literarum valore annum, expreſſis autem verbis menſem, diémque obitus oſtendens, cuiuſque mentio eſt iam facta, fuit huiuſmodi,

oCtobrIs VIſa Vt LVX VICesIMa qVarta,
aVLa sVblt CaLI te, generoſe tyCho.

Supereſt paucis attingamus, quantùm quidem noſſe nobis datum eſt, quæ fata manſerint Familiam, Libros, Obſeruationes, Inſtrumenta, & ſi quæ prætereà ad hæc attinent, quæ fuere à Tychone relicta. Ac primùm quidem, præter Vxorem, relicti fuere ſex Liberi (qui iidem ſe geſſere hæredes) ac Studioſi varij, quorum aliqui vigeſimum tunc in familia agebant annum. De Vxore porrò nihil amplius conſtat, quàm quòd Tychoni ſuperſtes fuerit. Ad Liberos hæredéſve quod ſpectat, ij dicauere proximo ſtatim anno, primum Progymnaſmatum Librum ipſi Imperatori Rudolpho, ac XXV. poſt annos Imperatori Ferdinando Rudolphinas Tabulas à Keplero elaboratas. Fuerint-ne tunc adhuc ſuperſtites omnes, incompertum eſt, inſerique hûc poteſt, quod VVillelmus Ioannis ad Longomontanum ſub initium anni M. DC. XVI. VVittebergâ ſcripſit his verbis; *Multos Pragæ de filiis, & filiabus Tychonis Brahei quærendo interrogabam: verùm neminem inueni peritum, & promptum, qui mihi de illis interroganti minimum indicium facere potuerit; ſed vnam filiam Tychonis Pragæ nuptam eſſe, & filium quemdam in Bohemia degere; ibidem paucos ante annos nobilem duxiſſe Virginem, ampláſque habere diuitias, M. Nicolao Hãmero accepi.* Videtur filia, cuius heic mentio, Magdalena fuiſſe, quæ Tengnagelio nupſerit, & proximo quidem ab ipſa morte Tychonis anno, cùm

ille excurriſſet in Friſiam. Is nempe Prsgæ eſt commoratus, tanquam & ſui merito, & in Tychonis memoriam inter Couſiliarios Cæſaris adſcitus, & Legationibus aliquot illius oomiue perfunctus. Conſiliarius appellstionom à Keplero indigitatur, quodque Cæſius mihi narrauit ſe fando accepiſſe Bruxellis, vnum ex liberis Tychonis fuiſſe olim à Rudolpho in iufer iotem Germaniam miſſum, id de Tengnagelio ſum interpretatus. Ipſi certè filij Tychonis non eà fuiſſe induſtriâ videntur, quàm Cæſar tanti quanti ipſius Tengnagelij fecetit; vt vel ex eo conſtar, quod cu ratores operi Tabularum perficiendo dans, non vnum ex illis, ſed ipſum Tengnsgelium nomiue hæredum directorem conſtituit. Fecit verò illum præſertim apud Cæſatem commendstum memoratus antè Ioannes Barvvitius Cæſari à Conſiliis, Secretiſque intimus (cui aliquantò pòſt dicauit opus Tychonis Cometicum) ſingulari illius eruditione delectatus; neque enim Aſtronomiam modò ſub Tychoue excoluerat, ſed erat etiam literis humanioribus perpolitus: vnde & Tycho VVandeſbutgi Mechanica ſcribens, Poëma ioſeruerat, quod *Nobilis*, inquit, *& doctus adoleſcens Franciſcus Gaſneb Tengnagel, qui aliquandiu mihi fuit domeſticus, meaque è Dania migrationis comes, quò huic ſubiungeretur, ex tempore concinnauit.* Hoc autem illi initium eſt,

Cedite vos, humiles artes, curaque ſupina,
Cedite; nā Muſis tantum ſupra extulit omneis
Vranie diuina caput, cæleſtia quantùm.
Exſuperāt terras, quantum lux alma tenebras
Vincit, &c.

Ad Studioſos quod ſpectar, perſtitete ij quidem aliquovſque in familia: verùm ea deioceps Rudolpho interuenere uegotia, ob quæ Aulicæ Cameræ Præſides, penſionúmque Magiſtri deſtinstos Tychoni nummos in alios vſus conuerterint, hæredéſque non-niſi ægtè aliud ex iis obtinuetint; ſicque oportoerit fsmiliam diſſolui, ſtudioſóſque ſpeciatim varie digredi. Et aliquovſque quidem illos conſtitiſſe, vel ex eo intelligi poteſt, quod loquens Keplerus de Stella magnitudinis tertiæ, quam in fine colli, & principio pectoris Cygni (atque adeò non longè ab antiqua in pectore) per ea tempora primùm adnotatam, vulgóque Nouam habitam, fama variè ſparſa poſt Tychonis obitum fuit, *Ne*, inquit, *vel nouitius obſeruator, vel Inſtrumentum ſuſpectum ſit* (de ſe nimirùm, déque Sextāte, quem ab Hofmanno, de quo iam antè, obtinuerat, loquitur) *en quid Sextante Braheano ſit obſeruatum à Studioſis à Braheo relictis. Noua à Vulture*, &c. Meminerat verò mox antè Ioannis Erikſen, Studioſorum vnius, qui initio anni comitatus Tengnagelium Caſſellas, & porrò in Orientalem Friſiam, redierat æſtate in Bohemiam, fuerátque ſibi in illa ſua Stellæ obſeruatione adiutor. De ipſo Keplero eidem accenſo familiæ alia fuit ratio; ſic enim de illo hæredes io Tabularum dedicatione; *Vnum verò, qui intra Penates noſtri Parentis Aſtronomicis operibus annum iam alterum impendebat, Ioannem Keplerum ingenio valentem, inter aulica ſua miniſteria recepit* (Rudolphus) *ſtipendia aſſignauit.* Verùm de Keplero ipſo ſtatim plura.

Sequitur nimirùm dicamus de Libris, quos edere Tycho deſtinauerat, quorumque editionam Keplerus promouit. Ac primùm quidem quod attinet ad Progymuaſmatum Librum primum, qui idem *de Noua Stella* eſt, ſcripſit Keplerus Appendicem, hæredum tamen nomine, in qua præſertim deducitur, cur opus tam maturè cœptum, tardè adeò prodierit: ac cætera inter, vbi dictum eſt de Theoria Lunæ, quam toties, ac nuper quidem operâ vſus Longomontani Tycho retractârat, hoc ſubiicitur: *Iamque in eo erat, vti redderētur iſta poſtremùm, & denique Liber tot iam annos detentus, in lucem prodiret; iámque & figura exſculpta erant; cùm ecce immatura, & luctuoſa morte preuentus, opus poſthumum reliquit. Nos tamen omnia, vti erant, bona fide typis mandauimus: illa nempe, quæ Caput primum precedunt, eodem ordine, vti in exemplari primario diſpoſita, & manuſcripta erant; Lunarium Paginas xxviij. Concluſionem denique, qualem in ſcriniis inuenimus.* Ac ſtatim, *Nec dubitamus, quin & hanc reuiſurus, omniáque ſeueriori lima politurus fuiſſet, ſi vitam huc vſque traxiſſet: nobis, eo mortuo, religio fuit quicquam vel minimum mutare.* Quod attinet ad Præfationem, Operiſve uuncupationem factam Rudolpho Cæſsri, Keplerus quidem nonnolla intexuit; ſed illam tamen maiori ex parte pertexuit Tengnagelius nomine ipſorum hæredum, qui cauſam earumdem moratum dicentes, hæc cætera inter præfari inducuntur; *Cùm Parens noſter ab initio duntaxat de admiranda illa anni ſeptuageſimi ſecundi Noua Stella in hoc Libro agere, atque in aliorum de eadem placita diſquirere decreuiſſet, eáque Vraniburgi typis propriis, ſenſim, & ad Domini arbitrium progredientibus operis mandaret, factum, vt intereà non in Solis tantum curriculo ad amuſſim reſtituendo, ſed & Fixarum Stellarum locis intra vnicum minutum, adeóque eius ſemiſſem, tam quoad longum, quam latum, præfiniendis; Lunæ denique intricatiſſimo motu eruendo, ea ſucceſſiuè præſtiterit, atque huic volumini adiecerit, vt verè affirmare poſſimus materiæ dignitate Librum hunc non Aſtronomiæ Progymnaſmatum, ſed longè auguſtiorem Titulum meruiſſe.* Quia verò dicatio hæc facta eſt Pragæ, pridie Kalendarum Auguſti, anno M. DC. II. Librum editum ab hocce vſque tempore conſtat.

Liber autem *de Cometa*, ſeu de Mundi Ætherei recentioribus Phænomenis, Progymnaſmatúmve ſecundus, non ante quintum Nonas Februarij anni inſequentis M. DC. III. fuit in lucem editus: dicatione, vti eſt iam dictum, per Tengnagelium Barvvitio facta, idque cùm Tycho appulſus Pragam, ac paullò ante obitum contexuiſſet Prooemium, & pagellas duas poſtremas, vt Typographica errata ſubnotarentur, recudiſſet. Adiecit verò Tengnagelius præfatiuncnlam ad Lectorem, in qua cauſam reddidit, cur Libri editio dilata fuiſſet tantopere. Cogitarat ſcilicet Tycho ſecundo huic Libro ſubiicere

tertium,

tertium, de Cometis cæteris, poſt primum, ac præcipuum viſis; cuius tameu conſcriptio fuit aliis curis interpedita;adeò vt nunquam ſatis vacârit in hypotheſim, numeróſque obſeruationes diducere. Et cogitârat quidem etiam emittere huue ſolitarium, ſi maturè ſatis habuiſſet couſcriptam à Lougomontano aduerſus Kraigium Apologiam, qua facere adauctius volumen conſtituetat: verumtamen neque eam potuit ante obitum perfectam nanciſci: ueque aliunde Longomontano demandare curam perficiendi operis huius Cometici; id nempe ſibi denique in animum induxerat, tanquam ſentiens ſe imparem tot laboribus ſuſtinendis. Innuimus ſuperiùs fuiſſe illi in mente treis hoſce Libros, videlicet vnum de Noua Stella, & duos de Cometis, pro vno Opere habere, quod inſcriberetur, *De Recentioribus Ætherei Mundi Phænomenis*, & Progymnaſmata contineret ad Magnum Opus, quod de coævis Mundo Sideribus agens præ ſe ferret titulum *Theatri Aſtronomici*, ſeu de Inſtauratione, *Redintegrationéve Aſtronomiæ*: atque ita quidem, vt poſteriori de Cometis Libro attexeretur quidam generalis Epilogus, in quo fusè declararetur Materia, Cauſáque generationis huiuſmodi recentiorum Phænomenon: verùm fatis aliter viſum.

Circa *Epiſtolas*, teſtatur Keplerus cœpiſſe Librum ſecundum excudi, Tychone adhuc ſuperſtite: at ex ipſo nihil prodiit, ſolúſque exſtat Liber primus, cuius cùm Tycho plura exempla quàm cæterorum Librorum ſparſiſſet, fuere reſidua poſtmodum vnà cum aliorum Librorum exemplis ſuperſtitibus diuendita Godefrido Tampachio, Francofurtenſi Bibliopolæ, qui & Libri de Stella Noua, Librique item Epiſtolarum quaternionem primum recudit, & Libri de Cometa etiam duos, ac appoſuit inſuper annum M. DC. X.

Quod ad Librum verò *Mechanicorum* ſpectat, dictum iam antè, vt ipſe Tycho excudi primum illum curârit, Vandeſburgum cùm appulit. Cùm verò antè obitum maximam exemplorum partem in Magnates, amicos, eruditos viros diſtribuiſſet (ita ſcilicet apparatus Organorũ magnificus, & vix vnquam ab vllo imitabilis inclareſcere poterat) eapropter dum obiit, ſuperfuere non multa. Illa autẽ coëmit, ac vnà typos æreos, buxeóſque tam Organorum, quàm ædificiorum Leuinus Hulſius Norimbergenſis Bibliopola, qui, quoniam exempla fuere mox diſtracta, maximéque per Nundinas mortem proximè inſequutas; ideò Librum ſtatim recudit, præmiſſa in fronte Tychonis effigie ex cælato ectypo, de qua ſuperiùs dictum eſt, idque ipſomet à morte Tychonis proximo anno M. DC. II.

Superſunt *Tabulæ Rudolphinæ*, ex quibus iamdudum affectis, licet pars videri perfecta iam poſſet, præſcripſerat Tycho nihilominùs reuocanda omnia ad incudem fore, vt exquiſitiora quæque obſeruata repræſentari numeris in Tabulas diductis poſſent Itaque, cùm ipſi ad illas condendas fuiſſet Keplerus à Cæſare calculi miniſter adiunctus, ac opus iam cœptum illius morte intercidiſſet; *Id mihi muneris*, inquit Keplerus, *à ſua Maieſtate fuit impoſitum, vt Tabulas Rudolphi deſertas morte Brahei Authoris ſui, ex ipſius obſeruationibus, ſub inſpectione, & directione heredum, ſi qui eſſent idonei, & vacui, perficerem.* Ac alacriter quidem ille ſe accinxit; verùm illæ breui, ac aliæ deinceps, partim ex operis natura, partim ex tergiuerſatione Præfectorum ærarij, ſubortæ fuere difficultates, vt priuſquàm Tabulæ perfectæ, euulgatæque fuerint, annus ſæculi xxvij. aduentârit. Conqueſtus eſt certè ab annis XI. ac XII. confi gi ſe limis Præfectorum oculis; & cùm anno IX. ſpecimen laboris inſigne, Commentaria de motibus Stellæ Martis edidiſſet, ac Rudolphus præter editionis impenſas, perſolui illi confeſtim mandaſſet, tum ſtipendiorum reſidua, *quæ*, inquit, *ad duo millia monetæ argenteæ maioris excreuerant*, tum alia inſuper duo millia; expoſtulabat tamen adhuc bieunio pòſt, decreta Rudolphi in ſe munificentiſſima nullum euentum conſequi, ac ſe incaſſum facere ſumptus, pulſaréque iam Cameræ Sileſiacæ, iam Imperialis ærarij fores. Sic, licet anno inſequente Matthias Rudolphi ſucceſſor, & continuari ſtipendia, & exſolui reſidua iuſſiſſet; querebatur tamen anno xvj. exſpectare ſe adhuc mandatorum exoptatiſſimum effectum, vel eo nomine, vt poſſet ſibi habere adiutores treis, *vnum*, inquit, *ad calculandas obſeruationes Braheanas: alterum ad computandas reliquas Ephemeridas* (Tabulas nempe iam adumbrarat, ex iíſque Ephemerida in annum conſequentem deduxerat) *tertiam ad deſcriptiones neceſſarias, ad correctionem typorum*, &c. Neque enim ſibi ſatis eſſe, quòd Cæſar etiam ante Imperium decreuiſſet idoneam, fixámque ſedem Lincij; ac adieciſſet exhibenda à Proceribus Auſtriæ ſupra-Aniſanæ ſtipendia, quibus, donec res pacatiores euaderent, ſuſtentaretur; vti & fuit illis reipsâ per annos ſexdecim ſuſtentatus. Perſeuerârunt adhuc querelæ poſt exactum xix. quo Ferdinandus Matthiæ ſucceſſit, etiámque poſt xxi. quo edidit partem doctrinæ Copernicanæ Theoricam, iuxta quam deductio Tabularum foret; quouſque optimus Imperator, rebus licet nondum penitus compoſitis, etiam vetera, quæ Anteceſſores debebant, ſtipendia perſoluit, ac vt neceſſarij ad maturationem, editionémque Operis ſumptus ſuppeditarentur, mandauit.

Fecere intereà huiuſmodi moræ, vt opus non præcipitatum tantò elaboratiùs, abſolutiúſque prodierit. Nam de doctrina quædam Theorica ipſis Tabulis præmittenda, quòd lucem, niſi quadriennio poſt ſphæricam non viderit, elegantem hanc excuſationem texuit Keplerus; *Noſti mores mulierum*, inquit Comicus, *dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt*, *Atqui, ſi cui noti ſunt mores Aſtronomiæ, dicere is poterit nullam ſe vnquam nouiſſe, neque cunctantiorem, neque ſcrupuloſiorem fœminam. Quòd niſi hoc temporis fuiſſet interpoſitum, quo conſilia mea maturitatem*

ſuam conſequuta eſſent, in periculo res verſabatur, ne delicatula illa faſtidito omni Mundo, nouos ſumptus, nouum ornatum efflagitaret. Multa me monuit computatio Ephemeridum; multa editio librorum Harmonicorum, intermedij temporis opera, vt quamuis pleraque, quæ ad ſex Planetas pertinent, iam ante annos duodecim in Commentariis Martis, vel conſtituta, vel ſaltem affecta eſſent; quamuis inde tranſſumpta, inque formam Inſtitutionis compoſita, iam à ſeptem annis hærerent in ſcriniis meis, operas exſpectantia curatoris, & Chalcographi: quotieſcumque tamen illa relegebam, vel augmentationibus, vel dilucidationibus, vel tranſpoſitionibus textus neceſſitas imponeretur noua deſcriptionis. Ita factum, vt de primo exemplari, ne veſtigium quidem ſupereſſet in eo, quod exhibitum eſt Chalcographo. Quod ad ipſas verò ſpectat Tabulas, loquens de decennio, ex quo adumbratas ad computãdum Ephemeridas dictum eſt: *Mihi quoque*, inquit, *ex illo tempore continenter ad finem Tabularum aſpiranti, ſubinde alius ex alio naeuus detectus eſt, eluendúſque, aut exſcindendus fuit, & cicatrix obducenda. Viciſſim aliud ex alio calculi ſolemnis compendium; aliud ex alio pulcrum inuentum incidit; quod niſi opere toto ad incudem reuocato, & transformato, conſociari cum eo, committíve, aut excoli non potuit.*

Commendandus intereà ſummopere Vir, quòd licet Hypotheſibus, calculiſqoe tamdiu, tam variè, toties verſatis; profeſſus tamen ingenuè fuerit, latere adhuc aliquid in cæleſtibus motibus, quòd ſolertiam humanam fugiat, neque exhiberi penitùs ad vnguem vllis Tabulis valeat. Scilicet alio fuit candore, quàm plerique alij Tabularum artifices, qui cùm eas condant, quæ ſelectis aliquot paucis obſeruationibus reſpondeant; iactant ſe taleis condere, quæ perpetuæ ſint, temporúmque omnium obſeruatis planè cõſentiant: tametſi ipsâ experientiâ, explorationéque in variis obſeruationibus refellantur. En verò proinde, quæ illius verba, *Etenim*, inquit, *imperfectiones aliquas deprehenſas in ipſo motuum cœleſtium ſubiecto, nec arte vlla humana præſtabiles, præſertim ante ſæculorum venturorum experientiam ſufficientem, & continent iſtæ Tabulæ, & fatentur publicè.* Ac rursùs: *Et de certitudine quidem calculi teſtabuntur obſeruationes præſentium temporum, imprimis Braheana: de futuris verò temporibus plura præſumere non poſſumus, quàm vel obſeruationes veterum, quibus vſus ſum, vel ipſa motuum Mediorum conditio nondum penitus explorata; concurſúſque cauſarum Phyſicarum præſtare poſſunt: cùm obſeruationes Regiomontani, & VValteri teſtentur, omninò de æquationibus ſæcularibus nobis eſſe cogitandum, vt ſingulari libro reddam demonſtratum ſuo tempore; quæ tamen æquationes quales, & quantæ ſint, ante plurimorum ſæculorum decurſum obſeruationéſque eorum, qui futuri ſunt, à gente humana definiri nequaquam poſſunt.*

Prætereo autem præclarum Virum, cùm Tabulas Vlmæ edidiſſet anno, vt in earum fronte præfertur xxvij. vel, vt ipſe alicubi memorat, xxviij. ac illas anno inſequente Cæſari Pragæ obtuliſſet; deinceps autem annno xxx. poſt editas Sagani Sileſiorum (vbi Dux Meckelburgi VValſtenius ſedem illi tribuerat) Ephemeridas ad Comitia Ratiſbonenſia, vt ſtipendiorum reſidua poſtularet, ſe contuliſſet, incidiſſe in ardentem febrim, ex eáque obiiſſe initio Nouembris; vt certè ad Deodatum ſcripſit Beneggerus: cùm & eximius Eichſtadius ad me ſcripſerit fuiſſe eum catharro exſtinctum (quem apoſtemata quædam cerebri ob nimiam equitationem præceſſerant) & Schickardus, optimus ille, tempus quoque obitus huiuſce in ſua ad me, *de Mercurio in Sole viſo* Reſponſione ſignificârit. Cùm Mercurius enim fuiſſet nobis anno inſequente, & menſe quoque Nouembri obſeruatus Pariſiis excedere à limbo Solis occiduo, cum Borea latitudine min. $6\frac{8}{1}$. die vij. ac matutina hora 10. min. 18. & attentum feciſſet me, quæ publicè facta ante annum fuerat à Keplero Admonitio, ideò id excipiens Schickardus: *Vtinam*, inquit, *is nunc viuus ſiſteretur nobis, qui hoc Phænomenon diu antè proclamauit, nóſque vniuerſos ad intuendum exſtimulauit publicè; ipſe autem, vt inter Diuos ſpectaret comminùs, anno ferè priùs ex mortali corpore illûc euolauit.* Præterea quoque prolixam eſſe Librorum ab illo editorum ſeriem; prolixam & eorum, qui edendi adhuc penes Ludouicum Keplerum eximium eius filium, Regiomonti Pruſſiæ Medicum ſuperſunt, exſtare autem Poſthumum opus inſcriptum *Somnium, Lunarémve Aſtronomiam* (qualis putà foret degenti in Luna) cuius editionem Sagani aggreſſus Keplerus interiit, proſequutus illius gener Iacobus Bartſchius etiam obiit, exſecutus autem fœliciùs Ludouicus filius Francofurti abſoluit.

Poſſe ad Tychonem pertinere putes, quã Longomontanus ſcripſit, inſcripſitque *Aſtronomiam Danicam*; quatenus quæ eâ continentur cæleſtium motuum Tabulæ, partim cœptæ, adumbratæque apud ipſum Tychonem fuerunt; partim limatæ, abſolutæque ex ſynopſi quadam ſelectiorum obſeruationum Tychonicarum, quas ille & exſcripſerat, & ſuos in vſus aſſeruârat. Nempe id poterat, cùm Tychoni toto penè decennio calculi miniſter præcipuus adeſſet, & adiutor etiam excogitandis variis motuum hypotheſibus foret. Dicatus eſt autem Liber Chriſtiano Regi anno ſæculi xx. editúſque Amſterodami à memorato Gulielmo Cæſio, ipſi Longomontano olim in Huenna coniunctiſſimo, anno xxij. Fuerat porrò Longomontanus procurãte Chriſtiano Friſio Borrebyo, Regio Cancellario adſcitus, & Mathematica profeſſione ab annis vſque ſeptẽ donatus. Hoc autem præſertim fuit tempus, quo, vt Sphæricorum, ita Theoricorum Libros adornauit, apparatis pauculis quidem, ſed congruis tamen organis, quibus neceſſaria ad opus perficiendum obſeruaret. Non memoro verò, vt deinceps in ea profeſſione continuò, & ſemper quidem de Aſtronomia bene merendo perſtiterit; quo-

vſque

uſque annis plenus,migrauit è vita,anno ſæculi xlvij. die Octobtis menſis viij.ſuccedente illi Geotgio Frummio (penes quem depoſita manſit,cætera inter,Apologia,quam diximus fuiſſe aduerſus Craigium à Loogomontano conſcriptam) & fuoctum nuper fatis Frommium excipiente Guillelmo Langio , qol magni illius Anteceſſoris munus egregiè ſuſtineret.

De Obſeruationibus vt dicamus , en primum , vt ipſemet Tycho è Dania diſcedens eas diſtinxerit in ea vitæ quaſi ſynopſi , de qua dictum ſuperiùs, *Nam eas,* inquit, *quas Lipſia in pueritia , & vſque ad annum ætatis xxj. peregi , pueríleis , & dubias appellare ſoleo. Quas verò poſteà vſque in xxviij annum adeptus ſum, Iuuenileis , & mediocriter ſe habenteis voce. Tertias autem , quas poſtmodum Vraniburgi exactiſſimis illis Inſtrumentis in maturiore ætate per xxj. fermè annos vſque in ætatis completum quinquageſimum , maxima ſedulitate demenſus ſum , Virileis , ratas , & certiſſimas appello, & cenſeo.* Deiode, cùm loquens de Pyerilibus , dicat ſe illas pecoliari libro denotatas conſignaſſe , ac circa Iuuenileis egiſſe haud ſecus debeat , rum agens de Virilibus , Vraniburgicíſve , ſic habet, *Peracta*, inquit , *ſunt hac ratione ibi xxj. annorum ſedula obſernationes , quas primùm in magnis Voluminibus conſcriptas , poſteà ſeorſim in ſingulos Libros , pro quolibet nimirùm anno diſtribui, & ad mundum deſcribi curaui; idque tali ordinatione peregi , vt Stella Fixa ſeorſim , quotquot illo anno denotata fuere, ſuum haberent locum;Planeta verò omnes proprium peculiariter , & diſtinctè, incipiendo à Sole , & Luna , ac per reliquos quinque Planetas , tranſeundo vſque in Mercurium.* Adhæc Keplerus Procemium texens in ſua ad Vitellionem Paralippomena , ſermonem inſtituir de Obſeruationibus *cuiuſmodi,*inquit, *exquiſitiſſimorum Obſeruationum annos propemodum xl. preteritos complectentium Libros xxiv. Lector ſciat à Tychone relictos eſſe, quos opportuno tempore in lucem prodituros ſpero.* Quo loco tres illi ſupra xxj. Libri, complexi videntur non Obſeruationes modò ab vſque exceſſu è Dania peractas , ſed fortaſſis quoque , tum Puerileis , tum Iuuenileis.

Taleis igitur , ,ſeu compactas in hunc Codicum numerum Obſeruationes cùm reliquerit Tycho , *Keplerus illas ad manus ſuas bona fide* (aiunt hæredes)*recepit :* & quamuis ipſas , dum in Auſtriam , Imperatore Matthia , tranſiit , reliquiſſe in Bohemia videatur ; poſt-modum tamen Claromontio reſpondens : *Libri ipſi* , inquit , *Obſeruationum plerique in ſaluo , inque mea cuſtodia ſunt.* Et ſtatim ; *Atque ego , qui hactenus, inde ab exceſſu Tychonis per annos xxiy. eorum teſtis , & cuſtos fui penè vnicus , iamdudum in id enitor , vt Cæſare ſumptus faciente, libri Obſeruationum , Theſaurus nimirum antiquitatis in arte noſtra pretioſiſſimus, ſub mea, aliorumque fide dignorum inſpectione , & correctione multiplici, bono aliquo numero exemplarium excudantur , eáque ratione tutiùs , & minori interitus periculo,nec minori fide,quàm ſunt autographa ipſa , ad poſteritatem tranſmittantur,* Spectar hûc illud aduerſus eundem , *Nec tu poſtero aliquid ampliùs potes de demonſtratione Cometa anni lxxxv. quam obſeruationes , qua in ſaluo ſunt : videbit eas cum bono Cæſare.* Scilicet antè dixerat : *Heic queritur Scipio non eſſe expreſſas à Tychone obſeruationes ipſas : atqui reperiet eas in Tomo Obſeruationum , ſi quando prodierint.* Quo eodem modo etiam priùs , *Loquantur ſua fide Obſeruationum Libri , ſi quando prodierint ; ſi modò iſta priorum annorum ante* M.D.LXXXII. *adhuc ſuperſunt.* Quibus poſtremis verbis innuere videtur , quod mox antè dixit , Obſeruationum Libros , niſi fortè omneis , *at pleroſque in ſaluo eſſe.* Denique autem , *Et Tomum quidem tertium Progymnaſmatum de Cometis reliquis non perfecit,at Obſeruationes Cometæ anni* M. D. XC. *exſtant, poſſémque eas heic inſerere:ſed præſtat Claromontium exſpectare editionem obſeruationum omnium.*

Functo portò fatis Keplero , ecquid fati euenit iſtis obſeruarionum Codicibus ? En quid de illis mihi innotuerit. Æſtas erat anni M. DC. XLVII. cùm accedens Pariſios à Duce Neoburgi ad Danubium,qui à Confeſſionibus illi eſt,religioſus,ac reuerendus è Societate IESV, Vir(cuius mihi nomen è memoria, vtpotè quem ſemel optimus P Cauſſinus ipſum deducens nominarit. meo dolore excidit) ſaluere me iuſſit a Reuerendo Alberto Curtio Neoburgenſis Collegij Societaris eiuſdẽ Rectore, &, quantum opinor, optimi illius Procãcellarij Cæſarei,qui tanto amore Tychonem proſequutus eſt , conſanguineo. Quæſiui ex eo,ecquid-nam præclari eximios Curtius iam moliretur. Ipſe verò, In eo eſt, inquir,vt Tychonis Obſeruationes edi procuret,quas ipſi io hunc finem Imperator cõcredidit ; vnde & nuper Tubinga aduenit, quò requiſitum ierat , quas ſubdere poſſet Mœſtlini,Schickardíque obſeruationes.Rogatus , quouſque progreſſa res foret , In eo hæret, inquit, vt pacta ineantur cùm Typographo. Nam Gulielmus quidẽ Cæſius Amſterodamenſis ad opus edendum cõparatus eſt,verùm numerare pecuniam recuſat,Curtio alioquin neceſſariam , tum exemplo obſeruationum, quod ad eum mittat,exſcribẽdo;rum eçiandis in ære lx.plus minus figuris Operi illuſtrando conducentibus ; ac offert ſolum Operis, vbi editum fuerit,tot exẽpla, quæ ſarciendæ huic impenſæ ſufficere valeant Quo factũ,vt ipſe Lugduno iter faciẽs alio cum Librario egerim quicũ mihi tamen cõuenire non licuit;in eoque ſim, vt hac-ne in vrbe quiſpiam ſe Operi edendo accingere velit,diſquiram Interpellatus denique,quot; & qua mole Codices forent eximio viro præ manibus,Ij ſunt numero octodecim, inquit, & in folio quidem,ac trium plus minùs digitorum craſſitudinis , eaque aliunde ratione conſcripti , vt commiſſi typis , duo in folio conficere inſignia volumina poſſint. Ac tantum eſt quidem , quod tum didici.

Succedeore Martio inſequentis anni,Merſennus

ſennus noſter, ὁ μακαρίτης, ſchediolo miſſo conſuluit me, ecquid reſponderer Samuëli Hartlibio, abs quo, vir præclarus, noſtrúmque communis Ioannes Heuelius Dantiſcanus requiſierat, vti & poſtmodū requiſiit ex me, quî veriſſimilis eſſet fama, qua perhibebatur Religioſum quendam è Ieſu Societate eſſe, qui dono ab Imperatore ipſa Obſeruationum Tychonis autographa dono accepiſſet? Certiorem enim certo ſe eſſe, exſtare ipſa autographa penes Ludouicum Keplerum Doctorem Medicum Regiomonti commorantem; relicta nimirùm à Parente Ioanne, qui ea Cæſari reſtituerit nunquam. Vidiſſe ſe illa ſuis oculis, vnà cum inſigni Mathematico Alberto Linnemanno, apud ipſummet Ludouicum, & diſtincta quidem, compactáque in Tomos, Codicéſve octo in folio, continentiáque obſeruationes ab anno M. D. LXIV. in M. DC. I. Adhiberi in teſtem poſſe virum celebrem Laurentium Eicſtadium, quicum illa etiam viderit, peruolutaritque: ac rem notam eſſe, voluiſſe Ludouicum ipſa oppignerare Dantiſcano Senatui, vnà cum pleriſque Parentis Manuſcriptis operibus; tametſi, certas quaſdam ob cauſas, res accepta non fuerit. Et tentatum quidem variis artibus, ſi qua illa poſſent ab eo extorqueri: verùm nolle ipſum, niſi in fidas manus ea dimittere, eáque conditione, vt typis edantur. Ipſe porrò, tum ad Merſennum, tum ad Hevelium quoque reſcripſi, quid perſpectum mihi ea de re foret; ac demiratus ſum interim, quî fieret, vt Tycho compactas obſeruationes ſuas dixiſſet in Codices XXJ. & Keplerus, tribus deinceps additis, in XXIV. ac iam dicerent ſe eaſdem habere compactas Reuerendus quidem vir in XVIIJ. Kepleri autem filius, hæréſque in VIIJ.

An fortè res ita conciliari poſſit, vt intelligamus eos Codices, qui Reuerendo Curtio præ manibus ſunt, ex iis eſſe, quos Tycho ſe ad mundum deſcribi in ſingulos annos curaſſe narrauit: Illos autem, qui aſſeruantur penes Kepleri filium, ipſa eſſe, aut ex iis certè, quæ idem Tycho dixit Volumina magna conſcripta; videlicet quaſi diaria, & prout quidque fuerat, quouis tempore obſeruatum? Certè niſi vtrique, ſed alteri ſolùm remanſere apud Cæſarem, par eſt eos fuiſſe comptiores illos, qui fuere ad mundum deſcripti; ac reſtitiſſe cæteros neglectiores penes Keplerum, qui aliunde ipſos minoris, ob primam manum, non duxerit. Ecce verò mihi non conjecturam modò, ſed argumentum etiam, vt videtur, perſpicuum, ex ipſiſmet Kepleri verbis, cùm de illa Noua repurata Stella in Cycni Aſteriſmo ſcribens, *Verſatur*, inquit, *ſub meis manibus Protocollum Obſeruationum Tychonis (ſic appellauit chaos Obſeruationum, vti illa ſingulis noctibus conſcripta fuere ſine ordine.) In eo ex profeſſo quadam nocte*, &c. Ac poſteà; *Age vero fidem aliquot ſuperioribus argumentis faciamus ex ipſis Obſeruationum libris, recenſitis aliquot exemplis, quæ mihi Protocollum peruolitanti obiter occurrerunt. Vbi Obſeruationes olim prodierint in lucem, multò plura videre erit.* Quòd ſi Codices aliqui Curtio deſunt, illi ſubtrahi facilè ex Imperatoris Muſæo potuerunt; iique fortè fuerunt, in quibus deſcriptæ illæ obſeruationes ante annum M. D. LXXXII. de quibus vidimus Keplerum, ſupereſſent, necne, dubitare; cùm & probabile ſit eaſdem in iis, quæ habebat, Protocollis non exſtitiſſe.

Vtcumque verò ſe hæc res habeat, exoptandum ſaltem ſummoperè eſt, vt iſtæ, illæve Obſeruationes breui edantur: ne fortè lapſu temporis, ij caſus, vt ſe hominum res ferè habent, incidant, quibus eas perire jactura irreparabili contingat. Non eſt certè, quòd quiſpiam putet, poſt ſuper-exſtructas illis Rudolphinas Tabulas, nullum ampliùs fore earum vſum: ſiquidem licet concedatur eſſe has Tabulas exactiſſimas omnium, quæ fuere hactenus conditæ; primùm tamen ipſarum Author non iis ita fidit, vt non ingenuè quidpiam deeſſe earum perfectioni fateatur. Ex hoc enim factum, v. c. eſt, vt illa non multò antè memorata Admonitione de Mercurij in Solem incurſu, attendendum eſſe voluerit, non tantùm die vij. Nouembris, qua viſum iri in diſco Solis Mercurium Tabulæ ſpondebant; ſed diebus etiam tribus tam ante, quàm poſt circumſtantibus; vtque, tametſi hæ Tabulæ non tantùm à vero abfuerint, quantùm Danicæ, ſeu Longomontani, quæ abfuere gradibus ſeptem, aut Prutenicæ, Copernicíve, quę 5. aut Ptolemaïcæ, quæ 4. ac min. 25. aut Landſbergianæ, quæ 1. ac min 8. adhuc nihilominus minutis 29. aberrârint, effectúmque ex eo fuerit, vt cùm nos, quod iam diximus, exeuntem è Sole Mercurium hora decima, ac penè ſemiſſe conſpexerimus, id contigerit quinque penè horis, priuſquam præſcriptum ex Tabulis fuiſſet. Non contigit autem profectò ex Obſeruationum Tychonis defectu; ſed ex eo, quòd hypotheſis, licet perfectior longè à Keplero, quam à Longomontano exſtructa, imperfecta tamen adhuc ideò fuerit, quod cùm ad conſtruendum germanam neceſſariæ ſint obſeruationes antiquiorum temporum, quæ cùm recentioribus conferantur, vt varietates reſtitutionum, quæ non niſi lapſu temporis produntur, cogi valeant in ordinem; ille ex antiquioribus, neque ſatis multas, neque ſatis exquiſitas habuerit. Vnde & intelligitur Tychonicas Obſeruationes fore olim ſummè pretioſas apud poſteros, quibus cæleſtia curæ erunt; quatenus vbi ipſi quoque exquiſitas peregerint, habebunt quibuſcum conferre illas tutò valeant; eritque, cur cæleſtis motus exquiſitiùs, quàm nos definiant; vti & eſt nuper definire adnixus præclarus Iſmaël Bullialdus, cùm Tabulas condens Philolaicas, eam, cætera inter, Mercurij hypotheſin adhibuit, quæ vt ad cæteras, ſic maximè ad illam noſtram obſeruationem quadraret.

Deinde, quia eiuſmodi condi Tabulæ non potuere, quæ exquiſitè ad aliquas obſeruationes colſineantes, non præterirent aliquas; ideò mediâ viâ incedendū fuit, tótque idcircò annos impendere oportuit, vt Obſeruationes, quàmplurimæ poſſent, proximè repræſentarentur, quā-pauciſſimæ longiuſculæ abirēt.

Quamobrem vbi fuerint Obſeruationes editæ, erit vnde illi, quibus tantum otij ſuppeteterit, vti aut explorare velint, quibus Obſeruationibus Tabulæ præciſè conſentiant, à quibus procul, propéve diffideant; aut ad alias, ac alias obſeruationes reſpectando, variáſque eligendo, tentare etiam ſuſtineant, num aliæ quæpiam hypotheſes, Tabulæque exquiſitiores Rudolphinis texere poſſint; erit, inquam, vnde ij ſibi facere ſatis abundè valeant. Quin etiam erit fortè quoque, vt ſi poſt longam ſæculorum ſeriem obſeruationes plurimæ his ſimiles habitæ fuerint, diiudicare homines poſſint, num cæleſtes motus non tam in ſe ſint, quàm reputantur, regulares. Tametſi enim nemo Platoni, Ptolemæoque non aſſentiatur, nefas eſſe putantibus ſuſpicari, vel minimam in diuinis illis corporibus irregularitatem; nihil tamen repugnat aliquam ſubeſſe, quæ forſan cauſa ex parte ſit, cur nulla hactenus obtineri cæleſtium motuum notitia vndique exquiſita potuerit. Neque dicas, ſi homines ſemel deprehenderint aliquam ſubeſſe, factum iri illos ſegniores ad contemplandum cæleſtia: ſiquidem cùm illa futura penè inſenſibilis ſit; nihilominùs homines ad eam detegendam nitentur, quò niſi liceat penitùs germanum ſcopum aſſequi, quàm proximè tamen ad eum collineetur. Hæc certe maximè res eſt, in qua, vt ille ait *etiam cùm multum actum erit, omnis tamen ætas, quod agat inueniet, nec vlli nato poſt mille ſæcula præcludetur occaſio aliquid adhuc adiiciendi.*

Addo verò, vtcumque libri à Tychone editi quouis auro ſint pretioſiores; eſſe tamen Obſeruationes pretioſiſſimas longè habendas; ac præſtabilius omninò eſſe, vt, ſi ferenda quidē alterutra iactura ſit, ipſæ Obſeruationes, quàm Libri ſuperſint. Nā Libri quidem inſtaurari (aut quæcūq; certe ex ipſis ad cæleſtiū motuū limitationē attinent) ex obſeruationibus poterunt, at nunquā tamen poterunt ex ipſis Libris Obſeruationes; neque, ſi quis fortè error ſubſit in præſcriptis numeris, quorum calculus non deducitur, fas erit, vt ille vnquam emendetur. Hinc ſummè quidem laudandus Tycho, quòd ex obſeruationibus ratiocinatus plurima fuerit, quæ nobis non inuiderit; at longè laudabilior, quòd tot præclaras obſeruationes & peregerit, & conſcripſerit, ex quibus poſſint alij, aut eadem, aut fortè etiam præclariora ratiocinari. Habent hoc nempe Obſeruationes, vt licet quo tempore fiunt, non ſubiiciantur calculo, ſubiici tamen valeant etiam poſt mille ſæcula; & quantò vetuſtiores fuerint, tantò euadant deſideratiores. Videlicet ratiocinatio, & calculorum ſubductio res protrita eſt, poteſtque, & nullo non tempore, & à non nemine intra Muſæum conſidente peragi; at Obſeruatio rara res eſt, occaſioque eius ſemel prætêrlapſa non redit: ac verò aliunde Triſmegiſto dictum illud tribuitur, *pauciſſimi pura mente præditi ſortiti ſunt Cæli ſuſpiciendi venerabiliorem curam.*

Quod dixi interim poſſe alios ex obſeruationibus ipſius, eadem cum Tychone, aut etiam præclariora ratiocinari; id non negandum, quatenus ille, Philoſophus licet, ac Geometra ſolers, aliquando tamen tot diſtractus curis, minùs ſibi adeſſe, ac dormitare adeò potuit, vti reipſâ contigit, circa illam demonſtrationem, quam ex obſeruatione Cometæ Vraniburgica, cum peracta Pragæ inſtituit, quamque & Galilæus, & Claromontius reprehenderunt: excuſante illam Keplero, cùm nominibus aliis, tum quòd Tycho foret iis temporibus *occupatiſſimus in apparatu Inſtrumentorum, in ſubſtructionibus, in deſtillationibus, in Obſeruationibus continuis, in regenda numeroſa familia, multis opificibus, plurimiſque ſtudioſis, in excolenda Inſula, in Typographia, officina papyraria, horologiaria inſtruendis, literis ſcribendis, &c.* Potuit & ipſi hallucinatio aliquando obrepere ex calculatorum miniſterio præpoſtero; vt, quod ſuo loco inſinuauimus, voluiſſe eum quidem Martis Parallaxin ex obſeruationibus computari; at illos à mente eius aberranteis computaſſe illam ex Copernicano diagrammate, & ſupponenteis quidem Parallaxin Solis minutorum 3. ex qua eſſe conſequebatur Parallaxin Martis minutorum 6. cùm Keplerus tamen deinceps ex obſeruationibus ipſiſmet Parallaxin Martis non maiorem duobus minutis computauerit. Potuit ea deinùm deducere, quibus adſtringi nihil ſit neceſſe; quæ ratione Keplerus quoque non habet, v.g. viſibilem Solis Perigæi diametrum niſi minutorum 32. horizontalem eiuſdem Parallaxin, niſi vnius ſolùm minuti: declinationem maximam, niſi graduum 23. min. 30½. ac diſtare Solem à Terra conſtituit, non modò terrenis Semidiametris 3470. ſed quadruplo etiam maiorem; atque ita de cæteris.

Dicerem aliquid de illis, qui voluere etiam Tychonis Obſeruationibus detractum, vt fuere cum-primis duo illi alioquin eruditi viri Scipio Claromontius, & Martinus Hortenſius (nam de Vrſo quidem Dithmarſo, deque Craigio, nihil ad ea quæ ſunt ſuis locis relata, addendum) verùm & res ipſa per ſe loquitur, & tam Keplerus, quàm Galileus nobis abundè prælaborârunt. Nam Claromontius quidem anno ſæculi xxi. opus edidit, quod *Antitychonem* inſcripſit, & in quo probare contendit eſſe Cometas vel ex ipſis Tychonis obſeruationibus, ſublunareis: at Keplerus anno xxv. ſuum, quem inſcripſit *Hyperaſpiſten*, illi oppoſuit, ac cætera inter, aſſeruit, quam ille fuerat conatus fidem obſeruationum eleuare. Edidit triennio pòſt Claromontius de tribus nouis Stellis opus, in quo Tychonem potiſſimùm circa Stellam anni lxxii. impetiit; ſed Galileus contra eum ſtetit in ſuis illis de Mundi ſyſtemate Dialogis; in quibus etiam notat illum, quòd obſeruationes interdum aut ad rationes accommodet ſuas, aut inſtituto ſuo repugnanteis falſitatis nomine traducat. Cùm videri autem poſſit Claromontius præ nimio ardore tuendæ Ariſtotelicæ, antiquæque de Cæli incorruptibilitate ſententiæ inuectus; ita & videtur Hortenſius præ nimio

ſtudio

ſtudio euchendi præ cæteris Aſtronomiam Landſbergij, qui Tychonis fuit æmulus, dum anno xxx. edente illo commentationes in motum Terræ diurnum, & annuum, Præfationem in qua Tychonem reprehenderet, prolixam præmiſit. Videntur certè, quæ aduerſus fidem Obſeruationum obiiciuntur, vitilitigationes meræ: veluti, quod Tycho Obſeruationom ſeriem per aliquot dies contexens, alicuius diei intercepti non meminerit; & poſtea tamen proferat eiuſce diei obſeruationes: Quaſi, qoia factis illo die, propter Cælum dubium, dubiis obſeruationibus, non licuerit illas, niſi tum dumtaxat, cùm non penitùs exquiſitæ exigerentur, commemorare? Itémque, quòd allata interdum vno quopiam, loco Obſeruatio, alio loco alia habeatur; quaſi verò non liceat poſteriorem eadem de re, vt de altitudine Poli, obſeruationem ſecùs proferre; quàm prolata tum fuerit, cùm foret minùs exquiſita; aot quaſi perinde haberi obſeruatio, & quod ex ipſa deducitur, debeat: vt dum momentum Æquinoctij, quaſi ipſum per ſe obſeruatum habetur; cùm tamen non tam referatur altitudo obſeruata Solis, quàm deductus Solis per Æquatorem tranſitus, ex obſeruatis circom momentis, & ſuppoſita parallaxi.

Hoc verò ipſum eſt, propter quod exoptandum dixi maximoperè, vt obſeruationes nudæ, & quales in dies peractæ fuere, in lucem edantur; quò non tam deducta ex illis, quàm ipſas habeamus; tunc enim, vt ait Keplerus, *loquentur ſua fide Obſeruationum Libri.* Scilicet, vt poſteà habetur, *Diuino monitu Tycho ſic tas muniuit Inſtrumentorum varietate, vicium repetitione, dierum continuatione, copiâ denique ipsâ, vt locus calumnijs huiuſmodi relinquatur nullus; fidémque illæ apud poſteritatem mereantur omni humana maiorem.* Et quia aduerſatius inculcando illud de Obſeruatione ad certos dies prætermiſſa, & aliàs tamen commemorata, ſic obiecerat; *Quòd ſi illud ex Iuriſconſultis repetatur, ſemel malus, ſemper præſumitur malus, in eodem genere mali; quam ſibi fidem in reliquis ex hoc vno facto Tycho vendicet; cæteri conſiderent; obſeruare ſanè licet excedentem in ipſo poſitionum ſuarum amorem; & acre præſertim ſtudium de Cœleſti Cometæ loco tuenda ſententia. Elucet quoque non leuis in Ariſtotelem acrimonia, quæ ſæpè in hunc erumpit: qui affectus pronum reddunt hominem ad omnia commiſcenda, & comminiſcenda, vt opinionem ſemel ſuſceptam defendas, cæteriſque vendicet:* ideò Keplerus, ita excepit, *Dij tibi, dent, Scipio, quicquid ſolida virtute mereris, qui tute teipſum in hac Tychoni tributa perſona viuis depinxiſti coloribus: nec potuiſſet Apelles meliùs, nec totus reliquus Liber tuus; quamuis vndequáque plenus huius tui ingenij. Dignum eſt, herclè, caput hoc, quod non calamo Mathematici, ſed duello refutetur, more veteri Germanico. Quod quidem duellum,* &c. ac tum ſingula capita eiuſce accuſationis perſtrinxit.

Vt vnum verò, aut alterum prætereà locum attingamos; quia Claromontij obiectio fuerat, *Velle Tychonem (pudere tamen apertè poſcere) vt concedamus ſolas eius obſeruationes retinendas, reliquas penitùs explodendas;* ideò Kepleri exceptio fuit: *Audi, vipera ex Argo, digno & Græco nomine, quod ſeis. Nec Ptolemæum puduit poſcere, vt maior ſuis obſeruationibus haberetur fides, quàm veteribus Chaldæorum, & Dionyſij; nec Tychonem, vt ſuis de Cometa hoc, potiuſquam Vvinkleri, Noltbij, Sculteti, Hagecij; nec hos duos vltimos viciſſim puduit id Tychoni concedere: At ſolas ſuas Obſeruationes quaſcunque retinendas, reliquorum omnium penitùs explodendas; hoc verò tam non voluit Tycho, quàm tu non vis imitari mores viri huius* καλοκαγάθω, ϗ φιλαλήθως. *Nihil ipſi magis erat in votis, quàm vt ſuam in obſeruando diligentiam, & ſedulitatem omnes Mathematum Profeſſores imitarentur, &, ſi quiſpiam ad eam aſpiraſſet, illi & fauit impensè, & prædicauit induſtriam, vti & vſus obſeruatis,* &c. ac ſtatim: *Sed nec illud hoc loco valdè mirum, malos bonorum imitari verba. Actum eſt,* inquis, *de rebus Aſtronomicis, ſi vnius ſolius viri obſeruationibus ſit ſtandum: Imò tunc actum erit de Aſtronomia, ſi Claramontij, eorúmque, quos ille, quoties lubet, vel expedit, allegat, obſeruationes pari cùm artificum obſeruationibus iure degerint, nec ſolius eius, qui diligentior eſt cæteris, & exercitatior, obſeruatis ſit ſtandum.* Proſequitur iſtud Galilæus fuſiùs.

Affine eſt, quòd, cùm deinceps probaſſet Claramontius eſſe aliquos Cometas ſub Luna, authoritate Regiomontani de Cometa anni M. CCCCLXXII. vel M. CCCCLXXV. & Vogelini de alio anni M.D. XXXII. ac litem Tychoni idcircò mouiſſet; Keplerus primùm ſic fuit exorſus, *Si controuerſia hæc non inter Mathematicos, ſed inter Rhetoras agitetur, nunquam meliùs ſtetit Claramontio,* &c. & poſteà ſpeciatim de Regiomontano loquens: *Deſinas,* inquit, *Rhetorcule, qui Tychoni rhetoricum colorem obijcis. importunum inſtituere comparationem inter Regiomontanum, & Tychonem. Equidem Regiomontano Tycho plurimum tribuit; multiplicem in eo eruditionem paſſim prædicauit, ingenij palmam ipſi ceſſit vltro: Peritiam tamen Inſtrumentorum ad obſeruationes maximè idoneorum, & dexteritatem in obſeruando Tycho ſibi præcipuam vindicare, & iure potuit, & ob veritatis amorem omnino debuit. Rebus ſcilicet ipſis loquentibus ineptu eſt, & vilis in confitendo, vel etiam in profitendo, & arrogando modeſtia. Nec enim viri eſt ingenui, & fortis, ſimulato moderationis amore, ſic auram captare popularem, vt interim rerum geſtarum, hoc eſt, Obſeruationum veritas ſuo deſtituatur patrocinio. Quid multis? Stat coram hoc iudicio totus Fixarum exercitus, Obſeruationibus Tychonis perenne, & irrefragabile perhibens teſtimonium, quod quoties ſerus accendit lumina Veſper, cognoſcere poſſunt omnes, qui vſum legitimum Inſtrumentorum, laborémque in eo non auerſantur.* Sed hæc de Obſeruationibus ſatis.

Reſtat

Reſtat, vt paucis, quæ fata fuerint Inſtrumentorũ percurramus. Dictum eſt ſuo loco, vt minora primùm, ac deinde maiora tráſlata ex Dania in Bohemiam fuerint; vtque Pragã Benaticã, ac Benaticã rurſus Pragam, ínque hortos Cæſaris; & ex hortis Cæſaris, in ædeis Curtianas tranſducta. Mortuo Tychone, timens Rudolphus, ne eorum diſtractio quæpiam fieret, ideò habere ſibi illa voluit, ipsáque adeò ab hæredibus duobus & viginti coronatorum millibus coëmit. Ita Ioãnes Baptiſta Laurus, quem ſuperiùs citauimus, in Epiſtolis illis ſuis ſcripſit. Fuere ea deinde concluſa, ac ita aſſeruata intra eaſdem Curtianas ædeis, vt quibus illorum cuſtodia demandata à Cæſare fuit, quaſi theſaurum ſub terra, caliginéque merſum habuerint, nulliuſque vſui permiſerint. Hoc eſt, quod queritur Keplerus, cùm ſuum de Stella in Cygno tractatum Hoffmáno illi, abs quo deductus è Styria in Bohemiã fuerat, nuncupãs, hiſce verbis aggreditur, *Quartus hic annus eſt, illuſtris, & generoſè Baro, Mecœnas inclyte, ex quo primùm ad nos Pragam fama Nouæ Stellæ in Sidere Cygni exortæ peruenit. Erat tunc recens nobis dolor ex acerbo funere ſummi Viri Tychonis Brahei Aſtronomiæ inſtauratoris celeberrimi. quem cùm alia multa, tum hoc quoque reddebat acerbiſſimum, quòd ab illo tẽpore pretioſiſſima illa ſuppellex Inſtrumentorũ Aſtronomicorũ, quæ Braheus in Bohemiã intulerat, quodam inextricabili fato clauſtris & obicibus preſſa deliteſcebat in tenebris Itaque cùm eorũ vſus eſſet mihi interclusus, tua tamen liberalitate paullò antè prouiſum erat meæ inopiæ. Nimirum prouideras iam antè diuino quodam inſtinctu, quorsùm res Aſtronomiæ hoc Magiſtro deſtitutæ olim vergerent; itaque, viuo etiamnum Braheo, & vix annum in Bohemia verſato, partem curarum vltrò in te tranſtuliſti: me in hunc luctuoſum euentum prudentiſſimis verbis inſtruxiſti; denique Quadrantem azimuthalem, & Sextantem, ex ferro hunc, illum ex orichalco, tuis ſumptibus ad imaginem Braheanorum conformatos non nullo ſumptu comparaſti. Quæ Inſtrumenta Braheo mortuo, paullò priuſquam de Stella audiuiſſemus, meis vſibus abs generoſitate tua permiſſa poſſidebam.*

Delituere porrò Inſtrumenta intra eas ædeis, ad turbas; vſque, quæ poſt Matthiam Imperatorem, anno M DC. XIX. mortuum, excitatæ in Bohemia fuerunt. Quippe occupatã à Palatinis Pragã, fuere Inſtrumenta direpta, & partim variè labefactata, ac in alios vſus conuerſa, partim ea ratione diſtracta, vt quò tãdem euaſerint, ſi Globum illum magnum, æneúmque exceperimus, latè ignoretur: adeò proinde, vt niſi Tycho eâ fuiſſet prouidentia qua conſcripſit Mechanicen, tanti apparatus idea periiſſet: vti & periiſſet inſtrumentorum Alexandriæ memoria, niſi Ptolemæus non multò ante eorum ruinam ipſa cum arte, velut theſauro, vno volumine incluſiſſet. Globum autem excipio, cuius fuit eiuſmodi fatum, vt fuerit primùm tranſlatus Nieſſam, quæ Epiſcopalis Sileſiæ eſt vrbs, Collegióque Religioſorum Societatis IESV donatus, inque eo ſeruatus; ac deinde cùm Vdalricus Chriſtiani Daniæ Regis filius, anno M. DC. XXXII. per illa Germaniæ bella Nieſſam cepiſſet, Globúmque agnouiſſet, ipſũ inde educi, euehique in Daniã voluerit. Fuit autẽ in Regia Hafniæ Academia nõ ſine pompa collocatus; & ludente quidem Longomontano, inter cæteros, illo carmine,

Auguſta quondam ligno me cura Tychonis
Cælari iuſſit, &c.

Idque cum verbis hiſce ſubiunctis, *Qui Globum hunc olim in Huenna apud Nobiliſſimum Dominum Tychonem Brahe octonnium manu diurna, nocturnáque verſauit, Chriſtianus S. Longomontanus F.* Appoſuit verò prætereà Longomontanus inſcriptionem, quæ hunc in modum legitur,

Siue Hoſpes, ſiue inquilinus es, bene adſis. Hoc Æneum Cæli ſimulacrum, quod vides, ingenio, & impendio Tychonis Brahe, *ad Aſtronomicas obſeruationes in Inſula Huenna efformatum eſt. Nihil ad artis perfectionem ætas noſtra illuſtrius contulit. Nomen Vraniburgo dedit, Daniæ famam. Cum plusculos annos Cæli motum felici apud nos ſucceſſu monſtraſſet, moueri cœpit, & exteris ceſſit. Primò Benaticam, mox Pragam, inde Nieſſam defertur. Ita quas in Cælo vices deſignat, in Terra patitur. Tandem capta Nieſſa, virtute, ductu, & auſpicio Principis Dñi Vldarici, Patriæ velut trophæum, ex peregrino Marte vindicatur, & reſtituitur, Anno* M. DC. XXXIII. *Calend. Decemb.*

Requiri heic poſſet, quid Inſulæ Huennæ, ac Vraniburgo Inſtrumentorum natali ſolo, & annorum ter-ſeptenorum domicilio contigerit; verumtamen id ſtatim ſubit,

Iam ſeges eſt, vbi Troja fuit.

Rogatus nempe optimus VVormius, quid id rei eſſet, paucis hiſce verbis rem complexus eſt; *Poſt Tychonis abitum, Inſula fuit ſemper nobili alicui, ſeu viro, ſeu fœmina in feudum data. Obtinet nunc illam feudi titulo nobilis quæ iam vidua. In ea iam eſt campus, vbi Vraniburgum fuit* Quo ſanè loco ecquidnam dicere aliud liceat, quàm quòd odioſum eſt, vt Cicero ait, cùm à prætereuntibus dicitur, *O domus antiqua, heu quàm diſpari domino dominaris!* Sed enim hæ rerum ſunt vices.

Vnum ſubiicere heic iuuat, quod in Sereniſſimi Regis Chriſtiani vt commendationẽ, ita excuſationẽ cedat. Etenim, tametſi vidimus Tychonẽ excuſatum illum ſemper facere, quòd neceſſitas ſibi incubuerit exſulandi à patria, & quærendi ſedeis apud exteros; viſa eſt nihilominùs aliqua labes ſemper hærere, donec illam eluere præclaro facinore eſt aggreſſus. Quippe agnoſcens denique, quanta nomini Danico, occaſione excultæ à Tychone Aſtronomiæ, quæ ſita foret celebritas; ac memor aliunde non modò Paternæ ſed Auitæ etiam virtutis, idque hiſce de re-

bus potiſſimùm agens cum eximio ſuo Cācellario Chriſtiano Thomæo Scheſtedio, Tenderupio, Matheſeos (imò omnis ſapiētiæ, virtutiſque) impensè amante, artem inſtaurare in Dania conſtituit. Quare & conſulto Longomontano, Vraniburgum nouum extruere, non iam ampliùs in Inſula, ſed intra ipſa Hafniæ mœnia, iuxtáque ipſum Regiū Collegium, vt eſſent, qui continua ſerie curam illius gererent, cœpit. Constructa verò Turris eſt alta pedes centum ſupra quinquaginta, cuius, quæ in ſūmo circularis eſt, area diametro pedum ſexaginta eſt. Aditus ducta illi circum cochlea eiuſce amplitudinis, ac lenis adeò accliuitatis vt liceat curru ad ipſam vſque aream ſummam aſcendere. Libet ex hac area horizon vndequaque conſpicitur, ipsáque adeò locus eſt, in quem educta Inſtrumenta obſeruando inſeruiant. Educta, inquam, cùm opus fuerit, è cryptis circum, inferneque extructis, & reuelatis operculis ad ea condenda, conſeruandáque comparatis. De ſtinata autem fuere tria præcipue Organorum genera, Quadrans puta Azimuthalis, Sextans, & Armillæ Æquatoriæ: cúmque cēſuiſſet Longomontanus debere illa radio octo minimùm eſſe pedū; fieri Rex decreuit ampliora, & quātum omnino vſus pateretur.

Ac dolendum quidem generoſum adeò, laudabileque inſtitutum non potuiſſe ob res turbatas, inſequutúmque obitum exſequutioni demandari:

Sed Te nimirum, ô REGVM DECVS, SERENISSIME FRIDERICE, id honoris ſolidū manet, vt quod ille glorioſe cœpit, neque abſoluere potis fuit, ipſe porrò promoueas, glorioſiſſiméque perficias. Tā ſūt certè illuſtres, Regiæque Virtutes, quibus Te præfulgere inaudimus, vt meritò nihil non grāde de Te & cōcipere, & ſperare liceat. Quippe poſt partā populis tuis beatiſſimā tranquillitatem, ſic illi tuendæ incūbis, vt Te verè Regē, Patriæque Parentē demonſtres. Cúmque, & ſeruantiſſimus æqui, & eo animi tis candore, ea morum, ac vitæ cōtinentia, vt Te idcircò populi tui ſuas ducāt delicias, Te ſibi in exēplum Virtutis proponāt, ac ſe fœlices reputēt, quòd Tu, vt maximus, ſic optimus præſis; tū id accedit cumulo, quòd bonarū literarum, ſtudiorúmque Sapientiæ amās, nullū abire diem ſinis, quo non aliquā in iis lineā ducas. Quò magis ſpes inſignis eſt, vt quæſitam iā Regno tuo ex Cæleſti hoc ſtudio laude diffundas, & amplifices; ipsā ſcilicet quaſi ſuper-exſtruēs Ædificio magnifico, quod vbi deſtinatis illis ornamētis inſtruxeris, vſúq; animaueris, nulla Orbis miracula habitura ſint, quicquā cōparādum. Age itaque, ô REX VIRE MAGNI, & glorioſi illius tui Aui, cognominiſque FRIDERICI ſic inſiſte veſtigiis, vt Te quoq; eo dignū fingas, quē Tycho ob munificētiam in ſacrū Vraniæ cultū verè Regiā, ita effecit celebrē, vt nomen eius interire, niſi cū Cælo non valeat, ſed ſit perinde, ac Alphōſorū, Ptolemæorū, cæterorúmque, quorum pectoribus inſedit Cæleſtiū amor, perēnaturū Nō patientur profectò ij, quos velut Myſtas in edito illo Vraniæ Tēplo inſtituerís, nomē tuū inglorīū ad ſeros nepotes transire, ſed totidem erunt quaſi buccinæ, quæ ex ſublimi famā ſpargentes, eas laudes concelebrent, quæ toto Orbe exaudiantur.

An verò, o SERENISSIME, ſi quando fortan bona mea ſorte aliquod huiuſce libelli exemplum in tuas illas Regias inciderit manus, ægrè habebis, ſuccēſebíſque iſta Te abs Tibi ignoto, fortíſque adeò diſparis viro adhortatione interpellari? Meliùs profectò & de tua incomparabili bonitate, & de mea fortuna, volūtatéque ominari, ſpondereque mihi ipſe audeo. Facio nempe, REX OPTIME, totus, planè venerabundus in Sacram tuam Maieſtatem, in qua tot virtutes eximias teuereor, cuiúſque gloriam nunquam intermorituram voueo, apprecórque. Facio totus admirabundus in ſplēdidam illam tuam Aulam, quam totam accipio virtutem, eruditionémque ſpirare (Nēpe & Auguſtiſſima SOPHIA tua Coniunx Te imitata, bonas Arteis, Sapientiámque ſic excolit, vt cognominis Auiæ tuæ inſtar, idipſum met ſit, quod nomine præfert: & fœlix Puer ſub vtriuſque cura crescit, educatúrque, vt gemmā, iam in eo virtus ſit mox eruptura in florem: & magnus ille Aulæ Magiſter, Senatoriique ordinis Antiſtes *Ioachimus Gerſtorfius*, adeò eſt omni genere literaturæ perpolitus, vt in eo rerum ſciētia cum animi magnitudine certent: & ille verè ſapiens, ac bonus, de quo paullò ante dixi *Scheſtedius* Cancellarius, ſic ſtudiis eſt, libriſque addictus, vt quicquid temporis à tuis, Regníque negotiis ſupereſt, in ipſis impendat: &, ne lōgum faciam, ſic ad Tui exemplum tota Aula componitur, vt tota, virtute efflorescat.) Facio denique totus gratulabundus in tuam illam & Regionem, & generoſam Danicam Gentē, è qua in nos, Orbémque totum, illud tantum Iubar Sideralis Scientiæ, magnus nempe Tycho, affulſit, vt non ego, non cæteri, quibus Cæleſtia curæ ſunt, non poſſimus eò oculos illius ergò habere conuerſos.

Verùm de Tychone, ipſiuſque Vita dictum mihi ſit hactenus.

FINIS.

APPEN

APPENDIX.

QVo Numine effectum dicam, vt cùm iam extremũ, hoc folium, prælo commiſſum, exprimẽdum foret; tam opportune acceperim, quæ ſubiici illi continenter poſſent? Duo enim ſemiſſe ſunt menſes, ex quo literas dederam ad illũ optimum virorum Olaum VVormium celebrem in Hafnienſi Academia Medicæ artis Profeſſorem, quibus ſignificarem iam cœptã mandari typis Tychonis vitam, ad quã conſcribendam ipſe monumenta mihi contuliſſet non pauca. Et quia operæ procederent lentè (defectu purà operariorum, quos diuturnum bellum nobis abſtulit) inſinuâram, ſi dignaretur mihi maturè procurare exemplum (& manu quidẽ exaratum, vnici illius, quod illeic exſtare aliàs renunciaſſet) Orationis Funebris, Pragæ à Ieſſenio in ipſo Tychonis funere habitæ; euenire poſſe, vt illud haberem ſatis tempori, quo vel excerperem ex eo, quæ cùm me fugiſſent, poſſem ante operis finem in ipſum textum inſerere; vel, niſi ad hoc ſatis congrua ſupereſſet occaſio, totam Orationem ad calcem attexerẽ, quaſi appendicem. En verò, cùm iam editione aſſequente coronidem, ipſe de exempli aſſequutione deſperarẽ (non profectò defectu pronæ in viro optimo voluntatis; ſed quòd iſtæ viarum ambages ſuſpicionem deperditarum literarum iniicerent) en, inquam, egregius è Dania Medicus Chriſtianus Legardus literarum faſciculum attulit ab optimo viro. Cùm mox reſoluiſſem, deprehendi in eo, nõ exſcriptum, ſed ipſummet typis excuſum Orationis exemplum, quod, ille in mei gratiam, & vt maiorem mihi tum rei, tum ſui amoris fidem faceret, obtinuerat abs ſuo poſſeſſore. Deprehendi & vna quæ fuerant Orationi adiuncta, tum relatum ante Epitaphium, Chronologicúmque diſtichon, tum funebria illa Kepleri, Coldingique carmina, quorum quia VVormius meminerat, feci & ipſe ſuperiùs mentionem.

Rogâram quoque illum, vt ſalutem dicens meo nomine illuſtri Petro Retzio, olim Legato apud Regem Chriſtianiſſimum Regio, & nunc in patria Regni Theſaurario, (cuius, dum initio cognationem Tychonis, ad quam pertinet, recenſerem, commemini) Rogâram, inquam, vt ab eo peteret, quam, dum apud nos verſaretur, receperat ſe ad me tranſmiſſurum, deſcriptionẽ Elixiris, mirificive medicamenti à Tychone aduerſus morbos Epidemicos adinuenti: cuius eſt etiam ſuperiùs facta mentio. Id nempe, vt poſſem talem deſcriptionem, in Tychonis gloriam, & commune bonum generis humani publici iuris facere; cùm Elixir quidem confectum communicaretur; ſed illius tamen confectio perhiberetur quaſi arcanum, apud vnicum, qui foret familiæ Pharmacopola, aſſeruari. Cùm reſponſio autem Viri optimi fuerit, peregrè abeſſe illuſtrem Retzium; adiecit tamẽ ſe & habere, & deſcribi mihi curaſſe Epiſtolã Tychonis quandam ad Rudolphum Imperatorem, qua ſuum ſecretum aduerſus Peſtem, morbóſque malignos inuentum detexit; quamque tametſi clarus Vir Caſparus Bartholinus ab aliquot annis euulgauerit mittat nihilominùs ad me, neſcius an peruenerit ad nos vſque. Fuit proinde exemplum quoque huiuſmodi Epiſtolæ in faſciculo deprehenſum.

Hiſce ergo rebus inſtructus, miſi illicò ad Librarium & Orationem, & carmina, cum pauculis hiſce verſibus præmittendis. Miſſurus deinde Epiſtolã quoque, deſcriptionémve Elixiris; admoneo interim (ne quicquam circumſtantiarum prætermittatur) ita ſe Titulum, ſeu frontem paginámve primã habere.

De Vita, & Morte illuſtris, & generoſi Viri, D. TYCHONIS BRAHEI, *Equitis Dani, Domini in Knudſtrup, Huenna Helleſpontè Danici Inſula Præfecti, Aſtronomorum hoc ſæculo Principis, die* 24. *Octobris anni* M DC. I. *Pragæ deſiderati*. 4. *Nouembris, in Templo Veteris Vrbis primario, ritu Equeſtri honorificentiſſimè tumulati*, ORATIO FVNEBRIS *Ioannis Ieſſeny à Ieſſen*, PRAGÆ, *Typis Georgij Nigrini, anno* M. DC. I.

Interceptum eſt alterũ duorum aliquoties memoratorum Emblematũ, cum hac adſcriptione, SVSPICIO. Paginã verſã eſt Tychonis effigies deducta ex eadem icone, de qua ſuperiùs. Continet verò inſequens huiuſmodi Nuncupationem.

RVDOLPHO II. *Imperatori inuictiſſimo, auguſtiſſimóque, Domino noſtro Clementiſſimo.* IAMVVDVM, *Clementiſſime Cæſar, patriam deſeruimus Daniam, conſanguineos, & quos charos habuimus, & à quibus amati ſumus, omneis. Peregrinationem hanc lubenter tulimus, & ſuſtinuimus fortiter. Nam illorum inſtar omnium nobis erat parens noſter* TYCHO BRAHEVS. *Sed cùm nunc is etiam, ita iubente Deo, vitam hanc mortalem cum immortali altera commutârit, quò felicior, eò nos tanto ſolatio, & præſidio maximo deſtitutos, longè reddidit infeliciores. Nuſpiam igitur, poſt Deum, quàm in Te, nobis orphanis, ſpes vnica, ſummáque relicta cùm ſit, in Tuam nos tutelam, & protectionem recipi, clementiã erigi, atque ſeruari, ſubiectiſſimi ſupplicamus. Tychonis Brahei Hæredes.*

Huius autem verſa, & inſequentes paginæ ſic habent.

DE VITA, ET MORTE D. TYCHONIS BRAHEI, &c. ORATIO

D. IOANNIS IESSENII.

VIX quemquam ego, Illnſtres, Generoſi, Nobiles, Ampliſſimique omnium ordinum Viri, tam duri cordis eſſe exiſtimo, quem Inexpectatum amici, etiam vulgaris, mortis nuncium non commoueat. Certè quos neceſſariorum, eorúmve, qui vitæ authores ipſis extitere, aut quibus ij etiam lucis huius cauſa fuerunt, vel à quibus beneficio affecti aliquo ſunt, occubitus vehementer non conturbet, hos ego ſaxa potiùs, quàm homines, pronunciarim. Et quidem luctus huiuſmodi, cùm inter paucos ſit, vnam, vel alteram domum non egreditur, aut ſaltem extra vnicam ſeſe non exerit ciuitatem; quandoquidem priuàti alicuius commodi iactura ſingulos non attingat. Communis verò boni priuatio, quoniam cunctis vim inferat, omnibus damnum adfert, indèque profectus dolor meritò quoque omnes exercet; & tantò grauior eius amiſſio, cuius vſus fuerat in vita maximus. Quem vero veſtrûm, per Deum immortalem, ingens illud Naturæ bonum, Generoſum dico, & Nubiliſſimum Virum, D. Tychonem Braheum, Equitem Danum, cuius nomen per totam Europam diu iam exauditum eſt, celeberrimum, latere poteſt? Et profectò, ne in hominum quidem cenſu, nedum literatorum ordine, reputandus is, qui ignoret, quantis beneficiis literas, & literatos is auxerit, diuinis planè, & nullo vnquam æuo intermorituris ingenij ſui monumentis: quibus, quæ in cæleſtium motuum ratione priſcos fugerant plurima, indefeſſo labore, fœlicique opera, nos, & poſteros noſtros dexterrimè inſtituit. Vnde, ſi, qui viuimus, vel inuidiæ tabe affecti, vel ignorantiæ febre ægri, ingrati iſtud diffiteri; & ſcientes, videntéſque, ignorare velimus: poſteritas tamen, ſi quæ modò vlla futura eſt, eáque erudita, æſtimatura, maximoperéque iſtud eſt deprædicatura. Hunc vos Virum tantum, Aſtronomiæ reſtauratorem, cæterorúmque illius artificum hoc ſæculo facilè Principem, ante oculos veſtros videtis depoſitum; videtis mortuum, quem fato functum paſſim nunc inaudiunt exteri, famâ certè omnibus ingratiſſimâ, qui certatim paulò pòſt condolentiæ ſuæ, atque luctus publicum edituri ſunt teſtimonium; quibus etiam, dubium citra vllum, iſtud in votis nunc eſt vnicum, vt, alia cùm re ipſum proſequi amplius nequeant, ſaltem funerationis poſtremo officio nobiſcum præſentes afficiant. Quantò igitur magis nobis, qui adſumus, & quorum oculis triſte hoc ſpectaculum obuerſatur, iſtud velle, & præſtare maximè conuenit? Quod etiam, & frequentes, & lubentes agimus, vnáque triſti hoc vultu, geſtúque afflictiſſimos ipſius hæredes erigimus, nec parùm conſolamur. At me, vt verum fatear, hæc magis magíſque ad luctum inuitant, imprimis, cùm apud animum repeto meum, inopinatum, & ſubitum occubitûs Tychonis nuncium, primum in funeſtas ædes ingreſſum, vbi coniugem honeſtiſſimam, præ dolore ſibi fermè exemptam, & ſemimortuam, lecto affixam, educatiſſimam ſobolem, obnoluta facie, in tenebris, humi jacentem, & gementem, parietes pullatos, turbatam familiam totam; denique Tychonem meum feretro impoſitum, priùs mortuum aſpexiſſem, quàm ægrotantem percepiſſem: eundemque adhuc intueor, eo planè affectu, qui ſolatium exſpectare verius, quàm id præſtare aliis debeat, vel poſſit. Sed in tanta animi mei conſternatione, quò me, & vos omnes fortaſſis reficiam, illud hoc tempore, quod paſſim vſurpari ſolet, mihi occurrit; impatientiùs eos ſolùm plorandos, quorum turpem vitam inhoneſta mors inſecuta ſit; haud verò mori, quos virtus ipſa præſtet immortales. Id ſi ſic habet, veluti veriſſimum eſt, Tycbo noſter mortuis haud erit accenſendus, quòd omnium ſeſe faciebus offerat virtus conſpicua; ad cuius lucis clariſſimos radios excæcari neceſſe ſit mendaces noctuas. Nam, ſi quis clarà patrià natus, celebris iudicandus; ſi generoſis ortus parentibus, primam virtutis ſementem accepiſſe putandus; ſi liberaliter educatus, liberalis & ipſe habendus; ſi excelſo ingenio præditus, ſublimium diſciplinarum ardore incenſus, iiſque occupatus, excelſus & ipſe exiſtimandus; ſi ex fortunę bonorum affluentia fœlix cenſendus; ſi ingenij editis in publicum inuentis, & monumentis, planè diuinis in tanto excellentior aliis, quantò ſeſe alij inferiores; ſi Regibus, viriſque Principibus ob hæc charus, fortunatus exclamãdus; ſi clarorum, & magnorum hominũ applauſus, & collaudatio, laudatum & ipſum efficit; ſi commodus vſus thalami; ſi morigera ſoboles; ſi denique placida mors, eriã atque etiam beatũ præſtare poſſunt: profectò TYCHONEM noſtrum omne hic tuliſſe pũctum, pro virili mea oſtẽſurus ſum. Et quamquam optârim alteri cuipiam, cui maior dicẽdi vis, minor autẽ ex luctu animi perturbatio, haſce partes iniunctas eſſe: tamen, cùm de eo viro verba mihi facienda ſint, qui ſeipſum, etiam

me

me tacente, cùm in viuis eſſet, bonis omnibus prolixè probauit;ea etiam ſuppetat rerum copia, vt quid è tanto dicendorum numero, pro temporis anguſtia, potiùs omittendum, quàm commemorandum, cogitare neceſſe ſit; onus hoc mihi imponi tantò faciliùs paſſus ſum. Quò etiam perduxit plurimi temporis liberalis, & ſuauiſſimi noſtri cõuictus, amoris mutui, mutui officij recordatio, & denique hoſpitij nunc mei deſtinatio, paulò ante mortem, amiciſſima, & inſuper in ipſo deſiderium mei hoc poſtremum. Veritatis igitur ſimplex cùm ſit oratio; non eſt, quòd à me verborum ampullas, aut vllum inſolentem ſermonis habitum hic exſpectetis; quandoquidem deformia fucos deſideret, & glaucomata, nullâ ceruſsâ indigeat per ſe decora facies: párque ſit, vt orationis noſtræ indumentum reſpõdeat formæ veſtitus. Proinde multa me paucis, illuſtria humilibus, læta triſtibus proferre, patienter admittite. Patriam ergo quod attinet, ea TYCHONI noſtro Dania eſt, quæ aliquot iam, ante Chriſtũ natum, ſæculis, Regia dignitate clara, plures ſemper ſagatos, quàm togatos genuit. Iulij Cæſaris minas animosè contempſit, impetus illatos viriliter depulit, & cum vicinis populis frequentia bella geſſit. Incolæ, quibus Rex imperat, in equeſtrem, & plebeium ſtatum diſtincti. Inter equeſtris ordinis homines, qui inibi ſanè ampliſſimus eſt, primario loco Brahei reputãtur, qui, ex Suecia iam olim Reges comitati, ſplendidiſſimis feudis, ob virtutem, fidémque in militia conſtanter præſtitam, in Dania ditati ſunt. Ante ſexcentos annos vnum, atque alterum ex hac familia ad Regiæ dignitatis faſtigium euectum, in Annalibus Danicis legitur: Non pauci quoque Monaſterienſem Epiſcopatú, illum aureum, ſuperioribus temporibus adminiſtrarunt. Quin & hodie in Sueciæ Regno Nobiliſſimo ex Braheis nati ſuperſunt, qui Regi proximi Comites ſalutantur. Et coràm aſpicitis Inclytum, & Generoſum Dominum D. Ericum, Comitem in VVeſingeburk, Liberum Baronem in Rhedebhollen, Dominum in Lintholm, qui, vt domeſticum infœlicem abſens dolet patriæ ſtatũ, ſic funeris agnati ſui præſens ſpectator eſt triſtiſſimus. Braheos genus ſuum ad Auguſtos Sueciæ Reges, non iniuſtè referre, vel nummus quidam argenteus, iuncorum manipulo notatus, à Regeque Ioanne III. ſignatus, cõfirmat. Nam eo inſigni ad ſtemma deducendum, comprobandúmque ſuum omnes vtuntur. Natus eſt TYCHO noſter, anno Chriſti 1546. decimoquinto Decembris, intra nonam, & decimam horam matutinam, Knudſtrupij in Scania ſiti, patri Ottoni, viro militari, & magnanimo primogenitus: matre Beata, ex vetuſtiſſima Bildorum familia orta, quæ ſeptuagenaria hactenùs ſuperſtes audita eſt, per plurimos annos vidua, fœmina grauis, pietatis, & pudicitiæ toti ſexui exemplum. Hæc filium ſuum ſollicitè admodùm educauit, ad ſanctitatem, & virtutem cohortata ſedulò, cui is viciſſim omne præſtitit obſequium. Quæ indoles egregia in prima ſuccreſcente ætate, patruo ſuo Georgio Braheo admodùm grata, ipſum impulit, vt cùm liberis careret propriis, hunc adoptatum ſibi aſciuerit, domi, parentis loco, pædagogi operâ, informarit; donec decimum & ſextum ætatis annum prætergreſſum, Lipſiã emitteret, vbi ſumma alacritate literarũ bonarum viam ingreſſus altiorem, in iis pauxillo tẽpore ita progreſſus eſt, vt excelſi ingenij ſigna ediderit manifeſta. Naturâ propenſus erat ad Cæli ſtudium, cui tam diligẽter incumbebat, vt inuito præceptore domeſtico (cui iuris ſtudium cum diſcipulo tractandum iniũctum fuerat) libellos Aſtronomicos paſſim coëmeret, ſinéque intermiſſione perlegeret; Bartholomæo Scuiteto, tum ſtudiorum causâ Lipſiæ degente, claro in cõſilium adhibito. Noctu ſereno cælo, pædagogo inſcio, lecto ſeſe ſubducens, ſidera omnia è globo exiguo, abſque magiſtro etiam, addidicit; velut etiam Radio Aſtronomico Planetarum motus diligenter obſeruauit, atque ſic integrum triennium Lipſiæ exegit; id quod & poſteà VVittebergæ & Roſtochij, ſedulo, & conſtanter continuauit. Poſtmodùm, cùm peregrinandi ipſum inuaſiſſet deſiderium, Auguſtam Vindelicorum profectus, ibi, in Conſulis Ioan. Baptiſtæ Henzelij horto maximum Quadrantem ligneum erexit, veluti & aliud, quòd Sextantem dicunt, Inſtrumẽtum, quibus crebertimè ſiderum motus explorauit. Inde in Italiam properans, maximã illius partem perluſtrauit, atque de hiſce diſciplinis cum viris harum peritis auidè, multúmque contulit, vnde in dies magnã Aſtronomiæ notitiam indeptus eſt. In patriam per Heluetiam regreſſus, Baſileam Rauracorum, aut vicinum aliquem locum, ſedem vitæ delegerat; non ſolùm ob loci celebritatem, virorúmque doctorum illic commorantium complurium conuictum; ſed etiam, quòd regio iſthæc in trium ampliſſimorum regnorum concurſu, Italiam, Galliam, & Germaniam iungeret, è quo per crebriores literas cum eruditis agere cõmodiùs poſſet. Quod dum ſeriò ſecum conſtituiſſet TYCHO, Rex Daniæ FRIDARICVS II. Princeps literatorum amantiſſimus, de hoc ipſius propoſito certior factus, accerſitum pluribus dehortatus eſt rationibus, vtque in patriæ potiùs gloriam domui ſtudia hæc vrgeret, & perficeret, adhortatus: Et, ne aulicis ſtrepitibus, aliíſque impedimentis turbaretur, Huennam, Helleſponti Inſulam, Latinis Venuſiam dictam, vltrò obtulit: Ex Camera item annuos certos reditus exſolui iuſſit. Hanc TYCHO acceptans conditionem, Inſulam ingreſſus eſt deſolatam, quam breui tempore ſplendidiſſimis quibuſdam ædificiis habitabilem, veluti & egregiis hortis, agris, piſcinis amœnam & fœcundam, cultiſſimámque effecit. Inſtrumenta motibus cæleſtibus accuratiſſimè obſeruandis idonea, quæ iam Pragæ in Cæſariano Palatio viua aſpicitis omnia, magnæ molis, aut maioris artificij machinas fabricauit quam plurimas. Ex Academiis ſtudioſos, pictores, ſculptores, chartopæos, typographos, omniſque

generis artifices alios acceſſiuit, ipſis victu, & amictu liberaliter proſpexit, ſalaria item diſtribuit. Illic dies, noctesque viſum, lectum auditum, ſcriptum, pictū, ſculptum, & fabricatum, Sūmatim, laboratū, vnicéque Cælum ſpectatum eſt. Horum operum fama mare traiecit ipſum, vniuerſam Europam penetrauit, eóque ex omni parte inuitati, catervatim, quotidie, ſpectatū accurrerunt plurimi, quos hoſpitaliter excepit omnes, & pro dignitatis ratione ſingulos, Reges, Principes, horum Oratores, Legatos, Comites, Barones, Nobiles, Studioſos, imò tabellarios; quæ quanti ſumptus res fuerit, cuivis æſtimare facilius eſt, quàm imitari. Nam, quod ipſe ſcriptis ſuis publicis teſtatur de peculio proprio, vltra centena millia Ioachimicorū, laudabili ædepol prodigalitate, in Aſtronomica impedit. In hac Inſula per hoſce labores nata Tychoni eſt Nova Illa Mundani Systematis Hypothesis, quâ hanc, hanc, quam inhabitamus, Terram, totius quidem Vniuerſi mediū ſtatuit, motus tamen omnis, ſecus quàm Copernicus voluit, expertum: nec etiā iuxta hanc orbium omnium ſecundi mobilis centra verſari, quod Ptolemæo viſum eſt, permiſit: ſed ambo ſolummodò Mundi lumina, & vnà remotiſſimam omnium aliarum contentricem Octauam Sphæram, in circumuolutionibus ſuis, Terram tanquam cētrum, ſpectare indulſit: reliquos verò quinque Planetas circa Solem, veluti Regem ſuum, gyros ducere, ipſo in omnibus illorum reuolutionibus, in medio conſtituto, affirmauit. Hoc ingenioſiſſimo Inuento cæleſtium apparentiarum omnium exactiſſimas rationes reddidit; hoc obſcura illuſtrauit, dubia explicauit. Stellas fixas mille multoties, & diuerſis Inſtrumentis, non mechanicè, ſed per triangulorum rationes, viginti & vnius anni labore pertinaci, & indefeſſo accuratiſſimè reſtituit; abſque quarum rectificatione haud vllus conſtaret verus cuiuſque Planetæ locus. Solis quoque, & Lunæ motus quàm emendatos hic reddiderit, cenſere artificum eſt, & laudare. Parem quoque diligentiam circa Planetas reliquos adhibuit: neque quicquam, quod ad diuinæ Aſtronomiæ inſtaurationem, perfectionémque facere noverat, vnquam vel ſegnis intermiſit, vel inuidus diſſimulauit, occultauitque; id quod partim iam editi ipſius in lucem libri, partim excudendi prolixè demonſtrant. Aſtronomiâ mechanicâ, quàm VVandeſburgi, arce Ranzouiana ad Hamburgum ſitâ, propriis typis, & ichnographiis elegantibus, primo egreſſus ſui ex Dania anno, publici iuris fecit, Inſtrumentorum fabricam, & eorundem vſum fideliter commonſtrat: ſine quorum ope, & ſubſidio vix vlla obſeruationum conſtaret certitudo. Stellarum autem fixarum abs ſe perfecta reſtitutio, reliquarum errantium meritò principium habetur neceſſarium, & fundamentum: quod reliquorum Planetarum rectè demùm ſequitur inſtauramentum. Poſtremum opus, circa quod fruſtrà ſuſcipiuntur alia, prædictionum formas ingenioſè explicat. Atque hæc, ni fallor, vniuerſæ Aſtronomiæ forma eſt, ad quam mihi Tycho quoque noſtes ſcriptiones ſuas direxiſſe videtur. Et iam profectò ex triginta ſex annorum certiſſimis obſeruationibus abſolutiſſimum, quod ab eo vnicè, & diu expectatum, in publicū emiſiſſet Aſtronomiæ Theatrum; niſi migratio ipſius e patria, & inde vſque loci aliquoties mutatio operæ moram iniecisset pernicioſam: cuius mutationis, & diſceſſus ipſius cauſas, quas perhibuit graues, & neceſſarias, alios malo recenſere. Verùm hanc temporis iacturam facilè reſarciſſet commodiſſimum otium, quod ipſi ante annos tres Auguſtiſſimus Cæſar Rudolphus, Imperator fecundiſſimus, fecerat clementiſſima in Bohemiam euocatione, & ſuſtentatione liberali; niſi, proh fatum implacabile! hunc dira mors, diuino Principi, & nobis omnibus, inſperatò ademiſſet. Nihilominus, ne quis fruſtra ipſum vixiſſe, & cœptum tantum, non verò abſolutum, ipſius opus exiſtimet, ſciat, ex tot annorum luculentis obſeruationibus, quas theſauri loco, ſibi ſemper proximas, & cuſtodiſſimas habuit, quaſque Daniâ excedens, naue expoſitas (eo modo quo aliquando Iulium Cæſarem, magna pugna, & clade elapſum, ſuos ferunt commentarios) allocutus, & exoſculatus eſt; hábet hæredes, quibus etiam haſce, iam animam agens, ſeriò commendauit, ædificij Aſtronomici ſufficientem materiam, cui fórmam inducere poſſent Viri tres egregij, & Tychoni Mathematicarum diſciplinarum peritia noti, & chari, & aliquandiu domeſtici, Doctor Melchior Ioëſtelius, Magiſter Chriſtianus Longomontanus, & Magiſter Ioannes Keplerus, inter quos manus hæc omnia nunc verſantur. Et quanquam D. Tycho Brahæus, vt ad iuuandum commune bonum vnice natus, ſic ad præſtandum non tantùm per totam vitam propenſus, ſed ſollicitiſſimus fuerit adeò, vt nullum laborem ſubterfugerit, nullis ſumptibus pepercerit: nihilominùs, vti mos Mundi huius eſt, aliquot hominum (ſi etiam tales homines ſint) reprehenſiones euadere non potuit. Aliis enim ab auita degenerare virtute viſus eſt, quòd equeſtris ordinis, & grauiſſimæ authoritatis homo, literas, & ex his Mathematicas diſciplinas tractaret; nec priuatim tantùm iis deliciaretur (quo fortaſſis apud hoſce veniam impetraſſet aliquam) ſed inde etiam publicam expectaret laudem, atque gloriam, dignus ceu priuatus, cui nobilitatis ademptum reſignaretur priuilegium. Huiuſmodi domi, & foris ſuſtinenda complura ipſi fuerunt iudicia; ſolo riſu, veluti & ſolebat, refutanda ſimplicitas, & rudis ignorantia. Quòd ſi enim inſcitia ſtemma meretur, quis agreſtibus futurus nobilior? Sin ſcientia inſignis efficit, quænam Mathematicâ poteſt nominari præſtantior? id quod docti intelligunt. Verùm tolerabilis iſthæc quodammodo fuerat iudicij infirmitas hominum, errore potiùs, quàm ſtudio, eò dementiæ prolapſorum. At ab iis, qui eruditionis titulis inſoleſcunt, qui literarum, & morum bonorum profeſſiones ſibi vendicat,

imò

imò ab iis, de quibus optimè ſemper, ſuomet ipſorum etiam teſtimonio, meritus fuerat, falſas criminationes, infaméſque calumnias, exſpectare, & perferre; res mihi videtur longè impatientiſſima. Hoc pacto, ante annos pauculos, quidam ingenioſus, & doctus; ſed abſque religione, & virtute homo, tetricum, & famoſum contra præſtantiſſimum hunc Virum diuulgauit ſcriptum, quale in hoc genere non vidit antiquitas, nec fortaſſis ſpectatura eſt vnquam poſteritas. Non ſat fuerat infamatori illi plagium committere litterarum, & TYCHONIS Hypotheſin, Vraniburgi repertam, falſariè pro proprio inuento venditare; niſi etiam Virum aurei generis, ſummæ eruditionis, inculpatiſſimæ vitæ, cum tota ipſius honeſtiſſima familia, ſexcentis contumeliis, & totidem mendaciis, apud alios, ſi non deformatum, ſuſpectum ſaltem reddidiſſet. Et profectò iure actum eùm hoc fuiſſet, velut etiam iam agi cœptum fuerat, niſi mors ſeram illam ſingulari beneficio, affeciſſet, & pœnæ ſubduxiſſet commeritiſſimæ. Sed quemadmodum TYCHO ipſe ſeſe, dum viueret, contra eiuſmodi calumnias, conſcientiæ innocentiâ, plurimorum item Illuſtrium, & doctorum Virorum iudicio conſolatus eſt: ſic etiam cuilibet rectè ſentienti eadem hæc nun abundè non poſſunt ſatisfacere. Ob ingenij, & doctrinæ excellentiam, nominiſque celebritatem, Inuictiſſimus Cæſar RVDOLPHVS, Princeps ſapientiſſimus (quem meritò primo loco nomino) in aulam ſuam acceſſitum voluit. FRIDERICO verò II. Daniæ Regi, tam charus, tam magnus, támque bonus habitus, vt nihil, quod maioris momenti fuerat, abſque huius ſcitu ſuſciperet. IACOBVS IV. modernus Scotiæ Rex, carmine TYCHONEM laudauit, ERNESTVS, Elector Colonienſis, plurimùm huic ſemper fauit. GVILIELMVS, Haſſiæ Land-grauius, per multos annos, literis de rebus ad Aſtronomiam ſpectantibus, cum ipſo certauit: quæ primo Epiſtolarum ipſius libro editæ continentur. VDALRICVS, Dux Megapolitanus, quò in Dania ipſum retineret, nihil non tentauit. Longum foret omnes per Europam ex Imperioſa familia natos, defunctos, & ſuperſtites, quorum ad TYCHONEM clementiſſimæ exſtant literæ, & ſpectantur munera, huc accenſere. Sed eruditorum, Dij boni, quot exaratarum ad ipſum epiſtolarum volumina, abſtruſis quæſtionibus pleniſſima! Nec vllum hoc ſæculo opus eruditum, & in Philoſophia egregium diuulgatum, in quo TYCHONIS nomen aliquoties legatur, in quo non ad ipſius authoritatem prouocetur. Et, vt è plurimis paucos nominem, Franciſcus Patritius, Clauius, Scaliger Ioſephus, Vlmus, Maginus, Roeſlinus, honorificè hunc, & frequenter, ſcriptis ſuis compellant. Quis igitur tam excors erit, aut ſenſus reprobi, qui non tot illuſtrium, & doctorum virorum candidis de D. TYCHONE cenſuris ipſe etiam ſubſcripturus ſit, veritatique calculum adiecturus ſuum? Non Deum TYCHONEM facio, ſed hominem fuiſſe, & ſcio, & affirmo, cui nobiſcum omnibus errare, atque labi fuit cōmune. Non diffiteor quoque, aut pernego, & ſuos ipsũ habuiſſe næuos, quibus mortalium haud expers vllus eſt. Illud tamen coram quocunque, erecta ceruice teſtari poſſum, & teſtor quoque, totis illis nouem menſibus, quibus triennium ante, VVittebergæ cum familia mihi conuixit hoſpes, eum ſeſe geſſiſſe erga Deum, & Homines, quoad Chriſtianum, & literatum hominem apprimè decuit: cum coniuge honeſtiſſima, ſuique obſeruantiſſima fœmina, maxima vixit concordia: liberos, ex octo adhuc ſex ſuperſtites, ad pietatem, & modeſtiam aſſuefecit: filios, qui ipſi duo, ſtudiis: acu, & colo filias occupauit: nec otio, peccatorum ſeminario, infenſiſſimus, diffluere cæteram quoque familiam paſſus eſt. Conſorti ſuæ facilis: ſeueritate verò reliquos continebat in officio: erga peregrinos comis, hoſpitalis, liberaliſſimus in pauperes. Verbis ipſius veritas, & breuitas: geſtui, & vultui grauitas: conſilio prudentia: factis felicitas inerat. Nihil fictum, nihil ſimulatum in ipſo, ſed ſcapham ſcapham appellabat: vnde omne, quod ſuſtinuit, odium. Nihil in ipſo humile, nihil deiectum: ſed ſublimem ferebat ſupra omnes fortunæ minas animum. Nulla in ipſo, præterquam temporis, animaduerſa auaritia: ipſi vita ſtudia erant: deliciæ verò meditatio: diuitiæ ſcientiæ: virtus nobilitas: religio, dilectio. Faſtum deteſtabatur omnem, omnem inanem ſtemmatis iactantiam. Non iræ tenax, & offenſionum, ſed ad condonandum faciliimus, vtque vno dicam verbo, quod ab aliis exſpectabat, idem promptiſſime præſtabat ſingulis. Prodeſſe cunctis ſtudebat, nocere verò nemini. Haberem, quæ plura de ipſo veriſſime prædicarem, ſi is, qui me grauiter exercet, luctus ſineret, nec noſſem vobis aliàs hæc omnia ſatis, ſupérque cognita, & perſpecta. His animi dotibus TYCHO noſter prædiens, cùm viueret; quibus etiam nunc in animis bonorum viuit, & victurus perpetuò eſt. Has exornârunt fortunæ bona, quæ hæreditate conſecutus fuerat ampliſſima veluti inſuper ſperare poterat olim maiora. Neque etiam corporis hunc deſtituit honor, atque decus: erecta ſtatura; firma, & virilia latera; facies decora, & aperta, quam ante annos triginta Roſtochij quidam noctu auſa prorſus ſicario, læſit, veſtigio ad mortem vſque ſemper conſpicuo. Valetudine antehac vſus fuit proſperrima, & inoffenſa, quam deinceps loci mutatio, & ipſam paulatim immutauit, nutantémque reddidit; vnde & ipſe breuioris vitæ coniecturam deſumpſit. Ætate præterita deteriùs longè habere cœpit, quod tamen, quantum potuit, apud ſuos diſſimulauit. Crebriores cum amicis lætitias abrumpens, de morte ſermones inſtituit: quum & domi à familia intereà temporis plurima animaduerſa prodigioſa, veluti & meus aliquid Genius præſenſit. Nam eo ipſo, quo ægrotare hîc cœpit die, ego hiſtoriæ Anatomiæ Pragenſis finem imponens VVittebergæ, atque ad Lectorem præfationem amanuenſi meo dictitans, plurimorúmque fau-

totum, & amicorum nomina recitans. de repente hæc iuſſi ſcribere: Tu verò, Generoſe D. TYCHO, fermè mihi excideras. Nam ignoto hactenus cælum, an terram potiùs habites: num ſuſpicias, an deſpicias. Salue tamen mihi cum TYPOTIO noſtro (quem ſimiliter ignorabam mortuum) vbicumque ſis, plurimùm. Dies, quo in morbum incidit, 13. Octobris erat, quem ipſi intempeſtiua inuitauit verecundia. Ad illuſtriſſimi enim Viri cœnam cum aliis vocatus hoſpes, vrinam ſuppreſſit, quæ conſeſſu protracto aucta, veſicam ita diſtendit, vt quaſi luxata, poſtmodùm excernere volenti, ampliùs non obedierit. Hinc ſubſecuta iſchuria, & doloris vehementia, quâ, cucurbitæ iuſtar, attractus ſanguis, veſicæ phlegmonem induxit, quam illicò, vt ſolet, febris comitata continua, & ab hac leuiuſculum exortum delirium. Qui affectus eò à me deſignatur deductiùs, ne veritati forſan vis fiat commento alieniſſimo. Nocte, quæ ipſius mortem præceſſit vltima, obtinuit eas à morbo inducias, vt magna facilitate, & conſideratè plurima ordinarit. Et quemadmodum Poëticæ à pueris vſque fauens ſtudioſiùs, expeditum, & elegans fudit carmen; ita morti vicinus verè cygnæam canere prolixè auditus eſt, quam etiam multoties ſuos iuſſit excipere: ardentiſſimos ad Deum, pro conceſſa vitæ vſura, pro exhibitis innumeris beneficiis, pro publica conceſſa pace, pro tributa toties Cæſari læta victoria, próque bonis abundè in commune collatis omnibus, hymnos modulatus eſt; pro placida animæ emigratione, pro cæleſti diuerſorio, profundis ſuſpiriis ſupplicauit; Eccleſiam, Rempublicam, ſuóſque omnes diuinæ protectioni commendauit; curam egenorum habere ſine reſpectu omnium ſuis ſeuerè iniunxit; piè, & honeſtè viuere, diuinúmque ſperare auxilium iuſſit. Atque ſic inter preces, & cohortationes, nobis omnibus, & vitæ huic valedixit, tam tranquillè, vt deficere nec viſus ſit, nec auditus. Sic itaque die abhinc duodecimo, qui erat 24. Octobris, cùm annos vixiſſet 54. menſes 9. dies exactè 14: humanis exemptus eſt Vir illuſtris, & generoſiſſimus D. TYCHO BRAHEVS, ſingulare Naturæ beneficium, & literaturæ ornamentum; quem non tam clara patria, nobiles genitores, corporis, fortunæque bona alia, quàm excelſa mens, & diuinum ingenium, carum, amabilémque Principibus, doctíſque viris, adeóque vniuerſis, præſtitere; cuius mors, quam pia, & honeſta vita præceſſit, haud mala eſſe potuit, eius nunc exuuias, & quicquid in ipſo mortale fuit, terræ committimus, officio humanitatis vt poſtremo, ſic maximo: pars ipſius verò melior, hoc eſt anima, IESV CHRISTI Seruatoris noſtri ſanguine pretioſiſſimo redempta, Cælum, quod antea ſuſpexit, & meditatus eſt, cum beatis omnibus inhabitat, cunctáque hæc inconſtantia deſpiciens, vitam iam viuit verè immortalem.

Orationis Funebris finis.

NE quiſpiam moretur, quòd ſub Orationis ſuperioris finem, legatur Tycho ſupra annos LIV. vixiſſe menſeis IX. & dies exactè XIV. cùm ipſe ſuperiùs ſcripſerim eum, præter annos illos, vixiſſe menſeis præcisè X. adnotandum eſt, cùm ipſe Tychonem habuerim natum die Decembris XIV. & mortuum deinceps die Octobris XXIV. ſupputari omninò, præter annos integros, menſeis X. ac dies X. Et quia tamen tempus Natiuitatis deſignatum eſt Stylo Veteri, tempus verò Mortis Stylo Nouo; ideò me, habita ratione detractionis dierum intermedio tempore factæ, detraxiſſe eos decem dies, quibus profectò Tycho non vixit: quare & ſupereſſe menſeis præcisè X. Parem rationem habui, cùm vitæ Peireskij tempus ſupputaui. Excuſandus porrò Ieſſenius, quòd præfeſtinanter Orationem conſcripſerit; neque idcircò aduerterit, nato Tychone, vt ſtatuit, die Decembris XV. aut ſupereſſe nouem dies, ſupra X. menſeis, ſi ad Stylum quidem veterem reſpexit, aut ſupereſſe XXIX. ſupra IX. menſeis, ſi reſpexit ad nouum. Quanquam hoc parui momenti eſt. Gratè interim habeo, quòd docuit Tychonem ex eo eſſe ſtemmate, è quo fuere pridem duo Reges aſſumpti, & nonnulla item alia, quæ mihi fuerant incomperta; vt quòd præter ſex liberos, quibuſcum migrauit Tycho in Germaniam, etiam duos alios habuiſſet.

Subſequuntur tum *Epitaphium*, tum *Chronologicum Diſtichon*, quod vtrumque, vt iam monui, intertextum ſuperiùs eſt: ac iſta quæ ſequuntur, ſubinde

ELEGIA
IN OBITVM EIVSDEM D. TYCHONIS BRAHE.

TV quoque funebris pars haud incognita pompa,
Appoſitos lacrumis funde Elegia modos,
Terrigenas animis potuit qui ſiſtere Cælo:
Terrigenum tumulo conditur ecce manu.
Aſſuetóſque oculos cæleſtem pandere lucem
Fuſa ſuper tenebris inuida claudit humus.
Gratuler ambiguum eſt, an laxem fræna dolori?
Dum meditor, lacrumas vtraque cauſa ciet.
Infælix mundi ſoboles, homo dedite mundo:
E mundo reliquum quid tibi Parca facit?
Quando etiam lethes Sapiētia mergitur vndis,
Diuináſque animi mors populatur opes:
Nec iam Sideria frigentia pectora cura
Demulcent ſolitis vita abeunte modis.
Si pars eſt hominis melior, mens edita cælis,
Vilia ſi terra pondera corpus habet;
Si probat ipſe Deus, pecudum contemnere vitam,
Pinguia non ventri thura adolere Deo:
Sed memorem eſſe ſui, celeréſque patrare per annos
Dignum aliquod tanta nobilitate decus;

Si potior mentis, quàm corporis vlla voluptas,
Pulchrior illius ſi, meliórque labor;
Si patrias animo præſtat decurrere ſedes,
Et laudem authoris commemorare Dei:
Debuerant equidem pulchra molimina mentis
Occidui fato corporis eſſe ſuper.
Nunc veluti nigris fulgens in nubibus arcus,
Has ſimul ac venti diſſoluere, perit:
Non ſecus Aſtrorum tot iam quæſita per annos
Notitia, & celeris mobile mentis opus.
Quod viſum Vraniæ fertur mirata ſub Aſtris,
Exemplo ſenſus obſtupefacta ſui:
Heu mihi non potuit motu ſupereſſe cerebri,
Nec niſi progreſſis ſenſibus ire comes!
Scilicet ipſa etiam quondam pulchra Aſtra peribunt,
Et res inſtabiles fluxa ſigilla decent.
Scilicet exiguum eſt, & vaſto ex æquore gutta
Quicquid ſideriâ de ratione tenes.
Vtque bibit floris lux irradiata colorem,
Ipſa ſibi nullus de Phaëtonte color:
Non aliter viles ſenſu monſtrante figuras
Mens hominis, craſſo corpore merſa, videt.
Aut tenue, aut nihil eſt, ſpecies aut proxima vero,
Aut pars in promptu eſt, pars adoperta latet:
Diuinos puro donec de fonte liquores
Corporis è vinclis, morte ſoluta capit.
Non igitur miſer eſt, lacrumis non aptus acerbis,
Solatur Domini quem modò blanda manus,
Oblitum leuium, capiat quò maxima rerum,
Iam vacuum curis, improba vita tuis.
Non poteras lethum pulchram præuertere palmam,
Arte triumphata, ſideribúſque venis.
Non poteras penitùs doctrinam extinguere mentis;
Quam ſpargit toto plurimus orbe liber,
Audiis hinc viuus magnas Pæana per vrbes,
Poſteritas omnis quem benè grata canet.
Gratulor hanc meritò ſortem: ſed cauſa doloris
Non leuis à noſtra nunc mihi parte venit.
Non mea tam longa iungam ſuſpiria pompa?
Méne hilarem iubeas publicus eſſe dolor?
Nam veluti ſi quà ſtagnantibus incidit vndis
Scrupulus & fluctum motio prima dedit;
Addit ſe in ſpatium, viréſque acquirit eundo
Circulus, atque omni littora parte ferit:
Non aliter, qui iam Pragenſi mœror ab vrbe
Naſcitur, Eois, occiduiſque plagis,
Regna per, & gentes, magis ac magis auctior, errans
Conturbat veſtras Auſter, & Eure domos.
Dania cumprimis Brabeum patria plorat,
Iamque ſuum Atlantem non abiiſſe velit.
Illuſtriſque domus, columen, Brabeia, regni,
Occubitu Solis, lumine caſſa ſui,
Luget, & ad luctum ſocios vocat ordine Billos,
Rudros, Ranszonios, pulchráque ſerta Roſa.
Stemma viri fulgens, regnum ſibi vindicat vnum:
Doctrinam cenſent omnia regna ſuam.

Fama Caledonium longè tranabit in orbem,
Signáque mœroris Rex Iacobe dabis,
Muſarum cultor celebris, tecúmque per orbem
Muſarum quotquot myſtica ſacra colunt,
Seu Princeps ditione potens, ſeu Flamen honore,
Quos loquitur propriâ pagina ſcripta manu;
Seu quocumque loco Stellarum conſcius artis,
Cui fuit in voti parte, Tychonis amor.
Non ita fatidicas ibant crebra agmina Delphos,
Sollicita ambiguos aure notare ſonos:
Quam ſuper arcano cælorum plurima motu
Brabeas adiit litera miſſa manus.
Conticuit vates, migrant oracula terras,
I, quære hinc alios Delphica turba Deos.

TV verò ante alios, Cæſar ter maxime, Reges
Non aliquem motum corde latente capis?
Veneras immitti Phœnix dilapſus ab Arcto,
Atque in Teutonia nidificabas humo,
Phœnicem propriâ voluiſti cernere in aula:
Non alia imperio dignior ales erat.
Venit ſumma dies, properarunt fata receptum
Phœnicem flammis, Phœbe, adolere tuis.
Quò minùs hunc flocci credam Te pendere caſum,
Impedit officium diue Rudolphe, tuum,
Armatum imperij depellere finibus hoſtem,
Tutari pacem, iuſtitiámque domi,
Et ſtudia, atque artes validas plantare per vrbeis,
Vnde hominum capiat commoda multa genus;
Percipiátque Dei iuſtas ſapientia laudes!
Hæc ſunt imperij munia ſumma tui.
O vtinam nunquam tua ſceptra fatiget Erinnys,
Arma domi nemo concitet, arma foris,
Nulla intemperies languentia corpora tentet,
Quod ſatis eſt fundat terra petátque manus.
Non ideo nulli cingant tua lumina faſces,
Non minor hinc Regi retribuatur honos.
Te duce certatim ſpeculentur ſidera ciues.
Quantaque diuina ſint monumenta manus.
Scilicet hac vna eſt diuini meta laboris,
Hac hominum decuit vita beata genus.
Hanc equidem Eois vitam vixiſſet in hortis,
Si poſſet vetitis abſtinuiſſe bonis.
Nunc immorigeros Nemeſis diuina, magiſque
Trux hominem duro pectore plectit homo.
Terra homines plectit, tribulos commutat ariſtis,
Torrida nunc æſtu, nunc adoperta niue.
Hinc genus Adamidum duras damnatur ad artes:
Siderea cunctis non vacat arte frui.
Hanc tamen eſſe tuam voluerunt Numina curam,
(Par immortali regia turba Deo.)
Has etiam ingenuas in ſceptra reponere curas,
Quòque potes, arctas amplificare, modo.
Tempora nobilibus condunt pereuntia ſignis;
Ætatem mundi pectora bruta docent.
Quanta ſit, expediunt, cælorum conditæ moles,

Quamque ſit humana commoda forma domus.
Ne velut ignota viuas peregrinus in vrbe
Terrigena, hoſpitÿ neſcius ipſe ſui.
Incipe,mortalis, ſtolidos deponere faſtus:
Quantula de mundo portio,quaſo tua eſt?
Quin etiam humanos adiuuant gnauiter vſus
(O res ingratis ſapè iteranda viris:)
Vranien fœcunda Ceres, Bacchúſque loquuntur,
Fauni Capripedes, Arcadiúſque Deus.
Vranie inſtabilem conſtrinxit Nerea nautis,
Æolia, Vranie ſub iuga, caſtra dedit.
Hac auis Hiſpanos alium deduxit in orbem,
Huic ceſſit clauſas gens eremefacta fores.
Vranie Batauos ſaua ſeruauit ab Arcto,
Quos fugit multo tempore clauſa dies,
Tanta dedit quondam cultori pramia diues;
Non equidem cunctas,credite, fudit opes.
Claudit inexhauſtam gremio pradiuite gazam,
Dat noua non pigris munera, culta viris.
Vim Celi reſerate viri,venit agnita ad vſum:
Ignota videas commoda nulla rei.
Clauſa aperire labor: ſed apertis non labor vti;
Natura ingenio, vim reſerate viri.
Mi quoque, Diua potens, propiùs perculta dediſti,
Ne cruciet mentem vana ſuperſtitio.
Dulcia non poteras compeſcere ſomnia Moſes:
Suſpicio magnos fecerat Aſtra Deos:
Fortè etiam magicas veniſſem promptus ad artes,
Elicient Orco, quos regere Aſtra putant.
Intima quamtiſper non ad penetralia veni,
Explorans vires lux animoſa tuas.
Conſulat Aſtrorum vires,quicunque laborat
Cum fructu vetitis obuius ire libris.
Tuque adeò immanes terris auertere peſtes
Si (quod Sacra iubent) Diue Rudolphe, cupis;
Si tibi ſunt cordi miſera noua commoda vita,
Gloria ſi ſummi, cultus, amórque Dei:
Hanc etiam clemens ſtudiorum amplectere partem,
Conſciam & Aſtrorum perge fouere Deam.
Strauiſti Scythicum non vna clade tyrannum:
Imbellem exſupera tandem etiam inuidiam.
Millia militibus,veniant modò ſingula Muſis:
Neutra grauant reditus inuida lingua tuos.
Si tamen vſque adeò multos rapit omnia miles;
Si cunctas adeò Mars populatur opes;
Seruanda eſt inopi tantilla pecunia fiſco;
Et nihil eſt ſtudiis,ſordide Rhetor, opus.
Deme catenato pretioſa monilia collo,
Sit ſimplex veſtis, menſáque parca tibi.
Luxuries inopi famuletur publica fiſco,
Nam nihil eſt illis,ſordide Rhetor,opus.
Tunc etiam Ioua fiſco cedemus honores;
Aſtra locum caſtris, ingeniúmque dabunt.

IOANNES KEPLERVS mœſtus poſuit.

INCOMPARABILIS VIRI

TYCHONIS BRAHE

ATLANTIS CYMBRICI, ET EQVITIS TORQVATI

ELOGIVM.

EDuxit, perhibent, immani mole Gigantes
Simplicibus tellus denuò culta viris.
Hi tentare quidem Calos aſcendere quōdam,
Quos tamen in terram, Dÿ repulere ſtatim,
At noſtris alium videas genuiſſe diebus,
Ipſum cui Calum ſarcina parua fuit.
Hic,cui non totus terrarum quà patet,orbis
Sufficere, euentu iudice non potuit.
Hic dico, ille Gigas, quem fama reclamitat harmus
Aſtriferos calos impoſuiſſe ſuis.
Hic voluit Stellas flammantes inter Olympi
Viuere,ſic ſcrutans intima clauſtra Poli.
Vnde refert nobis victor Myſteria cali,
Quicquid & occulti magnus Olympus habet.
Hinc videas monumenta viri, qua Calitùs ipſe
Edoctus, nobis conſpicienda dedit.
Hac, Diodore, oculis ſi vidiſſes, Miraclis
Dixiſſet ſeptem connumeranda tuis.
Cedite iam Primi Inuentores, cedite tandem:
Viribus hic cerebri vos facit arte rudes.
Hei mihi! Quid video? rumpit mea verba quid inter?
O mea quid ſubitus occupat oſſa tremor!
Occidit! hei vobis Calum,fulgentiáque Aſtra!
Occidit ipſe Tycho ſummus & alter Atlas!
Quid veſtrum ΤΕΙΧΟΣ *miſiſti abire Tychonem.*
Cui ſemper veſtri maxima cura fuit?
Anteà quem nobis ecce, Aſtra dedere benignè,
Inuida nunc oculis ſurripuere meis.
Non ego macreſco: Neque, ſi mihi vera fatendum,
Terra fuit tantum digna tenere virum.
Nūc Tycho ipſe ſuo ſpeculās ſpatiatur Olympo,
Atque ipſi ſpecula eſt,quod fuit ante ſcopus.
Ergo ſi voti compos iam deſpicit alto
Oſorem, dicens: Nil tua dira moror.
Nil tua dira moror, Fortuna victor & ipſe,
In terris poſthac degere non cupio.

PAVLVS IANVS Colding Cimber.

SVpereſt, vt libetem fidem circa memoratam Tychonis Epiſtolam de Confectione Elixiris ad Rudolphum Imperatorem. Tantò verò lubentiùs ipſam publici iuris facio, quantò optimus VVormius rectè diuinauit, nullum fuiſſe ad nos exemplum delatum egregij illius *de aere peſtilenti corrigendo* Tractatus, in quem præclarus Bartholinus ipſam inſeruerit. Quando certè nullum reperire licuit in inſtructiſſimis Bibliothecis eximiorum Medicorum Riolani, Morel, Patini, Mentelij, ne quid de Thuano, & cæteris dicam; credere omninò par eſt nuſquam apud nos aliquod exſtare. Tacere interim non decet, quod ille in ſuis ad me literis habet, dum,

Credo,

Credo, inquit, *hoc ipſum Medicamentum, de quo tecum egit nobiliſſimus Dominus Ketzius: Nam hoc nobis familiare, & in Pharmacopoliis noſtris titulo* ELIXIRIS TYCHONIS *venditur. Ego creberrimè in morbis malignis vſus ſum magno ſucceſſu. Sudores potenter mouet, malignitati reſiſtit, &c.* En verò quid id rei ſit.

ELIXIRIS TYCHONIS DESCRIPTIO

Aduerſus morbos Epidemicos,

Ad Rudolphum Imperatorem.

AVguſtiſſime, & Potentiſſime Imperator RVDOLPHE, Domine clementiſſime. Deſcriptio Medicamenti, quod contra morbos Epidemicos paſſim nunc graſſantes, Dei dono, efficax eſt, quale ſacra Cæſarea Majeſtas tua clementiſſimè per ſuum Capitaneum Brandeiſenſem à me expetiit, in hunc modum, prout ipſemet adinueni, & comprobaui, ſe habet,

Accipiatur primùm pro corpore, & fundamento, Theriacæ Venetæ optimæ, & veteris, aut potiùs Alexādrinæ, libra vna, cui in vitro oblongo, ſatiſque capaci, ſuperfundatur ſpiritus vini, è generoſo vino, terna diſtillatione, & rectificatione moderato calore elicitus, vt exſtet ſupra Theriacam ad quantitatem palmæ; poſteáque bene obturato vitro, ne ſpiritus exhalet, fiat digeſtio in tepidu balneo per ſeptimanam. Eâ peractâ, materia omnis, quæ in vitro eſt, filtretur per bibulam papyrum, vt ſeparetur purum ab impuro, liquórque admodum rubicundus, & perlucidus, qui hac filtratione prouenit, indatur cucurbitæ vitreæ, & ſupra poſito alembico, cum ſuo recipiente, atque vtrobique bene clauſis de more vitris, fiat lenta diſtillatio in balneo mediocriter calido, nec æſtuante; donec ſpiritus vini in receptaculum guttatim euocatus materiam, ſiue eſſentiam Theriacæ in fundo cucurbitæ vitreæ, inſtar mellis liquidi, colorem tamen ad ſubfuſam nigredinem tendentem obtinentis, reliquerit. Spiritus autem ille vini Theriacalis per ſe in vitro bene clauſo conſeruari poterit, & parùm manè, vbi lubuerit, de eo ſumi, inſtar alterius aquæ vitæ: habet enim in ſe aliquid, de volatili eſſentia Theriacæ, idcóque præſeruatiui loco eſt, præſertim ſi ex oleo juniperi ſulphurato, de quo mox dicemus, bis, vel ter vlterius in balneo exaltatus fuerit. Porrò eſſentia illa Theriacæ, quæ in fundo remanſit, ſic efficacior reddenda. Sumatur Sulphuris è Cholcotare puro ter ſublimati, & quarto ex Aloë, Myrrha, & Croco ſemel, leuiter, ſine adnſtione eleuati, quarta pars libræ, huic ſuperfundatur in cucurbita vitrea oblonga de oleo baccarum Iuniperi, quod purum, & in balneo rectificatum eſt, tantum, vt ſuperemineat quatuor digitis. Poteſt etiam addi oleum Succini in balneo ter rurſus diſtillatum, & ab odoris vehementia liberatum, vt ſit eius quarta pars, reſpectu olei juniperini, eſtque ſic melius; ponatúrque bene clauſo vitro, in fornace cinerum; ibi ſtet in tepida digeſtione per quatriduum. Eliciet interim oleum juniperi è floribus illis ſulphuris rubicundiſſimam tincturam, & optimam eorum eſſentiam in ſe attrahet. Fiat & hîc ſeparatio filtratione, prout anteà. De puro autem, & rubicundo liquore, qui papyrum bibulam tranſiuit, addatur duodecima pars eſſentiæ Theriacæ priùs confectæ, ita vt hæc duodecim vicibus oleum illud juniperi ſulphuriſatum excedat: mox ſimul digerantur in tepenti balneo, violà oblongà bene obturatà. Poteſt tamen iis priùs aliquid addi de extracto radicis Angelicæ, ſale Abſinthij puro, & eſſentia Carabis albi. His tribus ſimul mixtis, & pro decima ſexta parte priori liquori junctis, poſteáque, vti dictum, ſimul in digeſtione collocatis, idque per octiduum.

Superaddere etiam conducit ante digeſtionem, de priùs reſeruato ſpiritu vini Theriacali, tantum, vt tribus digitis ſuperſtet. Digeſtione hac peracta, fiet denuò ſeparatio impuritatum intrinſecarum per filtrationem ſupradictam, & ſpiritus additus ſeparetur in balneo, lentiſſimo igne, donec materia in fundo remaneat, inſtar picis liquidæ, quæ ex Dei benignitate, præſens eſt remedium contra luem Epidemicam, octo, decem, vel duodecim guttis, pro ratione patientis, in aqua aliqua competenti; vtpote Prunellæ, Angelicæ, aut Cardobenedictæ, cochleari vno intrò aſſumpta; idque ſtatim, ac morbus ſentitur, antequam per ſomnum virus cor occupârit, & poſteà ſudore per aliquot horas, quò diutius, eò meliùs elicito. Si manè quolibet, jeiuno ſtomacho de hac Medicina duę, vel tres guttæ in vino Abſinthiaco, vel quouis alio appropriato liquore aſſumantur, Præſeruatiui eximij loco eſt.

Poteſt verò hæc ipſa Medicina, per ſe omni auro præſtantior, adhuc magis exaltari, per additionem tincturæ corallorum, ſapphiri, & hyacinthi, & margaritarum materiæ reſolutæ, tum quoque auri potabilis, ſi modò verum, & genuinum, ac corroſiuis rebus non inquinatum, & corruptum haberi poſſit; ita vt de ſingulis hiſce ſcrupulus vnus priùs confecto Medicamento adjungatur, miſceatúrque.

Quin & vniuerſalius vt hoc reddatur Medicamentum ad omnes morbos, qui per ſudorem curari poſſunt, qualis fermè eſt tertia pars omnium eorum, qui humanum corpus infeſtant, ſic procedendum.

Antimonium ſelectum in regulum purum, ter, vel quater reiterata fæcum abjectione, redigatur; poſteáque contuſo, & puluériſato regulo, per cucurbitam terream, ignem fortem ſuſtinentem, ad latus diſpoſitam, impellatur forti igne, & ſucceſſiuè adaucto, alchol Antimoniale, in aliam cucurbitam terream recipientis loco appoſitam, donec totus fermè regulus Antimonij inſtar pulueris ſubtiliſſimi vas antepoſitum ſubierit. Hoc Antimonij Alchol poſteà in vaſculis quibuſdam reuerberationi idoneis, & ignis vim perferentibus, benéque argillà munitis, imponatur in reuerberatorium clauſum, ita

vt

vt flamma infrà, ac ſuprà tranſeat, ipſa autem vaſcula concluſa non attingat; fiat reuerberatio ſucceſſiuè adaucta, per ſex hebdomadas, donec Antimonium in puluerem album, vel ſubflauum redactum quodammodo fixum euadat.

Hic puluis Antimonij, etiam in aliqua copia aſſumptus, non purgat, nec quidpiam corpus moleſtat; ſed ſolummodo ſudorem moderatum, nec debilitantem ciet.

De quo ſi priùs præparatæ Medicinæ parum immiſceatur, multò adhuc præſtantior, & efficacior ad omnes morbos Epidemicos redditur: & inſuper Febres quaſcumque ritè adminiſtrata curat, obſtructionéſque aperit.

Atque hæc de Medicina Epidemica, quam Cæſareæ tuæ Majeſtati, prout clementiſſime voluit, humillime & fideliter communicaui, & vt ſecretam habeat, ſibíque ſoli reſeruet, demiſſe peto. Mitto verò nonnihil de eadem, quatenus hanc iuxta priorem deſcriptionis partem abſoluere licuit, quæ etiam valida eſt, atque, Deo dante, in talibus morbis præſens remedium exhibet.

Eſtque hæc purior, & præſtantior eâ, quam Cæſarea Majeſtas tua a ſuo Capitaneo per me etiam paratam habuit.

Hanc vt Cæſarea Majeſtas tua clementi animo accipere, donec plura eiuſmodi & maiora in eius gratiam parare opportunitas dederit, non dedignetur, ſubjectiſſime oro. Deus Optimus Maximus Cæſaream tuam Maieſtatem ab omni malo tueatur. Datæ ex Arce Cæſareæ tuæ Maieſtatis Benachia, die 7. Septembris anni 99.

Tycho Brahe.

CÆterùm, iſthæc ad Rudolphum Imperatorem Epiſtola admonet me, vt attexam aliam, quam ad eundem Tycho VVandesburgo dedit, ſub initium anni 1698. vt eſſet Præfationis loco ad Catalogum mille Affixarum, quem tunc ipſi, ac vna alia quædam adjuncta nuncupauit. Ipſa eſt, cuius ſuperiùs facta mentio eſt, cuiuſque eſt etiam, cum argumento tum ipſius, tum Catalogi, tum Tabularum, explicationiſque ipſi adiunctarum relata concluſio. Dixi quoque illeic eam me deſumpſiſſe, cum cæteris, ex ipſiſſimo Manu-ſcripto exemplo, quod Tycho ad Principem illuſtrem VVolfgangum Theodoricum Saliſburgenſem Archiepiſcopum miſit; nunc autem, vt eam heic adiiciam, duæ potiſſimùm faciunt cauſæ. Vna eſt, quòd, tametſi varia illius exempla miſſa huc illuc fuerint (& meminit ſanè Maginus exempli ad ſe miſſi, vt ſuperiùs attigimus) nemo tamen hactenus fuerit, qui publici iuris ipſam fecerit; cùm interſit nihilominùs, ne ex tanto viro vllum monumentum conſimile pereat. Altero, quòd hac occaſione præoccupare, & ſubiicere valeam, quod deſiderari ex me poſſet, ob ſcrupulum ſuperiùs iniectum, de diſcriminibus aliquot abs me adnotatis circa Longitudines, Latitudinéſque Affixarum, inter Catalogum Præfationi adnexum, & Keplerinum illum inſertum in Rudolphinas Tabulas, ac alium à Tychone inſertum in Progymnaſmatum librum primum. Ac ederem quidem, vt Keplerus fecit, Catalogum integrum; verùm quia ille prælaborauit, interſeruítque etiam, ſi quam deprehendit inter ſuum, &, non Progymnaſmaticum modò, ſed alios etiam, qui Longomontani, & Piſeri fuere, diſcrepantiam; idcircò non eſt, cur actum agam. Operæpretium ſolùm eſt, quî iſte ab illis diſcrepet, diligenter notare; cùm eſſe profectò, aut haberi deterioris notæ, quàm illi non debeat: vtpote qui ex eadem Tychonis officina prodierit, cuique ipſe ſua ſubſcripſerit manu. Operæ, inquam, pretium; vt poſſint qui rerum huiuſmodi ſtudioſi ſunt, Tabularum marginibus adſcribere diſcrimina, quibus deinceps, dum aliquam deſignatarum Stellarum vſurpabunt ad calculum admoneantur expendere ecquis eius locus ſit verior habendus.

Quanquam, iuxta ea, quæ loco iam citato, præmonui, prætermittam Stellas circiter viginti, in quibus differentia non eſt dimidio minuti maior; ac proferam ſolùm triginta, aut trigintatres, in quibus quæ occurrit, eſt notatu dignior. Admonui illeic obiter, eſſe in hoc Catalogo Stellas nonnullas, quæ alia ratione indigitentur, quam in cæteris. Nam in Keplerino, v. c. circa Caſſiopejæ conſtellationem legitur, *Infra ſcabellum trium praeced. Septentr.* in hoc verò, *Prima ſupra Cathedram Caſſiopeæ*. Circa conſtellationem Cygni; in illo, *Ad volam alæ paruula*; in hoc, *Trium in ſuperiore ala Cygni inferior*, atque ita de cæteris: ſed res facilè conciliatur. Admonui quoque nomina duarum, quæ in conſtellatione Cygni apud Keplerum deſunt, Stellarum, ex hoc ſuppleri Catalogo. Prior enim dicitur, *Prima in inferiore ala Cygni*; Poſterior verò, *Quæ in inferiore femore*. Adnotaui prætereà, quas duodecim Stellas ex conſtellatione Ophiuchi Keplerus ait ſuo defuiſſe, reperiri illas in hoc; cùm & vna prætereà adſit, ea nempe, *Quæ in ſiniſtra tibia*; & duæ item aliæ, quæ in illo deſunt, vna, *Vltima, ſiue Quinta informium circa Geminos*: altera, quæ in Eridano, *Quarta ſequens contiguarum Cete*. Adnotari etiam heic poteſt, Stellam ſecundam in Coma Berenices, de qua Keplerus dubitat, eſſe illam, quam ipſemet, & Progymnaſmata vltimo loco habent. Nihil ſubiiciam de Tabulis, déque explicatione, & vſu illarum, Catalogo à Tychone ſubiunctis: quando, vt ſuperiùs quoque innui, vix eſt in ipſis aliquid à Progymnaſmatibus diuerſum; aut ſi quid eiuſmodi eſt, vt quod ad illarum triginta ſex Stellarum comparationem attinet, id ſuppleri ex Alphonſinis, Prutenicíſque Tabulis poteſt. Ad Epiſtolam igitur, Præfationémve vt accedamus, en vt ſe res in autographo habeat.

STELLARVM

STELLARVM OCTAVI ORBIS INERRANTIVM ACCVRATA RESTITVTIO.

Ad Auguſtiſſimum Imperatorem RVDOLPHVM II. DE INERRANTIVM STELLARVM VERIFICATIONE, TYCHONIS BRAHEI

PRÆFATIO.

INERRANTES Stellæ quòd vniformiter ſemper diſtantes, vniformi etiam cieantur motu, Fixæ quoque appellantur, Imperator Auguſtiſſime, RVDOLPHE II. Domine clementiſſime, quas ſupra omnium Planetarum circuitus exaltatas in Octaua quadam (vti vocant) Sphæra ſimul omnes contineri, atque ibidem circa Polos Eclipticæ lentiſſimo motu conuolui receptum eſt. Hæ licet innumeræ ſint, tamen à vetuſtiſſimis Aſtronomis, qui in Ægypto, aut conſimili plaga habitârunt, mille viginti duæ ſolummodò denotatæ recenſentur. Quem pereximium laborem primus omnium Hipparchus Rhodius, quantum literis proditum eſt, ſubiuit, forſitan anteceſſorũ aliquot animaduerſionibus, præſertim Timocharis, qui 200. circiter annis anteà talibus inuigilauit, non parùm adiutus. Ipſum verò, de quo loquor, Hipparchum ex occaſione Nouæ cuiuſdam Stellæ, cæteras omnes enumeraſſe, atque Sidera ad normam expangere certis organis, ingentique labore ſuſtinuiſſe, magnificè deprædicat Plinius. Floruit verò ingens ille Hipparchus circa finem Monarchiæ Græcorum, annis circiter ducentis ab obitu Alexandri Magni, ante natum Chriſtum Redemptorem annis proximè centum viginti; quando bellum ab harum Regionum populis, quod Cimbricum dicebatur, in Italia geſtum eſt, Coſſ. C. Cæcilio, Cn. Papyrio Carbone: adeò vt plures quàm mille ſeptingenti anni effluxerint, ex quo Fixarum loca ab ipſo in normam redacta, numeris conueniente Abaco expoſita ſunt.

Intereà nemo tam ſublimi curæ operam ſedulam nauauit. Nam Ptolemæus Hipparchi ſucceſſor, & Aſtronomiæ Princeps appellatus, hac tamen præcipua in parte, & ſine qua cætera ritè conſtare nequeunt, requiſitam non adhibuit diligentiam. Notauit is quidem paucas quaſdam Stellas, vt innoteſcere poſſet, quantum interuallo temporis Hipparchum, & ipſum, quoſdamque alios intercedente, promotæ fuerint: at ad ſingulas vti ab Hipparcho factitarum, non attendit; præſupponens fortè, ipſius de his traditiones omnis ambiguitàtis expertes eſſe. Qua in re nimis credulus fuiſſe videtur. Aut enim errores non contemnendi ſubindè obrepſerunt Hipparcho in Stellis quam-plurimis; aut tranſcriptorum effectum eſt, quòd Abacus ille in nobis, quaſi per manus traditus non paucis ſcateat mendis. Adde quòd, ſolummodò in ſexta gradus parte, intra dena nimirùm minuta, ſe vbique continuerit in Fixarum locis conſignandis; ſiue quòd maiorem præciſionem minùs neceſſariam duxerit; ſiue quòd Inſtrumentis, quibus vſus eſt, ſubtiliùs hæc rimari non licuerit. At ſanè adhuc ſubtiliori opus fuit commenſuratione, ſi negotium pro vſu, & dignitate ritè tractandum, & Planetarum motus, qui è Fixarum locis ſumuntur, ad amuſſim extricandi forent. Sed condonari Hipparcho aliquatenus poſſet hæc lato modo accepta deſignatio, ſi & ipſa in denis illis, quæ pollicetur, minutis omnimodè cælo congrua eſſet: à quo tamen ſepenumerò ſemiſſe gradus, interdùm integro, & eò ampliùs deuiat, ſeu obſeruatoris incuriâ, ſiue vtraque de cauſa, non dixerim. Quin & Ptolemæus qui earundem progreſſus ſuis temporibus conciliare voluit, illas centenis annis ſingulos efficere gradus nimis lato modo aſſumendo, vix terminos in iis, quas huic vſui adaptauit, rectè præfiniuit; nedùm vt cæteras competenter diſpoſuerit. Incedens enim lubricâ illâ viâ, ad fallendum pronâ, quæ à Sole per Lunam Stellarum loca monſtraret, facilè quartæ partis vnius gradus, ſi non dimidiæ, errorem incaurè admittere potuit; veluti alibi à nobis expreſſiùs pandetur. Imò, cùm Refractiones Solis juxta horizontem (circa quem, cùm hanc pragmaticam exercebat, conſtituebatur) poſiti, vt de Parallaxibus non dicam, neglexerit, præciſionem ipſiſſimam non attigit; vti & ſæpiùs his, aliiſque de cauſis tam in Sole, quàm reliquis Planetis, & Stellis fixis, deuiationem aliqualem commiſiſſe videtur. Verùm hoc non ob id refero, quòd tanti Artificis, & de tota re Aſtronomica adeò præclarè meriti viri, ſine cuius operibus vix pateret ad hanc artem acceſſus, traditiones eleuare præſumam: ſed ſolummodò, vt negotij ſubtilitatem, & labyrinthos, vbi ſumma requiritur præciſio, maximis etiam Artificibus obrepentes aliquatenus indicem. Quæ vero ab ipſo Ptolemæo circa hæc factitata, & tradita ſunt, iuxta annum Domini 140. proximè euenerunt.

Albategnius, quem & Mahometem Aractenſem vocant, annis ſeptingentis quadraginta poſteà, hanc etiam arduam curam aliquatenus ſuſcipiens, paucarum quarundam Fixarum in longitudine loca emendauit; idque potiſſimùm ex tranſitu earum cum Luna per meridianũ, ratione equidem non

ſatis accurata : ſiquidem Lunæ locus vix ipſi tam certò, vti exiſtimabat, cõſtaret : tum quoque ob alia coincidentia impedimenta ſuo tempore reſetanda. Dum verò is quaſdam Stellas à ſe, vti opinabatur rectificatas cum Ptolemàicis locis cooferret, deprehendit in 66. annis voicum conficere gradum, nimitùm earum motum præcipitando, quem Ptolemæus anteà iuſtò tardiorem reddiderat. In latitudinibus earum nihil diſcriminis ſe reperiſſe putauit. Quod tamen veroſimile ooo eſt : quandoquidem ſenſibiliter mutata fuit eius tempore Eclipticæ obliquatio ab ea, quæ Ptolemæi æuo exſtitit : vnde latitudines Fixarum alterari à nobis euidenter demooſtratum eſt. In cæteris Stellis vbique Hipparchianum Abacum à Ptolemæo etiam vſurpauit ; niſi quod promotionem earum intereà ipſius opinione factam, vbique ſingulis addiderit.

Poſteà circa annum Domini 1250. trecentis ſeptuaginta annis ab Albategnio, Sereniſſimus ille Alphonſus X. Electus Romanorum Imperator, Rex Caſtilliæ, & Legionis, à quo deſcendendo originem trahis, Imperator Auguſtiſſime, memorabili liberalitate Aſtronomiæ redintegrationem procurans, Tabulis à ſe denominatis Alphonſinis, in quarum confectionem quater centena ducatorum millia munificè erogaſſe prædicatur, etiam Affixarum Stellarum Canonicam expoſitionem ab Hipparcho inchoatam, atque per Ptolemæum, & Albategnium eò vſque deriuatam retinuit ; apponendo ſolummodò quantum Fixę tunc vlteriùs progreſſæ credebantur. Videntur autem ij, qui huic negotio præfuerunt, ooo ſatis accuratè metas illas præfiniuiſſe : vnde fit, vt quaſi integer gradus nunc vt plurimùm deficiat in longitudinibus Stellarum iuxta Alphonſinas rationes numeratis : latitudines incorrectas reliquerunt; eas omnino immutabiles eſſe ſibi fruſtrà perſuadentes. Summâ nihilominus, quandiù Cœlum, & Sidera durabunt, memoriâ digniſſimus eſt inclytus ille Alphonſus; quòd tam ſublimem curam Regio patrocinio digniſſimã ſuſceperit. Et dolendum eſt ipſum eiuſcemodi oon obtinuiſſe Artifices, qui rem omnem debito modo exſequendo, è Cæleſtibus obſeruationibus cæleſtes etiam motus accuratè deducerent. Quod ſi euenisſet, tanti Herois tam eximia liberalitate minùs abuſi fuiſſent, & numeros Cælo magis congruos, in iiſdem tantis ſumptibus cõparatis Tabulis nunc inueniremus.

Tandem ſuperiore æuo incomparabilis vir Nicolaus Copernicus Canonicus VVarmienſis iuxta Fruemburgum Pruſſiæ circa annum Domini 1520. & aliquot ante, ac poſt, Aſtronomiæ reformationem aggreſſus, In Stellis tamen Fixis, quibus potiſſima pars inſtaurationis huius artis fundatur, nihil ſolidum, aut ſufficiens præſtitit. Solius enim Spicæ Virginis declinatione obſeruata, & latitudine veterum (quæ ambiguitate non caret) aſſumpta, vlteriorem Fixarum progreſſionem conſtituit : nec tamen ea, qua opus fuerat, præciſione rem tam ſubtilem peregit. Et hinc Æquinoctiorum anticipationem (vt is vocat) exſtruxit, redigens ſuam animaduerſionem ad primam illam Stellam in cornu Arietis, cuius interuallum Longitudinis à Spica ſecundum Hipparchianum, & Ptolemaicum Abacum nimis confidenter mutuatus eſt ; cùm eam, præbeat graduum centum ſeptuaginta, min. o. in Cælo verò ſint ad amuſſim centum ſeptuaginta grad. min. 39. itavt beſſis fermè gradus apud ipſum deficiat : indéque factum vt ne eam quidem Stellam, quam omnibus cæteris fundamentalem eſſe voluit, & ex qua omnium Planetarum curricula, tanquam certo . & fixo principio depromere ſatagebat, ſuo genuino loco, & ipſi Cælo ad amuſſim correſpondenti adaptarit. Idem etiam reliquas omnes Stellas inemendatas prætermiſit, tantummodò Æquinoctiorum præceſſionem propria quadam ſpeculatione excogitatam ſingulis temporibus longitudini earum à prima Arietis ſecundum Canonem illum veterem Hipparchi, & Ptolemæi apponendum cenſuit: ſicque multiplices errores in earum Abaco commiſſos nõ repurgauit, ſed potiùs ſtabiliuit, quamuis proculdubio non ignarus earum numeros nõ vndequaque ritè ſe habere. Ideóque conqueſtus eſt, referẽte Rhætico, ipſius præcipuo diſcipulo, Fixarum reſtitutionem accuratam ad Planetarum loca rectiùs cognoſcenda magno artis incommodo deſiderari ; Præceſſionem quidem illam Æquinoctiorum, qua Fixarum apparentem motus inæqualitatem à prædeceſſoribus deductã ſaluare nixus eſt, ſolertis ingenij acumine imaginabatur, qua etiam antecedentes enormitates quàm proximè excuſare licuit : at quod hæc in ipſis cæleſtibus apparentiis vbique, & perpetuò locum habeat, vix obtinuerit. Siquidem (vt alia nunc præteream) vel hoc tantillo tempore, quod eum, & nos interceſſit, annorum circiter ſexaginta, vel ſeptuaginta Æquinoctia multò celeriùs ſeſe anticipauerunt, quàm eius fert hypotheſis, atque hinc deriuati numeri. Vnde fit, vt cùm inſtanti ſæculo Stellæ Fixæ vnum gradum in centenis proximè annis iuxta illum abſoluere debeant, id potiùs in $70\frac{1}{2}$. expediant. Sic quoque Anni quãtitatem, cùm hæc duo iuxta ipſius ſpeculationem à ſeinuicẽ quaſi dependeant, nunc nimis tardam reddidit, efficiens eam vltra dies ſuos, & horas, minutorum $55\frac{1}{2}$. proximè, cùm tamẽ quadrageſimũ nonum nõ aſſequatur; ſicque ſeptẽ penè minutis debito plus ampliet. Quod per multiplicem aggregationẽ Æquinoctialia pũcta plurimum à cæleſti tramite dimouet : ita vt circa annum 1700. Æquinoctium vernum iuxta Copernici calculum, & Tabulas Prutenicas, Solis ingreſſum, qui cælitùs prouenit, integro die, & penè tribus inſuper horis neceſſariò exceſſurus ſit, vt tunc viuentium Aſtronomorum accurata teſtabitur obſeruatio. Circa hæc verò tẽpora, eſt ferè $14\frac{1}{2}$. horarum differentia, quibus eius numeri abundant. In vanum itaque laborant, qui ex Coperniceis, & Prutenicis numeris anni reſtitutionem eruere laborant, fruſtráque

Neoteri

Neotericam illam Gregorianam reformationem inde oppugnant, cùm hæc longè propiùs cæleſti normæ accedat: nec ſumma in his præciſio (præſertim inconſulto ipſo Cælo) facilè datur, aut etiam admodùm neceſſaria eſt. Sed hæc fortè nunc extra rem: niſi quatenus iuxta Copernicum Fixarum motiones Solis reuolutionibus quodam modo ſunt analogæ. Alibi dabitur, fauente Numine, commodior occaſio hac de re diſſerendi, & anni metas accuratiùs examinandi, Gregorianámque nouiter introductam, & latè ſtabilitam rationem (cùm non adeò, vti à quibuſdam, qui affectibus nimium indulgere videntur, inſimulatur, deuia ſit) confirmandi; quemadmodum & hoc ex primo capite noſtrorum Progymnaſmatum; & motu Solis iſthic accuratè ex obſeruationibus reſtituto colligi poterit: vbi quoque ea, quæ de Affixis ſideribus iam præmonuimus, ex ſecundo eius capite vberiùs, & particulariùs, vnà cum pleriſque aliis hùc facientibus, conſtabunt.

Cùm itaque ſatis ſupérque in propatulo ſit Inerrantium Stellarum locis, neque à veteribus Aſtronomis, neque etiam recentioribus ea, qua opus fuit, accuratione hactenus proniſum eſſe, nimia ſanè Aſtronomicæ certitudinis iactura (quod tamen anteceſſorum placita extenuandi causà nequaquam dico, ſed ſolummodò vt veritati ipſi, quæ non tutò hîc prætetitur, teſtimonium ingenuè præbeam) idcircò ante multos annos hanc eximiam, vtvt laborioſam, in nos recepimus prouinciam, quo omnes Stellæ Fixæ, quotquot in noſtro climate viſui vtcumque paterent, quàm exactiſſimè in debita loca ſecundum longum, & latum reſtituerentur. Res equidem (ſi liceat id, quod verum eſt, dicere) ardua, & multis ſæculis incaſſum deſiderata: ſine qua etiam diuina illa Aſtrorum ſcientia in integrum reſtitui omninò nequit. Laborandum ergo erat ab initio enixè, & circumſpectè, vt aliqua, ſaltem circa Zodiacum præſertim innoteſceret Stella, cuius exquiſita ab Æquinoctiali puncto, vbi Æquator, & Ecliptica ſeſe mutuò interſecant, daretur remotio; vnde cæterarum deducerentur longitudines: ex quo id hactenùs nequaquam requiſita circumſpectione præſtitum ſit. Ideóque ſummâ diligentiâ operam dedimus, vt Lucida illa, quæ tertia eſt numero in Capite Arietis, ad amuſſim primùm innoteſceret, tam per ipſam, quam alias hùc conuenienter reductas; omnia multifariàm, & ſubtiliter examinando. Quod non ex Luna fluxivaga, & obſeruationi huic minùs idonea, intermediante Sole, vti factitârunt veteres, dubio exemplo, efficere lubuit: ſed potiùs per Veneris Stellam, vnà cum Sole ſæpiùs nobis tam matutinam, quàm veſpertinam apparentem, interdùm etiam circa Meridianam diſcretè ſatis conſpectam exſequi conſultiùs duximus; idipſum atteſtante multiplici experientia, modò ritè præcaueantur, tam Refractionum, quàm Parallaxium inſinuationes. Omnia enim huc pertinentia ex vtraque conſideratione Eoâ, ac Veſpertinâ multimodè explorata prorſus in idem punctum reuocaui, quemadmodum hæc capite ſecundo dictorum Progymnaſmatum inſtaurationis Aſtronomicæ luculenter à nobis exponuntur; & demonſtrantur. Poſteà ex hac ipſa Stella aliarum iuxta Zodiacum, & Æquatorem fulgentium per totum Cæli ambitum conueniens facta eſt circumductio, aliquoties, & variè repetita, vt totus abſolutè clauderetur Circulus.

Ex iis verò ſic fundamenti loco exactè diſpoſitis, reliquas omnes tam verſus Boream, quàm Auſtrum, quotquot aliquatenùs cernere licuit, in normam ipſi Cælo congruam expanximus: idque per accuratiſſimas obſeruationes magnis, & metallicis, ſolidéque elaboratis Inſtrumentis conquiſitas; & deinde Triangulorum Sphæricorum ratiociniis in numeros exactos reductas. Neque enim Mechanicæ tractationi in tam arduo, & ſubtili negotio ſatis confiſi ſumus, vtvt Globus orichalcicus diligenter elaboratus nobis in promptu ſit, ſex in diametro habens proximè pedes; ita vt gradus ſingulorum minutorum capaces ſua vaſtitate exhibeat (vbique enim certiora ſunt Geometrica in numeros reſoluta, Mechanica quavis, & quantumuis diligenti applicatione) ſicque millenas Stellas exquiſitiſſimè reſtituimus, ſingulas tam in longitudine, quàm latitudine, adeóque in ipſo minuto, imò nonnunquam, vbi opus videbatur, eiuſdem ſemiſſe. Quia verò multæ erant, quæ à veteribus notatæ noſtro in horizonte non orirentur; alias quaſdam, licet admodùm aſpectu paruas, & ob id ab iis omiſſas, hinc inde applicuimus, vt numerus, de quo dixi, compleretur, quem antiquitùs ſolummodò 21. exceſſerunt. Quas verò nos addidimus à veteribus haud obſeruatas, eæ ſtellulà quadam in hunc modum * inſignitæ ſunt. Redeximus autem conſultò omnia ad annum Saluatoris noſtri 1600. completum, iuxta vſu receptam numerationem; idque vt à ſingulari, & euidenti quadam Epocha centenariis annorum incluſa, à qua etiam nonniſi biennio abſumus, deductæ earum motiones antrorsùm ac retrorsùm aliis; atque aliis annis eò commodiùs applicarentur. Qua autem præciſione omnia exſecutus ſim, ex iis conſtare poterit, quæ circa finem dicti capitis in Caſſiopeiæ Aſteriſmo, ob Nouam illam, & miraculoſam Stellam anni 1572. addidimus: in cuius conſtellatione duplò plures recenſemus Stellas, quàm olim factum eſt; ſingulàque per Triangulos Geometricè demonſtramus, accuratione ſumma, qualem etiam vbique in cæteris omnibus adhibuimus, licet varia ratione, prout commoditas alia, atque alia exigebat. Ideóque polliceri poſſumus ſingula in his tanta diligentia, & ſubtilitate elaborata eſſe, vt vix maior à quoquam requiri, aut præſtari poſſit. Latitudines inſuper Stellarum, de quibus loquor, Inerrantium ad rationē mutatæ obliquitatis Zodiaci nonnihil alteratas eſſe ſimul deprehendimus; quod à nemine antecedentium Aſtronomorū, vt vel ex ſuprà recenſitis patet,

animaduerſum. Cuius etiam rei per varia exempla ſufficientem demonſtrationem aoredicto capite attulimus,& noſtra cum veterum inuentis ſeduló contulimus; atque deuiationes, vbi neceſſe fuit, indicauimus.

Ipſam verò Canonicam expoſitionem millenarum, quas pollicemur,Stellarum hîc exhibemus,præmiſſa, & ſubſequente earumdem omnium motione per ſæcula proxima quatuor ſæcula,in quibus æqualitatem ratam obſeruare lubuit; ſiquidem eam interea ſenſibiliter non alterari perſuaſum habeamus: vti neque aliàs tanta his ſubeſt inæqualitas, quantam vitio obſeruationum minùs accuratarum ſuſpicati ſunt prædeceſſores noſtri. Subjunxi quoque poſtea 100. præcipuarum Stellarum Declinationes, & Aſcenſiones rectas, ex præmiſſa reſtitutione demonſtratiuè ſubductas, & duobus ſæculis per intercedentes differentias ita accommodatas,vt ſingulis etiam intermediis annis,tum quoque aliquot præcedentibus,& ſequentibus ſatis commodè inſeruire queant. Si quis plures voluerit, non difficulter eas ex præmemoratis longitudinibus, & latitudinibus ratiocinabitur. Refractionibus inſuper Stellarum in decliuiore altitudine, intra vigeſimum nimirùm gradum, Tabella quadam ab ipſa experientia multipliciter concinnata ita proſpeximus,vt hæ, velut anteà, obſeruationem ratam,eiúſque vſum non interturbent. Demonſtrationem, & rationes horum omnium Caput illud ſecundum Tomi primi Progymnaſmatum Aſtronomicorum, de quo aliquoties dixi,quatenus neceſſum fuerit, ſuppeditabit.

Quod verò eximius ille Regiomontanus in illuſtri Imperatoriæ tuæ Majeſtatis Academia Vienenſi (quæ excellentiſſimos ſemper fouit Mathematicos) Aſtronomus imprimis celebris, & magni illius Peurbachij ibidem diſcipulus, ante 126. circiter annos de Canonica Fixarum deſcriptione à Ptolemæo ſucceſſiuè, inde ab Hipparcho tradita grauiſſimè eloquitur; *Eſſe videlicet diuino magis, quàm humano inſtinctu poſteritati ſacrum, &, ſi Pythagora auſcultamus plebeia turba haud quaquam profanandum, cæleſtis numeri Abacum, quem noſtra etiam tempeſtate per ſupplementa quadam exacto tempori debita inſtauratum, ad varios, & dictu incredibiles vſus accommodare ſolemus; quamuis creduli magis ea in re, & ignari, ac ſegnes dici mereamur, quàm vigilantes, & ſtrenui maiorum ſectatores; quippe qui Aſtronomiam in tugurio, non in Cælo exercemus, confiſi plurimùm ſcripturis,iam ætate nimia, & ſitu confectis, quæ, cùm humanis Authoribus orta, & edita ſint, eadem quoque lege cadant neceſſe eſt,niſi per ſæcula furtim labentia induſtriis quibuſdam vigiis refulciantur.* Idem ſanè ego de meis in hoc negotio exantlatis laboribus, ſi pro meipſo abſque inuidia, & ſiniſtra aliorum interpretatione teſtimonium ferre, & quod res eſt dicere liceret, affirmare auderem, quod non promiſcuo vulgo communicanda ſint ea, quæ circa Inerrantium Stellarum redintegrationem numeris recenſemus; præſertim cùm longè maiore tam præciſione,quàm certitudine conſtent,quàm ea, quæ à veteribus in hoc ipſo negotio factitata accepimus. Quin & id appoſitè admonet, nimiſque verè ſocordiam Aſtronomorum huius ſæculi arguit,dum eos cæleſtibus non debita attendere accuratione, ſed artem ſolummodò in libris exercere aſſerit. Quod non ſaltem ab ipſo, ſed & aliis diu, multúmque licet deploratum ſit: tamen nec ipſe Regiomontanus, nec quiſquam alius hæc intelligens, quod ſcitur, manum, vti decuit, operi adhibere voluit (excepto ſolo illuſtriſſimo, & laudatiſſimæ memoriæ Principe Guilielmo Haſſiæ Land-grauio; eſt enim faciliùs ſemper dicere, quàm facere) antequàm nos proximè elapſis aliquot annis hoc onus,licet non leue, ſed multis anfractibus, & difficultatibus obnoxium in nos receperimus. Quid verò in eo præſtiterimus, iudicet futuris ſæculis ſubſecutura Poſteritas; quæ vbi certitudinem adeò exactam in iis, præter aliorum rationes,patefactam eſſe cælitùs perſpexerit, ea, vti ſpero,grata mente recolet,atque magni, & pretioſi theſauri inſtar conſeruabit.

Tibi verò, Auguſtiſſime Imperator, hanc à nobis multis annis exantlatam, & tandem canonicè deſcriptam Stellarum Inerrantium expoſitionem ſubmiſsè, & reuerenter omnium primo offerendam cenſuimus; vt tua clementiſſima voluntate hæc ipſa ſuſcipiens, me, & ea, quæ tracto, cæleſtia, & ſublimia exercitia in poſterum Cæſareo fauore,atque clementia complecti non dedigneris. Hanc igitur ipſam inſtantis huius anni ſtrenulam, vt tua Imperatoria Majeſtas clementi vultu accipiat,& excipiat,ſumma demiſſione rogo. Cui me, meaque ſtudia omnia ad obſequia quævis pro virili præſtanda paratiſſima,quàm humillimè voueo. Dabantur propè Hamburgum, in Arce Rantzouiana VVandesburgo, circa terminos Germaniæ,& Cimbricæ Cherſoneſi,anno 1598. poſtridie Calendarum Ianuarij.

SVbjiciendus iam eſt Elenchus Stellarum, quarum aut Longitudo, aut Latitudo,aut interdum vtraque aliter habetur in Catalogo 1000. Affixarum, à Tychone miſſo ad VVolfgangum Theodoricum Saliſburgenſem Archiepiſcopum. quàm in inſerto a Tychone 800. Stellarum in Librum primum Progymnaſmatum; aut in Keplerino (alióve) Stellarum itidem millenarum, inſerto in Tabulas Rudolphinas.

Vocula autem *Prog.* vel *Progymn.* indicabit lectionem eius Catalogi.qui extat in primo Progymnaſmatum libro. *Rud.* vel *Rudolph.* lectionem eius, qui in Tabulis Rudolphinis. *Th.* vel *Theodor.* lectionem eius, cuius ad Theodericum Saliſburg.miſſi exemplum penes me eſt. *Al.Catal.* lectionem alius,vt Longomontani, vel Piferi, qualis attingitur, inſeritúrve in Rudolphino. Vbi verò Progymnaſmatici nulla fiet mentio,ſignum erit Stellam ab illo abeſſe: vbi neque illius, neque Rudolphini, abeſſe ab vtroque; ac in Theodoricano ſolo reperiri.

CONSTELLATIONVM, ET STELLARVM NOMINA.		Longitudo.		Latitudo.		Magnitudo.
		gr. min.		gr. min.		
IN TAVRO. Occident.Lucidior.	*Progymn.*	23. $13\frac{1}{2}$.	♉			5
trium in Pleïadibus.	*Rud. Th.*	23. 50.				
IN GEMINIS. Informium 5. infrà Genun. vltima & parua.	*Theodor.*	23. 54.	♋	1. $18\frac{1}{2}$.	B	6
IN LEONE. Sequens duarum in	*Rudolph.*	18. 5.	♍			5
ſin. pede poſteriore.	*Theodor.*	18. 50.				
IN LIBRA. Informis duar. infra	*Rudolph.*	12. 11.	♏			4
Lancem Auſtralem.	*Theodor.*	24. 11.				
IN EADEM. Sequens ſub Bor.	*Rudolph.*	15. 17.	♏			3
Lance in ſin.Brachio.	*Theodor.*	15. 27.				
IN VRSA MIN. Informium circa Polarem Tertia.	*Rudolph.*			69. 3.	B	6
	Theodor.			69. 8.		
IN VRSA MAIORE. Sequens	*Rudolph.*			24. 50.	B	3
Auſtral. inter extrem. ped. & Caput ♌	*Theodor.*			24. 59.		
IN EADEM. Præcedens duar. in	*Rudolph.*			21. 28.	B	3
baſe Oxygonij.	*Theodor.*			21. 38.		
IN EADEM. Prima inter caudam, & corpus.	*Rudolph.*			58. 8.	B	6
	Theodor.			53. 8.		
IN BOOTE. Superior in Colorubo.	*Rudolph.*			33. $27\frac{2}{3}$.	B	4
	Theodor.			33. $37\frac{1}{2}$.		
IN CYCNO. Quæ in inferiore	*Rudolph.*			35. 35.	B	6
femore.	*Theodor.*			25. 35.		
IN CASSIOPEIA. Paruula ad	*Rudolph.*			45. 58.	B	6
crineis.	*Theodor.*			45. 28.		
IN EADEM. Quæ ſupra	*Rudolph.*			59. 8.	B	6
treis, infra ſcabellum, verſus Polum.	*Theodor.*			49. 8.		
IN EADEM. Inter Caſſiopeiam,	*Rudolph.*			30. 22.	B	6
& Erichthon. Quarta.	*Theodor.*			38. 22.		
IN EADEM. Trium in Boream	*Rudolph.*	0. 57.	♋			6
Secunda.	*Theodor.*	0. 47.				
IN EADEM. Earundem Tertia.	*Rudolph.*			45. 32.	B	6
	Theodor.			45. 33.		
IN PERSEO. Informium Præced.Caput Meduſæ.	*Prog. Rud.*			20. 53.	B	4
	Theodor.			24. 53.		
IN EODEM. Secunda in recta	*Al. Catal.*	4. 12.	♊			6
linea cum Polo, & Lucida Perſei.	*Rud.Th.*	4. 2.				
IN EODEM. Quarta earundem.	*Al.Catal.*	6. 25.	♊			6
	Rud. Th.	6. 15.				
IN ERICHTHONIO. Lucida in	*Rudolph.*	24. 28.	♊			2
dextro humero.	*Prog. Th.*	25. 52.				
IN EODEM. In dextro brachio.	*Rudolph.*	23. 58.	♊			4
	Prog.Th.	23. 59.				
IN EODEM. Sequens duar. in	*Al.Catal.*	22. 24.	♊			5
dextro brachio.	*Rud.Th.*	22. 44.				
IN COMA BEREN. Infima ſequens trium contiguarum.	*Rudolph.*	21. 52.	♍			
	Prog.Th.	22. 52.				
IN OPHIVCHO. In dextro	*Rudolph.*	12. $20\frac{1}{2}$.	♐			3
genu.	*Prog. Th.*	12. 24.				
IN EODEM. Quæ in ſiniſtra tibia.	*Theodor.*	12. 24.	♐	7. 18.	B	3
IN ANTINOO. In dextro brachio.	*Rudolph.*			24. 56.	B	
	Theodor.			24. 18.		
IN EQVVLEO. Præcedens	*Progymn.*	17. 45.	♒			4
oris.	*Rud. Th.*	17. 54.				
EADEM.	*Prog.Rud.*			25. 16.	B	
	Theodor.			30. 41.		
IN PEGASO. In collo Pe-	*Rudolph.*	6. 28.	♓			4
gaſi.	*Theodor.*	10. 56.				

CONSTELLATIONVM, ET STELLARVM Nomina.		Longitudo. gr. min.		Latitudo. gr. min.		Magnitudo.
IN ERIDANO. Quarta ſequ. cooriguarum Cete.	*Theodor.*	15. 23.	♉	3. 19.	A	3
IN EODEM. Seqoens eam, quæ ſupra præcedeotem & inferiorem.	*Rudolph.*	24. 58.	♉			4
	Theodor.	23. 58.				
IN EODEM. Præcedens duarum inter Eridanum & Taurum.	*Rudolph.*			18. 26.	A	4
	Theodor.			16. 26.		
IN CRATERE. Quæ eſt in vaſe.	*Prog. Rud.*			22. 41.	A	4
	Theodor.			22. 5.		
IN EODEM. Præcedens duarum inferiorum.	*Rudolph.*			18. 10.	A	4
	Theodor.			18. 16.		
IN EODEM. In medio Crateris.	*Rudolph.*			14. 9.	A	5
	Theodor.			4. 9.		

SVnt quidem etiam præ manibus exempla Epiſtolarum aliquot, quas heic attexere cogitâram, ſed res deinceps viſa eſt futura nimis importuna; quòd quicquid in iis contineſur argumenti præcipui, id fuerit in Vitæ ſeriem iam inſertum. Tale nimirum eſt, quod ad Paſchalium Mulæum ſcribens Tycho, de cauſis ſuæ ex Dania demigrationis ediſſerit: quod ad Ioſephum Sealigerum, de ſe ad Cæſarem euocato, déque grata mente ob officia erga Hollandos præſtita: quod ad Longomontanum, de deſideratæ illius præſentiæ occaſionibus, aliáque eiuſcemodi. Supereſt proinde dumtaxat, vt ſubiiciam heic paucula, quæ ad manum ſunt quoque, oondum edita eius carmina; ac vt ſeligam ex variis Elogiis in Tychonis laudem conditis, vnum Proſa, aliud Carmine, quæ corooidis vice adhibeantur. Prius deſumetur ex Viri illuſtris Iac. Aug. Thuani hiſtoriis: poſterius ex iis verſibus, quos M. Laubanus ad Hebri Salices conſcripſit. Adnoto interim circa prius, illuſtrem Virum, cùm propiùs accedat, quàm Ieſſenius, ad x. menſeis, quibus ſupra annos LIV. Tycho vixit, abeſſe adhuc nihilominùs ab illis, diebus XI. Nec verò idcireò qnidpiam circa menſium, dierúmque numerum mouebo: id tantùm libertatis ſumam, vt ſuum Keplero *Ioannis*, pro *Iacobo* oomen reſtituam, quod Vir illuſtris, ſi viueret, eſſe reſtituendum cenſeret. Sed Carmioa ex Tychone ecce,

Fundamentali Vraniburgi lapidi hac fuere inſculpta.

TEMPORE, QVO REGNVM, QVI NOMINE, REQVE SECVNDVE
DANORVM IMPERIO REX FRIDERICVS HABET:
CAROLVS AD DANOS GALLI LEGATIO REGIS
DANZÆVS, PATRIA CVI EST AQVITANE SOLVM:
HVIC OOMVI VRANIÆ, ET SOPHIÆ, QVAM TYCHO BRAHORVM
CLARA STIRPE SATVS, REGE IVBENTE, SERVIT:
HVNC LAPIOEM AVSPICIO FELICI, VTQVE OMNE PER ÆVVM
AVGVSTI, ID MEMORET LVX MODÒ SEXTA, LOCAT.

A D

H. GYLLVNFINVM
Bahuſiæ arcis Præfectum, hoſpitem ſuum amantiſſimum.

TAnta fuit virtus, Mauors, & ſplendor auorum
Aurea quod Genti nomina Stella dedit.
Magna quidem laus eſt micuiſſe, vt ſidera maior,
Vt Phœbus Patribus præmicuiſſe tuam.
Tot Patria inſignes peperiſti Marte triumphos,
Claráque tot victrix dextra trophæa tulit.
Vtque micant radiis rutilantibus æquora Phœbi,
Cimbria ſic palmis fulget, auáſque tuis.
Aurea Stella aptè, titulo tamen impare geſtu
Aureus, & melius Sol tibi nomen erit.

T. B.

Doctiſſime

Doctiſſimo, & humaniſſimo viro,

D. IOAN. FRANCISCO RIPENSI,

Medicinæ Galenicæ Doctori, Poëtæ, & Muſico eximio, omnibúſque bonis caro.

SI mortale nihil deceat perferre Camœnas,
Sique Poëtarum fama perennis erit,
Arte Machaonia, docuit qui primus Apollo,
Si Libitina tuum ius inhibere licet:
Muſica, lætitia, genitus, conuictus amicus,
Si cita Parcarum ſiſtere fila queant:
Quæris, in hoc tumulo cur condidit oſſa Iohannes
Franciſcus? cúrque is concidit ante diem?
Quem Muſa, & Charites adeò coluere: quod inter
Præcipuos vates nomen habere darent:
Et cui contribuis facundi cura Galeni,
Conſpicuus Medica Doctor vt arte foret:
Muſica mentem hilarem, facilis conuictus amicos,
Egregium mores attribuere decus.
Ille ſcœva tamen poterat nec flectere fata,
Et multò luſtris plus ſupereſſe decem.
Scilicet eſt certi præfixus terminus aui,
Quem ſuperare nequit; ſtat ſua cuique dies.
Nec mors ſæua vlli parcet, licet ipſe Machaon
Arte ſiet Medica carminibúſque Maro:
Orphea ſeu cantu ſuperet, ſeu Theſea amore;
Eſt adeò claris mors inimica viris.
Ergo nihil mirum eſt, quòd fatis ceſſit iniquis
Vir, qui perpetuò viuere dignus erat.
Forſitan & mores hominum, terráque perosus
Optabat ſuperis ciuis adeſſe Dijs.
Nec fruſtratus in hoc, Chriſto duce, gaudet Olympo:
Heic ſine fine quies, vita, ſalúſque datur.

Obiit anno 1584. ætatis ſuæ 52.
Amico poſt fata, quod viuo, addixit,

T. B.

De Claſſe Hiſpania,

Interpretatio Carminis à Sereniſſimo Rege Scotiæ conſcripti.

INſano tumidæ gentes coïere tumultu,
Auſa, inſigne nefas, bello vltrò ciere Tonantem,
Mars ſeſe accinxit: metuenda tot agmina nunquam
Viſa ferunt: properare truces miro ordine turma,
Nóſque mari, & terra, & ſæuo clauſere duello,
Exitium, diráque minantes cæde ruinam:
Irrita ſed triſti legent conamine fine:
Nam laceras ictu venius ludibria puppès,
Et ſparſit rapidis turgeſcens montibus Æquor.
Felix communi qui euaſit clade ſuperſtes,
Dum reliquos miſero deglutit abyſſus hiatu.
Cui vis tanta cadit? quis tótque ſtupenda peregit?
Vanos Ioua ſacro conatus riſit Olympo.

T. B.

Ex Iac. Aug. Thuani hiſtoriar. lib. 126. & ad annum 1601.

TYCHONIS ELOGIVM.

POſt Pinellum, commemorandus venit Tycho Brahe, Eques Danus, Aſtrorum vera ſcientia, & obſeruationibus longo tempore in ſua Vranopoli, & magno ſumptu factis, omnium concordibus ſuffragiis Principis Aſtronomorum nomen promeritus. Qui, Cherſoneſo Cimbrica relicta, cùm in Germaniam proximam ſe recepiſſet, in Aula Rudolphi Cæſaris aliquandiu floruit. Cum VVillelmo Heſſo, qui & in eadem ſcientia excellebat, arcta ſtudiorum neceſſitudine coniunctus: & Pragæ hoc anno IX. Kal. IXbr. deceſſit: cùm vitæ annos liiii. menſeis ix. dies xix. tantùm exegiſſet: Vir & ſcriptis à ſe editis, ſecundùm Ptolemæum, Ioannem Regiomontanum, & Nicolaum Copernicum, imprimis clarus; & poſteà à Ioanne Keplero, cui præclaras ingenij ſui reliquias, ne perirent, quaſi teſtamento legauit, publicatis, illuſtrior.

Ex M. Laubani Syluis, poſtquàm Tycho è Dania exceſſit,

TYCHONIS ELOGIVM.

Sol Amphitrites Cimbria cluet Balthica:
Sol haſtenus cluet alma Huenna Cimbria:
Cluétque Huenna Sol Tycho Braheius,
Natalium, virtutis, & ſcientia
Splendore raro: quo nec eruditior
Saclo recenti, nec laborioſior
Quiſquam, Minerua praeunte, Atlanticas
Tentauit artes: ſiue veteris orbitas,
Vrania opus, calcare: ſiue priſtino
Noua aggerare foret reperta calculo.
At grande liuor, eheu! Stygia inſolens
Frater Megara, è patria Braheum
Egit furenter, totam & Herois domum
Extorrem auitis expulit Penatibus.
Quis, hoc fugato Sole, Huennam Cimbria?
Quis Cimbriam? quis Amphitriten Balthicam
Solis vel hilum poſſidere dixerit?

FINIS.

AD CELEBREM VIRVM

IOANNEM CAPELLANVM
AMICVM SVAVISSIMVM,
IN NICOLAI COPERNICI VITAM
PETRI GASSENDI
PRÆFATIO.

CVm me nuper, mi CAPELLANE Suauiſſime, inuiſeres, incidiſti caſu in folium, quod è prælo ad me allatum, comitérque manu præreptum, dum occœpiſſes legere, occurrêre verſus, quos Tycho, acceptis Copernici Regulis, quodam veluti enthuſiaſmo fudit. Iis cùm arriſiſſes, quæſiiſti ex me, an non occaſio intercurriſſet, qua Tychonis vitam pertexens, ipſius Copernici vitam ſynopſi quadam intexerem; ſcilicet, cùm illius nomen celebre adeò euaſerit, quis tamen, aut qualis Vir fuerit, longè, latéque ignorari. Excepi ipſe, ne mihi quidem, id vt facerem, veniſſe in mentem; ac neque videri potuiſſe occaſionem fieri ſatis commodam; neque non quæ pauca de Viro nota mihi forent, ea eſſe, quæ cuiuis illius, aliorúmve libros legenti facilè innoteſcerent; cùm & mihi iam poſt exactum ab eius morte ſæculum, non aliam, aliundéve habere de ipſo notitiam daretur. Occurriſti huiuſmodi libros vix quibuſdam paucis eſſe cognitos; ac me facturum rem & me dignam, & bene multis oppidò gratam, ſi qualiacumque mihi forent comperta de Copernico, tum conſcriberem, tum attexerem, quaſi Appendicem, ad Tychonis vitam. Obtrudi ego occupationes, quarum non eſſes neſcius: adjecíque, tametſi vellem, non ſuperfore ſatis temporis, vt donec

quod

quod reliquum erat ex ipſa Tychonis vita, cuderetur, id, quod poſcebas, peragere, ac facere prælo committendum poſſem. Tu inſtitiſti, & in hac tanta operariorum penuria Typographicas operas ſatis lentè procedere; & repetiiſti rem eſſe dignam, cui, occupationibus aliis aliquantiſper ſepoſitis, eſſe ducerem incumbendum. Ne longum morer, euiciſti, vt tibi Amico tam bono, Viro tam ſincero morem gererem: quare & iam, libris peruolutatis, animum appello ad id, cuius eſſe ſuaſor voluiſti, præſtandum.

NICOLAI COPERNICI VVARMIENSIS CANONICI, ASTRONOMI ILLVSTRIS VITA.

NICOLAVS COPERNICVS natus eſt Torunnæ, vel Torunij, vulgò *Torn*, quod eſt Boruſſiæ nobile, amplúmque, ac olim etiam emporio non incelebre oppidum. Ac natum quidem Iunctinus facit anno M. CCCC. LXXII. die Ianuarij XIX. hora 4. minut. 38. poſt Meridiem: ſed eum errare Mæſtlinus ait, quòd natus potiùs fuerit anno M. CCCC. LXXIII. die Februarij XIX. (quæ fuit dies Veneris ante Cathedram S. Petri) hora à Meridie 4. minut. 48. quod videtur ſanè, ob Mæſtlini authoritatem, probabilius. Patri ipſius nomen Nicolaus itidem fuit: Matris nomen cùm ignoretur, fuit ea tamen ex Torunnenſi familia VVatxelrodia, ſoror quippe germana Lucæ VVatxelrodij, qui fuit deinceps Epiſcopus VVarmienſis. De quodam eius Fratre hoc ſolùm nouimus, quòd Romæ aliquando fuerit, ibique amicitiam cum Georgio Hartmanno Norimbergenſi inierit. Literas Latinas, Græcáſque partim domi addidicit, partim in Academia Cracouienſi excoluit, vbi & Philoſophiæ dedit operam, & ſubinde etiam Medicinæ; quouſque eſt adeptus Doctoratus gradum. Interim verò, quia à primis annis ardore Matheſeos magno tenebatur, non neglexit ſanè prælectiones Alberti Brudzeuij in eadem Academia Mathematicas Artes profitentis, quem etiam ſolitus & conueniре, & audire priuatim. Aſtrolabij vſum, & rationem cùm ab eo didiciſſet, ac iam inciperet Aſtronomiam penitiùs intelligere, ita fuit florente Regiomontani fama permotus, vt eius veſtigiis quam-maximè poſſet, inſiſtere decreuerit. Fuere inter eius condiſcipulos, eiuſdémque laudis quaſi æmulos, Iacobus Cobilinius, is qui deinceps Aſtrolabij declarationem edidit; itémque Vapouius Cantor Cracouienſis, & Nicolaus Schadekius, Martinúſque Ilkuſius, quibuſcum ſæpè de Eclipſibus, earúmque obſeruationibus, ætatis decurſu per literas egit. Cúm porrò verò omneis Matheſeos curaret, tum Perſpectiuæ ſpeciatim incubuit, eiúſque occaſione Picturam tum addidicit, tum eò vſque calluit, vt perhibeatur etiam ſe ad ſpeculum eximiè pinxiſſe. Conſilium autem pingendi ex eo cepit, quòd peregrinationem, ac potiſſimùm in Italiam cogitans, in animo haberet, non modò adumbrare, ſed graphicè etiam, quantum poſſet, exprimere quicquid occurreret obſeruato dignum.

Torunnam itaque reuerſus, ibíque aliquandio moratus, iter ſuſcepit in Italiam, annum iam agens vigeſimum tertium. Stitit ſe verò primùm Bononiæ, ob eruditionem, ac famam eximij Viri Dominici Mariæ Ferrarienſis, qui ab annis iam duodecim illuc euocatus Aſtronomiam magna cum laude profitebatur, ac reperiſſe perhibebatur obliquitatem Eclipticæ medio inter Peurbachium, & Regiomontanum loco, graduum purà 23. & minut. 29. Nec verò difficile fuit in optimi Viri familiaritatem admitti; quando eſſe illi gratius nihil potuit, quàm auditorem habere, vt perſpicaciſſimum, ſic appetentiſſimum veritatis. Delectauit autem illum maximè non improbari Copernico ſuſpicionem, qua tenebatur, ne Poli in eodem loco altitudo non tam conſtans foret, quàm vulgò haberetur; quòd ea deprehenderetur à Ptolemæi tempore in omnibus propemodum Italiæ locis increuiſſe, ac in Gaditano etiam freto, vbi cùm tempore Ptolemæi Polus Boreus attolleretur gradibus ſolùm 36. cum quadrante, attolleretur iam tum gradibus 37. cum duabus quintis; quod ille quidem prodiderat, in quodam Prognoſtico, ante octo annos. Cùm Rheticus autem memoriæ mandârit Copernicum, non tam diſcipulum, quàm adiutorem, & teſtem obſeruationum doctiſſimi Viri Dominici Mariæ fuiſſe; tum heic reticenda obſeruatio non eſt, quã ipſe Copernicus ſcribit ſe peregiſſe Bononiæ, anno M. CCCC. XCVII. ſeptimo Eidus Martij, poſt occaſum Solis, *Conſiderauimus enim*, inquit, *quòd Luna occultatura Stellam fulgentem Hyadum, quam Palilicium vocant Romani: qua exſpectata vidimus Stellam applicitam parti corporis Lunaris tenebroſi, iámque delitescentem inter cornua Lunæ, in hora quinta noctis* (hoc eſt vndecima, vnaque ante mediam noctem) *propinquiorem verò auſtrino cornu, per trientem quaſi latitudinis, ſiue diametri Lunæ.* Romam poſtea cùm acceſſiſſet, habitus breui vix quicquam minor ipſo Regiomontano fuit. Vnde & illeic magno applauſu factus

Mathe

Mathematatum Profeſſor, *In magna*, inquit ille, *ſcholaſticorum frequentia, & corona magnorum virorum, & artificum in hoc doctrina genere docuit.* Ipſe autem Copernicus meminit Eclipſeos Lunaris, quam per id tempus Romæ obſeruauit, *Anno* nempe *Chriſti* M. D. *poſt Nonas Nouembris, duabus horis a media nocte, qua luceſcebat in octauum diem ante Eidus Nouembris.*

Aliquot poſt annos reuerſus in patriam, acceptiſſimus fuit ob ſummam peritiam, & candidiſſimos mores, memorato iam auunculo ſuo Lucæ VVatzelrodio, ad Epiſcopatum Varmienſem promoto; qui, vt otium illius ſtudiis, & Mathematicis præſertim, conſentaneum faceret, adſcripſit illum Collegio Canonicorum VVarmienſium, Cathedraliſve ſuæ Eccleſiæ, quæ arcis inſtar communita imminet Fruemburgo, non magno alioquin oppido, ad VViſtulæ oram, in Boruſſia ſito. Non poſſedit tamen initio pacificè ſatis eum Canonicatum, vt non ſemel conqueſtus eſt literis conſcriptis ad Auunculum in Aula præſertim morantem, vt publicæ rei cauſam tueretur aduerſus Cruciferos, Teutonicóſve Equites, qui idcircò illi infenſi per Poſnanienſia comitia libello famoſo ipſum impetierunt. Euaſit verò tandem cùm ſuo, tum Auunculi merito poſſeſſor pacificus; ac ſeſe exinde ad tria quædam præſertim compoſuit. Vnum, vt diuinis, quam-maximè poſſet, intereſſet Officiis; alterum, vt pro ea, qua erat Medicinæ peritia, nunquam deeſſet pauperibus, qui ſuam ipſius implorarent opem; tertium, vt quicquid ſupereſſet temporis, impenderet ſtudiis. Hinc ſemper ſolitudinem & amauit, & coluit; ac niſi inuitus negotiis, ſeu Epiſcopatus, ſeu Capituli ſeſe non immiſcuit. Sed enim, quia quoties rerum agendarum proponebatur aliquid, ea in illo obſeruabatur, & ingenij perſpicacia, & iudicij maturitas, vt penè ſemper concedendum in ipſius ſententiam foret, idcirco fuit ipſi nonnunquam diuertendum à ſtudiis; ídque non modò, vt conſultus, ecquid facto opus videretur, diceret; ſed etiam vt vices agendo obiret. Vt vno, alteróve exemplo res conſtet; ecce, cùm forent Prutenorum celebranda Grudenti Comitia, delectus fuit vno conſenſu à Canonicorum Collegio, vt nomine ipſius illis intereſſet. Varia porrò inter negotia in iis pertractata id non fuit poſtremum, quod fuit agitatum circa vſum Monetæ, cuius per bella antecedentia imminutus admodum valor, recens adhuc arte Magiſtri Cruciferorum decreuerat. Deſtinati fuere eius cognitores ex Senatoribus Pruſſicis, Poloniciſque præcipui, inque eorum conuentu diſceptatum fuit, tum qua ratione fieri poſſet, vt Polonia, Pruſſia, Lithuania, cæteræque Regi ſubditæ Prouinciæ tantidem æſtimarent, parive pretio, ſeu valore haberent omnem, ſeu cudendam, ſeu cuſam pecuniam: tum ſatius-ne foret, monetam priſtino valore, an eo, qui iam paſſim in vſu eſſet, cudere: tum quî poſſet argenti copia nouæ cudendæ comparari. Scilicet Mercatores multam, ac penè omnem vim argenti corrogatam conflauerant, inque Luſitaniam, vnde aromata auchebantur, tranſportârant; quod Rex Luſitanus nullis mercibus, ſed puro dumtaxat, miniméque ſignato argento commutationem fieri pateretur. Ac per id quidem tempus negotium deliberati penitùs, abſoluíque non potuit: ſed Copernicus interim Canonem confecit, ſiue Abacum, computandis omnibus monetarum generibus per omneis Regni Prouincias elocabilibus, iiſque reducendis in eundem, communémque valorem; ac Senatores eum aſſeruarunt, intérque acta retulerunt, vt, ſi daretur fortè extremam operi manum adhibere, haberent quò reſpicerent, & ne cuipiam emergeret aliquid damni, prouiderent.

Aliunde verò, cùm vix fuerit, vt Epiſcopi aut abſentes, non illum habere generalem Vicarium, aut præſentes non adhibere, ſelectum conſiliarium vellent: tum etiam effugere vix potuit, vt vacante Epiſcopatu (vacauit autem ſæpiuſculè) non vt generalis Vicarius, ſic bonorum Epiſcopatus Adminiſtrator crearetur. Dignum autem eſt memoratu, cùm mortuo ſpeciatim Fabiano de Luſianis Epiſcopo, Adminiſtratoris gereret perſonam, ferre eum non potuiſſe, vt Teutonici equites, auliciſque varij Eccleſiæ bona iniuſtè vſurpata diutiùs datinerent; ſed mandato Regis obtento, ea generosè vindicaſſe. Nam facti quidem varij inſultus, intentatæque minæ variæ: verùm ille animo infracto ſuam conſtanter tenuit viam, id ſemper defixum in animo habens, vt quidque ſumma ſemper fide, integritatéque præſtaret. Atque hæc quidem pauca initio attingo, vt inſinuem fuiſſe eum quidem vitæ contemplatiuæ natum; ſed non fuiſſe tamen, idcircò ad vitæ actiones ineptum: & occaſiones quidam rerum agendarum non pronocaſſe, ſed oblatas tamen tum amplexum fuiſſe, cùm detrectare indecorum eſt viſum. Supereſt itaque, vt partem vitæ ipſius præcipuam, contemplationi videlicet, ſtudiíſque dedicatam proſequamur. Et quia nihil ipſi æquè fuit cordi, ac Cæli, & Siderum ſcientia, quæ illum effecit adeò celebrem; age dicamus, quo ordine eam excolendam ſuſceperit, quò demum fecerit prouectam.

Principio, cùm cætera inter, animaduerteret cogi Aſtronomos aduerſus communem notionem peccare, dum, vt æquabilem motionem in cæleſtibus circuitionibus tuerentur, non ipſam penes centrum proprium, ſed penes alienum (circuli nimirùm Æquantis vocati) deſumebant, ac metiebantur e Neque poſſe aliunde ipſos rem præcipuam, hoc eſt, Mundi formam, diſpoſitionémque concinnam ex farragine illa ſua hypotheſeon colligere; ſed iis perinde euenire, ac ſi quis Pictor manus, caput, pedes, membra cætera, optimè illa quidem, ſed non vnius corporis comparatione depicta adunaret, ſicque ex illis monſtrum potiùs, quàm hominem compingeret: ideò tædere illum cœpis, quòd nulla certior motuum ratio, maiórque

partium

partium conſonantia in Machina ab Opifice ſapientiſſimo conſtituta deprebenderetur à Philoſophis, qui omnia, ad res vſque minimas, adeò ſtudioſè perſcrutarentur. Quare eam ſibi operam ſumpſit, vt Philoſophorum, Aſtronomorúmque omniũ, quoſcumque nanciſci liceret, libros per voluratet, indagaturus, quorquot forent excogitata Syſtemata, diſquiſiturúſque quicquid in iis foret veriſimilitudinis, quò poſſet demùm elicere exquiſitiorem aliquam, & cæleſtium motuum harmoniam, & partium Mundi ſymmetriam, quàm ea foret, quæ ab omnibus incunctantet admitteretur.

Itaque non multùm motatus Homocentricorum Authores, neque eos, qui aut Solem ſupra Affixas Stellas euexerant, aut ſolam ipſi Lunam ſuppoſuerunt, aut variè Errantium Stellarum ſedeis commutarunt: magnam imprimis rationem habuit duarum opinionum affinium, quarum vnam Martiano Capellæ, alteram Apollonio Pergæo attribuit. Et Martianus quidem Ægyptios, alioſque veteres imitatus, Solem inter Lunam, Martemque conſtituens, exiſtimauit Mercurium, Veneremque illi, vt centro propriorum motuum circunduci, ac nunc ſupra, nunc infra ipſum, nunc ad latera fieri. Cùm is verò ſineret vt Lunam, & Solem, ſic Martem, Iouem, & Saturnum circa Terrã, vt circa cẽtrum propriorum circuituum cieri; Appollonius Solẽ delegit, circa quẽ, vt centrum nõ modò Mercurius, & Venus, verùm etiam Mars, Iupiter, Saturnus ſuas obirent periodos, dum Sol interim, vti & Luna circa Terram, vt circa centrum, quod foret etiam Affixarum, Mundique centrum, mouerentur; quæ deinceps quoque opinio Tychonis propemodùm fuit. Rationem autem magnam harum opinionum Copernicus habuit, quòd vtraque eximiè Mercurij, ac Veneris circuitiones repræſentaret, eximiéque cauſam retrogradationum, directionum, ſtationum in iis apparentium exprimeret; & poſterior eadem quoque in tribus Planetis ſuperioribus præſtaret. Verum tamen perſenſit ſibi, ne ex poſteriore quidem factum ſatis, quòd Solis habitus præcipuorum corporum Mundanorum cẽtrum, Mundi tamen centrum non fieret; quodque habitâ pro centro Terrâ, Sol circa ipſam circunductus non motu ſolùm annuo, ſed diurno quoque Planetas circum-raperet, ac diſtraheret nunc in has, nunc in illas parteis.

Cùm noſſet verò Pythagoreos ablegaſſe Terram à centro, & in eo, vt loco nobiliſſimo conſtituiſſe Solem, corporum nobiliſſimum; ideò viſus eſt ſibi peruidere quidpiam concinni ordinis, ſi liceret modò vices commutare, hoc eſt in centro Solem ſiſtere, & Terram circa Solem ciere. Nam præclarè quidem auſos fuiſſe Niceram, Echphantum, Heraclidem, & alios, qui, tametſi Terram in centro detinerent, motum tamen illi tribuerunt, quo circa axem proprium, vt Sphæra in torno, gyrata, & circuitionem ab occaſu in ortum dietim perficiens, diei, noctiſque viciſſitudinem faceret; ac mobilis primi munere aſſumpto, & Sphæram Fixarum, & Planetas omneis à motu raptas abſolueret, quòd ipſâ conuerſâ in ortum, neceſſe foret Sidera omnia apparere conuerſa in occaſum; at magnam nihilominus ſupereſſe aſymmetriæ partem. Quamobrem præclariùs feciſſe Philolaum dum Terram à centro amouens, tribuit ipſi non modò motum diurnum circa proprium axem, ſed circumductum etiam annuum circa Solem, quo efficeretur, vt percurrendo Zodiacum, ſub quocumque eius Signo verſaretur, Sol eſſe in oppoſito appareret, ſicque loco Solis Planeta euadens, tam ipſa, quàm Mercurius, Venus, Planetæque cæteri, Solem agnoſceret tanquam centrum. ac prima quidẽ fronte durum, abſurdumque eſſe videbatur, Terrã à centro diuellere ipſíque motus huiuſmodi, ac fortè etiam alium tribuere: Verùm, quia nôrat fuiſſe ante ſe eã libertatem conceſſam, vt demonſtrãdis Phænomenis fingi circuli qualeſlibet poſſent; licere ſibi exiſtimauit periclitari, num quod confusè ſibi animo obuerſabatur, ita poſſet digerere, vt ordo vulgari venuſtior inter Mundana corpora, eorúmque motus inueheretur. Itaque rem variè verſando, Terræque motum triplicem, de quo paulò pòſt, attribuendo: *Multa*, inquit, *& longa obſeruatione tãdem reperi, quòd ſi reliquorum Siderum Errantium motus ad Terræ circulationem conferantur, & ſupputentur pro cuiuſque Sideris reuolutione, non modò illorum Phænomena inde ſequantur, ſed & Siderum, atque orbium omnium ordines, magnitudines, & Cœlum ipſum ita connectat, vt in nulla ſui parte poſſit tranſponi aliquid, ſine reliquarum partium ac totius vniuerſitatis confuſione.*

Atque hæc quidem excogitare, conſcribeéque ab anno vſque circiter ſeptimo ſupra milleſimum quingẽteſimum cœpit. Verùm, quòd ſibi eſſe non duceret ſatis, generalem ſolùm rationem Hypotheſeos ſtatuere, & iuxta ipſam Phænomena generatim ſolùm, perinde, ac iuxta cæteras ſaluare; ſed auerer quoque Hypotheſeis ſpecialeis ſic pertexere, ſingulorúmque motuum periodos ita definire, vt condere exinde poſſet Tabulas Cælo, præ Ptolemaicis, Alphõſiniſque, conſentienteis, eapropter neceſſarium cenſuit obſeruationes peragere, quas cum antiquioribus conferens, præciſionem obtineret maiorem. Hinc Ptolemæi imitatione fabrefaciendum Quadrantem duxit, in quo ad lineam Meridianam ſupra horizontis planitiem erecto, & applicito ac beneficio vmbræ à gnomone cylindroide ad centrum infixo emiſſæ, obſeruaretur ſumma, imaque, hoc eſt, tam in Solſtitio, quam in Bruma, Meridiana Solis altitudo: quo, vbi eſſet habitum pro Tropicorum diſtantia, altitudinis vtriuſque Interſtitium, tum altitudo Æquatoris in eius medio deſignaretur, tum Poli altitudo proinde innoteſceret, tãquam æqualis complemẽto altitudinis Æquatoris. Tametſi verò fabricam inſtrumenti huius deſcripſit, eo-ne

nihilominùs vſus fuerit, non prodidit: fortè quòd ſatius duxerit hoc alio, quod ſequitur, vti. Confecit nempe ſibi vocatas Ptolemaïcas Regulas, Parallacticúmve Inſtrumentum ex ligno abiegno, cuius quæ erat regula longior diuiſa erat in deſignatas attramento particulas 1414. vt ſcilicet poſſet denique ſubtendi angulo recto Iſoſcelis, cuius crura quatuor cubitos longa, habebantur earumdem partium 1000. Confecit, inquam (& ſua quidem, vt memorant, manu) quibuſlibet Siderũ altitudinibus obſeruandis, ac ſpeciatim Solis non modò verſantis, vti mox eſt dictum circa Tropicos, ſed etiam circa Æquinoctialem, & verè præſertim, ad habendum illius ingreſſum in Arietem: Lunæ quoque, ac potiſſimùm verſantis in limite Boreo, & tunc quidem, cùm is eſt in Cancro, ad venandum maximam illius latitudinem; Spicæ præterea, Reguli, aut alterius Fixæ inſignioris, ad obtinendum ipſius à puncto Æquinoctiali diſtantiam. Armillas-ne etiam ſibi apparârit, non conſtat; quoniam tametſi qualeis habere, & quemadmodum ſit iis vtendum, vt conficiatur canonica Fixarum deſcriptio, deducat: non tamen iis ſe eſſe vſum declarat (vnde & aliam deſcriptionem, quàm Ptolemaïcam, aut Hipparchinam non proponit) ſed cùm alicuius Stellæ, v.c. Spicæ, obtinere voluit longitudinem, non illam eſt armillis venatus, ſed deduxit potiùs ex ſuppoſita latitudine, ac obtenta declinatione per altitudinem obſeruatam. Conſtantius eſt debuiſſe eum ſibi apparaſſe Aſtronomicum Radium, ipſis inter ſe Siderum intercapedinibus obtinendis; & vel ad id quidem, vt poſſet Planetarum loca certis momentis definire. Keplerus certè haud abs re in Rudolphinarum Tabularum frontiſpicio depingi curauit in ea columna, cui aſſidet Copernicus, non regulas modò Ptolemaicas; ſed Radium quoque supernè appenſum: & qui Herbenſtreittus Eidyllio ſingularia frontis huiuſce deſcripſit,

Organa dilaudat, cruciformem nempe
Bacillum,
Tignáque iuncta, quibus Calorum oſtenta redactus;
In veros veniunt; etſi diſtantia noſtra
Lumina ludificet, fallátque incautior error.

Cœpit itaque ex eo tempore habere diſtantiam inter Tropicos graduum 46. & min. 57. vnâ quintâ minùs: vnde & maximam Declinationem Solis, Eclipticæve obliquitatem grad. 23. min. 28. cum $\frac{2}{5}$. habuit. Et quia deduxit eſſe Fruenburgi altitudinem Æquatoris graduum 35. min. 40$\frac{1}{2}$. ea de cauſa habuit Polum illeic altum gradibus 54. min. 19$\frac{1}{2}$. Et cùm ex iiſdem Lunæ, Soliſque defectibus Fruenburgi à ſe, & Cracouiæ, ab illis olim ſuis condiſcipulis, obſeruatis, deprehendiſſet vtrumque locum, itémque Dirrachium Macedoniæ Meridiano eidem ſubeſſe; idcircò & obſeruationes & calculos ſuos retulit ad Meridianum Cracouienſem (ob locum magis celebrẽ) ipſumque diſtare ab Alexandrino vna hora Æquinoctiali exiſtimauit. Subinde autẽ varia à ſe obſeruata ipſemet refert: vt anno M.D.IX. ac biennio pòſt, Lunæ Eclipſeis. Anno M.D.XII. bina loca Martis; biennio pòſt, bina loca Saturni. Anno M.D.XV. locũ Spicæ, & autũnale Æquinoctium; & anno inſequente Æquinoctium vernum. Anno M.D.XVIII. locum Martis; & biennio pòſt bina Iouis loca, & locum Saturni. Anno M.D.XXII. Lunæ Eclipſin; & anno inſequente Lunæ Eclipſin, ac locum Martis. Anno M.D.XXV. iterùm locum Spicæ; & inſequente locum Iouis, proximóque locum Saturni. Anno denique M.D.XXIX. locum Iouis, Coniunctionémque itẽ centralem Veneris cum Luna, ipſámque quarto Eidus Martij, hora 7. min. 34. Mirere, cur nullam heic videas obſeruationem circa Mercurium: ſed cauſam ipſe refert ad auras, ſeu vapores, quos illeic loci VViſtula effundit; itémque ad Sphæræ obliquitatem, quæ *rariùs*, inquit, *ſinit videre Mercurium.* Quanquam ne mutilam hac in parte Aſtronomiam relinqueret, vſurpauit deinceps treis factas circa Mercurium Norimbergæ obſeruationes, vnam à Bernardo VValthero, anno M.CCCC.XCI. & duas à Ioanne Schonero, anno M.D.IV.

Ex hiſce ergo, quas & habuit obſeruationũ præcipuas, aggreſſus eſt, ac perfecit Opus ſex diſtinctum Libris, quos *De Orbium Cœleſtium reuolutionibus* inſcripſit, quibúſque eſt, inſtar Ptolemæi, ſingula docendo Geometrica methodo, totã Aſtronomiam complexus. Cùm PRIMVS porrò Liber in duas parteis diuidatur, poſteriore quidem ea expoſuit, circa doctrinam Sinuum, ſiue ſemiſſium ſubtenſarum, chordarúmve. quæ in ſoluendis Triangulis tam planis, quàm ſphæricis neceſſaria exiſtimauit: at priore exhibuit generalem Mundi ideã, ſiue deſcriptionem, iuxta propriam Hypotheſin, in qua motus Terræ, vt diximus, tribuitur. Scilicet, vbi primùm docuit eſſe Mundum ſphæricum, Terram etiam ſphæricam eſſe, & in vnum globum cum aqua coïre: ac inſuper motum cæleſtem eſſe æqualem, perpetuum, & aut circularem, aut ex circularibus compoſitũ; tum docere aggreditur nondum rem videri confectam, Terra-ne quieſcat, aut circulariter moueatur. Nam quod ſpectat quidem ad reuolutionem diurnam, perinde eſſe appariturum, ſeu Aſtra in occaſum ferantur, ſeu Terra alioquin ac in Mundi centro exſiſtens voluator in ortum (vt antiquorum nonnulli opinati ſunt) neque rem ſecus ſe habituram, quàm dum

Prouehimur portu, terraque, vrbéſque recedunt.

Eſſe aliunde abſurdum motum potiùs tribuere continenti, ſiue locanti, quale Cælum eſt, quàm contento, ſiue locato, cuiuſmodi eſt Terra; & conditionem immobilitatis, quæ nobilior, ac diuinior habetur motu, Terræ potiùs, quàm Cælo aſſignare; ac motum in orbem denegare Terræ, quæ in orbem

orbem formata, patuláque ſit; transferre verò ipſum in Cælum cuius quæ ſit forma, quis finis, cognoſci à nobis non poſſit. Non item eſſe rem confectam, Terra-ne in ipſo Mundi centro, an extra ſit; cùm conſtet ipſam non eſſe in centro motuum Planetarum; & perinde ſit, ſeu ipſa illis, ſeu illa ipſi adnuant, & abnuant. Aliunde verò, ſi Solis, ac Terræ vices permutentur, & Soli quies, Terræ motus annuus, locuſque inter Planetas tribuatur (vt rurſus quibuſdam antiquis eſt viſum) futurum, vt Sol periode apparituras perluſtrare Zodiacum; ortus, occaſuſque Signorum ſint perinde apparituri; apparituræ perinde fieri Errantium Stationes, retrogradationes, progreſſus; & maiore quidem facilitate, præſtantioréque ordine, & harmonia, quàm ſupponendo oppoſitum.

Non valere autem, quod deducunt Terram, quia Cæli reſpectu puncti inſtar ſit, rationem centri obtinere, ac ideò eſſe immobilem. Quippe debere hac ratione ſolum Terræ centrum eſſe immobile, neque vllam aliam Terræ partem non imitari motũ Cæli; eo modo, quo nulla eſt pars Cæli tã propinqua Polo, quæ non cum Cælo reliquo pari tempore, & pro ſpatij quidem ratione, voluatur. Non valere etiam, quod obiiciunt, Terræ, vt graui corpori, non congruere motum alium, quàm rectum, & ad Mundi centrum; Quippe grauitatem eſſe affectionem non Terræ totius, ſed partium eius propriam, qualem Soli etiam, ac Lunæ, cæteriſque Aſtris conuenire credibile ſit. Id nimirùm, cùm grauitas nihil aliud ſit, quàm naturalis quædam appetentia à ſummo Opifice partibus indita, vt in vnitatem, integritatemque totius ſeſe conferant, coëuntes in Globi formam. Vnde &, vt partes Lunæ, v. c. verſus eius centrum nituntur: ita Terræ partes verſus ipſius centrum niti; neque propterea totam Terram magis rectà ferri in Mundi centrum, quàm ipſam Lunam. Non item valere, quod inſtant, fore, vt nihil graue in deſtinatum deorſum locum, Terrâ (ſua circuitione) locum ſubducente, ad perpendiculum caderet; vtque nubes, & cætera in aëre pendentia viderentur ſemper ferri in occaſum: Quippe terrena omnia, qualis eſt etiam terrenus aër, miſtus ex Terræ effluxibus, totius Terræ naturam ſequi, atque adeò, quæ in aëre ſunt, vnà cum aëre, Terráque generali motu cieri; vtcumque aliunde variè moueri, aut quieſcere valeant (prorſus vt qui eadem naui transferantur) ſpeciatim autem decidentia ferri motu compoſito ex recto ſimul, & circulari. Non valere rurſus, quod vrgent, vni corpori ſimplici nonniſi vnicum ſimplicem motum conuenire: Quippe id quidem verum eſſe de circulari motu cõpetente non toti modo, ſed partibus etiam, dum naturali in ſtatu ſunt, ac in toto quaſi quieſcunt: at dum partes vel abducuntur, vel adducuntur ad ipſum totum, ſicque in ſtatu naturali non ſunt; tum ſuperuenire circulari rectum, ac tam poſſe ſimul vtrumque, quàm ægrum, & animal, cohærere. Sicque, dum aliunde Ariſtoteles diſtinguit motus à medio, ad medium, circa medium; poſſe hos motus intelligi non re, ſed ratione diſcretos, eo modo; quo punctum, lineam, ſuperficiem intelligentiâ ſecernimus. Non demum valere, quod Ptolemæus ait, fore, vt ſi Terra diurno motu cieretur, præ vertigine celeritatéve inſuperabili diſſipatum iret: Quippe, ſi Terræ motus tribuatur, fore eum naturalem, ac toti in compoſitione optima conſeruando congruum: debere autem Ptolemæum id de Cælo magis timere, cui vertiginem tantò immaiorem, quantò Cælum eſt Terrâ maius, tribuit.

Subinde verò commemoratis variis circa cæleſtium orbium diſpoſitionem opinionibus, eáque ſpeciatim commendata, quòd Venus, & Mercurius poſitum in medio Solem circumcurrant; hæcque cauſa ſit, cur digredi ab eo non magis appareant, quàm propriorum orbium conuexitas ferat, arguantúrque adeò ſuis motibus non Terram; ſed Solem, vt centrum ambire; monet poſſe exinde occaſionem ſumi coniiciendi Martem, Iouem, & Saturnum non Terræ, ſed Soli, vt centro circumcurrere; modò id ſpatium relinquatur inter Martem, ac Venerem, per quod Terra etiam, cum Luna ſua Pediſſequa, circumcurrat. Scilicet rationem Canonicam mutuum id arguere, ac viſibilem etiam magnitudinem, qua arguuntur nobis tam propinqui, cùm ipſis, Solique intercipimur, tam remoti, cùm Solem ipſis, nobiſque interceptum habemus, vt centrum proinde circuitus illorum ad Solem, potiuſquàm ad Terram, inſtar Veneris, Mercuriique pertineat. Quare & cohærenter eam Mundi diſpoſitionem (hócque Syſtema eius ſolêne, celebriſve Hypotheſis eſt) vt in medio conſtituat immobilem Solem; tanquam ipſius Mundi cor, lucernâ, & quaſi viſibilem Deum, qui familiam totam Aſtrorum circumpoſitam regat. Proximè Solem collocat Mercurium, qui ipſi circumducatur tribus prope menſibus: deinde Venerem, quæ nouem: tum Terram, quæ duodecim, ſiue anno vno, ídque cùm ſecum deducta Luna, quæ ipſi interim ſpatio menſtruo circumferatur Mira ſanè excogitatio, de qua ſibi ipſe fuiſſet gratulatus, ſi perſpexiſſet, vti deinceps teleſcopio deteximus,



quatuor pareis Lunas Ioui circumferri(vt in ſchemate appoſito repræſẽtati curauimus)ne quid de cæteris dicatur. Collocat conſequẽter Martem, qui circumducatut anois duobus;ſubinde Iouẽ,qui duodecim; Saturnum tandem, qui triginta. Regioni autem Planetariæ circũponit Sphætam Fixatum, ipſam, vt Solem, immobilem, ac eâ diſtantiâ, ad quam Orbis magnus, pet quem Terta circa Solem fertur, puncti inſtar ſit,quod quidem admitti de ſolo Terræ Globo ſolet. Nempe, quia Fixatum diſtantia in nullam prorſus menſuram cadit, ſatius ducit illam aſſumere tantam,vt Phænumena debitè ſaluentor, quàm incurtere in tot labytinthos, quibus implicantur,qui Terram in medio Mũdi detineot,cùm & aliuode heinc habeatur admiraoda quædam diſpoſitio,ac feries, quoad ſitum,quoad motum,quoad molem Mundanotum corporum; qualis repetiti in alio Mundi Syſtemate non poſſit.Exiode certè è re ipſa tolli, ac appatentiæ ſolùm relinqui, illas & Stationes,& Regreſſiooes Planetarũ; cauſàmque appoſitam reddi, cur eæ mioores, frequentioréſque, & diuturniores tamen,ſint in Saturoo, quàm in Ioue; in hoc, quàm in Marte;in Veoere autem, & Mercurio ſecus;cur apparens item magnitudo Saturni, Iouis, ac Martis, dum Soli oppoountur, tantoperè increſcat; ſed Martis potiſſimùm, qui tum Iouem æmuletur, cùm aliàs vix haberi par Stellis tertiæ magnitudinis poſſit; ac tale oihil interim io ipſis Fixis appareat, ob immenſam putà illarum à Terra diſtantiam.

Declarat ex ordine treis motus,qui Tertæ attribuendi ſint, vt ſaluari omnia Phænomena poſſint. Primus eſt Diurnus: quo ſcilicet Terra vigioti quatuor horarum ſpatio circa ſuum axem, ac verſus ortum reuoluitor; fitque adeò, vt totum Cælum volui in occaſum videatur. Secundus Annuus; quo centrum Terræ promouetur intereà, etiam tendendo verſus ortum, ſeo in Signorum conſequentia, inter Martem, ac Venerem; efficitúrque adeò, vt Terra re ipsâ percurrente Zodiacum, Sol percurrere è regione ipſum appareat; hoc eſt, vt ſi ipſa in Cancro, v. c. ſit, Sol eſſe apparear in Capricorno; & vbi ipſa ex Cancro tranſit io Leooem, Sol ex Capricorno ttanſire in Aquarium videatur. Tertium vocat Declinationis, Ioclinationis, Reflexioníſve axis terreni;quo ſcilicet axis contra motum centri,ſeu io præcedentia ita nititur, vt in ſui ipſius parallelíſmo ſemper contineatur,ac efficiatur proinde,vt ipſe quoque,qui & reipsâ eſt, eius Æquinoctialis parallelus ſibi ipſi ſemper maneat; ac vt io aſſumpta Terræ parte, veluti hac, in qua nos ſumus, tum dierum, noctiúmque inæqualitas, tum viciſſitudo tempeſtatum contingat. Nam, ſi Æquinoctialis Terræ, ipſiúſve planum in Zodiaci plano ferretur, nulla voquam talis inæqualitas, aut viciſſitudo appareret: at quia, ſi concipiamus axem Mundi, qui ttanſeat per Solem, & terminatus ad Fixarum Sphæram,Polos Mundi ibi conſtituat,à quibus Mundi Æquinoctialis æqualiter diſtet; ac ſi, vbi Æquinoctialis Terræ cum Muudi Æquinoctiali coaluit,& axis Terræ axi Mũdi parallelus fuit.coocipiamus,Terra procedente per Zodiacum, non ioclinati ipſum, ſed quaſi reflecti, & maoere ſẽper axi Mundi, ſibíve ipſi parallelum; Æquinoctialémque Terrenum parallelum quoque Mundi Æquinoctiali,ſiue ſibi ipſi manere; quia,inquam,ſi id cuncipiamus, efficietur,vt aſſumpta pars Terræ Solem in alio,ac alio ſitu videat,& ad vnum Tropicum magis,ad alium minùs illuſtretur; idcircò ea pars dies nunc breuiores,nunc longiores;& nunc hyemem, nunc æſtatem obtineat. Fit rurſus, vt quia axis Terræ ad Sphæram vſque Fixatum produci iotellectus, deſcribet vtrimque annuo circumductu circa Polum Muodi circulum dicto magno Orbi, quem Terra deſcribit, æqualem, & qui tamen, propter immenſam Fixarum diſtantiam, puncti inſtar ſit,ideò in aſſumpto Terræ loco eadem ſemper Poli altitudo appareat;quoniã ſeu Terra in Capricorno,ſeu in Cãcro,ſeu alibi ſit,ad idẽ ſẽper punctum

punctum apparens oculus collineet. Fit demùm, vt Terra exſiſtente in Capricorno, non aliæ nobis Stellæ verticales, quàm exſiſtente in Cancro appareãt; quòd Poli altitudine inuariata manente, manere & alia Cæli puncta inuariata neceſſe ſit: cùm &, ſi totus ille circulus, orbiſve appareat ceu punctum; tantò magis oporteat Tropicorum diſtantiam, quæ pars illius eſt, apparere.

Atque hæc quidem eſt generalis Copernici Hypotheſis; neque eſt neceſſe, vt ea, quæ ſpecialiùs libris cæteris ediſſerentur, attingamus. Noſſe ſufficiat, Libro II. tradere Copernicum ea, quæ de Doctrina Primi motus non prætereunda exiſtimauit: illud tamen præfatus, *Nemo verò miretur, ſi adhuc Ortum, & Occaſum Solis, & Stellarum, atque his ſimilia ſimpliciter nominauerimus: ſed nouerit nos conſueto ſermone loqui, qui poſſit recipi ab omnibus, ſemper tamen in mente habentes quòd,*

Qui terrâ vehimur, nobis Sol, Lunaq; trãſit;
Stellarũque vices redeunt, iterumque recedũt.

Ad Libri autem calcem caput ſubjicit de exquirendis Stellarum locis, & Canonicam Fixarum ſecundum Longitudinem, Latitudinemque deſcriptionem adhibet: ſed ex Ptolemæo nimirùm deſumptam; niſi quòd quædam vel deprauata, vel ſe aliter comperta habere, corrigit; & ſuo modo Abacum, quod ad Longitudines attinet, inſtituit. Cùm illas enim Ptolemæus à puncto verni Æquinoctij, principióve dodecatemorij Arietis deduxerit, deducendas potiùs Copernicus cenſuit à Prima Stella Arietis, quòd punctum Æquinoctij continenter moueatur, atque adeò longitudines ex eo numeratæ varientur; cùm Stella Fixa exſiſtente, relatæ ad illam longitudines inuariatæ permaneant; ac ad habendum cuiuſvis Stellæ longitudinem, diſtantiamve ab Æquinoctio, nihil aliud oporteat, quàm diſtantiam addere, quæ pro tempore fuerit huiuſmodi Arietis Stellæ. Hinc autem, quia talis diſtantia longitudóve huius Stellæ Ptolemæi tempore fuit grad. 6. minut. 40. Copernicus Abacum, Canonémve ſuum non alia ratione confecit, quàm ex cuiuſque Stellæ longitudine detrahendo grad. 6. min. 40. Quo pacto Polaris, v. g. quæ in Canone Ptolemæi eſt grad. 60. min. 10 in Copernicæo eſt 53.36. Et quæ Spica in illo eſt 176.46. in hoc eſt 170.6.

Libro autem III. de Annua reuolutione tractaturus, diſcrimen inter Annum Vertentem, qui ab Æquinoctio, Solſtitióve eſt, & Sidereum, qui ab aliquo Sidere fixo deſumitur, conſtituit. Nimirùm, ex quo Hipparchus notauit motum quendam lentum Fixis quoque in Ortum, ſiue in Signorum conſequentia tribuendum eſſe, conſtitit Solem à Stella digreſſum, tardiùs ad illam regredi, quàm digreſſum, v. g. à verno Æquinoctio, in idem Æquinoctium, ob promotam intereà aliquantulum huiuſmodi Stellam. Et certè, quæ Prima Arietis diſtabat ſolùm ab Æquinoctio Ptolemæi tempore grad. 6. min 40. quemadmodum dictum mox eſt, deprehenſa eſt à Copernico, an. M. D. XXV. diſtare iam grad. 27. min. 21. Cæterùm cẽſuit Copernicus, non tam primam Arietis Stellam, & cohærenteis reliquas à puncto verni Æquinoctij, verſus ortum incedere, quàm ipſum Æquinoctij punctum, vt à Stella recedere, ſic eam præcedere in occaſũ: Quare & huiuſmodi motum non Fixarum Progreſſionem, ſed Æquinoctiorum Anticipationẽ, ſeu Præceſſionem appellauit. Ex eo autem hunc motum fieri, apparerévè docuit, quòd Motus ille Tertius, cuius reuolutio annua quoque ſit, non-nihil quotannis periodum centri præoccupet, fiátque adeò, vt Æquinoctia anticipare nonnihil, ſeu in præcedentia regredi videantur. Quia verò ad factas variis ſæculis obſeruationes attendens, deprehendens hanc Anticipationẽ inæquabiliter fieri; ac fuere aliũde obſeruationes, ex quibus variari ipſius Zodiaci obliquitas deprehẽſa eſt; ideò fieri vtrũque cenſuit ob libratilẽ in modũ intortæ penè huiuſmodi



corollæ, axis deflexionem, quæ illá nunc promoueat, nunc retardet; hanc nunc adducat, nunc abducat, conſonantia mirabili. Hiſce ergo fusè deductis, fusè quoque exſequitur, quæ ſpectant ad Theoriam Solis.

Sic verò etiam Libro IV. proſequitur fusè ea, quæ attinent tum ad generalẽ Lunæ Theoriã, tum ad ſpecialem doctrinam Eclipſeon. Vbi, quamuis Hypotheſeis circulorũ Lunarium ab antiquioribus diuerſas aſſumat; quod ſpectat tamen ad generalem curſus Lunæ explicationem, diuerſum nihil idcircò habet, quòd ipſe quoque Lunam Terræ circumducat, & menſtrui Lunæ motus reſpectu, Terram veluti immobilem habeat; quatenus, licet transferatur, ſecum nihilominus Lunam transfert, ac reuolutionis illius, quaſi immotum centrum manet. Notandum dumtaxat, motum quoque menſtruum circa Terram in ortum fieri, & per orbitam quidem ea ratione interſecantem Eclipticam, vt Phaſes, Eclipſes, & cætera omnia per hãc Hypotheſim perinde, ac per vulgarem exhibeantur. At Libro V. cæterorum quinque Siderum Errantium Theoriam, & ſecundum quidem Longitudinem ita explicat, vt ex interducta ipſis Terra, Orbiũ ordinẽ, magnitudinéſque conſenſu quodã mirabili, certáque ſymmetria connectat. Illud verò præcipuum eſt, quòd vnico annuo Terræ attributo circa Solem motu, Planetarum Epicyclos, cúmque ipſis Stationes, Retrogradationéſque tollat, ac Planetis ſimpliceis motus, qui circa Solem continenter, & abſque vlla prorſus repedatione perficiãtur, relinquat. Scilicet, quòd Terra inter orbeis Martis, Iouis, ac Saturni, & velociùs, quidem, quàm eorum quivis transferatur, neceſſe eſt, quoties quempiam illorum aſſequitur, propeve eum tranſit, ipſum ponè faciat, & à tergo deſerat; vnde & ille regredi, ſeu oppoſitam ire viam appareat: dũ procul verò & quaſi è regione incedit, tũ ille appareat in eandẽ viã dirigi: ac dum in iis locis verſatur, quibus ille fieri appater aut ex directo retrogradus, aut ex retrogrado directus, tũ idẽ

quaſi conſiſtere; fierive Statarius, ſeu Stationarius videatur. Quòd verò Terra Veoeris, Mercuriiqoe orbeis circumeat, & ſegniùs, quàm illi circuitionem perficiat, oeceſſe eſt, vt dum reſpectu ooſtri vltra Solem tranſeunt, eandem ire viam, ſeu in cooſequentia appareant; & dum citra, io contrarium, ſeu in præcedentia videantut; ſicque vltrà directi, citrà tetrogradi ſint; & dum ex directis retrogradi, aut ex retrogradis directi euadunt, tum quaſi directi eſſe conſpiciaotur. Dixi hoc Libro explicari Theoriam huiuſcemodi Planetarum ſecundum Longitudinem: quoniam quæ eſt ſecundum Latitudinem, ea Libri vi. vltimique eſt argumeotum.

Videtur porrò Copernicus hæc omnia adumbraſſe, ac peoè dicam perfeciſſe, annum circiter M. D. XXX. ac deinceps nihil aliud, quàm die, vt fit, diem docente, quidpiam addidiſſe, detraxiſſe, iiomutaſſe; adeò, cùm videri potuiſſet, ſatisfeciſſe cæteris: ſibi tamen ipſi nuoquã ſatisfactum putauit. Quinquennio certe poſt, Eraſmus Reioholdus, cùm io Peurbachij Theoricas præfaretur, & de Hypotheſi Lunæ Ptolemaïca ſermonem inſtitueret verba hæc de Copernico, tacito licet nomine, inſeruit. *Tametſi video quendam recentiorem, præſtantiſſimum Artificem (qui magnam de ſe apud omnes concitauit expectationem reſtituendæ Aſtronomiæ, & iam adornat editionem ſuorum laborum) ſicut in alijs Aſtronomiæ partibus, ita etiam in hac varietate motus Lunæ explicanda diſ. vaviã diſſentire à forma Ptolemaica. Tribuit enim Lunæ Epicyclum Epicycli, &c.* Illud prætereo, quod deinceps circa Octauæ Sphæræ motum habet, dum, *Itaque*, inquit, *cùm hæ artes iamdiu deſiderent aliquem Ptolemæum, qui labentes diſciplinas reuocet; ſpero eum nobis tandem ex Pruſſia obtigiſſe, cuius diuinum ingenium tota poſteritas non immeritò admirabitur.* Prætereo id, ioquam, vt ob factam varietatis motus Lunæ mentioné, obſeruem Copernicum in ea explorandа, & ad numeros reducenda ſtudioſè præſertim incubuiſſe ab anno M.D.XVI. occaſione Lateranenſis Concilij, in quo fuit rurſus agitatum de Reformatione Kalendarij oegotiom, de qoo tractatum iam fuerat & in Conſtantieoſi, & in Baſileenſi Conciliis; & cuius occaſione poſteà Sixtus IV. accerſiuerat Regiomontanum Romam. Nempe, cùm Patres Lateranenſes congregationem quandam ad hoc delegiſſent, ipſique præfeciſſent Paulũ Middelburgenſem, Foro-Sempronienſem Epiſcopum; is per literas Coperoicum cõſuluit, & vt, pro ea, qua erat peritia, & induſtria, operam conferret, vehementer ſollicitauit; additis etiã literis amici, collegæqoe ipſius Bernardi Sculteti eiuſdem VVarmienſis Eccleſiæ Decani, Scribæque à Concilio delecti. Ac noluit tunc quidẽ Copernicus quidpiam non ſatis maturom proferre; ſed recepit nihilominus in eo ſe inuigilaturum, vt quoad poſſet, negotium eius momenti promoueret. Qoare effectum eſt, vt negotium tunc quoque infectum remaoſerit, & Copernicus tamen ſic ſe deprehendendis, definiendiſque motibus Solis, ac Lunæ addixerit, vt denique potuerit in Operis nũcupatiooe Pontifici Maximo facta omioari ſoos labores Reipublicæ Eccleſiaſticæ non planè Inutileis exſtituros. Qui certè Mathematici fuere deinceps, pro Decreto Tridentini Concilij, à Greg. XIII. ad emendationem Calendarij conſtituti, eius laboribus vſi ſuot: vt vel indicat Caput illud, cui, non poſtremus ſanè illorum Chriſtophorus Clauius io ſua Calendarij explicatiooe hunc titulum fecit, *De Periodo Anomaliæ Æquinoctiorum, & inæqualitatis annorum, ex Nicolai Copernici doctrina.* Sanè & quãuis illi Alphonſinam aoni formam retinendam cenſuerint: fecere tamen, quòd ea fuerit reperta, quaſi media inter maximam minimámque, quam diuerſis temporibus congruere Copernicus deprehendit.

In hac vero occaſione licebit Elogium heic adſcribere, quod Vir magnus Capite id antecedente præmiſit? *Vnus*, inquit Clauius, *poſt hominum memoriam Nicolaus Copernicus egregius noſtræ ætatis Mathematicus conferendo diligentiſſimè ſuas obſeruationes cum obſeruationibus Hipparchi, Ptolemæi, Albategnij, Alphonſinorum, auſus eſt. ſolertia ſanè incredibili, adhibitis nouis Hypotheſibus, incrementum hoc, & decremẽtum anni Solaris demonſtrare, & anni inæqualitatem ad certam, definitámque normam redigere, inuenitque per calculum ex ſuis Hypotheſibus deprõptum, annum Solarem, cùm ad maximam magnitudinem excreuit, paulò eſſe maiorem eo, quem Ptolemæus cõperit, dierum nimirùm 365. horar. 5. minut. 55. ſecund. 57. tert. 40. Cùm verò maximè decreuerit, paulò minorem eſſe eo, quem Albategnius reperit, hoc eſt, dierum 365. minut. 4. ſecund. 55. tert. 7. ita vt, magnitudo anni Alphonſini media propemodùm ſit inter maximam, & minimam magnitudinem.* His eſt affine, quod idem habet in ſuis illis in Sphæram Ioanois de Sacro-boſco Commentariis, cum *Nicolaus*, ioquit, *Copernicus, Pruтenus, noſtro hoc ſæculo Aſtronomiæ reſtitutor egregius, quem tota Poſteritas grato ſemper animo, tanquam alterum Ptolemæum celebrabit, atque admirabitur, conferens ſuas, &c.* Sed hæc quidem poſt-modùm Clauius.

Nunc, vt vnum, aut alterum, ex cõtemporaneis virtutis famæque ipſius teſtibus proferamus, dicendus ſanè cumprimis eſt Nicolaus Schõbergius, Cardinalis ille Capuanus, cuius ad ipsũ literas anno M.D.XXXXI. Calendis Nouembribus datas, ſi in hunc locum inſeruerimus, eſſe operæ-pretium poteſt. Illæ itaque fuere huiuſmodi. *Cùm mihi de virtute tua, conſtanti omnium ſermone ante annos aliquot allatum eſſet; cœpi tum maiorem in modum te animo cõplecti, atque gratulari etiã noſtris hominibus, apud quos gloriã tantâ floreres. Intellexerã enim te nõ modo veterũ Mathematicorũ inuẽta egregiè callere, ſed etiã nouam Mũdi rationem conſtituiſſe, qua doceas Terram moueri Solẽ imum Mundi, adeóque medium locũ obtinere: Lunã ſe vnà cum incluſis ſua Sphæra elementis inter Martis, & Veneris Cælum ſitam anniuerſario curſu circũ Solem cõuertere:*

atque

atque de hac tota Aſtronomiæ ratione Commentarios a te confectos eſſe, ac Erraticarum Stellarum motus calculis ſubductos in Tabulas contuliſſe, maxima omnium cum admiratione. Quamobrem, Vir doctiſſime, niſi tibi moleſtus ſum, te etiam, atque etiam oro vehementer, vt hoc tuum Inuentum Studioſis communices, & tuas de Mundi Sphæra lucubrationes vnà cum Tabulis, &, ſi quid habes præterea, quod ad eandem rem pertineat, primo quoque tempore ad me mittas. Dedi autem negotium Theodorico à Reden, vt iſteic meis ſumptibus omnia tranſcribantur, atque ad me transferantur. Quod ſi mihi morem in hac re geſſeris, intelliges te cum homine tui ſtudioſo, & tanta virtuti ſatisfacere cupiente rem habuiſſe. Vale. Et ſic quidem ille.

Aliunde verò dignum memoratu eſt, iuuenem cordatum, ac pereruditum Georgium Ioachimum Rheticum, VVittembergæ Matheſin docentem, celebritate illa viri, Hypotheſeôſque eius permotum, Profeſſionem ſuam dimiſiſſe, illúmque in Pruſſiam conueniſſe, vt ipſi adhæreret, eiúſque diſcipulum ſe profiteretur. Factum id anno M. D. XXXIX. idque non inſcio memorato Schonero Norimbergæ Profeſſore Matheſeos, quem tanquam parentem colebat, & ad quem dedit etiam ex itinere literas, quibus recepit ſe, quamprimùm liceret, ſignificaturum euentuſne famæ, & ſuæ exſpectationi reſpondiſſet. Significauit verò deinceps, ac fecit ſatis tum ſuis promiſſis, tum ipſius Schoneri votis, cùm menſibus vix duobus, ac ſemiſſe elapſis, prolixas ad illum dedit literas, quibus quid, quantúmque eò vſque profeciſſet, expoſuit (vnde & hanc primam Narrationem dixit, quòd ipſam ſcribens, alteram ſe conſcripturum promiſerit) atque id quidem, licet nonnihil interquieuiſſet à ſtudiis, partim ob aduerſam non-nihil valetudinem; partim, quia inuitatus fuerat à Tidemanno Gyſio Culmenſi Epiſcopo, vt vnà cum Copernico ad ſe Lobauiam accederet, ibique ſaltem aliquor hebdomadas commoraretur. Non tacendum autem, quòd mox ab initio ſic eſt præfatus; *Principio autem ſic ſtatuas velim, doctiſſime D. Schonere hunc Virum, cuius nunc operâ vtor, in omni doctrinarũ genere, & Aſtronomiæ peritia Regiomontano non eſſe minorem. Libentiùs autẽ eum Ptolemæo confero, non quod minorem Regiomontanum Ptolemæo æſtimem, ſed quia hanc felicitatem cum Ptolemæo Præceptor meus communem habet, vt inſtitutam Aſtronomiæ emendationem, diuina adiuuante clementia, abſolueret, cùm Regiomontanus, heu crudelia fata! ante columnas ſuas poſitas è vita migrarit.*

Vt præteream autem Narrationem totam contineri duobus potiſſimùm capitibus, quorum vnum eſt explicatio eorum, quæ à Copernico Libro III. ediſſeruntur (ille enim priores duos prætermittit, quòd de Doctrina primi Motus nihil tradant inſolitum; neque item de tribus poſterioribus, quòd tum de illis ſcripturus ſit, cùm vberiùs euoluerit, & cognouerit totum opus) alterum deductio, ac ſimul comprobatio Copernicæ Hypotheſeos, occaſione ſumpta ex Sole, de quo Libro illo tertio agitur. Vt iſtud, inquam, atque adeò præcipuum Narrationis totius argumentum præteream, ſeligo dumtaxat pauca quædam loca, quibus, quo cenſu Copernicum Rheticus habeat palam teſtatur. Ecce enim, ex. gr. *Ego profectò*, inquit, *Reipub. & ſtudioſis omnibus, quibus D. Doctoris Præceptoris mei labor profuturus eſt, plurimùm gratulor, quod nos certam diuerſitatis anni rationem habeamus.* Et rurſus. *Regnum itaque in Aſtronomia doctiſſimo viro D. Præceptori meo Deus ſine fine dedit: quod Dominus ad Aſtronomicæ veritatis reſtaurationem gubernare, tueri, & augere dignetur: Amen.* Et cohærenter. *Statui tibi breuiter doctiſſime D. Schonere, integram tractationem motus Lunæ, & reliquorum Planetarum, quemadmodum Stellarum Fixarum, & Solis conſcribere: vt quæ vtilitas ex D. Præceptoris Libris ad ſtudioſos Mathematicæ, totámque poſteritatem, veluti ex vberrimo fonte promanatura ſint, intelligas: verùm, cùm viderem opus impræſentiarum nimis excreſcere, peculiarem hac de re Narrationem inſtituendam duxi.* Ac iterum, *Interrumpo cogitationes tuas Clariſſime Vir: video enim te, dum cauſas renouandarum Hypotheſium Aſtronomiæ à Doctore meo, excellenti doctrina, ſummóque ſtudio indagatas audis, animo tecum cogitare, quænam tandem apta renaſcentis Aſtronomiæ Hypotheſium futura ſit ratio.* Et ſtatim, *Proinde, ſi quiſpiam ad ſummum, principalémque finem Aſtronomiæ ſibi reſpiciendum ſtatuerit, vnà nobiſcum D. Doctori Præceptori meo gratias habebit, cogitabitque, & ad ſe Ariſtotelis illud pertinere,* [illegible], *&c.* Ac poſteà. *Cùm apud te anno ſuperiori eſſem, atque in emendatione motuum, Regiomontani noſtri, Peurbachij Præceptoris eius, tuos, & aliorum doctorum virorum labores viderem, intelligere primùm incipiebam, quale opus, quantúſque labor eſſet futurus, hanc Reginam Mathematum Aſtronomiam, vt digna erat, in Regiam ſuam reducere formámque imperij ipſius reſtituere: verùm, cùm, Deo ita volente, ſpectator, ac teſtis talium laborum, quos alacri animo & ſuſtinet, & magna ex parte ſuperauit iam, D. Doctori, Præceptori meo ſim factus; me nec vmbram quidem tantæ molis laborum ſomniaſſe video.* Et mox. *Hanc Platonis ſententiam (Deo præeunte inuentam eſſe) alij aliter fortaſſe interpretabuntur; Ego verò; cùm videam D. Doctorem Præceptorem meum Obſeruationes omnium ætatum cum ſuis ordine, ceu Indices collectas ſemper in conſpectu habere; deinde, cùm aliquid, &c. Proinde, niſi Deus illi pro ſua benignitate motus heroicos indiderit, & tanquam manu per incomprehenſibile aliàs rationi humanæ iter deduxerit, &c. Perpendamus itaque, vt incœpimus & in reliquis Planetis D. Doctoris Præceptoris mei Hypotheſeis; vt videamus, an conſtanti animo, &, Deo præeunte, Vraniam ad ſuperos perduxerit, ſuoque dignitati reſtituerit.*

Sed hæc ne pluribus conſecter, attexere ſolùm concluſionem iuuat, ex qua liceat intelligi, Copernicum non nouitatis ſtudio, aut oſtentandi ingenij causâ; ſed rebus ipſis ſic exigentibus, aliâ inceſſiſſe viâ, quàm veteres, ac Ptolemæum potiſſimùm, quem mirificè ſemper coluit, illum *eminentiſſimum Mathematicorum* appellans, vti & Hipparchum,

chum, *virum mira ſagacitatis.* Illa igitur ſe hunc in modum habet, *Porrò velim te doctiſſimo viro D. Doctore, meo Præceptore hoc ſtatuere, tibique perſuaſiſſimum habere, apud eum nihil prius, nec antiquius eſſe quicquam. quam veſtigiis Ptolemæi vt inſiſtat; nec aliter, ac ipſe Ptolemæus fecit, veteres, & ſe antiquiores multò ſequutus. Dum autem* τὰ φαινόμενα, *quæ Aſtronomum regunt, & Mathematica ſe cogere intelligeret, quædam præter voluntatem etiam vt ſumeret: ſatis interim eſſe putauit, ſi eadem arte in eundem ſcopum cum Ptolemæo tela ſua dirigeret: etiamſi arcum, & tela ex longè alio materiæ genere, quàm ille aſſumeret: at hoc loco illud arripiendum.* δεῖ δὲ ἐλευθέριον εἶναι τῇ γνώμῃ τὸν μέλλοντα φιλοσοφεῖν. *Cæterùm, quod alienum eſt ab ingenio boni cuiuſlibet, maximè verò à natura Philoſophica, ab eo, vt qui maximè, abhorret D. Præceptor meus: tantum abeſt, vt ſibi à veterum philoſophantium ſententiis, niſi magnis de cauſis, ac rebus ipſis efflagitantibus, ſtudio quodam nouitatis, temerè diſcedendum putàris. Alia eſt ætas, alia morum grauitas, doctrinæque excellentia, alia denique ingenij celſitudo, animique magnitudo, quàm vt tale quid in eum cadere queat: quod quidem eſt, vel ætatis iuuenilis, vel* τὸ μέγα φρονούντων ἐπὶ θεωρίᾳ μικρᾷ *(vt Ariſtotelis vtar verbis) vel ardentium ingeniorum, quæ à quolibet vento, ſuiſque affectibus mouentur, ac reguntur; vt etiam, ceu* κυβερνήτου *excuſſo, quoduis obuium ſibi arripiant. & acerrimè propugnent. Verùm vincat Veritas, vincat virtus, ſuúſque honos perpetuò habeatur artibus, & quilibet bonus ſuæ artis Artifex in lucem, quod proſit, proferat, atque in hunc tueatur modum, vt veritatem quæſiuiſſe videatur. Neque verò D. Præceptor honorum, & doctorum virorum iudicia vnquam abhorrebit, quæ ſubire vltrò cogitat.*

Hæc ex Narratione Prima Rhetici, qui Secundam ne conſcripſerit, an illa edita vſpiam fuerit, an alicubi adhuc deliteſcat, aſſeuerare non poſſumus. Editum dumtaxat, cum hac Prima habemus Boruſſiæ, Pruſſiæve Encomium. quod idem conſcripſit, vnáque VVarmiâ ad Schonerum miſit, memorato anno M.D.XXXIX. ac IX. Calend. Octobris. Retinuit verò penes ſe vtriuſque exemplum, quod cùm inſequente anno in Germaniam rediens, tranſmiſiſſet ex itinere (Gedano, putà, Dantiſcove) in Rhetiam, ad amicum veterem, ac eruditum virum Achillem P. Gaſſarum, ipſe Gaſſarus anno proximo, hoc eſt M.D.XLI. edi Baſileæ vtrumque curauit, & facta quidem, Narrationis præſertim Georgio Vogelino Philoſopho, & Medico Conſtantienſi nuncupatione, cuius concluſio eſt, *Bene, mi amice, Vale, & me amando, vulgi hoc in negotio iudicium ride: ſiquidem non dubium eſt, quin nouitas iſta abſque rancore doctis omnibus tum grata, tum vtilis aliquando futura ſit.* Præterea autem Vogelinum præmiſiſſe hoc ad Lectorem Decaſtichon,

Antiquis ignota viris mirandáque noſtri
Temporis ingeniis iſte Libellus habet.
Nam ratione noua Stellarum quæritur ordo,
Terráque iam currit, credita ſtare prius.
Artibus inuentis celebris ſit docta vetuſtas,
Ne modò laus ſtudiis deſit, honórque nouis.
Non hoc iudicium metuunt, limámque periti
Ingenij: ſolus liuor obeſſe poteſt.
At valeat liuor: paucis etiam iſta probentur:
Sufficiet, doctis ſi placuere viris.

Cùm Rheticus verò ex Pruſſia regrediens aduexiſſet ſecum Tractatum quendam *de Triangulorum tam Planorum, quàm Sphæricorum lateribus, & angulis,* curauit ſubinde mandari ipſum typis, idque Norimbergæ, & nuncupatione Georgio Hermano ciui Norimbergenſi facta, cuius poſtremam partem ecce, *Hi, qui Ptolemæum explicare conati ſunt, multa de Triangulis commentati ſunt; & optârim certè exſtare veteres Menelaum, & Theodoſium. Nunc recens prodiit lucubratio Regiomontani, ſed multò antè, quam hanc videre potuit Vir clariſſimus, & doctiſſimus D. Nicolaus Copernicus, dum & in Ptolemæo illuſtrando. & in doctrina motuum tradenda elaborat, de Triangulis eruditiſſimè ſcripſit. Scio tibi admirationi fore hoc ſcriptum, cùm videbis quantas res, quàm artificiosè complexus ſit. Vt autem hoc tempore ederem, eo accidit, quod in enarratione Ptolemæi nobis opus fuit Triangulorum doctrinâ; Tibique eo dedicaui, vt te prouocarem ad edenda, ſi qua in hoc genere habes, ſeu vetera, ſeu recentia. Huc accedit, quod audio amicitiam tibi Romæ fuiſſe cum Authoris fratre. Sed tibi Viro doctiſſimo, non minor eſt cauſa quam hæc, ad amandum Authorem, acerrimum ipſius ingenium, & cum in cæteris artibus, tum maximè in doctrina cæleſti eruditio tanta, vt veteribus ſummis artificibus conferri poſſit. Ac gratulari huic ætati debemus, tantum artificem reliquum eſſe qui ſtudia aliquarum accendat & adiuuet. Mihi quidem iudico rem nullam humanam contigiſſe meliorem, quam talis viri & doctoris conſuetudinem. Ac ſi quid vnquam mea opera in hoc genere Reipublicæ profutura eſt, ad cuius vtilitatem ſtudia noſtra referenda ſunt, huic doctori acceptum referri volo. Itaque cùm hanc lucubrationem, & ingenioſiſſimè ſcriptam eſſe ſciam. & ego eam propter Authoris memoriam magni faciam, velim te hoc munere magnopere delectari.* Lucubratiuncula porrò hæc fuit deinceps inſerta in ipſum Opus Reuolutionum, ad calcem ſcilicet primi Libri, poſt Subtenſarum Canonem, & comprehenſa quidem Capitibus duobus, quorum prius, hoc eſt xiij. ſeptem Theorematibus; poſterius, hoc eſt XIV. quindecim continetur. Fuit verò attextus huic Tractatulo Canon ſemiſſium Subtenſarum, ſeu Sinuum, eo diſcrimine ab illo, qui in Opere Reuolutionum eſt, quòd hic & ſupputatus ſit ſolùm ad Radium partium 100000. & procedat ſolùm per dena minuta; ille autem ſit ſupputatus ad Radium partium 10000000. & per ſingula minuta procedat.

Sed enimverò dicendum iam eſt de ipſius Operis editione, quæ facta illicò pòſt fuit, & ex qua tam ſera intelligi poteſt, quanta Authot fuerit moderatione animi, quòd vix tempore ætatis extremo, viris, amicis, eruditiſque impensè exigentibus fieri illam aſſenſerit. Non profectò, quòd ſocietati generis humani inuideret, ſi quid ex ea vtilitatis redundare in commune poſſet; verùm quòd ſulitus de ſe nihil magnificè ſentire,

prouì

prouideret [illegible] bene multos rei nouitate offenſum, ac ſatius eſſe duceret eum ſolis amicis, & veri, æquique amantibus rem communicare, ac Pythagoreorum more, quaſi per manus tradere, quàm faciendo promiſcuam, reliquorum clamores ciere. Certè, cùm inter cætera, is fructus exaggeraretur, quem perceptura Eccleſia ex ratione motuum cæleſtium demonſtrata foret; ideò condere Tabulas, quæ præſtare rem expeditam poſſent, quæque proinde in omnium manus peruenirent, non abnuit; verùm id ſine fontibus, vnde deriuatæ eſſent, demonſtratis; Alphonſinarum ſcilicet inſtar, quæ alia ratione ad nos tranſmiſſæ non fuerint. Tametſi id abundè viſum cordatis amicis non fuit, maximéque optimo Gyſio, cuius quæ fuerint Copernico tandem permouendo rationes, non erit fortè importunum, ſi Rhetici verbis hîc retulero, vnà cum iis, quibus ſe Copernicus tuebatur; quoniam tametſi futura ſit exſcriptio paulò fuſior, non videtur tamen res poſſe nimis exquiſitè cognoſci.

Is ergo Boruſſiam commendans, ac duos Mecœnates præcipuos, quos in illa habuit recenſens: *Alter eſt*, inquit, *ampliſſimus Præſul, cuius ſub principium mentionem feci, Tidemānus Gyſius Epiſcopus Culmenſis. Eius reuerenda Paternitas, cum chorum virtutum, & doctrina, quemadmodum D. Paulus in Epiſcopo requirit, ſanctiſſimè abſoluiſſet, ac intellexiſſet non parum momenti ad gloriam Chriſti adferre, vt iuſta temporum ſeries in Eccleſia, & certa motuum ratio, ac doctrina extaret; D. Doctorem Præceptorem meum, cuius ſtudia, & doctrinam multis abhinc annis exploratam habebat, amè non deſtitit adhortari, quòm illum ad hanc prouinciam ſuſcipiendam impulit. D. Præceptor autem, cùm natura eſſet κοινωνικός, & videret Reipublicæ quoque literariæ motuum emendatione opus eſſe, facilè Reuerendiſſimi Præſulis, & amici precibus ceſſit, & recepit Tabulas Aſtronomicas cum nouis Canonibus ſe compoſiturum; neque, ſi quis ſui eſſet vſus, Rempublicam (quod cùm alij, tum Ioannes Angelus fecit) laboribus defraudaturum. Ac quoniam iam olim ſibi eſſet perſpectum obſeruationes ſuo quodammodo iure talcis Hypotheſeis exigere, quæ non tam euerſuræ eſſent hactenus de motuum, & orbium ordine, rectè (vt quidem receptum, creditumque vulgò) diſputata, & excuſſa, quàm etiam cum ſenſibus noſtris pugnatura, indicabat Alphonſinos potiùs, quàm Ptolemæum imitādum, & Tabulas cum diligentibus Canonibus, ſine demonſtrationibus proponendas. Sic futurum, vt nullam inter Philoſophos moueret turbam, vulgares Mathematici correctum haberēt motuum calculum, veros autem Artifices, quos æquioribus oculis reſpexiſſet Iupiter, ex numeris propoſitis facilè peruenturos ad principia, & fonteis, vnde deducta eſſent omnia (quemadmodum quoque vſque adhuc doctis elaborandū fuit ue vera Hypotheſi motus Stellati Orbis ex Alphonſinorum doctrina.) Sic fore, vt doctis liquido conſtarent omnia; neque tamen Aſtronomorum vulgus fraudaretur vſu, quem etiam ſine ſcientia ſolùm curat, & expetit; atque illud Pythagoreorum obſeruaretur. Ita philoſophandum, vt doctis, & Mathematica initiatis Philoſophiæ penetralia reſeruentur*, &c.

Pergit Rheticus: *Ibi tum Reuerendiſſimus oſtendebat imperfectum id munus Reipublicæ futurum, niſi & cauſas ſuarum Tabularum proponeret, & imitatione Ptolemæi, quo conſilio, quave ratione, quibuſque nixus fundamentis, ac demonſtrationibus, Medios motus, & Proſthaphæreſeis inquiſierit, Radices ad temporum initia conformauerit, inſuper adderet. Ad hæc, addebat quantum hæc res incommodi, & quos errores in Tabulis Alphonſinis attulerit, cùm cogeremur earum placita aſſumere: ac probare non aliter, quàm vt illi ſolebant, αὐτὸς ἔφα, quod in Mathematicis quidem nullū prorſus habet locum. Porrò, cùm hæc principia, & Hypotheſes tanquam ex diametro cum Veterum Hypotheſibus pugnent, vix inter Artifices aliquem futurum, qui olim Tabularum principia perſpecturus eſſet, eáque poſtquam Tabulæ viuentes, vt cum veritate conſentientes acquiſiuiſſent, in publicum proferret. Non hic locum habere, quod ſæpius in imperiis, ac conſiliis, & publicis negotiis fit, vt aliquandiu conſilia occultentur, donec ſubditi, fructu percepto ſpem nequaquam dubiam faciant, fore, vt ipſi conſilia ſint approbaturi. Quantum autem ad Philoſophos attinet, prudentiores & doctiores diligentiùs ſeriem diſputationis Ariſtotelicæ examinaturos, & perpenſuros, quomodo Ariſtoteles, poſtquàm pluribus ſe argumentis immobilitatem Terræ demonſtraſſe crediderit, confugiat tandem ad illud argumentum,* Μαρτυρεῖ δὲ τούτοις καὶ τὰ παρὰ τῶν Μαθηματικῶν λεγόμενα περὶ τὴν Ἀστρολογίαν· τὰ γὰρ φαινόμενα συμβαίνει μεταβαλλόντων τῶν σχημάτων, οἷς ὥρισται τῶν ἄστρων ἡ τάξις, ὡς ἐπὶ τοῦ μέσου κειμένης τῆς γῆς. *Porrò hîc ſecum conſtituturos, ſi hæc cōcluſio præmiſſis diſputationibus non poſſet ſubiici, ne oleum, & operam impenſam perdamus, potiùs vera Aſtronomiæ ratio aſſumenda erit. Deinde, reliquarum diſputationum apta ſolutiones indaganda, & recurrendo ad principia, diligentia maiore, parique ſtudio excutiendum, an ſit demonſtratum, centrum Terræ eſſe quoque centrum Vniuerſi; &, ſi Terra in orbem Lunæ eleuaretur, quòd Terræ partes auulſæ non ſui globi centrum appetituræ eſſent, ſed Vniuerſi; cùm tamen omnes ad angulos rectos ſuperficiei globi Terræ incidant. Præterea, cùm Magnetem videamus naturalem motum habere verſus Septentrionem; diurnane reuolutiones, aliique motus circulares Terræ attributi neceſſariò violenti ſint. Amplius, vtrum poſſint tres motus à medio, ad medium, & circa medium actu ſeparari, & alia, quibus Ariſtoteles, vt fundamentis Timæi, & Pythagoreorum placita refellit. Atque hæc, & huiuſmodi ſecum perpendent, ſi ad principalem Aſtronomiæ finem, & ad Dei & naturæ potentiam, ac induſtriam reſpicere voluerint. Quòd ſi autem docti vtique acriùs, & pertinaciùs ſuis principiis inſiſtere in animo habuerint, decreuerintque; monebat Dom. Præceptorem, ſe fortunam meliorem expetere non debere, quàm Ptolemæi huius diſciplinæ Monarcha fuiſſet, de quo Auerroes, ſummus aliàs Philoſophus,*

ſophus, poſtquam concluſiſſet Epicycloe, & Eccentricos in rerum natura omninò eſſe non poſſe, & Ptolemæum ignoraſſe. quare veteres motus gyrationis poſuiſſent, tandem pronunciat; Aſtronomia Ptolemai nihil eſt in eſſe. ſed conuenient computationi non eſſe. Caterum indoctorum, quos Graci ἀθεωρήτους ἀμύσους, ἀφιλοσόφους, καὶ ἀγεωμετρήτους vocant, clamores pro nihilo habendos; cùm neque iſtorum gratiâ vllos viri boni labores ſuſcipiant.

Poſtremò ita Rheticus, *His, & aliis multis, vt ex amicis rerum omnium conſciis comperi, eruditiſſimus Praſul tandem apud D. Praceptorem euicit, vt polliceretur ſe doctus, & Poſteritati de laboribus ſuis iudicium permiſſurum. Quare meritò boni viri, & ſtudioſi Mathematum Reuerendiſſimo Domino Culmenſi magnas, iuxta me, habebunt gratias, quòd hanc operam Reipublica praſtiterit.* Atque hæc quidem ſunt, quæ videre licet attingi ab ipſo Copernico, cùm in ſua illa Nuncupatione, Præfationéve ad Paulum III. Pontificem Maximum, amicos recenſens, qui ſe diu cunctantem, atque etiam reluctantem retraxiſſent, vbi meminit iam antè citati Cardinalis Schombergij in genere omni doctrinarum celebris; *Proximus illi*, inquit, *vir mei amantiſſimus Tidemannus Gyſius Epiſcopus Culmenſis, Sacrarum, vt eſt, & omnium bonarum literarum ſtudioſiſſimus. Is etenim ſapenumerò me adhortatus eſt, & conuitiis interdum additis efflagitauit, vt librum hunc ederem, & in lucem tandem prodire ſinerem, qui apud me preſſus non in nonum ſolùm annum, ſed iam in quartum nouennium latitaſſet.* Sequitur porrò, *Idem apud me egerunt alij non pauci viri eminentiſſimi, & doctiſſimi, adhortantes, vt meam operam ad communem ſtudioſorum Mathematices vtilitatem, propter conceptum metum, conferre non recuſarem diutius Fore, vt quanto abſurdior pleriſque nunc hac mea doctrina de Terra motu videretur, tantò plus admirationis, atque gratia habitura eſſet, poſtquam per editionem Commentariorum meorum caliginem abſurditatis ſublatam viderent liquidiſſimis demonſtrationibus. His igitur perſuaſoribus, eáque ſpe adductus, tandem amicis permiſi, vt editionem Operis, quamdiu à me petiiſſent, facerent.*

Itaque, præſtito aſſenſu, concinnauit primùm, præfixítque Operi huiuſcemodi Præfationem ad Pontificem Maximum, in qua vbi expoſuit, quibus rationibus impulſus, reluctatus amicis fuerit; quibus adhortationibus permotus manus dederit; quibus inductus argumentis motum Terræ tribuerit: ac ſe dixit non dubitare, quin ingenioſi, atque docti Mathematici ſibi adſtipulaturi ſint, ſi, quod hæc Philoſophia imprimis exigit, non obiter, ſed penitùs ea, quæ ad harum rerum demonſtrationem à ſe in hoc Opere afferuntur, cognoſcere, atque expendere voluerint: tum poſtremùm hæc ſubdit. *Vt verò pariter docti, atque indocti viderent, me nullius omninò ſubterfugere iudicium, malui tua Sanctitati, quàm quiquam alteri has meas lucubrationes dedicare, propterea quod & in hoc remotiſſimo angulo Terra, in quo ego ago, ordinis dignitate, & literarum omnium, atque Mathematices etiam amore eminentiſſi[mus] [h]abearis; vt facilè tua authoritate, & iudicio c[alu]mniantium morſus reprimere poſſis; etſi in Prouerbio ſit, non eſſe remedium aduerſus Sycophanta morſum. Si fortaſſe erunt ματαιολόγοι qui cùm omnium Mathematum ignari ſint, tamen de illis iudicium ſibi ſumunt, propter aliquem locum Scriptura malè ad ſuum propoſitum detortum, auſi fuerint meum hoc inſtitutum reprehendere, ac inſectari; illos nihil moror, adeò vt etiam illorum iudicium, tanquam temerarium contemnam. Non enim obſcurum eſt Lactantium, celebrem alioqui ſcriptorem, ſed Mathematicum parum, admodum pueriliter de forma Terra loqui, cùm derides eos, qui Terram globi formam habere prodiderunt. Itaque non debet mirum videri ſtudioſis, ſi qui tales nos etiam ridebunt. Mathemata Mathematicis ſcribuntur, quibus & hi noſtri labores, ſi me non fallit opinio, videbuntur etiam Reipublica Eccleſiaſtica conducere aliquid, cuius principatum tua Sanctitas nunc tenet. Nam non iam multò antè ſub Leone X. cùm in Concilio Lateranenſi vertebatur quaſtio de emendando Calendario Eccleſiaſtico, qua tum indeciſa hanc ſolummodò ob cauſam manſit, quòd annorum, & menſium magnitudines, atque Solis & Luna motus nondum ſatis dimenſi haberentur. Ex quo equidem tempore his accuratiùs obſeruandis animum intendi, admonitus à praclariſſimo viro D. Paulo Epiſcopo Semproníenſi, qui tum iſti negotio praerat. Quid autem praſtiterim in ea re, tua Sanctitatis pracipuè, atque omnium aliorum doctorum Mathematicorum iudicio relinquo. Et ne plura de vtilitate Operis promittere tua Sanctitati videar, quàm praſtare poſſim, nunc ad inſtitutum tranſeo.*

Deinde Opus, Præfationemque optimo Gyſio dedit in manus, ac, vt omnia pro libitu exſequeretur, illi copiam fecit. Gyſius verò ad Rheticum, cuius & induſtriam, & affectum nôrat (imò & quicum ante eius diſceſſum ſic conuenerat) omnia vno faſciculo, & via quidem tuta in Saxoniam miſit. Ille autem ratus editionem meliùs, quàm Norimbergæ non poſſe fieri, quòd tametſi ipſe & præſens adeſſe, & operis præeſſe non poſſet. haberet tamen ea in vrbe, & ſui amanteis, & eruditos, claroſque viros, Schonerum, Oſiandrum, & alios, qui in ſe lubentes eam curam reciperent; idcircò rem illeic peragi curauit. Andræas porrò Oſiander fuit, qui alacriter id munus ſuſcepit; ac proinde non modò operarum inſpector fuit, ſed Præfatiunculam quoque ad Lectorem (tacito licet nomine) de Hypotheſibus Operis adhibuit. Eius in ea conſilium fuit, vt, tametſi Copernicus Motum Terræ habuiſſet, nó ſolùm pro Hypotheſi, ſed pro vero etiam placito; ipſe tamen ad rem, ob illos, qui hinc offenderentur, leniendam, excuſatum eum faceret, quaſi talem Motum non pro dogmate, ſed pro Hypotheſi mera aſſumpſiſſet; *Eſt*, inquit, *Aſtronomi proprium hiſtoriam motuum caleſtium diligenti, & artificioſa obſeruatione colligere: deinde cauſas earundem ſeu Hypotheſeis cùm veras aſſequi nulla ratione poſſit qualeſcumque excogitare, & confingere, quibus ſuppoſitis, iidem motus ex Geome-*

tria

tria principiis, tam in futurum, quàm in præteritũ rectè poſſint calculari. Horum autem vtrumque egregie præſtitit hic Artifex; neque neceſſe eſt eas Hypotheſeis eſſe veras, imo ne veriſimiles quidem: ſed ſufficit hoc vnum, ſi calculum obſeruationibus congruum exhibeant. Fuit vero & in hunc ſenſum inuulgatum hoc diſtichon,

Quid tum, ſi mihi Terra mouetur, Sólque quieſcit,
Ac Cælum? Conſtat calculus inde mihi.

Cæterùm editio perfecta iam erat, illiuſque exemplum Rheticus ad ipſum mittebat, cùm ecce, vt optimus Gyſius ad ipſum Rheticum reſcripſit, qui Vir fuerat tota ætate valetudine ſatis firma, laborare cœpit ſanguinis profluuio, & inſequuta ex improuiſu paralyſi ad dextrum latus. Per hoc tempus memoria illi, vigórque mentis debilitatus. Habuit nihilominùs, vnde ad hanc vitam & dimittendam, & cum meliore commutandam ſe compararet. Contigit autem, vt eodem die, ac horis non multis, priuſquàm animam efflaret, Operis exemplum ad ſe deſtinatum, ſibique obiatum, & viderit quidem, & contigerit; ſed erant iam tum aliæ ipſi curæ. Quare ad hoc compoſitus, animam Deo reddidit, die Maij xxiiij. anno M. D. XLIII. cùm foret tribus iam menſibus & diebus quinque ſeptuagenario maior. Atque huiuſmodi quidem Vita, huiuſmodi Mors Copernici fuit.

NVNC, cùm de eius facie, corporiſque habitu ſupereſſet quidpiam dicendum; nihil tamen licet iam nobis aliud, quàm exhibere ipſius effigiem, cuiuſmodi expreſſa habetur inter virorum illuſtrium, quæ apud Boiſſardum ſunt cælatæ, icones. Vellem ſolùm ipſi appingi diploidem pelliceam, qualem ſe obſeruaſſe Bulliadus noſter memorauit in ea effigie, quæ Argentorati viſitur, qua Eccleſiæ parte celebre horologium machinale exſtat, qualéque eximius Berneggerus, qui ante annos plus minus 30. aduehi ex Pruſſia effigiē procurauerat, repræſentari voluit in fronte Galileanorũ Dialogorũ, cùm illos, poſtquàm latinitate donauit, primùm edidit. Huic ſanè, quam exhibere vellem, non malè congruere videtur illud Nicodemi Friſchlini carmen,

Quem ceruis viuo retinet Copernicus ore,
Cui decus eximium formæ par fecit imago.
Os rubeum, pulcrique oculi, pulcrique capilli,
Cultáque Apelleas imitantia membra figuras.
Illum ſcrutanti ſimilem, ſimilemque docenti
Aſpiceres, qualis fuerat, cum Sidera iuſſit,
Et Cælum conſtare loco, Terrámque rotari
Finxit, & in medio Mundi Titana locauit.

Neſcio verò an ſperandum ſit, vt ſimilis quoque ſit illi, quam pinxiſſe olim ſua ipſe manu dicitur, & qua donatus Tycho ipſam in Muſæo Vraniburgico collocauit, cum his ſubſcriptis carminibus

Æthere ſublimi Terram, comitante Diana,
Currere, ne Phœbus poſt-modò pellat equos.
Ipſe ſed in Mundi medio, ſoliéque quieſcens
Regali, iubeat quomodo Olympus eat.
Nil tamen, vt terras habitantibus inde mouetur,
Annus eat paribus, noxque, diéſque rotis,
Nunc vaga commodiùs voluantur ſidera in orbem;
Multus is, & vaſtus nil Epicyclus agat.
Quòd ſtent, quod repedent, tardéque, citóque recurrant:
Vnica nam cunctis Terra voluta dabit.
Ille, vel inuita tantos Copernicus auſus
Qui tribuis Terra, corpore talis erat.
Cur non ingenium potiùs depingitur, inquis?
Parte aliqua Cæle pingitur ingenium.
Parte aliqua terris, quamuis Cælúmque, ſolúmque
Tam magno ingenio par, nec vtrumque ſiet.
At corpus, dices, ſpectatur imagine ſolùm
Dimidia, haud tanto ſufficiente viro:
Scilicet is, totam qui geſſit in Æthera Terram,
Tota nec hunc totum Terra vel ipſa capit.

Quibus poſtremis verſibus egregiè alluſit ad id, quod effigies huiuſmodi partem corporis ſuperiorem ſolùm exhibebat. Prætereo autem diſtichon, quod ſub alia intra hypocauſtum Stellæburgi in hunc modum habuit:

Curriculis tritis diffiſe, Copernice, Terram
Inuitam Aſtriferum flectere cogis iter.

Cùm dicendum quoque quidpiam videretur de eius Studiis, ac moribus; vix tamen etiam quidquam aliud, quàm quod ex deductis intelligitur, memorare in promptu eſt. Par eſt nimirum reputare, præcipuum eius ſtudium in ſcientiis Mathematicis, ſed Aſtronomia præſertim fuiſſe, in qua quid valuerit dicere ſuperfluum, exſtante præſertim illo Opere, in quo vnu(vt de Perſio dictum) ſæpiùs, quàm in tota Amazonide Marſus, memoratur. Quanquam attexere adhuc iuuat, quod Rheticus præfando in nouas (ac anni ſupra milleſimum quingenteſimum quinquageſimi primi) Ephemeridas, occaſione eorum laborum, quos amore Aſtronomiæ immenſos exantlârat, habet, dum illius cauſâ, *Septentriones,* inquit, *ſubij, & inde contrario tractu in Italiam contendi, vbi puer aliquando cum meis fueram, quia fama erat de quibuſdam eximia; ſed ab hos, quantumuis celebribus, non multum adiumenti allatum fuit ſtudiis noſtris. In Pruſſia ea didici, atque percepi de præclariſſima arte Aſtronomia, dum verſor apud ſummum Virum Nicolaum Copernicum, quibus elaborandis augendis, ornandis, vt neque vita, neque opera vnius ſufficere poſſit; ita me procurante iam habent ab ipſo Authore ſtudioſi earum artium ea abſoluta, atque edita, in quibus vtiliter & ſplendide exerceantur.* Quod inſuper autem teſtatus ad Schonerum Rheticus eſt, fuiſſe Copernicum *in omni genere doctrina* verſatiſſimum, id confirmat quidem, quod prodidit Gyſius de illius in Græcis, Latiniſque literis, ac Phyſicis rebus peritia; at cùm Phyſicum ſtudium Mathematico ſuffulciret, tum cætera, quæ ad humaniorem literaturam attinent, videntur ſolùm illi fuiſſe quaſi oblectamenta varia,

ad quæ animum per grauiores illas, profundioréſque meditationes quaſi defeſſum, diuerteret. Quod addit verò Gyſius eum fuiſſe quaſi alterum Æſculapium in Medicina habitum: id interpretari ſic decet, quod ſingularia quædam remedia & probè calleret, & ipſe pararet, & fœliciter adhiberet, ea erogando in pauperes, qui ipſum idcircò vt Numen quoddam venerarentur; nám publicè quidem alioquin Medicinam facere, id præter ipſius inſtitutum fuit. Prætereo, quæ varia ediſſerere per Epiſtolas eruditas potuit; quarum dicitur ſatis magna copia fuiſſe nuper præ manibus præclaro viro Ioanni Broſcio Profeſſori Aſtronomo in Academia Cracouienſi. Iſ-ne aliquas ediderit, cùm mihi non conſtet; deſiderârim ſaltem illam quam de Motu Octauæ Sphæræ ſcripſiſſe fertur ad Cantorem Cracouienſem Vapouium, vnum ſcilicet ex veteribus condiſcipulis, & amicis, quorum ſuperiùs meminimus.

Quod attinet verò ad Mores, reputare etiam par eſt, quàm bonus, quámque humanus fuerit, vel ex inſigni beneuolentia, pectoríſque quaſi effuſione, qua complexus Rheticum eſt, cuiúſque adeò extollendæ, ille facere nunquam finem potuit. Ac viſus eſt quidem nonnullis auſterior; ſed duplici nempe quadam occaſione. Vna, quòd tempus terere in rebus nihili non ferret, ac idcircò omnem conſuetudinem, & confabulationem non ſeriam, nulliúſque frugi auerſaretur; neque, ſi in talem incurriſſet, ipſi ſe præberet attentum; vnde & nectere amicitiam, niſi cum viris ſeriis, eruditiſque nunquam potuit. Celebrantur autem inter illos præcipui, tum memoratus ſæpè Gyſius, Culmenſis Epiſcopus, cuius iam antè Rheticus virtutem commendatam fecit; tum Ioannes Dantiſcus Epiſcopus VVarmienſis, vnus ex auunculi Lucæ ſucceſſoribus, qui omni literarum genere excultus, ipſum, donec vixit, & maximi fecit, & ſummoperè amauit: obierat verò quadriennio antè, quàm eò accederet Rheticus. Altera, quòd cùm probitatis, fideique antiquæ foret, ius, & æquum rigidè tueretur, & deflecti ab eo nec metu, nec vi, nec prece, nec pretio vllatenus poſſet: vt intelligi vel ex eo licet, quod ſuperiùs eſt inſinuatum, cùm de infracta eius mente circa bona Eccleſiæ ab iniuſtis, potentibuſve vſurparoribus vindicanda. Cùm generosè porrò minas, technáſque cæteras iſtorum pro nihilo habuerit, tum ad eam maximè non attendit, quâ ij ſuſcitârunt Ludi-magiſtrum Elburgẽſem, qui exhibitâ publicè comœdiâ, illum, vt Ariſtophanes olim Socratem, traduceret, ac omnibus iocis, & ſcommatibus ob illam de motu Terræ opinionem, faceret multitudini exſibilandum. Sanè verò, cùm idem poſſet, quod olim alius dicere, *Nunquam volui populo placere; nam quæ ego ſcio, non probat populus: quæ probat populus, ego neſcio*, perſpecta nihilominus illius virtus adeò fuit, vt ipſe potiùs Comicus exſibilatus fuerit, & in bonorum interim incurrerit indignationem. Viſus aliunde, habituſque aliquibus Copernicus fuit vt nouitatis ſtudioſior, ſic vanæ gloriæ appetentior: verùm ſufficere ad hoc debent, quæ iam antè audiuimus commemorantem Rheticum, de veneratione, ac ſtudio, quo proſequutus eſt antiquos; tanto profectò, vt ab ipſis, niſi ob cauſas grauiſſimas, ac rebus ipſis efflagitantibus, eſſe diſcedendum putârit; adeò proinde, vt heic ſufficiat verba illa repetere; *Alia eſt ætas, alia morum grauitas, doctrinæque excellentia: alia denique ingenij celſitudo, animique magnitudo, quàm vt tale quid in eum cadere queat.*

Vnum intereà prætereundum non eſt, Copernicum videlicet tantum abfuiſſe ab oſtentatione, illaque gloriæ inanitate, qua ſe plerique abripi ſinunt, dum, vt videantur quidpiam proferre exquiſitum præ cæteris, ad minutias vſque minutiſſimas res definiunt; quin profeſſus potiùs perquàm ingenuè fuerit, nihil habere ſe, vnde illam tantam ſubtilitatem; præciſionémque polliceretur. Sed rem audire denique ex eodemmet Rhetico iuuat. Nam primùm quidem, de Copernico loquens; *Suas*, inquit, *exquiſitiones mediocreis, non nimias eſſe voluit. Itaque conſultò, non inertia, aut tædio defatigationis eas commintiones vitauit, quas nonnulli etiam affectârunt, & ſunt qui exigant, qualis eſt Peurbachij in Eclipſium Tabulis ſubtilitas. Vides autem in his omnem curam ponere, vt planè ſcrupulosè loca Siderum ſcrutentur, qui dum ſecundanis, & tertianis, quartanis, quintanis minutiis inhiant, integras interim parteis prætereunt, neque reſpiciunt; & in momentis τῶν φαινομένων ſæpe horis, non etiam nunquam diebus totis aberrant. Hoc nimirum eſt, quod in fabulis Æſopicis fit ab eo, qui iuſſus bouem amiſſam reducere, dum auiculis quibuſdam captandis ſtudet, neque his potitur, & boue etiam amiſſo priuatur. Recordor, cùm & ipſe iuuenili curioſitate impellebar, & quaſi in penetralia Siderum peruenire cupiebam: Itaque de hac exquiſitione interdum etiam rixabar cum optimo, & maximo viro Copernico. Sed ille, cùm quidem animi mei honeſta cupiditate delectaretur, molli brachio obiurgare me, & hortari ſolebat, vt manum etiam de Tabula tollere diſcerem. Ego verò*, inquit, *ſi ad ſextanteis, quæ ſunt ſcrupula decem, veritatem adducere potero, non minus exſultabo animis, quàm ratione Normæ reperta Pythagoram accepimus.*

Mirante me, & annitendum eſſe ad certiora dicente; hoc quidem cum difficultate etiam peruentum iri demonſtrabat, cum aliis, tum tribus potiſſimùm de cauſis. Harum primam eſſe aiebat, quòd animaduerteret pleraſque obſeruationes veterum ſinceras non eſſe, ſed accommodatas ad eam doctrinam, quam ſibi vnuſquiſque peculiariter conſtituiſſet. Itaque opus eſſe attentione, & induſtria ſingulari, vt quibus aut nihil, aut parum admodum opinio obſeruatoris addidiſſet, detraxiſſetve, ea a corruptis ſecernerentur. Secundam cauſam eſſe dicebat Siderum Inerrantium loca à veteribus non vlteriùs, quàm ad ſextanteis partium exquiſita; & ſecundum hæc tamen præcipuè Errantium poſitus capi oportere. Pauca excipiebat, in quibus Declinatio Sideris ab Æquinoctiali adnotata rem adiuuaret, quòd de

hac

hac locus ipſe Sideris certius conſtitui iam poſſet. Tertiam cauſam hanc memorabat; Non habere nos taleis authores, qualeis Ptolemæus habuiſſet, poſt Babylonios & Chaldæos, illa lumina artis Hipparchum, Timocharem, Menelaum, & cæteros; quorum & nos obſeruationibus, ac præceptis niti, ac confidere poſſimus. Se quidem malle in iis acquieſcere, quorum veritatem profiteri poſſet, quàm in ambiguorum dubia ſubtilitate oſtentare ingenij acrimoniam. Haud quidem longius certè, vel etiam propius omninò abfuturas ſuas indicationes ſextante, aut quadrante partis vnius à vero; cuius defectum tantum abeſſe, vt ſe pœniteat, vt magnoperè lætetur huc vſque, longo tempore, ingenti labore, maxima contentione, ſtudio, & induſtria ſingulari procedere potuiſſe. Mercurium quidem, quaſi ſecundum prouerbium Græcorum, relinquebat in medio communem; quòd de illo neque ſuo ſtudio obſeruatum eſſe diceret, neque ab aliis ſe accepiſſe, quò magnoperè adiuuari, aut quod omninò probare poſſet. Me quidem multa monens, ſubiiciens, præcipiens, imprimis hortabatur, vt Stellarum inerrantium obſeruationi operam darem; illarum potiſſimum, quæ in Signifero apparent; quod cum his Errantium congreſſus, notari poſſint, &c.

Ad Copernici obitum vt redeam, is ſepultus fuit in ipſa VVarmienſi Cathedrali Eccleſia, in qua vixit Canonicus, & in qua reliquit memoriam cariſſimam ſui. Cùm anno certè ab eius morte trigeſimo ſexto, Cardinalis Hoſius, idémque VVarmienſis Epiſcopus obiiſſet, ac illuſtris Præſul Martinus Cromerus Polonicarum Hiſtoriarum ſcriptor fuiſſet in eius locum ſuffectus, is non priùs Epiſcopatus poſſeſſionem adiit, quàm honori ducens ſepultum habere ſua in Eccleſia, ac de eius gremio, Virum & apud Indigenas, & apud exteros tantæ famæ, imponi eius ſepulcro voluit Tabulam marmoream, ipſíque inſculpi Epitaphium huiuſmodi,

D. O. M.
R. D. NICOLAO COPERNICO
TORVNNENSI, ARTIVM, ET
MEDICINÆ DOCTORI,
CANONICO VVARMIENSI,
PRÆSTANTI ASTROLOGO, ET
EIVS DISCIPLINÆ
INSTAVRATORI,
MARTINVS CROMERVS
EPISCOPVS VVARMIENSIS
HONORIS, ET AD POSTERITATEM
MEMORIAE CAVSA POSVIT.
M. D. LXXXI.

Triennio etiam pòſt, hoc eſt anno M. D. LXXXIV. dici non poteſt quanto honori verterint ſibi Canonici, factam fuiſſe ex Copernico Tychoni occaſionem deſtinandi ad ſe Eliam Olai, vt nouis obſeruationibus locum illuſtraret, vnde & ipſum toto menſe fouerunt perhumaniter, & nobilis, eruditúſque Canonicus Ioannes Hannouius diſcedenti etiam conceſſit, quas ad Tychonem deferret, Ptolemaicas Regulas, apud ſe eo vſque in Copernici gratiam, memoriámque

Gaſſendi Miſcellanea.

ſtudioſè aſſeruatas. Rem deduximus in vita Tychonis, ac retulimus quo in pretio Tycho id inſtrumentum habuerit, vel eo ſolùm nomine, quòd exſtitiſſet Copernici, quem vt illeic quoque adnotauimus, vix vnquam ſine elogio EXIMII, INGENIIS, INCOMPARABILIS, nominauit: prorſus eo ſenſu, quo per idem tempus dictus à Ioſepho Scaligero fuit, *ἀνὴρ παντὸς λόγου κρείττων omni elogio maior vir.* Quin retulimus etiam verſus, quos penè [illegible] Tycho fudit, appenſóſque inſtrumento voluit, hocce facto initio,

> *Is, qualem nec Terra virum per ſæcula multa*
> *Procreat, &c.*

Nempe nihil neceſſe eſt illos hoc loco repetere, cùm reticendi tamen non ſint, quos treis poſt menſeis iterum in Copernici laudem fudit,

> *Si robuſta adeò fuit ingens turba Gigantum,*
> *Montibus vt monteis impoſuiſſe queat;*
> *Hiſque velut gradibus celſum affectarit Olympum,*
> *Quamuis in præceps fulmine tacta ruit;*
> *Omnibus his vnus quanto Copernicus ingens,*
> *Robuſtiúſque magis, proſperiórque fuit?*
> *Qui totam Terram, cunctis cum montibus, Aſtris*
> *Intulit, & nullo fulmine læſus abit.*
> *Corporis hi ſed enim temeraria bella mouebant*
> *Viribus; id poterat diſplicuiſſe Ioui:*
> *Is placidus, cælum penetrauit acumine mentis,*
> *Menti, cùm mens ſit, Iupiter ipſe fauet.*
>
> T. BRAHE F. Anno M. D. LXXXIV.
> Die 2. Octobris.

An hiſce verò paucula ex aliis carmina attexam? En ex Nicolao Zorauio;

> *Iupiter vt vidit, quòd mente Copernicus orbem*
> *Contrà naturæ iura creaſſet homo:*
> *Vt vidit cælum firma ſtatione teneri,*
> *Currente & Terra Sidera ſtare bene:*
> *Anxius, atque memor quid poſſent bella gigantum,*
> *Aut aliquem in terris fors ſupereſſe Deûm:*
> *E cunctis quærit diuorum matribus, an ſit,*
> *Quæ tantum dicat ſe genuiſſe virum.*
> *Non ſumus illius, Diuæ dixere Tonanti,*
> *Sed Iagellonis docta palæſtra parens.*

En ex Brunone Seidelio;

> *Arctoo mea clara fuit doctrina ſub axe;*
> *Eſt vbi Sarmatico Pruſſia iuncta ſolo.*
> *Ipſe noua cæli motus ratione notaui:*
> *Certior hac priſcâ Regula noſtra fuit.*
> *Omnibus & doctis hæc fundamenta probantur*
> *At mea te quædam nunc paradoxa mouent.*

En ex Ioanne Scrobcouicio,

> *Cur metam Lacheſi non ponis, Dia Matheſis,*
> *Omnia ad exactos, quæ reuocas numeros?*

Conditor ecce tuus moritur; Qui tempora menſus,
Debuit haud ipſis cedere temporibus.

Supereſt paucis heic ſubiiciam, quo fato ab Authoris morte Opus penè poſthumum fuerit. Id quam-primum fuit euulgatum, magno applauſu exceptum à peritis fuit. Nam vulgus quidam imperitorum, hoc eſt rem non intelligentium, non illam modò de Terræ motu opinionem abſurdam habuit, ſed demiratum etiam eſt, reperiri hominem potuiſſe, qui in id delirium incideret; at quibuſcumque diſcurere, pernoſſeque rem datum fuit; ij aut omninò in eandem conceſſere ſententiam, aut illi reliquere ſuam veriſimilitudinem: aut ſuſpexere ſagacitatem, ſolertiamque, qua ille vir id ſyſtema aut excogitaſſet, aut Phænomenis adeò congruè, appoſitéque reſtituiſſet. Petrus certè Ramus, qui non tam ſpecialem ipſius, quàm omneis omninò aduerſabatur Hypotheſeis, exoririque aliquem optabat, qui Aſtrologiam, Aſtronomiamve ſine Hypotheſibus traderet, ſic de eo ſcriptum reliquit, *Ætate noſtra Copernicus Aſtrologus non antiquis ſolùm comparandus, ſed in Aſtrologia propè ſingularis, tota antiquitate Hypotheſium reiecta, Hypotheſeis non illas quidem nouas, ſed tamen admirabileis reuocauit, quæ Aſtrologiam non ex Aſtrorum, ſed ex Terra motu demonſtrarent.* Et poſteà; *Atque vtinam Copernicus in ipſam Aſtrologiæ abſque Hypotheſibus conſtituendæ cogitationem potiùs incubuiſſet! Longè enim faciliùs ei fuiſſet Aſtrologiam Aſtrorum ſuorum veritati reſpondentem deſcribere, quàm gigantei cuiuſdam laboris inſtar, Terram mouere, vt ad Terræ motum quietas ſtellas ſpecularemur.* Vtcumque autem de Hypotheſi foret, vniuerſè certè eruditis omnibus mirificè placuit, fuiſſe laboranti Aſtronomiæ à tam perito opifice adhibitam medicam manum. Præ cæteris verò inſignis per ea tempora Mathematicus, & Philoſophiæ in Academia VVittebergenſi Profeſſor Eraſmus Reinboldus, qui, cætera inter, iam ediderat eruditum illum in Theoricas nouas Peurbachij Commentarium, cùm agnoſceret Reuolutionum opus partim materiæ difficultate, partim ſcriptionis breuitate eſſe aliquantò obſcuriùs, ideò Commentarium, quo illuſtraretur, familiariúſque redderetur, conſcripſit. Et quia interim adnotauit poſſe Tabulas vberiores, exquiſitioréſque condi, quàm forent inſcripti à Copernico Canones; ideò obſeruationibus, demonſtrationúmque veſtigiis retentis, ita retexuit cætera, vt labore denique ſex, aut ſeptem annorum incredibili, id opus exantlauerit, quod Prutenicas Tabulas inſcripſit, vt gratificaretur Alberto Marchioni Brandemburgico, ſuo Mecœnati, qui cùm in ſua Ducali Pruſſia, ac ciuitate Regiomonte inſtituiſſet recens Academiam, pergratum habuit eas Tabulas eidem ampliùs condecorandæ ad Regij montis meridianum reduci. Et quid mouendum quidem fuerit, declarat in Nuncupatoria ad Albertum Epiſtola, in qua Copernicus pro altero Atlante, aut Ptolemæo habetur; at in Præfatione ſpecialiùs rem exſequitur, cùm hiſce præmiſſis, *Multorum annorum Obſeruationes factæ ab eximiis artificibus teſtantur ex vſitatis Tabulis cæleſtium motuum non poſſe ampliùs calculum proferri cælo congruentem. Magnam igitur gratiam debemus ſummo viro Nicolao Copernico, quòd & obſeruationes ſuas multorum annorum vigiliis, & magna laboris aſſiduitate partas ſtudioſis liberaliter communicauit, & collapſam penè motuum doctrinam reſtituit, atque in lucem reuocauit, edito opere ſuo Reuolutionum*; Tum hæc ſubiicit, *Verùm, vt Geometrica eius omnia, tanquam ſummi artificis ſunt perfecta, & planè elaborata; & haud ſciam, an quidquam meliùs in hoc toto genere doctrinæ proferri vnquam poſſit; ita languiſſe interdum optimi Senis ſtudium in numerorum tractatione res ipſa docet, ſi quis accuratè conſideret Canones Proſtaphæreſeon, & conferat ipſius inter ſe calculum, & obſeruationes.* Et poſtquàm paucis aperuit, quid de ſuo præſtiterit: *Cauſas verò*, inquit, *& rationem ſingularem cōpoſitionum expoſui in Commentariis noſtris, quos ſcripſi in Opus Reuolutionum Copernici.*

Et dolendum quidem hoſce Commentarios minimè prodiiſſe in lucem; conatus eſt tamen Michaël Mæſtlinus ipſos ea parte ſupplere, quæ eſſe potuit de Orbium, Sphærarumque cæleſtiū dimenſionibus, iuxta ipſaſmet Tabulas, & ex Copernici ſentētia. Quippe relatos in Tabulas numeros retexere aggreſſus, methodo retrograda inceſſit, & quaſi a fine ad initiū perueniens, proportiones illas, & magnitudines cōperit, iuxta quas ij eſſēt numeri deducti. Vnde & ratiocinatus eſt, Diſtantiā Lunæ mediam à Terra eſſe terrenarū ſemidiametrorum $59\frac{8}{1}$. maxima exſiſtente $67\frac{4}{1}$. & minima $51\frac{4}{5}$. Diſtantiam mediā Solis à Terra eſſe earundem $1160\frac{1}{10}$ Apogeiā exſiſtente, dum maxima eccentricitas eſt, $1208\frac{4}{5}$. Perigeia $1111\frac{1}{4}$. & dū minima eccētricitas eſt, Apogeiā 1197. Perigeiā $1122\frac{1}{4}$. Porrò, & cùm Diſtātia media, ſeu ſemidiameter Orbis Magni fuerit 1160. ratiocinatus eſt Diſtātiā mediam Saturni à Sole ſiue centro Mundi, continere Magni huiuſmodi Orbis ſemidiametros $9\frac{1}{4}$. maxima exſiſtēte $9\frac{3}{5}$. minima $8\frac{3}{5}$. Iouis mediā $5\frac{3}{4}$. maxima exſiſtēte $5\frac{1}{5}$. minima 5. Martis mediam $1\frac{3}{9}$. maxima exſiſtente (& in minima quidem eccentricitate, ad quā ſolam Reinboldus attendit) $1\frac{3}{5}$. minima $1\frac{1}{5}$. Diſtantiam autem mediam Veneris à Sole, centróve Mundi, continere terrenarum ſemidiametrorum (reuocare nempe ad has lubet, quotas ab illo aſſignatas, ſemidiametri Magni Orbis parteis) 834. maxima exſiſtente paulò minùs, quàm 875. minima paulò ampliùs, quàm 753. idque etiam in minima, ad quam ſolam ille reſpexit, eccentricitate. Mercurij verò mediam, earumdem rurſus Terræ ſemidiametrorum $414\frac{1}{9}$. maxima exſiſtente ampliùs, quàm 524. minima non omninò 305. idque habito etiam ſolùm minimæ eccentricitatis reſpectu. Denique circa Solem, ac Lunam ratiocinatus eſt, cùm Terræ ſemidiameter ſit Milliarium Germanico-

rum

rum 860. & ambitus 5400. eſſe Lunæ quidem diametruin eorundem milliarium 490. ferè: ambitum vltra 1500. ſuperficiem eorundem quadratorum 186500. Solis verò diametrum 950. ambitum proximè 3000. ſuperficiem, eorumdem quadratorum vltra 7000000.

Quanquam hæc vt mittam, hoc de Tabulis ſolum addo, vbi eæ fuerunt & confectæ, & anno M. D. LI. qui octauus fuit à Copernici morte euulgatæ, antiquatas penè fuiſſe Alphonſinas, vti & deductas ex ipſis Ephemeridas, cuiuſmodi id temporis habebantur editæ à Ioanne Stoflero, vnà cum quinquennibus à Petro Pitato adiunctis. Deſiit quinetiam Rheticus vlteriores pertexere ex Canonibus Copernici nudis, qui iam ſpecialem ediderat in ipſum eiuſmodi annum; maximè verò vbi inaudiit ipſum Reinholdum contexere nouas ſuis ex Tabulis, non modò in eundem ſuperioremque, ſed in futuros etiam aliquot annos. Aggreſſus eſt etiam ſtatim Ioannes Stadius pertexere nouas ab anno M D LIV incipienteis; verumtamen quia deprehendit calculum per Tabulas Reinholdi eſſe exactiſſimum quidem, ſed ſcrupuloſiſſimum tamen; adeò vt laborioſâ moleſtiâ longum parturiret faſtidium (quæ ipſiuſmet verba ſunt) ideò partim, vt ſibi viam ſubducendis calculis complanaret, partim vt ſtudioſis, qui ſcrupuloſitatem illam cauſabantur, gratificaretur, Tabulas nouas condidit, quas quia & Roberto de Bergis Leodienſi Epiſcopo inſcripſit, & ad Bergenſem meridianum reduxit, Bergenſeis idcircò appellauit. Deduxit autem illas ex iiſdem Copernicæis fontibus; profeſſus Copernicum molitum id Reuolutionum opus, *quo nihil*; inquit in Nuncupatoria, *hic orbis vidit aut exquiſitius, aut concinnius.* Et in Aſtronomiæ hiſtoria, vbi opinionis Ariſtarchi commeminit, *Eaſdem*, inquit, *de Terra motione orbiculari, & Solis in medio Mundi quieſcentis Hypotheſeis noſtri ſæculi decus Nicolaus Copernicus aſſumpſit, motuumque doctrinam ſingularem ſymmetria, facilitateque admirabilem exſtruxit.* Ac ibidem rursùs, occaſione difficultatum, quæ circa implexos octauæ Sphæræ motus, *Ecquis*, inquit, *in talis labyrinthi flexibus, ambagibuſque implicatus Nicolao Copernico filum, vt ſeſe explicet, porrigenti immortaleis non habeat gratias?* Præterea porrò cæteros Ephemeridum conſcriptores, Leouitium, Mæſtlinum, Origanum, alios; ac obſeruo ſolùm Maginum, cùm conſcribere & ipſe vellet, Theoricas priùs nouas condidiſſe, ſed tradducendo nempe illas ex hypotheſi, opinionéque Copernici ad hypotheſin, opinionémque communem de Terræ quiete, & cælorum motu. Atque hæc quidem omnia occaſione ex Libro Copernici facta, quo deinceps & Baſileæ, & Amſterodami recuſo, neſcio an alius euaſerit in hoc genere doctrinæ celebrior. Profectò, tametſi ex quo Tycho Brahe ingenti, ac verè heroico auſu, eſt fœliciter exſequutus id, ad quod Copernicus vt retulimus paulò antè, *multa monens, ſubiiciens, præcipiens*, hortabatur Rheticum, vt nempe Inerrantium imprimis ſtellarũ obſeruationi operã daret; ac peregit etiam per annos bene multos Errantiũ, & Solis, ac Lunæ exquiſitas obſeruationes: Ioãnes vero Keplerus ex ipſis Rudulphinas Tabulas incredibili labore cõſtruxit, & occœpit quoque ex his Tabulis deducere Ephemeridas, quas præclarus vir Laurentius Eichſtadius proſequutus vberiùs eſt; Tametſi, inquam, ex hoc tempore & Copernici Canones, & Tabulæ Prutenicæ, & deductæ exinde Ephemerides non perinde in vſu ſint; non idcircò tamen Copernici Liber ſuam amiſit gratiam, ob vigentem in ipſo illam de partium Mundi diſpoſitione, ac motu Terræ hypotheſin, quæ familiam celebrem ducit. Memorandi heic aliqui præcipui ex eius Sectatoribus viderentur; ſed partim ij ſunt abundè perſpecti (ſeu fato pridem, nuperque functi, ſeu etiam-num ſuperſtites) partim nominari detrectant, ne eſſe videantur parùm reuerentes Decreti, quo ſacra Cardinalium Inquiſitorum Congregatio illam improbaſſe ante annos viginti in Galilæo dicitur; & de quo, vt accipio à verè bono, eruditóque ex Societate Ieſu viro Petro Burdinu Profeſſore Matheſcos, magnus ex eadem Societate vir Ioannes Baptiſta Ricciolus Tractatum, Apologiæ inſtar, conſcripſit recens, ac inſeruit in ſuum illud Almageſtum, quod habendum quaſi promptuarium, theſaurúſque ingens totius Aſtronomiæ ſit. Quare præſtat potiùs, occaſione eius, quod Keplerus ait, eum fuiſſe theſaurum inuentum à Copernico, cuius ipſemet pretium ignorârit, connumerare aliqua ex iis, quibus ab illo non cogitatis ipſa eius Hypotheſis occaſionem deinceps fecit.

Heinc ergo videtur fuiſſe primùm facta Guillelmo Gilberto occaſio cudendæ, atque inuehendæ Philoſophiæ Magneticæ, quatenus Terrã magnum Magnetẽ, & Magnetem Terrellam, ſeu paruam Terram habuit; ac à diurna Terræ circa ſuum axem verticitate pendere eam, quæ eſt in Magnete, magneticiſque corporibus, ſtatuit. Videtur & facta non Origano modò, coniectandi Marinum æſtum à reuolutione Telluris diurna procedere: ſed Galilæu etiam ediſſerendi ſpecialiùs cauſam affectionum æſtus variarum, tum ex diurno, tum ex aliis motibus ipſi attributis. Videtur facta ipſi Keplero comminiſcendi cauſam motus Planetarum eſſe ipſum Solem; quatenus in medio illorum exſiſtens, & circa axem ſuum conuolutus, emittit, ac ſimul in orbem circumducit radioſas ſpecies quibus Planetas circum-agat; propiores celeriùs, remotiores ſegniùs, prout illeic ſtipatior, heic diſperſior vis. Videtur quoque eidem facta excogitandi, attribuendique Planetis Ellipticas vias, & occupante quidem Sole, centri vice, alterum focorum, ad quem acceſſus, receſſuſque, Eccẽtricos ſimul, & Epicyclos ſuppleat, ac Planetarũ ſemitas vnas, ſimpliceſque deſignet,

Videtur rurſus eidem facta reputandi Cometarum ductus Trajectiones eſſe rectilineas, ac declarandi idcircò quî fiat; vt quæ ſunt illorum propriæ ſemitæ, nullatenus interturbentur diurnis reuolutionibus; vt quæ non reipsâ illis competant, ſed à viſu vnà cum Terra circumuoluto affingantur. Et facta quidem etiam per Tychonem libertas traiiciendi per ætherea ſpatia; verùm videtur quoque facta Tychoni occaſio à Copernico conſtituendi Syſtema illud, quod reipsâ nihil aliud eſt, quàm Copernicanum inuerſum; cùm ſeu Terram Soli, ſeu Terræ Solem circumducas, omnia perinde diſponantur, & perinde appareant. Saltem occaſio exinde facta Longomontano, Origano, & aliis, detinendi quidem cum Tychone Terram In centro orbium Lunæ, Solis, Affixarum, atque adeò Mundi; at reuoluendi tamen ipſam dietim circa proprium axem, ad eximendum cæleſtia omnia à diurna illa circumrotatione. Adhæc, ſtatim ac Teleſcopium detexit Phaſeis Veneris, facta in promptu cauſa eſt ex ipſa orbium diſpoſitione. Statim ac detecti ſatellites Iouis, patuit analogia illorum cum Luna, quæ ſit perinde Terræ ſatelles; atque ita de cæteris. Et de Vita quidem Copernici ſatis.

FINIS.

AD EVNDEM

IOANNEM CAPELLANVM,

IN GEORGII PEVRBACHII,

ET

IOANNIS MVLLERI REGIOMONTANI

VITAM,

PETRI GASSENDI

PRÆFATIO.

ERAM penè iam de tabula manum, mi CAPELLANE, elaturus, cùm téque & noſtro Menagio, illo officioſiſſimo, candidiſſimóque Virorum, dignatis pro ſolita veſtra humanitate inuiſere me, ac te quærente quî ſe haberet tum vitæ Tychonis editio, tum cœpta, hortatore te, Copernici vitæ conſcriptio, reſpondi illud τὴν γῆν ὁρῶ. Ipſe & gratulatus es, & inter conferendum ſermones, cœpiſti, occaſione Hypotheſeos, etiam ante natum Tychonem, à Copernico inſinuatæ, quâ eſſe fluidos, liquenteiſque ætheris campos neceſſe ſit, cœpiſti, inquam, præter morem, nonnihil ſtomachari in Peurbachium, quaſi in authorem farraginis tot illorum Eccentricorum, Epicyclorúmque ſolidorum in cælum inductæ. Cùm Menagius verò audire ex me vellet, quid id rei foret, de quo expoſtulares, cœpi ipſe ediſſerere, antiquam eſſe opinionem, quòd non, vt aues in aëre, aut piſces in mari, ita Sidera (ac ſpeciatim Planetæ) ferantur per cælum, ſpatiis liberis; ſed infixa ſint Sphæris ſolidis Terram circumambientibus, quæ circumrotatæ, ipſa circumducant. Fuiſſe hoc facile defenſu Eudoxo, Callippo, Ariſtoteli, qui, licet explicandis variis Planetarum motibus, plureis ſingulis Sphæras aſſignarent; concentricas tamen omneis Terræ habebant, ac reputabant quemque Planetam circumvehi ſemper in eadem à Terra diſtantia: at cùm deinceps ab vſque Hipparcho, & Ptolemæo deprehenſum fuiſſet Planetas nunc euectiùs, nunc depreſſiùs Terram circumire, viſum ſimul fuiſſe id fieri, ſine confractione ſolidarum Sphærarum, ſi quæ eſſent, non poſſe. Et Aſtronomis quidem fuiſſe ſatis, imaginari, ſupponeréque circulos, ſiue orbitas à Planetarum corporibus quomodocumque id fieret, deſcriptas: verùm non fuiſſe perinde ſatis ipſis Phyſicis, & Peripateticis præſertim, idque ob reuerentiam Ariſtotelis, abs quo admiſſæ ſolidæ Sphæræ; quare & illis fuiſſe cordi, reperire quemadmodum iſta Planetarum euectio, ac depreſſio cum ſoliditate Sphærarum conſtaret. Cùm varij proinde Aſtronomi varia, ſeu quia ipſi Phyſici, ſeu quia vellent Phyſicis ſatisfacere, comminiſcerentur, quæ incohærentia tamen omnia forent; exortum fuiſſe ante annos ducentos Georgium

Peurbachium, qui vnicuique Planetarum vnam Sphæram, vtraque (hoc eſt tam deuexa, quàm concaua) ſuperficie concentricam tribuens, eam aſſumpſerit eiuſce craſſitudinis, vt eſſe intra ipſam excauari poſſent Eccentrici orbes, & Epicycli, quorum circumductibus, alligati ipſis Planetæ nunc ſublimiùs, nunc humiliùs circum Terram irent. Feciſſe id illum tanto applauſu, vt Aſtronomis æquè, ac Phyſicis mirè placuerit; vtque proinde cœperit ſtatim eius Liber *Theorica* inſcriptus, & publicè prælegi, & commentariis illuſtrari. Et excogitatas quidem deinceps à Copernico, Tychonéque Hypotheſeis, factáſque ab iſto non Planetarum modò, ſed Cometarum quoque per æthereа ſpatia diſcurrentium obſeruationes conſtare non poſſe cum eiuſmodi vllis ſeu concentricis, ſeu eccentricis orbibus; ſed interim tamen non eſſe exſibilandum Peurbachium, cùm in eo potiùs commendanda ingenij dexteritas ſit, qua pro eorum temporum captu (vigebat enim adhuc barbaries, nemóque non erat ſoliditatem cælorum perſuaſus) ſolerter adeò Phyſicam cum Aſtronomia conciliauit.

Hiſce deductis, adjeci quoque, eam deberi Peurbachio gratiam, quòd Aſtronomiam penè demortuam in hanc lucem reduxerit, & cum alia, tum maximè illum Regiomontanum veluti parturierit, à quo per Germaniam hæc ſtudia accenſa ita Copernici, & Tychonis oculos percelluerint, vt non modò præſumere, ſed aſſerere etiam penè liceat, niſi exſtitiſſet Peurbachius, futurum fuiſſe, vt neque Copernicum, neque Tychonem iam haberemus. Id tu, vt rem nouam demiratus, & percontatus tum de Peurbachio, tum de Regiomontano varia, præfatus es, pro tua illa inſigni comitate, veniam, ſi prouocare adhuc me ad conſcribendum aliquid de vtriuſque vita auderes. Me qua vultu, quà voce abnuente, quaſi nempe huiuſcemodi ſcriptionis genus iam pertæſo, atqui, ô bone, inquit Menagius, tam gratioſè te communis noſter interpellat, vt reluctari non debeas; &, quia ipſe cum illo faciam (vide quantum mihi de noſtra amicitia polliceat) dicere auſim, vt non valeas. Ego tum humeros conducens, ne Hercules quidem, inquam, contra duos: Tu verò, quaſi conſilij rationem reddens, ſubjunxiſti, attendere te, fore ex rebus à me deductis, vt hocce trium, aut quatuor Vitarum quaſi faſciculo contineretur hiſtoria non mala cœptæ inſtaurati Aſtronomiæ, à Peurbachio ad Tychonem vſque. Et cùm ipſe rem fore nimis præpoſteram regererem, ſi ab ipſo fine exorſus, in principium deſinerem, ſicque ὕστερον πρότερον peccans, nihil aliud, quàm repedarem; excepiſti, quocumque modo res ſe haberet, fore non malè. Cùm, promota iam nimiùm editione, rem inuertere non foret, futurum, vt ſi aliquando opus à me retractaretur, poſſet concinniùs digeri, & à carcere, quod aiunt, tendere in metam. Neminem futurum, qui ſit æqui amans, & noſcendorum hominum bene meritorum ſtudioſus; cui non placeat inuerſè, potiuſquàm nullo modo habere; cùm & quæ ſeorſim juuant ſingula, ea diſplicere collecta non poſſint. Excepit & optimus ille, debere meminiſſe me, quod eximius Regis Chriſtianiſſimi Bibliothecarius noſter Petrus Puteanus, ὁ μακαρίτης ſolitus erat dicere, eum, qui prima vice typis quidpiam mandat, nihil aliud, quàm confuſaneam chartam in mundam velut tranſcribere, vt næui omnes clariùs appareant, quibus ſublatis, altera vice opus caſtigatum prælo committatur. Vt breue faciam, hocquoque onus, volentibus vobis, ſic ſubii, vt iam operi manum admouens, prouideam me non quaſi duas, ſed quaſi vnicam vitam conſcripturum. Quippe tanta fuit in iis duobus Viris vitæ, animorúmque conjunctio, vt quanquam à priore natu exordiendum, in poſteriorem obitu deſinendum ſit; quæ dicenda tamen de vtroque ſunt, vno deducenda tenore videantur. En igitur rem ſic aggredior.

GEORGII

GEORGII PEVRBACHII
E T
IOANNIS MVLLERI
REGIOMONTANI
VITA.

GEOROIVS PAVRBACHIVS, ſeu DA PEVRBACH, cognomen id habet, non à familiæ nomine(quod quale fuerit ignoratur) ſed à natalitio oppido *Peurbach*, quod quia ſitum eſt in Auſtriæ, Bauariæque confiniis, idcirco nunc Auſtriacus, nunc Bauarus, & Noricus, nunc à natione Germanus habetur. Scripſere Poſteriores, literâ eliſâ, PVRBACHIVM; ſed nos & priores operum eius editiones, & eos, qui primi illum citârunt, ſpeciatimque Regiomontanum ipſius diſcipulum ſequimur. Natale eius tempus refertur ad annum Domini M. CCCC. XXIII. diem menſia Maij XXX. ac horâ à Meridie, III. De prima eius inſtitutione hoc ſolùm innotuit, quod maxima ingenij fœlicitate præditus, & ad laborem impiger, euaſerit breui humanioribus literis, quantum vigens adhuc ſæculi barbaries tum patiebatur, eruditus; ac maturè etiam Philoſophiam, quæ tum docebatur, ita arripuerit, vt fuerit inſigni cum laude Magiſter Artium in inclyta Viennenſi Academia creatus. Fertur fuiſſe Theologiæ quoque non leui cognitione imbutus; at cùm cœpiſſet à puero quadam Matheſeos notitia tingi, ita ſe deinceps huic Philoſophiæ parti addixit, vt celeritate incredibili eam totam eximiè calluerit. Verſabatur adhuc in ipſis iuuentutis initiis, cùm celebriores per Germaniam, Galliam, ac Italiam Academias inuiſere inſtituit. Quacumque iter fecit, admirationi fuit; & cùm viros commemoraret, quos ſuſpexiſſet maximè, quorumque expertus ſummam beneuolentiam fuiſſet, cenſebat in ipſis tum Nicolaum Cuſanum S. Petri ad Vincula Cardinalem, operibus variis, inſcriptiſque præſertim de docta ignorantia, valde celebrem: tum Ioannem Blanchinum Bononienſem, cuius Tabulas Aſtronomicas Lucas Gauricus longè pòſt adauctas fecit publici iuris. Scilicet ipſum Cardinalis non modò per Germaniam Legatus verſans plurimi fecit: Verùm Romæ quoque & domo excepit, & nullis non votis, vt penes ſe vellet conſiſtere, optauit. Blanchinus autem Ferrariæ degens, mira eius eruditione, facilitatéque docendi perſpecta, expetiit, vt ibi aliquandiu Aſtronomiam prælegeret, ac vt inuitaretur etiam ad docendum Bononiæ, Patauiique procurauit. Quippe auebat præclarus vir, vt iuuentus Italica vel ſolo ipſius exemplo ad Arteis nobiliſſimas capeſſendas accenderetur. Et fecit ille quidem ſatis ſeneſcentis iam viri optimi votis; ſed tamen quaſi in tranſcurſu; vtpotè qui Viennam ſemper cogitaret, vnde, nonniſi facta ſpe & redeundi, & Academiam illuſtrandi diſceſſerat.

Reuerſus itaque, diu non fuit, cùm ſuffragiis communibus Profeſſionem in Academia Mathematicam eſt aggreſſus. Et poterat quidem obſtare, ne fixam Viennæ ſedem haberet, gratioſiſſima Ladiſlai Hungariæ Regis inuitatio, qui & ipſum vltrò delegit, conſcripſitque in Aſtronomum, & ampliſſimum ſimul honorarium vt conſtitueret, ita facere illi ratum voluit: verùm beneuolentia, munificentiâque Imperatoris Friderici III. vnà cum amore Academiæ, iucundâque amicorum conſuetudine, vt Viennæ hæreret, effecit. Cùm auditores porrò, quæ forent captu faciliora, doceret; tum animo ſemper voluebat quidpiam ex iis, quæ videbantur in hiſce artibus abſtruſiora; ac inceſſit illi præſertim cupido inſtaurandæ Aſtronomiæ, quam doluit iampridem neglectam iacere. Cœpit verò ab eo conatu, quo emendare adnixus eſt interpretationem Latinam ex verſione Arabica factam vocati Almageſti, ſeu Magnæ Compoſitionis Ptolemæi, non ope ſanè Græci contextus (deerat quippe ipſi Græcæ linguæ, cuius nulli tunc Doctores erant, peritia) ſed ductis validiſſimis ex meditatione profundiſſima mentis Authoris coniecturis. Quare & niſi potuit ſcopũ vndequaque attingere; pertinaci ſaltẽ labore id euicit, vt Ptolemæi nõ modò ſententias, ſed penè etiã verba memoriâ teneret. Quæ interim partim dictauit, partim amicorũ rogatu, ſpontéque etiam ſua conſcripſit, quãtum noſſe licuit, huiuſmodi fuere. Imprimis quidem Opuſculũ, quod & introductorium in Arithmeticam appellauit, ac ſubinde Tractatus varij, ad Gnomonicen, horologiorumve tum affixorum, tum portarilium deſcriptionem, fabricámque ſpectantes; con-

fectis ad hoc Tabulis pro varietate climatum. Eodem ſpectat etiam Libellus cum ſua Tabula de altitudinibus Solis; ſpectant & Aſtrolabici canones; cum Tabula de Parallelorum ad ſingulos gradus Æquinoctialis proportione. Deinde, vt erat Induſtrius, tum ſolidas Sphæras, Globoſve cæleſte, confecit; tum non modò illorum fabricam, vſúmque expoſuit, ſed adiecit etiam nouam Tabulam Stellarum fixarum, addita nimirùm longitudine, qua vnaquæque Stella à Ptolemæo ad medium vſque ſæculi illius increuerat. Confecit & varia alia inſtrumenta, quæ inter, fuit Gnomon, ſeu Quadratum Geometricum, cuius etiam fabricam, Canonéſque, & Tabulam ad illius vſum conſcripſit, tranſmiſitque ad Ioannem Archiepiſcopum Strigonienſem, Prælatum Hungariæ primarium, totiúſque Regni Miniſtrum præcipuum, qui Peurbachium maximi faciens, ipſe eruditiſſimus, vnum ab illo poſtulârat. Et vide ingenuam, familiarémque Præfationem, *Gnomonem, quem dudum fieri poſtulabas, optime Praſul, nunc ligno factum accipe. Poſt, ſi voles, ex metallo fiet alter vſui facilior, aptior, & accommodatior: Nam illo iam perfecto, dum eius vſum exercerem in altitudinibus conſiderandis, via venit in animum, qua facilius effici poteſt opus, atque magis accommodatum. Exercitium enim eſt, quo reddimur doctiores. Nunc tamen, donec alter abſolutus ad te veniet, ligneo contentus ſis, cuius compoſitionem, vſúmque hic volui deſcribere. Fiant primùm, &c.*

Ad hæc, non modò collegit varias primi Mobilis Tabulas, ſed quaſdam etiam nouas adiecit; ac, alia inter, excogitauit, condíditque nouam Sinuum Tabulam, per minuta dena procedentem, ac Sinu toto partium 6000000. ſuppoſito; quam deinceps Regiomontanus per minuta ſingula extendit. Præmiſit verò illi Peurbachius Tractatum de Sinubus, & Chordis inſcriptum; breuem illum quidem, ſed qui primus tamen occaſionem fecit perficiendi ſenſim rationem Trigonometrici calculi: vt proinde mirum non ſit, ſi acturus de Sinubus Chriſtophorus Clauius colligere ſe Sinuum, chordarúmque demonſtrationes profiteatur, ex Ptolemæo, Peurbachio, & Regiomontano. Et quòd tum quidem Sinus totus aſſumeretur adhuc cyphris ad 6. non ad 1. adhibitis, id Ptolemæi occaſione inductum ſeruari mos erat. Nimirum, quia ille maximam chordarum, Diametrumve 120. partium habuerat, cœperant, qui deinceps dimidia chordarum, Sinuum nomine, vſurpârant, habere Sinum totum, ſemidiametrumve partium 60. & quia ſubdiuiſio huiuſmodi partium in prima, ſecunda, & tertia videbatur incommoda; ſatius eſſe Peurbachius cenſuit, vnum, ſimpléxque genus partium, particularumve habere; vt haberi poſſe eſt viſum, ſi Sinus totus ſupponeretur ſemel diuiſus in partes non ſolùm 60. ſed etiam 6000000. ex qualibus cæteri Sinus per totum Quadrantem deducti conſtarent. Quòd aliunde verò præſtiterit etiam noui aliquid, cùm parteis huiuſcemodi per dena Quadrantis minuta, ſextanteiſve graduum ſubduxit: inde arguitur, quòd cùm Ptolemæus ſupputaſſet ſolùm per ſemiſſes graduum, tricenáve minuta: alij deinceps præſtitiſſe magnum aliquid videbantur, ſi rem ad quindena, quadranteiſve graduum deduxiſſent. Sic de ſe Ioannes Fuſorius noſtras, ipſo Peurbachij tempore, ſenſit, cùm Carolo VII. nuncupauit Tabulas, quarum Codicem MS. communicauit mecùm religioſus, ac eruditus è Societate Iesv vir Philippus Labbeus, vt cæteris, ſic chronologiæ, hiſtoriæque ſtudiis clarus. Et ſunt eæ quidem ſolùm computatæ ex chorda tota, maximáve partium 120. ſuppoſita, & tota, maximóve Sinu ſuppoſito partium 60. verùm adhibentur ipſis partibus ſcrupula ad vſque ſexta, ſeptimáque, ac apponuntur continuò ipſorum differentiæ primæ, ſecundæ, ac tertiæ. Porrò, quia facta Nuncupatio id cæleſtium rerum ſtudium manifeſtat, quo Rex Inclytus fieri apud nos ea procurabat, quæ per idem tempus Peurbachius moliebatur in Auſtria (nempe ille totidem penè, ac iiſdem annis regnauit, quibus iſte vixit) quatenus cordi habuit, vt ſuo hoc in Regno Obſeruationes fierent, ex quibus meliores, ſanioréſque Tabulæ, quam Alphonſinæ forent, conderentur: an-ne nimis præter rem faciam, ſi eiuſce Nuncupationis partem aliquam hûc transtulero? Tu mihi certè id facilè, mi Capellane, condonabis, quem delectat tantoperè quicquid in Regis, ac Herois (cuius tua illa Calliope geſta celebrat) commendationem cedit. En vt illa incipiat, *Illuſtriſſime Princeps,* Karola VII. *Francorum Rex; Cùm ad aciem intellectus veſtri elevati, qui in rebus arduis, & nobilibus ſcientiis delectatur, perueniſſet, Tabulas motuum caleſtium Firmamenti Stellarum fixarum, atque ſeptem Planetarum, & motus eorum eſſe corruptos, & defectuoſos, tam ex negligentia, & defectu obſeruationis, quàm ex conſcriptione librorum à non intelligentibus; Vos igitur compatientes tanto caſui, & defectui tam nobilis, ac excellentis ſcientia, mihi Ioanni Fuſoris humili clerico veſtro precepiſtis, & mandaſtis, ſupra predictos motus facere obſeruationes illorum motuum Firmamenti, & Planetarum, & Tabulas ipſorum rectificare. Quapropter, Illuſtriſſime Princeps, veſtra Maieſtatis tam nobili propoſito cupiens obedire, primò Tabulas hic praſentes de Sinubus, & Chordis, omni diligentia, & praciſione magna rectificaui, & compoſui; ponendo cum hoc, modos conſeruandi veritatem ipſarum, cum demonſtratione in perpetuum; quia veraciter loquendo, per iſtas Tabulas ingenium humanum ad altiſſimas & ſubtiliſſimas concluſiones ſui luminis naturalis peruenit. Vnde iſtarum Tabularum de Sinubus, & Chordis conditiones, & proprietates ſunt iſta. Prima, quod, &c.* Ac poſteà, *Deo duce, iſtis Tabulis completis, magiſter Milo le Taveljer, & ego continuè laborabimus, uſque nunc, & cum veſtra excellentis Dominationis beneplacito, cum diligentia laborabimus ad obſeruationem prædictorum*

motuum

motuum Firmamenti, & ſeptem Planetarum, & rectificationem ſuarum Tabularum. Imò, veraciter loquendo, quia cùm ita ſit, quòd per Tabulas ad prædicta factas Regis Alphonſi, & Toletanas, cum difficultate, & tædio magno habeantur vera loca Planetarum: ideò, cum Dei adiutorio, componemus (& iam incœpimus componere) totaliter nouas Tabulas, per quas faciliter, & ſine difficultate habebuntur vera loca Planetarum, & cætera prætacta. Et quia prædicta Tabula de Sinubus, & Chordis, &c.

Verùm ad Peurbachium vt redeam; is, cùm iam apparaſſet Tabulam Stellarum Fixarum, aggreſſus quoque eſt reformare Planetarum Tabulas, inter quas etiam planè nouas pro Æquationibus conſtruxit, quòd in opere Alphonſino craſsè nimis deductæ exſtarent. Suppoſuit autem ad Solareis ſpeciatim, Augem, Apogæumve Solis in principio Cancri (exſiſtens nempe anno eius ſæculi quinquageſimo, in minuto primi gradus 43.) vti & aliunde ſuppoſuit maximam Solis declinationem, Eclipticæve obliquitatem eandem cum Almeone, hoc eſt 23. grad. 33$\frac{1}{2}$. min. tametſi deinceps illã obſeruauit gr. 23. m. 30. ex Solis altitudine in Solſtitio æſtiuo gr. 65. m. 30. & in hiberno 18. grad. min. 30. Perfectis Tabulis, conſcripſit tum Almanach quoddam perpetuum, & maximè quidem pro Luna, congruè ad Metonis, Callippique Periodos; tum pro Planetis omnibus Almanach, ſiue, vt deinceps Regiomontanus dixit, Ephemeridas, in complureis annos. Cùm obſeruaret autem, vt alios Planetas exſtare plerumque in cælo locis longè aliis, quàm Tabulæ præſcriberent; ſic ſpeciatim Solem, & Lunam (quorum Eclipſes ab omnibus obſeruabiles, & non tamen temporibus prænunciatis plerumque congruentes, decori Aſtronomiæ forent) idcircò animum applicuit ad condendum nouas, ſpecialeiſque Tabulas Eclipſeon, quæ & celebres deinceps fuere, quòd nullæ maiore præciſione exſtarent. Niſi verò illæ exſtitere præciſione omnimoda, id non ſtetit certè per diligentiam Peurbachij, cuius etiam in ipſis ſupputandis ſcrupuloſitatem quaſi nimiam ſubnotaſſe Copernicum iam meminimus in illius vita. Non addo, vt illas ad Viennenſem meridianum reduxerit; addo potiùs, non ipſum fuiſſe, qui illas euulgauerit, ſed Regiomontanum ab illius morte, qui & ipſas dicauit Ioanni VVaradienſi Epiſcopo, tanquam cordatiſſimo Peurbachij amico Nempe ipſe quoque pertrahere illum ad ſe conatus fuerat, ſanctè obteſtans fore ſibi omnia penitùs cum ipſo communia. Cauſa porrò, quamobrem ipſe illas ſuperſtes non euulgârit, non alia fuit, quàm quia ipſas ſub vitæ finem ſolùm abſoluit, quòd nouæ, nouæque Eclipſes quidpiam immutandum ſemper inſinuarent. Certè in calculi exemplum duas extremas attulit, quæ ante eius obitum contigerunt, anno vt putà ſæculi LX. altera Solis menſe Iulio, altera Lunæ menſe Decembri. Ad idem tempus ſpectat perfectio operis longè celebris, quod Theoricas nouas Planetarum inſcripſit, quodque deinceps Regiomontanus editum voluit omnium primum: ſiquidem ad illius calcem, ſexageſimi quoque anni tanquam labentis meminit.

Occaſionem porrò ad comminiſcendum nouas Theoricas ipſi fecit, quòd eæ, quæ circumferebantur, non antiquiores modò Campani, ſed recentiores etiam Gerardi Cremonenſis, eſſe viderentur prorſus inconcinnæ, quodque aliis opus foret, quæ eſſent Iſagoges loco ad Almageſtum Ptolemæi: & ſcrupulum eximerent, qui conturbabat plurimos circa occaſionem Eccentricorum, Epicyclorumque à Ptolemæo inuectorum. Cùm enim ea omneis teneret opinio, vt orbes cœleſtes eſſent ſolidi, ac ſibi inuicem contigui, vt motus primi Mobilis imprimi poſſet, propagarique per inferiores ad Lunam vſque, & ipſi interim inferiores reuolutiones proprias obirent: videbatur id quidem poſſe percommodè fieri iuxta priſcam illam ſententiam, qua eſſe omnes cæli concentrici reputabantur: at iuxta illam, quam deinceps obſeruationes fecerant ratam, deprehenſis putà motibus Planetarum eccentricis, res defendi non poterat, quin ad ſaluandum confractionem, admitteretur cæleſtium ſphærarum penetratio, qualem non patitur natura. Quare Peurbachius viam aperuit, qua incommodum hoc deuitaretur. Nempe Planetæ cuiuſque cælum, totalem ve orbem cõcentricum habuit (ipſius quippe tã exteriorem, quàm interiorem ſuperficiem non aliud, quàm Terræ habere centrum ſuppoſuit) verùm orbe hoc exſiſtente craſſo, ſeu profunditatis cuiuſdam inſignis, accipi poſſe intra hanc craſſitudinem voluit orbem omninò eccentricum, craſſitudiniſque æqualis, qui intra duos reſiduos craſſitudinis inæqualis, & reuolui poſſet, & aut ipſum Planetam, aut Epicyclum Planetam continentem, ſuæque craſſitiei inſertum circunduceret; adeò, vt poſſet proinde Planeta & per orbem totalem primi mobilis impreſſionem recipere, & per eccentricum reuolutionem propriam obire; ac neque quicquam propterea ex tota machina frangeretur, quia Eccentricus æquabilis foret; neque eſſet vllum penetrationis periculum, quia omnia mobilia ſuas intra orbitas tenerentur. Conſcripſit itaque Peurbachius memoratas Theoricas, quæ, ex quo fuere euulgatæ, tanto applauſu exceptæ ſunt, vt cœperint ſtatim & publicè prælegi in ſcholis, & Commentariis illuſtrari, quos inter præcipui fuere editi à Ioanne Baptiſta Capuano Manfredonio, Eraſmo Oſvvaldo, Petro Nonio. & (ne memorem Chriſtianum Vrſtiſium quæſtionum in Theoricas ſcriptorẽ) Eraſmo Reinholdo, qui alios quoque in hanc incubuiſſe curam inſinuauit, cùm quæſtionem propoſitam, cur Peurbachius à Theoria Solis orſus fuiſſet, excepit his verbis, *Reſpondeo; etſi multi alias colligant rationes huius exordij; mihi tamen ſimpliciter videtur Peurbachius ſequutus Ptolemæi, velut optimi Artificis exemplum.* Non eſt verò, prætermittendum

dum id, quod Reinholdus ſubiicit, poſtquàm effatus Peurbachium Ptolemæi exemplo aggreſſum Lunã poſt Solem mox fuiſſe, ſic habet, *Et quamquam in reliquis Planetis non-nihil mutauit ordinem; tamen nihil ab eo temerè factum eſt: ſed, ſi quis totius tractationis ſeriem diligentiùs expendat, perſpiciet omnia in hoc compendio venuſtiſſimè inter ſe cohærere, ſummóque ſtudio, atque prudentia, facillima quæque primùm eſſe tradita. Quam etiam ob cauſam vltimo loco proponis ſpeculationem motus octauæ Sphæræ, in qua ſunt Stellæ Inerrantes, ſeu, vt vocant, Fixæ, cum Ptolemæus eundem motum mox poſt duo Luminaria exponat ac demonſtret. Nam, quia hæc octaua Sphæra non incedit ſimplici motu, vt Ptolemæus tradit (quem penuria obſeruationum, & anguſtia temporis ſatis excuſat) ſed variè quaſi trepidat quemadmodum continuis obſeruationibus poſteritatis animaduerſum eſt; commodum erat in extrema parte elementaris doctrinæ haſce difficiliores ſpeculationes recitare.* Et vide, vt præclarus vir vix finem Authoris commendandi faciat. *Debet autem*, inquit, *hic Libellus vel hoc nomine a ſtudioſis magni fieri, quòd conatus eſt author aptiſſimè, ac breuiſſimè tradere ſummam doctrinæ de motibus cæleſtium corporum, & aditum ad μεγάλην σύνταξιν cognoſcendam patefacere, in qua Ptolemæus*, &c. Et mox; *Ac profectò non eſt mediocris artificis taleis εἰσαγωγὰς præformare, ac materias propter ſubtilitatem obſcuras, & propter varietatem latiſſimè patenteis, breuiter complecti; nec minus tamen perſpicuè*, &c. Ac rurſùs, *Etſi autem apud doctos, & peritos tanti ſit hic libellus, quanti debent, & Iſagogæ præſtantiſſimarum artium*, Et præterea, *Non piguit eum hæc quoque rudimenta de Planetarum motibus conſcribere, ad promouendum ſtudia Aſtronomica.* Ac iterũ, *Ex his ſtudioſus lector iudicare poteſt qua occaſione, quove conſilio impulſus noſter author hoc compendium ſcribendum ſuſcepit: Nempe, vt præcipuos locos, & ſummas diſputationum, quæ ſunt apud Ptolemæum de motibus Stellarum magno iudicio, ac prudenter electas hoc libro complecteretur.* Ecce quid & dicat Chriſtianus Vrſtiſius Mathematicarũ Baſileæ profeſſor ſuis in Quæſtionibus in Theoricas Peurbachij. In Epiſtola autẽ nuncupatoria ſic habet, *Nec alio cõſilio Peurbachius Theoricas ſuas exarauit, quàm vt riuulorum dulcedine ducti ad Ptolemæi fonteis inquirendos, omneis, qui ſcientiæ huic nomen dediſſent accederent.* In Quæſtionibus autem, *Qua methodo author in hoc opuſculo vſus eſt? Etſi non vna docendi via ſit, qua bonarum artium præceptores ingrediuntur, tamen, vt Peurbachium præcipuè ὀρθοτάτην μέθοδον in Planetarum Theorijs explicandis vſum eſſe credam, me monet ordinis diligens inſpectio. Etenim à ſimpliciſſimo motu Solis initium ducit, & ad implicatiores, atque difficiliores reliquorum Planetarum motus paulatim progreditur, donec ad perplexum Mercurij curſum aſcenderit. Poſt quem, omnium motuum accidentia certis aliquot capitibus comprehenſa explicat. Tandem difficillimum illum, & vix demum cognitum octauæ Sphæræ motum enarrat.* Et poſteà verò, *Nouæ autem Theoricæ dictæ ſunt, propter Theoricas Gerardi Cremonenſis, quæ vetuſtiores erant; quas cùm Author noſter ab omnibus huius artis in Academijs Profeſſoribus non tantum receptas, ſed etiam mirificè probatas eſſe intelligeret, quantumuis permulta perperam traderent; correctiores haſce ex Ptolemæi, & Alphonſi ſententia edere voluit, vt hac ratione nobiliſſimæ Arti ruinam minitanti ſubueniret. Contrà autem Cremonenſia in Planetarum Theoricas deliramenta Ioannes Regiomontanus peculiari libello diſputauit.* Et cohærenter, *Quo igitur tempore tantus vir floruit? Floruit Georgius Purbachius in Germania ſuperiore ſæculo, circa annum ſalutis* 1450. vel 60. *Et paullò poſt Friderico III. Romanis imperante. Qui cùm Purbachij, loco Auſtriaco finitimo, vnde & nomen habet, ortus eſſet, in Academiam Viennenſem ſe contulit, in qua non ſolùm cum bonis literis Aſtronomiæ fundamenta iecit, ſed etiam magna cum laude ita docuit, & editis operibus illuſtrauit, vt apud Germanos præſtantiſſimæ huius Artis inſtaurator non immeritò dici poſſit. Siquidem Ioannes Regiomontanus diſcipulus eius, cæteríque poſt illum per vtramque Germaniam celebres huius ſcientiæ Profeſſores, & artifices eam ita excoluerunt, editiſque operibus illuſtrârunt, vt hæc natio huius diſciplinæ palmam cæteris omnibus Purbachij noſtri auſpicijs citra controuerſiam præferat.*

Supereſſet dicendum opus, quod ſemiperfectum reliquit, Epitome ſcilicet Magnæ Ptolemæi Syntaxeos; itémque alterum, quod proximè ipſum aggredi in votis habebat, integra nimirum de Triangulis tam planis, quam Sphæricis doctrina: attamen, quia dici id non poteſt, quin de Regiomontano dicatur; age, & de ipſo pauca præmittamus.

NATVS eſt IOANNES, cognomento MVLLERVS, in oppido Franconiæ, Orientaliſve Franciæ, cui *Regius Mons* nomẽ. Hinc effectum eſt, vt *Mulleri* cognomine præterito, appellitatus potiùs fuerit *Ioannes* DE MONTE REGIO, vel de REGIO MONTE, ac REGIOMONTANVS; cùm & vocatus ſæpè fuerit *Ioannes Germanus*, & *Ioannes Francus*: quò magis mirum eſt Starovolſium, & aliquos alios reputaſſe Regiomontanum à Regio monte Boruſſiæ dictum. Incidit verò eius natiuitas in annum M. CCCC. XXXVI. Poſtrid. Non. Iunij, hora à Meridie quarta cum beſſe: ac fuit proinde Peurbachio ætate poſterior annis tredecim. Grammaticam domi edoctus, miſſus fuit Lipſiam à parentibus, circiter duodecennis. Ibi inter cætera Dialecticam addidicit, & Sphæræ doctrinam auidè arripuit. Hinc flagrare maximè cœpit amore Aſtronomiæ; & quia neceſſariam ad illam agnouit Arithmeticæ, Geometriæque notitiam, ideò ſe vtriuſque elementis condiſcendis ita addixit, vt morâ non longâ ea perceperit. Cùm vero haberet autem illeic aut æmulos, aut quem-

quam

quam etiam, qui ſubnaſcenteis ſibi ſcrupulos omneis eximeret; ac non modò quidem circa partem Aſtronomiæ Sphæricam, ſed maximè etiam circa Theoricam, quam pernoſſe ardenter auebat; idcircò quibuſdam referentibus eiuſmodi Artis ſtudium in Vienenſi Academia ſub eximio quodam illius Profeſſore Peurbachio efflorеſcere, eò iter arripuit, vix ephebus adhuc, ſub annum puta ſeculi quinquageſimum primum, aut quinquageſimum ſecũdum. Appulſus Viennam, ſalutauit Peurbachium; teſtatus eſt ſe famâ ipſius ſolâ perductum eò aduenіſſe; inſignem diſcendi ab illo, quæ ab alio non poſſet, ardorem expoſuit; adiecit confidere ſe, vt optimus æquè, ac eruditiſſimus vir adoleſcentem non aduerſaretur, qui ſe totum ſtudio bonarum artium deuouens, ipſum delegiſſet, abs quo in illarum inſtitutione totus penderet: quicquid in ipſis toto vitæ curriculo proficeret, id ſe ad eximium præceptorem, cum gratiſſimi animi ſignificatione relaturum ſpopondit; ac denique ſe ad omne obſequium comparatiſſimum obtulit. Peurbachius verò tum demiratus in tantula ætate tantum animi, vt ſolo virtutis amore id arripuiſſet itineris; tum legens in facie indolem ingenuam, & ad grande aliquid natam; tum agnoſcens oblatam ſibi quaſi diuinitùs occaſionem promouendi eam, quã meditabatur, Aſtronomiæ inſtaurationem: ipſum eſt humaniſſimè, amantiſſiméque complexus: eſſe eum bono animo iuſſit, ac pollicitus eſt nihil ſe, quò minùs tam laudabili illius deſiderio faceret ſatis, prætermiſſurum. Quare & ex eo primùm tempore ille hunc tanquam parentem coluit, hic illum tanquam filium amauit.

Cæterùm quod Peurbachius primùm Regiomontanum edoctum voluit, Theoria leuior Planetarum fuit, vt perſpectâ aliunde Sphæricâ doctrinâ, ideam totius Aſtronomiæ conciperet, ac faciliùs ſubinde lectionem Ptolemæi aggrederetur. Circa Ptolemæum occupatus dum foret, paſſim illi occaſionem fecit & ſoluendi varia Geometrica Problemata, & ſeſe exercendi in ſubducendis calculis, demiratuſque ſemper eſt, quanta ille celeritate & commonſtrata caperet, & præſcripta exſequeretur. Et certè is erat, qui fræno potiùs, quàm calcaribus indigeret: quippe ſic penſis ſatiſfaciens, vt interlucraretur ſemper quidpiam temporis, quod impenderet lectioni librorum de re Mathematica omnium, quoſcumque nanciſci Latinâ linguâ expreſſos licuit, etiam Archimedis, quem Iacobus quidam Cremonenſis interpretatus iam fuerat; ac doluit fuiſſe neminem, qui Apollonio, Diophantóque, & ſimilibus manum admoueret. Hinc nihil fuit neceſſe Peurbachio illum adhortari, qui vt acer, & per ſe ad palmæ honores impulſus equus ferebatur; ſed digito tamen monſtrabat, quæ ipſum laus maneret, ſi quo ardore cœperat, eo porrò perſeueraret. Supereſſe enim ſpeciatim circa Aſtronomiam ampliſſimam meſſem, ex qua congeſta dependeret integra eius artis reſtitutio; exquiſitam nempe punctorum Zodiaci, Eclipticæve cardinalium, ſub ipſo Aplane, Firmamentove conſtitutionem: ac ſimul Stellarum Fixarum, niſi omnium, ſaltem illarũ, quibuſcum Planetæ cõparari poſſunt, ſuis in locis deſignationẽ. Siquidem niſi id antè obtineretur, non poſſe Planetarũ loca certò obſeruari, deſignaríque: neque adeò illorum motus per canones certos diſtribui. Diſſeruere proinde non ſemel & de Inſtrumentis, quibus Hipparchus, Ptolemæúſque vſi, & de nonnullis aliis, quæ poſſent præterea ad obſeruandum adhiberi. Contigit autem aliquando, vt cætera inter, quæ vnà obſeruârunt, comparata Martis Stella ad Fixas ſibi proximas, deprehenſa fuerit totis duobus gradibus abeſſe à loco iuxta Tabulas ipſi aſſignato. Cùm debeant verò fuiſſe ab ipſis, donec Peurbachius ſuperſtes fuit, plura haud-dubiè obſeruata: nihil tamen, quod ſciam, ſcriptis conſignatum, præter treis Eclipſeis Lunareis, quæ leguntur in Commentariis ex Regiomontanu reſiduis, habetur. Prima eſt anni M. CCCC. LVII. ac diei Septembris iij. Narrat enim ille, vt ipſam ſimul in Mellico, Auſtriæ Caſtello, diſtante Viennâ milliaribus Germanicis vndecim, obſeruârint: & ex altitudine penultimæ Pleïadum ad initium, ac finem moræ (totalis quippe extitit) deduxerint illius medium contigiſſe hora ij. min 6. cùm per Tabulas Alphonſinas deberet hora ii. min. 14. Altera, ipſáque Partialis, eſt anni M. CCCC. LX. ac diei iij. Iulij, quæ eſt ab vtroque obſeruata Viennæ: ac ipſius finis relatus, ex Lunæ altitudine, ad horam 10. min. 20. cùm Tabulæ finẽ referrent ad hor. 9. min. 10. Tertia eſt eiuſdemmet anni, ac diei Decembris xxviij. mane, obſeruata itidem ab vtroque Viennæ: cúmque totalis fuerit, deductum eſt medium ex altitudine Arcturi ad moræ initium, finémque captata, contigiſſe horâ à media nocte primâ, ac min. 21. Et non adſcribit ille quidem diſcrimen vllum à Tabulis: ſed cùm hæc ipſa Eclipſis ſit, quam paulò antè diximus à Peurbachio in exemplum aſſumptam, dignum adnotatu eſt ſupputatum tempus ad vnum proximè minutum cum obſeruato conueniſſe; calculo putà exhibente hor. 1. min. 20.

Acceperat Peurbachius iam ab vno, alterove anno à Cardinali Cuſano exẽplum eius Opuſculi, quod de Quadratura circuli recẽs conſcripſerat, & cum hac quidem adſcriptione. *Detur venerabili noſtro fideli, Magiſtro Georgio Peurbachio Aſtronomo.* Quadratura autem in eo conſiſtebat, vt, *Si ex ſemidiametro circuli dati, & chorda quadrantis eiuſdẽ directè cõiunctis, diameter alteri circulo conſtitueretur, triãgulum æquilaterum poſteriori circulo inſcriptum priori circulo iſoperimeter foret.* Fuit verò ſimul alia quoque circuli quadrandi huiuſmodi ratio, *Si in circulo ductis duabus ad angulos rectos diametris, vna binc inde quantum opus fuerit, producatur, & alteri ab vno extremo ſic accommodetur ſubtenſa trientis circuli vt facto centro, quà in alia diametri parte deſinit, circumducatur, & tranſiens*

per

per dictum extremum, ſecet hinc inde productam diametrum; Recta intercepta his ſectionibus erit circuli ſemicircumferentiæ æqualis. Quid de vtraque porrò circuli Quadratura Peurbachius vel ſenſerit, vel dixerit, teſcire aliunde non licet, quàm ex ipſo Regiomontano, qui cùm vtramque expendendam poſt Peurbachij obitum ſuſcepiſſet, ita occaſione poſterioris præfatus eſt. *Georgius,* inquit, *ille doctiſſimus Mathematicorum, præceptor olim meus, quandam curui rectificationem, breuem admodum, mihi obiecit, ac factu expeditiſſimam; cui principio quidem plurimum fidei habuit, authoritate Inuentoris perſuadente, vbi verò pro acumine ingenij ſui inuentum huiuſmodi examinare cœpit (nam demonſtrationem nuſquam comperit) longè aliter, quàm ratus erat, accidere didicit: lineam enim rectam, quam inuentor ille prædicauit æqualem ſemicircumferentiæ circuli, multò minorem eâdem ſemicircumferentiâ concluſit. Modus tamen Georgij acutiſſimi, quem huic negotio diſcutiendo accommodauit, memoriam reliquiſſe videtur meam. Si tamen eſt, quem inferius exponam, non pudebit vnquam aliena ſcripta retractare, quò recentior ad memoriam redeat imago Præceptoris. Sententiam igitur, &c.* Sed iſtud quidem obiter occaſione Opuſculi de Quadratura ad Peurbachium à Cardinali Cuſano miſſi.

Dicendum iam nobis de alio eruditiſſimo Cardinali, qui fuit per ea tempora à Summo Pontifice miſſus, vt diſſidia quædam inter Cæſarem, ipſiuſque Fratrem Sigiſmundum componeret, ac interim quidpiam de bello aduerſus communem Religionis hoſtem, Turcam nimirum, magis, magiſque in dies graſſantem, negotiaretur. Is eſt Beſſarion, optimus ille, qui ab vſque ſuo ex Græcia, Florentini Concilij occaſione, aduentu, ſic Latinam linguam imbuerat, vt ipſam non minùs, quàm patriam, hoc eſt Græcam, teneret. Hacce de cauſa, & quia aliunde amans, peritusque Aſtronomiæ erat, Latinitate donare Ptolemæum occœperat, quòd habitam vulgò interpretationem ineptam plerumque, indiligentémque agnouiſſet. Cùm non liceret autem per ardua Reipublicæ Chriſtianæ negotia cœptum opus abſoluere, lætatus mirum in modum eſt, cùm in Peurbachium incidit, qui Ptolemæum teneret ad vnguem. Ac illi quidem non potuit demandare id muneris, vt interpretationem à ſe inchoatam perficeret, quòd Græcè, vt dictum eſt, non ſciret, & ex eo ſolùm interdum hæreret, quòd certior fieri, quî ſe Græcus contextus haberet, non poſſet (vnde & accenſus Regiomontano ardor capeſſendi, ſi quà vnquam liceret, Græcas literas) at enixè interim apud ipſum egit, vt quia nec Græcè, nec Latinè extaret ea in Almageſtum Ptolemæi Epitome, quam conſcripſiſſe Arabicè Auerroës perhibebatur, vt, inquam, ipſe Marte ſuo Epitomen contexeret, quà Ptolemæus, vt compendioſior, ita captu facilior, quàm ex ſuo contextu foret, redderetur. Non reſtitit porrò admodum Peurbachius, qui & penè id agere animo præconceperat, & agnoſcebat fore, vt exinde bene multi ad Ptolemæi lectionem ſic ſe compararent, vt via quaſi complanatâ, ab arduo alioquin ad illum acceſſu non deterrerentur. Quare & ob hanc cauſam, & vt tanto viro gratificaretur, Epitomen aggreſſus eſt, de qua dicere id ſufficit, quod citatus iam Reinholdus vno verbo habet, cùm diſcrimen attingens, quod eſt inter Epitomen, & memoratas Theoricas, *Epitome,* inquit, *prorsùs imitatur methodum Ptolemæi: niſi quòd ſententias Ptolemæi interdum breuiùs tradit: ſæpiùs autem obſcuriores propoſitiones in particis quaſdam, ac membra eruditè, atque ingenioſè diſtribuit; & apertiùs, copioſiùs, denique faciliùs demonſtrare ſtudet, vt pleriſque in locis ἐξήγησις potius, quàm Epitome appellanda videatur.* Prætermitti intereà non debet; quòd, procedente opere, Beſſarion ex illo obtinuit; vt cogitaret videlicet de reuiſenda Italia, vbi iam tum affluerent ex Græcia viri eruditi, ac ij libri allati forent, quorum intelligendorum amore ſelecta quæque ingenia Græcæ linguæ operam darent; ac vbi ipſe proinde poſſet tãquam in ampliſſimo literatorum theatro inclareſcere, & inde porrò bonas Artes, quod vnum ipſi foret votum, quàm longiſſimè propagare. Ne longum faciam, ſtatuit Peurbachius cum Beſſarione in Italiam redire; ſed ea tamen conditione, vt deduceret ſuum ſimul Ioannem, qui vt iunior, memoriáque pollentior, magis idoneus capeſſendæ Græcæ linguæ, quàm ipſe foret, quiſque, ſi quid ſibi contingeret humanitùs, perficere egregiè opus cœptum poſſet: quòd Cardinalis non modò gratum, ſed etiam ſibi pro ſummis votis inſidere teſtatus eſt.

Erat iam porrò penè dimidium totius Operis confectum; cùm ecce Peurbachius incidit in morbum, quo vita illi magno dolore Beſſarionis, adempta eſt. Vt verò quæ fuerint illius extrema, ac ſimul qualis moribus, doctrináque fuerit, noſcatur, aliud nihil oportet, quàm commemorare, quod deinceps Regiomontanus inſeruit in Nuncupationem Beſſarioni factam abſolutæ Epitomes, qua parte verba hæc leguntur, *Quocirca, per alium aggreſſus, quod per teipſum non poteras præſtare, ſuaſiſti Georgio, Aſtronomo Cæſaris, qui tunc Viennæ erat, Præceptori meo, viro vt moribus, & integritate vitæ, ita omni ſtudiorum genere primario, in Mathematicis verò ſupra omneis noſtræ ætatis homines erudito, vt Ptolemæi, de quo loquimur, librum, quem ille quaſi ad literam memoriâ tenebat, breuiorem, lucidiorémque facere conaretur. Quod ille mox orſus, incredibile dictu eſt, quam clariores reddidit ſententias, diuidens eas, Geometrarum more, vt & apertius intelligerentur, & faciliùs commendarentur memoriæ, & tenaciùs hærerent. Sed vix abſolutis ſex libris, quaſi medio curſu (heu memoratu quoque eius res lugubrem, atque acerbam!) immatura morte nobis indigniſſimè rapitur. Veriùm paullo antequam è vita diſcederet, cùm in manibus, & gremio moribundum tenerem,*

Vale.

Vale, inquit, mi Ioannes, Vale, &, ſi quid apud te pij Præceptoris memoria poterit, opus Ptolemæi, quod ego imperfectum relinquo, abſolve. Hoc tibi ex teſtamento lego, vt etiam vita defunctus, parte tamen mei meliore ſuperſtes, Beſſarionis noſtri optimi, ac digniſſimi Principis deſiderio ſatisfaciam. Grande profectò opus, & meis impar viribus, moriens Præceptor humeris noſtris impoſuit, & quod ſubire temerarij foret, recuſare verò ingrati, ac penè ſacrilegi. Meritò proinde commendat Reinholdus hanc Nuncupatoriam, *quam*, inquit, *nemo Philoſophico præditus ingenio legere poteſt, quin admiretur egregiam virtutem, & ſuauiſſimam illam animorum Præceptoris, ac Diſcipuli coniunctionem.* Sanè, & hanc vt pleniùs agnoſcas, lubet quoque exſcribere, quod in Nuncupatione librorum de Triangulis legitur, cùm redditurus cauſam Regiomontanus, cur præpoſtero ordine Triangulorum doctrinam, quæ in Epitomen eſt introductoria, poſt Epitomen ſcripſerit, *Quod*, inquit, *ſi quiſpiam iniquè factum inſimules, is, niſi me animus fallit, iure quieſcet vbi maiorum parere mentis, æquum, & bonum arbitrabitur. Sanè moribundo Præceptori morem geſtum oportuit, qui abſolutis nuperrimè ſex Luminarium libris, ſuperſtites ſeptem Ioanni ſuo reliquit, commendans quàm citiſſimè expediendos. Tantum nempe apud eum valuit Beſſarionis imperium vt quod incolumis adhuc Principi ſpoponderat digniſſimo, iuxta iam moriturus explere curaret. Igitur iuſſa Præceptoris capeſſenti mihi, plurimus Triangulorum & Planorum, & Sphæricorum incidit vſus; quæ res iam-pridem Georgio quoque in primis ſex libris crebrò occurrens, animum induxit Triangulorum artem conſcribere: verùm, vt Epitomati finem, ita Triangulis dare tuitium Deus ipſe vetuit, quo nunc aſpirante, arbitium viri doctiſſimi quoad potero, ſectabor; eo quidem libentiùs, quò doctrinam hanc pleriſque placituram amicis arbitror, quorum quidem inſeruire commodis bonam fœlicitatis meæ partem exiſtimo, &c.*

Quin appoſitum etiam eſt, vt heic referatur elogium, quod deinceps Regiomontanus in eam Orationem inſeruit, quam Patavij, Alphraganum interpretaturus, præhabuit. In ea itaque hæc habentur: *Quocirca, poſt plurimos nationis noſtræ inſigniſſimos Aſtrorum contemplatores, Te tandem, Georgi de Peurbach, Germanorum perenne decus, appellare iubeor, qui non minùs vitæ integritate, quàm Philoſophiæ doctrina pollebas; in Mathematicis autem, omneis tibi contemporaneos longè anteibas; cuius nomen non modò nationis noſtræ homines celebre ducebant, verùm etiam Galli, ac Italici vehementer admirati ſunt. Qui olim in vrbe hac præclariſſima Aſtronomiam publicè docuiſti, pleriſque inſuper heis præſentibus & fama cognitus es, & viſu. Te Vienna Doctorem artium creauit digniſſimum. Te Ladiſlaus olim Hungariæ Rex Aſtronomum ſibi delegit. Tibi Federicus Cæſar pro virtutibus tuis munificus erat. Longum eſſet recitare ſingulos Principes doctrina tuâ affectos. Omitto, quòd doctiſſimus Cardinalis S. Petri ad Vincula ſæpe-numero te domeſticis ſuis adnumerare voluit. Quòd Dominus Ioannes Varadienſis Epiſcopus multa te humanitate amplexus eſt. Sed Beſſarionem benefactorem communem noſtrum, atque Patronum haud quaquam præterire licet; quippe qui excellentiæ tuæ teſtimonium præbuit ſolemne, indignum profectò arbitratus, vt inter conterraneos tuos vitam obſcuriùs ageres, qui Italiam omni ſtudiorum genere florentiſſimam repeteres. Princeps igitur ille digniſſimus paſciscitur, vt vnà ſecum ad Italiam concedas, nam tunc Legationis prouincia ſibi tradita fuit per Alemanniam; cohibitum eſt è veſtigio, neque pactum hoc perenne futurum ſuſpicaris, niſi comes tibi fierem, qui tunc, & antea pleriſque annis tuus fuerim diſcipulus. Sed confectus paullatim fermè rebus omnibus (proh, etius quoque rei memoriam lugubrem!) ad Sidera ſpiritum reddis, méque penitus orbatum reliquiſſes, niſi Princeps ille munificentiæ ſuæ manum porrexiſſet tametſi ſtatum tuum nactus eſſem. Quid igitur reliquum erat, niſi, vt orbitam viri clariſſimi ſectarer? cœptum fœlix tuum pro viribus exſequerer? Docc itaque Patrono communi Romam profectus, &c.*

Sed, ne congerere plura pergam, ſupereſt adiiciam contigiſſe Peurbachij mortem vi. Eid. April. anni M. CCCC. LXI. & ſunt quidem, qui illam ad annum inſequentem referant; ſed cùm Regiomontanus Beſſarionem comitatus, obſeruationes quaſdam Romæ ante finem anni memorati peregerit; non fuit illa ſanè hoc anno poſterior. Neque id mouet, quod Reinholdus ait conſcripſiſſe eum Theoricas iam ſenem, ac paullò ante obitum; cæteri quippe obiiſſe illum nec-dum quadragenarium dicunt, & conſentiunt. Cumque non conſtet de alio, quam iam recitato natiuitatis tempore, dolendum eſt enim non totos expleviſſe annos duodequadraginta; quippe cùm ſolum vixerit annos XXXVII. menſeis X. & dies IX poterat neſcire Reinholdus annum, quo ille natus eſſet, & ſenium ex morte, quæ eſt comes illius indiuidua, conijcere. Poterat non deſiderare vireis admodum vegetas ad arripiendum id, quod ille deſtinarat, itineris; ſed vtcumque hæc ſe habeat res, ſepultus fuit Peurbachius in Cathedrali Viennenſi Eccleſia, ac tumulo inſcriptum (& vt nonnulli quidem aiunt, ex eius præſcriptu) hocce Epitaphium

Exſtinctum dulces quid me defletis amici?
Fata vocant; Lacheſis ſic ſua fila trahit.
Deſtituit terras animus, cælumque reuiſit
Quæ ſemper coluit, liber & aſtra petit.

Quis Regiomontani, ob amiſſum tam bonum, tamque ſui amantem Præceptorem, exſtiterit luctus, ex iam recitatis intelligi poteſt, conſolationi alicui fuit, quòd licuiſſet per tot iam annos conſuetudine eius ſuauiſſima frui: quòd & conſiliorum ipſius, & capitū doctrinæ omnium euadere participem; quòd ſuo in ſinu morientem fouere, verbaque extrema ex eius ore excipere; quòd incumberet ſibi aliquid exſequtioni in eius gratiam, inque animi grati teſtificationem mandandum; quòd, quem in illum Cardinalis optimus geſſerat affectum, in ſe veluti tranſ-

tuliſſet, & ad eum, quo iam erga ſe erat, adiunxiſſet; quod eo ſe loco haberi videret, vt pro omnium votis in Peurbachij locum ſufficiendus deſtinaretur. Cæterùm delatam vltró Profeſſionem, acceptam quidem habuit; ſed ea nihilominùs lege, vt quandocumque Cardinalis in Italiam regrederetur, eum comitari licitum foret. Heinc cœpit ex eo penè tempore ſeſe ad iter compstrare; quoniam Cardinalis in dies diſceſſurus ſperabatur; non diſceſſit tamen, niſi inſequente autumno, vt proinde Regiomontanus, & Epitomen cœptam promouere potuerit, &, cætera inter Eclipſin totalem Lunæ obſeruare, cuius medium contigit Viennæ die Iunij 23. hor. 1. min. 21. numerando à media nocte. Cœperat iam, cùm Beſſarion diſceſſit, ex habita partim cum ipſo, partim cum aliquibus ex eius comitatu eruditis viris, conſuetudine, rudi aliqua Græcæ linguæ notitia imbui; quare & ab ipſius ſtudio in itinere non deſiſtens, euicit, vt aliquid Græcè, & Mathematici præſertim argumenti legens, quid id rei foret vel coniectando aſſequi poſſet. Quamprimùm autem appulit Romam, pręcipua fuit cura conueniendi cùm alios profeſſione eius linguæ commendatos, tum maximè Georgium Trapezuntium, qui ſpecialem in Ptolemæo, commentatoréque ipſius Theone interpretando operam nauaſſet. Tam pertinax verò eius ſtudium fuit, vt paucos intra menſeis, eos quos habebat circa Ptolemæum ſcrupulos præcipuos ſibi exemerit, & abſolutam intereà Epitomen cœperit expolire. Non modò interim amicitiam cum literatis omnibus, & ſcientibus Græcè potiſſimùm, iniit; ſed celebreis etiam quaſque Bibliothecas verſauit, & theſauros librorum ex Græcia aduectorum mis ratus, vehementiùs adhuc illorum perfectè intelligendorum deſiderio inarſit, vt contentarum in ipſis rerum effici poſſet particeps. Quod ſit verò mirum, non deſiit propterea obſeruitare in cælo varia. Obſeruationes quippe exſtant, quas ab ineunte vſque Decembri, in exeuntem Martium M.CCCC.LXII. peregit, tũ circa reliquos Planetas, Martem, Saturnum, Venerem; tum circa Meridianas Solis altitudines; tum circa Lunæ loca, ac nominatim circa Eclipſin, qua Luna Oriente iam decreſcebat die Decembris XXVII. cuiuſque finem cùm calculus exhiberet hora 1. min. 6. à Solis occaſu, ipſe obſeruauit contingere vna hora, ac duobus minutis maturiùs. Conſimileis obſeruationes peregit etiam Viterbii, cùm ibi per ſequentem æſtatem, autumnumque diuerſaretur. Per eiuſmodi verò tempora Græcos aliquot Codices tum comparauit, tum quos rariores non potuit, commendatò accepit, illoſque aut ipſe manu ſua exſcripſit, aut aliena manu ſibi exſcribi curauit. Ipſe certè characteres vt citiſſimè, ita elegantiſſimè pingebat; ac ſuperfuit diù Nouum Teſtamentum, quod ab vſque initio deſcriptum nitidiſſimè, ſolitus erat circumgeſtare.

Cùm interim vero Beſſarion diſceſſurus in Græciam ob Religionis negotia foret, optionem illi fecit, vt vel degere Romæ pergeret; vel, ſi præſtolari ſuum reditum aut Ferrariæ, vbi Theodorus Gaza verſabatur, aut Patauij (vbi eſſet ipſum ſic commendaturus Academiæ, vt in illam aggregaretur) aut denique Venetiis (quà ſe regreſſurum ſperabat) id ipſi foret integrum. Ille autem ſic iſta omnia, ſingulaque loca delegit, vt verſatus primùm Ferrariæ & reliquo anno, & parte inſequentis fuerit. Quem ſalutare illeic primùm voluit, Ioannes ille Blanchinus fuit, quem audierat ſummoperè à Præceptore commendari. Erat ille iam admodum grandæuus, quare & cùm Regiomontanus ſibi ipſi gratularetur, quòd bona ſua ſorte videret adhuc ſuperſtitem, *Si quid mihi*, inquit, Blanchinus, *animam à decem iam annis in corpore continet, ipſa eſt, qua delector, Aſtronomia dulcedo.* Inuiſit ſuccedenter Gazam, abs quo plurima & de bonis Authoribus, & de proprietatibus Græcæ linguæ accepit. Vſus ad hæc eſt familiariſſimè eximo eius linguæ Profeſſore Guarino. Heinc & quo tempore illeic degit, explanatiſſimum ſibi fecit totum Ptolemæi contextum, quem contulit etiam cum ipſis Theonis commentariis, ac deprehendit obiter fuiſſe grauiter Trapezuntium multis in locis hallucinatum. Cœpit & habere valdè familiareis Græcos non modò Oratores, Hiſtoricos, Philoſophos: ſed Poëtas quoque Heroicos, Tragicos, Comicos, Lyricoſque; adeò vt ipſe quoque verſus pereleganteis iam conderet. Ruente iam anno conceſſit Patauium, vbi ſparſa iam magna de eo fama, qua ad Beſſarionis commendationem accedente, tum fuit inter ſocios Academicos cooptatus, tum rogatus, vt Academiam, vel Peurbachij imitatione, prælectionibus aliquot condecorare dignaretur. Fecit ipſe lubens, ac ideò Alphraganum expoſiturus, eam orationem habuit, ex qua aliquid iam deſcripſimus, & in qua, vt prætercam, quàm grata commemoratione omneis ſibi notos per eam regionem Matheſeos amanteis recenſuerit, declarauit ſanè, vt omneis Antiquos perſpectos habuerit, operáque eorum omnia perluſtrârit; & non modò quidem Latinè, ſed iam etiam Græcè; idque, cùm ſupereſſent Arabici ſoli, quos propriâ linguâ non perlegiſſet, vt Alphraganum, & Albategnium, quos tamen, qua erant verſione, illuſtrare aggreſſus foret; nimirùm Albategnio quoque breueis additiones appoſuit. Verſabatur adhuc Patauij, cùm Lunæ Eclipſin totalem illeic obſeruauit, & medium quidem prima à media nocte horâ, diei Aprilis 3. ac anni iam M.CCCC.LXIV. Non longè autem pòſt conceſſit Venetias, vbi Beſſarionem exſpectans occupatus intereà fuit in perficiendis illis ſuis, quos iam cœperat de Triangulorum doctrina libris. Succidit verò aliquot per Iunium perque Iulium dies, quos in refutanda Cardinalis Cuſani memorata antè Quadratura impendit. Id præſtitit verò variis veluti tẽtamentis; quibus ferè non titulũ modò concluſionẽq; Græcè adhibuit, ſed etiã dies, quibus eſſet aliquid molitus, appoſuit. Notãdus verò præſertim

tum dies, quo facta appoſitio hæc, *Venetiis, die 26. Iunij, anno Chriſti 1464. nona die ab exitu Sũmi Pontificis de vrbe Romana, ſtari cõtra Teucros; Deus bene vortat.* Adũbrauit quoque per id tempus ſpeciẽ Kalendarij, in quo præter coniunctiones, oppoſitionéſque Luminarium, itémque Eclipſeis ad annos 1475. 1498. 1513. & alia, appoſuit ad calcem Tabulam xxx. annorum, quibus ſingulis adſcripſit quo die Paſcha poſſet & iuxta vsũ Eccleſiæ & iuxta decreta Patrũ celebrari. Id videlicet, quia non modò ſibi, ſed Beſſarioni etiã. Iudæi aliqui obiectaſſent, quã turpe foret celebrare Chriſtianos feſtum Paſchatis alio tempore, quàm à Lege, cuius obſeruantes videri vellent, præſcriberetur.

Romam regreſſus, aliqua Octobri, Decembríque obſeruauit, ac pluſculũ illeic commoratus eſt, tum vt nanciſci pretio plureis rariores Codices poſſet, tum vt ex iis, quos non poſſet, pergeret plureis exſcribere. Cogitabat videlicet, ſi ſemel rediiſſet in Germaniã, non parem ſibi copiã obtinendi eos, quos maximè exoptaret, fore. Cogitabat & deinde per otium præcipuos quoſdam interpretari, & ſi quãdo etiã daretur, optimos quoſque edere. Infenſum intereà per id tempus Trapezuntium habuit, quod Commentariorum Theonis interpretationem non ſatis probaret, imò & errores in ea grauiſſimos animaduerteret. Comparata iam ſatis numeroſa Librorum ſuppellectile, & tædio nonnullo, ob diuturnam peregrinationem affectus (ac Beſſarione præſertim variis legationibus continenter diſtracto) Viennam demum repetiit, vbi & eſt aliquandiù ſua Mathematica profeſſione functus. Cùm Hungaricus autem Rex Mathias Hunniades Coruinus illum inuitaſſet, & magnis quidẽ, præter annuam penſionem ducentorum aureorum Hungaricorum, præmiſs, non tam hiſce muneribus, pollicitationibúſque ad eum eſt pellectus, quàm famâ, quòd Rex, nõ virtute modò bellica inſignis: ſed amore etiã literarũ commendatus, Græcos Codices in expugnatione Conſtantinopoleos, & Athenarum direptos, variéque per totam Turcarũ ditionẽ diſtractos, vndequaque coëmeret, ex iiſque conſtitueret Nobilẽ Budæ Bibliothecã. Præterea, quàm magni apud illum fuerit Regiomontanus habitus; nam & eũ ſibi penè aſſiduè aſſidere ad mẽſam iuſſit; & non ſemel teſtatus eſt debere ipſi ſe valetudinẽ reſtitutã. Videlicet cùm aliquando periculosè laboraret, & Medici fruſtrà in ſlumotibus morbi cauſã requirerẽt, animaduertens Regiomontanus merum eſſe cordis languorem, occaſione capta ex Eclipſi, quæ neſcio quid dici in illius vitam fuiſſet minitata, edixit, quaſi ex Aſtrologia, cui ille primùm tribuebat, nihil aliud, quàm vitæ principio, cordi puta, exhilarando, ſuauibúſque rebus fouendo eſſe incumbendũ. Hinc ipsã Rex & cõualuit, & Regiomontanũ cùm pretioſa veſte, tũ muneribus aliis cumulauit. Qui maximè porrò dedit operam, vt in Hungariam accerſeretur, idem Strigonienſis Archiepiſcopus fuit, ad quẽ meminimus Gnomonẽ Geometricum à Peurbachio miſſum. Ipſe proinde Regiomontanũ quoque & multùm detinuit, & multis, magniſque muneribus auxit. Eximias huius Prælati laudes decantat ipſe Regiomontanus in Epiſtola, qua nuncupat illi ſuas Directionum Tabulas ipſius hortatu contextas. Nempe ille quoque Aſtrologia Iudiciaria delectabatur; ad quã cùm nihil conducat magis, quam Directionum Tabulæ; quæ tamen tunc ſolæ extabant Archidiaconi cuiuſdã Parmenſis, erant imperfectiſſimæ. Quoniam interim per ea tempora emerſit occaſio certãdi de Bohemiæ Regno, & Rex Hungarus tum Polonum, tum Saxonum Ducem (qui, æquè ac ipſe à factionibus Bohemorũ diuerſis inuitabatur) anteuertit, regióque adeò illa tota in varias, magnáſque turbas incidit: cogitauit Regiomõtanus ſedem ſtudiis fixam ponere, ac ideò ſe recipere Norimbergã quamprimum ſtatuit. Veniã itaque diſcedendi à Rege impetratã, dicere etiam vale Archiepiſcopo ſuo voluit; vndè & Strigonij cùm foret, ipſis Eidibus Martij anni M.CCCC.LXXI. ſitum Iouis in Virginis Conſtellatione obſeruauit: ac inde digreſſus, Norimbergam tandem circiter medium Veris peruenit: illeic quippe ad Eclipſin Lunæ, die Iunij ſecunda, attendit.

Quamobrem verò hanc Ciuitatem præ cæteris delegerit, multiplex ipſi cauſa fuit. Primũ quidẽ vicinia nataliũ. Deinde, quòd, cùm ea vrbs foret, quaſi in Germaniæ meditullio, inſtitui ex ea quoquouersùm literarũ commerciũ per mercatores facilè poſſet. Ad-hæc, quòd in eà artifices forent maximè omniũ induſtrij; ac poſſet proinde per illos ea conficere organa, quæ deſtinârat animo, obſeruandis cæleſtibus ad Aſtronomiæ inſtaurationem. Denique, quòd cùm agitaret edere tot præclaros libros, quorũ inſignem copiã parârat, & lucubrationũ etiam ſuarum aliquas; ac arte Typographica iam inuenta, pérque varia loca propagari incipiente, commodiſſimũ fore videretur, ſi Typographeion ipſe ſibi haberet, vt quandocumque, & quodcumque liberet, poſſet in lucẽ emittere: prouideret ſe nuſquam alias apparare eiuſmodi, ob peritiam artificum, cuiuſmodi mente præconceperat, poſſe. Videlicet excogitârat artis perficiendæ rationem: quanquam initio ſtatim non potuit rem ad praxim deducere, ſed tali omninò oportuit, quale optimum habebatur, Typographeio eſſe contentum. Cæterùm, cùm illius fama eò vſque iam percrebuiſſet, non minuit eam ſane ipſius præſentia, ſed ita adauxit vt viſus fuerit ciuibus Muſas ſecum adducere, hoc eſt omnem ingenuæ literaturæ conſummationẽ. Præ omnibus verò eum ſtatim ſuſpexit, mirificéque coluit vir eximius Bernardus VValtherus, qui vnus ex ciuium præcipuis, & florẽs ætate, opibuſque, ac bonarum artium, potiſſimùm vero Aſtronomiæ amore flagrans, vbi geminum illius conſilium, inſtitutúmque intellexit, recepit vltro in ſe impenſas & ad conficiendũ organa Aſtronomica, & ad inſtruendũ Officinam Typographicã neceſſarias. Cõfici itaque imprimis curauit ex orichalco Regulas Aſtronomicas, altitudinibus tam Solis, quam Lunę

cæterorúmque Siderum, ſed Solis tamẽ præcipuè, obſeruitandis comparatas. Deinde, quem Rectangulum, Radiumve Aſtronomicum vocãt, captandis eorundẽ inter ſe Siderum diſtantiis. Tertiò, Armillare Aſtrolabiũ, Armillaſve Alexãdrinas, qualibus fuerant & Ptolemæus, & ante eum Hipparchus, locis, motibúſque Siderum adnotandis, vſi. Poſtremò, alia quoque minora inſtrumẽta, vt Torquetum, cuiuſmodi Regiomontanus ipſe deſcripſit in vſum Archiepiſcopi Strigonieñſis; vt Ptolemæi Meteoroſcopium, quale pridem Beſſarioni expoſuerat, & quædam alia curioſa potiùs, quàm ad quidpiam ſeriò, ſolidéque obſeruandum vtilia. Fuere porrò Armillæ longè poſteriùs elaboratæ: at reliqua fuere comparata ad vſum ab initio vſque anni inſequentis. Fidem intereà fecit VValthero, quanta emendatione Tabulæ indigerẽt, cùm die Iulij 26. manè hor. 3. Mars fuit in eadem recta cum duobus Tauri Oculis lineã: cùm per Tabulas & Planeta, & Stellæ in aliis lõgè locis forent. Quo etiam eſt factum, vt obſeruationi hæc adſcripſerit, *Quare vide, ne nimium confidas inani calculo, & quaſi ſomnio Alphonſino.* Et mox, *Videbis quanta ſit diſcrepantia inter Alphonſum, & Calum: & ſic faciliùs intelliges, quàm friuola ſit illa Alphonſi compago.* Eſt & adnotatu, quod ſequitur dignum. *Alphonſus etiam locis Stellarum Fixarum Ptolemai plus æquo addidit, in vno gradu, & 55. minutis. Nam ipſe vſus eſt numeris Ptolemai, perinde quaſi in principio annorum Chriſti fuerint ſtabiliti. Tantus itaque error eſt ſuperabundans,* &c.

Quod dixi autem de Organis initio anni inſequentis, qui fuit M.CCCC.LXXII. in vſum paratis, id ſuadet, quod exſtãt obſeruationes per Regulas factæ (ex quibus aliunde habetur ſuppoſuiſſe eum Sinum totum partium 100000) Meridianarum Solis altitudinum à menſe Februario: & per Rectangulum, ſeu Radium ab vſque Ianuario. Nempe ab Eidibus Ianuarij in finem Februarij, celebris Cometa apparuit: vtcumque non deſint, qui illum referãt ad tertium pòſt annũ. Sed Ioannes ſcilicet Schonerus, qui obſeruationes ex autographo edidit, refert eam ſpeciatim, quæ peracta fuit die Ianuarij XX. ac hor. 10. à Meridie, memorati anni M.CCCC LXXII. Error fortè ex eo natus, quòd qui exſcripſere illam aliam Regiomontani deſcriptionem, ex duobus II. fecerint V. ac illa deinceps ſic incœperit, *Idibus Ianuarÿs anno Domini milleſimo quadringenteſimo, ſupra quintum, & ſeptuageſimum, Viſus eſt nobis,* &c. Vtcũque ſit, obſeruatione illa ad diem Ianuarij 20. relatã, narrat Regiomontanus *ſe Cometam vidiſſe in recta linea cũ Quinta Bootis, & Prima informiũ iuxta Vrſam maiorẽ; diſtantiámque eius à Quinta Bootis, fuiſſe ſubtriplũ intercapedinis inter ſtellas; idque, cùm cauda porrigeretur ad ſextam propè Leonis, citráque pariam deſineret, declinantẽ paulò ſub prima informatarum ad Meridiem.* Quod ſubicit autem *diſtantiam Cometa à cauda Vrſa maioris fuiſſe* 953. 190. *& à Prima earũ, quæ nõ ſũt in forma,* 953. 210. Priores horum numerorũ ſunt partes Trãſuerſarij, ſiue Sinus primus: poſteriores ipſius Radij, ſiue Baculi, ſeu Sinus ſecũdus: integro Radio, ſeu Sinu toto ſuppoſito partiũ 1300. quatenus intelligi licet non modò ex Schoneto Radium deſcribente, ſed ex Regiomontano etiam ipſo, in eo libro, quem deinceps conſcripſit *De Cometa magnitudine, longitudinéque, & de loco eius vero,* Problematibus ſexdecim. Celebrem verò Cometam dixi, ob motum ipſius ſpecialẽ, quem Regiomõtanus deſcripſit, ſub medium adeò celerem, vt vno die cõfecerit magni circuli arcum graduum quadraginta. Sed rem totã præſtat ex ipſius verbis intelligere in memorata Deſcriptione, quam tametſi longiuſculam, quia tamen facilè non occurrit, ingratam fortè rem non faciam, ſi heic totam interiecero. Itaque pòſt præmiſſum illum primæ apparitionis diem, *Viſus eſt nobis,* inquit, *Cometa ſub Libra, cum Stellis Virginis. Caput tardi erat motus, donec propinquum eſſet Spica. Nunc incedebat per crura Bootis, verſus eius ſiniſtram, à qua diſcedendo, die vno naturali portionem circuli magni 40. grad. deſcripſit. Vbi, cùm eſſet in medio Cancri, maximè diſtabat ab Orbe Signorũ 77. gradibus; Et tunc inter duos polos Zodiaci, & Æquinoctialis ibat, vſque ad intermedia pedũ Cephei. Deinde per pectus Caſſiopeia, ſuper Andromeda ventrem. Pòſt gradiendo per longitudinem Piſcis Septentrionalis, vbi valdè remittebatur motus eius, propinquabat Zodiaco, tranſiens ipſum iuxta mediũ Arietis, donec cũ Stellis Ceti occaſus Heliacus illum nobis occultauit, in vltimis diebus Februarÿ. Hoc motu ſuo proprio Circuli magni portionem deſcripſit, quo in Septentrionem, & cùm hoc contra Signorum ſucceſſionem ferebatur, à Libra in Arietem. In fine, & principio, tardè mouebatur, in medio verò apparitionis velociſſimè, vno die fere per quatuor Signa, à fine Virginis, in principiũ vſque Geminorũ. Et ſecundum naturã ſibi adſcribendã, motum cõtinuaſſe debebat, donec iterum reuerſus in Librã apparuiſſet. Et forſan taliter motus fuit; quoniã in eius occaſu magna adhuc erat quantitatis; tamen propter figuram eius ad Solẽ, & maximè in plagis Septentrionalibus, agrè in fine ſua apparitionis videri poterat, niſi Meridiẽ verſus in diebus Aprilis, ſi motu ſuo regularitatem ſeruaſſet. Cauda verò eius motus mobilis, cõtinuè reſpiciẽdo Stellas Geminorũ, eas circuibat, nunquam ab eis per totũ apparitionis tẽpus deuiãs. Ideóq; in prima emerſione ad occidentem illã protendebat; quoniã illeic Stella Geminorum putabantur: in fine verò Cometa ſub Ariete locatus propter Solis vicinitatẽ, niſi in occidẽte non apparuit, & Caudã quidẽ Orientẽ verſus protenſit, quia in hoc ſitu Stella Geminorum ponebantur. In medio verò apparitionis Caudam vertebat ad meridiem: illeic tunc erant Stella Geminorum: contingebátque tunc nocte eadem, vt ſtatim poſt Solis occaſum Cauda oriẽtem reſpiceret: appropinquante medio noctis reſpexit meridiem: poſt medium noctis vero occidentem: ante Solis ortum indicabat locum Septentrionis. Hac Cauda diuerſitas in ſitu ex motu diurno oriebatur, qui ſemper eſt ex conſequentia primi mobilis, ab oriente in occidentem. Motu autem proprio extremitas Cauda, quamuis tardius,*

diùs, quàm Caput Cometæ, ſemper tamen etiam ad occidentem contra Signorum ſucceſſionem deſcribens parallelum à principio Libræ, vſque ad medium Tauri mouebatur, vadens ſub pedibus Vlulantis, per Vrſam maiorem, propinquando Perſeo, per quem circa Pleïades, ad Caudam Arietis, ibat ferè in medio Tauri. Vnde patet tam Caput, quàm Caudam Cometæ verſus Occidentem, & nunquam verſus Orientem iuiſſe, non ſolùm motu diurno, ſed etiam proprio. Thaddæus Hagecius edens Tractatũ de Cometa anni 1577 illhæc de hac Regiomontani obſeruatione ſubjungit, cùm diſtantiam illius Cometæ à Terra quærit, *Qui Geometriæ & Arithmeticæ,* inquit, *rationes nouerunt, minimè diſſentient eis quæ ex Ptolemæi traditionibus habentur: quibus in Almageſto demonſtrauit, concauum orbis Lunæ 33. vicibus tantùm diſtare à centro Terræ, quantum eſt ab eodem centro ad Terræ ſuperficiem. Semidiameter verò Terræ (vt colligi poteſt) continet ferè 913. milliaria Teutonica: & per ipſum (vt dicit Alphraganus 23. differentia) ratiocinamur diſtantias Stellarum à Terra. Conſiderando itaque maximam diuerſitatem aſpectus capitis Cometæ à Spica Stella ſibi vicina, quæ iuxta poſſibilitatem omnibus difformitatibus reductis maior comprehendi non poterat, quàm 6. graduum. Inſtrumentis congruis ad hoc ordinatis: ad quam aſpectus diuerſitatem neceſſario ſequitur, corpus Cometæ à ſuperficie Terræ diſtitiſſe in nonecupla diſtantia ad ſemidiametrum Terræ: quæ ad minus eſt octo millia & ducenta milliaria: ponebaturque in ſuperiori parte ſupremæ regionis aeris, & non in igne: ſuppoſita decupla quantitate commenſurationis Elementorum: ſicut Philoſophus ſecundo de generatione determinauit.* Et conſequenter inquirens quomodo inueniatur magnitudo Cometarum, hæc habet, *Quantitas verò Cometarum comprehenditur ex diſtantia illorum à Terra, & quantitate anguli ſui pyramidis viſualis. Nam vni gradui in circulo magno correſpondent 16 milliaria de circumferentia Terræ. Cùm ergo diſtiterit Cometa à ſuperficie Terræ tantum quantum eſt ſemidiameter Terræ, & chordauerit eius corpus vnum gradum, erit diameter corporis ipſius 16. milliaria. Si verò in duplo diſtiterit, dupla erit quantitas eius; qualis eſt enim proportio totius Sinus: ſcilicet 60. ad diſtantiam Stellæ à Terra) talis eſt proportio chordæ ad perimetrum Stellæ. Chordam dico, quæ ſubtenditur portioni circuli magni in cælo, quam talis Stella chordat, & talis chorda eſt baſis pyramidis viſualis iſtius Stellæ. Multiplicetur ergo baſis pyramidis viſualis per diſtantiam Cometæ à Terra, & productum diuidatur per 60. ipſe quotiens eſt quantitas diametri Cometæ: cuius demonſtratio alteri loco competit. Diſtantia verò Cometæ à Terra comprehenditur ex diuerſitate aſpectus ipſius Cometæ vel alicuius eius partis ad aliquod Aſtrum ſibi vicinum.* Ac demum magnitudinis Cometæ iſtius cauſas inueſtigans hæc & ſubjungit, *Cùm enim diameter capitis Cometæ vndecim minuta circuli magni chordaret: vt Inſtrumentis deprehendebatur: quorum minutorum chorda eſt vndecim minuta, & medium ferè: illa ergo chorda, vt dictum eſt in prima parte, multiplicetur in diſtantiam Cometæ à Terra: id eſt octo millia, & 200. milliaria: & producentur 94. millia, & 300. quæ diuidantur per ſinum totum, ſcilicet 3 millia, & 600. minuta, exibunt inde 16. milliaria: quæ eſt quantitas diametri capitis Cometæ: coma verò circumquaque egredientes de capite Cometæ chordabunt ferè 34. minuta. Fit ergo diameter earum 81. milliaria ferè * * Euſebius Eccleſiaſtica hiſtoria libro tertio. Et Cometes prætere a exitialibus flammis ardere per totum viſus eſt annum. Ex Ioſepho: nulla impreſſio aërea poteſt ex naturalibus cauſis exhalationum, flamminearum ſufficere materiam Cometæ ſpatio anni, ſed veniunt Cometæ ex occultis cauſis naturæ, &c. In qua ſententia eſt Meſſala Arabs, &c.* De peractis cæteris circa Altitudines Solis obſeruationibus nihil addo aliud, quam deduxiſſe Regiomontanum attolli Norimbergæ Polum gradibus 49. min. 24. & Declinationem Solis maximam eſſe graduum 23. min. 28. ac fuiſſe aliunde ratiocinatum maximam Vaporum altitudinem eſſe milliariorum Germanicorum duodecim.

De Inſtituto altero Typographeion attinente vt dicam, initium illius exercendi fecit à duobus alienis, duobuſque propriis Operibus. Aliena fuere *Theorica Noua* Præceptoris *Peurbachij* (nimirum id illi honoris, gratitudinis ergo habuit) & *Manilij Aſtronomica.* Propria fuere tum *Kalendarium Nouum,* cuius mentio facta iam eſt, & *quo* (inquit in Indice Librorum, quos editos voluit) *promuntur coniunctiones veræ atque oppoſitiones Luminarium itemque Eclipſes eorundem figuratæ: Loca Luminarium vera quotidie: Horarum tam Æquinoctialium, quàm temporalium diſcrimina, duplici inſtrumento ad quaſuis habitationes; ac alia plura ſcitu iucundiſſima:* tum *Ephemerides,* de quibus in eodem Indice ſic habet, *Ephemerides, quas vulgò dicunt Almanach, ad triginta duos annos: Vbi quotidie intueberis veros motus omnium Planetarum, Capitiſque Draconis Lunaris, vnà cum aſpectibus Lunæ ad Solem, & Planetas, horu etiam aſpectuum eorundem non friuolè adnotatis: neque Planetarum inter ſe aſpectibus prætermiſſis. In frontibus paginarum poſita ſunt indicia latitudinum: Eclipſes denique Luminariũ (ſi quæ futuræ ſunt) locis ſuis effigurantur.* Quod quidem refero, ne ſit, cur Cardanus obiiciat Regiomontanum immeritò inuentorem primum Ephemeridum reputari; quoniam ipſe anni 1414. Ephemeridem viderit: Quippe, ne ipſe quidem Regiomontanus ſibi arrogat, ſed potiùs, cùm dicit, *quas vulgò vocant Almanach,* ſupponit Ephemeridas ſub alio nomine præextitiſſe. Eſto aliquid fuerint, qui ob antiquiores non viſas, ad illum primas retulerint; vt Petrus Ramus, qui idcircò huiuſmodi Ephemeridas *nouum tum, & ignotum antea Matheſeos fætum eſſe* dixit. Quicquid interim ſit de illa anni 1414. Ephemeride; exſtat certè in Regia Bibliotheca MS. Codex, quem eximius Iacobus Puteanus, illius Cuſtos, per communem noſtrum Iſmaëlem Bullialdum mecum communicauit, quo Ephemerides ab anno 1442. in annum 1472. incluſiuè continentur; niſi quòd aliqui anni inter deſunt,

vti & interdeſunt nonnunquã aut annis mẽſes aliqui, aut menſibus dies, aut diebus Planetæ; & non rarò aſpectus, ſemper Eclipſes, ſemper latitudinũ indicia, & alia. Ex quo reputare par eſt, non eſſe quidẽ Regiomontanum primum, qui Ephemeridas texuerit; ſed eſſe tamen primum, qui illas concinnè ordinauerit; qui ſuos annis ſingulis characteres præmiſerit; qui futuras quibuſque Eclipſeis deſignauerit: qui tẽpora retrogradationum cuiuſque Planetæ adnotauerit: qui ad initiũ cuiuſque menſis literas præfixerit, indicáteis illi ne Septentrionales, an Meridionales: Aſcẽdentes, aut Deſcẽdentes forẽt: adde &, qui typis commiſerit, edideritque. Quod de Ephemeridibus porrò dico, dici idem obiter poteſt de cæteris, quæ idẽ Cardanus adſcripſiſſe ſibi ex aliorũ laboribus Regiomõtanũ obiectat, vt quòd Tabulæ directionũ magna ex parte ſint Ioánis de Blanchinis: quòd Epitome ſit Mediolanenſis cuiuſdã, etiá antequã Peurbachius Monteregij Magiſter naſceretur: quòd Libri de Triangulis Sphæricis inuẽtio ſit tota Hebræi Hiſpani. Sed de Ephemeridibus dicere vt pergã, illi duo & triginta anni deſierũt in annũ M.D.VI. adeò proinde, vt cùm cœperint ab anno M.CCCC.LXXV. videatur Regiomontanus abſoluiſſe duntaxat eatũ impreſſionẽ anno antecedẽte LXXIV. Sic verò loquor, quòd præter iteratam Auguſtæ editionem poſtremorũ XV. annorum, videre niſi paucos annos ex prima editione in Codice lacero apud eruditiſſimum, optimumque Hardyæum, mihi non contigerit. Taceri interim non debet, Regẽ Mathiã cui opus dicatũ, tanti id fecisse, vt donarit ipſum Authorẽ Hũgaricis aureis octingẽtis (vtcunque tamen ſint, qui id de Tabulis dicant) ac fuiſſe opus ab omnibus tanto cum applauſu exceptum, vt ſingula exempla aureis itidem Hungaricis duodecim væmerint, idque, vt ille ait, *Germanis, Hungaris, Gallis, Britannis certatim coementibus.*

Memorata porrò quatuor Opera typis iam cõmiſſa, abſolutáque erant, cum Regiomontanus & typis expreſſit, & euulgauit Indicẽ Librorum, qui partim antiqui, maximéque ex Græcis, partim ex ſuis edendi ſibi ſupereſſent. Quia verò is Index non paſſim occurrit; ac non deerũt, quantũ opinor, quibus illũ percurrere ſuave ſit, ideò adſcribere hoc loco ipſũ iuuat. Cùm eius tamẽ duæ ſint partes, illud præmitti circa priorẽ debet, quòd Regiomontanus, tametſi ingenio iudicióque præcellenti foret; non ſibi tamen ſic fideret, quin eruditorum iudicia, cenſuramque experiri vellet: vt conſtare poteſt, vel ex literis, quas ad M. Chriſtianũ Erfordiæ commorantẽ dedit. In iis enim, cætera inter ſcripſit, *ſe editiones molientem vtilium ſcriptorum, hanc ob cauſam libentius migraſſe Norimbergam, ne procul ab ipſo abeſſet, quod maximè ſe ab eo adiuuari, & iudicio ipſius, cenſuráque in multis materiis vti cuperet.* Itaque vt à parte, claſſeve priore, quæ antiquorũ eſt Librorum incipiá, mentione facta Theoricarũ Peurbachij, & Aſtronomicorũ Manilij, quæ duo eſſe explicita ait, ita ſequitur, *Coſmographia Ptolemæi, noua traductione; nam vetula iſta Iacobi Angeli Florẽtini, quæ vulgò habetur, vitioſa eſt; interprete ipſo (bonâ veniâ dictum fuerit) neque lingua Græca ſatis, neque Mathematica notitiam tenẽte. Quæ in re ſũmis arbitris fidẽ haberi fas erit, Theodoro Gaza, clariſſimo viro, ac Græcè, Latinéque doctiſſimo: & Paulo Florẽtino* (is eſt, cui elucubrationes aduerſus Cuſanum dicârat) *Græcarũ quidẽ haud ignaro: in Mathematicis autẽ plurimũ excellẽti. Magna Cõpoſitio Ptolemæi, quã vulgò vocant Almageſtum noua traductione. Euclidis elementa cum Anaphoricis Hypſiclis, editione Cãpani: euulſis tamẽ plerisque mẽdis. quæ propterea etiã indicabũtur cõmentariolo. Theonis Alexãdrini clariſſimi Mathematici Cõmentaria in Almageſtũ. Procli ſuffirmationes Aſtronomicæ. Quadripartitum Ptolemæi, & centum fructus eiuſdem, noua traductione. Iulius Firmicus, quantus reperitur. Leopoldus de Auſtria, & ſi qui alij Prædictores Aſtrologici illuſtratione digni videbuntur: nam Antonij quoque de Montulmo, quamuis fragmenta, in vſum multiplicem exponentur. Archimedis Geometræ acutiſſimi opera de Sphæra, & Cylindro: de Circuli dimenſione: De Conalibus, & Sphæralibus: De lineis Spiralibus: De Æquiponderantibus: De quadratura Parabolæ: De Arenæ numero: cum Commentariis Eutocij Aſcalonitæ in tria Opera ex prædictis, ſcilicet de Sphæra, & Cylindro, de dimenſione Circuli, de Æquiponderantibus. Traductio eſt Iacobi Cremonenſis, ſed non-nuſquam emendata. Perſpectiua Vitelonis, opus ingens, ac nobile, Perſpectiua Ptolemæi. Muſica Ptolemæi cum expoſitione Porphyrij. Menelai Sphærica, noua cautione. Theodoſij Sphærica: item de Habitationibus; De diebus & noctibus, noua traductione. Apollonij Pergæi Conica. Item Sereni Cylindrica. Heronis inuenta Spiritalia: opus Mechanicum mira voluptatis. Elementa Arithmetica Iordani. Data eiuſdem Arithmetica. Quadripartitum numerorum: opus variis ſcatens argutiis. Problemata Mechanica Ariſtotelis. Hygini Aſtronomia, cum deformatione Imaginum cœleſtium.* Additum fuit: *Facta præterea eſt arbor Rhetoricæ Tullianæ, ſpecioſa imagine. Et fiet deſcriptio totius Habitabilis nota, quã vulgò appellant Mappam Mundi. Cæterum Germaniæ particularis Tabula: item Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæ vniuerſæ, Græciaque: Sed & ſuas cuique hiſtorias ex authoribus plurimis curſim colligere ſtatutum eſt: quæ videlicet ad Monteis, quæ ad Maria, ad Lacus, Amniſque, ac alia particularia loca ſpectare videbuntur.*

Circa poſteriorem, propriorúmve Librorum claſſem, præmiſſa pari modo mentione Kalendarij Ephemeridúmque, quæ duo opera iam abſoluta ait, iſta continuò ſubſequuntur, *Commentaria magna in Coſmographiam Ptolemæi: vbi exponitur fabrica, vſuſque Meteoroſcopij, quo Ptolemæus ipſe vniuerſos fermè numeros totius Operis ſui eliciuit (falsò enim quiſpiam crediderit tot longitudinum, latitudinúmque numeros per ſupernorum obſeruationes innotuiſſe) præterea deſcriptio Sphæræ armillaris, vnà cum tota Habitabili in plano ita dilucidatur, vt pleraque omnia diſcedere queant, quæ nemo antehac Latinè intellexit, vitio traductoris obſtante. Commentariolum ſingulare contra*

tradu

traductionem Iacobi Angeli Florentini, quod ad arbitros mittetur (Hos antè dixit Gazam, Paulúmque.) *Theonis Alexandrini defenſio in ſex voluminibus, contra Georgium Trapezuntium; vbi planè quis deprehendet friuola eius eſſe commentaria in Almageſtum, traductionémque ipſam operis Ptolemaici vitio non carere. Commentariolum, quo commonſtrantur placita Campani ex editione Elementorum Geometricorum reycienda. De quinque corporibus æquilateris, quæ vulgò Regularia nuncupantur; quæ videlicet eorum locum impleant naturalem, & quæ non: contra Commẽtatorem Ariſtotelis Auerroem. Commentaria in libros Archimedis eos, qui Eutocij expoſitione carent. De Quadratura Circuli, contra Nicolaum Cuſenſem. De Directionibus, contra Archidiaconum Parmenſem. De diſtinctione Domorũ cæli, contra Campanum, & Ioannem Gazulum Raguſinũ, cuius & alia de Horis temporalibus decreta ibidem retractantur. De motu Octaua Sphæræ, contra Thebit, ſuóſque ſectatores. De inſtauratione Kalendarij Eccleſiæ. Breuiarium Almageſti. De Triangulis omnimodis, quinque volumina. Problemata Aſtronomica, ad Almageſtum totum ſpectantia. De Cometæ magnitudine, remotionéque à Terra; De loco eius vero, &c. Problemata Geometrica omnimoda: opus fructuoſæ iucunditatis. Ludus Pãnonienſis, quem alias vocare libuit Tabulas Directionum* (ſcilicet Strigonium, cuius Præſuli Tabulas dicauit, in Pannonia, Hungariave eſt) *Tabula magna Primi mobilis, cum vſu multiplici, rationibúſque certis. Radij multorũ generum, cũ vſibus ſuis. De Ponderibus, & Aquæductibus, cum figurationibus inſtrumentorum ad eas res neceſſariorum. De ſpeculis vſtoriis, atque aliis multorum generum, vſúſque ſtupendi* (Receperat in illa Patauij habita Oratione ea ſe confecturum, eiuſmodi Archimedea.) Subjunctum fuit; *In Officina fabrili* ASTRARIUM (automatum nempe) *in continuo tractatu eſt, opus planè pro miraculo ſpectãdum. Fiunt & alia Inſtrumenta Aſtronomica, ad obſeruationes cæleſtium: Itémque alia ad vſum vulgarem quotidianum, quorum nomina longum eſt recitare. Poſtremò omnium Artem illam mirificam literarum formatricem monimentis ſtabilibus mandare decretum eſt (Deus bene faueas.) Quare explicita, ſi mox obdormieris Opifex! mors acerba non erit: cum tãtum munus poſteris in hereditatem reliqueris, quo ipſi ſe ab inopia librorum perpetuò poterunt vindicare.* Quo extremo articulo ſatis indicatur eſſe debuiſſe Regiomontano mirabilem quandam rationem perficiendæ artis Typographicæ; quippe quæ tunc adhuc verſaretur quaſi in cunis, tanquam non ante annum M.CCCC.XL. Argentorati, Ioanne Mentelio authore, nata (vt qui eſt ex eius proſapia Medicus egregius Iacobus Mentelius demonſtrat) & deinceps quidem Moguntiam, & aliò propagari cœpta; ſed extremã tamen deſiderans manum. Quod ſanè dum ſic refero, vt veriſimilius quidem mihi eſt, nihil tamen gloriæ ipſius Regiomontani detractum volo, ſi verum ſit fortè, quod & ipſa eius recitata verba videantur innuere, & Ramus illi tribuit, dum artis hujus inuentionẽ referre ad ipſum videtur. Hæc nempe Rami verba ſunt, *Ex eadem gente Germanica Mathematico beneficio prodiit Typographia, quæ videtur in Peurbachij Tabulis ad Regiomontanum referri; inter cuius opera ſaltem tentata ars illa mirifica Literarum formatrix appellatur. Neque Chronologia repugnat; cùm primum Typographiæ exemplum Moguntiæ editũ ſit anno 1466. à Petro Gernſa puero Ioannis Fuſtei, vt cõſtat è Ciceronis officiis, quæ prima omnium librorum impreſſa ſunt*; Sed nempe Ramo non cõſtitit neque de impreſſis ante eum annum libris, neque de anno, quo Norimbergam Regiomontanus aduentauit.

Facta porrò iam ante aliquot annos Romæ cõmoratio, datáque illeic rariſſimæ eruditionis ſpecimina, magnũ ea in vrbe Regiomõtano quæſierãt nomẽ; at vbi fuere illûc exẽpla memoratorũ Operũ, Ephemeridúmque cumprimis tranſlata, eò celebritas illius euaſit, vt de ipſo Romam ruſus accerſendo omnes eruditi cogitauerint: & Sixtus etiam IV. Pontifex maximus ad eum ſcripſerit, vt ad ſeſe accederet: Decreuiſſe nimirùm ſe Kalendarij reformationem ſeriò aggredi; ac reperiri neminem, cuius operâ, ac induſtriâ, æquè ac ipſius, poſſet adiutari. Factæ ipſi proinde ingentes pollicitationes, creatúſque interim fuit Epiſcopus Ratiſponenſis. Ita habet Paulus Iouius; verùm quia Ramus idem referens, ſubiungit quî cum ſe haberet, quidque Norimbergæ admirabile Regiomontanus aut moliretur (vidimus ſcilicet iam illi fuiſſe Officinã fabrilem, ac in ea Automatũ in perpetuo motu) aut, vt artifices deinceps moliri auderẽt, exſequique poſſent, occaſionem faceret; eapropter ipſiuſmet verba id cõmemorare eſt operæ-pretiũ. Is ergo, recẽſito honore, quo Regiomontanus donatus, cùm fuit, abſẽs licet, deſignatus à Sixto Ratiſponæ Epiſcopus, *Norimberga*, inquit, *tũ Regiomontano fruebatur; Mathematici inde & ſtudij, & operis gloriã tantã adepta, vt Tarentũ Archyta, Syracuſæ Archimede, Bizantium Proclo, Alexandria Cteſibio non iuſtiùs, quam Norimberga Regiomontano gloriari poſſit. Extinctis enim Mathematicis Archita, Archimede, Proclo, Cteſibio, Matheſis Tarẽtina, Syracuſana, Bizantia, Alexãdrina extincta eſt: at inter artificum Norimbergenſium Regiomontani Mathematici eruditorũ deliciæ eſt, Muſca ferream ex artificis manu velut egreſſa conuiuas circumvolitare, tandemque veluti defeſſa in domini manũ reuerti. Aquila ex vrbe aduentanti Imperatori longiſſimè obuiã, ſublimi aere, procedere, atque aduenientẽ ad vrbis portã comitari. Deſinamus itaque Architæ Columbã mirari, cùm Muſcã, cùm Aquilã Geometricis alis alatã Norimberga exhibeat. Ergo nobilis illi quondam in Græcia, atque Ægypto, hodie artifices nulli ſunt: Regiomõtani Norimberga ſuperſunt. Senatus enim, Populúſque Norimbergẽſis operã dedit vt perpetuos Regiomontanos haberet. Itaque VVernerus primum, deinde Schoneri pater, & filius, Regiomõtani animam deinceps excitàrunt.* Præterea quæ ille proſequitur fuſiùs de ſingulari Ciuitatis in excolendis Mathematis, opificiiſque prouidentia: ſubiicio hic ſolùm, quod alia occaſione hunc in modum habet, *Ecquid, ſi iam Norimbergam contrariis ſimul portis, alterâ ſummus vrbis Magiſtratus, alterâ rediuiuus Regiomontanus aduentare decerẽtur; vtro frequentiorẽ concurſũ credimus futurum?*

Verùm, vt ad factam à Pontifice ſummo inultationem redeam; bæſit non parum Regiomontanus, ecquid capturus conſilij foret. Nam ſplēdor quidem Dignitatis oblatæ eximius videbatur; at cariores erant ſtudiorum deliciæ, quas debita, & congrua Paſtoralis officij ſollicitudo eſſet auerſura. Accedebat, quòd imperfectam relicturus eſſet editionem tot præclarorum voluminum, quæ tantoperè tamen erat cordi, & à qua abſtrahi vix erat, cogitare vt poſſet. Succedebat, quòd non foret ampliùs Romæ babiturus optimum Patronum, Beſſarionem Cardinalem, qui à tribus annis è Gallia redux (huc nempe Legatus occaſione belli Turcici aduenerat) conceſſerat fatis Rauennæ. Verùm euicit denique tamen, vt iter Româ arriperet, exſpectata cumprimis gloria præclari illius facinoris, ad quod præſtandum in gratiā ſacræ Religionis inuitabatur. In parte etiā conſolationis erat, quod tametſi inuitus quoque, quas cœperat, obſeruationes cogeretur abrūpere; ſupereſſet nihilominùs in vrbe eximius VValtherus, in quo neq; induſtria, neq, ardor illas continuādi deeſſet. Vt breue ergo faciā, diſceſſit denique memorato anno M.CCCC.LXXV. ſub ipsū finem menſis Iulij; ſiquidem poſtrema eius obſeruatio circa altitudinē Meridianam Solis, fuit die eius menſis xxviij. & quæ VValtheri deinceps fuere, cœpere à die ſecūda Auguſti. Ac fuit ille quidem Romæ non ſine applauſu exceptus; at non toto anno ibi ſuperuixit. Incurrerat enim in vehemens odium filiorum Trapezuntij, quòd Parentis eorum circa Ptolemæum, Theonémque lapſus non diſſimularet; quare & fama eſt fuiſſe eum veneno illorū inſidiis, artéque exſtinctum. Memoratus tamen mox Iouius ſubreptum fato ait, graſſante in Vrbe peſtilentia; & Keplerus, dum idem ſcribit, reprehendit aliunde Camerarium, referentem illius mortem ad effecta cuiuſdam Cometæ, qui anno ſequente apparuerit. Vtcumque fuerit, proditum eſt, obiiſſe illū pridie Nonas Iulias anni M.CCCC.LXXVI. Vixitque adeò ſolùm annis xl. ac ſolido præterea menſe. Nemo proinde & non doleat immaturam ipſius mortem, & non miratur potuiſſe ab illo tótque & tanta opera tam breue intra tempus præſtari. Sepultum eum fuiſſe in Pantheone aiunt, ac, cætera inter, condita habentur in illius laudem iſthæc carmina Brunonis Seleri:

Inferior nullo doctrina laude priorum,
Doctus in Aſtrorum cognitione fui.
Itala me tellus, & me Germania nouit:
Pannonis & ſtudium prædicat ora meum.
Duxit in has celebris primùm Peurbachius arteis
Ingenium magna dexteritate meum.

Itémque iſta Laromi:

Extimuit penitus nudatas Iupiter ædeis,
Quū decima in Sphæra cerneret eſſe ſuas.
Hoc homines, inquit, ſubmouimus hactenus orbe:
Ah! propè nunc noſtris prodimur in thalamis:
Et nemo hos obſtat conatibus? intulit Hermes,
Autherem Parcæ ſed vetuere mori.

Heu, ait, heu miſeros, qui ſic vlciſcimur hoſtē!
Vt ceſſet, Diuum protinus eſſe iube.

Vbi quod dicitur de Decima Sphæra eò alludit, quòd Regiomontanus debet aduerſus Thebitium ſcribens, explicánſque Trepidationem, cuius causâ fuerat Nona Sphæra excogitata, eſſe oſtendiſſe commodius ſuperaddere adhuc vnam; vt reſtituto Sphæræ octauæ ſimplici motu verſus ortum, Nona inæqualem illum redderet, Decima obliquitatem Eclipticæ variaret; adeò proinde, vt Mobili primo vlteriùs euecto, vndecim Sphærarum totalium Syſtema crearetur. Vnde, & quaſi non decimam, ſed vndecimam Sphæram induxiſſet (& numerum certè Sphærarum denarium vnâ auctiorem reddidit) factus locus eſt non hiſce modò verſibus, verùm illi etiam Elogio, quo de Regiomontano loquens Iouius, *Hunc*, inquit, *virum admirabili ſolertia, diuini ingenij, Aſtronomorum omnium, qui hactenus floruerunt, præſtantiſſimum veneramur, qui vndecimam Sphæram totius cæleſtis Globi ſupremā; inclusáſque diurna rotatione rapientem, certiſſima ſuppputatione ſibi, & poſteris inuenerit; hac ipſa adeptâ glorioſa ſapiētia palma Thalete, Eudoxo, Callipo, Ptolemæóque ipſo tantæ ſcientiæ conditore, ac Alfragano nobilior.*

Renunciata porrò Norimbergæ Regiomontani morte, publicus penè luctus fuit; neque ſanè immeritò. Ille enim in inclyta ciuitate (vt vel ex Ramo paulò antè citato intelligitur) babitus fuit veluti Parens, à quo bonæ artes ita propagari cœperunt, vt ex eo vſque tempore nuſquam magis floruerint. Id verò teſtatus eſt etiam Melanchthon, cùm occaſione Alphragani, & Albategnij, quos edi vnà cum Oratione à Regiomontano Patauij habita, Ioannes Schonerus, iam tum Matheſin publico ſtipendio Norimbergæ profitens procurârat, *Multa verò*, inquit, Senatum eiuſce vrbis alloquens, *huius generis beneficia Reipublicæ veſtræ debemus. Nam, cùm inde vſque à Ioanne Regiomontano, vrbs veſtra velut domicilium fuerit huius Philoſophiæ, magna fuerunt harum artium apud vos ſtudia; multa egregia monumenta apud vos edita ſunt.* Quoniam verò requiri poteſt, quò euaſerint tot præclaræ elucubrationes, quæ in recitato Indice, Catalogóve continebantur; audiendus eſt memoratus Schonerus, cùm eidem Senatui dicans Libros quinque de Triāgulis, poſtquàm ita præfatus eſt, *Vtinā ita Deo viſum fuiſſet, vt qua occaſione nunc ego ſum vſus ad celebrādum Rempub. veſtrā, dū quod vobis ex optimis ſcriptis doctiſſimi hominis Ioan. de Regio monte dedicandū putaui, ita Author ipſe in veſtra florētiſſima vrbe excudēdo, cum hoc, tū alia plurima ad illius immortalē gloriam vti potuiſſet? Nimirū*, &c. ſubdit, *Optandū certè, vt quia Regiomontanū ab Officina, vnde tot egregia opera emitterētur, quot Indice præmiſſo indicauerat, in Italiam retraxerat vocatio (honeſtiſſima ea quidē, ſed cui obſequutus reuerteretur nunquam) ab eo relicta monumenta cùm ipſius, tum aliorum, Veterum potiſſimum laborū, conſeruarentur. Sed hæc ipſa quādā ita vaſtauit calamitas, vt ex tanta, tamque ſplendida copia, qualem Indices oſtendunt, perpaucula reliquiæ ad nos peruenerint.* Et mox,

mox, circa ipſum de Triangulis opus; *Hunc autem Librum, cui de Triangulis omnimodis ipſe Author titulum indidit, clariſſimus ordinis veſtri vir Bilibaldus Pircamerus, illo tempore, quo iam ſpecioſa ſupellex Regiomontani pariùm diligenter conſeruabatur, eùm, vt ſapè dicere audiuimus, magnâ pecuniâ cōparaſſet, non tam ſibi quàm ſtudioſis diſciplinarum Mathematicarum: Hunc igitur, &c.* Commendandus verò interim Schonerus, quod magno ſtudio taleis reliquias perire paſſus non fuerit.

Nam præter hoc quidem de Triangulis Opus, edidit etiam quæ tum Peurbachij, tum Regiomōtani de Sinubus, Chordíſque extabant; conqueſtus fuiſſe aliquos, qui Regiomōtani labores, nomine illius ſuppreſſo, ſibi adſcriberent. Rationes quoque, ob quas Regiomontanus reiecerat Modū erigendorum Thematum, ſeu cōſtituendarum Domorum cæleſtium à Campano excogitatum, retentúmque à Gazulo; nouum autem inuexerat, qui deinceps & Rationalis, & Regiomōtani eſt dictus (is videlicet, quo poſitionū circuli per communeis Horizōtis, Meridianíque interſectiones ducti, Æquatorem ſecāt in parteis æqualeis.) Genethliacum item opus, ſed amplificatum ex ipſius Schoneri, aliorúmque obſeruationibus. Deſcriptiones præterea variorum Inſtrumērorum, vt Torqueti, Armillarū, Aſtrolabij, Regulæ magnæ Ptolemaïcæ, Baculi, Radiive Aſtronomici, quibus & ipſe explicandis incubuit. Obſeruationes inſuper tam Regiomōtani, quàm VValtheri, quarum *Theſaurum*, inquit, *ſanctiſſimè reconditum, in capſula quadā inuenimus.* Dialogum adhæc, & Demonſtrationem aduerſus Cuſani Quadraturam, & nonnulla alia. Quibus addendæ ſanè videntur Demōſtrationes Geometricæ Problematum omnium, quibus Regiomontanus declarauit vſum magnæ Tabulæ primi Mobilis, quáſque deinceps Ioannis filius Andreas Schonerus, teſtatus illas à Parente ſibi relictas, edidit. Tabula porrò ipſa primi Mobilis, vnà cum Problematibus proſtabat iam tum, vna cum Tabulis Eclipſium Peurbachij, vti & Diſputatio aduerſus Theoricas Cremonenſis. Proſtabant & ipſæ Directionum Tabulæ, quarum editionem Regiomontanus permiſerat Strigonienſi Archiepiſcopo hiſce vltimis Nuncupationis verbis, *Eas itaque primitias operum meorum ſuſcipere digneris, quas vbi pro acumine ingenij tui probaueris, in publicum prodire iubeto.*

Prætereo autem & quoſdam alios opera aliqua ediđiſſe; vt Ioannem Driandrum Epiſtolam de cōpoſitione Meteoroſcopij, cuius operâ voluit Ptolemæum tot locorum ſingulariū longitudines, & latitudines deſignaſſe. Fuit autem Epiſtola ad Beſſarionē per id tempus ſcripta, quo aduerſus Trapezuntium ſcribebat; nam *curſim*, inquit, *quaſi per ſpeciē exempli, ſtructuram hāc comminiſcor; quod & vigilia mea perpetua, quibus cōmētaria Trapezuntij excribrare ſoleo, & hortantur, & vehementer inſtigant*, Quod deinde verò breuitatem iterū excuſans, ait, *ad me rapit fortuna mea fluctuabunda, cuius profectò ludibria propediem explodenda, niſi negetur mihi reditus, exagitatam, ac prorſus peſſumdabo*: neſcio id-ne ex Pānonia, an potiùs ex Italia, qua primùm vice ibi fuit, ac dum interea Beſſario variis Legationibus fungeretur. Vtcumque ſit, hoc certè tædium occaſione ipſius Beſſarionis non fuit; Ecce ſcilicet concluſionem, *Iam ſatisfeciſſe Venerationi tuæ videor quàm paucis; quamuis etiam illis ingenium tuum perſpicax nōſqueris. Verū tamen ne tardiuſculus ad iuſſa tua viderer, ac obſeruantia, imò verius tua erga me beneuolentia contemptor, aut neglector dici poſſem, hoc breue monumentum literis mandare decreui, & eò libentiùs, quo rem tibi gratā futuram arbitratus ſum. Si autem, quod haud ſuſpicor, cæteros huius organi vſus per te ipſum reperire non confidas, ſed ex me ſummoperè cupias, non pigebit ampliori membranæ calamum applicare.* Cætera vt prætereeam, Ioachimus Camerarius editurus Græcè Theonis in Ptolemæum commentarios à Regiomōtano relictos (editus fuerat iam Ptolemæus, & ex eo quidem Codice, quem teſtatus Beſſarion fuerat ſe pluris facere, quàm prouinciam) dicans verò ipſos Norimbergenſi Senatui, *Si quid*, inquit, *votis efficeretur, optârim, vt hoc licuiſſet emittere, qui ad vos quondā attulit, admirabili ingenio, & doctrina prædito Ioanni Regiomontano, qui, cùm in Italiam iterum profectus diem ſuum obiiſſet, heu mihi, quanta morte ſua vir optimus commoda, promiſſa iam, & oſtenſa abſtraxit à ciuibus ſuis! Sed queri deſinamus. Quamuis enim multa, & præcipua alia opera ſcriptorum; cum ipſius, tum priorum iſta calamitas interceperit; tamen hic liber relictus, atque conſeruatus, maximam afferre in magnis damnis conſolationem debebit.*

Ne VValteri oblitus videar; reputare ſanè par eſt, quemadmodùm ille præcipuus Regiomontani amicus fuit; ſic fuiſſe ipſius dolorem præcipuum. Dici verò non poteſt quanta commendatione dignus ſit, qui vt animatus à Regiomontano ad cæleſtium rerum curam fuerat; ita deinceps perſeuerârit. Diximus iam cœpiſſe illum à diſceſſu vſque Regiomontani, Obſeruationes peragere; non deſtitit porrò à ſimilibus per totos, quibus ſuperuixit, annos peragendis. Quo ardore autem cæleſtia ſpectaret, vel illud poteſt arguere, quòd, cùm anno mortem Regiomōtani inſequuto, ac die Septembris quinta manè, attendiſſet Martem, & Saturnum adeò vicinos, vt ſpectato vtriuſque curſu, futuri eſſent interdiu corpore cōiuncti, rei deſcriptioni iſthæc verba ſubiunxerit; *O quanto affectu eorū vidiſſem conuentū! quia veriſimile con, ecitur a vnus eclipſabat alterum: rariſſimus autē euentus ille.* Cùm eius porrò obſeruationes circa Meridianas Solis altitudines cœperint, vt iā antè eſt dictū, à die 5. Augusti anni M.CCCC.LXXV. & circa aliorum Planetarū loca, & diſtantias, ac aliquot etiā Eclipſeis, à 1. inſequentis Septembris; deſierunt poſtmodùm vitæque anno M D.IV. iſtæ quidem die Maij XXX. illæ verò die Iunij tertia. Quo præcisè tempore natus, mortuuſve is fuerit, proditū à quoquam non commemini; dignus omninò vir, qui inter merētiſſimos de Aſtronomia numeretur. Illius certè obſeruatis nō. Copernicus modò vſus, verùm maximè etiam Tycho, qui illum propterea cōmendatione perpetua afficiens

appel-

appellat *eximium, omni laude digniſſimũ*; itémque, *virũ laude imprimis, memoriaque perpetua dignum*. Vt perſpectũ verò euadat, qua & diligentia, & fide, obſeruationes conſignârit; ſolitus ecce fuit vnicuique, aut maximæ parti Solarium, cenſurã apponere aliquibus huiuſcemodi verbis; *Dubia; certa; certiſſima, pracertiſſima; clara; clariſſima, praclariſſima; diligens; diligentiſſima, mediocris; non omninò certa; non certiſſima, ſed ſufficiens; radij dubij; radij fortes; cælum ſereniſſimũ; exactè; confide; funda te in hãc; optima obſeruatio, cui ſi catera correſpondeant, certa omnes indicẽtur, &c.* Quo proinde eſt effectũ, vt Tycho Solis motũ reſtituturus, & deligere, & cum ſuis conferre eas ex VValthero obſeruationes potuerit, quæ optimæ notæ, ac indubiæ forent. De cæteris, id eſſe dignũ conſideratione videtur, quòd aggreſſus loca Fixarum reſtituere, ac Venerẽ præferens Lunæ, vti & poſtmodùm Tycho prætulit, adnotauit ad diẽ Martij vij. anni M.CCCC.LXXXIX. illum Refractionis effectũ, quem deinceps Tycho non modò obſeruauit, ſed etiã definit, *Eſt notandum*, inquit, *quòd circa Horizontem Aſtra apparent propter radios fractos ſuper Horizontem, cùm ſecundùm veritatem ſunt ſub eo; quod inſtrumento Armillarum ſenſibiliter ſæpius mihi apparuit*, &c. Quem totum locum Keplerus in ſuis ad Vitellionem Paralipomenis commentario quaſi quodam illuſtrauit.

Qui verò factũ exiſtimemus, vt, cùm Copernicus ex ſerie huiuſmodi obſeruationum mutuatus fuerit illas treis, quas ad reſtituendũ Mercurij motum, cùm propriæ deficerent, vſurpauit (primam quidem anni M.CCCC.XCI. ac diei IX. Septembris; ſecundã verò, & tertiã anni M.D.IV. illam IX. Ianuarij, hãc XVIIJ Martij) primam VValthero tribuerit, ſecũdam & tertiã Schonero? An id fortè, quia Schonerus, cùm poſteriorum tempore foret Iuuenis, & Norimbergæ, priuſquàm publicè illeic doceret, moraretur, VValtherũ, quem alicubi venerabilẽ Senem dicit, adjurare potuerit, aut ſolus etiã aliquando eius inſtrumẽta vſurpare, ac teſtari fuiſſe ſe in iis peragendis aut adjutorem, aut etiam actorẽ præcipuum? Hac certè ratione duas poſteriores & penes ſe habere, & cum Copernico cõmunicare potuit, antequàm priorẽ, cæteráſque in capſula memorata nanciſceretur, cúmque eodẽ cõmunicaret; vt proinde Copernicus credere facilè potuerit, illas Schoneri, hanc VValtheri eſſe. Ne in hoc tamen hæreá; repeto ſolùm Iuuenem (annorũ quippe XXVIJ.) fuiſſe Schonerũ eo tempore, quo obſeruationes poſteriores peractæ; videlicet cùm perhibeatur natus Caroloſtadij anno M.CCCC.LXXVII. ac die Ianuarij XVJ. (annis puta IV. à nato iam Copernico, & anni dimidio ab obitu Regiomontani) & memorabile ſit, quia fuit deinceps mortuus anno M.D.XLVII. ac die itidem XVJ. Ianuarij, compleſſe eum præcisè annum LXX. vt Plato compleſſe exquiſitè dicitur annum LXXXI. Repeto, inquam, ac tantò libentiùs eius mentionem heic facio, quantò fuit & ipſe de Aſtronomia bene meritus; & viſus dignus fuit Rhetico, ad quem illam primam de ſua apud Copernicum mora, ipſiúſque doctrina Narrationem dirigeret; cùm & ex deductis manifeſtum ſit, deberi illi maximè, quæ Regiomontani extant monumenta.

Hactenus tibi, mi CAPELLANE, feciſſe ſatis videor, enarrans, quantum fuit noſſe datum, cuiuſmodi viri Peurbachius, illiúſque diſcipulus Regiomontanus exſtiterint. Quòd ſi prætereà fortè Elogiũ vtriuſque conjunctim depoſcas, referre quidẽ poſſem totũ Epigramma, quod memoratus Ioachimus contexuit, εἰς τοὺς ἐξοχωτάτους μαθηματικούς, Ἰωάννην Ῥηγιομοντάνον, καὶ διδάσκαλον αὐτοῦ Γεώργιον Πευρβάχιον, *In eminẽtiſſimos Mathematicos, Ioannẽ Regiomõtanum, & Georgium Peurbachiũ eius Praceptorem*, nominibus iiſdem hoc diſticho expreſſis,

> Τὸν Βασιλῆος ἀπ' ὄρους, φράγγον γένος, ἀνδρ' Ἰωάννην,
> Τοῦτε κατηγητὴν τῶνδε Πευρβάχιον.
> *Francus Ioannes, à Regis monte vocatus,*
> *Ipſius & doctor nomine Peurbachius.*

Poſſem, quod habet Tycho Brahe in ea Præfatione ad Rudolphũ Imperatorem, quam in Appendice ad eius vitã retulimus, dũ Regiomontani citaturus verba aduerſus eos, qui nõ in cælo ſed in tuguriis, inque ſcripturis, exercẽt Aſtronomiã; *Quòd verò*, inquit, *Eximius ille Regiomontanus in illuſtri Imperatoria tua Maieſtatis Academia Viennenſi, qua excellentiſſimos ſẽper fouit Mathematicos, Aſtronomus imprimis celebris, & Magni illius Peurbachij ibidẽ diſcipulus, ante centũ viginti ſex circiter annos, de Canonica Fixarũ deſcriptione à Ptolemao ſucceſſiuè, inde ab Hipparcho tradita grauiſſimè eloquitur: eſſe videlicet*, &c. Poſſem & alia: ſed abũdè erit heic attexere, quod Daniel Saotbechius de vtroque habet in iterata editione librorũ de Triangulis, ante centum proximè annos, *Factũ*, inquit, *videmus, vt cùm ſcientia de Motibus corporum caleſtiũ multis ſaculis, ſine omni ferè recordatione ſui, altiſſimè ſepulta iacuiſſet; eadẽ iterum paulò ante noſtra tẽpora in priſtinam integritatẽ reſtituta, ſummo cum ſplẽdore effloruerit. Hos ſanè praſtantiſſimos viros, ad illuſtrandã pulcherrimarum rerũ ſcientiã ſingulari beneficio Dei excitatos eſſe, res ipſa manifeſtiſſimè loquitur. Cùm enim omniũ fermè Veterum monumenta horribili barbarie innolata, corruptáque iacerent; hi noſtri Artifices certatim neruos omneis intenderunt, vt obſcuriſſimas difficillimáſque Ptolemai demõſtrationes recta, veraque interpretatione euidentiſſimè explicatas diſcentibus ante oculos conſtituerent. Itaque, vt ipſa ſcientia deinceps incorruptè ad poſteritatem trãſmitti poſſet, cum nouis obſeruationibus, ſublatis, qua tẽporis diuturnitate irrepſiſſet, erratis, exploratos corporum caleſtiũ motus in integrum reſtituiſſent, eoſdẽ accurato calculo ſubductos, in Tabulas expeditas ſumma cũ dexteritate, ac vtilitate omnium digeſſerũt, tot inſuper monumenta ſuarũ elucubrationũ elaborata exquiſitiſſimè ſtudioſis reliquerunt, vt ipſi demum ſoli totã ferè Mathematũ ſcientiam ex primis fundamẽtis exſtruxiſſe videantur. Quapropter horũ Artificũ memoriã ſtudioſos omneis grata commemoratione celebrare (quod ipſi immenſis laboribus inexplicabileis ferè difficultates ſuſtulerint, ac nobis ſua ſcripta ſincerè communicârint, quibus ſumma cum voluptate nunc otioſis quaſi frui liceat, atque illa deinceps, tanquam publicum patrimonium ad ſequaturam poſteritatem tranſmittere) decet.* Sed heic denique modus eſto.

FINIS.

AD

AD VIRVM ILLVSTREM

FRANCISCVM BOCHART

REGI CHRISTIANISSIMO

A SANCTIORIBVS CONSILIIS,

AC SVPREMVM

IN LVGDVNENSI PROVINCIA

PRÆSIDEM,

IN SESTERTIORVM ABACVM

PETRI GASSENDI

PRÆFATIO.

HAVD grauatè, vt ſpero, accipies, VIRORVM OPTIME, hunc qualemcumque Seſtertiorum Monetâ noſtrâ expreſſorum Abacum, quandoquidem ſæpè ſæpiùs literis tuis humaniſſimis requiſiiſti ex me, (conſcius præſertim cùm fores edendarum vnum in corpus mearum aliquot lucubrationum) an-non ipſum iteratò imprimendum darem. Tantulum quidem Opuſculum dicare Tibi nunquam cogitaſſem, nec ducere tanti potuiſſem, vt inclyto tuo nomine in ipſa fronte decoraretur; quoniam nihil aliud mihi viſum eſt, dum partem Appendicis ad Animaduerſiones noſtras in Decimum Diogenis Laërtij librum feci, quàm ob immutatas aliquot voces, valorem quem conſcripſeram peruertentes monendo, depoſcentium rogantiúmque quibuſdam Amicorum vt inſinuarem quibus ex principiis Abacum deduxiſſem, gratificari. Scilicet meos tantùm in vſus confeceram, ad exprimendum Monetâ noſtrâ quo valore fuerint, quæ Romani pridem taxârunt Seſtertiis, vtpote quoties legenti Auctores aliquid occurrit huius generis, ſit mihi quò id referam in promptu. Cùm verò nihil abs me

Tibi

Tibi negari queat, ipſummet Typis ecce reſtituo; ſentio me enim nimiùm amari abs Te, quin ſi quo modo poſſim, ſingularem vt obſeruantiam, ſic gratitudinem non teſter; quippe ex quo primùm LVILLERIVS noſter ὁ μακαρίτης exoptârit vt vna domus, idem victus, iſque communis, etiam peregrinationes forent communes, & tot támque dulceis contereremus annos, de Rebus diuinis, de Rebus humanis apud tuum Germanum MARCVM Pariſienſis Eccleſiæ Canonicum, verâ ſinceráque pietate nemini Mortalium, quos norim ſecundum, philoſophando; eâ fuiſti in me propenſione, vt nihil potuerim humanius, beneuolentiúſque experiri: ſiquidem non ſtetit per Te quin fortunas ampliârim meas; ſic me nempe amaſti, quin per Te etiam non ſteterit, vt vſus ſim Tuis. Quæſo igitur vt pro illa ſingulari humanitate, quâ beaſti me hactenus, iſtud quidquid eſt boni conſulas, & tanquam profectum à Viro, qui totus tuus ſit, habere ſuſtineas.

SESTERTIORVM MONETA GALLICA EXPRESSORVM ABACVS.

PRINCIPIO vnde Abacum deduxerim, abundè ſatis in vita Peireskij, & libro quidem ſecundo deſcripſi Illeic ſcilicet declaraui, vt ad comparandum cum valore noſtræ, valorem monetæ Romanæ antiquæ, & quæ fuit præſertim in vſu primorum Imperatorum temporibus, tentauerim priùs Romana pondera cum noſtrasibua comparare. Siquidem, quia nôram Denarium Romanum, numum eſſe argenteum, qui ſub primis Cæſaribus partem vnciæ octauam, quam Drachmam vocant, penderet; ideò animo præcoocepi, ſi ſemel noſſem proportionem, quâ ſe vncia illa ad noſtratem haberet, perſpectum fore, quota pars noſtræ vnciæ parti illi octauæ, ſeu Denarij ponderi reſponderet: & taxato apud nos argenti valore ſolidis, denariiſque Turoneis dictis, fore promptum exprimere, quotnam ſolidis, denariiſque Turoneis Denarius Romanus valeret. Eamobrem ergo cùm Peireskius obtinuiſſet parllò ante obitum, modulum exquiſitum Congij, qui decem libras Romanas pendens, & à Veſpaſiano conſecratus in Capitolio, ſuperſtes eſt adhuc, & aſſeruatur Romæ in Farneſianis ædibus (taceri autem non debet obtentum fuiſſe modulum, intercedente optimo, & ob virtutem heroicam ſupra dignitatem ſpectatiſſimo Ludouico Alphonſo Pleſſæo Richelio Cardinali Lugdunenſi, qui tum Romæ agens, ædeiſque illas incolens, depromi Congium ex intimia penetralibus procurauit) ideò aquam putealem, cuius continendæ is Congius fuit capax, ſummo ſcilicet collo tenus, ad Pariſinum pondus exegi, deprehendíque eam pendere vncias centum vndecim, cum dodrante vnciæ. Cùm verò ipſa eadem aqua penderet Romanas vncias centum, ac viginti (totidem enim apud Romanos decem libris, quæ duodenûm erant vnciarum, continebantur) difficile non fuit deducere exinde, diuiſà Pariſinâ vnciâ, ſicut fieri ſolet, in grana 576. contineri parium granorum in vncia Romana 536. Et quia Denarius Romanus fuit octaua pars vnciæ; difficile quoque intellectu non fuit, pendere Denariũ Romanũ grana Pariſini pōderis 67. Denique verò quod ex recenſe Edicto, anni putà M.DC.XXXVI. argẽti vncia taxata fuit ſolidis Turunicis 64. (ac ſpectato quidem præſertim communiſſimo, & quaſi notæ præcipuæ numo, qui, vt priùs fuit, ita etiam num Scutati Quadrans appellitatur; is quippe pendens ſcrupulis, ſeu, vt Numarij vulgo loquuntur, denariis 7. cum 12. granis, hoc eſt, vniuerſè grania 180. taxatur ſolidis viginti; ac perſpicuum eſt, vt ſe habent 180. grana ad 20. ſolldos, ita ſe habere grana 576. ad ſolidos 64.) difficile non fuit inferre Denarium Romanum valere ſeptem ſolidis, ac denariolis Turonicia quioque cum triente vnius Turonici denarij. Suppono autem vnciam Pariſinam, partem ſcilicet Zygoſtaticæ, ſeu vulgaris libræ ſextam-decimam, eandem eſſe cum vncia, ſeu parte octaua eius libræ, quam Marcam appellant, & quâ toto Regno Monetarij, aurificéſque vulgò vtuntur. Suppono & hunc modum explurandi valorem Romani Denarij videri vt ſimpliciſſimum, ſic minimè omnium fallaciæ obnoxium. Nam quòd Budæus quidem, optimè alioquin, vt aliis de rebus, ſic de hac quoque meritus, non aliâ ratione explorauerit, quàm appendendo aliquot, quos habuit denarios, videri poteſt non omnino ad id, quod res eſt, colliueaſſe; vt patà quòd tales Denarij (etiam integri inter illos viſi) pati potuerint inerrrimentum, detrimentúmve ponderis; reſque vel ex eo intelligi poteſt, quod deduxit libram Romanam poſſe ſemunciâ additâ æquiparari libræ Marcæ, Pariſiniſve vncia octo: quo caſu aqua illius Congij pendere debuiſſet noo vncias proximè 112. ſed proximè ſolùm 77. quod immane diſcrimen eſt, maiúſque, quàm vi vllo modo excuſari poſſe videatur. Suppono ad hæc me vſurpaſſe Denarium, cuius pondus eſſet in vſu ſub ipſis primis Cæſaribus, ob memoratum Congium, de cuius pondere per ea tempora dubitare non licet; cùm & aliunde habitâ ſemel comparatione ponderum, facile ſit determinatu, quo valore foret Denarius dum penderet partem vnciæ ſeptimam, vt ſub Republica recenſiore; dum vnciæ ſextantem, vt ſub antiquiore; dum trientem, vt ſub poſtremis Regibus, &c. ac pari ratione cùm cœpit deinceps pondere infra drachmam deminui. Suppono poſtremò comparaſſe me

Denarij valorem cum eo valore monetæ, qui iam nobis in vſu eſt; tum quia noſtris temporibus res agitur noſtra, quam nos ignorare cum-primis non decet; tum quia vbi in poſterum argenti vncia apud nos pluribus taxabitur, quàm nunc taxetur, ſolidis; (neque enim, vt res humanæ ſunt, ac vt nos docet experientia præteritorum temporum, ſperare licet valdè diuturnam huius taxationis conſtantiam) perfacile ſemper erit definire, quanti Romanus Denarius æſtimandus ſit, pondere perſpecto, quo apud nos pendit. Quemadmodum etiam perfacile eſt definire, quanti æſtimandus fuerit prætergreſſis temporibus, perſpecto eodem pondere, cognitáque taxatione argenti.

Iam quia Romæ, præter Denarium, alij quidam numi argentei, qui eſſent illius partes, cudebantur, vt puta Quinarius (ſeu à ſigno victoriæ Victoriatus dictus) pars dimidia; Seſtertius quarta; Libella (aſſi vni æquiualens) decima; Sembella vigeſima; Teruncius, quadrageſima: conſtátque adeò Quinarium valuiſſe tribus ſolidis, cum denariis octo, ac vnius beſſe; Seſtertium vno ſolido, cum denariis decem, ac triente; Libellam nouem proximè denariis; Sembellam quatuor, cum ſemiſſe proximè; Teruncium duobus; cum proximè quadrante; in promptu eſt agnoſcere quis ſpeciatim fuerit Seſtertij valor, quem vides veluti ſubſtratum, factúmque initium Abaci; tanquam quo ſemel habito, cætera omnia ſimplici additionis progreſſu habeantur. Notum portò eſt, quemadmodum Græci dicebant *τρίτον ἡμίδραχμον*, vt *duas cum ſemiſſe drachmas* deſignarent; ita Romanis fuiſſe Seſtertium, quaſi ſemiſtertium vocatum, quòd aſſibus duobus, cum ſemiſſe tertij valeret; quarta vtpote pars Denarij, qui valebat aſſibus decem, hoc eſt, decem libris, ſiue pondo æris. Qua de cauſa notum eſt quoque, vt Nota, ſignúmve Denarij fuit X. & Quinarij V. ita Seſtertij fuiſſe I I S. hoc eſt duo, ac ſemiſſem (vtcumque libri vulgò habeant H-S) vel cuius notæ loco, ſcribunt aliqui L L S. Prætereo autem Aſſeis illos fuiſſe initio reuerà libraleis, hoc eſt ſingulos duodenûm vnciarum (vnde & meritò Æs graue vocatum) deinceps autem bello Punico primo, cùm Reſpublica impenſis non ſufficeret, fuiſſe ex libra æris factos aſſeis ſex; ſingulos nempe duûm vnciarum, ſeu ſextantis libræ (vnde & fuere Sextantarij dicti) poſteà Annibale vrgente fuiſſe quoque vncialeis factos (quo etiam tempore Denarium ſenis denis aſſibus, Quinarium octonis, Seſtertium quaternis, permutari placuit) & mox lege Papyria etiam Semuncialeis; adeò proinde vt ſemper quidem Aſſis nomen remanſerit, at pondus fuerit imminutum. Adnoto autem videri Seſtertium habitum numorum quaſi minimum, quique eſſet communis menſura omnis vt ſummæ pecuniariæ, ſic rei pecuniâ æſtimabilis; quòd Libella, Sembella, & Teruncius, pondere Denarij ex vncia in trientem, & ſextantem degenerante, eius exilitatis euaſerint, vt maturè eſſe in vſu deſierint. Certè & licet ipſa vox Numi aut expreſsè addatur, aut tacitè intelligatur, tam cùm Denarium, aut Quinarium, quàm cùm Seſtertium dicimus; vbi tamen vox Numi ſola adhibetur, pro Seſtertio accipitur, Seſtertiíve vox ſubauditur. Intelligenda tamen eſt prima, minimáve, & communis menſura pecuniæ argenteæ; nam æreæ quidem communis menſura habita eſt As (tametſi ſemper ſuas illas parteis, ſemiſſem, trientem, quadrantem, & cæteras ad vſque vnciam, etiam pondere imminutus, retinuit) exindéque eſt, cur legamus interdum væniiſſe rem aliquam aſſe, vel aſſipondio, itémque dupondio, & treſſe, quadruſſe, octuſſe, nonuſſe, decuſſe, ac demùm centuſſe (neque enim vltra centum, Aſſis vox ſic componebatur) aut væniiſſe, fuiſſéve decem æris, centum æris, mille æris, &c. intelligendo libras, vel pondo, ſeu totidem aſſeis. Adnoto deinde trifariam in Abaco procedere Seſtertiorum nomenclaturam, iuxta triplicem ordinem, quem in illo diſtinctum vides; nam in primo quidem vſurpatur Seſtertij vox maſculinè, in ſecundo neutraliter, in tertio cum Aduerbio numerali adjuncto: & cùm incipiat primus ab vno, incipit ſecundus à mille, tertius à centum millibus, quemadmodum vno proſpectu heic repræſentare iuuat.

SESTERTIORVM MONETA NOSTRA expreſſorum, Abacus.

Seſtertij, *ſeu* Seſtertia, *ſeu* Seſtertiûm *ſunt* Monetâ noſtrâ

vel Numi,				lb.Turon.ſol. den.
Vnus,	1			1—10 [illegible]
Duo,	2			3— 8 [illegible]
Tres,	3			5— 7
Quatuor,	4	[*Decem æris,* ſeu *Denarius vnus.*]		7— 5 [illegible]
&c.	5			9— 3 [illegible]
	6			11— 2
	7			13— 0 [illegible]
	8			14—1 [illegible]
	9			16— 9
	10			18— 7 [illegible]
	20			1—17— 2 [illegible]
	30			2—15—10
	40	[*Centum æris,* ſeu *Denarÿ decem.*]		3—14— 5 [illegible]
	50			4—13— 0 [illegible]
	60			5—11— 8
	70			6—10— 3 [illegible]
	80			7— 8—10 [illegible]
	90			8— 7— 6
	100			9— 6— 1 [illegible]
	200			18—12— 2 [illegible]
	300			27—[illegible]— 4
	400	[*Mille æris,* ſeu *Denarÿ centum.*]		37—4— 5 [illegible]
	500			46—10— 6 [illegible]
	600			55—16— 8
	700			65— 3— 9 [illegible]
	800			74— 8—10 [illegible]
900	SESTERTIA			83—15— 0
1000	Vnum,			93— 1— 1 [illegible]
2000	Duo,			186— 2— 2 [illegible]
3000	Tria,			279— 3— 4
4000	Quatuor,	[*Decem millia æris,* ſeu *Denarÿ mille.*]		372— 4— 5 [illegible]
5000	Quinque,			465—5— 6 [illegible]
6000	Sex,			558— 6— 8
7000	Septem,			651— 7— 9 [illegible]
8000	Octo,			744— 8—10 [illegible]
9000	Nouem,			857—10— 0
10000	Decem,			930—11— 1 [illegible]
20000	Viginti,			1861— 2— 2 [illegible]
30000	Triginta,			2791—13— 4
40000	Quadraginta,	[*Centum millia æris,* ſeu *Decẽ millia Denariûm.*]		3722— 4— 5 [illegible]
50000	Quinquaginta,			4652—15— 6 [illegible]
60000	Sexaginta,			5583— 6— 8
70000	Septuaginta,			6513—17— 9 [illegible]
80000	Octoginta,			7444— 8—10 [illegible]
90000	Nonaginta,		SESTERTIVM	8375— 0— 0
100000	Centum,		Semel,	9305—11— 1 [illegible]
200000	Ducenta,		Bis,	18611— 2— 2 [illegible]
300000	Trecenta,		Ter,	27916—13— 4
400000	Quadringenta,		Quater,	37222— 4— 5 [illegible]
500000	Quingenta,		Quinquies,	46527—15— 6 [illegible]
600000	Sexcenta,		Sexies,	55833— 6— 8
700000	Septingenta,		Septies,	65138—17— 9 [illegible]
800000	Octingenta,		Octies,	74444— 8—10 [illegible]
900000	Nongenta,		Nouies,	83750— 0— 0
1000000	Mille,		Decies,	93055—11— 1 [illegible]
2000000	Bis mille,		Vicies,	186111— 2— 2 [illegible]
3000000	Ter mille,		Tricies,	279166—13— 4
4000000	&c.		Quadragies,	372222— 4— 5 [illegible]
5000000			Quinquagies,	465177—15— 6 [illegible]
6000000			Sexagies,	558333— 6— 8
7000000			Septuagies,	651388—17— 9 [illegible]

Seſtertij, *ſeu* Seſtertia, *ſeu* Seſtertiûm vel Numi,		*ſunt* Monetâ noſtrâ lb. Turon. ſol. den.
8000000	Octogies,	744444- 8-10$\frac{2}{3}$
9000000	Nonagies,	837500- 0- 0
10000000	Centies,	930555-11- 1$\frac{1}{3}$
20000000	Ducenties,	1861111- 2- 2$\frac{2}{3}$
30000000	Trecenties,	2791666-13- 4
40000000	Quadringenties,	3722222- 4- 5$\frac{1}{3}$
50000000	Quingenties,	4652777-15- 6$\frac{2}{3}$
60000000	Sexcenties,	5583333- 6- 8
70000000	Septingenties,	6513888-17- 9$\frac{1}{3}$
80000000	Octingenties,	7444444- 8-10$\frac{2}{3}$
90000000	Nongenties,	8375000- 0- 0
100000000	Millies,	9305555-11- 1$\frac{1}{3}$
200000000	Bis millies,	18611111- 2- 2$\frac{2}{3}$
300000000	Ter millies,	27916666-13- 4
400000000	Quater millies,	37222222- 4- 5$\frac{1}{3}$
500000000	Quinquies millies,	46527777-15- 6$\frac{2}{3}$
600000000	Sexies millies,	55833333- 6- 8
700000000	Septies millies,	65138888-17- 9$\frac{1}{3}$
800000000	Octies millies,	74444444- 8-10$\frac{2}{3}$
900000000	Nouies millies,	83750000- 0- 0
1000000000	Decies millies,	93055555-11- 1$\frac{1}{3}$
2000000000	Vicies millies,	186111111- 2- 2$\frac{2}{3}$
3000000000	Tricies millies,	279166666-13- 4
4000000000	Quadragies millies,	372222222- 4- 5$\frac{1}{3}$
5000000000	Quinquagies millies,	465277777-15- 6$\frac{2}{3}$
6000000000	Sexagies millies,	558333333- 6- 8
7000000000	Septuagies millies,	651388888-17- 9$\frac{1}{3}$
8000000000	Octogies millies,	744444444- 8-10$\frac{2}{3}$
9000000000	Nonagies millies,	837500000- 0- 0
10000000000	Centies millies,	930555555-11- 1$\frac{1}{3}$
20000000000	Ducenties millies,	1861111111- 2- 2$\frac{2}{3}$
30000000000	Trecenties millies,	2791666666-13- 4
40000000000	Quadringenties millies,	3722222222- 4- 5$\frac{1}{3}$
50000000000	Quingenties millies,	4652777777-15- 6$\frac{2}{3}$
60000000000	Sexcenties millies,	5583333333- 6- 8
70000000000	Septingenties millies,	6513888888-17- 9$\frac{1}{3}$
80000000000	Octingenties millies,	7444444444- 8-10$\frac{2}{3}$
90000000000	Nongenties millies,	8375000000- 0- 0
100000000000	Millies millies,	9305555555-11- 1$\frac{1}{3}$

Ad Primvm ordinem quod ſpectat, ideò maſculina eſt vox, quod ſubaudiatur vbique vox Numi, & quotquot in eo numerantur Seſtertij, intelligantur ſimplices, ſeu quorum quilibet ſit expoſiti jam valoris, ſolidi ſcilicet 1. Denariorum 10$\frac{2}{3}$. Cùm ſoleat autem iſta mille copulari cùm adiectiuo in eodem caſu (dicimus enim *Vnum Seſtertium, duos*, vel *binos Seſtertios; tres, vel ternos*, &c.) moris eſt tamen vt ſupra mille, & cùm numerantur plura millia, in genitiuo plurali ſyncopen paſſo conſtituatur: Tametſi enim dicere liceat, *bis mille Seſtertij, ter mille Seſtertij*, &c. frequentius eſt tamen, vt dicatur, *Seſtertiûm duo millia, Seſtertiûm tria millia*, &c. quemadmodum intelligi vel ex vna Actionũ Ciceronis in Verrẽm poteſt, in qua legere paſſim licet HS, ſeu *Seſtertiûm* II. *millia*, V. *millia*, XXV. *millia* L. *millia*, CCXVI. *millia*, CCCXXIV. *millia*, ꝛↄ. *millia*, ꝛↄXL. *millia*, &c. Et cùm aliquando Seſtertij, ac Numi voces vnà adhibeãtur, vt cùm dicimus eſſe quidpiam addictum *Seſtertio numo*; vel ſoluta eſſe *duo numûm ſeſtertiûm millia*; frequens nihilominus eſt, vt ſola Numi vox efferatur, reticeatur Seſtertij; veluti, cùm Vlpianus ait *numo vno* conducere; vel Plinius ſcribit Aſinium Celerem mercatum fuiſſe Mullum piſcem VIII. *millibus numûm*. Quin etiam ſolet aliquando tam numi, quàm ſeſtertij vox ſupprimi, vt cùm Iuuenalis de Criſpino ait,

—*Mullum ſex millibus emit*.

Imò & non ineleganter ſupprimitur quoque vox millia, vt cùm Horatius de Tigellio loquens,

—*decies centena dediſſes*

Huic parco, paucis contento: quinque diebus

Nil erat in loculis

vbi *decies centena* dicitur pro *decies centena ſeſtertium numûm millia*. Vides interim, reſpectando ad ordinem quartum, quo monetâ noſtrâ valor explicatur, quæ ſumma cuique numero ſeſtertiorum reſpondeat. Cùm enim Mullos v. g. emptos legitur *octo numûm millibus*; deprehendis *octo millia numûm* eſſe monetæ noſtræ libras 744. ſolid. 8. den. 10 $\frac{2}{3}$ Et cùm alium ſex millibus, eſſe hanc ſummam libr. 558 ſolid. 6. den. 8. Dicitque Plinius Venijſſe murẽ oc. numis hoc eſt 18 lb 12. ſ. 2$\frac{2}{3}$. d. Caſilinum obſidente Annibale cúmque, qui vendiderat, lib. 8. c 57.

vendiderat, fame interiiſſe, emptorem vixiſſe Annales tradunt. Nihil autem eſt neceſſe admoneam, cùm numerus non reperitur præcisè in Abaco, addendum ſolùm eſſe eius parteis, veluti cùm Martialis alium rurſus Mullum emptum dicit numis mille ducentis, nihil aliud, quàm iungendi ſunt duo numeri, quorum vnus eſt è regione 1000. ſcilicet lib.93.ſol.1.den.1 $\frac{1}{3}$. alius è regione 200. ſcil. lib.18.ſol.12.den.2 $\frac{2}{3}$. vt habeatur ſumma lib.111.ſol.13.den.4 tanti videlicet emiſſe intelligitur Piſcem Calliodorus, qui cùm eodem pretio vendidiſſet ſeruum, anſam fecit Poëtæ exclamandi,

——non eſt hoc, improbe, non eſt
Piſcis, homo eſt: hominem Calliodore voras.

Prætereundum autem non eſt appoſuiſſe me obiter, ad quatuor Seſtertios, *Decem æris*; ad 40. *Centum æris*, ad 400. *Mille æris*, &c. feci etenim, tum vt intelligatur, ſingulis quaternis ſeſtertiis, ſeu numis totidem Denarios, ſeu denos aſſeis reſpondere; tum vt innuatur, quî inſeruire poſſit idem Abacus, cùm quidpiam per Aſſeis aut Æris libras æſtimatur. Ità enim, cùm v.g. occurrit illud Perſij

Et centum Græcos curto centuſſe licetur,

intelligis hoc idem eſſe, quod quadraginta Seſtertios, quibus reſpondent monetæ noſtræ lib.3.ſol.14.den.5 $\frac{1}{3}$. Et cùm Cornelius Nepos ait, T. Pomponium Atticum (illum nempe Epicureum) cùm imprimis lautus eſſet Eques Rom. & non parùm liberaliter, in domum ſuam omnium hominum ordines inuitaret, non ampliùs tamen, quàm *terna millia æris* in ſingulos menſeis expendiſſe; intelligi poteſt hoc idem eſſe, cum mille ducentis Seſtertiis, quibus reſpondent, vt circa Calliodorum mullum collegimus, lib. 111. ſol. 13. den. 4. Quo pacto etiam intelliges quantus monetâ noſtrâ fuerit cenſus ſingularum Claſſium, cùm Liuius ait inſtituiſſe Seruium Tullum cenſum I. claſſis eſſe ſaltem *centum millia æris*; II.75000.III.50000. IV.25000.V.11000. ac pari modo cætera.

Ad SECVNDVM quod attinet, ideò vox in neutro vſurpatur genere, quod non iam amplius deſignet numum ſimplicem, ſed quidpiam quaſi compoſitum, ac veluti aceruum ex pluribus ſeſtertiis numis: adeò proinde, vt *Seſtertium* idem ſit, quod *mille nummi*, & quot numeramus Seſtertia, totidem millenos intelligamus numos. Scilicet factum id videtur; vt loquutionis compendio, ita quandoque ad varietatem; quemadmodum cùm Cicero in illa eadem Oratione, pro eadem re habet. *quinque millia Seſtertiûm, quinque millia numûm*, & *quinque Seſtertia*; aut cum Iuuenalis memorato hemiſtichio

—mullum ſex millibus emit, ſublicit,
Æquantem ſanè paribus ſeſtertia libris.

Vbi, quia pondus Mulli debuit eſſe librarum ſex, pro eodem dicuntur ſex mille numi, & ſex ſeſtertia; adeò vt pro ſingulis libris numerati fuerint numi, ſeſtertiive milleni. Obſeruandū eſt autē nō infrequēs eſſe, vt ſeſtertiorum vox ſupprimatur, intellecta videlicet ſub numerali nomine; veluti dū Horatius ait,

Si quadringentis ſex, ſeptem millia deſunt
Eſt animus tibi, &c.

Et Iuuenalis:

Bis quingenta dedit, tanti vocat ille pudicā.

Et Martialis:

Quadragintorū reddis mihi Phœbe tabellas;
Centum da potius mutua, Phœbe mihi.

Videre intereà licet, attendendo ad ſeriem, quâ valor monetâ noſtrâ exprimitur, quanti hæc, & cætera fuerint. Quippe *Quadringenta Seſtertia*, quæ fuere Equeſter cenſus reformatus (nempe priùs fuerant quingenta) deprehenduntur valuiſſe libr. 37222. ſol. 4. den.5 $\frac{1}{3}$. Et *bis quingēta*, hoc eſt *mille ſeſtertia*; lib. 93055. ſol.11. den. 1 $\frac{1}{3}$. tantidem autem mercatus eſt Antonius Ciceronis caput. Et *centum ſeſtertia* lib. 9305. ſol. 11. den. 1 $\frac{1}{3}$. Summa, ob quam iure cōqueritur Satyricus

——Simplex-ne furor, ſeſtertia centum
Perdere, & horrenti tunicam non reddere
ſeruo?

Sic autem Coruus ille ſalutator, pro quo Auguſtus numerari iuſſit *viginti ſeſtertia*, emptus cenſetur lib.1861. ſol.2. den.2 $\frac{2}{3}$. Sic impenſa cœnæ, quâ Lucullus in Apollonis aula Ciceronem. & Pompeium quaſi ex improuiſo excepit, taxata ſeſtertiis quinquaginta, conſtitit lib.4652. ſol.15. den.6 $\frac{2}{3}$ Sic *ducenta decem Seſtertia*, quæ Octauia Auguſti ſoror numerari iuſſit Virgilio pro recitatis in ſerie libri VI. Æneidos, viginti & vno illis verſibus, de præmortuo filio ipſius Marcello, quem Auguſtus ad Imperium deſtinauerat (nempe ad illum vſque verſum *Heu miſerande puer*, ad quem cùm peruentum recitando fuiſſet, defecit ipſa animo) fuère lib.19541. ſol. 13. den. 4. (numerari nempe mandauit in ſingulos verſus *dena ſeſtertia*, hoc eſt lib.930. ſol.11. den.1 $\frac{1}{3}$. Atque ita de cæteris, quæ apud Authores paſſim occurrunt.

Quod demùm attinet ad TERTIVM, ideò ad genitiuum pluralem *Seſtertiûm* maſculinè vſurpatum, adhibetur numerale aduerbium *Semel. Bis, Ter*, &c. quòd compendioſa loquutio ſit, qua *centena millia* ſubintelliguntur. Incipit autem ordo à *Centum millibus*, quia apud Antiquos, inquit Plinius, nullus numerus vltra centum millia erat. Itaque hinc habes, cur *Semel Seſtertiûm*, idem ſit, ac *ſemel centena ſeſtertiorum numorum millia*; *Bis Seſtertiûm*, quod *Bis centena*, &c. Et rarius eſt quidem vt adhibeatur aduerbium ad vſque *Decies ſeſtertium*; legimus enim v.c. Neronem aleam luſiſſe in punctum, *quadringentis Seſtertiis*, non item *quater Seſtertiûm*; verùm ab vſque Decies, frequentius eſt, vt aduerbium audiatur; ſic enim Suetonius loquens de Senatorum cenſu, quem, cùm prius foret *octingentorū ſeſtertiorum* Auguſtus ampliauit, dicit potiùs ipſum ab illo taxatum *duodecies Seſtertiûm*, quàm *mille ducentis Seſtertiis*. Eſt autem heic quoque obſeruandum ipſam Seſtertiûm vocem aliquando ſupprimi, idque ſeu cum ſuperſtite aduerbio, vox centena, centumve millia adiuncta habeatur, vt in memorato de Tigellio exemplo, & cùm Iuuenalis de Meſſalina loquens,

——ritu decies centena dabuntur
Antiquo——

& Martialis,cùm de Scæuola,

Si dederint ſuperi decies mihi millia centum,

ſeu aduerbium ſolùm remaneat; vt in illo Epigrammate quod Martialis in eundem Apicium, ac ob eandem rem, cuius deſcriptio ex Seneca, vt meæ querimoniæ, ſic tuæ petitioni, ac hiſce, quæ iam abs me dicuntur, locum fecit,

Dederas Apici ter trecenties ventri;
Sed adhuc ſupererat centies tibi laxum.
Hoc tu grauatus,ne famem,& ſitim ferres.
Summa venenum potione duxiſti.

Vbi viſum eſt, non *bis trecenties*, vti vulgò, ſed *ter trecenties*, hoc eſt *nongenties*, legere, vt Poëta magis cum Seneca conſonet, apud quem quod dicitur *millies*, intelligi compoſitum poteſt ex eo, quod fuit voratum, *nongenties*, & eo quod ſuperfuit, *centies*. Verba porrò illa Senecæ, *Es velut in vltima fame victurus, in Seſtertio centies ſi vixiſſes, veneno vitam finiis*; facit, vt obſeruem præterea genitiuum *Seſtertiûm commutari interdum in ablatiuum Seſtertio*; quippe & idem non multò pòſt; *Beatiores-ne iſtos putas, quorum pantomima decies ſeſtertio nubunt, quam Scipionem, cuius liberi à Senatu tutore ſuo in dotem æs graue acceperunt*: & Plinius dicit *ſeſtertio tricies*, Tacitus, *ſeſtertio quadragies*, Valerius Max. *ſeſtertio ſexagies*, &c. Vt præteream interdum quoque in genitiuum ſingularem mutari; quemadmodum apud eundem Tacitum, *ſeſtertij centies, ſeſtertij ter-millies*; imò & apud Ciceronem *ſeſtertij centies*, &c. Vtcumque ſit, videre demum in ſerie expreſſi monetâ noſtrâ valoris licet, quanti iſta ſint, aliáque habenda. Nam vt præcipua quædam attingam, illud quidem *decies Seſtertiûm*, circa bis quingenta, aut mille ſeſtertia, taxatum iam fuit lib.93055.ſ.11.den.1$\frac{1}{4}$.Illud autem *duodecies*, qui cenſus Senatorius fuit, deprehenditur lib. 111666. ſ.13. den. 4. Illud *Quater decies*, quod ex teſtamentis amicorum, intra annos viginti Auguſtus accepit, lib.130277.ſol.15. den. 6$\frac{2}{3}$. Illud *Vicies*, quo à Patre accepto, geſſit ſe Atticus non parum ſplendidè; cùm ad vſque centies deinceps adauctus non ideò affluentiùs, quàm inſtituiſſet, vixerit, ſed pari faſtigio ſteterit in vtraque fortuna; lib. 186111.ſ.2.d.2$\frac{2}{3}$. illud *Quadragies*, quò cladem Lugdunenſem Nero ſolatus eſt; quanti aliunde vel vnius cœnæ Mellita illi conſtiterunt (non tanti certè mellitæ placentæ, quarum heluonem Nicetas Choniates Epicurum facit) lib.372222.ſ.4. den.5$\frac{1}{3}$. Illud *Sexagies*, quo væniit vnio Seruiliæ à Cæſare datus, lib. 558333.ſ.6.den.8.Illud *Octogies*, quod Claudius, vbi primùm eſt ſummum Pontificatum adeptus, impendit, lib.744444.ſ.8. den.10$\frac{2}{3}$. Illud *Centies*, quo valuit vnio, cuius detriti hauſtu Cleopatra Antonio ſumptuoſiùs cœnauit; quod in vnam Cœnam Caligula prodegit; quod Maſſilienſis Medicus Crinas patriæ muris reliquit, &c. lib. 930555. ſ. 11. den. 1$\frac{1}{3}$. Illud *Ducenties*, quod Æſopus Comœdus ex arte quæſitum reliquit filio, lib. 1861111.ſ.2.den.$\frac{2}{3}$. Illud *Quadringenties*, quo furta Verris æſtimata, & quo penè æſtimari potuerunt furta Lollij (cùm illius neptis ſpectata ad lucernas quadringenties operta fuerit) lib. 3722222 ſ.4.den.5$\frac{1}{3}$. Illud *Septingẽties*, quo habitum eſt æs alienum à Milone contractum, lib.6513888.ſ.17.den.9$\frac{1}{3}$. Illud *Nongenties* quod Apicius nepotum omnium altiſſimus gurges, ex Martiali decoxit (nam quid ſit quidem *Millies*, ex Seneca, dictum iam eſt) lib. 8375000. Illud *Bis millies*, quo diuitiæ M. Craſſi ſunt habitæ, lib.18611111. ſ. 2. den. 2$\frac{2}{3}$. Illud *Bis millies quinquies*, quo contractum à Cæſare adhuc priuato alienum æs, lib. 23263888. ſ. 17. den. 9$\frac{1}{3}$. Illud *Ter millies*; quo opes Senecæ itémque Pallantis, aliorúmque libertorum Claudij Cæſaris lib. 27916666.ſ.13.d.4. Illud *Quater millies*, quo opes Lentuli Auguris in Animaduerſionibus etiam memoratæ, lib.37222222.ſ.4.d.5$\frac{1}{3}$. Illud *Vicies bis millies* quod Nero donationibus effudit, lib.204722222.ſ.4.den.5$\frac{1}{3}$. Illud *Vicies ſepties millies*, quod à Tiberio Cæſare tanto, ac tam diuturno ſtudio collectum, Caligula eius ſucceſſor, non toto anno vertente abſumpſit, lib.251250000.ſol.1. Illud *Quadragies millies*, quo videtur Veſpaſianus dixiſſe opus eſſe, vt Reſpublica ſtare poſſet, lib. 372222222. ſ.4. d. 5$\frac{1}{3}$. Dico, videtur; nam cùm alioquin legi vulgo ſoleat quadringenties millies, forent, hoc caſu, 3722222222. ſ. 4. den. 5$\frac{1}{3}$. Verùm iſta, quæ in exemplum ſolùm adfero, ſunt plus æquo.

Non addo, quàm tibi ſit promptum, ſi lubuerit quidem, Abacum producere; nam quòd ego quidem in *Millies millies* conſtiterim, cauſa fuit, quod percurrenti Authores nullus numerus iſto maior, aut qui propè ad ipſum accederet, occurrerit. Non addo etiam, quàm poſſet cuipiam videri deridiculum minutias illas ſolidorum, denariorúmque conſectari, ac in numeris potiſſimùm magnis in quibus libræ non ſingulæ modò, verùm etiam denæ, centenæque poſſunt negligi: ſed nempe aliud eſt rem velle ad vnguem, ſcrupuloséque cognoſcere, quod requiri ex Abaco poteſt, vt chartæ proinde parcendum non ſit; aliud velle rem, oratorio more, exprimere ſolùm prope verum; quo caſu ſupprimi minutiæ, non modò non inelganter, ſed etiã citra omne, quod momenti cuiuſpiam ſit veritatis præiudicium poſſunt. Ego certè ne in iis quidem, quæ attigi, exemplis, ad illas vſque excutiiſſem; niſi quia fuere ſolùm allata ad indicandum Abaci vſum, & res viſa eſt, vt in Abaco deprehenderetur, eſſe exprimenda. Hiſce ergo dimiſſis, illud potiùs addo, poſſe ex iis, quæ ſunt deducta intelligi primò, euiuſmodi apud Romanos fuerit Aurei vocati valor. Cùm enim cœpto percuti Aureo numo annis duobus, & ſexaginta, poſtquàm argenteus ſignatus eſt (ſignatum autem eſt argentũ anno Vrbis quingẽteſimo octogeſimo quinto, Q. Fabio Conſule) ſignarentur primùm ex vna auri libra triginta octo, aut triginta nouem, ac poſteà quadraginta, & quadraginta quinque, diu deinceps perſeuerauit mos, vt ſignarentur quadraginta octo (qui & primùm dici Solidi, quaſi integri, cœperunt, cùm ſub

Alexandro

Alexandro Seuero percuſſi ſunt, quaſi Semiſſes ſunt, Tremiſſéſque appellitari:) Fuere itaque Aurei ſinguli duarum dragmarum pondere; vt pote cùm libra vnciarum duodenûm ex nonaginta ſex drachmis conſtet. Et quia ex Plinio colligimus fuiſſe proportionem auri ad argentum, vt quindecim ad vnum (videlicet cùm ille dicat auri Scrupulum, h.e. partem vnciæ vigeſimam quartam, valuiſſe vicenis ſeſtertiis, & viceni ſeſtertij ſeu quinque denarij pendant ſcrupulos quindecim) ac aliunde eſt iam quoque apud nos eadé proportio quam proximè (quippe cùm, Solato ponderis granorum 63. elocato ſolidis 104. colligamus vnciá auri valere ſolidis 951. & vncia argenti, vt iam antè dixi, valeat ſolidis 64.) Quia id, inquam ita ſe habet; ſequitur, vt quemadmodum drachma argẽti valet apud nos octo ſolidis, & drachma auri 518 $\frac{2}{3}$. ſeu proximè 119. ita drachmá argenti ponderis Romani (hoc eſt, denario) valente ſolidis. 7. den. 5 $\frac{1}{3}$. drachma auri Romaná valeat ſolid. 110. den. 3. Ex quo efficitur, vt Aureus duabus drachmis pendens, valeat ſolidis 220. ſeu libris Turonicis XI. cum ſex Turonicis denariis. Quare & hac ratione; cùm videmus Strabonem, v. g. commendare frugalitatem, & moderationem Maſſilienſium, quòd apud illos dos maxima non excederet aureos centum, inrelligere poſſumus, quia tunc Maſſilia Romanis parebat, vtebaturque adeò numis illorum aureis, fuiſſe eam dotem noſtratium, ſeu Turonicarum librarum mille centum quinque, ac ſemiſſis.

Secundò intelligi quoque qui referri valeat antiqua Græcorum moneta ad noſtram; quatenus apud illos Drachma (argenteus numus ſcilicet) eiuſdem ponderis, ac valoris cum Romano Denario, ex Plinio, Plutarcho, & aliis fuit. Siquidem nihil eſt facilius, quàm colligere, cùm Drachma perinde, ac Denarius, valeat 7. ſolidis 3 $\frac{1}{3}$. denariis & apud Lucianum in Eunucho ſtipendium ab Imperatore ſingulis Sectatum, vt puta Stoicorum, Platonicorum, Epicureorum, Peripateticorum Profeſſoribus repetitur fuiſſe *μναῖ* ſupple, opinor *δραχμαὶ*, quæ cùm idem ſint cum decem denariûm millibus, valent igitur lib. 3722. ſol. 4. den. 5 $\frac{1}{3}$. idcircò Minam Atticam ab vſque Solone, 100. drachmis conſtantem (cùm priùs conſtaret 75.) valere lib. 37. ſol. 4. den 5 $\frac{1}{3}$. Atque adeò Atticum, communeve Talentum 60. Minis conſtans (quicquid ſit de alio maiori, quod 80. & de maximo, quod 100. cõſtiterit) valere lib. 2233. ſol. 6. den. 8. Vnde & fit. vt cùm legimus Epicurum, v. c. coëmiſſe Hortum Minis 80. dicere poſſimus pretium eius fuiſſe lib. 2858. ſol. 13 $\frac{1}{3}$. Nam & licet in Apologia eaſdem Minas taxauerim dumtaxat Solaris 550. cùm taxare debuiſſem 571. vel 572. vltra ſolidos 67 $\frac{1}{3}$. error tamen fuit, vt opinor, quòd mente non ſatis attentâ, drachmas in Minam 96. tanquam in Romanam libram computarim. Sic tria Talenta, quibus Ariſtoteles pauculos Speuſippi libros comparauit, fuère lib 6700. Sic Talenta 20. quibus Iſocrates vendidiſſe vnam Orationem dicitur; & quibus totidem à Demoſthene empta fuiſſe legitur vnius diei reticentia (tunc nempe, cùm ſimulatá ſynanche, pari illô potius Argyranchen obiectum eſt) fuere lib. 44667. Sic 100. Talenta, quæ Theombrotus Medicus ob Antiochum Regem curatũ accepit, fuère lib. 223750. Sic Talenta 800. quæ ad conſcriptionem hiſtoriæ Animalium Alexander dedit Ariſtoteli fuere lib. 1790000. Sic decem Talentûm millia, quibus Alexander Hephæſtionem funeraſſe legitur, aut quibus Gabinius, ob reductionem Ptolemæi in Ægyptũ, damnatus eſt, fuere lib. 22375000000. Sic Gaza Darij, quem Alexander debellauit, Talentorum 180000. fuit lib. 402750000000. Atque ita de cæteris. Prætereo autem poſſe exinde quoque quid auri Talentum apud Græcos eſſet intelligi: Quia enim auri drachma fuit 110. ſol. 3. den. atque adeò Attica auri Mina fuit 551. lib. 5. ſ. ſequitur Atticum auri Talentum fuiſſe lib. 33075. Sicque, cùm Appelles, v. c. dicitur auri talentis 20. pinxiſſe Alexandrum; fuiſſe lib. 661500. Quo verò minùs de hac moneta Græca cum Romana, & vtriuſque cum noſtra, comparatione dubites, ecce; cùm Agellius, v. c. quos Speuſippi libros emptos ab Ariſtotele diximus, ſeptuaginta duobus numûm millibus æſtimet; vti ex numero Talentorum habemus lib. 6700. ita ex Numorum numero habemus 6697. diſcrimine admodum leui. Et cùm apud Ciceronem dicitur Curio pro Antonio interceſſiſſe ſexagies Seſtertium, Plutarchus verò ait interceſſionem hanc Talentis ducentis quinquaginta fuiſſe; habemus ex Seſtertiis quidem lib. 558333. ex Talentis verò lib 558336. diſcrimine quoque valdè contemnendo.

Tertiò intelligi prætereà, quî referri Hebraïca valeat; quatenus ex Ioſepho, D. Hieronymo, & aliis, Siclus, ſiue Numus Argenteus. qui fuit Hebræis maximè in vſu, Tetradrachmalis extitit, ſiue æqualis pondere cum quatuor Romanis Denariis, ac proinde æquiualens ſolidis 29. & denariis 9 $\frac{1}{3}$. Ex hoc enim eſt, cur iam aliàs deduxerim 30. Argenteos, quibus à Iuda proditore diuenditus Seruator eſt, fuiſſe lib. 44. ſ. 13. den. 4. Quia verò ex textu Ezechielis intelligimus Hebraicam Minam conſtitiſſe 60. Siclis, h. e. drachmis 240: ideò valuiſſe Mina debet lib. 89. ſ. 6. Qua ratione illæ ex. gr. quinquies mille Minæ, quas ad inſtaurationem Templi contuliſſe Primates apud Eſdram legimus, valuerunt lib. 446500. Et quia ex libro Exodi colligere licet continere Talentum ter mille Siclos, hoc eſt, duodecies mille drachmas, intelligimus Hebraicum Talentum, quod hac ratione, fuit Attici duplum, valuiſſeque idcircò 120. Minas Atticas, fuiſſe lib. 4466. ſ. 13. den. 4. Quo modo illa v. c. millies mille Talenta argenti, quæ Dauid moriens teſtatus eſt ſe relinquere in ſtructuram Templi, fuère vltra lib. 4466000000. Et quæ reliquit centum millia auri, fuère ex proportione, quæ memorata iam eſt, vltra lib. 6699000000. Taceo autem huiuſmodi

tetradrachmaleis Sielos (qui & Statetes) fuiſſe appellatos Sactos , ſeu Sanctuarij; ſiqoidem fuere etiam alij dicti Regij, ſiue communes (tanquam attinentes ad rerum prophanarum commercium) qui fueriot ſolùm didrachmales , vt poteſt vel ex ſolo Cenſus uumiſmate intelligi. Quo pacto illi Octoginta Sieli , quibus in Samariæ fame Aſini caput vænüt , ſi ſacti quidem exſtitiſſent , valoiſſent lib. 119. cùm exſiſtentes alioquio Regij,valuerint dumtaxat lib. $59\frac{1}{2}$. Taceo quoque , quia Denarius diurnus , & qui fuit Christo Domino oblatus cum imagioe Cæſaris , Romanus ipſe Denarius fuit; ideiteo *ἀσσάριον*,ſioe Aſſem,quo duo paſſeres væniiſſe leguntur, valuiſſe denariolis Toronicis quam proximè 9.deficiente nempe voa ſolùm decimaqointa denarioli parte. Et quoniam legimus duo Miouta quæ paupercula vidua intulit in Gazophylacium , eandem rem fuiſſe eum Quadrante ; ideò videri Minota hæc fuiſſe oon Denarij, ſed potiùs Aſſis parteis ac duo proinde illa Minuta,ſeu duos octantes, Quadrantemve voum valuiſſe denariolis duobos , cum parte vnios proximè quarta ; & vnum Mioutum voum denariolum, cum parte vnius proximè nona. Quòd verò partes illæ Aſſis,noo verò Denarij fuerint , tum probari ex eo poteſt, quòd Denarius io deoas parteis , noo in octauas fuerit diuiſus ; tum confirmari poteſt ex eo , quod Martialis habet , de Sportula cùm loquitur:

Centum miſelli iam valete Quadrantes,
Anteambulonis congiarium laſſi.

Miſellos nimirum eos Quadranteis dicit, quòd forent dumtaxat 25. Aſſes , ſeſtertiive decem,hoc eſt ſolidi oon omnino 19. Certè enim ſi fuiſſent 25.Denarij, ſeo ſeſtertij 100. tunc fuiſſent ſolidi 186. hoc eſt , vltra libras Turonicas oouem ; ac ideò noo miſellum, ſed beatulom qoid.

Quartò denique poſſe etiam quadamtenus intelligi, qui valeant Monetæ priſcarum aliarum nationum referri ; quatenus , cùm legimus , v.c. Taleotom Babylonicum continoiſſe Minas 70. vel drachmas 7000. Æginеum Minas 100. vel drachmas 10000. & Syrum cõtinuiſſe ſolùm Minas 15.vel drachmas 1500. &c. intelligimos ex Polluce huiuſcemodi ſeu Minas , ſeu drachmas iotelligendas Atticas eſſe ; & hoc exceſſu;defectuve ad Talentum Atticum comparato , indicari ſolùm proportionem , quâ Minæ , aut Drachmæ vernaculæ aut Atticas excederent , aot ab ipſis deficerent ; qoippe cùm aliæ quoque natiooes haberent haud ſecùs Talentum Minarum 60. & Minam drachmarum 100. oeqoe eſſe adeò ſecus rem accipiendam, cùm legimus ante Solonem fuiſſe vt Minam drachmarum 75. ita ipſum Taleotum minarum 45. Dicerem ſpeciatim quid ſit coniiciendum de Mina Alexandrina, ex eo quòd cùm Plato dicitur apud Laërtiom emiſſe Philolai librum è quo Timæus deſcriptus ſit, Alexandrinis Minis 40. Agellius ſcribat librum emptum decem Denariûm millibus , quæ forent Minæ Atticæ centum (ex Abaco , libræ Turonicæ 3722.) Dicerem & alia ; ſed quàm longè abſum vt inoomera , quæ de hoc argumento paſſim apud Auctores legontur , reducere nunc valeam ad Monetam noſtram tum ob otiom, tum ob valetudinem parum firmam , quare hæc expoſuiſſe ſatis.

ROMANVM
CALENDARIVM
COMPENDIOSE
EXPOSITVM,
CVI ACCESSIT
COROLLARIVM
DE ROMANO
MARTYROLOGIO.

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO PRÆSVLI
CLAVDIO AVVRY,
CONSTANTIENSI EPISCOPO,
SANCTÆ PARISIENSIS CAPELLÆ
THESAVRARIO,

NEC-NON

EMINENTISSIMI CARDINALIS
ANTONII BARBERINI,
MAGNI FRANCIÆ ELEEMOSYNARII
GENERALI VICES-GERENTI,

PETRVS GASSENDVS Bene agere.

ILLVSTRISSIME PRÆSVL,

Quòd ego Te in fronte Libri huius affari, ac ipſum,qualiſcumque eſt,Tibi dicare aggrediar, minùs, opinor, mirabere, cùm id fieri abs me agnoſces, quia & officium exigit, & obſeruantia poſtulat, quam facere Tibi teſtatam me decet. Id rei quid ſit, patere, obſecro, vt complectar paucis.

Voluerat ille eximiè bonus, fœliciſque memoriæ, Ludouicus Alphonſus Pleſſæus Richelius, Cardinalis Lugdunenſis, vt renutans licet, accenſeret tamen Regiis Profeſſoribus, quos, quà erat Magnus Franciæ Eleemoſynarius, in ſuam receperat curam. Excuſabam ipſe, & cauſabar tum valetudinem infirmam, tum longiuſculam mihi moram trahendam in Prouincia, cuius occaſione defungi aut omninò, aut continenter munere Lectoris non poſſem. Ille verò inſtitit conſtanter, ac excepit ſe velle me habere præter ordinem; teſtatus ſibi eſſe abundè, quòd me eum noſſet, qui non poſſem otioſè vitam traducere, quique, ſi voce minùs valerem, at ſcripto ſaltem diſcentibus prævirem.

Cùm ipſe verò ſubinde me ad prælegendum comparaſſem, occœpi breui eam labem in pulmone contrahere, quæ, aliquot demum annorum progreſſu, viſa eſt Medicis inſanabilis euaſiſſe. Euenit tamen, Deo propitio, vt patrio aëre repetito, adhibitóque victus regimine, non illam quidem

prorſùs

prorſùs eluerim, at minuerim tamen non parùm. Heinc viſus mihi non prorſùs malè ſtatui priſtinu reſtitutus, redij in Vrbem, dum intereà fatis functo τῷ μακαρίτῃ ſucceſſit Magnus Eleemoſynarius Cardinalis Eminentiſſimus Antonius Barberinus; Túque ipſe delectus es, qui illius Romæ abfuturi gereres vices.

Ipſe, aëre rursùs commutato, id, cætera inter, incommodum ſenſi, ac etiam num experior, vt vel minima vocis contentione, in colloquiis etiam maximè familiaribus, ea tuſſis mihi concitetur, qua exaſperatus pulmo vix per multos dies, menſeiſque leniatur. Heinc cogitantem prælectiones repetere Medici auerterunt, illáque imprimis duo, vt Facultaris, ſic Collegij lumina, Decanus celeberrimus Ioannes Riolanus Tibi apprimè notus, & Collega eximius Renatus Moreus, quo etiam præeunte, ſalutare Te, bona ſorte, mihi obtigit. Quamobrem expectans dum meliùs haberem, ne omni ex parte deeſſem muneri, ſed quantum per vireis liceret, quantúmque optârat ὁ μακαρίτης, officio ſatisfacerem, recepi quidpiam congruum Profeſſioni elucubrandum. Talis fuit Vita, doctrináque celebriorum per nuperos ducentos annos Aſtronomorum, quæ nunc primùm in lucem prodit.

Et quoniam ſimul cogitaui, Tibi, qui erga nos obis vices Magni Eleemoſynarij, rationem eſſe aliquam occupationum mearum reddendam, occurrit ecce argumentum, quod pertractatum ſimul offerrem; tale ſcilicet, vt, cùm non alienam ab Aſtronomo manum poſtulet, ſit etiam conſentaneum Eccleſiaſticæ tuæ Dignitati. Ipſum quippe non aliud eſt, quàm quæ hoc Opuſculo continetur Romani Calendarij Compendioſa Expoſitio, quam vt ſuſciperem, non paucorum ſanè adhortatio, ac inſtantia fecit.

Id verò dico maximè, ob illum Epactarum Cyclum, qui Columnam, Seriem-ve primam in Calendario obtinet, quíque in vicem Aurei Numeri vt ſubſtitueretur, fuit Romæ totis decem annis Gregorio XIII. Pontifice Maximo, à ſelectis, eximiiſque Mathematicis laboratum. Scilicet ex Cyclo hoc pendet notitia eius temporis, quo ſanctum Paſcha eſt celebrandum: quatenus vt cætera omnia per ſingulos menſeis habentur Nouilunia, ſic ſpeciatim illud, quod inter diem Martij octauum, & Aprilis quintum incidens, ipſum eſt, à quo, exactis diebus quatuordecim, Dominica inſequitur Paſchalis.

Dici autem profectò non poteſt, quàm multi rogitârint me, cur Epactæ triginta ſint, cùm Aurei tamen Numeri pluſquàm nouemdecim non forent? Cur adhuc Aurei Numeri cum Epactis in Tabulis Feſtorum Mobilium habeantur? Cur ipſa Epactarum deductio retrogrado ordine fiat? Cur loco Epactæ xxx. talis Aſteriſcus * ſcribatur? Cur in alternis menſibus conſcribantur ad certum diem Epactæ xxv. & xxiv. Cur in iiſdem Epactæ xxvj. adſcribatur alio colore, aliove charactere Epacta 25. Cur in aliis hæc eadem ipſi Epactæ xxv. Cur ad diem vltimum Decembris ad latus Epactæ xx. apponatur alio colore, alio-ve charactere Epacta 19. Quæ item ſit tam perpetuarum, quàm temporariarum Tabularum conſtruendarum ratio? Quî ex hiſce rebus dependeat tum conſtructio, tum declaratio Tabellæ illius Literarum, Cyphrarúmque Martyrologij, quæ ad pronunciandum diebus ſingulis Lunæ ætatem præfigitur? aliáque id genus non pauca.

Cùm plurimi ergo & pridem, & nuper me hiſce de rebus variè rogarent, ac, vt ea etiam, quæ à me idcircò ediſſererentur, tractatulo quodam complecti vellem expeterent, animum ad id appellendum cenſui: Atque ita quidem, vt cæteris quoque ſatisfacerem, qui alia prætereà de Calendario inquirebant, vt, quorſum, qua-ve ratione fuerint Anni dies in duodecim Menſeis inæqualiter diſtributi? Quamobrem non ſit vniformis Nonarum, ac Iduum per omneis menſeis conſtitutio? Vnde facta pridem Numæ, Cæſariſque reformandi eiuſdem Calendarij occaſio? Vnde Eccleſiæ Patribus inducendi in ipſum à tempore vſque Nicæni Concilij Aureum Numerum? & quæ ſunt ſimilia complura. Siquidem hæc mihi fuit cauſa, vt rem altiùs repeterem, quò nempe innoteſceret, à quibus initiis, & per quæ incrementa, ad ipſam vſque Gregorianam reformationem peruentum foret.

Quòd

Quòd doctiſſimus porrò, ac iſtarum rerum callentiſſimus è Societate IESV vir Chriſtophorus Clauius, qui eruditi illius Mathematici cœtus ſub Gregorio XIII. pars non poſtrema fuerat, non modò inſigne poſteà opus de reformato Calendario, hortatu, ac iuſſu Clementis VIII. compoſuerit, ſed Apologiam etiam pro Reformatione aduerſus obiecta à Mæſtlino, Vieta, Scaligero, Georgio Germano, conſcripſerit; nihil profectò fuit mihi neceſſe, Apologiam texere vllam; ac potiſſimùm non diſputatorem, ſed expoſitorem agenti. Quare & vnum ſolùm heic loci adnoto; quia poſt illos Reprehenſores, exortus eſt Sethos Caluiſius, qui Elenchum, reprehenſionem-ve in Calendarium Gregorianum copioſam inſtituerit, nixúſque paſſim, maximéque eo fundamento fuerit, quòd Tycho Braheus eiuſmodi circa cæleſteis motus obſeruationes peregerit, ex quibus Calendarium reformari exquiſitiùs poſſit; adnoto, inquam, ſufficere, ſi attendamus quæ fuerit hac de re Tychonis ipſius ſententia.

Ille ergo in Præfatione ad Rudolphum Imperatorem, *De Reſtitutione Stellarum Inerrantium*, quam ipſius Vitæ attexui, verba hæc interſeruit, *In vanum itaque laborant, qui ex Copernicæis, & Prutenicis numeris Anni reſtitutionem eruere laborant; fruſtráque neotericam illam Gregorianam Reformationem inde oppugnant; cùm hæc longè propiùs cæleſti normæ accedat, nec ſumma in his præciſio (præſertim inconſulto ipſo Cælo) facilè datur, aut etiam admodùm neceſſaria eſt. Sed hæc fortè nunc citra rem, niſi quatenus iuxta Copernicum Fixarum motiones Solis reuolutionibus quodammodo ſunt analogæ. Alibi dabitur, fauente Numine, commodior occaſio hac de re differendi, & anni metas accuratiùs examinandi, Gregorianámque nouiter introductam, & latè ſtabilitum rationem (cùm non adeò, vti à quibuſdam, qui affectibus nimiùm indulgere videntur, inſimulatur, deuia ſit) confirmandi: quemadmodum & hoc ex primo capite noſtrorum Progymnaſmatum, & motu Solis iſtic accuratè ex obſeruationibus reſtituto colligi poterit: vbi quoque ea, quæ de Affixis Sideribus iam præmonuimus, ex ſecundo eius capite vberiùs, & particulariùs, vnà cum pleriſque alijs huc facientibus conſtabunt.* Quem quidem locum integrum eo fine heic refero, vt, quia bene multi, ſimiles Caluiſio, vereri videntur, ne ob cæleſteis motus non ſatis exactè Reformationis tempore notos, & factos, deinde ex Tychonis obſeruationibus perſpectiores, ſit futurum, vt breui alia Reformatione opus ſit; ij valeant intelligere, ipſummet Tychonem præclariùs ſenſiſſe, quàm vt tale quid eſſe ominandum videatur.

Hactenus, ILLVSTRISSIME PRÆSVL, occaſionem ediſſero, ob quam & hunc Librum conſcripſi, & Tibi ipſum nuncupare mei eſſe officij, meæque obſeruantiæ duxi. Nempe, vt is eſſe argumentum poteſt meæ qualiſcumque in eo munere, quod, Te Auſpice, gero, diligentiæ; ſic voueo, vt ſit quaſi ſymbolum venerationis, ac reuerentiæ, qua, vt Te proſequar, par eſt. Id ſcilicet depoſcunt quidem tùm illa tua merita, quibus Chriſtianiſſimo Regi, ſummóque ipſius Miniſtro perſpectis, illuſtrem hunc gradum conſequutus es, quem in Dei Eccleſia, intérque ipſius Principes tenes: tùm virtutes illæ eximiæ, quas non nemo in Te agnoſcit, & laudat: animi æquitas, moderatio, gratitudo, conſtantia, fides; tùm indoles illa officioſa, ſingulariſque comitas, quâ omneis demereris, deuincis, omnium beneuolentiam, amorémque concilias; verùm cauſa quoque mihi eſt ſpecialis, quòd me adeò humaniter, beneuoléque exceperis, quódque obſtringere me pergas, dum occaſionem nullam prætermittis, quin in meos incidens amicos, vltrò de me roges, eáque verba facias, quæ licet non promerear, ingratus ſim tamen, niſi gratiam teſter.

Eſt verò & communis mihi, Collegiſque meis Regiis Profeſſoribus cauſa, quòd rem geramus tuis auſpiciis, quódque Tu tam prona támque effuſa erga nos voluntate ſis animatus, vt non honorem Tibi habere, cum ſenſu gratitudinis; non hunc tuum erga nos affectum & ſuſpicere, & commendare non poſſimus. Noſtra certè intererat, bonáque ſors noſtra fe-

rebat, vt Tu exorereris, qui triſteis Camœnas hac tempeſtate reſpiceres, & pro ea, qua apud Eminentiſſimum, eundémque Miniſtrum prouidentiſſimum Cardinalem Mazarinum polles gratiâ, nobis aditum ad illum parares. Non reticebimus verò vnquam, vt benignitatem inſignem, quâ ille nos admittere, audire, affarique dignatus eſt, ſic beneficentiam. qua nos cumulauit, cùm, pro eo, quo in literas, literatóſque amore eſt, & voluit, & iuſſit, vt cæteri Ordines licet, per difficilia hæc tempora, detrimenti quidpiam patiantur, nobis tamen res integra conſtaret. Id quippe ſic accepimus. vt, quaſi nos Artium bonarum, ingenuarúmque Myſtas haberet, Patriarcham Ioſephum fuerit imitatus, cùm cæterorum Ægyptiorum bona Regi oppignerans, exceptos tamen voluit, iuſsítque Sacerdotum fundos. Teſtabimur quin-etiam ſpem, quam ſe concepiſſe disertè expreſſit, fore breui, vt, Pace parta, Rex optimus ſæculi Auguſti fœlicitatem reſtituat, & bonæ literæ, vt præcipua pacis ornamenta efflorescant.

Supereſt, vt Tu, Illvstrissime, ac Reverendissime Præsvl, boni conſulere hanc meam interpellationem digneris, & gratè (vt ſupplex Te quæſo) accipiens hoc Nomini tuo conſecratum Opuſculum, habere id velis in animi mei ad Te venerandum, Tibíque obſequendum propenſiſſimi ſignificationem. VALE. Pariſiis. Idibus Iunij M. DC. LIV.

ROMA

ROMANVM CALENDARIVM COMPENDIOSE' EXPOSITVM.

CAPVT PROOEMIALE.

Quid Calendarium ſit, & de quo hîc ſermo.

CALENDARIVM Latina eſt vox, deducta nempe à Calendis, quo nomine Latini diem cuiuſque menſis primum donant. Eſt autem Calendarium nihil aliud, quàm *Menſium, Dierumque, ex quibus Annus conſtat; ac vnà Feſtorum, & ſi quæ ſunt alia Dierum adiuncta, coordinatio.*

ANNI porrò nomine nemo non intelligit id tempus, quo Sol acceſſu, & receſſu ſuo totam tempeſtatum, hoc eſt, hyemis, veris, æſtatis, autumni varietatem facit. Is diſtingui in Naturalem, ſeu Vertentem, ac Ciuilem ſolet. Naturalis, ſeu Vertens eſt, quo Sol ab vno Cæli puncto digreſſus, ad illud, peracta circuitione, reuertitur; complectitúrque adeò dies trecentos ſexaginta quinque, & horas ferè ſex. Ciuilis eſt, quem Ciuitates, ſeu Reſpublicæ, Nationeſque pro ſuo quæque inſtituto definiunt.

Quippe omnes quidem ad Solis circuitum præter-propter reſpiciunt; at pleræque tamen ipſum Lunæ curſui ſic attemperant, vt Lunationes nunc duodecim, nunc tredecim illi attribuant; vnde & Lunaris Annus appellatur. Ex aliis, quæ Annum parè Solarem habent, quædam habent ipſum conſtanter dierum 365. quædam vnum diem, ob illas ſex horas, quarto quoque anno interiiciunt. Rurſus, aliæ ab hyeme, aliæ à vere, aliæ ab alia tempeſtate, alioque tempeſtatis die; aliæ à Caniculæ exortu; aliæ à creatione Magiſtratuum, aliæ aliàs Annum incipiunt. Ad hæc, ſunt, quæ Annum partiuntur in menſeis æqualeis; ſunt quæ in inæqualeis; quos etiam aliunde non vna, parique ratione diſtribuunt; atque ita de cæteris.

MENSIS autem nomine nemo non ferè intelligit partem anni duodecimam, ſeu dies præter-propter triginta; quantum circiter Luna inſumit, vt circuitionem vnam perficiens, totam ſuarum phaſeon varietatem exhibeat. Diſtinguitur verò etiam Menſis in Naturalem, & Ciuilem. Naturalis eſt tempus, quo Luna à Sole digreſſa, circuitu peracto, ipſum repetit, éſtque dierum viginti nouem, ac ſemiſſis, tantillumve amplius. Ciuilis, quem etiam Ciuitates, gentéſve, pro ſuo quæque inſtituto, præſcribunt.

Siquidem, quæ Anno Lunari vtuntur, Menſeis ferè habent alternis, viginti nouem, ac triginta dierum (ſic nempe ſemiſſem illum compenſantes) & quibus Annus Solaris eſt, aliæ omneis Menſeis dierum triginta conſtanter habent (diebus quinque ad anni finem extra ordinem additis) aliæ quoſdam dierum triginta, quoſdam plurium, quoſdam pauciorum. Præterea, quædam Menſem, ab ipſa Lunæ cum Sole coniunctione; quædam à prima, veſpertináque eius apparitione inchoant; quædam dies ſtatos pro initiis habent. Inſuper, nonnulli dies Menſis in treis Decades diuidunt; quibuſdam Enneades, aut Hebdomades magis placent: aliis diſtributio in parteis inæqualeis magis arridet.

DIEI denique nomine intelligitur quidem vulgò id tempus, quod à Sole oriente ad occidentem vſque decurrit, ac oppoſitam Noctem habet; verùm ſolet quoque Diei nomine totum id tēpus intelligi, quod vno Solis ſupra, ac infra Terram circumductu præterfluit, complectitúrque diem priore modo dictum, ac noctem, hoc eſt vniuersè Horas viginti quatuor. Solet autem demum Dies quoque in Naturalem, & Ciuilem diſtingui. Et Naturalis quidem eſt, qui vtroque illo modo dicitur, quatenus à motu, circuitúve Solis ſimpliciter pendet: Ciuilis autem poſteriore præſertim modo accipitur, quatenus Ciuitates, ſeu gentes pro ſuo quæque inſtituto, ipſum variè quoad initium, partitionémque determinant.

Etenim aliæ Diei principium ab exortu Solis deſumunt; aliæ ab occaſu; aliæ à Meridie; aliæ à media nocte. Et, cùm pridem Diei diſtributio in viginti quatuor Horas familiaris ſit; aliæ tamen ipſas toto anno æqualeis ſortiuntur; aliæ eas, quæ ſunt diuerſorum dierum; & quæ ſunt diurnæ, nocturnis inæqualeis habent. Videlicet totum Solis circumactum in Diem priore modo ſumptum, & Noctem partientes, Diem ſiue longum, ſiue breuem, & quamlibet Noctem

conſimiliter, in duodecim parteis æqualeis, quas Horas vocant, diuidunt; vt proinde in tanta Dierum, Noctiúmque inæqualitate, neceſſe ſit Horas non modò diurnas cum nocturnis comparatas, ſed etiam diurnas æſtiuas cum diurnis hyemalibus, & nocturnas ſimiliter, inæqualeis inter ſe eſſe.

Dixi verò eſſe quoque Calendarium coordinationem non modò Feſtorum, ſed aliorum etiam ſimilium, quæ dici dictum Adiuncta poſſunt; quoniam pleraque alia ſunt, quæ Calendariis plerique adſcribunt. Quippe, præter inſcripta noſtro Eccleſiaſticove Calendario Feſta, addi interdum videas, Comitia, Ludos, Nundinas, & Faſtos, ac Nefaſtos dies: interdum Euenta quæpiam illuſtriora, vt Prælia, Triumphos, Inaugurationes, Sponſalia, Natalitia, Funera, Incendia, Eluuiones, &c. interdum Solis, Lunæque ingreſſus in Signa Zodiaci, Tempeſtatúmque adeò initia: Ortus, Occaſúſque Stellarum Fixarum; Adſpectus Luminarium, Stellarúmque Errantium; prætereáque Æſtus, Algores, Pluuias, Fulgura, Ventos, alia, quæ Aſtrologi hariolantur. Ad-hæc, Rationes dati, & expenſi; crediti, & ſoluti; vnde & ſpeciale fuit Fœneratoribus Calendarium, Ephemeris quoque, ſeu Diarium vocatum.

Hiſce præmiſſis; cùm Calendarium ciuilis quæpiam ſit inſtitutio, ac adeò conſtet ipſum eſſe apud varias Nationes varium; quatenus aliter ab aliis contexitur, diuiditur, inchoatur, conſtanter, aut varianter habetur; vnde & nominari audias Calendarium non Romanorum modò, ſed etiam Græcorum, Iudæorum, Ægyptiorum, Perſarum, Arabum, Abyſſinorum, &c. Nos heic de ſolo Romanorum Calendario acturi ſumus, ac potiſſimum, quatenus in vſu apud nos iam eſt, ex quo Gregorius XIII. Pontifex Maximus ipſum emendauit. Potiſſimùm, inquam, nam quia alioquin facta emendatio non poteſt probè intelligi, niſi prænoſcatur, cuiuſmodi priùs Calendarium exſtiterit, vt emendatione indigeret; ideò videtur operæ-pretium pauca quædam præmittere de Origine, Progreſſúque illius ad id vſque tempus, quo facta fuit huiuſcemodi emendatio.

Quare & duæ poterunt eſſe quaſi Partes huius Tractationis: In priore enim memorandum erit, quale eſſe ſub Romulo Calendarium cœperit; quæ facta eius reformatio à Numa ſucceſſore fuerit: quæ rurſus facta poſt-modum à Dictatore Cæſare; qua ratione demum ad Chriſtianos vſus accommodatum fuerit, ac præſertim ab ipſo vſque tempore Concilij Nicæni. In poſteriore autem diſſerendum erit, quas ob cauſas Pontifex Summus Calendarium ſic emendârit, vt ſimul prouiderit, ne deinceps conſimili reformatione indigeret: Priorem itaque priùs exſequamur.

PARS PRIOR.

De Origine, & Progreſſu Romani Calendarij, ad Reformationem Gregorianam vſque.

CAPVT I.

Romani Calendarij inſtitutio à Romulo.

CONSTANS eſt opinio, inſtitutionem primam, atque adeò Originem Romani Calendarij eſſe ad ipſum Romulum gentis authorem referendam. Proditum eſt nempe ipſum, inter alias conſtabiliendi Regni curas eam quoque ſumpſiſſe, vt Annum ſpeciali ratione ordinaret, inque certos menſeis diſtribueret; tametſi non conſtet de numero menſium. Quippe non deſunt recentiores, qui Licinium Macrum, & Feneſtellam ſequuti, cenſeant Annum fuiſſe Romanis ſtatim ab initio menſium duodecim; tametſi, *Magis*, inquit Cenſorinus, *Iunio Gracchano, & Fuluio, & Varroni, & Suetonio, aliiſque credendum, qui decem menſium putauerunt fuiſſe, vt tunc Albanis erat, vnde orti Romani.* Ac poſſent quidem in eandem ſententiam citari Macrobius, Caſſiodorus, innumeri alij; ſed omnium nomine eſſe poteſt Ouidius illo diſticho,

Tempora digereret cùm Conditor vrbis, in anno
Conſtituit menſeis quinque bis eſſe ſuo.

Cùm eiuſmodi verò menſes fuerint Martius, Aprilis, Maius, Iunius, Quintilis, Sextilis, September, October, Nouember, December; vulgaris eſt ſententia, Romulum duos primos menſeis à parentibus nominaſſe; Martium quidem à Marte, quem tanquam patrem agnoſcebat; Aprilem verò, quaſi Aphrilem, ab Aphrodite, ſeu Venere, à qua maiores habebat oriundos; duos ſequenteis à Populo, Maium quidem à Maioribus natu, Iunium verò à Iunioribus; cæteros demùm ab ordine, quo quatuor iſtos inſequebantur. Opinionis huius Authores, apud Cenſorinum, ſunt Fuluius, & Iunius; ac cæterorum nomine citari idem poteſt Ouidius celebri illo Tetraſtico,

Martis erat primus menſis, Venerisque ſecundus;
Hæc generis Princeps, ipſius ille Pater.
Tertius à Senibus, Iuuenum de nomine quartus;
Quæ ſequitur, numero turba notata ſuo eſt.

At non deſunt, qui obluctentur; Varróque imprimis, qui, apud eundem Cenſorinum,

tinum, putat Romanos à Latinis Menſium nomina accepiſſe; Martium ſcilicet nominatum à Marte, non quòd ille pater fuerit Romuli, ſed quòd Latina gens bellicoſa; vnde etiam ille;

Mars Latio venerandus erat, quia præſidet armis:
Arma fera genti rémque, decúſque dabant.

Aprilem autem dictum, non ab Aphrodite, ſed ab aperiendo, quòd tunc ferè cuncta gignantur, & naſcendi clauſtra natura aperiat. Vnde rurſus ille;

Nam quia ver aperit tunc omnia, denſáque cedit
Frigoris aſperitas, fœtáque terra patet,
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.

Sic Maium non à maioribus, ſed à Maia, cui, ac Mercurio res diuina per illum menſem fieret: Vnde iterùm ille:

At tu materno donaſti nomine menſem;
Inuentor curua, furibus aptè, Fidis.

Iunium verò non à Iunioribus, ſed à Iunone, cui honores eo maximè tempore haberentur, vicinorum imitatione: Vnde ille demum:

Aſpice quos habeat nemoralis Aricia faſtos,
Et populus Laurens, Lauiniũmque meum.
Eſt illic menſis Iunonius, &c.

Tametſi porrò ſeu numerum, ſeu nomina Menſium acceperit Romulus ab Albanis, à Latinis, à circum-vicinis aliis populis; at videtur ſaltem ſpeciali ratione tum conſtituiſſe ordinem Menſium, tum certum dierum numerum eorum ſingulis aſſignaſſe. Nam imprimis quidem Martium primum fecit, quem gentiles Albani tertium, Faliſci quintum, Hernici ſextum, alij alio loco habebant. Ac deinde, cùm ipſi Albani, Martium haberent dierum xxxvi. Maium xxii. Sextilem xviii. Et Tuſculani Quintilem xxxvi. Octobrim xxxii. Aricini Octobrim xxxix. atque ita de cæteris; ſtatuit ipſe, vt quatuor menſes, Martius, Maius, Quintilis, October, forent ſinguli dierum tricenûm vnius; cæteri ſex dierum tricenûm (ex quo illi Pleni, iſti Caui vocati ſunt) ac illi haberent Nonas ſeptimanas, ſeu ſeptima die contingenteis; iſti quintanas, ſeu die quinta: ac præterea in illis, poſt exactas Idus, dies ſeptemdecim; in iſtis octodecim, ante Calendas menſis ſequẽtis, numerarẽtur.

Prætereo autem rem eſſe notam, diem cuiuſque menſis primam, quod initio quoque inſinuatum eſt, appellatam eſſe Calendas, quod Plebe ea die in Capitolium vocata, iuxta Curiam Calabram, Pontifex minor, qui Nouam Lunam eo die primùm vidiſſet, pronuntiaret vocem, Καλῶ (id eſt, *Voco*) aut quinquies, cùm Nonæ quintanæ, aut ſepties, cùm ſeptimanæ erant; vt Populares in agro degentes admonerentur, quoto die ab illo, ſeu poſt Nouam Lunam conſpectam, deberent in vrbem confluere, accepturi à Rege Sacrorum, tum Feriarum cauſas, tum quid faciendum per Menſem foret.

Fuiſſe autem diem, vel quintam, vel ſeptimam appellatam Nonas, quòd nouem incluſiuè diebus abeſſet ab Idibus, ſeu à Plenilunio. Ex quo proinde etiam apparet, diem xiii. vel xv. appellatam Idus, ſeu ἀπὸ τῦ εἴδυς, *à ſpecie*, quàm Luna Plena tum demonſtrat; aut ab eo, quod dictum Hetruſcis fuit *iduare*, hoc eſt, diuidere; quòd tunc ſit curriculi Lunæ, ac propè etiam menſis dimidium. Nempe aliquot ampliùs dies ſuperſunt, quàm præceſſerint, quòd menſis non tunc deſinat, cùm Luna Soli coniuncta eſt, ſed cùm primùm deinceps apparet.

At, quorſum Nonæ quædam quintanæ, & quædam ſeptimanæ ſunt? Cauſa eſſe ex eo videtur, quòd cùm Luna ex certis cauſis apud Aſtronomos perſpectis, interdum citiùs, interdum tardiùs à coniunctione cum Sole appareat; obſeruatum fuerit primam Lunæ apparitionem, in quibuſdam menſibus ampliùs, in quibuſdam minùs à Plenilunio diſtare; & diſcrepantiâ huiuſmodi ad duos dies limitatâ, habitas fuiſſe Nonas die quinta, cùm propter Lunam tardiùs viſam, futurum eſſet Plenilunium citiùs; & die ſeptima, cùm ob viſam citiùs, futurum eſſet Plenilunium tardiùs.

Quamobrem autem aſſignata his menſibus potiùs, quàm illis dies quinta, aut ſeptima fuerit, cauſam refert Macrobius in obſeruationis primùm factæ caſum. Verba illius totum hunc locum illuſtrantia, huiuſmodi ſunt, *Romulus, cùm, ingenio, acri quidem, ſed agreſti, ſtatum proprij ordinaret imperij, initium cuiuſque menſis ex illo ſumebat die, quo Nouam Lunam contigiſſet videri. Quia verò non continuè euenit, vt eodem die ſemper appareat, ſed modò tardiùs, modò celeriùs ex certis cauſis videri ſolet; contigit, vt dum tardiùs apparuit, præcedenti menſi plures dies; aut cùm celeriùs, pauciores darentur; & ſingulis quibuſque menſibus perpetuam numeri legem primus caſus addixit.*

Quanquam, quod ſubiicit Macrobius, factum inde fuiſſe, vt menſium *alij triginta, & vnum, alij vndetriginta ſortirentur dies*, cum eo non quadrat, quod ipſemet quoque antè admiſerat, inſtituiſſe Romulum, *vt ſex quidem menſes tricenûm eſſent dierum, quatuor verò tricenûm, & ſinguli expedirentur, qui hodiéque*, pergit, *ſeptimanas habent Nonas, cæteri quintanas.* Neque item quadrat cum eo, quod antè collegerat inſtitutum à Romulo Annum fuiſſe dierum cccιv. cùm, ſi ex decem menſibus, quatuor ſint dierum xxxi. & ſex dierum xxix. colliguntur ſolùm ccxic. Sed videtur nempe ad factam à Numa inſtitutionem reſpexiſſe, ipſamque cum Romulea, ſeu caſu facta, confudiſſe.

Vtcumque ſit, ecce quæ fuerit Calendarij Romani facies in prima ſua origine; niſi quòd illi Feſta, aut alia dierum adiuncta non apponuntur; quòd poſſint præſertim ſuppleri ex iis, quæ Calendario Cæſaris apponenda denique erunt.

CALENDARIVM ROMVLI.

MARTIVS	APRILIS	MAIVS	IVNIVS	QVINTILIS
Kalendæ	*Kalendæ*	*Kalendæ*	*Kalendæ*	*Kalendæ*
VI	IV	VI	IV	VI
V	III	V	III	V
IV	*Pridie*	IV	*Pridie*	IV
III	*Nonæ*	III	*Nonæ*	III
Pridie	VIII	*Pridie*	VIII	*Pridie*
Nonæ	VII	*Nonæ*	VII	*Nonæ*
VIII	VI	VIII	VI	VIII
VII	V	VII	V	VII
VI	IV	VI	IV	VI
V	III	V	III	V
IV	*Pridie*	IV	*Pridie*	IV
III	*Idus*	III	*Idus*	III
Pridie	XVIII	*Pridie*	XVIII	*Pridie*
Idus	XVII	*Idus*	XVII	*Nonæ*
XVII	XVI	XVII	XVI	XVII
XVI	XV	XVI	XV	XVI
XV	XIV	XV	XIV	XV
XIV	XIII	XIV	XIII	XIV
XIII	XII	XIII	XII	XIII
XII	XI	XII	XI	XII
XI	X	XI	X	XI
X	IX	X	IX	X
IX	VIII	IX	VIII	IX
VIII	VII	VIII	VII	VIII
VII	VI	VII	VI	VII
VI	V	VI	V	VI
V	IV	V	IV	V
IV	III	IV	III	IV
III	*Pridie*	III	*Pridie*	III
Pridie		*Pridie*		*Pridie*

SEXTILIS	SEPTEMBER	OCTOBER	NOVEMBER	DECEMBER
Kalendæ	*Kalendæ*	*Kalendæ*	*Kalendæ*	*Kalendæ*
IV	IV	VI	IV	IV
III	III	V	III	III
Pridie	*Pridie*	IV	*Pridie*	*Pridie*
Nonæ	*Nonæ*	III	*Nonæ*	*Nonæ*
VIII	VIII	*Pridie*	VIII	VIII
VII	VII	*Nonæ*	VII	VII
VI	VI	VIII	VI	VI
V	V	VII	V	V
IV	IV	VI	IV	IV
III	III	V	III	III
Pridie	*Pridie*	IV	*Pridie*	*Pridie*
Idus	*Idus*	III	*Idus*	*Idus*
XVIII	XVIII	*Pridie*	XVIII	XVIII
XVII	XVII	*Idus*	XVII	XVII
XVI	XVI	XVII	XVI	XVI
XV	XV	XVI	XV	XV
XIV	XIV	XV	XIV	XIV
XIII	XIII	XIV	XIII	XIII
XII	XII	XIII	XII	XII
XI	XI	XII	XI	XI
X	X	XI	X	X
IX	IX	X	IX	IX
VIII	VIII	IX	VIII	VIII
VII	VII	VIII	VII	VII
VI	VI	VII	VI	VI
V	V	VI	V	V
IV	IV	V	IV	IV
III	III	IV	III	III
Pridie	*Pridie*	III	*Pridie*	*Pridie*
		Pridie		

Cæterùm,

Cæterum, quia, vt iam innuimus, collecti omnium menſium dies, nou excedebant numerum ccc. iv. ſicque aberant longè ab anno Lunari dierum ccc. liv. & à Sulari dierum ccc. lxv. idcircò, licet Romulus conſtituiſſet Annum hyeme deſinente, ac vere ineunte incipere; efficiebatur tamen breui, vt frigus menſibus æſtiuis, calor hyemalibus proueniret. Quare, vbi id contigiſſet, *tantum dierum*, inquit Macrobius, *ſine vllo menſis nomine patiebantur aſſumi, quan tum ad id anni tempus adduceret, quo cæli habitus inſtanti menſo aptus inueniretur.* Et quo quidem tempore hæc aſſumptio fieret, non exprimitur; ſed factum nihilominus veriſimile eſt ad finem Decembris, quò ipſum ſtatim Martij initium inſtitutioni congrueret.

Capvt II.

Romani Calendarij reformatio à Numa Pompilio.

ENimuerò, cùm id haberet incommodi quam-plurimùm; ideò ſuccedens Romulo Numa, quia per pacis otia vacaret, rei anim[illegible]ppulit, & Græcorum exemplo edoctus, Annum reformauit, ad Lunam compoſuit, in menſeis duodecim diſtinxit. Imitatus nihilominùs vndequaque Græcos non eſt; nam, cùm illi haberent Annum dierum ccc. liv. fecit ipſe Annum dierum ccc. lv. ſuperſtitione, vt aiunt, quadam, qua & plenum, & magis fauſtum numerum Imparem reputauit. Et, cùm illi haberent menſeis alternis xxx. & xxix. dierum, hac ratione Lunæ curſum compenſantes (qui dierum xxix. ac ſemiſſis proximè eſt) ipſe ſuos Menſeis alia ratione diſpnſuit.

Nam primùm quidem, ad dies illos Anni Romulei ccc. iv. aſſumpſit dies li. quibus additis fierent ccc. lv. Deinde, circa quatuor menſeis, qui dierum tricenùm ſingulorum, numerive imparis erant, nihil mouit, ſed illis ſuos reliquit dies. Cæteris, qui dierum triginta, ſingulos ademit; vt imparis quoque fierent numeri: Ac tum, ſex diebus inde ablatis, & quinquaginta, ac vno adjunctis, dies habuit lvii. quos in duos menſeis diſtribuit, vnum dierum xxix. alterum dierum xxviij. quos & præponendos (vt communis eſt ſententia) Martio cenſuit, & à Bruma, qua dies primùm creſcere incipiūt, incipere voluit. Vocauit autē priorem Ianuariū, in honorem Iani, Bicipitis Dei, cui & dicauit ipſas Calendas, quaſi reſpicienti tranſactū, & proſpicienti ineuntem Annum; poſteriorem verò Februarium, à Februo luſtrationū Deo; quòd eo menſe neceſſe foret, vt iuſta Diis Manibus ſolui poſſent, vrbem luſtrare. Vnde &, quia res ad eos, qui fatis eſſent functi ſpectabat, non hæſit, quò minùs huic menſi, potiuſquàm Ianuario, paris numeri dies aſſignaret. Hinc igitur celebre quoque Ouidianum illud euaſit,

At Numa nec Ianum, nec Auitas præterit vmbras:
Menſibus antiquis præpoſuitque duos.

Dixi tamen Numam præpoſuiſſe vtrumque Martio, *ex communi ſententia*. Nam, cùm de Ianuario quidem nemo dubitet, ſingulare eſt tamen, quod idem Ouidius poſt modùm inſinuat, dum ait Februarium habitum fuiſſe vltimum Anni, quovſque Decemviri illum tranſtulere in ſecundum locum

Poſt-modo creduntur ſpatio diſtantia longo
Tempora, bis quini continuaſſe Viri.

Sed, vt pergamus rem declarare ex communiore ſententia, accommodatéque ad vocatum Numæ, Pompilianum ve Calendarium, Numa denique ſuis ſedibus Calendas, Nonas, Idus reliquit, ac ipſis Ianuario, & Februario, perinde ac aliis, qui erant dierum xxix. attribuit (tametſi ob factam immutationem, numerati æquè in omnibus menſibus fuerint xvij. ante Calendas, excepto Februario, in quo xvj.) Reliquit verò etiam Menſibus à numero dictis ſua nomina; neque enim Quintilis minùs hoc fuit nomine, quàm ante; quamuis ob præmiſſos Martio duos menſeis, ſeptimus à primo haberetur, non quintus: ſicque Sextilis, & cæteri. Fuere ergo tunc Martius, Maius, Quintilis, October, dierum, vt priùs xxxi. Ianuarius, Aprilis, Iunius, Sextilis, September, Nouember, December, dierum xxix & Februarius xxviij. ac facies adeò Calendarij ſine Feſtis, aliiſque Adjunctis exhibita, euaſit, vt vides heic inferiùs.

Quoniam verò erat hic annus Lunaris, & Solarem excedebat diebus decem, aut vndecim; ac efficiebatur proinde, vt Bruma (hyemiſve initium) diebus totidem ſingulis annis promoueretur, annive principium ipſam antecederet; ſicque intra annos. v. g. treis, Bruma non initio Ianuarij, ſed initio Februarij foret; ideò excogitata fuit Græcorum more Intercalatio, qua, interiecto congruo dierum numero, tantum tranſigeretur temporis, quantum foret opus, vt Bruma quaſi retraheretur; ſeu, mauis Ianuarij, Annive initium in ipſam Brumam reſtitueretur.

Græci ſcilicet, cùm Lunarem annum dierum ccc. liv. præciſè haberent, ac putarent annum Solarem dierum ccc lxv. excedere illum diebus præciſè xi. (dies hoſce dixerunt *ὑπερβαίνοντας*. quaſi *excedenteis* aut ſuperfluos) cœpere altero quoque anno intercalare menſem ex diebus bis vndecim, ſeu xxij. conſtantem, quem ea de cauſa dixere *ἐμβόλιμον injectitium*, vt altero quoque anno, ſeu initio tertij reſtitutio principij anni (quod ipſis ad Solſtitium æſtiuum erat) fieret. Hinc eorum id temporis ſpatium dictum ipſis fuit *τριετηρὶς*, h. e. *Triennium*, quod reuera tamen *διετηρὶς* ſeu *Biennium* fuit.

Quia verò deinceps animaduerterunt errorem ex eo ſubeſſe, quòd annus Solaris, præter dies illos integros, contineret adhuc ſex horas, ſeu diei quadrantem, quem negligerent; quique intra annos quatuor vnius diei promotionem crearet; eam ob cauſam, faciendam potiùs quarto quoque anno intercalationem dierum quater vndecim, & vnius, ſeu xlv. (hoc eſt ſeſqui menſis) cen-

CALENDARIVM NVMÆ POMPILII.

IANVARIVS	FEBRVARIVS	MARTIVS	APRILIS	MAIVS	IVNIVS
Kalendæ	*Kalendæ*	*Kalendæ*	*Kalendæ*	*Kalendæ*	*Kalendæ*
IV	IV	VI	IV	VI	IV
III	III	V	III	V	III
Pridie	*Pridie*	IV	*Pridie*	IV	*Pridie*
Nonæ	*Nonæ*	III	*Nonæ*	III	*Nonæ*
VIII	VIII	*Pridie*	VIII	*Pridie*	VIII
VII	VII	*Nonæ*	VII	*Nonæ*	VII
VI	VI	VIII	VI	VIII	VI
V	V	VII	V	VII	V
IV	IV	VI	IV	VI	IV
III	III	V	III	V	III
Pridie	*Pridie*	IV	*Pridie*	IV	*Pridie*
Idus	*Idus*	III	*Idus*	III	*Idus*
XVII	XVI	*Pridie*	XVII	*Pridie*	XVII
XVI	XV	*Idus*	XVI	*Idus*	XVI
XV	XIV	XVII	XV	XVII	XV
XIV	XIII	XVI	XIV	XVI	XIV
XIII	XII	XV	XIII	XV	XIII
XII	XI	XIV	XII	XIV	XII
XI	X	XIII	XI	XIII	XI
X	IX	XII	X	XII	X
IX	VIII	XI	IX	XI	IX
VIII	VII	X	VIII	X	VIII
VII	VI	IX	VII	IX	VII
VI	V	VIII	VI	VIII	VI
V	IV	VII	V	VII	V
IV	III	VI	IV	VI	IV
III	*Pridie*	V	III	V	III
Pridie		IV	*Pridie*	IV	*Pridie*
		III		III	
		Pridie		*Pridie*	

QVINTILIS	SEXTILIS	SEPTEMBER	OCTOBER	NOVEMBER	DECEMBER
Kalendæ	*Kalendæ*	*Kalendæ*	*Kalendæ*	*Kalendæ*	*Kalendæ*
VI	IV	IV	VI	IV	IV
V	III	III	V	III	III
IV	*Pridie*	*Pridie*	IV	*Pridie*	*Pridie*
III	*Nonæ*	*Nonæ*	III	*Nonæ*	*Nonæ*
Pridie	VIII	VIII	*Pridie*	VIII	VIII
Nonæ	VII	VII	*Nonæ*	VII	VII
VIII	VI	VI	VIII	VI	VI
VII	V	V	VII	V	V
VI	IV	IV	VI	IV	IV
V	III	III	V	III	III
IV	*Pridie*	*Pridie*	IV	*Pridie*	*Pridie*
III	*Idus*	*Idus*	III	*Idus*	*Idus*
Pridie	XVII	XVII	*Pridie*	XVII	XVII
Idus	XVI	XVI	*Idus*	XVI	XVI
XVII	XV	XV	XVII	XV	XV
XVI	XIV	XIV	XVI	XIV	XIV
XV	XIII	XIII	XV	XIII	XIII
XIV	XII	XII	XIV	XII	XII
XIII	XI	XI	XIII	XI	XI
XII	X	X	XII	X	X
XI	IX	IX	XI	IX	IX
X	VIII	VIII	X	VIII	VIII
IX	VII	VII	IX	VII	VII
VIII	VI	VI	VIII	VI	VI
VII	V	V	VII	V	V
VI	IV	IV	VI	IV	IV
V	III	III	V	III	III
IV	*Pridie*	*Pridie*	IV	*Pridie*	*Pridie*
III			III		
Pridie			*Pridie*		

CAPVT

ſuerant. Vnde & hoc ſpatium, quo anni principium poſt quatuor annos reſtituebatur, dictum ipſis πενταετηρὶς *Quinquennium* fuit, quod reipsâ tamen fuit ſolùm τετραετηρὶς *Quadriennium*. Fuere hac de cauſa inſtituti Ludi, agoneſve Olympici. Viſum poſt-modùm eſt commodius, duplicare hunc numerum, ſicque ἐννεαετηρίδα *Nouennium* (ſeu potiùs ὀκταετηρίδα *Octennium*) exſpectare, vt ex habitis diebus xc. tres fierent menſes dierum tricenûm, qui vno tenore intercalarentur.

Præterea autem, temporis progreſſu, deprehenſum fuiſſe reſtitutionem ad eundem præcisè diem non fieri, niſi poſt annos vndeviginti, ſeu dies 6940. ac ideò Metonem inſtituiſſe Periodum annorum xix. (idcircò vocatam ἐννεακαιδεκαετηρίδα) intra quam ſepties, ſeu ſeptem menſium intercalatio fieret, quáque exactâ, anni Lunaris principium in eundem præcisè cum Solari diem rediret. Et, quòd nouemdecim tamen anni non complecterentur præcisè dies 6940. ſed ſolum dies 6939. cùm dodrante, ſicque quadrans diei abundaret; eamobrem Calippum deinceps quadruplicaſſe hanc Periodum, aliámque effeciſſe annorum LXXVI. intra quam viciesocties intercalaretur. Atque id quidem, ne memorem fuiſſe poſteriùs iſtam quoque ab Hipparcho quadruplicatam; aliáque conſimilia.

Romani itaque imitati Græcos, probârunt quidem intercalationem xlv. dierum intra annos quatuor faciendam, ac dierum xc. intra annos octo; at non cenſuere tamen intercalationem in totum quadriennium, octenniúmve eſſe differendam; ſed biennio quoque potiùs porrigendam: Ac ratione ea quidem, vt ſecundo anno intercalarentur dies xxij. quarto xxiij. ſexto rurſus xxij. & octauo xxiij. atque ita porrò procedendo alternis per inſequentia octennia.

Verùm, quòd non attenderent ſuum illum annum dierum CCC. LV. maiorem eſſe vno die, quàm Græcorum annum dierum CCC. LIV. ideò breui effectum eſt, vt duobus diebus quovis biennio ampliùs, quàm par foret interjectis, ea fieret Brumæ regreſſio, vt intra annos xxx. contingeret initio Decembris, intra alios xxx. initio Nouembris, &c. Re ergo cognita, quod quovis octennio dies octo excreſcerent, & poſt tria octennia xxiv. abundarent; ea propter tertio quoque octennio non dies xc. ſed lxvj. ſolummodò intercalârunt, diſpenſatione eorum facta pro arbitrio Pontificum, quibus erat à Numa Menſium, Faſtorúmque cura commiſſa.

Videtur porrò Intercalatio à Numa primùm inſtituta; & Sacrorum quidem potiſſimùm cauſâ; vt illa nempe ad ſuas ſemper tempeſtates congruerent. Sic certè Antias apud Macrobium; nam quod Licinius quidem Macer originem eius ad Romulum refert, id de illa intercalatione ob duos menſeis quovis anno deficienteis intelligi poteſt. Et quod Iunius commemorat Seruium Tullum Regem intercalaſſe primum, id poteſt de mox memorata reformatione accipi; cùm ſcilicet Brumæ eius tempore regreſſa iam foret in finem Septembris. Non notandum autem, quod Tuditanus, & Flauius rem ad Decemviros referunt; quando Varro ſcribit L. Pinario, & P. Furio Coſſ. qui multis annis Decemviros anteceſſerunt, fuiſſe æri inciſam legem antiquiſſimam, in qua mentio fieret Intercalationis.

Cùm Græci autem Intercalationem vltimo anni menſe confecto inſtituerent, delegere Romani Februarium (qui ipſe quoque eſſet quaſi finis anni veteris) non illum quidem iam confectum, ſed ruentem tamen, ac poſt Terminalia, hoc eſt, diem ſacrum Deo Termino, qui erat vii. ante Martias Calendas. Subjunxere verò intercalationi quinque Februarij dies reliquos, *Credo*, inquit Macrobius, *vetere Religionis ſuæ more, vt Februarium omninò Martius ſequeretur*. Præterea verò iuxta ſententiam ex Ouidio antè relatam, fuiſſe etiam, more Græcorum, intercalationem factam in ipſo anni noui fine, ſi Februarius quidem menſis vltimus, & ſacra Terminalia die ipſius vltimo fuere,

Qui ſequitur Ianum, veteris fuit vltimus anni;
Tu quoque Sacrorum, Termine, finis eras.

Vbi annus vetus ſolùm dicitur ob illud tempus, quod à Numa ad vſque Decem-viros interceſſit.

Vtcumque ſit tamen, obſeruari poteſt, intercalatos illos nunc xxij. nunc xxiij. dies, conſtituiſſe ſpecialem Menſem, qui anno intercalationis foret quaſi decimus-tertius; quique, ex Plutarcho, *Merkedinus*, *Merkedonius*-ve appellaretur; tametſi magis vulgare fuerit, vt diceretur *Intercalarius* vel *Februarius intercalaris*.

CAPVT III.

Alia Romani Calendarij reformatio à Iulio Cæſare.

Dixi obiter intercalandi curam, vnà cum Feſtorum, & Sacrorum ſtudio, commiſſam Pontificibus, ſiue Sacerdotibus fuiſſe. Factum ergo eſt procedente, & maximè quidem Iulij Cæſaris, tempore, vt corrigere Calendarium, Faſtoſve oportuerit, *iampridem vitio Pontificum per intercalandi licentiam*, inquit Suetonius, *ita turbatos, vt neque meſſium feriæ æſtati, neque vindemiarum autumno competerent*. Declarat Macrobius quo vitio laborârint Pontifices, dum poſtquam *fuiſſe tempus* dixit *cùm propter ſuperſtitionem intercalatio omitteretur*, ſubdit, *Sacerdotes, vt publicanis gratificarentur proferri, vel imminui conſultò anni dies volentibus, dies modò auxiſſe, modò retraxiſſe*. Cauſam aliam copulat Cenſorinus, cùm de Pontificibus loquens, *Sed horum*, inquit, *plerique ob odium, vel gratiam, quo quis Magiſtratu citius abiret, diutiúſve fungeretur; aut publici redemptor ex anni magnitudine in lucro, damnóve eſſet plus, minúſve ex libidine intercalando, rem ſibi ad corrigendum mandatam vltro deprauârunt*.

Itaque

Itaque Cæſar rerum potitus, & Dictator, Pontifexque Maximus cùm foret, ſic animum ad ordinandum Reipublicæ ſtatum appulit, vt non poſtremam in corrigendo Calendario aſſumpſerit curam; idque. Soſigenes cùm adeſſet, Mathematicus ex Ægypto aduectus, quem adhibere in conſilium poſſet. Et quantæ quidem fuerit diligentiæ vir Soſigenes, teſtatur Plinius, cùm de eo loquens; *Ipſe*, inquit, *ternis commentationibus, quamquam diligentior eſſet cæteris, non ceſſauit tamen addubitare, ipſemet ſemet corrigẽdo*. Hoc verò authore, agnouit Cæſar non poſſe conſtantem correctionem inſtitui, niſi Annus ad motum Solis, potiuſquam Lunæ componeretur; ac expedire, vt ita fieret, cùm præſertim annus Lunaris reducendus ſemper ad Solarem foret.

Ratio autem conſtituendi Anni à Soſigene propoſita ea fuit, vt cùm Solis curſus peragatur diebus ccc.lxv. & quadrante, Annus omninò haberetur dierum ccc.lxv. Ac, ne ob neglectũ quadrantis illius, ex quo intra quadrienniũ dies vnus conficitur, ita ſenſim à cõſtituto anni principio recederetur, vt Feriæ meſſiũ hyeme, vindemiales vere celebrandæ forẽt (quod ſanè abhorruiſſent Romani, cùm apud Ægyptios nihil timeretur huiuſmodi, apud quos neglectus illius quadrantis eandẽ feriã deducebat per dies anni ſingulos decurſu annorum 1460.) ne, inquam, id contingeret, ſanciretur ſimul, vt quarto quoque anno dies vnus intercalaretur; ſicque quartus quilibet annus euaderet dierum ccc.lxvi.

Cùm res placuiſſet Cæſari, ac is vellet ſemper Ianuarij. Annive initium ab ipſa Bruma deducere, aut certè, quo animos ciuium nouitas minus offenderet, à proximè inſequuturo Brumam eius anni Nouilunio; idcircò Annum tum occurrentem, qui in tertium ipſius, & M. Æmilij Lepidi conſulatum incidit, producere eo vſque conſtituit, quoúſque Bruma aut dies ille Nouilunij contingeret. Aduocauit ergo M. Flauium ſcribam, qui, referente Macrobio, *ſcriptos dies ſingulos ita ad Dictatorem retulit, vt & ordo eorum inueniri facillimè poſſet, & inuento, certus ſtatus perſeueraret.*

Supputatione proinde facta, deprehenſum eſt, præter dies xxiij. qui fortè eo anno Februario intercalabãtur, ſupereſſe adhuc lxvij. dies, qui intercalatione abſumendi forent, vt dies ille poſſet in primum menſis Ianuarij incidere. Cæſar itaque, duos ex illis menſeis, alterum dierum xxxiij. alterum xxxiv. creauit, eoſque inter Nouembrim, Decembrimque tranſigi iuſſit; factumque eſt adeò, vt huiuſmodi annus (qui idcircò Annus Confuſionis vocatus eſt) euaſerit tum xv. menſium, vt à Suetonio dicitur, tum dierum, non cccc. xliv. vt Macrobius habet, ſed cccc. xlv. vt Cenſorinus ſpeciatim deducit; additis putà ad communem tunc Annum, hinc vno menſe dierum xxiij. hinc aliis ſimul duobus lxvii. ac vniuerſè diebus xc.

Quòd non eſſent verò in Anno à Numa inſtituto niſi dies ccc.lv. ac decem proinde ad conſtituendum eum, qui futurus eſſet dierum ccc.lxv. deeſſent; ea de cauſa Cæſar ſic decem aſſumpſit, eoſque in menſeis conſtitutos ita diſtribuit, vt, Numæ inſtar, in quatuor illis Martio, Maio, Quintili, Octobri, nihil mouerit, ſed vt inſtituti à Romulo fuerant, dierum tricenum, ac vnius, reliquerit; at tribus ex aliis, vt putà Ianuario, Sextili, ac Decembri, binos dies adiecerit, vt proinde ipſi quoque dierum xxxj. euaderent: quatuor, verò, putà Aprili, Iunio, Septembri, ac Nouembri, ſingulos adhibuerit; vt fierent proinde dierum xxx. Denique autem menſi Februario nullum diem addidit; *Ne*, inquit, Macrobius, *Deûm Inferûm religio immutaretur.*

Quia tamen ad id vſque tempus menſis ille Intercalarius inſeri in Februarium erat ſolitus; idcircò conſtituit, vt dies quoque ille, qui foret deinceps quarto quoque anno intercalandus, ipſi pariter interiiceretur; ſicque Februarius quarto quoque anno dierum xxix. foret. Conſtituit quin etiam, vt veluti priùs menſis Intercalarij, ſic deinceps diei illius intercalatio fieret ſtatim poſt Terminalia, ſeptimumve Calẽdas, ſeu diem xxiij. ac ante Regifugium, ſiue, ab exactis Regibus; inſtituta Fugalia, atque adeò ante ſextum Calẽdas, qui tunc ex xxiv. euaderet, ob intercalationem, numero xxv. vti & vigeſimus quintus xxvj. ac ita deinceps, quoúſq; xxviij. euaderet xxix. Vnde &, quia poſt diem vi. Kalendas, dicebatur bis Sexto Kalendas Martias, ſemel ſcilicet die intercalari, & ſemel die Regifugij; ea de cauſa, *Id*, inquit, ille, *Bis-Sextum cenſuit nominandum.*

Adnotandum autem, Cæſarem noluiſſe additos illos decem dies ante Nonas, aut Idus interierere, ne religionem Nonarum, aut Iduum, (quæ ſtatuto erat die) comperendinatione vlla corrumperet; vti neque inſerere in dies poſt Idus, ne Feriarum quarumque indictionem violaret. Illos ergo potiùs delectis menſium finibus ſic adiecit, vt & Faſtos notauerit, quò maiorem daret libertatem actionibus; & non modò nullum ex iis Nefaſtum, ſed neque Comitialem etiam eſſe voluerit, ne Magiſtratuum ambitio hac adiectione augeretur.

Hac ratione & Nonæ, & Idus eo, quo fuerant, ſtatu manſerunt; nam ne illi quidem tres menſes recens facti dierum tricenûm vnius, Septimanas habuerunt Nonas, ſed id iuris ſolum relictum antiquis illis quatuor, Martio, Maio, Quintili, Octobri fuit. Soli dies ante Calendas id mutationis acceperunt, vt, cùm prius dies proximè Idus inſequutos quolibet menſe, excepto Februario, foret xvii. remanſerit quidem in quatuor antiquis mox nominatis xvij. at in aliis tribus dierum tricenûm ſingulorum, Ianuario, Sextili, Decembri, euaſerit xix. in quatuor aliis dierum tricenûm, Aprili, Iunio, Septembri, Nouembri, xviij. In Februario autem ſemper fuerit xvj. etiam in anno Bis-Sextili, quòd propter diei adiectionem, non denominationis ratio augeretur, ſed vna Sexti denominatio duobus diebus competeret.

Vt

Vt agnoſcas verò, quâ proinde facie Calendarium euaſerit: id ita exhibẽdum eſt, vt ad ordinem Kalendarum, Nonarũ, ac Iduum, quatenus deſcriptæ heic ſunt, accedant Feſta, ac Ludi, & alia, ipſo præſertim Cæſaris tempore, ſolita adſcribi; ſcilicet, cùm facta deinceps plurium acceſſio fuerit. Præcedent autem duo ordines, quorum Vnus literis octonis ABCDEFGH, indicet dies Nundinaleis. Vt nobis enim vna ex Septem loco octauo ſemper rediens, Dominicam diem toto anno indicat; ſic vna ex octo, loco nono ſemper recorrens, indicabat toto anno diem Nundinarum, quo ſolebant homines ex agro in vrbem conuenire.

In Altero autem, vbicumque eſt littera F. ſignificatur dies *Faſtus*, quo nimirùm fari licebat Prætori tria verba ſolemnia. Do, Dico, Addico. Vbi N, *Nefaſtus*, quo videlicet toto non licebat. Vbi FP, *Faſtus primò*, quo licebat prima diei parte, ſeu ante meridiem. Vbi NP, *Nefaſtus primò*, quo eadem prima parte non licebat. Vbi EN, *Endotercisus*, ſeu *Intercisus*, quo horis quibuſdam licebat, non licebat aliis. Vbi C, *Comitialis*, quo haberi poterant Comitia; quæ niſi haberentur, fari tota die Prætori licebat; ſi haberentur, licebat ſolùm, vbi ea peracta forent. Vbi Q. Rex C. F, *Quando Rex* (intellige ſacrificulus) *Comitiauit* (hoc eſt in Comitium iuauit) *Fas*; ſupple Prætori. Vbi Q. ST. D. F, *Quando ſtercus delatum eſt*, (ex æde Veſtæ intellige) *Fas*, ſupple eidem Prætori. Sed Calendarium habes heic inferiùs.

Sunt porrò heic duo quædam obſeruanda; Vnum, quòd Iulius Cæſar natus ad IV. Eidus Quintilis foret, ideò fuiſſe, Cæſare mortuo, hunc menſem appellatum Iulium, legem ferente M. Antonio, qui illi V. Conſuli collega cùm foret, ſuperfuit: idque à ſecundu ſtatim Annorum, qui à Iulio reformatore Iuliani deinceps appellati ſunt. Fuiſſe & Sextilem à ſucceſſoris nomine vocatum Auguſtum, non quòd Auguſtus eo menſe natus (ſiquidem natus eſt Septembri, & IX. quidem Calendas Octobris) ſed ob alias cauſas non Plebiſcito modò expreſſas, ſed etiam Senatus conſulto, quod Cenſorinus refert ad annum Auguſtanum (victoriæve Actiacæ) XX. hoc eſt XXXVIJ. Iulianum; cuiúſque ecce apud Macrobium verba, *Cùm Imperator Cæſar Auguſtus menſe Sextili & primum conſulatum inierit; & triumphos treis in vrbem intulerit; & ex Ianiculo legiones deductæ, ſecutæque ſint eius auſpicia, ac fidem; & Ægyptus hoc menſe in poteſtatem populi Romani redacta ſit; finiſque hoc menſe bellis ciuilibus impoſitus ſit; atque ob has cauſas hic menſis huic imperio fœliciſſimus ſit, ac fuerit; Placere Senatui, vt menſis Auguſtus appelletur.*

Notum eſt autem perſeuerare etiam-num hæc duo menſium nomina; cùm alij quidam Imperatores nequicquam parem facere immutationem tentauerint; vt dum Nero voluit Aprilem appellari Neronem; Commodus Sextilem Commodum, & Septembrim Herculem: Domitianus Septembrim Germanicum, & Octobrim Domitianum; Commodus rursùs Nouembrim Exuperatorium, & Decembrim Amazonium. Quippe de omnibus dici poteſt, quod Macrobius ſpeciatim de Domitiano habet, *qui Octobrim*, inquit, *ſuo nomine inuaſerat; ſed vbi infauſtum vocabulum ex omni ære, vel ſaxo placuit eradi, Menſes quoque vſurpatione tyrannica appellationis exuti ſunt.*

Alterum, cùm Iulius Cæſar inſtituiſſet, vt quarto quoque anno intercalaretur, & numerandum intellexiſſet quartum, ſecluſo illo, quo nupera intercalatio fuiſſet facta; eueniſſe, vt illo mortuo non intelligentes rem Pontifices, quartum annum, ſuperiore illo incluſo, intellexerint, ſicque inter duos intercalareis, non-niſi duos ſine intercalatione habuerint; quovſque exactis XXXVJ. annis error denique deprehenſus fuit.

Quia verò intra hoſce annos Intercalatum fuerat duodecies, cùm debuiſſet ſolummodò intercalari nouies; ea-propter conſtituit Auguſtus, vt duodecim annis inſequentibus intercalatio nulla fieret, quò tres dies plus æquo intruſi tribus quadriẽniis abſumerentur. Quare & correctione hoc modo inſtituta, fuiſſe intercalationem reſumptam, ſicque deinceps continuatam, vt interrupta hactenus non fuerit. Quomodo autem futurum ſit, vt interrumpatur, dicendum poſteriùs.

CALEN

CALENDARIVM IVLII CÆSARIS.

Nund.	DIES.		IANVARIVS. *In Tutela Iunonis.*
A	F	*Kal.*	Iano. Iunoni.
B	F	iv.	
C	C	iii.	Cancer occidit.
D	C	*Pridie.*	
E	F	*Non.*	Lyra oritur. Aquila veſperi occidit.
F	F	viii.	
G	C	vii.	
H	C	vi.	Delphin veſperi occidit.
A		v.	Agonalia.
B	EN	iv.	Media hyems.
C	NF	iii.	Carmentalia.
D	C	*Prid.*	Compitalia.
E	NF	*Id.*	Ioui Statori.
F	EN	xix.	
G		xviii.	Carmentæ, & Porrimæ Poſtuertæ.
H	C	xvii.	Concordiæ.
A	C	xvi.	Sol in Aquario.
B	C	xv.	
C	C	xiv.	
D	C	xiii.	
E	C	xii.	
F	C	xi.	
G	C	x.	Lyra occidit.
H	C	ix.	Sementinæ feriæ. Caſtori, & Polluci.
A	C	viii.	
B	C	vii.	
C	C	vi.	Regulus occidit.
D	C	v.	
E	F	iv.	Equiria in campo Martio. Pacalia.
F	F	iii.	Fidicula occidit.
G	F	*Prid.*	Deis Penatibus.

Nund.	DIES.		FEBRVARIVS. *In Tutela Neptuni.*
H	N	*Cal.*	Herculi. Lucaria. Iunoni Soſpitæ.
A	N	iv.	
B	N	iii.	Lyra, & medius Leo occidunt.
C	N	*Prid.*	
D		*Non.*	Aquarius oritur.
E	N	viii.	
F	N	vii.	
G	N	vi.	
H	N	v.	Veris initium.
A	N	iv.	
B	N	iii.	Genialici ludi. Arctophylax oritur.
C	N	*Prid.*	
D	NF	*Id.*	Fauno, & Ioui.
E	C	xvi.	Coruus, Crater, Anguis oriuntur.
F	NF	xv.	Lupercalia.
G	FN	xiv.	Sol in Piſcibus.
H	NF	xiii.	Quirinalia.
A	C	xii.	Feralia, ſeu Ferialia. Fornacalia. Diis Manibus.
B	C	xi.	
C	C	x.	
D	F	ix.	Deæ Mutæ, ſeu Larundæ. Feralia. Lararia.
E	C	viii.	Cariſtia.
F	NP	vii.	Terminalia.
G	N	vi.	Regifugium.
H	C	v.	Hirundinum aduentus. Arcturus veſperi oritur.
A	EN	iv.	
B	NP	iii.	Equiria in campo Martio.
C	C	*Prid.*	

CALEN

CALENDARIVM IVLII CÆSARIS.

Nund.	DIES.		MARTIVS. *In Tutela Mineruæ.*
D	NP	*Kal.*	Marti, Ancyliorum feſtum. Matronalia.
E	F	vi.	
F	C	v.	Alter Piſcium occidit.
G	C	iv.	
H	C	iii.	Cancer oritur. Vindemiator oritur.
A	NP	*Pridie.*	Veſtalia. Cæſar Pontifex Max. factus.
B	F	*Non.*	Veiovi Pegaſus oritur.
C	F	viii.	Corona oritur.
D	C	vii.	Orion oritur.
E	C	vi.	
F	C	v.	
G	C	iv.	
H	EN	iii.	Maria aperiuntur.
A	NP	*Prid.*	Equiria ad Tiberim.
B	NP	*Id.*	Annæ Perennæ. Scorpius occidit.
C	F	xvii.	Nepa occidit.
D	NP	xvi.	Liberalia, ſeu Bacchanalia. Agonia.
E	C	xv.	Sol in Ariete.
F	N	xiv.	Quinquatrus Mineruæ, per 5. dies.
G	C	xiii.	
H	C	xii.	Equus occidit manè.
A	N	xi.	
B	NP	x.	Tubiluſtrium.
C	Q.REX	ix.	
D	C[C.F.	viii.	Hilaria. Æquinoctium vernum.
E	C	vii.	
F	NP	vi.	
G	C	v.	Megaleſia.
H	C	iv.	
A	C	iii.	Concordiæ, Saluti, Paci.
B	C	*Prid.*	

Nund.	DIES.		APRILIS. *In Tutela Veneris.*
C	N	*Kal.*	Veneri. Fortunæ Virili.
D	C	iv.	Pleiades occidunt.
E	C	iii.	
F	C	*Prid.*	Megaleſia, Ludi Matri Magnæ, per octo dies.
G		*Non.*	
H	NP	viii.	Fortunæ Publicæ, Primigeniæ.
A	N	vii.	Apollinis, & Dianæ natalis.
B	N	vi.	Libra occidit.
C	N	v.	
D	N	iv.	Ludi in Circo.
E	N	iii.	
F	N	*Prid.*	Ludi Cereri, per octo dies.
G	NP	*Id.*	Ioui Victori, & Libertati.
H	N	xviii.	
A	NP	xvii.	Fordicidia, vel Fordicaria.
B	N	xvi.	Suculæ occidunt veſperi.
C	N	xv.	
D	N	xiv.	Equiria in Circo maximo.
E	N	xiii.	Cerealia. Sol in Tauro.
F	N	xii.	Palilia. Romæ natalis.
G	NP	xi.	
H	N	x.	Agonia altera.
A	NP	ix.	Vinalia priora.
B	C	viii.	Palilicium oritur.
C	NP	vii.	Robigalia. Medium Veris.
D	F	vi.	Aries occidit. Hœdi oriuntur.
E	C	v.	Feriæ Latinæ.
F	NP	iv.	Floralia, per ſex dies.
G	C	iii.	Canis veſpere occidit.
H	F	*Prid.*	Veſtæ Palatinæ. Larentalia prima.

CALENDARIVM IVLII CÆSARIS.

Nund.	DISS.		MAIVS. *In Tutela Apollinis.*
A	N	*Kal.*	Bonæ Deæ. Lararia. Capella oritur.
B	F	vi.	Compitalia.
C	C	v.	Hyades, & Centaurus oriuntur.
D	C	iv.	
E	C	iii.	Lyra oritur.
F	C	*Pridie.*	Scorpius, & Nepa medij occidunt.
G	N	*Non.*	Vergiliæ oriuntur manè.
H	F	viii.	Capella oritur Cæſari.
A	N	vii.	Lemuria, vel Remuria, per treis dies.
B	C	vi.	
C	N	v.	Malum nubere. Orion occidit.
D	NF	iv.	Marti in Circo.
E	N	iii.	Æſtatis initium. Pleiades oriuntur.
F	C	*Prid.*	Mercurio. Taurus oritur.
G	NF	*Id.*	Feriæ Ioui. Mercurij natalis. Fidis oritur manè.
H	F	xvii.	
A	C	xvi.	
B	C	xv.	
C	C	xiv.	Sol in Geminis.
D	C	xiii.	
E	NF	xii.	Veioui. Agonalia. Canis oritur.
F	N	xi.	
G	NF	x.	Tubiluſtria. Volcanalia.
H	Q REX	ix.	
A	C[C.F.	viii.	Fortunæ Publicæ. Aquila oritur.
B	C	vii.	Regifugium iterum. Arctophylax occidit.
C	C	vi.	Hyades oriuntur.
D	C	v.	
E	C	iv.	
F	C	iii.	
G	C	*Prid.*	

Nund.	DIES.		IVNIVS. *In Tutela Mercurij.*
H	N	*Kal.*	Iunoni Monetæ. Tempeſtæ.
A	F	iv.	Feriæ Marti. Carnæ Deæ.
B	C	iii.	
C	C	*Prid.*	Bellonæ, & Herculi.
D	N	*Non.*	Dio Fidio, Sancto, Semipatri.
E	N	viii.	Veſtæ.
F	N	vii.	
G		vi.	Menti, in Capitolio.
H	N	v.	Veſtalia. Aſini coronantur.
A	N	iv.	
B	N	iii.	Matralia. Fortunæ, & Concordiæ.
C	N	*Prid.*	
D	N	*Id.*	Ioui Inuicto. Quinq. Min. Calor incipit.
E	N	xviii.	
F	Q ST	xvii.	
G	C[D.F.	xvi.	
H	C	xv.	Delphin oritur totus.
A	C	xiv.	
B	C	xiii.	Mineruæ. Sol in Cancro.
C	C	xii.	Summano. Ophiuchus oritur.
D	C	xi.	
E	C	x.	
F	C	ix.	
G	C	viii.	Forti Fortunæ. Hoc, & ſequente biduo, Solſtitium.
H	C	vii.	
A	C	vi.	Orionis zona oritur.
B	C	v.	Ioui Statori. Lararia.
C	C	iv.	
D	F	iii.	
E	F	*Prid.*	Herculi, & Muſis. Populifugium.

CALEN

CALENDARIVM IVLII CÆSARIS.

QVINTILIS.

In Tutela Iouis.

Nund.	DIES.		
F	N	*Kal.*	Migrationes ex ædibus in ædeis.
G	N	vi.	
H	N	v.	
A	NP	iv.	Corona occidit manè.
B	N	iii.	Populifugium.
C	N	*Pridie.*	Ludi Apollinares, per 8. dies. Fortunæ Muliebri.
D	N	*Non.*	Populifugium, Caprotinæ Nonæ. Feſtum Ancillarum.
E	N	viii.	Vitulatio.
F	EN	vii.	Cepheus veſpere oritur.
G	C	vi.	Prodromi, ſeu Eteliæ flare incipiunt.
H	C	v.	
A	NP	iv.	Cæſaris natalis.
B	C	iii.	Fortunæ Muliebri.
C	C	*Prid.*	Merkatus, vel Merkurialia per ſex dies.
D	NP	*Id.*	Caſtori, & Polluci.
E	F	xvii.	Procyon oritur.
F	C	xvi.	
G	C	xv.	
H	NP	xiv.	Lucaria.
A		xiii.	Sol in Leone.
B	C	xii.	Lucaria.
C	C	xi.	
D		x.	Neptunalia.
E	N	ix.	Regulus oritur.
F	NP	viii.	Furinalia. Ludi Circenſes, per dies ſex.
G	C	vii.	Canicula apparet.
H	C	vi.	
A	C	v.	
B	C	iv.	
C	C	iii.	Aquila occidit.
D	C	*Prid.*	

SEXTILIS.

In Tutela Cereris.

Nund.	DIES.		
E	N	*Kal.*	Spei, Marti.
F	C	iv.	
G	C	iii.	
H	C	*Prid.*	Leo medius oritur.
A	F	*Non.*	Saluti, in Quirinali.
B	F	viii.	Arctutus medius occidit.
C	C	vii.	Aquarius medius occidit.
D	O	vi.	Soli Indigeti, in Quirinali.
E	NP	v.	
F	C	iv.	Opi, & Cereri.
G	O	iii.	Fidis occidit. Autumni initium.
H	C	*Prid.*	Herculi. Lignapæſia.
A	NP	*Id.*	Dianæ. Vertumno. Feſtum Seruorum, & Ancillarum.
B	F	xix.	
C	C	xviii.	Delphin manè occidit.
D	C	xvii.	
E	NP	xvi.	Portumnalia. Iano.
F	C	xv.	
G	FP	xiv.	Vinalia poſteriora.
H	C	xiii.	Sol in Virgine.
A	NP	xii.	Conſualia.
B	EN	xi.	Vindemiator oritur manè.
C	NP	x.	Volcanalia.
D	C	ix.	Feriæ Lunæ.
E	NP	viii.	Opiconſiua, in Capitolio.
F	C	vii.	
G	NP	vi.	Volturnalia.
H	NP	v.	Victoriæ. Ara in Curia. Sagitta occidit. Etheſiæ deſinunt.
A	F	iv.	
B	F	iii.	Mundus Cereris patet.
C	F	*Prid.*	Andromeda veſperi oritur.

CALENDARIVM IVLII CÆSARIS.

Nund.	DIES.		SEPTEMBER. *In Tutela Vulcani.*
D	N	*Kal.*	Fer. Neptuno. Ioui Mæmacti.
E	N	iv.	
F	NP	iii.	Dionyſia ſeu Vindemiæ.
G	C	*Pridie.*	Ludi Rumani, per octo dies.
H	F	*Non.*	
A	F	viii.	Erebo; ariete, & oue nigra.
B	C	vii.	
C	C	vi.	
D	C	v.	Cappella oritur.
E	C	iv.	Caput Meduſæ oritur.
F	C	iii.	Virgo media oritur.
G	N	*Prid.*	Arcturus medius oritur.
H	NP	*Id.*	Hirundinum diſceſſus.
A	F	xviii.	Equorum probatio.
B		xvii.	Ludi Circenſes, votiui, magni, per quinque dies.
C	C	xvi.	
D	C	xv.	
E	C	xiv.	Spica Virginis manè oritur.
F	C	xiii.	Sol in Libra. Crater manè apparet.
G	C	xii.	Romuli natalis. Merkatus per quatuor dies.
H	C	xi.	
A	C	x.	Argo, & Piſces occidunt.
B	NP	ix.	Auguſti natalis.
C	C	viii.	Æquinoctium hoc, & ſeq. biduo.
D	C	vii.	Saturno, & Maniæ.
E	C	vi.	
F	C	v.	Veneri Genitrici. Fortunæ Reduci.
G	C	iv.	Capella manè oritur.
H	F	iii.	Hœdi oriuntur.
A	F	*Prid.*	Meditrinalia. Epulum Mineruæ.

Nund.	dies.		OCTOBER. *In Tutela Martis.*
B	N	*Kal.*	
C	F	vi.	
D	C	v.	
E	C	iv.	Auriga occidit manè.
F	C	iii.	Mundus Cereris patet.
G	C	*Prid.*	Diis Manibus.
H	F	*Non.*	
A	F	viii.	Clara Coronæ oritur.
B	C	vii.	
C	C	vi.	Ramalia, Græcis Oſchophoria.
D		v.	Meditrinalia. Hyemis initium.
E	NP	iv.	
F	NP	iii.	Fontinalia. Ioui Liberatori, Ludi per tres dies.
G	NP	*Prid.*	
H	NP	*Id.*	
A	F	xvii.	Ludi Plebeij. Arcturus occidit.
B	C	xvi.	
C	C	xv.	Ioui Liberatori, Ludi.
D	NP	xiv.	Armiluſtrium.
E	C	xiii.	
F	C	xii.	Ludi per quatuor dies. Sol in Scorpione.
G	C	xi.	
H	C	x.	Libero Patri. Taurus occidit.
A	C	ix.	
B	C	viii.	
C	C	vii.	Nepæ frons oritur.
D	C	vi.	Ludi Victoriæ.
E	C	v.	Vergiliæ occidunt.
F	C	iv.	
G	C	iii.	Vertumni Feriæ. Ludi votiui.
H	C	*Prid.*	Arcturus occidit.

KALEN

CALENDARIVM IVLII CÆSARIS.

Nund.	DIES.		NOVEMBER. *In Tutela Dianæ.*
A	N	*Kal.*	Ludi Circenſes.
B	F	iv.	Arcturus occidit veſperi.
C	F	iii.	Fidicula manè uritnr.
D		*Pridie.*	
E	F	*Non.*	Neptunalia.
F	F	viii.	
G	C	vii.	Mundus patet.
H	n	vi.	Clara Scurpiunis oritur.
A	C	v.	Hyemis initium.
B	C	iv.	
C	C	iii.	Vergiliæ occidunt. Maria clauduntur.
D	C	*Prid.*	
E	NF	*Id.*	Lectiſternia, ſeu Epulum indictum.
F	F	xviii.	
G	C	xvii.	Ludi Plebeij in Circo, per treis dies.
H	e	xvi.	Sementis triticeæ finis.
A	e	xv.	
B	n	xiv.	Merk. per triduum. Sul in Sagittario.
C	C	xiii.	Puntificum Cœna, in hunorem Cybeles.
D	C	xii.	
E	n	xi.	Liberalia. Lepus occidit manè.
F	C	x.	Plutoni, & Pruſerpinæ.
G	e	ix.	
H		viii.	Brumalia per triginta dies.
A	n	vii.	Canicula occidit.
B	C	vi.	Suculæ occidere incipiunt.
C	C	v.	
D	n	iv.	
E	C	iii.	
F	F	*Prid.*	Turæ Snenlæ uccidunt.

Nund.	DIES.		DECEMBER. *In Tutela Veſtæ.*
G	N	*Kal.*	Furtunæ muliebri.
H		iv.	
A		iii.	
B		*Prid.*	Minervæ, & Neptuno.
C	F	*Non.*	Faunalia.
D	C	viii.	Sagittarius medius occidit.
E	C	vii.	Aquila manè oritur.
F	C	vi.	
G	C	v.	Iunoni iugali.
H	C	iv.	
A	NF	iii.	Agunalia. Alcyonij dies quatuurdecim.
B	EN	*Prid.*	
C	NP	*Id.*	Equiria, ſeu Curſus equurum.
D	F	xix.	Ambruſia.
E	NF	xviii.	Cuuſualia Scorpius totus uritur manè.
F	C	xvii.	
G		xvi.	Saturnalia, per quinqne dies.
H	C	xv.	Sul in Capricorno. Olor uritur.
A	NP	xiv.	Opalia.
B	C	xiii.	Sigillaria per duus dies.
C	NP	xii.	Diualia, ſeu Angerunalia.
D	C	xi.	Lararia.
E	NP	x.	Larentalia, vel Laurentalia.
F	C	ix.	Iuuenales Ludi.
G.	C	viii.	Solſtitium hyemale. Brumalium finis.
H	C	vii.	
A	C	vi.	Phœbo, per triduum. Delphiuus uriri manè incipit.
B	C	v.	
C	F	iv.	Aquila veſpere occidit.
D	F	iii.	Canicula veſpere uccidit.
E	F	*Prid.*	

CAPVT IV.

Romani Calendarij ad Chriſtianos vſus applicatio,& celebrandi Paſchatis tempus à Niceno Concilio præſcriptum.

CÆterùm, cùm Chriſtus Seruator, imperâte Auguſto (& ſub medium quidem intermiſſæ illius intercalationis) natus fuerit, ac primi Chriſtiani intra fineis Romani Imperij vitam duxerint; ideò ipſis quoque fuit primitùs vſus Romani Calendarij à Iulio Cæſare reformati. Nempe ipſis quoque fuere iidem Menſes, idem in vnoquoque menſe dierum numerus; idem in Februario dies intercalaris; eadem Kalendârum, Nonarum, Iduum denominatio; tametſi,quod ad cætera attinet,quidpiam immutârint.

Imprimis enim, vice literarum illarum Nundinalium, literas,vocatas Dominicaleis repoſuerunt, hoc eſt pro octonis ſeptenas, quot dies in Hebdomade ſunt, quarum vna ſemper Dominica vocatur. Fecere id autem ex Iudæorum ritu, apud quos Chriſtus natus vixit, quorumque legem obſeruauit; niſi quòd Iudæi obſeruantes Hebdomadem, feſtum habuere diem ſeptimum, Sabbathum ipſis appellatum; Chriſtiani autem feſtum habuere primum,in memoriam Reſurrectionis Chriſti Domini; vnde & illi fuit Dominicæ nomen.

Quòd communis verò annus contineat hebdomades dierum quinquaginta duas, ac vnum diem præterea; inde fit,vt his literis, nempe A,B,C,D.E,F,G,quinquagies,ac bis repetitis,ipſa litera A,diei primo anni tributa, ſuperſit etiam attribuenda diei anni vltimo; ac exinde intelligatur, ſi dies prima anni communis Dominica fuerit, vltimam quoque Dominicam fore; atque adeò diem primam anni inſequentis fore non amplius Dominicam, ſed diem hebdomadis ſecũdam; ſicque anno inſequente literam A, deſignaturam diem hebdomadis ſecundam, & literam G. Dominicalem fore.Dico autem anni communis; quoniam in anno Biſſextili,quæ litera Dominicalis ad diem vſque intercalarem eſt,eſſe deinceps non perſeuerat; verùm illius vicem ſubit, quæ ipſam proximè antecedit; adeò vt, ſi eò vſque litera Dominicalis, fuerit verbi cauſâ G, ſit deinceps futura F; & cùm proximo rurſus anno E, ſit futura Dominicalis; ipſa litera A, ſit deſignatura non diem hebdomadis ſecundam, neque etiam tertiam, ſed quartam.

Deinde, pro nihilo habuerunt dies Faſtos, Nefaſtos, Comitialeis; & cæteros; ac vice Feſtorum, Ludorum, cæterorúmque huiuſmodi, appoſuere ſolùm quibus diebus contigiſſet Depoſitio, obituſve Sanctorum Epiſcoporum,& Martyrum,vnà cum cœmeterio in quo quiſque ſepultus fuiſſet.Exempli cauſà, mense Ianuario, Ad IV. Idus, *Miltiadis in Callisti.* Ad XVIII.Kal.Febr. *Marcellini in Priſcilla.* Ad XIII. *Fabiani in Calliſti,& Sebaſtiani in Catacumbis.* Ad XII. *Agnetis in Nomentana*; atque ita de cæteris. Ex quo licet intelligi, vocatum iam Martyrologium nihil eſſe aliud, quàm primæuum hoc continuatum, amplificatumque Calendarium; & vocatum iam Calendarium nihil aliud, quàm Martyrologium ſelectum.

Tertiò,quòd eſſent apud Chriſtianos non modò ſtata,ac Immobilia,diebuſve anni certis aſſignata Feſta; ſed quædã etiam vaga,& Mobilia, hoc eſt, non quotannis ad eoſdem dies redeuntia, ſed per varios, quaſi ſubſultim,decurrentia; ideò,cùm non poſſent hæc Feſta adſcribi Calendario, & præſcribendæ tamen forent certæ regulæ,ex quibus poſſet intelligi,in quos ex Calendario dies ſingulis annis inciderent; ideò,inquam,diù,multúmque,priuſquàm aliquid hac de re conſtiterit, laboratum fuit. Et quia ſanctum Paſcha eſt veluti caput, è quo dependent cætera, cùm habito die Paſchatis, reliquorum dies facilè obtineantur; idcircò opus,ac labor fuit in præſcribendo die,quo Paſcha quoto quoque anno celebraretur.

Cùm enim Chriſtus Dominus anno ætatis xxxiv.currente,paſſurus ſub Tiberio,Paſcha pridie mortis cum Diſcipulis celebraſſet, ac idem quotannis celebrandum præcepiſſet; ſubortæ ſunt breui,ac deinceps difficultates variæ circa celebrationis tempus. Primæua inſtitutio, ab vſque exitu Iudæorum ex Ægypto, ferebat, vt quemadmodum ille exitus contingebat ſub Plenilunium, dimidiumve menſis,quo in illis regionibus nouæ fruges colligebantur, cuiuſque initium erat ſemper Nouilunium Veris initio, Æquinoctiove, ſeu antè, ſeu poſt proximum; ita in ipſius memoriam,Paſcha quotannis celebraretur, tum ſimili menſe, vocato Iudæis Niſan, qui ex ſexto factus eſt primus (quoad nempe Feſta, ſeu dies Solemneis)tum die illius decimaquarta,quæ & propter ipſam Lunæ ætatem,tempuſve à Nouilunio exactum, appellata eſt decimaquarta Luna. Scilicet, vt annus, ſic menſes, Lunares (ſaltem quod ad Sacra) apud Iudæos fuiſſe videntur.

Primi itaque Chriſtianorum non alia, quàm Iudæorum computandi ratione vſi (& maximè quidem,donec primi quindecim Ieroſolymorum Epiſcopi ex Circumciſione, ſeu Iudæi fuerunt) obſeruauere quidem omnes eundem anni menſem; verùm, cùm Paſchæ nomine ſignificetur Tranſitus: & factus à Chriſto Tranſitus duplex fuerit, Prior quidem ex vita in mortem, quo die crucifixus fuit,feriâ ſcilicet hebdomadis ſextâ; Poſterior verò ex morte in vitam,quo die reſurrexit à mortuis, feriâ nempe primâ, vocata deinceps Dominicâ: ea propter alij exiſtimârunt celebrandum Paſcha ipſo die Crucifixionis, vnde & fuit dictum σταυρώσιμον Paſcha; alij die Reſurrectionis, vnde & Paſcha dictum ἀναστάσιμον fuit. Prætereo autem,licet Crucifixionis dies videatur Iudæis fuiſſe Luna xiv.quòd,ex B.Ioanne,fuerit Paraſceue,& Iudæi non fuerint ingreſſi in Prætorium, vt non contaminarentur,ſed eo veſpere comederent Paſcha; Sanctos tamen Patres, vt deinceps citandos Theophilum, Cyrillum,

Ambro

Ambroſium, eam haboiſſe xv. ſuperiorem verò, quòd Chriſtus ab vſque antecedente contradiſſet veſpere, xiv. Lunam reputaſſe.

Breui porrò in id conſenſit maxima Chriſtianorum pars, vt Paſcha celebraretur die Dominicæ Lunam xiv. proximè inſequente (adeò vt, etiam cùm Luna xiv. in Dominicam incideret, Paſchæ in ſequentem transferretur) eáque de re Epiſtola B. Pij Papæ circiter annum Chriſti 150 exſtat. Qui autem deinceps aut ſuperfuere, aut exorti fuere, qui contenderent, retinendam eſſe cum ipſis Iudæis diem, vel Lunam xiv. Ij ab Orthodoxis habiti fuere Hæretici, Quarta-decimanique vocati. Niſi quòd tolerabiliores ſunt viſi, quibus placuit, ſi decimaquarta Luna incidiſſet in ante viii. Kalendas Aprilis, ſeu Martij xxv. quo Chriſtum paſſum perſuaſio erat, celebrari Paſchæ debere; quotacumque tandem ex dies hebdomadis occurreret: qui quidem mos diu in Gallia ſpeciatim fuit obſeruatus.

Non ea tamen ſola fuit difficultas. Nam, cùm primus menſis deberet à Nouiluuio incipere, quod foret veris initio, ſeu Æquinoctio propius, ac Luna adeò xiv. eſſe non poſſet aliquo die Æquinoctium antecedente; ſed vel die ipſo Æquinoctij, vel conſequente aliquo; ideò controuerſia fuit multa, quòd non conſtaret ſatis, quo die Æquinoctium contingeret, neque quæ dies menſis, ſeu Luna decima quarta habenda foret. Videlicet craſſa nimis videbatur Iudæorum computatio; qui & Æquinoctium habebant æquo anticipatius; & Cyclo vtebantur Hepraeteridum duodecim, ſeu octoginta quatuor annorum (addita nempe ad Calippi Periodum octaeteride) quo Nouilunia tamen in eoſdem dies non reſtituebantur, vt ipſi putabant.

Hoc de negotio cùm Papa Victor ſcripſiſſet ad Theophilum Cæſarienſem Epiſcopum, ſub annum Chriſti Domini 196 conuocauit ille Cæſaream circumvicinos Epiſcopos, eóque in Concilio conſtitutum fuit, vt, quia Mundus creatus fuiſſet in die verni Æquinoctij, exſiſtente Dominica (eà ſcilicet credebatur Æquinoctium contingere Iulij Cæſaris tempore) Quia eâdem Chriſtus ſurrexiſſet, Paſſione triduo antè incœpta (à die nimirum 22. qua Iudas eum prodiderat.) Quia rurſus menſis integer conſecratus à Deo fuiſſet celebrationi Paſcharis, ac intra menſem hebdomas, in quam decima quarta Luna incideret. Conſtitutum, inquam, fuit, vt celebrandi Paſcharis limites forent à die Martij 22. in diem Aprilis 21. ac prætereà, à Lunæ xiiij. intra illos limites cadente, in Lunam xxj. prout Dominicæ poſt Lunam decimam quartam contingeret.

At verò, quia ſimul decretum nihil fuit circa diem habendi quotannis Nouilunij, ex quo Luna decima-quarta, eaque Paſchalis ſupputaretur; ea de cauſa fuere ſubinde varij Cycli excogitati ad Lunæ ætatem cognoſcendam, quales, præter Iudaicum 84. annorum, fuere, alius quidem annorum 30. alius 25. alius 16 ſeu duarū Octaeteridum, ex quibus Hippolytus Epiſcopus Portuēſis ſub annum Chriſti 222. [illegible], Cyclumve annorum xvj. confecit, præter cæteros celebrem; quouſque Anatolius Epiſcopus Laudicenus ſub annum 275. Cyclum Decem nouennalem induxit. Induxiſſe certè memorat Euſebius: tametſi Beda Euſebium ipſum compoſuiſſe primum talem Cyclum dicat. Hic porrò Cyclus fuit quidem temporis progreſſu commodiſſimus omnium viſus; verùm, non quatenus deſcriptus ab ipſo Anatolio, qui & duo tantum Bis-ſexta per totam Cycli ſeriem agnouit; &, conſtituto Æquinoctio ad diem Martij 25. conſtituit Paſchalis celebrationis limites diem Martij 27. & Aprilis 23. ſanxitque, ſi Luna xiv. in Dominicam incideret, poſſe eâ Paſcha celebrari; adeò proinde, vt celebrationem à Luna xiv. in xx. extenderit. Meminit ille diuerſæ iam apud Gallos computationis.

Succeſſit deinde anno Chriſti 328. (niſi malis cum pleriſque dicere 325.) ſucceſſit, inquam, generale, ac celebre illud Nicænum Concilium, quod Cyclum quidem Decem-nouennalem, peritis viris in conſilium adhibitis, retinendum cenſuit; ſed quia tamen tam circa ipſum, quàm circa diem Æquinoctij difficultates ſupererant variæ; idcircò rei definiendæ curam demandauit Alexandrinæ Eccleſiæ; ob antiquam apud Ægyptios, ac in ea præſertim vrbe, Aſtronomiæ peritiam; vt re deinceps communicata cum Romano Epiſcopo, & ex illius indictione Eccleſiis longinquioribus, Paſcha eodem die celebrari à Chriſtianis omnibus poſſet.

Res proinde ſic fuit peracta, vt poſt annos demum 50. B. Theophilus Alexandrinus Epiſcopus & Cyclum annorum 418. ſeu 22. Cyclorum Decem-nouēnalium condiderit, & Canonem, ſeu Tabulam, vt iam dicimus, Temporariam, ab anno 380. in centum annos extenderit, in qua & Luna xiv. & Paſchalis Dominica quoto quoquo anno oſtenderetur; idque præſertim, Æquinoctium xij. Kalendas Aprilis, hoc eſt die Martij xxj. contingere (vt nempe ſtudioſiùs, ex mente Concilij obſeruatum fuerat) & quandocumque Luna xiv in Dominicam diem incideret, Paſcha in inſequentem, ſeu poſt ſeptem dies, differendum eſſe.

Subſcripſit ſtatim S. Ambroſius, ſub idem tempus cùm ſcriberet. Quippe & probari à Concilio Decem-nouennalis Cycli meminit, & mentione facta ſupputationis Ægyptiorum, ac definitione Alexandrinæ Eccleſiæ, admiſit explicatius poſſe Paſcha à Lunæ xv. in xxj. celebrari, & nihil vetare proinde, quò minus, etiam vij. Kalendas Maias ſeu die xxv. Aprilis, Paſcha celebretur, ſi nempe Luna xiv in diem eius menſis xviij. eámque Dominicam, inciderit.

Beatus Cyrillus, itidem Alexandrinus Epiſcopus, ſub annum 440. vbi etiam meminit decreuiſſe Concilium, vt quoniam apud Alexandriam talis eſſet reperta Eccleſia, quæ in huius rei ſcientia clareret, ideò per ipſam iudicaretur in ſingulos annos Romanæ Eccle-

 ſiæ,

ſiæ, quo die, & quota Luna Paſcha celebrandum occurreret; tum adiecit, ſe reduxiſſe memoratum Cyclum beati Theophili 418. annorum ad annos 95. hoc eſt, ad quinque Cyclos Decem-nouenaleis, quot nempe neceſſarij erant, vt poſtquàm Paſcha foret die Martij 21. (ſeu quàm citiſſimè poteſt) celebratum, eodem rurſum die poſſet celebrari.

Cùm proinde ſub idem tempus ſanctus Leo Papa hæreret de die, quo indicenda foret celebratio Paſchatis anno 444. ac requiſiiſſet beati Cyrilli ſententiam, Reſponſio eius fuit celebrandum Paſcha ix. Kalend. Maij, ſeu die Aprilis 23. (quod idem etiam illi reſpondit B. Paſchaſinus Lilybæanus Epiſcopus) tametſi eo anno Latini (exceptis tamen Mediolanenſibus, propter beatum Ambroſium) indicerent Paſcha ad vij. Kalendas Aprilis, ſeu Martij 26.

Et cùm deinceps idem ſanctus Leo, prouideret parem circa annum 455. difficultatem, quòd iuxta Cyclum Latinorum deberet Paſcha contingere ad diem xv. Kal Maias, ſeu diem Aprilis 17. iuxta Alexandrinum verò, hoc eſt, beatorum Theophili, & Cyrilli, ad viii. Kalend. ſeu diem Aprilis 24. quę aliunde quoque excederet limitem nō modò primitus præſcriptum diei 21. ſed etiam illum, qui haberi poſſet, ob biduum à die Paſſionis in Reſurrectionis Dominicam, die 23. idcircò hacce de re ſcripſit ad Marcianum Imperatorem, vt eliceret, quam & ſecum communicaret, Ægyptiorum, Alexandrinorúmve, vbi hæc expendiſſent, ſententiam. Cúmque Marcianus hacce de re ſollicitaſſet beatum Proterium Alexandrinum Epiſcopum, beati Cyrilli ſucceſſorem; reſcripſit ipſe Proterius ſuse ad ſanctū Pontificem, multiſque oſtendit nō alia, quā Aprilis die 24. Paſcha celebrandū.

Et ſanctus quidem Leo Paſcha eo die celebrandum indixit; verùm quia Latini variè obmurmurabant, Proſpérque ſpeciatim obiecit, rem fuiſſe Proterij pertinaciâ obtentam, & nunquam deinceps imitandam, quoniam exitialem offenſionem attuliſſet; eamobrem, vt impoſterùm à diſſidiis caueretur, & quid rei foret agendum conſtaret, Hilarus Romanus Archidiaconus, & poſteà quoque ſancti Leonis in Pontificatu ſucceſſor, Victorium Aquitanum harum rerum peritum adhortatus eſt, vt diligenter inquireret, vnde inter Græcos, Latinóſque oriretur diuerſitas; quò diſſono opinionis errore ſublato, fidelium vniuerſitas poſſet, dubiis omnibus expedita, idem tenere.

Victorius igitur ſub annum 457. attendens inter cætera, nullum neque 84. neque 95. neque 1000. neque plurium annorum Cyclum ſic reſumi poſſe, vt annis deinceps conſequentibus inſeruiret, donec talis eſſet, qui omneis varietates ex commiſtione Cycli Decem-nouennalis cum Dominicalibus literis, iiſque per annos quaternos binis, exortas complecteretur; ideò talem excogitauit, ac eſſe deprehendit Cyclum annorum 532. Quare & ſeriem eius contexuit, & principium duxit ab anno Paſſionis Dominicæ, quam & retulit ad Rufini, ac Rubellij Geminorum Conſulatum. In ipſo autem dies Paſchatis in ſingulos annos medio quodam modo inter Latinorum praxin, & Alexandrinorum inſtitutum, deduxit.

Siquidem Latini volebant xiv. Paſchalem Lunam poſſe etiam contingere die Martij 18. quæ, ſi foret Sabbathum, celebrandum eſſet Paſcha, non die ſequente 19. ſed octiduo poſt; ac poſſe ſolùm tum celebrari die 20. cùm Luna xiv. incideret in diem 18. ea foret hebdomadis vi. Alexandrini contendebant non poſſe Lunam xiv. ante diem 21. contingere; ac poſſe Paſcha celebrari die 22. ſi Luna xiv. incidiſſet in Sabbathum: Victorius autem cenſuit, Lunam quidem xiv. non debere contingere ante diem xxi. at non poſſe tamen Paſcha celebrari, die 22. ſi nimirùm Luna xiv. incidiſſet in Sabbathum; ſed ſolùm die 23. ſi incidiſſet in Feriam vi. Ac pari modo, cum Latini vellent non poſſe extendi Paſcha vltra diem Aprilis 21. aut ad ſummum 23. Alexandrini extendi poſſe ad vſque 25. Ipſe extremum limitem conſtituit 24.

Huiuſcemodi porrò Cyclum, ſiue Canonem Victorianum Orientales quidem omnes planè rejecerunt; Ex Latinis autem, partim aliqui approbârunt, pàrtim aut priſco adhærere, aut amplecti etiam Alexandrinum maluerunt. Qui præcipuè verò ipſum probauere, Galli fuere Epiſcopi; ipſi videlicet in IV. Aurelianenſi Concilio, ſub annum Chriſti 540. celebrato, ſanxerunt, vt Paſcha à Sacerdotibus omnibus ſecundum Victorij laterculum celebraretur: ipſorúmque decretum ad tempora vſque Caroli Magni, & Ludouici Pij obſeruatum per Galliam fuit.

Tametſi autem fuerit Cyclus antiquatus, quod ad dies ſpectat celebrationis Paſchatis; generatim tamen annorum reuolutione ſpectata, viſus ſemper eſt id commodi habere, quòd, vt iam attigi, ex annis 532. conſtans, poſſet, vbi foret exactus, reſumi, & tota alia 532. annorum ſerie, tum Lunam xiv. tum diē Paſchatis, Paſchalémve Dominicam ad eoſdem Dies demonſtrare.

Ipſe nimirum Magnus eſt Cyclus, qui ex 19. in 28. multiplicatis componitur; hoc eſt, creatur ex duobus Cyclis, Vno Decem-nouennali, poſt quem exactum Nouilunia ad eoſdem dies anni, ac eadem ſerie redeunt; vnde & Cyclus Lunæ vocatur, & Numerus etiam Aureus dicitur (ſiue ex inſigni vſu, quem præſtat; ſiue quia pridem fuit, vt aiunt, literis aureis exhibitus) Altero Viginti-octennali (ſic enim loqui liceat, vt cum vſu analogia ſit) poſt quem exactum Dominicæ ad eoſdem dies, eodémque ordine reuertuntur: Vnde & appellatur Cyclus literarum Dominicalium, & plerumque etiam Cyclus Solis, non alia ratione, quàm quòd qui primi Hebdomadis dies à Planetis denominârunt, vt diem ſecundam dixere diem Lunæ, tertiam diem Martis, quartam Mercurij, &c. ſic primam dixere diem Solis; ac dies proinde Dominica, & dies Solis eadem ſit. Quare & fit exinde, vt hic 532. annorum Cyclus varietatem omnem, quæ ex illorum duorum commiſtione oritur, complectatur.

Nam,

Nam, vt familiariùs rem dicam; ſi haberetur ſolùm Lunæ xiiij. ratio, ſatis eſſet Cyclus Decem-nouennalis (ſuppoſito aliunde, quòd & Nouilunia, & Plenilunia & aliæ Lunæ phaſes ad eoſdem anni dies conſtanter poſt annos nouemdecim redirent) At quia habetur prætereà ratio diei Dominicæ inſequentis; & quæ dies certo anno Dominica fuit, eadem nouemdecim pòſt annis Dominica ampliùs non eſt; ideò adhibendus eſt etiam literarum Dominicalium, ſeu Dominicas indicantium Cyclus.

Ac ſi illa quidem Bis-ſexti interturbatio nulla foret, & eædem ſeptem Dominicales literæ ſeptenis quibuſque annis ad eoſdem dies indicarent Dominicas; ſicque ad id muneris Cyclus Septennalis ſufficeret; tunc ad complectendum omnem varietatem ſufficeret 7. ducere in 19. vnde crearetur Cyclus annorũm 133. quibus exactis, hinc Nouilunia (ac Lunæ adeò decimæquartæ) illinc dies Dominicæ ad eoſdem dies, eodemque ordine redirent: Verùm, quia Bis-ſexta quaternis quibúſque annis interuenientia interrumpunt hunc ordinem: neque idem redire literarum ordo, niſi poſt exactos quaterſeptem, ſeu viginti-octo annos poteſt; Ideò fuit potiùs adhibendus Viginti-octennalis Cyclus, qui in Decẽ nouennalem multiplicaretur. Sic enim exactis vicies octies 19. ſeu 532. annis; & Nouilunia) ac Lunæ adeò decimæquartæ) & Paſchales Dominicæ ad eoſdem dies, eadémque ſerie ſeruata, recurrunt.

Capvt V.

Paſchalis temporis occaſione Cyclus Decem-nouennalis ſeu Numerus Aureus in Calendarium introductus.

Septuaginta poſt Victorium annis, ſeu ſub annum Chriſti 526. inſequutus eſt Dionyſius Exiguus, cuius nomine ſuperſunt duæ quædam Epiſtolæ ad negotium hoc valdè attinentes. An ipſe ſit, quem Caſſiodorus eius coætanæus Monachum dicit natione Scytham, ſed moribus omninò Romanum, & in vtraque lingua valdè doctiſſimum: an alius, qui vulgò cum eo confundatur, quem ſcribens Beda poſt annos ducentos Abbatem dixit, non diſputo. Obſeruo ſolùm, Epiſtolarum eiuſmodi Authorem eum fuiſſe, qui à Petronio Epiſcopo, multiſque aliis circa eandem de celebrando Paſchate difficultatem interpellatus, quid ſentiret, edixerit.

Reſpondit nimirum ſtandum prorsùs eſſe à Nicæno Concilio, neque aliam eſſe mentis Concilij interpretationem habendam, quàm quæ exſtaret tradita non modò à commemoratis Theophilo, Cyrillo, Proterio; ſed etiam à beato Athanaſio, qui ipſi Concilio interfuiſſet; ab inſequuto non multò pòſt Antiocheno Concilio; à venerabili Paſchaſino Lilybitano Epiſcopo, qui Chalcedonenſi præſidens Concilio, Sancti Leonis nomine, non reſcripſiſſet ad eum in aliam, quam B. Proterius, ſententiam.

Cùm videret porrò Dionyſius deſiturum poſt annos ſex beati Cyrilli Canonem annorum 95. alium totidem annorum contexuit, cui & annos reſiduos ex Beati Cyrilli Canone præfixit, & admonuit illis exactis, non hunc reſumendum, ſed ineundum ſuum. Sunt verò quædam notatu digna quæ circa ſuum præſtitit.

Primò enim illud, ſingulare fuit, quòd, cùm Annorum ſeries in Canone beati Cyrilli, ab anno Diocletiani 153. incœpta, nihil aliud foret, quàm eorundem annorum Diocletianeorum cõſequutio; ipſe indignum ratus Circulis Sacris innectere impij Tyranni, perſequutoriſque memoriam; ſatius duxit ſeriem Annorum ab ipſa Chriſti Domini Incarnatione adhibere. Ac diſertè quidem expreſſum non exſtat, à quoto vſque Chriſti anno Canonem ſuum inchoauerit; ſed ex Characteribus tamen eius anni, quo ſcripſit, intelligimus illum ſex annis ipſo poſteriorem fuiſſe 533.

Vtcumque ſit verò, effectum eſt inde, vt cùm eò vſque ipſi etiam Chriſtiani annos computarent, aut Vrbis, aut Conſulum, aut vitæ Imperatorum, aut ſimili alia cum Ethnicis ratione (niſi quòd ſpeciale caput fecerant ab vſque Diocletiani Regno, ſub quo memorabile foret paſſos fuiſſe tot Martyres; vnde & Martyrum Æra fuit dicta) effectum eſt, inquam, vt Chriſtiani deinceps paullatim aſſueti numerationi annorum ab Incarnatione Dominica fuerint; ac vno, alterove, aut ſaltem tertio pòſt ſæculo, totus Chriſtianus orbis hanc annorum numerandorum rationem fuerit amplexatus. Id nempe, ex quo Galli quoque circa tempora memorata, Victorij Canonem deſerentes, Romanum Canonem admiſerunt, in quo non ampliùs anni Paſſionis, vt Victorius adſcripſerat, ſed Incarnationis, aut Natiuitatis, Dionyſij ſerie continuata, adhibuerũnt. Quò minùs eſt mirum, ſi quia primam illi occaſionem Dionyſius fecit, idcircò Æra Incarnationis etiam Dionyſiana dicatur.

Quia verò etiam Cyclus annorum 532. Dionyſianus pleriſque habetur (tametſi ipſe illius nuſquam in Epiſtolis meminit, neque ſe alium inſtituiſſe quam Cyrillino parem autumauit; cùm ex deductis iam conſtet huiuſcemodi Cyclum eſſe Victorianum origine) fortè res ex eo peruulgata eſt, quòd contigerit Cyclum illum Dionyſij annorum 95. incipere ſtatim ab exactis a Chriſto annis 532. ſicque primus annorum deinceps futurorum 95. fuerit quoque annorum 531. primus. Quanquam potuit quoque Dionyſius allici ad hunc numerum annorum 532. deducendum, ex conſpiratione quadam trium interuallorum, quæ continentia ſingula Decem nouennaleis aliquot Cyclos integros, deprehenderentur vniuersè viginti-octo, atque adeò annos 532. continere.

Scilicet, cùm beatus Cyrillus alligaſſet primum annum ſui Canonis ad annũ Diocletiani 153. & notum foret hunc Canonem ad annum vſque Diocletiani 247. incluſum continere Cyclos Decem-nouennaleis 5.

attendere

attendere facillè potuit annos Diocletiani 152. antecedeoteis, continere Cyclos præciſè 8. qui additi ad alios 5. forent 13. Fortè & attendit, quia Chriſtus anno Imperij Tiberij xv. fuiſſe legeretur annotum circiter 30. atque idcircò incarnari, Naſcique debuiſſet circiter annum Imperij Auguſti xlij. Attendit, inquam, poſſe appoſitè inter iſtum Auguſti annum, & Diocletiaoi primum, vſurpari Cyclos Decem-nouennaleis 15. continenteis annos 285. quot deduci quoque ex Faſtis Conſularibus viderentur. Sic igitur ille deducere potuit, vt 28. Cyclos ex his 15. ad illos 13. additis, ita & num. ann. 532.

Ac fortaſſis quidem euênit, vt ad colligendum annos à xlij. Auguſti ad Diocletiani 1. interceptos, non exactiores habuerit Faſtos, qoàm Caſſiodorus contemporaneus, imò & quàm ipſe Victorius, à quo aliquot Conſulatus prætermiſſos, variéque interpolatos conſtat; quippe, ſi habuiſſet, deprehendiſſet fortè duos annos fuiſſe ampliùs interiiciendos, eóque caſu annum Diocletiani primum referendum fuiſſe non ad annum Chriſti 286. ſed ad 288. Sed rem diſcutieodam Chronologo eximio, amicóque optimo Ludouico Fabro relinquo: ipſe quippe hic nihil aliud, quàm attingo curſim, quod Dionyſij opinione praxique, vt reputatur, ſuppoſita, ad Calendarij cooſtitutionem intelligendam præſertim confert.

Secundò itaque ſupponendo Dionyſium ad Cyclum illum primum annorum ab Incarnatione 532. reſpexiſſe; vt peruidit illum ex ductis in ſe mutuò Cyclo Lunari 19. & Solari 28. conſtare, ita ſanè agnouit debuiſſe vtrumque, hoc eſt, tam Solarem, quàm Lunarem, recto ordine procedendo, cum ipſomet anno Incarnationis incipere; atque idcircò ſecundum Cyclum ſic quoque inchoari debere, vt anno 533. apponeretur, ex Cyclo Lunari 1. & ex Cyclo Solari 1. ſeu Litera Dominicalis G (nempe hæc prima habenda eſt, quòd literæ Dominicales ſe in annorum ſerie retrogrado ordine conſequantur) aut certè, quia anous erat Bis-ſextilis, literæ geminæ G F: Anno autem 534. ex Cyclo Lunæ 2. ex Cyclo Solis 2. ſeu litera E, atque ita deinceps: Verùm, cùm de Lunæ Cyclo id licuerit, de Cyclo tamen Solis non licuit, quòd literæ Dominicales iam tum in vſu forent, ac eo repertæ ordine, vt anno illo 533. indicantes io Calendariis Dominicas Literæ forent non G F, ſed D C, quæ oon potuiſſent abſque inſigoi perturbatione immutari. Quocirca & Cyclus Solaris, ſeu literarum Dominicalium talis fuit ſeruandus, qualem reperiri ipſum contigit, hoc eſt, anno 533. non 1. ſed 9. ſcilicet literæ DC, loco nono à GF, in ipſa Cycli literarum Dominicalium ſerie occurrunt.

Adnotandum ioterim eſt, quod ex iam dictis elicitur, annum illum, qui fuit Dionyſio 533. ab eo, quo Chriſtus eſt Incarnatus, ac natus, eſſe eum, quem octidoo poſt Natiuitatem, ſeo Kalendis Iannarij Natiuitatem proximè conſequutis inceptom, numeramus, ac dicimus 532. Atque adeò, quem nos annum primũ Chriſti habemus, fuiſſe ſecundum Incarnationis, ac ideò illi cópetiiſſe ex Cyclo Lunæ 2. ex Cyclo Solis 10. ſeu literam Dominicalẽ B, quatenus anoo Incarnatioois, noo ſecùs ac anno ab illa 533. competere debuit ex Cyclo Lunæ 1. ex Cyclo Solis 9. ſeu litera gemina DC, ſi illius vſum tum fuiſſe, retrogreſſione qoadam, fingamus.

Vnde & licet intelligi, ſi habere velimus Cyclum, Periodumve annorum 532. in quo tam Lunæ, quàm Solis Cycli ſimul incœperint, ac deſierint; annum anoo Iocarnationis ſuperiorem eſſe requirendum. Comperiemus autem Cyclum, quem tempore Incarnationis fluxiſſe concipimus, debuiſſe incipere anno ante Chriſtum, vt nos numeramus, 456. Quo pacto alius deinde cœpiſſe debuit, aono poſt Chriſtum natum 76. aliúſque iterùm anno 608. alius rursùm anno 1140. neque ſecus alius iocœpturus eſt annis ab hinc 18. anno ſcilicet 1672. Quanquam in eo noo deprehendes ampliùs literas Dominicaleis GF, ſed CB, propter innouationem factam in Reformatione Calendarij anno 1582. de qua dicendum poſteriùs eſt.

Tertiò, cùm Dionyſius Alexandrinorum, ſanctique præſertim Cyrilli inſiſtendo veſtigiis, Cyclum Lunæ ioter cætera, voo tenore cootinuatum in Canonem induxerit; quia Latinis tamen ſamiliaris erat etiam Circulus Lunaris vocatus, ipſe quidem etiam annorum nonemdecim, ſed oon tamen ſimul cum Alexandrino incipiens; idcò illum quoque retinuit; ipſum ſcilicet cum Alexandrioo ita copulans, vt numeru licet differrent, eiuſdem tamen vſus forent. Diſtinctionis autem gratiâ inſcripſit illum Circulum Lunarem, Alexandrinum verò Dece-nouennalem; ac annum huius primum cum decimo-ſeptimo illius connexuit. Quanquam ex eo habuit Decem-nouennalem præcipuum, quòd ad ipſius, noo ad alterius ſeriem alligauit Emboliſmos, de quibus poſteà dicendum eſt: vnde & ſenſim ſolus remanſit, ac Numeri Aurei titulo celebris euaſit.

Quartò habuit quoque Dionyſius, vti & priùs etiam Victorius, rationem Cycli Indictionum, ſiue annorum Quindecim. Si verum ſit porrò Numeri huius cauſam repetendam eſſe ex numero annorum, qui à Conſtantini Quinquennalibus in Vicennalia decurterunt; cùm aliunde conſtet Nicæuum Concilium celebratum fuiſſe anno Vicennalium (& Nicomediæ quidem actorum, per quæ Patres Concilij inuitati ab eo fuerint) & videantur Chriſtiaoi non alia de cauſa vſi Iodictionibus, quàm vt temporis, Actorumque Nicæni Concilij conſeruaretur memoria: veriſimile eſt, Dionyſium reſpexiſſe ad id, quod dictum eſt antè, celebratum fuiſſe Concilium anno Chriſti 328. quandò eo, quo ſcribebat anno 526. fuiſſe dixit Indictionem, Indictioniſve annum IV. prorsùs, vt Indictionibus ab anoo 328. (aut, ſi velis ab anno Quinquennalium 313.) incœptis.

Atque id quidem, tametſi Victorius, quaſi Coocilio celebrato anno 325. ab illo exordium duxiſſet: quippe anno 457. quo Canonem

nem edidit, non x. ſed xiii. Indictionis annum adſcripſit. Præterea autem non defuiſſe, qui, licet ante hæc tempora nulla Indictionum mentio habeatur, velint tamen eas incœpiſſe, alij ab anno primo Iulij Cæſaris; alij à ſecundo Auguſti; alij aliundè; quod ediſſerere ab hoc loco alienum eſt. Id verò notandum, inualuiſſe, ac etiamnum perſeuerare Dionyſij praxin deducendi Indictiones à Chriſti anno ſeu 328. ſeu 313. adeò proinde vt ſi illas retrocedendo ad primum vſque, quem numeramus, Chriſti annum reduxeris, deprehenſurus illum ſis fuiſſe annum Indictionis quartum.

Illud verò & heic attendendum; cùm tota Cyclus appellandus videretur Indictio, moris tamen eſſe, vt quiſque illius annus Indictio vocetur; nempe annus primus Indictio prima, annus ſecundus Indictio ſecunda. atque ita de cæteris. Quod idem quoque attendendum eſt Cyclo tam Lunari, quàm Solari aduenire. Annus enim primus Cycli v.c. Lunaris, dicitur Cyclus Lunæ primus; annus ſecundus, Cyclus ſecundus, &c. Neque ſecùs fit, cũ pro Cyclo Lunæ, dicitur Aureus numerus; iſ enim Aureus numerus dicitur tota nouemdecim annorũ reuolutio, quàm quilibet illius annus, vt Aureus numerus primus, Aureus numerus ſecundus, &c. Quod hic ideò præmoneo, quia ita deinceps breuitatis causâ plerumque loquemur.

Quintò, Dionyſius B. Cyrilli imitatione Canonem, ſeu Tabulam, mauis, Temporariam contexuit in annos 95. facto initio à memorato anno 533. Diſtinxit autem in eo varias Series, ſeu Columnas, vel Ordines, in quorum I. Chriſti annos deduxit; In II. annos Indictionum; In III. annos Cycli Lunaris; In IV. annos Cycli Decem-nouennalis; In V. dies Epactaleis; In VI. Lunas Decimasquartas; In VII. Dominicas, ſeu dies Paſchatis; In cæteris alia. Quo pacto, eo quo ſcripſit, anno, eſſe dixit, Indictionem IV. Lunarem Cyclum XI. Decem-nouennalem XIV. &c.

Sextò demùm, videtur ſimul Romanum Calendarium, quòd ad Cycli Lunæ, Numerive Aurei introductionem attinet, Alexandrini inſtar compoſuiſſe. Quippe Alexandrini anni ſui principium, priùs, Romani reſpectu, vagum iam defixerant (& retinendo quidem menſeis omneis, veluti priùs, dierum tricenûm, addendóque ſemper ad finem, non dies ſolùm quinque, ſed quarto etiam, ſeu Bis-ſextili ſex) defixerant, inquam, ipſum anni principium, ſiue diem primum Menſis primi Thoth ad iv. Kalendas Septembris ſeu diem Auguſti 29. ac ab illo vſque Aureum Numerum diſtribuerant per totum annum.

Quare & fuit quidem Dionyſio tranſſumptione vtendum; ſed labore tamen non magno; quando ipſi quoque Alexandrini ſuos & Menſeis, & menſium dies ſic Romanis accommodabant, vt quiſ-nam cuique reſponderet, aut ad latus apponerent, aut vno verbo declararent. Multò autem magis tam Antiocheni, quàm Conſtantinopolitani, qui paucorum dierum propinquitate illecti, diem anni primum ipſas Septembris Kalendas ſtatuebant; adeò vt menſeis ſolo ordine à Romanis diuerſos haberent. Ex quo & manauit, vt Græci etiam-num ſui Menologij principium ducant à Kalendis Septembris.

Vt-cumque autem ſit, videtur ex eo maximè tempore Romani Calendarij facies ea fuiſſe, quæ heic exhibetur; niſi quòd Feſta non adhibeo, quæ & ſuppleri abunde ex eo poterunt, quod agendo deinceps de ipſiuſmet Reformatione, exhibendum erit.

In hoc itaque Calendario, quatuor ad, vnumquemque menſem ſunt Columnæ, ſeu Ordines, quorum Extremus, ſeu qui ad dextram, nihil aliud eſt, quàm ſeries dierum cuiuſque menſis, cyphris, notiſve Arabicis, quæ iam ſunt vulgares, deſcripta. Antecedens, conſueta eſt, & Romanis notis, vt priùs, conſcripta diſtributio in Kalendas, Nonas, Idus, diéſque, qui ante ipſas ſunt.

Qui hunc præcedit, ſeries eſt literarum Dominicalium, circa quam id ſolùm notandum, quòd, cùm ſeptenæ literæ deſignent dies ſeptem cuiuſlibet Hebdomadis, mos eſt Eccleſiæ per-antiquus, vt dies iſti Feriæ dicantur, & numero potius diſcernantur, hoc modo, Feria i. Feria ii. Feria iii. &c. quàm Ethnico illo, & vulgari more, indigitãdo ipſas diem Solis, diem Lunæ, diem Martis, &c. quod iam etiam innuimus; vti & quòd non tam Feriam I. dicamus, quam Dominicam; cùm & moris ſit Feriam ſeptimam, Hebræorum ritu, Sabbathum vocare. Præterea autem Ferias dictas, (vel B. Hieronymo referente) quòd, cùm primi Chriſtiani Eccleſiaſticum, ſiue Solemnitatum Annum inchoarent à Paſchate, ac prima Hebdomade tota feriarentur (vtcumque feriemur nunc ſolùm dies treis) cæterarum quoque Hebdomadum dies fuerunt vocati Feriæ, primæ illius imitatione.

CALEN

CALENDARIVM ECCLESIASTICVM VETVS.

IANVARIVS.

Aurei Numeri.	Literæ Domin.		Dies.
III	A	*Kalendæ*	1
	b	VI	2
XI	c	V	3
	d	IV	4
XIX	e	III	5
VIII	f	*Pridie*	6
	g	*Nonæ*	7
XVI	A	VIII	8
V	b	VII	9
	c	VI	10
XIII	d	V	11
II	e	IV	12
	f	III	13
X	g	*Pridie*	14
	A	*Idus*	15
XVIII	b	XVII	16
VII	c	XVI	17
	d	XV	18
XV	e	XIV	19
IV	f	XIII	20.
	g	XII	21
XII	A	XI	22
I	b	X	23
	c	IX	24
IX	d	VIII	25
	e	VII	26
XVII	f	VI	27
VI	g	V	28
	A	IV	29
XIV	b	III	30
III	c	*Pridie*	31

FEBRVARIVS.

Aurei Numeri.	Literæ Domin.		Dies.
	d	*Kalendæ*	1
XI	e	IV	2
XIX	f	III	3
VIII	g	*Pridie*	4
	A	*Nonæ*	5
XVI	b	VIII	6
V	c	VII	7
	d	VI	8
XIII	e	V	9
II	f	IV	10
	g	III	11
X	A	*Pridie*	12
	b	*Idus*	13
XVIII	c	XVI	14
VII	d	XV	15
	e	XIV	16
XV	f	XIII	17
IV	g	XII	18
	A	XI	19
XII	b	X	20
I	c	IX	21
	d	VIII	22
IX	e	VII	23
	f	VI	24
XVII	g	V	25
VI	A	IV	26
	b	III	27
XIV	c	*Pridie*	28

CALENDARIVM ECCLESIASTICVM VETVS.

MARTIVS.

Aurei Numeri.	Literæ Domin.		Dies.
iii	d	*Kalendæ*	1
	e	vi	2
xi	f	v	3
	g	iv	4
xix	A	iii	5
viii	b	*Pridie*	6
	c	*Nonæ*	7
xvi	d	viii	8
v	e	vii	9
	f	vi	10
xiii	g	v	11
ii	A	iv	12
	b	iii	13
x	c	*Pridie*	14
	d	*Idus*	15
xviii	e	xvii	16
vii	f	xvi	17
	g	xv	18
xv	A	xiv	19
iv	b	xiii	20
	o	xii	21
xii	d	xi	22
i	e	x	23
	f	ix	24
ix	g	viii	25
	A	vii	26
xvii	b	vi	27
vi	c	v	28
	d	iv	29
xiv	e	iii	30
iii	f	*Pridie*	31

APRILIS.

Aurei Numeri.	Literæ Domin.		Dies.
	g	*Kalendæ*	1
xi	A	iv	2
	b	iii	3
xix	c	*Pridie*	4
viii	d	*Nonæ*	5
xvi	e	viii	6
v	f	vii	7
	g	vi	8
xiii	A	v	9
ii	b	iv	10
	c	iii	11
x	d	*Pridie*	12
	e	*Idus*	13
xviii	f	xviii	14
vii	g	xvii	15
	A	xvi	16
xv	b	xv	17
iv	c	xiv	18
	d	xiii	19
xii	e	xii	20
i	f	xi	21
	g	x	22
ix	A	ix	23
	b	viii	24
xvii	c	vii	25
vi	d	vi	26
	e	v	27
xiv	f	iv	28
iii	g	iii	29
	A	*Pridie*	30

CALENDARIVM ECCLESIASTICVM VETVS.

MAIVS.

Aurei Numeri.	Literæ Domin.		Dies.
XI	b	*Kalendæ*	1
	c	VI	2
XIX	d	V	3
VIII	e	IV	4
	f	III	5
XVI	g	*Pridie*	6
V	A	*Nonæ*	7
	b	VIII	8
XIV	c	VII	9
II	d	VI	10
	e	V	11
X	f	IV	12
	g	III	13
XVIII	A	*Pridie*	14
VII	b	*Idus*	15
	c	XVII	16
XV	d	XVI	17
IV	e	XV	18
	f	XIV	19
XII	g	XIII	20
I	A	XII	21
	b	XI	21
IX	c	X	23
	d	IX	24
XVII	e	VIII	25
VI	f	VII	26
	g	VI	27
XIV	A	V	28
III	b	IV	29
	c	III	30
XI	d	*Pridie*	31

IVNIVS.

Aurei Numeri.	Literæ Domin.		Dies.
	e	*Kalendæ*	1
XIX	f	IV	2
VIII	g	III	3
XVI	A	*Pridie*	4
V	b	*Nonæ*	5
	c	VIII	6
XIII	d	VII	7
II	e	VI	8
	f	V	9
X	g	IV	10
	A	III	11
XVIII	b	*Pridie*	12
VII	c	*Idus*	13
	d	XVIII	14
XV	e	XVII	15
IV	f	XVI	16
	g	XV	17
XII	A	XIV	18
I	b	XIII	19
	c	XII	20
IX	d	XI	21
	e	X	22
XVII	f	IX	23
VI	g	VIII	24
	A	VII	25
XIV	b	VI	26
III	c	V	27
	d	IV	28
XI	e	III	29
	f	*Pridie*	30

CALEN

CALENDARIVM ECCLESIASTICVM VETVS.

IVLIVS.

Aurei Numeri.	Literæ Domin.		Dies.
xix	g	*Kalendæ*	1
viii	A	vi	2
	b	v	3
xvi	c	iv	4
v	d	iii	5
	e	*Pridie*	6
xiii	f	*Nonæ*	7
ii	g	viii	8
	A	vii	9
x	b	vi	10
	c	v	11
xviii	d	iv	12
vii	e	iii	13
	f	*Pridie*	14
xv	g	*Idus*	15
iv	A	xvii	16
	b	xvi	17
xii	c	xv	18
i	d	xiv	19
	e	xiii	20
ix	f	xii	21
	g	xi	22
xvii	A	x	23
vi	b	ix	24
	c	viii	25
xiv	d	vii	26
iii	e	vi	27
	f	v	28
xi	g	iv	29
ix	A	iii	30
	b	*Pridie*	31

AVGVSTVS.

Aurei Numeri.	Literæ Domin.		Dies.
viii	c	*Kalendæ*	1
xvi	d	iv	2
v	e	iii	3
	f	*Pridie*	4
xiii	g	*Nonæ*	5
ii	A	viii	6
	b	vii	7
x	c	vi	8
	d	v	9
xviii	e	iv	10
vii	f	iii	11
	g	*Pridie*	12
xv	A	*Idus*	13
iv	b	xix	14
	c	xvvii	15
xii	d	xvii	16
i	e	xvi	17
	f	xv	18
ix	g	xiv	19
	A	xiii	20
xvii	b	xii	21
vi	c	xi	22
	d	x	23
xiv	e	ix	24
iii	f	viii	25
	g	vii	26
xi	A	vi	27
xix	b	v	28
	c	iv	29
viii	d	iii	30
	e	*Pridie*	31

CALENDARIVM ECCLESIASTICVM VETVS.

SEPTEMBER.

Aurei Numeri.	Literæ Domin.		Dies.
xvi	f	*Kalendæ*	1
v	g	IV	2
	A	III	3
xiii	b	*Pridie*	4
ii	c	*Nonæ*	5
	d	VIII	6
x	e	VII	7
	f	VI	8
xviii	g	V	9
vii	A	IV	10
	b	III	11
xv	c	*Pridie*	12
iv	d	*Idus*	13
	e	XVIII	14
xii	f	XVII	15
i	g	XVI	16
	A	XV	17
ix	b	XIV	18
	c	XIII	19
xvii	d	XII	20
vi	e	XI	21
	f	X	22
xiv	g	IX	23
iii	A	VIII	24
	b	VII	25
xi	c	VI	26
ix	d	V	27
	e	IV	28
viii	f	III	29
	g	*Pridie*	30

OCTOBER.

Aurei Numeri.	Literæ Domin.		Dies.
xvi	A	*Kalendæ*	1
v	b	VI	2
xiii	c	V	3
ii	d	IV	4
	e	III	5
x	f	*Pridie*	6
	g	*Nonæ*	7
xviii	A	VIII	8
vii	b	VII	9
	c	VI	10
xv	d	V	11
iv	c	IV	12
	f	III	13
x	g	*Pridie*	14
i	A	*Idus*	15
	b	XVII	16
ix	c	XVI	17
	d	XV	18
xvii	e	XIV	19
vi	f	XIII	20
	g	XII	21
xiv	A	XI	22
iii	b	X	23
	c	IX	24
xi	d	VIII	25
ix	e	VII	26
	f	VI	27
viii	g	V	28
	A	IV	29
xvi	b	III	30
v	c	*Pridie*	31

CALENDARIVM ECCLESIASTICVM VETVS.

NOVEMBER.

Aurei Numeri.	Literæ Domin.		Dies.
	d	*Kalendæ*	1
xiii	e	iv	2
ii	f	iii	3
	g	*Pridie*	4
x	A	*Nonæ*	5
	b	viii	6
xviii	c	vii	7
vii	d	vi	8
	e	v	9
xv	f	iv	10
iv	g	iii	11
	A	*Pridie*	12
xii	b	*Idus*	13
i	c	xviii	14
	d	xvii	15
ix	e	xvi	16
	f	xv	17
xvii	g	xiv	18
vi	A	xiii	19
	b	xii	20
xiv	c	xi	21
iii	d	x	22
	e	ix	23
xi	f	viii	24
xix	g	vii	25
	A	vi	26
viii	b	v	27
	c	iv	28
xvi	d	iii	29
v	e	*Pridie*	30

DECEMBER.

Aurei Numeri.	Literæ Domin.		Dies.
xiii	f	*Kalendæ*	1
ii	g	iv	2
	A	iii	3
x	b	*Pridie*	4
	c	*Nonæ*	5
xviii	d	viii	6
vii	e	vii	7
	f	vi	8
xv	g	v	9
iv	A	iv	10
	b	iii	11
xii	c	*Pridie*	12
i	d	*Idus*	13
	e	xix	14
ix	f	xviii	15
	g	xvii	16
xvii	A	xvi	17
vi	b	xv	18
	c	xiv	19
xiv	d	xiii	20
iii	e	xii	21
	f	xi	22
xi	g	x	23
xix	A	ix	24
	b	viii	25
viii	c	vii	26
	d	vi	27
xvi	e	v	28
v	f	iv	29
	g	iii	30
xiii	A	*Pridie*	31

CAPVT VI.

Cuiuſmodi fuerit Aurei Numeri per Calendarium facta diſtributio.

SVpereſt Primus, ſeu qui ad læuam Ordo dicendus, titulo Aurei Numeri, circa quem præcipuè eſt opus,ac labor. Quamobrem ſuppono imprimis Aureum Numerum, ex iam dictis, nihil eſſe aliud quàm Cyclum Lunarem, ſeu Decem-nouennalem, eo fine vſurpatum, vt quatenus per totam ſeriem Calendarij deducitur,demonſtret omnia Nouilunia, ac illud ſpeciatim, à quo ſupputata Luna xiv. indigitat Paſcha. Quippe anno I. Cycli, v.g. vbicumque in Calendario,ac per menſeis ſingulos inſcriptum vides Aureum Numerum I. ipſe indicat (aut temporibus certè illis indicauit) Nouilunium eo die contingere: ac pari modò anno 2. vbicumque vides Aureum Numerum II. anno 3.vbi numerum III. atque ita porrò, quovſque annis Cycli expletis, tum ad vnitatem redeatur, tum Nouilunia iiſdem diebus, eodémque ordine recurrant.

Quoniam verò in Calendario adſcriptum habes Kalendis Ianuarij, non I. ſed III. Notandum eſt Alexandrinos duobus annis ante Nicænum Concilium occœpiſſe Cyclum Decem-nouennalem. Et quia priore horum annorum Nouilunium verno Æquinoctio proximum contigit ipſis die 27. menſis Ægyptij Phamenoth, reſpondente diei 23. noſtri Martij; idcircò illos ad eum diem defixum habuiſſe Aureum numerum I. Tum autem, quia ab vno Nouilunio ad aliud ſunt, ex ante-dictis, dies 29. cum ſemiſſe; & Lunationes proinde ſeu menſes Lunares, compenſando illum ſemiſſem, fiunt alternis 29.& 30. dierum; illos quoque Aureum numerum adſcriptum habuiſſe & diei 26.Pharmuthi, menſis inſequentis, & diei 29. inſequentis menſis Pachon, & ſic conſequenter; adeò proinde, vt Numeri Aurei per Calendarium Romanum diſtributio ex hoc principio, ac ſimili facto progreſſu, dependerit.

Itaque trans-ſumptio ex Alexandrino in Romanum ſic facta fuit, vt illius eiuſdem anni occaſione, Aureus Numerus I. fuerit affixus diei Martij 23. & ſuccedenter Aprilis 21. Maij 21. Iunij 19. Iulij 19. Augusti 17. Septembris 16. Octobris 15. Nouembris 14. Decembris 13. Tum autem, quia ſequente anno ſuccedebat Aureus Numerus II. numeratis à die illa Decembris diebus 30. affixus fuit Aureus Numerus II. tum diei Ianuarij 12. tum ſuccedenter diebus Februarij 10. Martij 12. Aprilis 10.Maij 10. Iunij 8.Iulij 8. Augusti 6. Septembris 5. Octobris 4. Nouembris 3. Decembris 2. A quo rursùs continuando, ac tribuendo iam anno tertio, qui fuit ipſius Concilij, Aureum Numerum III. idcircò diebus rursùs 30. ad ſecundum Decembris additis, Aureus Numerus III. affixus fuit diei 1.ſeu Kalendis Ianuarij,ac pari ratione, ordinéque deinceps; niſi, ſi quam fieri immutationem neceſſitas coëgit.

Vt enim habeas, qua ratione,ex hoc principio ſuppoſito, diſtributio tota Aurei Numeri in eam, quam vides, formam fuerit facta: Sciendum eſt, in Nouem-decim Solaribus annis eſſe Menſeis Lunareis non ſolum 228.(totidem quippe ſunt duodecies nouemdecim) verùm 235. Nempe illi xi. dies,quibus Annus Solaris communis ſuperat Lunarem, quique Epactales dicuntur, aſſurgunt intra 19. annos ad dies 209. ex quibus conſtitui poſſunt ſeptem menſes, quorum ſex ſint 30. dierum, vnus dierum 29.

Iſti porrò ſunt ſeptem Menſes, qui Emboliſmici dici ſolent, quòd veluti ἐμβολισμῷ *injectione* quadam intercalari aliquibus ex nouemdecim annis ſoleant. Dicuntur verò ipſi quoque anni, quibus iniiciuntur, Emboliſmici, ſeu Emboliſmales; ad diſcrimen nempe annorum communium, qui habentur ſemper dierum 354. cùm Emboliſmici ſex ſint dierum 384. & ſeptimus, cui competit menſis 29. dierum, ſit 383.

Sunt autem propriè Emboliſmici anni in Decem-nouennali Cyclo, qui numerantur 3. 6.9.11.14.17. 19.quoniam Tertio anno dies xi.ter ſumpti,ſunt 33. ex quibus creatur vnus menſis dierum 30. præter treis dies ſuperſtites. Sexto ſunt rurſus 33.qui tribus illis reſiduis adjuncti, fiunt 36. ex quibus item fit vnus menſis dierum 30. præter ſuperſtites dies ſex.Nono iterum ſunt 33.ex quibus iteratò fit vnus menſis dierum 30. præter ſuperſtites dies nouem, Anno autem Vndecimo dies xi. bis ſumpti, ſunt 22. qui illis nouem adjecti efficiuntur 31. Ex hiſce autem creatur pariter vnus menſis dierum 30. cum vno die ſuperſtite; qui anno Decimo-quarto additus ad 33. creat alium menſem dierum 30. cum ſuperſtitibus diebus 4. qui rurſus creant alium anno Decimo-ſeptimo, cum ſuperſtitibus diebus ſeptem. Hi autem anno Decimo-nono ad 22. dies additi, creant vnum menſem 29. dierum.

Dixi autem, *propriè*, hoc eſt procedendo (quemadmodum vides) naturali ordine; Siquidem Dionyſius diuideos cum Alexandrinis Nouémdecim annos in Ogdoadem, & Hendecadem, ſeu octo ex vna, & vndecim ex alia parte; vt haberentur Emboliſmici anni, in Ogdoade quidem tres, in Hendécade verò quatuor, habuit potiùs Octauum annum,quàm Nonum Emboliſmicum; tametſi, quia anno Octauo Injectitius menſis reperiretur dierum ſolummodò 28.quos quaſi adſciſcere ex anno ſequête oportuerit,vt 30. dies complerentur. Quamobrem planius deinceps viſum eſt eo,quo dictum,modo facere Emboliſmos. Vt habeas autem & quos annos Decem-nouennalis Cycli fecerit Dionyſius Emboliſmicos, & quibus item annis Circuli Lunaris, de quo dictum ante, eos in Canone reſpondenteis habuerit, inſpiciunda ſolùm appoſita Tabella eſt.

Notan

Circulus Lunaris.	Cyclus Decem-nou.	Anni Emboliſmici.
17	1	
18	2	
19	3	Emboliſmici.
1	4	
2	5	
3	6	Embol.
4	7	
5	8	Embol.
6	9	
7	10	
8	11	Embol.
9	12	
10	13	
11	14	Embol.
12	15	
13	16	
14	17	Embol.
15	18	
16	19	Embol.

Notandum verò, tametſi Dionyſius in poſteriore Epiſtolarum, dinumerans annos Emboliſmicos, dicat etiam decimum-nonum eſſe dierum 384. quaſi etiam ſeptimus menſis Emboliſmicus dierum 30. exſiſteret, facere illum tamen reipsà eum annum (ac proinde menſem) vno die cæteris minorem; quatenus in cæteris annis Emboliſmicis numerari iubet 384. dies à Paſchali Luna xv. antecedentis anni, In xiv. Paſchalem ſequentis; illo autem anno numerari 384. volt à xiv. antecedentis in xiv. ſequentis, qui & ſit primus Cycli, vt dicendum poſteriùs eſt.

Interim verò, noſſe oportet, cùm Nouemdecim anni Solares Iuliani contineant dies 6939$\frac{1}{4}$. hoc eſt, amplius dies 4$\frac{1}{4}$. quàm colligantur ex illis partim cōmunibus, partim Emboliſmicis annis; id cōtingere, quòd menſes Emboliſmici ſupponant eſſe omneis menſeis Solareis communeis, & ſupereſſe ſolùm quotannis dies xi. cùm tamen & quarti quique anni ſint Bis-ſextiles, & quarto quoque anno ſuperſint dies 12. Id nempe, propter illas ſex horas, quæ quotannis abundantes, creant proinde intra annos ſexdecim dies 4. & intra annos treis poſtremos, treis diei quadranteis. Vnde & quia Nouilunia poſt annos Lunareis 19. ſeu poſt numeratas illas Lunationes 235. ad eoſdem dies non redeunt, ſed ad hoc deficiunt dies proximè quinque, intelligimus Lunationes ciuileis non planè exæquari Aſtronomicis; ſed eſſe adhuc quapiam ſpecie interpolationis vtendam.

Iam itaque In diſtribuendo Aureo Numero per totum Calendarium, Si omnes quidem Lunationes habendæ forent alternis dierum 30. & 29. ac eæ forent ſolummodò 228. (quemadmodum diximus) intra annos xix. nihil aliud ſanè, quàm progrediendum foret eo, quo cœpimus ordine quatenus nempe rem ad Ianuarias vſque Calendas deduximus: At quòd ſint primò intercalandæ ſex Lunationes dierum 30. & vna dierum 59. propter emboliſmos; idcirco oportuit ſexies facere duas Lunationes cohærenteis dierum 30. & ſemel treis dierum 59. Deinde autem, vt ratio quoque dierum Bis-ſextilium habeatur, quemadmodum illi in Calendario non exprimuntur; ſic intelligere oportet eam Lunationem, quæ diem Bis ſextilem complectitur, ſi futura alioquin eſſet dierum 29. euadere dierum 30. ſi dierum 30. euadere dierum 31.

Prætereo verò, cùm Dionyſius voluerit ſupputationem dierum illorum xi. ex quibus creantur menſes Emboliſmici, incipere ab anno Cycli Decem-nouēnalis Primo; viſum poſteà fuiſſe commodius incipere ab anno Tertio, propter Aureum Numerum III. Kalendis Ianuarij affixum; adeò proinde, vt deinceps in Cyclo Decem-nouennali Emboliſmici anni fuerint, 2. 5. 8. 11. 13. 16. 19. Quanquam, vt meliùs pateat fieri Emboliſmos non alia ratione, quàm ſi numeratio ab Aureo Numero I. inciperet (niſi quòd loco anni Octaui, Nonus eſt habendus Emboliſmicus) attendenda ſolùmmodò eſt Tabellæ appoſitæ diſpoſitio. Siquidem, ſi numerū 3. habeas quaſi 1. & porrò 4 quaſi 2. 5. quaſi 3. &c. ſuccedere Emboliſmos videbis annis quaſi 3. 6. 9. 11. 14. 17. 19. Appoſitum verò eſt etiam, quot dies in quoto quoque anno ſint, vt res vno proſpectu pateat.

Anni Cycli.	Anni Emboliſ.	Numerus dierum.
3		354
4		354
5	Embol.	384
6		354
7		354
8	Embol.	384
9		354
10		354
11	Embol.	384
12		354
13	Embol.	384
14		354
15		354
16	Embol.	384
17		354
18		354
19	Embol.	383
1		354
2	Embol.	384

Dixi autem commodius viſum, ſupputa-

tionem incipere à Numero III Kalendis Ianuarij præfixo;quoniam computando alternis Lunationes dierum 30. & 29. deprehenditur idem Numerus III. ſic præterea competere diebus Ianuarij 31. Martij 1. Martij 31. Aprilis 29. Maij 29. Iunij 27. Iulij 27. Auguſti 25. Septembris 24. Octobris 23. Nouembris 22. Dembris 21. vt quaſi annus Lunaris fuerit completus die Decembris 20. appareant perſpicuè dies xj. ſuperſtites, quibus eum ſuperat Solaris.

Deprehendes porrò continuando, & Aureum Numerum I V. inſequenti anno tribuendo, competere illum diebus Ianuarij 20. Februarij 18. Martij 20. Aprilis 18. Maij 18. Iunij 16. Iulij 16. Auguſti 14. Septembris 13. Octobris 12. Nouembris 11. Decembris 10.

Rursùs autem continuando, ac anno iam Tertio Numerum V. tribuendo, meminiſſe oportet annum Embóliſmicum eſſe, atque ideò alicubi numerandos eſſe bis cohærenter dies 30. ac ea de cauſa peruidebis, attributo Aureo Numero V. diebus Ianuarij 9. Februarij 7. Martij 9. Aprilis 7. Maij 7. Iunij 5. Iulij 5. Auguſti 3. Septembris 2. attribui ipſum rurſus diei Octobris 2. (cùm debet dici 1.) nimirùm, vt ſint cohærenter duæ Lunationes dierum 30. deinceps autem tribui quidem eundem Numerum V. diei eiuſdem Octobris 31. (vt alioquin fieret, cùm ſuccedere ad duas ſuperiores debeat Lunatio dierum 29.) at menſe Nouembri tribui diei 30. (cum deberet diei 29.) vt Lunatio dierum 30. ſuccedat.

Ita verò etiam deinceps. Pari enim ratione anno Sexto, vbi per communeis Quartum, & Quintum progreſſus fueris, videbis Aureum Numerum V I I I. attributum eſſe diei Aprilis 5. qui fuiſſet attribuendus 4. Et anno Nono, ſuperatis Septimo, & Octauo, Aureum Numerum XI. attributum eſſe diei Februarij 2. qui attribuendus fuiſſet 1. ac in cæteris conſimiliter.

Et ſpecialis quidem eſt ratio, cur Numeri fuerint eo, quo vides modo, aggeſti ſub Aprilis initium, ac deinceps, eo prorſus modo, quo ab octauo die Martij; id videlicet factum eſt. vt Lunationes omnes Paſchales dierum eſſent 29. (ſic enim ab 8. Martij in 6. Aprilis, cui vtrique reſpondet Aureus numerus xvi. ſunt tantum dies 29. & à 9. Mart. in 7. Apr. cui vtrique reſpondet Aureus numerus v. iterùm tantum 29. ac pari ratione in ſequentibus, quovſque perueneris ad 5. Aprilis, qui vltimus terminus eſt Nouiluniorum Paſchalium, vt Martij 8. eſt primus) Verùm quod ad ália ſpectat tempora, videtur menſis delectio facta eſſe pro lubitu, intra Emboliſmicum annum.

Hoc certè etiam pacto, anno Decimo-ſeptimo, in quo totius Cycli Decem-nouennalis Lunationes terminantur, & in quo eſt adeò Numerus Aureus XIX delectus pro arbitrio menſis Iulius eſt, cuius diei 30. attribueretur Numerus Aureus XIX. cùm attribuendus fuiſſet 31. idque attributo nihilominùs eodem numero diei Auguſti 28. vt illeic inter duas Lunationes dierum 29. intelligatur inſerta Emboliſmica dierum etiam 29. vice alterius dierum 30.

Quo loco adnotari poteſt, fieri huiuſcemodi anno quem *Lunæ Saltum* dicere ſolent; quatenus, cùm is annus ſit vno die, ſolito minor, dies vnus ſuppletur, quem Luna velut tranſvolet, vt eo addito ad 29. menſis vltimi, perueniatur perinde, ac cæteris annis; ad Numerum Aureum, qui ſequente Ianuario indicet Nouilunium. Ob id ipſi dies Epactales non xi. ſed xii. ſunt.

Adnotari quin-etiam poteſt, quî ſolui id valeat, quod vulgò ambigitur, quæ habenda Luna, Lunatiove ſit ſingulorum duodecim, qui in Calendario ſunt, menſium. Cùm enim ad hoc faciat vulgaris ille verſiculus,

In quo completur, Menſi Lunatio detur:

Aliquorum ſententia eſt, habere id originem ex eo, quòd cùm Lunaris annus contineatur 12. aut (ſi Emboliſmicus fuerit) 13. Lunationibus Decembri menſe terminatis; quæ deinceps Lunatio per Decembrim incipit, ad ſequentem annum, atque adeò ad Ianuarium pertineat; & ſequens proinde ad Februarium, ſuccedens ad Martium, &c. Quare &, cùm ſeries Lunationum Decem-nouennalium incipiat à Kalendis Ianuarij, Lunatio duodecima, ſiue vltima Primi anni terminetur ad diem Decembris 20 ea, quæ incipit die 21. & deſinit. ſiue completur die 19. ſequentis Ianuarij, habenda ſit anni Secundi inſequentis prima, atque adeò Ianuarij propria; & pari ratione ex ordine cæteræ, quovſque rurſus duodecima in diem Decembris 9. deſinat, & ea, quæ incipit die 10. completurque 8. ſequentis Ianuarij, ſit habenda prima anni Tertij, atque adeò propria Ianuarij, ſicque ex ordine cæteræ, quovſque decima-tertia, hoc eſt vltima eius anni (Emboliſmici vt putà) deſinat in diem Decembris 28. & quæ incipit die 29. completur verò die Ianuarij 27. ſit iterùm Quarti anni prima, & Ianuarij propria, atque ita de cæteris.

Verùm cùm hæc interpretatio illud habeat incommodi, quòd Luna, ſeu Lunatio Menſi illi plerumque tribuatur, cuius perpaucos dies occupat (quippe hac ratione etiam cùm vltima Lunatio in diem Decembris 3. deſinet, ea, quæ incipiet die 4. ac die Ianuarij ſecunda complebitur, habenda erit & anni prima & Ianuarij propria; ac illa quæ incipiet die Ianuarij 3. deſinetque die Februarij prima, habenda erit Februarij propria, quæ per ipſius tamen partem penè nullam decurrerit (idcircò Alij verbum illud *completur* ſic accipiunt, vt eo deſignari Plenilunium velint, quo Lunæ orbis luce completur, cùm per alias phaſeis incompletus ſit. Quocumque certè die Luna ſit plena, pars Lunationis maior per illum menſem decurritur; adeò proinde, vt cùm ea Luna dicenda videatur eſſe menſis propria, quæ potiorem partem menſis obtinet, etiam cùm in menſe duo ſunt Plenilunia, ea Lunatio poſſit dici menſis propria, quæ vel vnum diem ſupra aliam habet: Niſi rem malis ſic accipi, vt eo caſu eſſe menſis duarum Lunationum,

tionum, & Lunarum cenſeatur. Quanquam totum hoc momenti eſt non magni.

Sed, hiſce dimiſſis, rationem demùm vides, ob quam Aurei numeri diſtributio per totum Calendarium, eo facta modo, quo conſpicitur, fuerit. Videre autem ſimul licet, ſequentem quemque Numerum ex proximè antecedente, octo illi additis, componi; & quemlibet antecedentem componi ex proximè ſequenti, additis illi xi. idque detractis 19. quotieſcumque detrahi poſſunt. Sic enim in Ianuario, & à principio vſque, ad iij. adde 8. fient xi. adde 8. fient xix. adde 8. fient xxvij. vnde detractis 19. remanebunt viij. adde 8. fient xvi. adde 8. fient xxiv. & detractis 19. remanebunt v. adde 8. fient xiij ac ita porrò de reliquis. Vice autem verſa, ſeu retrocedendo ipſis xiij. adde 11. fient xxiv. & detractis 19. v. adde 11. fient xvi. adde 11. fient xxvij. & detractis 19. viij. adde 11. fient xix. adde 11. fient xxx. & detractis 19. ipſa 11. adde denique 11. fient xxij. vnde detractis 19. remanebunt iij.

Præterea autem cauſam videri, quòd Numerus ſequens vſui ſit octo annis poſt antecedentem; & antecedens vndecim, poſt ſequentem; ſicque vſus illius redeat poſt annos 8. & 11. vſus iſtius poſt xi. & 8. hoc eſt, vtriuſque poſt 19. annos. Eámque ob rem videntur Dionyſius, & alij diuiſiſſe 19. annos in Ogdoadem, & Hendecadem, potiuſquàm in Enneadem, & Decadem, aut alia ratione.

Videre etiam licet cauſam, propter quam Aurei numeri ſeſe plerumque non conſequantur, niſi interceptis diebus vacuis, & cur ſeſe interdum tres, interdum etiam quátuor, nulla interceptione ſequantur, non aliam videri eſſe requirendam, quàm diſtributionem deſcriptam: quando exinde talis ordo non ſine neceſſitate quadam prouenit. Quanquam & adnotari poteſt, omneis illos dies numeris Aureis vacuos eiuſmodi eſſe, in quibus nunquam Nouilunia (ex lege quidem illa Cycli Decem-nouennalis) contingant; quandoquidem quibus diebus contingunt intra annos nouemdecim, iiſdem, non aliis intra alios, alióſque nouemdecim annos contingere poſſunt.

Videre licet denique, vnumquemque ex Aureis numeris xix. ita eſſe duodecies per anni ſeriem diſtributum, vt poſt numeratos à Kalendis Ianuarij menſeis Lunareis duodecim, qui, vt iam diximus, deſinant in diem xx. Decembris; ſuperſtitibus illis ex anno Solari diebus xi. iidem tribuantur numeri Aurei, qui xi. primis Ianuarij diebus. Quod ideò obſeruo, vt intelligas, non redire numerum Aureum, ſeriémve Aureorum numerorum ab vltimo Decembris in primum Ianuarij, quaſi in circulum (vt fieret ſi annus ad 20. menſis Decembris terminaretur, aut à xxxi. Decembris tranſiretur in Ianuarij xij.) ac ideò eſſe iſtos dies xi. quos vulgò Epactas, Epactaleiſve nominant, quaſi ad Lunarem annum adiectitios, vt cum Solari exæquetur. Ac rurſus, vt intelligas, quemadmodum in primo anno Nouilunium extremum contingit diebus xi. ante finem anni; ſic inſequente contingere diebus 22. ac proinde tam ipſum, quàm cætera omnia vndecim diebus anticipare.

C a p v t VII.

Cuiuſmodi proinde fuerit Aurei Numeri ad Paſchatis tempus inueniendum, vſus.

SVpereſt iam pauca dicamus de vſu ipſius Aurei numeri tota Calendarij ſerie diſtributi. Is ergo, ex iam inſinuatis, ad id generatim inſeruit, vt Nouilunia indigitet, quæ intra quemlibet propoſitum annum contingunt. Nempe, dato anni Aureo numero, vbicumque is numerus per totam Calendarij ſeriem ad certum diem affixus eſt, eo die Nouilunium contingere indigitatur. Hac ratione, cùm anno v.g. 532. Aureus numerus fuerit 1. quoniam, vt antè diximus, Aureus numerus 1. affixus deprehenditur diebus Ianuarij 23. Februarij 21. Martij 23. &c. ideò intelligitur Nouilunium illis omnibus diebus contigiſſe. Et quia anno 533. Aureus numerus fuit 11. iſque affixus deprehenditur ad dies Ianuarij 12. Februarij 10. Martij 12. &c. intelligitur quoque contigiſſe Nouilunium huiuſmodi diebus; ac in aliis pari ratione.

Vt verò habeatur, quis numerus Aureus quoto cuique anno conueniat, nihil oportet aliud, quàm anno Chriſti dato, addere 1. (idque quia, ex ante-dictis, Aureus numerus cœpiſſe intelligitur vno anno ante Natiuitatis æram, qua nos vtimur) ac diuidere ſummam per 19. Quippe, ſi nihil quidem ex diuiſione ſuperſit, tum numerus illius anni erit xix. quaſi ſcilicet circulo completo; ſin autem ſuperſit quiſpiam numerus, is erit proprius illius anni. Exempli gratiâ, ſi ſcire velis, quis fuerit Aureus numerus anno Chriſti 740. adde ad hunc annum 1. fient 741. hanc ſummam diuida per 18. prodibunt 39. pro quotiente, ac nihil ſupererit: Fuit itaque anno. 740. numerus Aureus 19. Sic, ſi noſſe velis quis fuerit anno 1000. adde 1. fient 1001. diuida per 19. prouenient pro quotiente 52. & ſupererunt xiij. Itaque anno 1000. fuit Aureus numerus xiij. ac pari modo in cæteris. Qua de re etiam Tabula proponetur inferiùs.

Caue interim exiſtimes, indicata huiuſmodi per Aureos numeros Nouilunia, ita exquiſitè cũ cœlo congruere, vt non vno, alterove die, ſeu ante, ſeu poſt vera Nouilunia cõtingant. Nam Tabulæ quidẽ Aſtronomicæ exhibere ad vnguem aut poſſunt, aut poſſe creduntur, vera tempora, hoc eſt, non modò dies, verùm etiam horas, horarúmque minutias, quibus aliquid cælitus contingit: At Cycli iſti res ſunt ciuiles, inuentáve quæpiam ad ciuilem, hoc eſt communem ciuium vſum accommodata; talis autem vſus non eaſdem minutias ſectatur, ſed præter propter verum collineat, abundéque eſt, ſi non procul abludat. Quod ad Cyclum certè Aurei numeri

numeri ſpectat, is præſtare illud quidem poteſt, vt poſt Nooum decimum quemque annum Nouilunium referat, exhibeatve ad eundem diem; at quia, vt id fiat, oportet intermediis temporibus ioterpolationes varias fieri, ob quas Nouilunia nuoc æquo retardatiora, nunc æquo præoccupatiora fiant; ſatis eſt, dum Cyclua medio quodam modo procedat, & Nouilunia aliqoa ita proximè aſſequatur, vt cætera noo admodùm longè, ſed quàm fieri poteſt, proximè attingat. Qua de re erit etiam aliquid poſteà ediſſerendum.

Speciatim deinde, ac præcipuè Aurei numeri vſus aſt, vt Nouilunia Paſchalia, hoc eſt, à quibus ſupputatæ Lunæ xiv. quas Paſchatis Feſtum proximè ſequitur, demonſtret. Vt noſcamus verò, ad quos dies defixi Aurei numeri hæc Nouilunia indigitent, repetendum memoriâ eſt; Primò, Vernum Æquinoctium ita eſſe habendom, quaſi affixum ſit ad diem Martij 21. Secuudò, Lunam xiv. Paſchalem noo contiogere ante æquinoctium, ſed vel ipſo die Æquinoctij vel proximè poſt ipſum. Tertiò, Feſtum Paſchatis uunquam celebrari ipſa Luna xiv. ſed Dominica proximè inſequente; adeò vt etiam xiv. Luua incideute in Dominicam, exſpectanda ſit Dominica ſequens. Quartò, poſſe proinde Paſcha celebrari Luna xv. xvi. xvii. &c. ad vſque xxi. incluſiuè, provt ſe Paſchalis Dominica habuerit. Quintò, Dominicam Paſchalem innoteſcere ex litera Dominicali cuiuſque anni propria, & in ipſo Calendario notata.

Obiter autem, vt habeatur, quæ quoto quoque anno Dominicalis litera ſit, Oportet imprimis paratam habere, quam heic ſubiicimus, Tabellam appellati Cycli Solaris, literarúmque Dominicalium, vt in ea obſeruetur, quæ cuique Anoo Cycli reſpondeat Dominicalis litera, ſiue vnica ſit, pro anno communi, ſiue duplex pro Bis-ſextili; prior ſcilicet duarum vſus eſt ab anni principio in diem Februarij 24. poſterior anno reliquo.

Tabella antiqua Cycli Solaris, ſeu literarum Dominicalium.

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16
G F	E	D	C	B A	G	F	E	D C	B	A	G	F E	D	C	B

17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
A G	F	E	D	C B	A	G	F	E D	C	B	A

Deinde verò, alitd nihil oportet, quam anno Chriſti dato, addere ex ante-dictis 9. & diuidere ſummam per 28. Quippe, ſi facta diuiſiooe, reſidui oihil ſit, Cyclus Solatis erit 28. qui requiſitus io Tabula monſtrabit anni literam; ſi aliquid, tum ipſum reſiduum indicabit numerum Cycli, qui repertus io Tabula eius anni literam prodet. Exempli gratiâ, ſi noſſe velis quæ Dominicalis fuerit litera anno 859. adde huic annorum oumero 9. fieoi 868. hunc diuide per 28. prodibunt pro quotiente 31. & nihil ſupererit. Quocirca anno 859. fuit Cyclus Solis 28. atque adeò litera Dominicalis A. huiuſmodi Cyclo reſpondens. Sic, ſi noſſe velis, quæ fuerit anuo 1200. adde 9. fient 1209. diuide per 28. prodibuot pro quotiente 43. & ſupererunt 5. Hic numerus autem in Tabella quæſitus monſtrabit eo anno fuiſſe literas Dominicaleis B. A.

Elicitut iam ex his Primò, Nouiluoium Paſchale omnium citimum oon poſſe coontingere ante Octauum diem Martij: Quia ſi contingeret vel die 6. (neque enim poteſt contingere 7. cui numerus Aureus oullus competit) numerata ab ipſo xiv. Luna caderet in diem Martij 19. ſicque ante Æquinoctium, quod fieri noo poteſt. Vnde & colligitur diem 8. Martij eſſe citimum Terminum, quo poteſt Paſchale nouilunium coutiogere; quando numerata ab eo Luna xiv. cadit in diem Martij 21. hoc eſt diem ipſum Æquinoctij, qnem primum ſequi poteſt Paſcha. Colligitur rurſus Aureum numerum xvi. diei octauæ affixum primum omnium occurrere, qui Nouilunium Paſchale demonſtret.

Elicitur ſecuodò, Paſchale Nouilunium omnium tardiſſimum, vltimumve, non poſſe poſt diem Aprilis 5. contingere: quippe, quia omoes oouemdecim Aurei numeri à die 8. Martij, ad diem vſque illum expreſſi habeotur. Et, ſi poſſet certè Nouilunium, vel ipſa die ſexta Aprilis contingere, forent eo anno duo Paſchalia Nouiluoia, vnum ſcilicet die 8. Martij, cui competit Aureus numerus xvi. aliud die 6. Aprilis, cui numerus idem rurſus competit: quod profectò abſurdum eſt; cùm bis celebrari eodem anno Paſcha oon poſſit. Itaque dies Aprilis 5. erit vltimus Termious, quo coontingere Paſchale Nouilunium poteſt.

Elicitur tertiò, Quo propiùs diei 8. Martij, ac ante quidem iſtum-met diem, Nouiluoium

nimm contigerit, eo Nouilunium Paſchale fore vltra Æquinoctium retardatius; quò remoriùs, eò citius. Si enim contigerit v.c. die Martij 6. cui numerus Aureus VIII. competit, quia id Paſcbale eſſe non poteſt, nou continget deinceps Paſchale Nouilunium, niſi die Aprilis 5. cui Numerus VIII. rursùs competit. Sin autem contigerit die Februarij 21. cui compenit Aureus numetus I. tunc Paſchale continget die Martij 22. cui competit rurſus idem numerus.

Elicitur quartò, quemadmodum citimus Terminus xiv. Lunæ Paſchalis eſt, ex ſæpiùs dictis, dies Martij 21. ita eiuſdem tardiſſimum, vltimumve Terminum eſſe diem Aprilis 18. Quippe, cùm vltimum Nouilunium contingat die Aprilis 5. conſtat diem eſſe 18. in quem numerata à die 5. Luna xiv. cadit.

Elicitur quintò, citimum Terminum, quo celebrari Paſcha poteſt, eſſe diem Martij 22. Quippe, cùm Paſcha non celebretur, niſi Dominica, quæ contingit proximè poſt xiv. Lunam; conſtat talem Dominicam uon poſſe citiùs contingere, quàm ſi Luna xiv. cadat in diem Martij 21. quæ Sabbathum ſit; adeò vt poſtridie, ſeu die 22. Dominica occurrat, quaſi exſiſtente eo anno Dominicali literæ D diei 22. præfixa, cùm litera C præfixa ſit diei 21. Præterea autem, ſi cadente rurſus Luna xiv. in diem 21. ipſa exſtiterit feria 6. perſpicuum eſſe Paſchatis feſtum celebratum iri die 23. ſi feria 5. die 24. ſi feriæ 4. die 25. ſi feria 3. die 26. ſi feria 2. die 27. ſi denique feria prima, ſeu Dominica, die 28.

Elicitur ſextò, Terminum vltimum, quo celebrari poteſt Paſcha, eſſe diem Aprilis 25. Quippe, cùm extrema Luna xiv. incidat iu diem Aprilis 18. conſtat, ſi ea dies fuerit Sabbatum, exſiſtente rurſus illi affixa litera C, fore Paſcha die 19. cui iterum competat litera Dominicalis D; & ex ordine, ſi ea dies fuerit feria 6. celabratum iri Paſcha die 20. ſi feria 5. die 21. ſi feria 4. die 22. ſi feria 3. die 23. ſi feria 2. die 24. ſi feria 1. ſeu Dominica, die denique 25.

Elicitur ſeptimò, Tametſi ſint ſolùm nouemdecim dies, in quos poſſunt Luuæ xiv. cadere, vt ſunt tantum nouemdecim, in quos cadere Nouilunia poſſunt, ob nouemdecim Aureos numeros; dies tamen eſſe 35. vt putà à die Martij 21. ad diem Aprilis 25. in quibus contingit Paſcha celebrari. Id nempe, quia nullus eſt dies intra hoſce Terminos, in quem cadere Dominica, quæ Lunam xiv. inſequatur, non poſſit. Nam ipsâ quidem die 22. Martij, vno tantum caſu celebrari Paſcha contingit, ſi Luna nempe xiv. incidat in diem 21. & litera Dominicalis ſit D. Ac pariter die Aprilis 25. vno caſu; ſi Luna nempe xiv. incidat in diem Aprilis 18. & litera Dominicalis ſit C. Verùm, poteſt 23. Martij contingere, non modò ſi Luna xiv. incidat in diem 22. quæ ſit Sabbathum, ſed etiam, ſi incidat in diem 21. quæ ſit feria 6. Ac die Aprilis 24. pari modò, non ſolum ſi Luna xiv. incidat in diem 18. quæ ſit feria 2. ſed etiam ſi incidat in diem 17. quæ ſit Dominica: ac pluties adhuc parem ob cauſam, interiacentibus aliis diebus.

Elicitur denique, quomodo poſſit facilè anno quolibet propoſito, reperiri Paſcha. Dato enim imprimis Aureo eiuſce anni numero, Quære illum in Calendario inter diem 8. Martij & 5. Aprilis, vtrumque incluſiuè. Deinde, incipiendo à die, cui numerus Aureus reſpondet, numera porrò 14. & in quem diem incides, pro xiv. Luna illum habe. Attende demum, quæ tum ſit Dominicalis litera, & quæ prima poſt eum diem occurreret, deſignabit diem Paſchatis. Exempli gratiâ, ſi noſſe velis quo die fuerit Paſcha anno 950. quia iuxta ante-dicta comperies fuiſſe eo anno Aureum numerum 1. & literam Dominicalem F; ideò requiſitus intra memoratos terminos Aureus numerus 1. deprehenderetur congruere ad diem Martij 23. Ab hoc numera incluſiuè 14. incides in diem Aprilis 5. obſerua F. literam primò inſequentem; & quia illa congruet diei 7. pronunciabis Paſcha illo anno fuiſſe die 7. Aprilis.

Sic, ſi noſſe velis, quo die fuerit anno 1500. quia comperies pari ratione fuiſſe eo anno Aureum numerũ xix. & literas Dominicales E D, quæſitus Aureus numerus intra prædictos terminos affixus deprehenderetur, diei Aprilis 4. Numeratis ab hoc 14. occurret Aprilis 17. Et quia litera D poſterior Dominicalium proximè inſequens reſpondet diei 19. pronunciabis Paſcha anno illo fuiſſe die Aprilis 19. Et quia anno 1535. comperies pari modo Aureum numerum fuiſſe xvi. & literam Dominicalem C. ac numerum Aureum affixum inuenies ad 8. Martij, citimum nempe terminum; ideò numeratis ab ipſo 14. incides in diem 21. Ac reſpondet ipſi quidem Dominicalis litera C. verùm, quia non ipſa, ſed quæ proximè diei 28. reſpondet, debet accipi, ideò pronunciabis Paſcha illo anno celebratum fuiſſe die Martij 28.

Hiſce addendum eſt, Dionyſium, præter ſuum illum Canonem, ſiue Tabulam temporariam ad annos 95. tradidiſſe Regulam, vt obiter antè inſinuauimus, qua, Paſchate vnius anni intra decem nouennalem Cyclum rectè conſtituto, deducerentur cæteri, aut explorarentur, cæteri-ne rectè in Canone ſe haberent. Videlicet iuſſit numerari dies à Paſchali Luna xv. vnius anni in xiv. anni inſequentis (ſumendo, vtramque incluſiue) ac eſſe eos debere, dum annus eſt communis, 354. dum Emboliſmicus, 384. Excepit duntaxat annũ i. Cycli, in quo 354. dies numerari debeant à Luna non xv. ſed xiv. anni antecedentis, ſeu xix. vltimive Cycli: idque, quòd, cùm anno ante-penultimo Epactæ (hoc eſt dies illi vndeni aceruati) fuerint 18. addere oportuerit anno vltimo non 11. ſed 12. vt numerus aſſurgeret ad 30. ſicque in ipſo Cycli principio nullæ Epactæ ponerentur, ſed ab illo inciperent; vnde & initium numerationis 354. dierum effectum fuerit vno die retractius.

Exem

Exemplum appoſuit anni, quo id ſcribens, fuiſſe dixit, quemadmodum priùs quoque attigimus, Indictionem iv. Lunarem circulum xi. Decem-nouennalem Cyclum xiv. Quia enim annus Emboliſmicus erat, & ſuperiore anno Luna xiv. inciderat in ix. Kalendarum Aprilium, ſeu Martij 24. *ideò*, inquit, *ab viij. Kalendarum Aprilium die ſumamus exordium; habemus Martij dies 7. Aprilis 30. Maij 31. Iunij 30. Iulij 31. Auguſti 31. Septembris 30. Octobris 31. Nouembris 30. Decembris 31. Ianuarij 31. Februarij 28. Martij 31. Aprilis 12. dies, quod eſt pridie Idus Aprilis; fiunt ſimul* 384. Vnde & eo anno xiv. Luna incidit in diem 12. Aprilis.

Vt autem in promptu haberetur, non modò qui anni in Cyclo Emboliſmici, aut communes forent; ſed etiam quot dies addendi quotannis occurrerent, & in quos Martij, aut Aprilis dies Luna xiv. incideret; perpetuum quemdam Canonem pro toto Decem-nouenali Cyclo, ſeu Aureo numero pertexuit, cuiuſmodi exhibitum hic habes.

Tabella Paſchalis Cycli Dionyſiana.

Anni Cycli, ſeu Aurei Num.	Anni communes, & Emboliſmici.	Dies addendi.	Luna Paſchalis decima-quarta.	Nouilunium Paſchale.
1	communis.	354	5. Aprilis.	23. Martij.
2	communis.	354	25. Martij.	12. Martij.
3	Emboliſmic.	384	13. Aprilis.	31. Martij.
4	communis.	354	2. Aprilis.	20. Martij.
5	communis.	354	22. Martij.	9. Martij.
6	Emboliſmic.	384	10. Aprilis.	28. Martij.
7	communis.	354	30. Martij.	17. Martij.
8	Emboliſmic.	384	18. Aprilis.	5. Aprilis.
9	communis.	354	7. Aprilis.	25. Martij.
10	communis.	354	27. Martij.	14. Martij.
11	Emboliſmic.	384	15. Aprilis.	2. Aprilis.
12	communis.	354	4. Aprilis.	22. Martij.
13	communis.	354	24. Martij.	11. Martij.
14	Emboliſmic.	384	12. Aprilis.	30. Martij.
15	communis.	354	1. Aprilis.	19. Martij.
16	communis.	354	21. Martij.	8. Martij.
17	Emboliſmic.	384	9. Aprilis.	27. Martij.
18	communis.	354	29. Martij.	16. Martij.
19	Emboliſmic.	383	17. Aprilis.	4. Aprilis.

Attexo autem illi Canonem Nouiluniorum Paſchalium, cuiuſmodi deinceps percrebuit, & qualem excerpere cuique licet ex ipſo Calendario; vt meliùs appareat conſonantia, qua tam Luna decima-quarta ex antecedente Nouilunium, quàm Nouilunium ex inſequente decima-quarta Luna deductum videtur.

Notum eſt porrò, quemadmodum ex veteris hoc Canone deduci potuerit, quæ iam dicitur *Tabula Paſchalis antiqua*, hoc eſt, qua dies Paſchatis ex adhibitis Aureo numero, & litera Dominicali, elicitur, exprimiturque. Nimirùm continet ea quidem pluteis Ordines, ſeu columnas, quibuſcum inferiùs exhibebitur; verum tres præſertim obſeruandi heic ſunt, cùm ex iis cæteri dependeant. Videre autem licet depoſitos in Primo numeros Aureos nouemdecim, eadem ſerie, ac iiſdem interpoſitis vacuis, quibus extant in Calendario, ab 8. Martij, in 5. Aprilis; hoc eſt, inter Paſchalium Nouiluniorum terminos.

Videre licet in Secundò Dominicaleis literas numero 35. ſic diſpoſitas, vt è regione Aurei numeri xvi. nulla ſit: ac ſequantur deinde literæ d, e, f, g, A, b, &c. Et cum è regione vltimi numeri viij. ſit litera c, continuari rurſùs eas vides ad vſque aliam literam c. Cauſa autem eſt, quia, cùm Aureus numerus eſt xvi. quoniam is attribuitur diei Martij 8. & in eo contingere Nouilunium indicat; numerata exinde Luna xiv. incidit in diem 21. cui præfixa eſt litera Dominicalis C, & quo adeò contingere Paſcha non poteſt: quare & ſeries eſt etiam vacua in ordine Tertio continente dies feſti Paſchatis.

Collocatur verò ſtatim in proximo loco, ſeu ſequente ſerie litera d, Quia, ſi Luna xiv. cadente in diem 21. contingat eam diem eſſe Sabbathum, conſtat proximum ſtatim diem, nempe, cui attribuitur litera d, Dominicam eſſe, in qua Paſcha ſit celebrandum, Literæ autem conſequuntur e, f, g, A, b, c, reſpondentes diebus 23. 24. 25. 26. 27. 28. quòd prout Luna xiv. incidente in diem 21. eſſe præterea poteſt is dies feria xi. v. iv. iij. ij. & i. ſeu Dominica; proximâ Dominicâ, quæ cadet in diem 23. 24. 25. 26. 27. 28. celebrari poſſit.

Tabula Paſchalis antiqua.

Aureus Numerus.	Literæ Dominicales.	Paſcha.
xvi		
v	d	22. Martij
	e	23
xiii	f	24
ii	g	25
	A	26
x	b	27
	c	28
xviii	d	29
vii	e	30
	f	31
xv	g	1. Aprilis.
iv	A	2
	b	3
xii	c	4
i	d	5
	e	6
ix	f	7
	g	8
xvii	A	9
vi	b	10
	c	11
xiv	d	12
iii	e	13
	f	14
xi	g	15
	A	16
xix	b	17
viii	c	18
	d	19
	e	20
	f	21
	g	22
	A	23
	b	24
	c	25

Sic, quoniam Aureo numero v. attributo diei 9. numerata ab eo Luna xiv. in diem 22. incidit, Si ea quidem ſit Sabbathum, vpotè Dominicali litera exiſtente e, quæ ſequenti diei 23. eſt præfixa; Paſcha celebrabitur ipſa die 23. Si feria vi. Paſcha erit die 24. atque ita porrò, quovſque, ſi dies 22. feria i. ſeu Dominica ſit, Paſcha ſit futurum proxima Dominica, hoc eſt, die 29. Pari autem modo, Aureo numero exiſtente xiij. qui tribuitur diei Martij xi. & Luna proinde xiv. cadente in diem 24. ſi ea dies ſit Sabbathum, Paſcha erit die inſequente 25. cui præfixa eſt litera g · ſi feria vi. die 26. ac ita deinceps; quovſque, ſi dies 24. Dominica ſit, transferatur Paſcha in Dominicam proximam incidentem in diem Martij 31.

Nec verò ſecus ex ordine euenire fiet perſpicuum, quovſque Aureo numero viij. attributo diei Aprilis 5. & Luna xiv. cadente in diem eiuſdem menſis 18. cui eſt præfixa litera c, ſi is quidem dies ſit Sabbathum, Paſcha celebretur die 19. cui eſt præfixa litera d, ſi feria vi. die 20; ac ita porrò, quovſque, ſi dies 18. Dominica fuerit, Paſcha celebretur Dominica proxima incidente in diem 25. Quæ quidem tametſi iam antè deducta, ideò repeto, inculcóque, vt conſequutionem totam meliùs videas, agnoſcáſque in ordine, ſiue columna Paſchatis, quî fiat, vt ſeries Dominicarum Paſchalium deſcribi naturali progreſſione valeat à die vſque Martij 22. ad diem vſque Aprilis 25.

Tabulæ autem vſus eſt, vt datis, iuxta Antecedentia, Aureo numero, & litera Dominicali (quæ, ſi gemina fuerit, anno ſcilicet Bis-ſextili, accipienda poſterior eſt, quod iam quoque adnotauimus) quæratur in prima columna Aureus numerus, & attendatur quæ illi è regione in 2. columna litera reſpondeat. Nam, ſeu litera illa ſit Dominicalis eius anni, ſeu non ſit, non ipſa vſurpanda eſt, ſed quæ Dominicalis anni deorſum procedendo proximè occurrit (quo ſanè loco intelligis, ſi nulla occurrat, vt putà è regione aurei numeri xvi. non poſſe non accipi deorsùm occurrentem) literâ autem huiuſmodi obtentâ, occurreret ſtatim è regione in tertia columna dies Paſchatis.

Exempli gratia, ſi velis noſſe, quo die fuerit Paſcha anno 1550. quia fuit anno illo Aureus numerus xij. & litera Dominicalis e, Quære in prima columna Aureum numerum xij. & cùm è regione, ſeu in eadem ſerie ac intra 2. columnam occurrat litera c, procede ab illa deorſum, quo vſque occurrat litera e, ac deprehendes ſtatim illi in 3. columna reſpondere diem Aprilis 6. quo Paſcha eo anno fuerit celebratum. Ac pari ratione ſi noſſe velis, quo die celebratum fuerit anno 1256. quia fuit illo anno Aureus numerus iij. & ex duabus literis Dominicalibus, propter annum Bis-ſextilem, poſterior fuit A, Quære in i. columna Aureum numerum iij. & adnotata litera illi reſpondente e, accipe primùm occurrentem, infra ipſam, literam A, deprehendes ſtatim huic literæ A, reſpondere Aprilis diem 16. quo Paſcha eo anno celebrari contigerit.

Quæ ſubiicienda heic viderentur de Mobilibus Feſtis cæteris, referentur infrà commodiùs, cùm occaſione Tabulæ Nouæ, erit rurſus de hac Antiqua, & reformata quidpiam, dicendum. Quanquam inuento Paſchate, difficultatis nihil eſt in inueniendis cæteris, quæ ab eo ſemper tantumdem abſunt, & numeratione ſola indigent, vt quibus diebus ſint, innoteſcat.

PARS POSTERIOR.

De Reformatione Romani Calendarij à GREGORIO XIII. Pontifice Summo ſic adhibita, vt conſtare perpetuum poſſit.

CAPVT I.

Quorſum correctum à Gregorio xiij. Calendarium, & ſubſtitutus Numero Aureo Epactarum xxx. Cyclus.

HACTENVS Calendarium eſt, cuiuſmodi in vſu fuit, quovſque ſub finem ſuperioris ſæculi Summus Pontifex neceſſariam, expetitam, à multis tentatam, correctionem illi adhibuit. Sequitur proinde iam noſtri Inſtituti præcipua Pars, quæ eſt de ipſa Correctione, emendationeve Calendarij, déque remediis, quibus eſt cautum, ne in poſterum opus ſit conſimili emendatione. Vt igitur inde exordiamur, duæ fuere cauſæ præcipuæ, ob quas factum eſt temporis progreſſu, vt Calendario adhibere quaſi medicam manum oportuerit.

Nam Primùm, quia tam Iulius Cæſar Calendarium inſtituens, quàm Nicæni Concilij Patres, & Dionyſius Exiguus, aliíque ipſi accommodantes celebrationem Paſchatis, ſuppoſuere Annum, ſiue curſum Solis per Zodiacum, conſtare ex diebus 365. & ſex horis integris; cùm hæ tamen horæ integræ non ſint, ſed deſint ad illas minuta proximè vndecim, quæ intra annos quattuor, tres propè horæ quadrantes fiunt, & intra annos ſexdecim, horæ propè tres. Hac proinde ratione euénit, vt quaternis quibúſque annis integrum diem intercalantes, plus æquo intercalauerint; & quæ intercalatio eo fine fuerat introducta, & Patribus Sanctis probata, vt vernum Æquinoctium, alioquin excurſurum verſus finem anni, ad 21. diem Martij continenter reduceret, ipſum aliunde, ob factam iſtam intercalationem nimiam verſus anni initium continenter retraxerit, hoc eſt, intra annos circiter 130. ad diem Martij 20. intra annos 260. ad 19. atque ita conſequenter, quovſque tandem deprehenſum eſt Æquinoctium contingere die Martij 11. non verò 21. hoc eſt diebus decem præſcripto maturiùs.

Deinde, quia etiam ſuppoſitum fuit, Cyclum illum Decem-nouennalem, ſeu Numerum Aureum, ita eſſe conſtantem, vt decimo-nono quoque anno redeunte, Nouilunia, ac Plenilunia in eoſdem dies perpetuò redirent; cùm non redeuntia tamen iiſdem horis, ſed anticipantia ſemper horâ 1. & minutis proximè 27½. neceſſe ſit, vt poſt 16. aut 17. Cyclos, hoc eſt, intra annos paullò ampliùs 300. vno die anticipent: Ideò effectum eſt, vt intra annos à Nicæno Concilio proximè 1300. Nouilunia, ac plenilunia quatuor, ac amplius diebus citiùs contingere deprehenſa ſint, quàm Cyclus Decem-nouennalis, Numerusve Aureus illa demonſtrâret. Vnde & euenit, vt quæ ex Cyclo habebatur Luna xiv. foret reipsâ xviij. ſicque Sacrum Paſcha non ampliùs à Luna xv. in xxi. ſed à xxix. in xxv. incluſiuè celebraretur. Vt item, ſi quis vellet, ex dato anni numero Aureo Nouilunia inquirere, deberet dies menſium, non è regione Numeri ipſius aurei accipere, ſed ſurſum, ſeu retrò quinque incluſiuè dies numerare; ac dicere (ſic moris fuit, dies ſyllabatim deſignando) *Noua Luna hic*, vel, *In Cælo eſt hic*, *&c.*

Fuerat res iam animaduerſa; & ab aliquot ſæculis exoptatum remedium. Nam, vt ea præteream, quæ & obſeruârant, & moliti ſuis temporibus fuerant, Beda, Argyropilus, Campanus, Sacroboſco, Saxonia, & alij; Ecce, Conſtantienſe Concilium, anno 1414. ſuadente Petro de Alliaco Cardinali Cameracenſi, in eo fuit, vt Æquinoctium vernum adfigeretur non ampliùs diei Martij 21. ſed 12. circa quem iam tum verſabatur; ac Numeri Aurei, ſic emouerentur, antrorſúmque promouerentur, vt occupatas eò vſque ſedeis quaternis diebus antecederent. Veruntamen, ne exſequutioni res demandaretur, obſtaculo fuit perturbatus temporum ſtatus: veluti etiam quod deinceps Baſileenſe Concilium anno 1439. permiſit, vt anno inſequente 1440. ſeptem ex menſe Octobri dies eximerentur; & vernum Æquinoctium reduceretur ad diem Martij non 21. ſed 19. circa quem verſabatur tempore Dionyſij Exigui.

Fuit &, deinceps res variè tentata: Quippe & mox Nicolaus V. eam in curam incubuit; & triginta pòſt annis Sixtus IV. ea de cauſa Romam inſignem Mathematicum Ioannem Regiomontanum acceſſiit; & ſub annum 1516. Lateranenſe Concilium Calendarij emendandi curam viris quibuſdam idoneis commiſit, iiſque præfecit Paulum Middelburgenſem, Foroſemproniensem Epiſcopum, qui, tum admonuit Copernicum, Mathematicum celebrem, vt circa Motus Solis, ac Lunæ definiendos occuparetur; tum ipſe de præſcripto negotio magnum quoddam opus, titulo Paulinæ, compoſuit. Ne ea memorem, quæ eadem de re Stoflerinus, Pitatus, Pighius, Gauricus, & alij. Denique Tridentinum Concilium non antè abſolutum anno 1563. fuit, quàm, cætera inter, Calendarij emendandi prouinciam Summo Pontifici commendauit; & Gregorius XIII. rem eſt fœliciter, anno 1582. exſequutus.

Nempe, cùm viri eruditi, quos ea de cauſa Romam conuocârat (quoſque inter erat celebris è Societate IESV Vir Chriſtophorus Clauius) hocce, ſub præfecto Cardinali Sirleto, agitarent negotium, oblatus eſt

eſt Pontifici Aloiſij Lilij liber, continens Epactarum Cyclum, qui loco Aurei numeri Calendario adhibitus, inſeruire perpetuò poſſet: idque reſtituto ſemel Æqoinoctio, per x. dierum detractionem, aut ſemel certo anno, aut intra annos 40. nullo Bis ſextill interducto (Auguſti imitatione) faciendam; & cautione adhibita, per ſuppreſſionem trium intra 400. annos Bis-ſextorum, vt tam vernum Æquinoctium in 21. die Martij, quàm Nouilunia in iiſdem diebus poſt Decem-nouennaleis recurſus conſtarent.

Et quia Lilianum hoc inuentum dignum viſum eſt, quod adiectione paucula antefer retur cæteris; ideò compendium Emendationis libro illo propoſitæ, miſſum à Pontifice fuit ab anno vſque 1577. tum ad Chriſtianos Principes, tum ad celebreis quáſque Academias, vt, adhibito peritiorum Mathematicorum conſilio, id expenderent; &, ſi quid addendum, demendum, mutandum foret, admonerent; aut etiam, ſi quid meliùs fortè haberent; communicarent. Ac varij quidem varia (Aliqui enim exiſtimabant non vllos dies detrahendos, ſed affigendum potiùs vernum Æquinoctium diei 10. aut 11. Martij, idque imitatione Nicæni Concilij, quod ipſum diei in quo tum repetiebatur affixerat: Alij, ſi foret detractione opus, detrahendos dies non 10. ſed 12. aut 13. vt Æquinoctium reſtitueretur ad diē Martij 23. aut 24. hoc eſt, ad locum in quo erat Chriſti Domini tempore; cenſuitque etiam Hugolinus Martellus Glandarenſis Epiſcopus detrahendos 14. vt Æquinoctium reſtitueretur non ſolùm ad 23. aut 24. ſed etiam ad 25. quo incarnatus, & paſſus Chriſtus Dominus fuiſſet; ſícque alij alia: (Verùm, vbi maximæ pars in id, quod à Pontifice fuerat propoſitum, conſenſit; tum demùm Pontifex Calendarium ex Lilij inuento emendauit, emēdatúmque, vetere illo antiquato, ſeruandum iuſſit. Iuſſit, inquam, præmiſsâ Bullâ ab vſque Februario anni 1581. vt omnes maturè, quid facto eſſet opus præmonerentur.

Imprimis verò, quia à tempore Nicæni Concilij Æquinoctium receſſerat à die 21. in 11. Martij; idcircò ſupprimendos ſanxit ex anno inſequente 1582. dies x. vt hac ratione Æquinoctium, ſuum in diem reſtitueretur. Præſtare autem cenſuit decem dies ſimul, vnáque vice eximere, quàm ſuppreſſione x. Bis-ſextorum, negotium in annos 40. producere; quòd & futuris temporibus res conſtituta liquidiùs foret, & difficultates, quæ perficiendo negotio obſtare poſſent, non internaſcerentur.

Delegit porrò menſem Octobrim, è quo fieret exemptio, ob pluſculos dies Feſtis vacuos, & Officiis mobilibus, qualia per menſeis alios poſſent occurrere, non obnoxios. Supprimēdi verò dies fuere, qui eſſent inter dies 4, & 15, intercepti: ita vt hoc modo dies numerarentur: 1.2.3.4.15.16.17.18.&c. ſícque diei iiij. Nonas ſuccederent immediatè Idus. Mandauit autem, vt celebrato D. Franciſci Feſto, die 4. celebraretur poſtridie, hoc eſt, Die 15 Feſtum Sanctorum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij, quod futurum alioquin erat die 9. cum commemoratione Feſti ſanctorum Marci, Sergij, Bacchi, & Apuleij, quod die 7. & Die ſequente 16. celebraretur Feſtum S. Calliſti, quod futurum fuerat die 14. Die 17. celebraretur dies Dominica ſicque litera C reliquo anno Dominicalis fieret; cùm ab vſque Ianuario litera G Dominicalis exſtitiſſet. Die denique 18. celebraretur Feſtum S. Lucæ: ac deinceps dierum, Feſtorúmque decurſus continua ſerie peragere tur.

Ne rurſus autem eueniret, vt Æquinoctium retrocederet, ſeu à die 21. verſus initium menſis rediret; cauit, vt quia ſpatio annorum 134. proximè, Æquinoctium vno anticipat die; ſpatio 268. anticipat duobus; ſpatio proximè 400. tribus: Cauit, inquam, vt dies tres quadringētis quibuſcumque annis, trium Bis-ſextorum omiſſione ſupprimerentur, & facilitatis memorandi causâ, ita deligerentur anni centeſimi, vt anno 1600. ab Emendatione propinquo, & ob decem dies non omninò expletos, Bis-ſextili relicto, ſequentes anni 1700. 1800. 1900. qui Bis-ſextiles eſſe deberent, pro communibus haberentur; annus autem 2000. Bis-ſextilis foret tranſigendus; ac pari ratione futuri eſſent communes anni 2100. 2200. 2300. Bis-ſextilis autem 2400. atque ita porrò, centenariis quibuſque quaternario menſuratis, relictis Bis-ſextilibus; non ſecus, ac vulgò omnes anni qui quaternario menſurantur, in Bis-ſextilibus habentur.

Deinde, ne reductâ ſemel in ordinem Lunâ, anticiparet iterùm; inſtituit, vt loco Aurei numeri, Cyclive Decem-nouennalis, ſubſtitueretur in Calendario Cyclus Epactarum 30. quæ diebus anni ſingulis, non autem plerumque ſolùm alternis, reſponderent; ac eſſent non modò Nouem-decim, quæ Nouilunia in iiſdem diebus per annos circiter 300. conſiſtentia indigitarent, ſed eſſent ſimul aliæ, quæ tranſeuntia in alios dies Nouilunia oſtenderent; ac id ſpeciatim, è quo Paſcha dependeret, facerent perſpectum.

Veruntamen, quia res non poteſt commodè explicari, aut intelligi, niſi crebra reſpectatione in ipſum Calendarium: idcircò id videtur nobis exhibendum. Res fortè ſuperflua, in tanta Miſſalium, Breuiariorúmque vocatorum, & Calendarium præferentium copia; Verùm, quia & poſſunt plærumque huiuſmodi libri non eſſe ad manum, & magnum futurum paucarum pagellarum impendium non eſt, inſeri hùc ipſum nihil vetat. Adde quòd, ipſum proponemus, cuiuſmodi fuit Emendationis tempore; ne quid perturbet, quòd in iis, quæ ſunt excuſa recentiùs, Feſta quædam exſtent, quorum, quia ſint inducta poſteriùs, nulla fit in Bulla memorata mentio. Nempe diei 5. Octobris adſcriptum iam habetur feſtum S. Placidi, & ſociorum; diei 6. S. Brunonis; diei 8. Sanctæ Birgittæ, &c. quæ Reformationis tempore adſcripta non erant.

Principio autem vides in Prima ſingulorum Menſium columna (de cæteris res nota eſt)

eſt) numeros triginta, ab vno ad triginta, Romano charactere continua ſerie diſpoſitos; niſi quod, loco numeri xxx. ponitur Aſteriſcus *. Incipiunt autem à Kalendis Ianuarij, continuantúrque, ac repetuntur ordine retrogrado in hunc modum, *, xxix. xxviij. xxvij. &c. id nempe (tametſi potuiſſent ordine directo diſponi) id, inquam, cùm alias ob cauſas, tum ob eam ſpeciatim, vt dato numero, qui vno anno demonſtret per menſeis ſingulos Nouilunia, nihil aliud oporteat, quàm numerare ſurſum ab illo excluſo, vndecim, vt habeatur numerus, qui anno inſequente demonſtraturus Nouilunia ſit: is videlicet ille erit, qui loco vndecimo occurret.

Dicuntur autem hi numeri Epactæ, quòd deſignent ex ordine dies illos xi. qui anno Lunari 354. dierum adiiciendi quotannis ſunt, vt in conſonantiam cum Solari dierum 365. redeat. Propterea enim fit, vt, quemadmodum de Numero Aureo fuit dictum, poſtquàm numeri iſti Epactales repetiti duodecies, & terminati ad diem Decembris 20. fuerint, tribuantur ſuperſtitibus diebus xi. iidem numeri, qui fuerint primis xi. diebus menſis Ianuarij attributi.

Ac, ne hæreas, quî fiat, vt cùm duodecies 30. ſint 360. & à 1. tamen Ianuarij, vſque ad 20. Decembris incluſiuè, ſint ſolùm dies 354. attende factum idcircò fuiſſe, vt ad lucrandum ſex illos dies, numeri xxiv. & xxv. è regione vnius, eiuſdémque diei alternis menſibus collocentur: ſcilicet ad 5. Februarij, ad 5. Aprilis, ad 3. Iunij, ad 1. Auguſti, ad 29. Septembris, ad 27. Nouembris. Cur autem delecti hi duo numeri præ cæteris fuerint; cur item in ſex illis menſibus ad latus xxvi. in aliis ad latus xxv. adhibeatur, vulgari cyphra, aut colore rubro, numerus 25. cur item ad diem vltimum Decembris apponatur, communi etiam cyphrâ, numerus 19. res intelligetur ex poſteà dicendis.

Adnoto heic ſolùm, cur loco Epactæ xxx. ſcribatur Aſteriſcus * cauſam ex eo eſſe, quòd, cùm per Epactas deſignetur numerus dierum, qui poſt Lunationem Decembri menſe terminatam, ex ipſo Decembri ſuperſunt; contingat interdum duas Lunationes terminari, vnam ſcilicet die prima, quo caſu, cùm ſuperſint dies 30. deberet diei primæ Ianuarij adſcribi Epacta xxx. & aliam die vltima, quo caſu cùm ſuperſit o. deberet diei vltimæ Ianuarij adſcribi Epacta o. ac, vt Epacta foret conformis, qua vtroque caſu Nouilunium vtroque die, hoc eſt, tam primo, quam vltimo Ianuarij contingens deſignaretur, deberet vtrique diei Epacta adſcribi coniunctim aut xxx.o. aut o.xxx. quod foret incommodum; ideò excogitata eſt nota indifferẽs, Aſteriſcus nempe * æquiualens vtrique. Prætereo autem ideò Epactam xxix. affixam haberi diei ſecundæ Ianuarij, quia poſt Lunationem die ſecunda Decembris terminatam ſuperſunt dies 29. ac pari ratione Epactam xxviii. affixam diei tertiæ Ianuarij, quia poſt Lunationem terminatam tertia Decembris, ſuperſunt dies 28. atque ita ex ordine, quo vſque reperias diei Ianuarij trigeſimæ affixam eſſe Epactam 1. quia poſt Lunationem terminatam die trigeſima, ſupereſt tantum dies vnus.

Sciendum verò eſt haſce Epactas idcircò eſſe ſubſtitutas in vicem Aurei numeri, quòd idem prorsùs cum illo præſtent (quippe Epacta quoque anno cuique competens demonſtrat è regione dies, quibus Nouilunia per ſingulos menſeis contingunt) id verò prætereà habent commodi, vt euadere poſſint perpetuæ, eumdemve ſitum in Calendario, toto ſæculorum decurſu tueri; quod ſanè Aureo numero congruere haud-quaquam poteſt.

Quia enim per annos paullò ampliùs 300. Nouilunia vno anticipant die; ideò eſt neceſſe, vt numeri Aurei vno gradu retrahantur; adeò vt, cùm exempli causâ, tempore Niceni Concilij numerus 111. occuparet diẽ 1. Ianuarij, is poſt annos 300. retrahendus fuiſſet in Decembris vltimum; & qui numerus xi. occupabat 3. Ianuarij, retrahi debuiſſet in 2. qui xix. 5. retrahi in 4. atque ita ex ordine. Sicque, cùm tempore Reformationis, ſeu poſt annos ampliùs 1200. Nouilunia iam 4. diebus anticipaſſent; debuiſſet idem, exempli causâ, numerus Aureus xix. loco diei 5. occupare 1. aliíque ſuo quiſque ordine 4. gradibus fieri anrrorſum promotiores. Qua ratione contingeret, vt intra annos paullò minùs 9400. Calendarium foret tricies commutandum; quovſque tum demùm aurei numeri eaſdem ſedeis repeterent, ipſaſmet rursùs commutaturi.

At verò Epactis in Calendarium inductis, nulla retractione, aut commutatione huiuſmodi opus eſt; potéſtque Calendarium inuariatum perſeuerare (vnde & hac ratione habetur perpetuum) quoniam neceſſe ſolùm eſt, vt quoties Nouilunia diem commutant (ſeu id occaſione Anticipationis, ſeu ob Bis-ſextorum ſuppreſſionem fiat) neceſſe, inquam, ſolùm eſt, vt vice 19. Epactarum, quæ demonſtrandis Nouiluniis priùs inſeruierint; aliæ 19. vſurpentur. Quo pacto, cùm nobis ab anno Reformationis 1582. & porrò ad vſq; annũ 1700. hæ 19. Epactæ ſint vſui, i. ii. iv. v. vii. viii. x. xii. xiii. xv. xvi. xviii. xix. xxi. xxiii. xxiv. xxvi. xxvii. xxix. (haſce ſcilicet, & non alias habes intra columnam Epactarum in temporaria Tabula, & è regione quidem aureorum numerorum nouemdecim) ab anno deinceps 1700. futuræ ſunt iſtæ, *. i. iii. iv. vi. vii. ix. xi. xii. xiv. xv. xvii. xviii. xx. xxii. xxiii. xxv. xxvi. xxviii. quæ etiam aliunde perſeuerabunt ab anno 1800. in 1900. quòd licet anno 1800. Bis-ſextum ſupprimendum ſit, tunc tamen iſta ſuppreſſio cum anticipatione compenſanda occurrat. Quanquam, vt res fiat paullò manifeſtior, aliquantò altiùs repetenda eſt.

CALENDARIVM GREGORIANVM.

Cyclus Epact.	Literæ Domini.		Dies menſis.	IANVARIVS.
*	A	*Kal.*	1	*Circumciſio Domini.* duplex. [SS.Innoc.
xxix	b	iiii	2	Oct. S.Stephani duplex.cum com. Oct.S.Ioan &
xxviii	c	iii	3	Oct. S.Ioannis duplex.cum com. Oct. SS.Innoc.
xxvii	d	*Prid.Nona*	4	Octaua SS.Innocentium.duplex.
xxvi	e	*Nona*	5	Vigilia.
x5.xxv	f	viii	6	*Epiphania Domini.* duplex.
xxiv	g	vii	7	De Octaua Ephiphaniæ.
xxiii	A	vi	8	De Octaua.
xxii	b	v	9	De Octaua.
xxi	c	iv	10	De Octaua.
xx	d	iii	11	De Octaua.& com.S.Hyginij Papæ,& mart.
xix	e	*Prid Idus*	12	De Octaua.
xviii	f	*Idus*	13	Octaua Epiphaniæ. duplex. [Preſb & mart.
xvii	g	xix	14	Hilarij Epiſc. & Conf. ſemid. cum com. S.Felicis
xvi	A	xviii	15	Pauli primi Eremitæ.ſemid.cum comm.S.Mauri.
xv	b	xvii	16	Marcelli Papæ,& mart.ſemid. [Abbatis
xiv	c	xvi	17	*Antonij Abbatis.*duplex. [Virg.& mart.
xiii	d	xv	18	*Cathedra S. Petri Romæ.* duplex. & com. S.Priſcæ
xii	e	xiv	19	Marij, Marthæ, Audifax,& Abachum mart.
xi	f	xiii	20	*Fabiani & Sebaſtiani.* mart.dupl.
x	g	xii	21	Agnetis virg & mart.dupl.
ix	A	xi	22	Vincentij,& Anaſtaſij mart,ſemid.
viii	b	x	23	Emerentianæ virg & mart.
vii	c	ix	24	Timothei Epiſcopi,& mart.
vi	d	viii	25	*Conuerſio S.Pauli Apoſtoli.*dupl.
v	e	vii	26	Polycarpi Epiſcopi,& mart.
iiii	f	vi	27	Ioannis Chryſoſt. Epiſcopi,& Conf.dupl.
iii	g	v	28	Agnetis ſecundò.
ii	A	iv	29	
i	b	iii	30	
*	c	*Prid .Kal*	31	

Cyclus Epact.	Literæ Domini.		Dies Menſis.	FEBRVARIVS.
xxix	d	*Kal.*	1	Ignatij Epiſcopi,& mart.ſemid.
xxviii	e	iiii	2	*Purificatio B. Mariæ* dupl.
xxvii	f	iii	3	Blaſij Epiſcopi,& mart.
25.xxvi	g	*Prid.Non*	4	
xxv. xxiiii	A	*Nona*	5	Agathæ virginis,& mart.ſemid.
xxiii	b	viii	6	Dorotheæ virginis,& mart.
xxii	c	vii	7	Romualdi Abb.dupl.
xxi	d	vi	8	
xx	e	v	9	Apolloniæ virg.& mart.
xix	f	iv	10	
xviii	g	iii	11	
xvii	A	*Prid. Idus*	12	
xvi	b	*Idus*	13	
xv	c	xvi	14	Valentini Preſbyteri,& mart.
xiv	d	xv	15	Fauſtini,& Iouitæ martyrum.
xiii	e	xiv	16	
xii	f	xiii	17	
xi	g	xii	18	
x	A	xi	19	Symeonis Epiſcopi,& martyris.
ix	b	x	20	
viii	c	ix	21	
vii	d	viii	22	*Cathedra S. Petri Antiochiæ.* dupl.
vi	e	vii	23	Vigilia
v	f	vi	24	*Matthiæ Apoſtoli.*dupl.
iv	g	v	25	
iii	A	iv	26	
ii	b	iii	27	
i	c	*Prid. Kal.*	28	

In anno Biſſextili Februarius eſt dierum 29. & Feſtum Sancti Matthiæ celebratur 25. Februarij, & bis dicitur, ſexto Calendas, id eſt, die 24, & die 25. & litera Dominicalis, quæ aſſumpta fuit in menſe Ianuario, mutatur in præcedentem; Vt, ſi in Ianuario litera Dominicalis fuit A, mutetur in præcedentem, quæ eſt g, & cæt.

CALENDARIVM GREGORIANVM.

Cyclus Epact.	Literæ Domini.		Dies Menſis	MARTIVS.
*	d	*Kal.*	1	
xxix	e	vi	2	
xxviii	f	v	3	
xxvii	g	iiii	4	
xxvi	A	iii	5	
25. xxv	b	*Prid. Non.*	6	
xxiv	c	*Nonæ*	7	*Sancti Thomæ de Aquino Confeſſ.*dupl.& com. SS. Perpetuæ,& Felicitatis martyrum.
xxiii	d	viii	8	
xxii	e	vii	9	Quadraginta Martyrum.ſemid.
xxi	f	vi	10	
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	*Gregorij Papæ,& Confeſſ.& Eccleſiæ Doctoris.*dupl.
xviii	b	iii	13	
xvii	c	*Pr. Idus*	14	
xvi	d	*Idus.*	15	
xv	e	xvii	16	
xiv	f	xvi	17	
xiii	g	xv	18	
xii	A	xiv	19	Ioſeph Confeſſoris.dupl.
xi	b	xiii	20	
x	c	xii	21	Benedicti Abbatis.dupl.
ix	d	xi	22	
viii	e	x	23	
vii	f	ix	24	
vi	g	viii	25	*Annunciatio Beatæ Mariæ.*dupl.
v	A	vii	26	
iiii	b	vi	27	
iii	c	v	28	
ii	d	iv	29	
i	e	iii	30	
*	f	*Pr. Kal.*	31	

Cyclus Epact.	Literæ Domini.		Dies Menſis.	APRILIS.
xxix	g	*Kal.*	1	
xxviii	A	iiii	2	Franciſci de Paula Confeſſ.dupl.
xxvii	b	iii	3	
25.xxvi	c	*Prid. Non.*	4	
xxv xxiv	d	*Nonæ*	5	
xxiii	e	viii	6	
xxii	f	vii	7	
xxi	g	vi	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iv	10	
xviii	c	iii	11	Leonis Papæ,& Confeſſ.dupl.
xvii	d	*Prid. Idus*	12	
xvi	e	*Idus*	13	
xv	f	xviii	14	Tiburtij, Valeriani, & Maximi martyrum.
xiv	g	xvii	15	
xiii	A	xvi	16	
xii	b	xv	17	Aniceti Papæ,& mart.
xi	c	xiv	18	
x	d	xiii	19	
ix	e	xii	20	
viii	f	xi	21	
vii	g	x	22	Soteris,& Caii Pontificum,& martyrum ſemid.
vi	A	ix	23	Georgij mart.ſemid.
v	b	viii	24	
iv	c	vii	25	*Marci Euangeliſtæ.*dupl.
iii	d	vi	26	Cleti,& Marcellini Pont.& martyrum.ſemid.
ii	e	v	27	
i	f	iiii	28	Vitalis Martyris.
*	g	iii	29	Petri martyris.dupl.
xxix	A	*Prid. Kal.*	30	

CALENDARIVM GREGORIANVM.

Cyclus Epact.	Literæ Domini.		Dies menſis.	MAIVS.
xxviii	b	*Kal.*	1	*Philippi, & Iacobi Apoſtolorum* dupl.
xxvii	c	vi	2	Athanaſij Epiſcopi,& Confeſſ.dupl.
xxvi	d	v	3	*Inuentio S.Crucis*.dupl.& com.SS.Alexãdri Euen- rij,& Theod. mar.ac Iuuenalis Epiſc.& Conf.
25.xxv	e	iiii	4	Monicæ viduæ.
xxiv	f	iii	5	
xxiii	g	*Prid.Nona*	6	*Ioannis ante Portam Latinam*.dupl.
xxii	A	*Nona*	7	Staniſlai Epiſcopi & mart.dupl.
xxi	b	viii	8	Apparitio ſancti Michaëlis dupl.
xx	c	vii	9	S.Gregorij Theologi Epiſcopi, & Confeſſ.dupl.
xix	d	vi	10	Gordiani,& Epimachij martyrum.
xviii	e	v	11	
xvii	f	iv	12	Nerei,Achilei,& Pancratij.mart.
xvi	g	iii	13	
xv	A	*Prid Idus*	14	Bonifacij martyris.
xiv	b	*Idus*	15	
xiii	c	xvii	16	
xii	d	xvi	17	
xi	e	xv	18	
x	f	xiv	19	Pudentianæ virginis.
ix	g	xiii	20	
viii	A	xii	21	
vii	b	xi	22	
vi	c	x	23	
v	d	ix	24	
iiii	e	viii	25	Vrbani Papæ,& martyris.
iii	f	vii	26	Eleutherij Papæ,& martyris.
ii	g	vi	27	Ioannis Papæ,& martyris.
i	A	v	28	
*	b	iv	29	
xxix	c	iii	30	Felicis Papæ,& martyris
xxviii	d	*Prid .Kal.*	31	Petronillæ virginis.

Cyclus Epact.	Literæ Domini.		Dies Menſis.	IVNIVS.
xxvii	e	*Kal.*	1	
25.xxvi	f	iiii	2	Marcellini,Petri,& Eraſmi mart.
xxv. xxiiii	g	iii	3	
xxiii	A	*Prid.Non*	4	
xxii	b	*Nona*	5	
xxi	c	viii	6	
xx	d	vii	7	
xix	e	vi	8	
xviii	f	v	9	Primi,& Feliciani martyrum.
xvii	g	iv	10	
xvi	A	iii	11	*Barnabæ Apoſtoli*. dupl.
xv	b	*Prid. Idus*	12	Baſilidis, Cyrini, Naboris,& Nazarij martyrum.
xiv	c	*Idus*	13	Antonij de Padua Confeſſ.dupl.
xiii	d	xviii	14	Baſilij Epiſcopi,& Confeſſ.dupl.
xii	e	xvii	15	Viti,Modeſti,& Creſcentiæ mart.
xi	f	xvi	16	
x	g	xv	17	
ix	A	xiv	18	Marci,& Marcellini,martyrum.
viii	b	xiii	19	Geruaſij,& Protaſij martyrum.
vii	c	xii	20	Syluerij Papæ,& martyris.
vi	d	xi	21	
v	e	x	22	Paulini Epiſcopi,& Confeſſ.
iv	f	ix	23	Vigilia.
iii	g	viii	24	*Natiuitas S.Ioannis Baptiſtæ* dupl.
ii	A	vii	25	De Octaua Natiu.S.Ioan.Bapt. [S.Ioan.
i	b	vi	26	Ioannis & Pauli.mart.ſemid.cum com.oct Natiu.
*	c	v	27	De Octaua Natiuit S Ioan. [liæ,
xxix	d	iv	28	Leonis Papæ & Conf.ſemid & com.oct.& Vigi-
xxviii	e	iii	29	*Petri,& Pauli Apoſtolorum*.dupl. [S.Ioan.
xxvii	f	*Prid. Kal.*	30	*Commemoratio S.Pauli Apoſtoli*. dupl. & com.oct.

CALENDARIVM GREGORIANVM.

Cyclus Epact.	Literæ Domini.		Dies Menſis	IVLIVS.
xxvi	g	*Kal.*	1	Oct.S.Ioan Baptiſtæ dupl.& com.oct.Apoſtol.
25.xxv	A	vi	2	*Viſitatio B.Mariæ.* dupl. cum com. oct. Apoſt.
xxiv		v	3	De octaua Apoſtolotum.
xxiii	b	iiii	4	De octaua.
xxii	c	iii	5	De octaua.
xxi	d	*Prid.Non.*	6	Octa.Apoſtol.Petri,& Pauli.dupl.
xx	e	*Nona*	7	
xix	f	viii	8	
xviii	g	vii	9	[mart.ſemid.
xvii	A	vi	10	Septem fratrum mart.& SS.Ruffinæ,ac Secnndæ
xvi	b	v	11	Pij Papæ,& mart. [Ab.
xv	c	iv	12	Naboris, & Felicis mart. cum.com.Io.Gualberti,
xiv	d	iii	13	Anacleti Papæ,& mart.ſemid.
xiii	e	*Pr. Idus*	14	Bonauenturæ Pont.& Conf. & Eccl. Doct. dupl.
xii	f	*Idus.*	15	
xi	g	xvii	16	
x	A	xvi	17	Alexij Confeſſ.
ix	b	xv	18	Symphoroſæ,cum ſeptem filiis mart.
viii	c	xiv	19	
vii		xiii	20	Margaritæ virg.& mart.
vi	d	xii	21	Praxcdis virginis.
v	e	xi	22	*Mariæ Magdalenæ* dupl.
iiii	f	x	23	Appoilinaris Epiſcopi.& mart.ſemid.
iii	g	ix	24	Vigilia,& com.S. Chtiſtinæ virg.& matt.
ii	A	viii	25	*Iacobi Apoſt.*dupl & com.S.Chriſtophori mart.in
i	b	vii	26	*Annæ matris B.M.virg.*dupl. [Laud.tantum.
*	c	vi	27	Pantaleonis mart. [Papæ & Conf.ſemid.
xxix	d	v	28	Naxarij. Celſi , & Victoris Papæ mart.& Innoc.
xxviii	c	iv	29	Matthæ virg.ſem.& com.SS.Felicis Papæ,Simpii-
xxvii	f	iii	30	Abdon,& Sennen mart. [cij.Fauſt.& Beat.mart.
25.xxvi	g	*Pr. Kal.*	31	

Cyclus Epact.	Literæ Domini.		Dies Menſis.	AVGVSTVS.
25.xxiv	c	*Kal.*	1	*Petri ad vincula.* dupi. & com. SS.Machab. mart.
xxiii	d	iiii	2	Stephani Papæ,& martyris.
xxii	e	iii	3	Innentio S.Stephani Ptotom.ſemid.
xxi	f	*Prid. Non*	4	*Dominici Confeſſ.*dupl.
xx	g	*Nona*	5	*Dedicatio S.M ad Niues.*dnpl.
xix	A	viii	6	*Transfiguratio. Domini.*dupl.& com.SS.Sixti Papę, & Feliciſſimi,& Agapiti mart.
xviii	b	vii	7	Donati Epiſc.& mart.
xvii	c	vi	8	Cyriaci,Largi,& Smaragdi mart.ſemid.
xvi	d	v	9	Vigilia,& com.S.Romani mart.
xv	e	iv	10	*Laurentij mart.*dupl. [mart.
xiv	f	iii	11	De oct. S.Laur.cum com.SS.Tiburtij,& Suſannæ
xiii	g	*Prid. Idus*	12	De octaua,& com.S.Ciaræ virg.
xii	A	*Idus*	13	De octaua,& com.SS.Hippoiyti,& Caſſiani mar.
xi	b	xix	14	De octa. cnm com. Vigiliæ,& S.Euſcbii Conf.
x	c	xviii	15	*Aſſumptio B. M. virg.*dupl.
ix	d	xvii	16	De octaua Aſſumpt. B.M.cum com.octa. S.Laur.
viii	c	xvi	17	Octa.S.Laur.& com.octanæ Aſſumpt.
vii	f	xv	18	De octaua,& com.S.Agapiti mart.
vi	g	xiv	19	De octaua.
v	A	xiii	20	Bernardi Abbatis dupl. cũ.com.octauæ Aſſumpt.
iv	b	xii	21	De octaua. [Hyppolyti,& Sympbotiani mart.
iii	c	xi	22	Octa.aſſumpt.B.M.dupl.cũ com.octauæ Aſſumpt.
ii	d	x	23	Vigilia.
i	e	ix	24	*Bartholomæi Apoſtoli* dupl.*Romæ celebratur die 25.*
*	f	viii	25	Ludouici Regis Franciæ Confcſſ.
xxix	g	vii	26	Zephirini Papæ,& mart.
xxviii	A	vi	27	
xxvii	b	v	28	*Auguſtini Epiſcopi, Confeſſ.& Eccleſ. Doct.*dupl.&
xxvi	c	iiii	29	com.S Hermetis martyris. [mart.
25.xxv	d	iii	30	*Decollatio S.Ioan. Baptiſtæ.* dupl.& com. S.Sabinæ
xxiv	e	*Prid. Kal.*	31	Felicis , & Adaucti mart.

CALEN

CALENDARIVM GREGORIANVM.

Cyclus Epact.	Literæ Domini.		Dies Menſis	SEPTEMBER.
xxiii	f	*Kal.*	1	Ægidij Abbatis,& com.SS.mart.xij.Fratrum.
xxii	g	iiii	2	
xxi	A	iii	3	
xx	b	*Prid.Non.*	4	
xix	c	*Nona*	5	
xviii	d	viii	6	
xvii	e	vii	7	
xvi	f	vi	8	*Natiuitas B.Mariæ.*dupl.& com.S.Andriani mart. *in Laudibus tantum.*
xv	g	v	9	De oct.S.Mariæ,& com.S.Gorgonij mart.
xiv	A	iv	10	De Octaua.
xiii	b	iii	11	De Octaua,& com.SS.Prothi,& Hyacinthi mart.
xii	c	*Pr. Idus*	12	De Octaua.
xi	d	*Idus.*	13	De Octaua. [riæ.
x	e	xviii	14	Exaltatio S.Crucis.dupl.cum com.oct.Nat.S.Ma-
ix	f	xvii	15	Octaua Nat.B.M.dupl. cũ com.S.Nicomed.mart.
viii	g	xvi	16	Cornelij , & Cypriani Pont. & mart. ſemid. cum
vii	A	xv	17	com.SS.Euphemiæ,Luciæ,& Geminiani mart.
vi	b	xiv	18	
v	c	xiii	19	Ianuarij Epiſc. & ſoc. mart. ſemid.
iiii	d	xii	20	Vigilia,& com.S.Euſtachij,& ſocior.mart.
iii	e	xi	21	*Matthæi Apoſtoli.*dupl.
ii	f	x	22	Mauritij , & Sociorum mart.
i	g	ix	23	Lini Papæ,& mart.ſemid.cũ com S.Theclæ virg.
*	A	viii	24	& mart.
xxix	b	vii	25	
xxviii	c	vi	26	Cypriani,& Iuſtinæ mart.
xxvii	d	v	27	Coſmæ & Damiani mart.ſemid.
25.xxvi	e	iv	28	
xxv xxiv	f	iii	29	*Dedicatio S.Michaelis Archangeli.*dupl.
xxiii	g	*Pr. Kal.*	30	*Hieronymi Presb.Confeſſ. & Eccleſ Doctoris.*dupl

Cyclus Epact.	Literæ Domini.		Dies Menſis.	OCTOBER.
xxii	A	*Kal.*	1	Remigij Epiſcopi , & Confeſſ.
xxi	b	vi	2	
xx	c	v	3	
xix	d	iiii	4	*Franciſci Confeſſ.*dupl.
xviii	e	iii	5	Placidi,& ſoc.martyrum.
xvii	f	*Prid. Non.*	6	
xvi	g	*Nona*	7	S.Marci Papæ,& Conf. cũ com.SS.Sergij,Bacchi, & Apuleij martyrum.
xv	A	viii	8	
xiv	b	vii	9	Dionyſij,Ruſtici, & Eleutherij martyrum.ſemid.
xiii	c	vi	10	
xii	d	v	11	
xi	e	iv	12	
x	f	iii	13	
ix	g	*Prid. Idus*	14	Calliſti Papæ,& mart.ſemidupl.
viii	A	*Idus*	15	
vii	b	xvii	16	
vi	c	xvi	17	
v	d	xv	18	*Lucæ Euangeliſtæ.*dupl.
iv	e	xiv	19	
iii	f	xiii	20	
ii	g	xii	21	Hilarionis Abbatis, & com. SS.Vrſulæ,& ſociarũ
i	A	xi	22	virg. & mart.
*	b	x	23	
xxix	c	ix	24	
xxviii	d	viii	25	Chryſanthi,& Dariæ mart.
xxvii	e	vii	26	Euariſti Papæ,& mart.
xxvi	f	vi	27	Vigilia.
25.xxv	g	v	28	*Simonis,& Iudæ Apoſtolorum*,dupl.
xxiiii	A	iiii	29	
xxiii	b	iii	30	
xxii	c	*Prid. Kal.*	31	Vigilia.

CALEN

CALENDARIVM GREGORIANVM.

Cyclus Epact.	Literæ Domini.		Dies Menſis	NOVEMBER.
xxi	d	*Kal.*	1	*Feſtum omnium Sanctorum*. dupl.
xx	e	iiii	2	*Commemoratio omnium fidelium defunctorum*. dupl. & de oct. omnium SS.
xix	f	iii	3	De Octaua.
xviii	g	*Prid. Non.*	4	De Octaua.cum com.SS.Vitalis,& Agricolæ mar.
xvii	A	*Nonæ*	5	De Octaua.
xvi	b	viii	6	De Octaua.
xv	c	vii	7	De Octaua. [ronatorum mart.
xiv	d	vi	8	Octaua omniũ SS.dupl.& com.SS.Quatuor Co-
xiii	e	v	9	*Dedicatio Baſilicæ Saluatoris*. dupl. cum comm.S. Theodori mart.
xii	f	iv	10	Tryphonis, Reſpicij, & Nymphæ mart.
xi	g	iii	11	*Martini Epiſc.& Conf.*dupl.& com.S.Mennę mar.
x	A	*Pr. Idus*	12	Martini Papæ,& mart.ſemidupl.
ix	b	*Idus.*	13	
viii	c	xviii	14	
vii	d	xvii	15	
vi	e	xvi	16	
v	f	xv	17	Gregorij Thaumaturgi Epiſc.& Conf.
iiii	g	xiv	18	*Dedicatio Baſilicarum Petri,& Pauli*. dupl.
iii	A	xiii	19	Pontiani Papæ, & mart.
ii	b	xii	20	
i	c	xi	21	Præſentatio S.Mariæ. dupl.
*	d	x	22	Cæciliæ virg.& mart.ſemid. [citatis mart.
xxix	e	ix	23	Clementis Papæ,& mart.ſemid.cum com.S.Feli.
xxviii	f	viii	24	Chryſogoni mart.
xxvii	g	vii	25	*Catharinæ virg.& mart.*dupl.
25.xxvi	A	vi	26	Petri Alexandrini Epiſc.& mar.
xxv xxiv	b	v	27	
xxiii	c	iv	28	
xxii	d	iii	29	Vigilia,& com.S.Saturnini mart.
xxi	e	*Pr. Kal.*	30	*Andreæ Apoſtoli*. dupl.

Cyclus Epact.	Literæ Domini.		Dies Menſis.	DECEMBER.
xx	f	*Kal.*	1	
xix	g	iiii	2	Bibianæ virg.& mart.commem.
xviii	A	iii	3	
xvii	b	*Prid. Non.*	4	Barbaræ virg.& mart.comm.
xvi	c	*Nonæ*	5	Sabæ Abbatis. commem.
xv	d	viii	6	Nicolai Epiſcopi, & Conf.ſemid.
xiv	e	vii	7	*Ambroſij Epiſc.& Conf.& Eccleſ.Doct.*dupl.
xiii	f	vi	8	*Conceptio B.Mariæ*, dup.
xii	g	v	9	
xi	A	iv	10	Melchiadis Papæ, & mart.com.
x	b	iii	11	Damaſi Papæ, & Confeſſ.ſemid.
ix	c	*Prid. Idus*	12	
viii	d	*Idus*	13	*Luciæ virginis, & martyris*. dupl.
vii	e	xix	14	
vi	f	xviii	15	
v	g	xvii	16	
iv	A	xvi	17	
iii	b	xv	18	
ii	c	xiv	19	
i	d	xiii	20	Vigilia.
*	e	xii	21	*Thomæ Apoſtoli*. dupl.
xxix	f	xi	22	
xxviii	g	x	23	
xxvii	A	ix	24	Vigilia.
xxvi	b	viii	25	*Natiuitas D.N.Ieſu Chriſti*. dupl.
25.xxv	c	vii	26	*Stephani Protomartyris*. dupl.cum com.oct.Natiu.
xxiiii	d	vi	27	*Ioannis Apoſt.& Euangeliſtæ*.dupl.cum com.oct.
xxiii	e	v	28	*Innocentium martyrum*.dupl.cum com.octauar.
xxii	f	iv	29	Thomæ Cant.Epiſc.& mart.ſemid.cum com.oct.
xxi	g	iii	30	De Dom.inf.oct.Natiu.vel de oct.cum com.oct.
19.xx	A	*Prid. Kal.*	31	*Sylueſtri Papæ, & Confeſſ.* dupl.cum com.octauar.

CAPVT

CAPVT II.

Quatenus Promiſſum, ne Æquinoctium Vernum ſedem à Niceno Concilio præſcriptam, hoc eſt diem Martij xxj. anteuertat.

CVm ſit autem primùm de ipſa dierum Bis-ſextilium ſuppreſſione dicendum; id tamen generatim ſupponendum eſt, quod iam antè innuimus; nempe Calendarium rem eſſe ciuilem, ac ideircò ſupputationes, quæ circa ipſum fiunt, non eſſe ad amuſſim Aſtronomicam exigendas; quòd ex ciuili vſu non ſit, vt pareis cùm Aſtronomis temporum, motuúmque minutias ſectemur. Sic, tametſi Aſtronomi deprehenderint, v.g. annum Solarem tum terminari, cùm 365. dies, & ſex horæ effluxerint; non tamen vſus politicus fert, vt poſt 365. dies exactos expectentur adhuc ſex horæ, quò annus nouus inchoetur; neque vt pars menſis duodecima, ſeu menſis Solaris tum præcisè deſinat, cùm dies 30. ac decem horæ cùm ſemiſſe tranſierint; ſed vt ſenæ horæ per treis annos neglectæ, cum ſex horis anni quarti quaſi colligantur; intelligantúrque vnum diem conſtituere, ex quo annus quartus dierum 366. efficiatur. Quo modo etiam menſes ſine fragmentis dierum vſurpantur; abundéque eſt; vt numero dierum præter-propter æquali, annus integer ex ipſis conflentur. Quod idem de anno, menſibuſque Lunaribus, iuxta ſæpiùs dicta, eſt intelligendum.

Enimverò, cùm ſit tamen operis, vt Legumlatores, Principeſve, qui populis certam formam anni, partiúmque ipſius præſcribunt, perſpectum habeant, quæ, quantáque huiuſmodi fragmenta, ſeu minutiæ ſint, vt congruam eorum rationem habeant; ideò moris eſſe, vt adhibeant in conſilium Aſtronomos, qui Solis ac Lunæ motus calleant, & quibuſ-nam dierum, horarum, minutorúmque periodis illi abſoluantur, exquiſitè nôrint.

Quemadmodum porrò experientia Aſtronomos docuit non eſſe omneis annos, vt neque dies, inter ſe duratione æqualeis; ac maiorem adhuc reperiri in menſibus, Lunaribuſve circuitibus, partibuſque eorum inæqualitatem; ac ea de cauſa diſtinxerunt, vt in Planetis cæteris, ſic ſpeciatim in Sole, & Luna motus alios Apparenteis, ſeu Veros vocatos, qui nunc velociores, nunc tardiores ſint; alios æqualeis, ſeu Medios, qui nempe inter velocitatem, & tarditatem medij incedere intelligantur: Quemadmodum, inquam, id ita ſe habet, Sic docuit eadem experientia Cyclos ſeu Annorum, ſeu Menſium, quorum ciuilis vſus ſit, accommodandos omninò eſſe motibus non Veris, apparentibuſve, ſed Mediis, ſiue æqualibus; quòd iſti vno tenore incedant; illi nunc excedant, nunc deficiant; & nondum deprehenſum ſit, condi ab Aſtronomis Tabulas, ex quibus liceat veros motus in omne tempus colligere, ſed quæ illos ſolùm ad tempus aliquod exhibeant. Profectò ne ipſe quidem Tycho Braheus auſus eſt nuper polliceri maiorem ſuarum conſtantiam, quam per quadringentos, hoc eſt ducentos antè, & ducentos pòſt, annos.

Hoc verò adnoto, vt minùs ſit mirum, ſi Eccleſia quoque, in iis, quibus operâ Aſtronomorum indiget, vſurpet, ſequaturve motus non Apparenteis, ſed Medios; quòd iſti, ob vniformitatem, redigi facilè in Cyclos, ſecus ac illi valeant; ſufficiátque, ſi præterpropter, & quantum tamen proximè ex vſu licet, res obtineatur. Quippe, neque Sacra Scriptura, neque Concilia, aut Sancti Patres præceperunt vnquam, vt exquiſitè, rigidéque Aſtronomorum calculis, Tabuliſque adſtringeremur, ſed vt tempora obſeruaremus, quæ, quantum vulgaris vſus patitur, aut vera ſint, aut proximè vera.

Certè, ne à propoſito digrediamur, cùm iuſſus eſt populus celebrare Paſcha xiv. Luna, ſeu die Primi menſis; pronum eſt intelligere, nibil videri aliud Deum ſignificaſſe, quàm ipſum Plenilunij tempus, & non iam quidem ſupputatum à coniunctione Lunæ cùm Sole, quàm ab apparitione eius prima, quæ, quaſi vno die poſt coniunctionem factam contingat, ſupputatus ab hoc dies decimus-quartus (qui ſit à coniunctione decimus-quintus) Plenilunium prodat. Tametſi autem non ſemper primo, ſed plerumque etiam ſecundo, aliquando & tertio die à coniunctione Luna appareat; vt quidpiam tamen certi conſtaret, ſic videntur fuiſſe limitati menſes, quaſi illa ſemper primo pòſt die appareret, ac ſemper Luna decima quarta eadem cum Plenilunio foret. Quod innuo ſolùm, vt inferam, non videri mentem Sacræ Scripturæ fuiſſe, vt ad Lunam xiv. exquiſitiùs alligaremur, quàm ciuilis menſis inſtitutum ferret, & vulgari captui congrueret, iuxta quem Luna plena habetur, non ſolùm quo tempore eſt, ſed etiam vno minimùm tam antè, quàm poſt ipſum die.

Sic verò etiam, cùm deinceps Concilia, & Patres, rem ſic interpretati ſunt, vt xiv. Luna primi Menſis ea haberetur, quæ aut ipſo die Æquinoctij verni, aut proximè ipſum, ſed poſteriùs contingeret; ij affixere quidem, Æquinoctium diei Martij 21. At conſtat nihilominùs ſi anno quidem Bisſextili Æquinoctiũ fuerit in Meridie diei 21. fore anno proximo ab illo, hora 6. veſpertina eiuſdem diei; ſecundo media nocte inſequente; tertio, hora 6. matutina diei 22. ac aliunde, ob factam nimiam quaternis annis additionem, fore vt intra annos 100. à Meridie diei 21. receſſerit in horam 6. veſpertinam diei 20. vnde & fiat, vt intra 100. annos contingat quidem plerumque Æquinoctium intra diem 21. ſed interim tamen in 22. & 20. aliquando excurrat. Ne quid de eo dicam, quòd vno, eodémque anno contingere Æquinoctium poſſit, Romæ quidem, hora 6. veſpertina diei xxi. quæ eſſe poſſit Sabbathum, & in quod incidens Luna xiv. efficiat, vt die inſequente futura Dominica, Paſcha

Paſcha celebretur; cùm alicubi tamen, tendendo in Orientem, ſit tunc hora 6. matutina diei 22. (nempe ob terræ deuexitatem, meridianorúmque differentiam) quæ cùm illis Dominica ſit, teneri videantur differre celebrationem Paſchatis in octauum; niſi quòd cautum iampridem eſt, vt omnes eadem Dominica Paſcha celebrent cum primaria, Romanave Eccleſia; tametſi ob terræ deuexitatem tempus Romani horizontis ad vſque dimidium anteuertatur, àut præeat.

Quæ quidem rurſus innuo, vt admoneam Concilia, Patres, Pontifices, ipſam Eccleſiam, non ita adſtringere nos ad certa quædam tempora, vt non ea patiantur aliquem excurſum: vnde & ſpeciatim intelligi liceat, duplex diſtingui poſſe Æquinoctium, vnum Aſtronomicum, hoc eſt quaſi punctum indiuiduum, cuius Aſtronomis ſit cura; alterum politicum, ſeu ciuile, hoc eſt tempus habens aliquam latitudinem, quod ab Eccleſia obſeruetur, dicique adeò Æquinoctium Eccleſiaſticum valeat. Non quod Eccleſia nollet, ſi commodè poſſet, vti ſolo Aſtronomico, ſed quòd ſcrupuloſitas illa Aſtronomica ex vſu non ſit, quódque ne Aſtronomi quidem inter ſe omninò conſentiant; cùm interſit tamen, vt Fideles habeant aliquid, quod ſit euidentius, quàm vt teneantur ad Aſtronomorum ſubtilitatem attendere; ac magis tatum, quàm, vt ob ſententias Aſtronomorum varias diuerſimodè diſtrahantur.

Quamobrem Eccleſiæ ſatis ſemper eſt, vt quantum quidem ex vſu licet, Canones vocati Paſchales (qui numero ſex habentur) illibati maneant, I. Vt Paſcha non celebretur, niſi die Dominico. II. vt Chriſtiani cum Iudæis Chriſti interfectoribus in celebrando Paſchate non concurrant. III. vt Paſcha non celebretur menſe xij. (cuius ſcilicet Plenilunium, ſiue Luna xiv. antè diem Martij 21. contingit.) IV. Vt Paſcha cum Quarta-decimanis hæreticis ante Plenilunium non agatur. V. Vt Paſcha non reiiciatur in hebdomadem menſis vltimam (hoc eſt poſt Lunam xxi.) VI. Vt Paſcha in menſem ſecundum, ſeu imputorum non reiiciatur: (menſis autem ſecundus eſt, cuius Plenilunium poſt diem Aprilis 18. contingit.) Quæ omnia ſanè ex ſæpius antè repetitis intelliguntur.

Cùm porrò, licet abondè ſit in hiſce, ac eiuſmodi rebus prope verum conſiſtere; nihilominùs vel ea, quæ eſt facta in verno Æquinoctio à tempore vſque Concilij Nicæni decem dierum anticipatio, perſpicuum faciat, non licere admodùm diu prope verum conſiſtere, niſi, ad tale quid præſcribendum, præhabeatur quam maximè licet exquiſita cæleſtium motuum, ac potiſſimùm mediorum notitia; idcircò Summus Pontifex, quidpiam quod diuturnum foret præſcripturus, peritos Aſtronomiæ viros in Concilium adhibuit, inque ipſis, vt iam attigi, Chriſtophorum Clauium; qui præ cæteris maximè inclaruit, & negotium totum copioſiſſimè, diligentiſſiméque explicuit.

Itaque, vel eius relatu, attendit primùm Pontifex Summus (eruditusve ille cœtus) quod ad Solis quidem motum attinet, Ptolemæum ſub annum Chriſti 150. definiiſſe illius curſum, ſeu anni magnitudinem dierum 365. horarum 5. minutorum 55. ſecundorum 12. Albategnium anno circiter 880. dierum 365. hor. 5. min. 46. ſec. 24. Alphonſum anno 1250. dierum 365. hor. 5. min. 49. ſec. 16. Copernicum denique ſub annum 1525. ita diſtinxiſſe, vt cùm anni magnitudo inæqualis ſit, poſſit ſupra dies 365. & 5. horas, increſcere ad vſque minuta 55. ſec. 37. decreſcere ad vſque min. 42. ſec. 55. medio proinde exſiſtente minutorum 49. ſec. 16.

Deinde, cùm ob illa minuta, ac ſecunda (tenuiores minutias non conſector) quæ deſunt quotannis ad ſex horas integras, quæque proinde æquo ampliùs ſingulis quadrienniis adduntur, ſint, ex Ptolemæo, vna pars diei 300. ex Albategnio, vna 106. ex Alphonſo, vna 134. Ex Copernico, cùm magnitudo anni eſt maxima, vna 330. cùm minima, vna 84. cùm mediocris, vna 134. idcircò facilè peruidit, vt Æquinoctium contineatur ſub 21. Martij, detrahi debere vnum diem, iuxta Ptolemæum, intra annos 330. iuxta Albategnium, intra annos 106. iuxta Alphonſum, intra annos 134. iuxta Copernicum, intra annos nunc 319. nunc 134. nunc 84.

Quare & cùm medium tenendum foret, ſequi Alphonſum placuit, non modò, quòd medius penè fuerit inter Ptolemæum, & Albategnium; ſed etiam, quòd Copernicus circa magnitudinem anni mediocrem cum illo congruerit. Quin etiam, quia ſuppoſita vera circa maximam, minimámque anni magnitudinem, definitione Copernici, deprehenſum eſt Æquinoctium non iri emotum à die Martij 21. hinc vltra diem 23. illinc citra 19. & vtrimque tamen ſemper rediturum ad diem 21. Ideò commodiùs longè fuit viſum, tenere ſemper medium, ac procedere vniformiter, quàm huc illuc excurrere, & difformiter oberrare.

Suppoſita igitur media Anni magnitudine dierum 365. horarum 5. minutorum 49. ſecundorum 16. ac neceſſitate exſiſtente detrahendi vnius diei intra annos 134. vt Æquinoctium ſemper cum die Martij 21. cohæreat; quia ter 134. ſunt 402. atque idcircò intra annos proximè 400. tres dies detrahendi ſunt: Ea de cauſa viſum eſt tria Bis-ſexta intra annos quadringentos ſupprimere, & ad hanc ſuppreſſionem tres primos annos centeſimos deligere, quarto centeſimo intacto, ſiue Bis-ſextili relicto.

Ac poterat quidem inſtitui, vt primum Bis-ſextum ſupprimeretur anno 134. ſecundum anno 268. tertium anno 402. quartum anno 536. quintum anno 670. atque ita porro; Verùm & res fuiſſet perplexior, & exſpectato extremo faciendæ ſuppreſſionis tempore, non fuiſſet Æquinoctium circa diem Martij 21. mediocritate pari ſeruatum (& quod iam diximus) non fuiſſet res perinde accommodata memoriæ, aut pari analogia cū annis Bis-ſextilibus, communibúſque ſe habens.

Neque

Neque verò dicas duos illos annos, qui vltra 400. ſuperfluunt, creare demùm poſſe errorem quempiam ſenſibilem; ij quippe aceruati non poſſunt vnius diei errorem conſtituere ante annos 168000. Quo caſu, ſi tanta aut Mundi duratio, aut harum rerum memoria foret, facilè inſtitui correctio ex vnius diei intercalatione poſſet; vti &, ſi poſt diuturnum tempus facta Calendarij reſtitutio alia ratione luxaretur, maximéque ob anni magnitudinem nondum fortè ſatis exquiſitè cognitam; poſſet, vt factum nuper eſt, remedium congruum adhiberi.

Videlicet, vt hoc inculcem, Calendarium hoc Gregorianum non ideò dicitur Perpetuum, quòd nullis vnquam temporibus quidpiam in ipſum vitij irrepſiſſe deprehendi non valeat; ſed quòd, quæcumque fieri dierum additio, aut detractio poſſit, ſaltem ipſa Epactarum ſeries per Calendarium diſtributa, permanſura eadem ſit; quod neque de Cyclo decem-nouennali, neque de vllo alio licet perinde aſſerere.

Capvt III.

Quatenus prouiſum, vt anticipantia Nouilunia congruè ſemper indicentur beneficio Epactarum, quarum gemina Tabula explicantur.

Qvod ad Lunam deinde ſpectat, attendit demum Pontifex (virorumve eruditorum cœtus) in eo ferè conſentire Aſtronomos omneis, vt Luna motu medio curſum ſuum menſtruum, Lunationémve vnam perficiat diebus 29. horis 12. minutis 44. ſecundis 3. cum pauculis tertiis: Atque adeò Annum Lunarem communem conſtare, ex communi conſenſu, diebus 354. horis 8. minut. 48 ſecund. 38. cum pauculis itidem tertiis: Emboliſmicum verò diebus 383. horis 21. minutis 32. ſecundis 41. cum ferè triente; Eaque ratione annos Solareis nouemdecim ſuperare 235. Lunationes, quæ per illos annos contingunt, hora 1. min. 27. ſecundis ferè 33.

Quocirca & peruidit heinc fieri, vt poſt annos xix. Nouilunia quidem iiſdem diebus redeant; ſed anticipent nihilominùs horâ 1. min. 27. ſec. 33. Adeò vt, cùm poſt annos bis 19. ſeu 38. anticipent horis 2. min. 55. ſec. 6. & poſt annos denique, quam-proximè $312\frac{1}{2}$. diem integrum; idcircò, poſt annos 312. nullum amplius Nouilunium eodem die, ſed antecedente contingat. Vnde & factum fuerit, vt quia in veteri Calendario, vsúque Aurei numeri nulla habita ratio anticipationis huius fuerat, ipſe numerus Aureus mendoſè indicaret Nouilunia; & à tempore quidem Nicæni Concilij quatuor denique diebus ſeriùs, quàm reipsâ contingerent.

Et conſtat quidem, ſi poſt annos $312\frac{1}{2}$. relicti in Calendario Aurei numeri (ſed debitè tamen priùs inſtituti) promouerentur vno die antrorſum, ſeu verſus menſium initia, fore vt per ſequenteis $312\frac{1}{2}$. annos, Nouilunia rurſùs rectè indicarent; ac promoti iterùm, iis annis exactis, die vno, pari ratione, &c. At viſum fuit longè commodiùs, Epactas 30. quod iam dictum eſt, ſic diſponere, vt eæ inuariatis ſedibus conſtarent, & nouemdecim ex iis forent, quæ donec non eſſet vnius diei anticipatio, numerorum Aureorum vice fungerentur, & perinde ac illi Nouilunia ad eoſdem dies indicarent: ac vbi deinceps anticipatio contingeret, tum Epactis illis nouemdecim relictis, nouemdecim aliæ ad dies præcedenteis appoſitæ vſurparentur; idque nulla penitus facta in Calendario mutatione.

Ac ſi ſola quidem Anticipatio faceret negotium, nihil planius foret, quàm ſingulis 312. annis exactis, iſtam nouemdecim Epactarum commutationem facere: verùm, quia interim detractio diei Bis-ſextilis variè ſe intermiſcet, facitque, vt illæ 19. Epactæ nunc in eas, quæ antecedunt, commutentur, nunc in eas, quæ conſequuntur, nunc in neutras, ſed eædem permaneant; ideò fuere quædam Tabulæ conſtruendæ, ex quibus intelligeretur, quando, & quarum Epactarum facienda commutatio foret.

Condita ergo primùm fuit, quæ & dicta eſt *Tabula Epactarum expanſa*, in hunc modum. Collocati primùm in fronte ex ordine ſunt nouemdecim Aurei numeri initio ducto à numero iij. qui in vetere Calendario præfixus erat Calendis Ianuarij. Retinetur porrò etiam iam Aureus numerus, non ſanè in eum, quem priùs, vſum (neque enim ampliùs aut collocatur in Calendario, aut Nouilunia indicat) ſed, vt ſit quaſi index reſpondentium ſibi ipſi, prout tempora exigunt, Epactarum nouemdecim; vnde & in Tabulis temporariis apponi ad latera, ſiue è regione Epactarum ſolet.

Deinde cùm ſub numeris Aureis totidem columnæ, ſeu ordines ſint, qui ſinguli Epactas 30. contineant; ſunt proinde Series, ac veluti lineæ tranſuerſæ 30. quæ contineant ſingulæ Epactas nouemdecim. Epactarum autem omnium diſtributio ab infima Serie conſtituta pendet: Scilicet, cùm Epacta 1. in ipſa Serie infima ſub numero Aureo iij. fuerit poſita; conficiuntur primùm cæteræ ad dextram, hoc eſt xij. xxiij. &c. ex additione continua xi. & detractione 30. quoties ſuperant: niſi quòd, ad Epactam xxvij. quæ eſt ſub Aureo numero xix. adduntur non xi. ſed xij. vt proinde Epacta ſequens euadat non viij. ſed ix. ob cauſam ſuperiùs, cùm de Aureo numero, & Emboliſmicis annis, dictam.

Tum autem Serie hac conſtituta, cæteræ Epactæ aſcendendo ſurſum iuxta naturalem ordinem diſpoſitæ ſunt, & vnitate quidem reſumpta, poſt Epactam xxx. aut poſitum potiùs, ipſius loco, aſteriſcum *, ac ea cautione adhibita, vt ſub Aureis numeris xij. xiij. xiv. xv. xvi. xvij. xviij. xix. loco Epactæ xxv ſcribatur 25. charactere nempe, aut colore diuerſo, ob cauſam poſteriùs dicendam.

Literæ Epactarum indices pro varietate temporum reſpondentes eiſdem literis in tabula æquationis Epactarum.

TABVLA EPACTA-

	AVREI								
	iii	iv	v	vi	vii	viii	ix	x	xi
	EPACTÆ.								
P	*	xi	xxii	iii	xiv	xxv	vi	xvii	xxviii
N	xxix	x	xxi	ii	xiii	xxiv	v	xvi	xxvii
M	xxviii	ix	xx	i	xii	xxiii	iiii	xv	xxvi
H	xxvii	viii	xix	*	xi	xxii	iii	xiv	xxv
G	xxvi	vii	xviii	xxix	x	xxi	ii	xiii	xxiv
F	xxv	vi	xvii	xxviii	ix	xx	i	xii	xxiii
E	xxiiii	v	xvi	xxvii	viii	xix	*	xi	xxii
D	xxiii	iiii	xv	xxvi	vii	xviii	xxix	x	xxi
C	xxii	iii	xiv	xxv	vi	xvii	xxviii	ix	xx
B	xxi	ii.	xiii	xxiv	v	xvi	xxvii	viii	xix
A	xx	i	xii	xxiii	iiii	xv	xxvi	vii	xviii
u	xix	*	xi	xxii	iii	xiv	xxv	vi	xvii
t	xviii	xxix	x	xxi	ii	xiii	xxiv	v	xvi
ſ	xvii	xxviii	ix	xx	i	xii	xxiii	iv	xv
r	xvi	xxvii	viii	xix	*	xi	xxii	iii	xiv
q	xv	xxvi	vii	xviii	xxix	x	xxi	ii	xiii
p	xiv	xxv	vi	xvii	xxviii	ix	xx	i	xii
n	xiii	xxiiii	v	xvi	xxvii	viii	xix	*	xi
m	xii	xxiii	iv	xv	xxvi	vii	xviii	xxix	x
l	xi	xxii	iii	xiv	xxv	vi	xvii	xxviii	ix
k	x	xxi	ii	xiii	xxiv	v	xvi	xxvii	viii
i	ix	xx	i	xii	xxiii	iiii	xv	xxvi	vii
h	viii	xix	*	xi	xxii	iii	xiv	xxv	vi
g	vii	xviii	xxix	x	xxi	ii	xiii	xxiv	v
f	vi	xvii	xxviii	ix	xx	i	xii	xxiii	iv
e	v	xvi	xxvii	viii	xix	*	xi	xxii	iii
d	iiii	xv	xxvi	vii	xviii	xxix	x	xxi	ii
c	iii	xiv	xxv	vi	xvii	xxviii	ix	xx	i
b	ii	xiii	xxiv	v	xvi	xxvii	viii	xix	*
a	i	xii	xxiii	iv	xv	xxvi	vii	xviii	xxix

Præterea autem ex additione facta ad infimam Epactam ſub numero Aureo xix. ad habendum ſequentem ix. conſequi, vt ad omneis iſtà ſuperiores cõſimilis facta additio reſultet.

Denique autem ad læuam Seriernm tranſuerſalium, linearumve memoratarum appoſitæ ſunt quaſi indices, procedendo infernè ſnrsùm, literæ ex Alphabeto 30. vt putà nouemdecim minuſculæ a, b, c, d, e, f, g, h, i, k, l, m, n, p, q, r, s, t, u: & vndecim maiuſculæ, A, B, C, D, E, F, G, H, M, N, P. Vbi non alia de cauſa literarum interceptarum aliquæ prætermiſſæ ſunt, quàm ne hallucinatio quæpiam ob ſimilitudinem aliquam creetur, aut literarum inter ſe, vt inter I. maiuſculam, & l. minuſculam, ac etiam inter k, & k. aut cum cyphris aliquibus, vt o, cum o, x. cum x. vt Prætercam L. literam ſignificare etiam numerum 50. Huiuſcemodi porrò eſt, quæ rectò Tabula præcedit.

Condita verò ſimul fuit *Tabula Æquationis Epactarum* dicta, quatenus annorum ſeriem continet, in quibus Luna, propter memoratam Anticipationem, æquatione indiget, & in quibus adeò ſeries Epactarum tranſuerſales Alphabeticis literis deſignatæ commntandæ ſunt; exæquata aliunde, ſiue compenſata, vbi opus eſt, ſuppreſſione illa dierum Bis-ſextilium, cum ipſa Lunari anticipatione.

Supponit autem, vt commodum fuit ſupprimi Bis-ſexta annis dumtaxat centeſimis, ſic Lunam æquari, ſeu, quantum quidem ipſa ſpectatur per ſe, Epactarum Series commutari ter-centeſimis ſolùm annis; ac (vt pari proportione modo in Bis ſextis fit) ſuperanteis illos $12\frac{1}{2}$. annos reſeruari, quo vſque poſt annos 2400. vnum centenarium annorum conſtituant, quo exacto, fiat Æquatio; fiat autem tunc, ob hunc centenarium, quaſi interpoſitum,

RVM EXPANSA.

NVMERI.

EPACTÆ.

xii	xiii	xiv	xv	xvi	xvii	xviii	xix	i	ii
ix	xx	i	xii	xxiii	iv	xv	xxvi	viii	xix
viii	xix	*	xi	xxii	iii	xiv	25.	vii	xviii
vii	xviii	xxix	x	xxi	ii	xiii	xxiiii	vi	xvii
vi	xvii	xxviii	ix	xx	i	xii	xxiii	v	xvi
v	xvi	xxvii	viii	xix	*	xi	xxii	iv	xv
iiii	xv	xxvi	vii	xviii	xxix	x	xxi	iii	xiv
iii	xiv	xxv	vi	xvii	xxviii	ix	xx	ii	xiii
ii	xiii	xxiv	v	xvi	xxvii	viii	xix	i	xii
i	xii	xxiii	iv	xv	xxvi	vii	xviii	*	xi
*	xi	xxii	iii	xiv	xxv	vi	xvii	xxix	x
xxix	x	xxi	ii	xiii	xxiv	v	xvi	xxviii	ix
xxviii	ix	xx	i	xii	xxiii	iiii	xv	xxvii	viii
xxvii	viii	xix	*	xi	xxii	iii	xiv	xxvi	vii
xxvi	vii	xviii	xxix	x	xxi	ii	xiii	xxv	vi
25.	vi	xvii	xxviii	ix	xx	i	xii	xxiv	v
xxiv	v	xvi	xxvii	viii	xix	*	xi	xxiii	iv
xxiii	iiii	xv	xxvi	vii	xviii	xxix	x	xxii	iii
xxii	iii	xiv	xxv	vi	xvii	xxviii	ix	xxi	ii
xxi	ii	xiii	xxiv	v	xvi	xxvii	viii	xx	i
xx	i	xii	xxiii	iv	xv	xxvi	vii	xix	*
xix	*	xi	xxii	iii	xiv	xxv	vi	xviii	xxix
xviii	xxix	x	xxi	ii	xiii	xxiiii	v	xvii	xxviii
xvii	xxviii	ix	xx	i	xii	xxiii	iiii	xvi	xxvii
xvi	xxvii	viii	xix	*	xi	xxii	iii	xv	xxvi
xv	xxvi	vii	xviii	xxix	x	xxi	ii	xiv	xxv
xiv	xxv	vi	xvii	xxviii	ix	xx	i	xiii	xxiv
xiii	xxiv	v	xvi	xxvii	viii	xix	*	xii	xxiii
xii	xxiii	iiii	xv	xxvi	vii	xviii	xxix	xi	xxii
xi	xxii	iii	xiv	xxv	vi	xvii	xxviii	x	xxi
x	xxi	ii	xiii	xxiv	v	xvi	xxvii	ix	xx

interpoſitum, non trecenteſimo, ſed quadringenteſimo anno. Dico verò *quantum ipſa quidem ſpectatur per ſe*; quoniam, prout ſuppreſſio Bis-ſextorum interuenit, ordo commutandi ſeries Epactarum variatur, vti declarandum mox eſt.

Supponit rurſus, cùm tempore Nicæni Concilij Nouilunium contingeret Calendis Ianuarij, ob præfixum illi Aureum numerum iij. ita & contingere debuiſſe ob Epactam * eiſdem Calendis præfixam, ſi Epactæ videlicet fuiſſe in vſu intelligantur. Quare & tunc fuiſſe vſurpandam Seriem ſupremam, ſeu vltimam, cuius index eſt litera P; vnde & ſuccedere debuiſſet poſt trecentos annos infima, ſiue prima Series ſub litera a (literæ enim in orbem redeunt) & poſt trecentos alios inſequens ſub litera b, atque ita porrò; niſi, quia deprehenſum eſt, Nouilunia Calendarum Ianuarij, quadraſſe magis ad annum Chriſti 500. quàm ad tempus ipſius Concilij; ideò quaſi Series ſub litera P, conſtet etiam anno 500 viſum eſt tribuere potiùs Seriem ſub litera a, anno Chriſti 800. ſub litera b, anno 1100. ſub litera c anno 1400.

Quo poſito, quia anno Correctionis 1582. detracti fuere decem dies: ideò recurrendum, ſeu ordine inuerſo procedendum fuit per totidem, hoc eſt per decem Series, deſignatas puta literis b, a, P, N, M, H, G, F, E, D; adeò vt, ab vſque anno 1582. vſurpanda fuerit Series Epactarum, quarum D. litera eſt index, quibúſque iam reipsâ vtimur.

Vt Tabula ergo quaſi ab hoc anno inchoata intelligatur: vides primò, in illa eſſe ordines, ſeu colúnas quatuor; ac in ſecunda, poſt annum 1582. collocari ex ordine inſequéteis centeſimos, vt puta 1600. 1700. 1800. 1900.

1900.2000.2100. &c. Vides deinde in otdine tertio quaternos quoſque centeſimos, qui Bis-ſextiles ſint, deſignari; annos putà 1600. 2000.2400.2800.&c. Vides poſteà in quarto apponi annis trecenteſimls characterem C, ad deſignandum quibus annis Luna vno die anticipans, Æquatione indigeat; niſi quod anno 1800. apponitur character geminatus CC, ad ſignandum eo terminari centenarium, in quem collecti veluti ſint anni illi $12\frac{1}{2}$. qui ſuperaſſe eatenus ter-centenarios finguntur, quo modo etiam apponitur annis 4300. 6800. &c. quoties ſcilicet ſuperantur anni 2400. ob cauſam iam dictam.

Ar verò in prima columna, ſeu ad læuam annorum, collocari literas vides earum Serierum in Tabula ſuperiote indices, quæ annis illis, & quovſque literæ commutentur, ſint vſurpandæ. Ita enim, cùm è regione, ſeu ad latus anni 1600. continuetur litera D, ſignificatur ab eo anno, vſque ad annum 1700. eſſe vſurpandam Seriem ipſi D literæ reſpondentem. Et cùm è regione 1700. ſit litera C, ſignificatur ab eo anno vſurpandam Seriem reſpondentem literæ C, atque ita deinceps.

Quod vides autem has literas nunc ſingulis annis centeſimis commutari, nunc eaſdem totis ducenteſimis, aut trecenteſimis continenter attribui; quòd item accipi nunc deorsùm contra, nunc ſurſum, ſecundum alphabeticum ordinem; id ex eo oritur, quòd Bis-ſexti ſuppreſſio Lunæ æquationi interueniat. Quippe, ſi iis duntaxat annis, quibus Luna eſſet æquanda, hoc eſt, trecenteſimis (& interdum quadringenteſimis) annis, Bis-ſextum foret ſupprimendum; nulla eo caſu facienda foret Seriei commutatio; ſed nouemdecim eædem, ac vnica Serie contentæ Epactæ ſufficere perpetuò poſſent, perinde ac ſufficere Numerus Aureus creditus; ſiquidem, ſuppreſſio Bis-ſexti, & anticipatio Lunæ perpetua quadam compenſatione Nouilunia ſemper intra eoſdem dies continerent: At, quia ſuppreſſio ſæpiùs fit, cùm nulla æquatio facienda occurrit; hæc facienda interdum occurrit, cùm illa non fit; interdum quoque aut neutra fit, aut vtraque facienda eſt; idcircò res variè ſe habet, & reduci tamen ad treis quaſi Regulas poteſt. Nam

I. Quoties ſuppreſſio ſine æquatione fit, tunc quæ eò vſque fuit litera, commutatur in inferiorem, ſeu contra Alphabeti ordinem; Nouilunia nempe vno die, verſus anni finem promouentur.

II. Quoties æquatio ſine ſuppreſſione fit; tunc quæ eò vſque fuit litera, commutatur in ſuperiorem, ſeu iuxta Alphabeti otdinem; quòd Nouilunia vno die verſus anni initium recurrant.

III. Quoties & ſuppreſſio, & æquatio aut ſimul fit, aut ſimul non fit; tum litera non commutatur, ſed quæ ſuperiore centenario inſeruiit, eadem ſequente perſeuerat; quòd, propter factam compenſationem, Nouilia neque procedant, neque recedant, ſed intra eoſdem dies conſiſtant.

Ex hiſce porrò intelligitur ratio diſpoſitionis literarum, quam obſeruare in Tabula licet. Nam quia, v. g. anno 1600. neque Bis-ſextum ſupprimitur, neque Luna æquatur, perſeuerat litera D, quæ in ſuperiore centenario, posterioréve illius parte, hoc eſt ab anno 1582. fuit.

Anno 1700. quia ſuppreſſio fit, & æquatio non eſt, commutatio fit in literam C, deſcendendo occurrentem.

Anno 1800. quia ſuppreſſio eſt, & æquatio eſt, eadem C litera perſeuerat.

Anno 1900. quia ſuppreſſio eſt, non item æquatio, deſcenditur ad literam B.

Anno 2000. quia neque ſuppreſſio, neque æquatio eſt, perſeuerat litera B.

Anno 2100. quia vtraque eſt, eadem adhuc perſeuerat.

Anno 2200. quia ſuppreſſio, non æquatio eſt, deſcenditur ad literam A.

Anno 2300. quia rurſus ſuppreſſio, non æquatio eſt, deſcenditur ad literam u.

Anno 2400. quia non ſuppreſſio, ſed æquatio eſt, aſcenditur ad literam A.

Anno 2500. quia ſuppreſſio, non æquatio eſt, reditur iterum ad literam u, atque ita porrò.

Quare & promptum eſt rationem intelligere, non modò, qua Tabula ad certum numerum annorum centeſimorum constructa ſit, ſed etiam, qua conſtrui in quotcumque demum collibitum fuerit, centeſimos poſſit. Continuauit certè illam Clauius vltra annum Chriſti 301800. à quo vſque literæ eodem ordine redituræ ſint; cùm totæ alioquin 30. Series intra annos 10000. eadem recurrant varietate aſcendendi, deſcendendi, immorandi; ſed non ſub iiſdem literis. Quæ quidem 10000. annorum interualla Ille diſcernit ſigno †, initio ducto ab anno 1700.

Cùm admittat verò poſſe Tabulam ritè demonſtrare Nouilunia ad octo vſque millia annorum; non deſiit nihilominùs Tabulam quoque aliam, quæ poſt illud tempus Nouilunia rectiùs demonſtret, conſtruere: quanquam, & ipſemet fatetur non eſſe rem prorsùs neceſſariam, quòd futurum ſit, vt qui illo tempore erunt, ſi futuri aliqui ſunt, prout Nouilunia aſcendiſſe, deſcendiſſéve in Calendario deprehenderint, poſſint facilè aliam literam ſuperiorem, vel inferiorem in Tabula expanſa vſurpare.

Sed, ne tam procul cura extendatur, obſeruandum potiùs, ſicut Tabulam continuare prorsùm quantum libet, licet; ita licere & antrorſum, maximéque ad ipſum vſque annorum Chriſti initium. Id ſolùm notandum, quòd cùm per ea tempora facta nulla fuerit Bis ſextorum ſuppreſſio, ſola Lunæ æquatio attendenda ſit per ter centeſimos annos, initio quaſi facto ab anno 500. cui dictum eſt ſeriem ſub litera P appoſitè, magis, quàm tempori Concilij Nicæni congruere.

Heinc dictum eſt quoque, tribui aſcendendo debere anno 1400. literam c, anno 1100. literam b, anno 800. literam a,

anno

anno ipſi 500. literam P, quæ propter Aureum numerum iij. attribui quoque debeat anno 320. hoc eſt tempori circiter Concilij: & qua proinde ratione ante annos 300. ſeu primis Chriſti annis attribuenda ſit litera N, quæ & ordine ſequitur, & indicat Nouilunia initio annorum Chriſti vno die ſeriùs, quàm Concilij tempore, contigiſſe.

Vtcumque ſit, Tabula ſequitur (& præmiſſis quidem his quoque cum Clauio, ante Correctionem, vſúmque Epactarum annis) in annum vſque Chriſti 12500. vt inſinuatæ præcipuæ varietates obſeruitentur.

Atque ex his quidem duabus Tabulis, iiſque, quæ deducta ſunt, licet abundè intelligi, quænam ex triginta Epactarum Seriebus cuique ſæculo ſpeciali conueniat. Quippe, vt huic noſtro, hoc eſt, anno 1600. in annum 1700. excluſiuè, conuenit ſeries Epactarum D, vt putà xxiij. iiij. xv. xxvi. &c. ita duobus ſequentibus, hoc eſt, ab anno 1700. ad vſque 1900. excluſiuè, conuenit ſeries Epactarum C, vt putà xxij. iij. xiv. xxv. &c. Et tribus aliis, hoc eſt, ab anno 1900. vſque ad 2200. excluſiuè, conuenit ſeries Epactarum B, vt putà xxi. ij. xiij. xxiv. &c. atque ita porrò ſequentibus conuenient ſuæ.

Subinde verò intelligitur etiam, quænam ex nouemdecim datæ Seriei Epactis ſpeciali cuique anno conueniat. Ad hoc, ſcilicet cognoſcendum, aliud nihil ſcire oportet, quàm quis aureus numerus competat eodem-met anno. Siquidem, quæſito in fronte Tabulæ expanſæ Aureo numero, Epacta anni ea erit, quæ in data Serie Epactarum illi ſuberit, occurreritve intra columnam ſub eodem numero deductam. Sic, quia v. c. huic anno 1654. competit Aureus numerus ij. vbi illum reperi in vertice Tabulæ, deſcendo ſecundum columnam illi ſubiectam, quovſque perueniam ad Seriem Epactarum D; vbi quia occurrit Epacta xij. intelligo hanc eſſe, quæ huic anno conueniat, quæque toto hoc anno Nouilunia in Calendario demonſtret. Licet porrò quoque iam intelligi, cur admonuerim intra columnas ſub numeris maioribus, quàm xi. ſcribendam eſſe Epactam non xxv. ſed 25. Nempe, quia Series Epactarum, quæ ſub maioribus illis numeris (putà xij. xiij. xiv. &c.) continent 25. continent etiam xxiv. ſequeretur, vt iis ſæculis, in quibus aliqua huiuſmodi Serierum foret in vſu, Nouilunia bis intra annos 19. contingerent eodem die, per illos ſex menſeis, in quibus Epactæ xxv. & xxiv. eidem diei attribuuntur; cùm Nouilunia tamen ad eoſdem dies, niſi poſt exactos 19. annos, non redeant. At verò id incommodum deuitabitur, ſi ſub illis numeris, ac in ſuis Seriebus, ſcribatur Epacta non xxv. ſed 25. quatenus in Calendario apponitur quoque Epacta 25. in huiuſmodi quidem menſibus, loco ſuperiore, ſeu è regione Epactæ xxvi. in cæteris autem menſibus, è regione Epactæ xxv.

Exinde nempe efficitur I. vt annis illis Epactæ 25. & xxiv. in eoſdem dies nunquam concurrant. II. Vt periculum non ſit, ne Epactæ 25. & xxvi. in idem, per ſex illos menſeis, nos reuoluant incommodum; quando in nulla ex Seriebus, in quibus eſt 25. reperitur ſimul xxvi. III. Vt Epacta 25. poſſit in aliis menſibus liberè referri ad eoſdem dies, cum Epacta xxv. quia periculum in illis non eſt, ne in eoſdem dies cum Epacta xxiv. concurrat. IV. vt in aliis ſæculis periculum non ſit, ne Epactæ xxv. & xxiv. iiſdem diebus attributæ idem, quod cauetur, incommodum creent: quoniam in nulla aliarum Serierum reperiuntur ſimul xxv. & xxiv. ſed vel vna, vel altera, vel vtraque ipſarum deeſt; adeò proinde, vt cùm altera Epactarum in vſu eſt, eidem diei attribuatur.

Sic noſtro iſto ſæculo, v.g. & ad annum vſque 1700. quia in vſu eſt Series D, in qua xxiv. non xxv. reperitur, Nouilunia nobis indicat Epacta non xxv. ſed xxiv. & duobus ſæculis inſequentibus, quia vſui erit Series C, in qua reperitur Epacta non xxiv. ſed xxv. Nouilunia non xxiv. ſed xxv. indicabit. At verò, quia tribus aliis conſequentibus ſæculis, vſui erit Series B, in qua 25. & xxiv. reperiuntur, indicabuntur quidem Nouilunia per Epactam xxiv. vbi ea occurret, exſiſtente Aureo numero vi. veruntamen indicabuntur per Epactam non xxv. ſed 25. quatenus occurret, Aureo numero exſiſtente xvij.

Requires fortè hac occaſione, cur in Calendario ad diem vltimum Decembris, & ad latus Epactæ xx appoſita ſit nigra Epacta 19. Sed id nempe idcircò factum, quòd ob cauſas ſuperiùs deductas, vltimus menſis Emboliſmicus intra annos 19. occurrens, debeat eſſe, non 30. dierum, vt cæteri, ſed 29. dumtaxat; atque idcircò quando Epacta xix. concurrit cum Aureo numero xix. (quod cùm contingat hoc ſæculo, propter ſeriem D, non continget tamen deinceps ante annum 8500. cùm literæ D Series reſumetur) non oportet vltimum menſem, vltimamve Lunationem à die 2. Decembris inceptam, terminari die 31. ſed 30. ac debet Nouilunium intelligi contingere ipſa die 31. ſub eadem Epacta 19. vt ex additione non xi. ſed xij. ad nouemdecim facta, formetur Epacta inſequentis anni, videlicet 1. quæ habeatur die Ianuarij 30. quaſi terminata die antecedente, Lunatione dierum 30.

Capvt IV.

Tabella ex iſtis deducta ; ac alia etiam pro Numero Aureo, & Dominicalibus literis.

FAcilè ex his iam intelligetur, vnde ſint Tabellæ deductæ, que ſecundo Calendarij Gregoriani Canone, cui ritulus eſt, *De Epactis, & Nouiluniis* cnntinentur.

Nam primum quidem, quæ dicitur *Tabella æquationis Cycli Epactarum perpetua*, ipſa eſt poſterior duarnm antecedentium ; niſi quòd limitata eſt ad annum 4900. quódque illi appoſiti nnn ſunt characteres æquatinnis C, CC, neque ſimiliter † ſignum. Quæ autem dicitur *Tabella Cycli Epactarum perpetua*, nihil aliud eſt, quàm veluti quædam Epitome Tabulæ prinris, ſeu dictæ Expanſæ. Scilicet ipſius cnnſtructin hæc eſt.

Apparantur primùm 30. Arenlæ, ſeu quaſi cellulæ geminæ, vt ſingulæ excipiant ſingulas Epactas, cum reſpnndentibus literis. Huiuſmndi autem Epactæ, vt copulentut cum literis, requirendæ ſunt in columna prima, ſeo quæ eſt ſub Aureo numero III, & literæ reſpondentes ex intelliguntur, quæ ſunt cuique Epactæ ad læuam, ac in eadem Serie. Scribitur deinde in Cellula prima Epacta * cum reſpondenre litera P, ac deinceps proceditur additione cnntinua vndecim, & detractione triginta, qunties numerus maior eſt. Heinc in 2. cellula ſcribitur Epacta xi. cum reſpondenre litera l, In 3. xxij cum litera C, In 4. III. cum litera c, In. 5. xiv. cum litera p. In. 6 xxv. & 25. cũ litera F, In 7. vi. cũ litera f. atque ita de cæteris. Tabulã verò ecce.

Tabula Cycli Epactarum perpetua.

P	l	C	c	p	F	f	ſ	
*	xi	xxij	iii	xiv	xxv. 25	vi	xvij	
M	i	A	a	m	D	d	q	G
xxviij	ix	xx	i	xii	xxiij	iv	xv	xxvi
g	t	N	k	B	b	n	E	e
vij	xviij	xxix	x	xxi	ij	xiij	xxiv	v
r	H	h	u					
xvi	xxvij	viij	xix					

Tabellæ autem vſus eſt, vt quæſitã Epactã alicuius anni, ac dato Aureo eiuſdem numero, accipiatur in Tabula Æquationis litera reſpondens illi ſæculo, intra quod annus continetnr ; ac eadem literã reperta intra ſnam cellulam, accipiamus antecedenter literam ab illa incluſiue accepta tertiam ; & ab hac conſeqnenter, ſeu ad dextram incipiamus numerare Aureum numerum, tribuendo hniuſmodi cellulæ 1. inſequenti 2. alij 3. (planè, vt ſi in Tabula expanſa numeraremus cellulas Aurei numeri à prima, cui eſt inſcriptus numerus III.) qunvſque peruenerimus ad quntam cellulam Aureus numerus indicat ; videlicet cui cellulæ tribuemus talem numerum, in ea cnntinebitur Epacta huiuſmodi anni.

Sic iſto v. c. anno 1654. quo Numerus aureus eſt II. Quia litera huic ſæculn reſpondens eſt D, ideò ipſa inuenta in Tabella, tertiam cellulam antecedenter, in qua eſt a, accipio, ipsique attribuo i. ac numero deinceps vſque ad duo ſolùm ; & quia in cellula ſecunda reperio xij. idcircò hanc habeo huius anni Epactam. Et, ſi reqoiratur, quæ futura ſit, v. c. anno 1737. qnn Aureus numerns erit ix. quæro literam C, illi ſæculn reſpnndentem in ſua Tabellæ cellula, & accepta antecedenter tertiã, in qua eſt P, numeratíſque conſequenter 9. cellulis, deprehendn in nona Epactam xxviii. qnare & eam fore eios anni Epactam pronuncio.

Nihil autem eſt neceſſe admonere, circuitum eſſe cellularum ; adeò vt, ſiue antecedenter, ſiue conſequenter numerando cellulas, accipere opnrteat 30. ſeu vltimam, quaſi cohærentem cnm prima, vt ad quam ex illa circumeundn redeatur. Admonendum potiùs, ſi in numeratione Aurei numeri, perueniatnr ad literam F, in qna ſunt Epactæ xxv. & 25. accipiendam eſſe Epactam xxv. ſi numerus Aureus, ſit minor, quam xii. Epactam vero 25. ſi maior, quam xi. vt ex paullò antè dictis conſtat.

Quod deinde ſpectat ad Tabellas ſpecialeis, & quaſi temporaneas, quæ, facilitatis gratiâ, pro noſtro hoc, & ſequentibus ſæculis proponuntur, Eæ nihil ſunt aliud, quàm ſpeciales ſeries è regione literæ cuique ſæculo iuxta Tabulam Æquationis ex Tabula expanſa depromptæ, copulatæque cum Aureis numeris reſpondentibus, ac initio facto ab Aureo numero, competente illi anno, cui ea litera primùm attribuitur.

Sic, quia anno correctionis 1582. competit Aureus numerus VI. ac eidem anno tribuitur primùm litera D, ideò in Serie literæ D, accipitur Epacta reſpondens Aureo numero VI. intra columnam illi ſubiectam; & quia illa eſſe deprehenditur XXVI. ideò apparatis gemellis 19. cellulis, collocantur in prima tum numerus Aureus VI. tum Epacta XXVI; ac deinde in ſecunda Aureus numerus VII. cum Epacta VII. atque ita ex ordine, quovſque in vltima collocentur Aureus numerus V. & Epacta XV. vnde redeatur ad cellulam primam; ac porrò ſemper ita pergatur, tribuendo vnicuique numerorum conſequentium conſequenteis cellulas, quovſque ad annum illum perueniatur, cuius Epacta inquiritur. Hoc certè modo circumeundo, vbi ab anno vſque 1582. peruenerimus ad 1654. perueniemus ad cellulam 16. in qua cum Aureo numero 11. reperiemus Epactam xii. En verò eiuſmodi Tabellam.

Tabella Cycli Epactarum, Aureis numeris reſpondentium, ab anno 1582. ad annum 1700. excluſiuè.

Aur. Num.	vi	vii	viii	ix	x	xi	xii	xiii	xiv	xv
Epactæ.	xxvi	vii	xviii	xxix	x	xxi	ii	xiii	xxiv	v

Aur. Num.	xvi	xvii	xviii	xix	i	ii	iii	iv	v	
Epactæ.	xvi	xxvii	viii	xix	i	xii	xxiii	iv	xv	

Tabella autem ab anno 1700. ad annum 1900. excluſiuè eſt hæc.

Aur. Num.	x	xi	xii	xiii	xiv	xv	xvi	xvii	xviii	xix
Epactæ.	ix	xx	i	xii	xxiii	iv	xv	xxvi	vii	xviii

Aur. Num.	i	ii	iii	iv	v	vi	vii	viii	ix	
Epactæ.	*	xi	xxii	iii	xiv	xxv	vi	xvii	xxviii	

Sic Tabella ab anno 1900. ad annum 2200. excluſiuè.

Aur. Num.	i	ii	iii	iv	v	vi	vii	viii	ix	x
Epactæ.	xxix	x	xxi	iii	xiii	xxiv	v	xvi	xxvii	viii

Aur. Num.	xi	xii	xiii	xiv	xv	xvi	xvii	xviii	xix	
Epactæ.	xix	*	xi	xxii	iii	xiv	25.	vi	xvii	

Et Tabella ab anno 2200. ad annum 2300. itidem excluſiuè.

Aur. Num.	xvi	xvii	xviii	xix	i	ii	iii	iv	v	vi
Epactæ.	xiii	xxiv	v	xvi	xxviii	ix	xx	i	xii	xxiii

Aur. Num.	vii	viii	ix	x	xi	xii	xiii	xiv	xv	
Epactæ.	iv	xv	xxvi	vii	xviii	xxix	x	xxi	ii	

Quoniam

Quoniam verò poteſt operoſum videri toties circumeundo has Tabellas percurrere, quoties opus eſt, vbi annus eſt paullò remotior à numerandi principio, vt ad cellulam congruam perueniendo, illius Epacta eliciatur; ea de cauſa & inſeri, & prorogari pro tempore ſolent in Temporariis Tabulis tam Aurei numeri, quàm Epactæ è regione annorum ad quos pertinent, vt ſine labore obtineantur. Quanquam & poſſunt hæ Tabellæ, iis Temporariarum conditoribus eſſe vtiles, qui rem penitiùs, cuiuſmodi ipſi aliquos vidimus, non capiunt.

Porrò, quia Tabellæ hæ omnes notitiam ſupponunt Aurei Numeri; ideò meritò Canoni ſecundo, in quo illæ habentur, Canon primus præmittitur, cum ipſa *De Cyclo decem-nouennali Aurei numeri*, Inſcriptione Noa verò neque hiſce Tabellis, neque Tabulis ſuperioribus ſpeciale quidpiam de inuentione numeri Aurei præmiſimus, quòd de ea iam antè dictum circa Calendarium vetus fuerit. Quare & iuuat ſolùm Tabellam huiuſcemodi Canone contentam heic apponere; quòd hac quoque ratione Aureus numerus familiariter obtineatur. Pluſquam abundè autem erit, ſi illam ad ſexcentas myriadas, millioneſve ſex, annorum extenderimus; cùm alioquin ad vſque octingenta myriadum millia, octingentéſve milliones producta ſit: quippe difficile non erit, ſi lubuerit, etiam vberiùs eam protrahere; cùm dato quocumque annorum Chriſti numero, Aureus numerus artificio antè expoſito eliciatur; neque enim alia ratione continuata Tabella eſt. Illam ſuperiùs habes.

Tabella ad Aureum numerum cuiuſque anni inueniendum.

Anni Domini	Aur. Num. adde 1.	Anni Domini	Aur. Num. adde 1.
1	1	4000	10
2	2	5000	3
3	3	6000	15
4	4	7000	8
5	5	8000	1
6	6	9000	13
7	7	10000	6
8	8	20000	12
9	9	30000	18
10	10	40000	5
20	1	50000	11
30	11	60000	17
40	2	70000	4
50	12	80000	10
60	3	90000	16
70	13	100000	3
80	4	200000	6
90	14	300000	9
100	5	400000	12
200	10	500000	15
300	15	600000	18
400	1	700000	2
500	6	800000	5
600	11	900000	8
700	16	1000000	11
800	2	2000000	3
900	7	3000000	14
1000	12	4000000	6
2000	5	5000000	17
3000	17	6000000	9

Facile verò eſt obſeruatu; contineri priore columna Chriſti Annos deductos per vnitates denarios, centenarios, millenarios, &c. poſteriore autem Aureos numeros huiuſcemodi annis competenteis, ſi illis modò addideris 1. vt in ipſa fronte admonetur, quòd Aureus numerus vno anno ante Chriſti Natiuitatem occœpiſſe intelligatur, vt aliquoties dictum iam eſt. Sic, cùm, exempli gratiâ, anno Chriſti 8. reſpondeat è regione 8. quia is numerus vnitate auctus, fit 9. intelligimus Aureum numerum anno 8. fuiſſe 9. Ac pari ratione Aureus numerus competens anno 70. intelligetur fuiſſe 14. addito 1. ad 13. competens anno 600. fuiſſe 12. addito 1. ad 11. competens anno 3000. fore 18. addito 1. ad 17. atque ita de cæteris. Atque id quidem facilè pro ſingulis annis in Tabella expreſſis.

Pro annis verò cæteris, qui in Tabella non exprimuntur, nihil aliud, quam addendi ſunt Aurei numeri competentes ſeorſim millenariis (etiam decies, ac centies) itémque centenariis, denariis, vnitatibus, numero annorum propoſito expreſſis, & addenda illis vnitas: Sic enim numerus ex omnibus collectus erit anni propoſiti, vltimive illorum Aureus numerus; & detractis quidem 19. ſi ex collecto numero ſemel pluriesve detrahi poſſint. Exēpli gratiâ, quia annus 1654. in Tabella non continetur, è regione 1000. accipe 12. è regione 600. accipe 11. è regione 50. accipe 12. è regione 4. accipe 4. hos numeros compone, & vnitatem adde, fient 40. detrahe bis 19. ſeu 38. ſupererunt 2. pro Numero Aureo huius anni. Sic, ſi velis ſcire Aureum numerum anni 1679. collige ſimul numeros 12. à latere 1000. 11. à latere 600. 13. à latere 70. 9. à latere 9. adde 1. producentur 46. ex quibus ſi detrahantur bis 19. hoc eſt 38. ſupererunt 8. pro numero Aureo, eiuſmodi anni.

Quandoquidem autem neceſſarium eſt ad inuentionem Paſchalis, Feſtorúmque aliorum mobilium, non modò Aureum numerum, & cum ipſo Epactas noſſe, ſed etiam quæ ſit quoto quoque anno Dominicalis litera; ac ad habendum literæ Dominicalis notitiam, neceſſe eſt noſſe quotus ille annus intra Cyclum Solarem ſit; ideò Canoni de Epactis ſubnectuntur alij duo hac de re; Tertius nempe inſcribitur *De Cyclo Solari, ſiue literarum Dominicalium* 28. *annorum*; Quartus autem inſcribitur, *De litera Dominicali*.

Et quo quidem modo inueniri poſſit ad quemlibet annum Solaris Cycli numerus, deductum ſuperiùs iam eſt; tametſi iuuat hoc quoque loco Tabellam apponere, deſumptam ex Canone 3. neque abſimilem ſuperiori.

Tabella

Tabella ad Cyclum Solarem anni cuiuſlibet inueniendum.

Anni Domini	Cyclus Solaris adde 9.	Anni Domini	Cyclus Solaris adde 9.
1	1	4000	24
2	2	5000	16
3	3	6000	8
4	4	7000	8
5	5	8000	20
6	6	9000	12
7	7	10000	4
8	8	20000	8
9	9	30000	12
10	10	40000	16
20	20	50000	20
30	2	60000	24
40	12	70000	28
50	22	80000	4
60	4	90000	8
70	14	100000	12
80	24	200000	24
90	6	300000	8
100	16	400000	20
200	4	500000	4
300	20	600000	16
400	8	700000	0
500	24	800000	12
600	15	900000	24
700	28	1000000	8
800	16	2000000	16
900	4	3000000	24
1000	20	4000000	4
2000	12	5000000	12
3000	4	6000000	20

Nempe in ea pari modo Annis Chriſti per vnitates, denarios, centenarios, millenarios, &c. deductis apponuntur numeri Cycli ipſis competentes, vbi illis tamen addideris 9. (quod ipſa quoque frons admonet) ob declaratam ſuperiùs cauſam. Quo pacto intelligimus Anno Chriſti, v. c. primo Cyclum Solarem fuiſſe 10. additis puta ad vnitatem, 9. Anno 100. fuiſſe 25. additis 9. ad 16. Anno 1000. fuiſſe 1. additis 9. ad 10. & detracto inde Cyclo integro, videlicet 28. Anno 10000. fore 13. additis 9. ad 4. atque ita de reliquis in Tabella expreſſis annis.

Circa annos verò non expreſſos, nihil aliud hîc quoque, quàm addendi Cycli competentes millenariis (etiam decies , ac centies) itémque centenariis , denariis , vnitaribus, anno propoſito contentis; ac illis 9. ſuper-addendi : numerus ſcilicet emergens ipſe erit Cyclus, ſi non excedat 28. aut, ſi excedat , is qui detractis 28. fiet reſiduus. Sic, quia annus Chriſti 1654. non habetur in Tabula , è regione 1000. accipe 20. è regione 600. accipe 12. è regione 50. accipe 22. è regione 4. accipe 4. ac addde ſimul 20. 12. 22. 4. ac ſuper-adde 9. & producentur 67. ex quibus ſi detrahas bis 28. ſeu 56. ſupererunt 11. qui erit Solaris Cyclus huius anni.

Deductum quoque ſuperiùs fuit, quàm facilè ſit, Cyclo Solari dato, Dominicalem literam in Calendario Veteri obtinere eius Tabellæ beneficio , in qua vnicuique ex 28. Solaris Cycli numeris , ſuas copulauimus literas; numero puta 1 G , F; 2 E; 3 D; 4 C; 5 B, A; 6 G; &c. Siquidem Cyclo anni inuento, & in ea Tabella quæſito ; quæ litera vna, aut gemina (prout annus communis, aut Bis-ſextilis fuerit) illi ſubiacet , ea illo anno eſt Dominicalis. Quo pacto , anno 1654. quia Cyclus Solaris eſt xi. idcircò D litera, quæ numero xi. copulatur, ſubiiciturve, eſt Dominicalis.

At verò in Calendario Nouo res paullò operoſior eſt, non tam ob detractos illos 10. dies, quo anno facta eſt reformatio, quàm ob terna illa Bis-ſexta, quæ erunt deinceps quadringentis quibuſque annis ſupprimēda. Nimirùm, ſi talis ſuppreſſio facienda deinceps non foret , ac illi ſolùm decem dies detracti perpetuò manerēt, ſufficere perpetuò poſſet Tabella, antiquæ illi par , qualiſque nobis à correctionis anno 1581. in annum vſque 1700. eſſe vſui poteſt ; huiuſmodi videlicet.

Tabella Cycli Solaris, ſeu literarum Dominicalium, qualis vſui eſt ab anno 1582. in 1700. excluſiuè.

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16
C B	A	G	F	E D	C	B	A	G F	E	D	C	B A	G	F	E

17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
D C	B	A	G	F E	D	C	B	A G	F	E	D

Vbi vides pari ratione , eodem Cycli numero inuēto, & in hac Tabella quæſito, ſubiici illi literam anno propoſito competentem; quo pacto huic anno 1654. propter Cyclum xi. competit litera Dominicalis D. Verùm quoties poſteà dies ſubtrahatur , toties quoque

quoque erit Tabella immutanda, pari ratione, ac viſum eſt circa Epactas fieri: Vnde & in quarto Canone ſpeciales aliquot traduntur; vt, præter ſpecialem, quæ cœpit ab ipſo correctionis anno, ſub litera C, exſiſtente Cyclo 23. in annum 1700. duæ aliæ itidem ſpeciales ad duo ſæcula proximè ſequentia.

Ac in Canone quidem eodem traduntur prætereà generales quædam Tabulæ; ſed compendioſior tamen eſt, quæ poteſt ex Clauij explicatione elici, in hunc modum. Scribantur ſupernè deorſum Solaris Cycli numeri, ac ipſis è regione, ſeptem Ordines, literarum Dominicalium, quorum primus ſit mox antè deſcriptus, incipiens nempe à, c, b, & deſinens in d. Secundus incipiens à d, c, & deſinens in e. Tertius incipiens ab e, d, & deſinens in f, &c. Ac deinde ſub Ordine 1. ſcribantur anni 1582. & 1600. Sub 11. 1700. ſub 111. 1800. ſub IV. 1900. & 2000. ſub v. 2100. ſub vi. 2200. ſub vii. 2300. & 2400. Et rurſus ſub 1. 2500. ſub 11. 2600. ſub 111. 2700. & 2800. atque ita porrò, continuando quovſque lubuerit; eo ſemper ordine ſeruato, vt centeſimi anni Bis ſextiles cum proximè antecedentibus non Bis-ſextilibus (quòd nulla per duas taleis centenarios variatio fiat) copulentur.

Tabula generalis Literarum Dominicalium ad qualibet ſæcula.

Cyclus Solaris		Ordo I	Ordo II	Ordo III	Ordo IV	Ordo V	Ordo VI	Ordo VII
1		c b	d c	e d	f e	g f	A g	b A
2		A	b	c	d	e	f	g
3		g	A	b	c	d	e	f
4		f	g	A	b	c	d	e
5		e d	f e	g f	A g	b A	c b	d c
6		c	d	e	f	g	A	b
7		b	c	d	e	f	g	A
8		A	b	c	d	e	f	g
9		g f	A g	b A	c b	d c	e d	f e
10		e	f	g	A	b	c	d
11		d	e	f	g	A	b	c
12		c	d	e	f	g	A	b
13		b A	c b	d c	e d	f e	g f	A g
14		g	A	b	c	d	e	f
15		f	g	A	b	c	d	e
16		e	f	g	A	b	c	d
17		d c	e d	f e	g f	A g	b A	c b
18		b	c	d	e	f	g	A
19		A	b	c	d	e	f	g
20		g	A	b	c	d	e	f
21		f e	g f	A g	b A	c b	d c	e d
22		d	e	f	g	A	b	c
23		c	d	e	f	g	A	b
24		b	c	d	e	f	g	A
25		A g	b A	c b	d c	e d	f e	g f
26		f	g	A	b	c	d	e
27		e	f	g	A	b	c	d
28		d	e	f	g	A	b	c
		1582 1600	1700	1800	1900 2000	2100	2200	3300 2400
		2500	2600	2700 2800	2900	3000	3100 2200	3300
		3400	3500 3600	3700	3800	3900 4000	4100	4200
		4300 4400	4500	4600	4700 4800	4900	5000	& ſic in infinitū

Conſtat nempe Ordines ſeptem in hac Tabula diſtributos, eſſe Tabellas totidem, quæ ex ordine, recurſimque venturis quibuslibet ſæculis ſint inſeruituræ. Nam, vt 1.

inſeruit

inſeruit nobis ab anno vſque 1582. & 1600. ad annũ vſque 1700. excluſiuè, & II. inſeruiet exinde in 1800. excluſiuè; & III. exinde in 1900. excluſiuè. & IV. exinde in 2100. excluſiue, &c. Ita rurſus I. inſeruiet ab anno 2500. II. à 2600. III. à 2700. &c. Ac iterùm I. ab anno 3400. II. à 3500. atque ita porrò; prout anni centeſimi ſub Ordinibus, Tabelliſve huiuſcemodi continentur.

Conſtat &, propoſito quouis anno intra centeſimum quemlibet contento (hoc eſt, cum quo denominatio eiuſdem centeſimi perſeuerat) ac dato, iuxta mox antè dicta, competentis illi Solaris Cycli numero, nihil aliud, quàm requirendum eſſe in hac Tabula huiuſcemodi numerum: quippe illi in ſua Tabella, ſuove ordine Dominicalis ſua litera, vna, vel gemina reſpondebit. Sic, quia annus 1654. continetur, ſeu denominationem habet à centenario 1600. ac Cyclus Solaris in ipſo eſt 11. vides è regione illius reſpondere in Ordine I. literam d. Sic quia anno 1750. contento intra 1700. Cyclus Solis erit 23. vides è regione huius numeri reſpondere in Ordine II. literam d, quæ illo anno erit Dominicalis. Sic quia anno 2048. Cyclus Solaris erit 13. vides è regione huius numeri reſpondere in Ordine IV. literas e, d, quæ ſint eo anno Dominicales futuræ; atque ita de cæteris.

Conſtat rurſus, quia Ordo V. idem eſt cum ea Tabella, quam pro Calendario veteri exhibuimus. ideò poſſe hunc Ordinem perſeuerare conſtanter eundem apud retinenteis illud Calendarium: ac, vt iſto anno 1654. litera Dominicalis eſt in illo, A, quæ eſt è regione Cycli Solaris 11. ſic anno 1750. fore g, è regione puta Cycli 23. & anno 2048. fore f, e, è regione puta Cycli 13. Quo modo quoque eſſe vſui ad quemlibet annum ante correctionem propoſitum poteſt. Si quæratur enim, v. c. quæ litera anno 1525. Dominicalis fuerit, quia illo anno Cyclus Solaris fuit 22. deprehenditur è regione huius numeri, ac in eodem Ordine V. litera A Dominicalis illius anni.

CAPVT V.

Termini citimi, vltimique Nouiluniorum, Lunæ xiv. & Dominicarum Paſchalium.

IAm, vt ad Tempus accedamus, quo Paſcha celebrandum eſt, pauca eſſe videntur addenda ad ea, quæ ſunt circa Vetus Calendarium dicta. Quippe iidem ſunt Termini Paſchales, hoc eſt imi, ac ſummi dies; quibus & Nouilunia; & Lunæ xiv. & Dominicæ Paſchales tum incipiunt, tum deſinunt; ac diſcrimen eſt ſolùm in Epactis, Aureorum numerorum vice, intra eoſdem terminos conſtitutis.

Nam Primùm quidem, Paſchalium Nouiluniorum Termini ſunt ſemper dies 8. Martij, & 5. Aprilis: at cùm intra hos terminos dies vndecim reperirentur, quibus nulli eſſent affixi Aurei numeri, atque adeò, in quibus nulla Nouilunia contingere reputarentur; nulli iam reperiuntur, quibus Epactæ non attribuantur; vt nulli ſunt, in quibus, temporis progreſſu, non poſſint Nouilunia, ex antedictis, contingere.

Quòd porrò diei 5. Aprilis Epactæ illæ geminæ xxv. & xxiv. attribuantur; tum cauſa generalis eſt, quam antè memorauimus, (vt nimirùm facta pari attributione aliis 5. menſibus, duodecies 30. Epactæ ad 354. dies anni Lunaris contrahantur) tum cauſa quoque ſpecialis eſt, quòd, cùm antiqui voluerint Lunationes omneis Paſchaleis dierum eſſe 29. neceſſe fuerit Epactarum, quæ 30. numero ſunt, duas quaſdam attribui vni ex diebus 29. in quibus poſſunt Paſchalia Nouilunia contingere. Viſum autem eſt commodum, deligere vltimum diem, cui iam competente Epacta xxv. etiam xxiv. competeret; vnde imitatione quadam factum eſt, vt iſtæ eædem, non aliæ Epactæ attribuerentur diei occurrenti intra cæteros quinque menſeis, in quibus fuere geminæ ad eoſdem dies copulandæ. Præterea verò notum eſſe, vt ob iſtam quaſi coalitionem duarum Epactarum in eundem diem Aprilis 5. Lunatio incipiens ab 8. Martij, ſub Epacta xxiij. dierum 29. fit, tanquam incipiente Lunatione alia ſub eadem Epacta xxiij. die Aprilis 6. ita proinde fieri inſequenteis, quæ incipiunt à Martij 9. 10. & ſequentibus, ad vltimam vſque incipientem à 5. Aprilis.

Non refert autem, quòd interdum, hoc eſt, cùm Epactæ 25. & xxiv. in vſu fuerint, incipientes ab iis Lunationes (diebus nempe 4. & 5. Aprilis) dierum 30. efficiantur, vt potè, quòd eædem Epactæ diebus itidem 4. & 5. Maij competant; non, inquam, refert; quòd & res rara, & deuitari potis non ſit (niſi rurſus initio Maij Epactæ duæ eidem diei dentur; quod reuocaret incommodum de duobus Nouiluniis in eundem diem intra annos 19. incidentibus) & aliunde id nihil refert circa ipſum Paſcha detrimenti; quando Luna xiv. in dies 17. & 18. Aprilis perinde incurrit; ſiue deinceps dies 15. ſiue 16. Lunationi complendæ addantur.

Deinde Termini Paſchales Lunæ xiv. ſunt ſemper proinde dies Martij 21. in quem Æquinoctium incidit; & dies Aprilis 18. quòd ad hos vſque numerentur dies 14. tam ab 8. Martij, quam à 5. Aprilis. Dico autẽ hic quoque Lunæ potiùs xiv. quàm Plenilunij Terminos (cũ ſint, qui vtrũque confundant) quòd, tametſi, iuxta ante-dicta, videri poſſit probabile, eſſe Lunam xiv. quaſi à prima apparitione, non à coniunctione ſupputatam, idem eſſe cum Plenilunio; id tamen perinde non conſtet, vt de verbis Præcepti conſtat. Quò fit, vt poſſit quidem tutò celebrari Paſcha in ipſo Plenilunio, ſiue Lunâ xv. ſi ea dies Dominica ſit; at non poſſit tamen die antecedente, ſiue Luna xiv. vtque proinde intelligatur, quamobrem ſoleant Paſchalium Pleniluniorum Termini haberi dies Martij 22. & Aprilis 19.

Notandum verò, cùm Sancti Patres cauere voluiſſe videantur, vt ſemper Paſcha

celebraretur aut in Plenilunio, aut poſt ipſum, nunquam verò antè, ne celebratio reputaretur non in primo menſe, ſed in vltimo fieri (ſcilicet, iuxta ante dicta, ille Menſis primus habetur, cuius Plenilunium poſt Vernum Æquinoctium primò contingit) id egregiè ſolùm per Epactas præſtari, iuxta quarum diſpoſitionem per-raro contingit, vt Paſcha celebretur ante Plenilunium, ſeu oppoſitionem Luminarium mediam; ſed ſemper, vel ſimul, vel poſt. Dico autem per-raro; Nam id ab hinc ad annum Chriſti 5000. vix quindecies eueniet; cùm tempore tamen Concilij Nicæni, dum Numerus Aureus nondum adeò malè Lunam in Cælo repræſentaret, id contigiſſe octies intra annos 170. deprehendatur. Nempe omnis Cycli ea eſt natura (quod aliquoties dictum iam eſt) vt ſit ſemper vitio alicui obnoxius; ac fœlicitatis eſt in illum incidere, qui vitij quam-minimùm habeat.

Prætereo autem ex eiſdem Epactis aliunde caueri, ne Paſchæ celebratio in ſecundum menſem, ſeu in Plenilunium, quod ſecundo loco contingat poſt Æquinoctium, reiiciatur: quod plerumque tamen neceſſe eſt fieri in Calendario veteri, tam ob Lunæ Anticipationem, quàm ob anticipatum Æquinoctium; ex quo euenit, vt Paſchale Plenilunium, ſeriùs plerumque, quàm ex Aureo numero, & in Calendario demonſtretur, contingat. Nam, v. g. ante duos annos, ſeu anno 1652. quo Plenilunium contigit die Martij 24. ſeu proximè poſt Æquinoctium, Nos quidem Paſcha celebrauimus die Martij 31. At qui vetere Calendario vtuntur, Plenilunium Paſchale habuerunt (ob non correctum Æquinoctium) non illud, ſed quod contigit die Aprilis 23. ac celebrârunt idcircò Paſcha die Aprilis noſtri 28. Quo eodem modo, anno 1698. nos ſumus Paſcha celebraturi die Martij 30. illi die Maij noſtri 4. (quod anno quidem 2614. etiam contigit) atque ita de cæteris: ne memorem fore, vt res temporis progreſſu longè vlteriùs abeat.

Denique Termini Paſchales, reſpectu Dominicarum, ſeu dierum, quibus Paſcha celebratur, ſunt ſemper heic dies Martij 22. illinc dies Aprilis 25. Et rariſſimè quidem euenit, vt Paſcha celebretur die 22. Martij, quia vt id eueniat, duo debent, ex ante-dictis, contingere; vnum, vt Epacta eius anni ſit 23. quò, eâ tributâ diei Martij 8. hoc eſt citimo termino Nouiluniorum Paſchalium, Luna xiv. cadat in diem 21. alterum, vt litera Dominicalis ſit D, attributa diei 22. vt proinde die 21. exſiſtente Sabbatho, celebratio Paſchæ non longiùs, quàm in craſtinum transferatur. Sic autem, cùm Paſcha die 22. contigerit anno 1598. non continget tamen deinceps, niſi anno 1693. & poſteà, niſi anno 1761. & rursùs, niſi anno 1818. Id ſcilicet, non exſpectatis amplius 95. annis, quos debere interuenire ex vſu Aurei numeri, etiam Dionyſius obſeruarat (vnde & fuerat Cyclus Cyrilli ad hunc numerum limitatus) ob interuenturam deinceps Biſſextilis diei ſuppreſſionem.

Mirabere autem, quòd poſteà, per tria ſæcula, & ad vſque annum 2185. futurum non ſit, vt Paſcha eo die contingat: Sed videlicet cauſa erit, quòd per illa tria ſæcula, inchoata videlicet annis 1900. 2000. 2100. vſurpanda ſit in Tabula Epactarum expanſa ſeries B, in qua Epacta xxiij. nuſquam reperitur. Quo etiam pacto deinde per ſæcula 2600. 2700. 2800. nunquam eo die Paſcha continget; quòd per illa vſurpanda ſit ex eadem Tabula Series r, in qua etiam Epacta xxiij. non exſtat.

Pari quoque modo, rarò admodum euenit, vt Paſcha celebretur die Aprilis 25. Quippe & tunc duo contingere debent; vnum, vt Epacta eius anni ſit xxv. vel xxiv. quæ vtraque, vt dictum eſt, tribuitur diei Aprilis 5. hoc eſt ſummo Paſchalium Nouiluniorum termino, vt Luna xiv. incidat in diem 18. Alterum, vt litera Dominicalis ſit c, qua eidem diei 18. competente, efficiatur, vt eadem die exſiſtente Dominica, celebratio Paſchæ transferatur in Dominicam aliam proximam, atque adeò in diem 25. Sic autem, cùm nobis ea die, à reformato vſque Calendario celebratum Paſcha non fuerit; celebrabitur tamen annis abhinc 12. ſeu anno 1666. ac iterum anno 1734. & rurſus anno 1886. rursúſque anno 1943. &c.

Quòd autem & ſæculi illius & conſequentium quoque, anno aliquo euenturum ſit, vt Paſcha ea die contingat, ſecus, ac fore circa diem Martij 22. obſeruatum eſt; cauſa ex eo petitur, quòd in Tabula Epactarum expanſa Series nulla ſit, in qua, niſi vna, ſaltem altera duarum illarum Epactarum, hoc eſt vel xxv. vel xxiv. non exiſtet.

Prætereo verò id, quod circa vetus Calendarium deductum eſt, de contingente frequentiùs Paſchate diebus intermediis, quòd vna, eadémque dies exſiſtens Dominica ſuccedere proximè poſſit Lunæ xiv. ſiue hæc incidat in Sabbatum, ſiue in feriam vi. ſiue in feriam v. ſiue in feriam iv. &c prout pendere ab hoc, aut illo, alióve Aureo numero poteſt: Prætereo, inquam, id tantò magis habere in nouo Calendario locum, quantò in vetere Calendario complures ſunt dies Aureis numeris vacui, ex quibus nulla computari xiv. Luna valeat, quæ inſequentem diem Dominicam Paſchalem faciat, in Nouo autem, nulla eſt dies, non prædita Epacta, quæ niſi vno, ſaltem altero ſæculo, non monſtret Lunam xiv. quam Paſchalis Dominica eo die inſequatur, in quo nulla vnquam ex Calendario vetere ſit.

Sed, ne diuerſitatem cauſæ adnoto duntaxat, parem eſſe cauſam, ob quam poſſit Paſcha aliquantò frequentiùs contingere die Martij 23. ſub litera Dominicali E, quàm die 22. ſub litera D. Quippe id eueniet, ſeu Epacta ſit xxiij. & Luna xiv incidat in diem 21. quæ ſit feria vi. ſeu Epacta ſit xxii. competens diei 9. & Luna xiv. cadat in diem 22.

quæ ſit Sabbathum Sic poſſe etiam frequeotiùs contingere die 24. ſub litera Dominicali F. Quippe id continget ex Epactis aaiii. xaii.xxi. quæ competont diebus 8. 9. 10. faciúntque, vt Luoa xiv. incidat aut in diem 21. quæ ſit feria v. aut in 22. quæ ſit feria vi. aut in 23. quæ ſit Sabbathum; atque ita de cæteris, quovſque Paſcha contingere poſſit die 28. ex Epactis axiii.xaii.xxi.xx.xix.xviii. xvii quæ competunt diebus 8.9.10.11.12.13. 14. à quibus ſupputata Luna xiv. incidat ea ordioe in diem 21. quæ ſit Dominica, (ſicque tranſlationem in octiduum poſcat) itémque io 22. quæ ſit feria ii. in 23. quæ ſit feria iii. in 24. quæ ſit feria iv. in 25. quæ ſit feria v. in 26. quæ ſit feria vi. in 27. quæ ſit Sabbatbum; iiſque omnibus caſibus Paſchalis Dominica ſit dies 28. Quo eodem modo ioſequeotes dies, Duminicæ eſſe Paſchales, ea ſepteois Epactis poſſunt.

Poteſt porrò idem, ſed retrogradè dici de diebus proximè antecedentibus diem Aprilis 25. ac tanto magis, quanto ad dies tam 4. quam 5. geminæ Epactæ ſunt, à quarum vtraque computata Luna xiv. facere eadem die Dominicam Paſchalem poteſt. Heinc, quemadmodum obſeruauimus Paſcha ſæpiùs cootingere ipſa die Aprilis 25. & ſub litera quidem C, quàm die Martij 22. ita manifeſtum iam eſt, contingere adhuc ſæpiùs debere die antecedente 24 ſub litera B, non modò ob Epactas xxv. & xxiv. competenteis diei 5. & Lunam xiv. incidentem in diem 18. quæ ſit feria ii. habeátque adcò inſequentem Dominicam die 24. ſed etiam ob Epactas axvi. & 25. (alio colore, aut charactere) competenteis diei 4. ac Lunam aiv. incidentem in diem 17. quæ Dominica ſit, & Paſcha remittat in octiduum, ſeu in eandem diem 24.

Sic par eſt, vt adhuc frequentiùs contingat die antecedente 23. ſub litera A, quòd Dominica ad illam ſequatur, non modò ea Epactis xxv. & xxiv. ac Luna xiv. incidente in diem 18. quæ ſit feria iii. & ex Epactis xavi. & 25. ac Luna xiv. incidente in diem 17. quæ ſit feria ii. ſed etiam ex Epacta axvii. competente diei 3. ac Luna xiv. incidente io diem 16. quæ ſit Dominica, tranſlationémque exigat in ſuccedentem Dominicam, hoc eſt ipſam diem 23. Atque ita de cæteris; quovſque die 19. contingere poſſit ex Epactis xxiv.xxv. 25.xxvi. axvii. xxviii. xxix. *. i. & Luna aiv. cadente aut in diem 18. quæ ſit Sabbathom; aut in 17. quæ ſit feria vi. aut in 16. quæ ſit feria v. aut in 15. quæ ſit feria iv. aut in 14. quæ ſit feria iii. aut in 13. quæ ſit feria ii. aut in 12. quæ ſit Dominica, & tranſlationem exigat in octiduum.

Capvt VI.

Tabula Paſchalis Noua, & Perpetua, ad inuentionem Paſchatis, & reliquorum Feſtorum Mobilium.

INtelligitur interim ex his, quæ ſit ratio tum conſtructionis, tnm vſus Tabulæ Paſchalis, quæ gemina in Calendario Gregoriano proponitur, idque poſt ſextum Canonem, qui eſt *De Feſtis Mobilibus* (quintus ſcilicet *De Indictione* eſt) vna cum Temporaria Tabula in annos quinquaginta. Transferri ſolet vtraque in Miſſalia, ac Breuiaria, ac altera inſcribi *Tabula Paſchalis Noua reformata*; altera *Tabula Paſchalis antiqua reformata*: Quare vt priorem tanquam hactenus dictis cohærentiorem, ptiùs eaplicemus, reſpiciundum in illam eſt, quæ exhibetur illicò pòſt.

Diſtingui porrò in ipſa vides, & supernè quidem deorſum quatuordecim columnas, ſiue Ordines, ex quibus tamen præcipui, præcipuéve notandi ſunt tres; primus ſub titulo *Literarum Dominicalium*; ſecundua ſub titulo *Cycli Epactarum*; & ſeatus ſub titulo *Paſchatis*: Nempe cæteri ad reliqua Feſta Mobilia ita attinent, vt ab ordine Paſchatis tam prorsùm, quàm retrorsùm dependeant.

Ac in ordine quidem Primo Dominicales literæ ſuis diſcretæ cellulis hac ſe ratione conſequuntur. D, E, F, G, A, B, C. Incipit verò ordo à litera D, quòd ea reſpondeat, competátve diei Martij 22. qui citimus eſt terminus Dominicarum Paſchalium, ſeu à quo incipit Series dierum, quæ eſſe Paſchales Dominicæ poſſunt. Sequuntur autem E, F, G, &c. quòd eodem ordine habeantur, ac repetantur quinquies à die illa Martij 22. ad vſque Aprilis 25. qui vltimus Paſchalium Dominicarom terminus eſt. Ac, ne mirere, cur nullas cellularum literas geminas contineat pro annis Bis-ſextilibus, cauſa eſt, quòd in illis annis ſola poſterior litera, ſeu quæ poſt feſtum S. Matthiæ Dominicalis eſt, vſurpetur, quatenus ea ſola eſt, ſub qua occurrere Paſcha poteſt. Et quæpiam quidem cautio pro Feſtis antecedentibus adhibenda; verùm de ea non multò poſt.

In Secundo, hoc eſt in Cycli Epactarum ordine, vides è regiooe literæ cuiuſque inſcriptas eſſe 30. Epactas. Eæ autem in quinas Series, ſeo quaſi lineas ſic digeruntur, vt Series proinde euadant quinquies ſeptem, ſeu oumero 35. quot ſcilicet dies eſſe diximus à die 22. Martij in diem Aprilis 25. ac ſingulæ Series Epactas contioeant, quarum occaſione dies ſinguli eſſe Paſchales Domioicæ poſſunt.

Heinc ordo Seatus, ſeu Paſchatis nihil continet aliud, quàm dies buiuſcemodi, ſingulos ſingulis Setiebus Epactarum ſic teſpondenteis, vt ſeptem primi dies, hoc eſt 22. 23. 24. 25. 26. 27. 18. Martij accipiantor ſucceſſiuè ſecundom primas Series literæ cuique adhibitas; ſeptem inſequentes 29. 30. 31. 1. Aprilis, &c. accipiantur iuxta ſecundas, ac

cæteri

TABVLA PASCHALIS.

Literæ Dominicales.	Cyclus Epactarum.							Dom. inter Epiphan. & Septua.	Septuageſima.	Dies Cinerum.
D	xxiii							1	18. Ian.	4. Feb.
	xxii	xxi	xx	xix	xviii	xvii	xvi	2	25. Ian.	11. Feb.
	xv	xiv	xiii	xii	xi	x	ix	3	1. Feb.	18. Feb.
	viii	vii	vi	v	iv	iii	ii	4	8. Feb.	15. Feb.
	i *	xxix	xxviii	xxvii	xxvi	25. xxv	xxiv	5	15. Feb.	4. Mar.
E	xxiii	xxii						1	19. Ian.	5. Feb.
	xxi	xx	xix	xviii	xvii	xvi	xv	2	26. Ian.	12. Feb.
	xiv	xiii	xii	xi	x	ix	viii	3	2. Feb.	19. Feb.
	vii	vi	v	iv	iii	ii	i	4	9. Feb.	16. Feb.
	*	xxix	xxviii	xxvii	xxvi	25. xxv	xxiv	5	16. Feb.	5. Mar.
F	xxiii	xxii	xxi					1	20. Ian.	6. Feb.
	xx	xix	xviii	xvii	xvi	xv	xiv	2	27. Ian.	13. Feb.
	xiii	xii	xi	x	ix	viii	vii	3	3. Feb.	20. Feb.
	vi	v	iv	iii	ii	i	*	4	10. Feb.	17. Feb.
	xxix	xxviii	xxvii	xxvi.	25.	xxv	xxiv	5	17. Feb.	6. Mar.
G	xxiii	xxii	xxi	xx				2	21. Ian.	7. Feb.
	xix	xviii	xvii	xvi	xv	xiv	xiii	3	28. Ian.	14. Feb.
	xii	xi	x	ix	viii	vii	vi	4	4. Feb.	21. Feb.
	v	iv	iii	ii	i	*	xxix	5	11. Feb.	28. Feb.
	xxviii	xxvii	xxvi	25.	xxv	xxiv		6	18. Feb.	7. Mar.
A	xxiii	xxii	xxi	xx	xix			2	12. Ian.	8. Feb.
	xviii	xvii	xvi	xv	xiv	xiii	xii	3	19. Ian.	15. Feb.
	xi	x	ix	viii	vii	vi	v	4	5. Feb.	22. Feb.
	iv	iii	ii	i	*	xxix	xxviii	5	12. Feb.	1. Mar.
	xxvii	xxvi	25.	xxv	xxiv			6	19. Feb.	8. Mar.
B	xxiii	xxii	xxi	xx	xix	xviii		2	23. Ian.	9. Feb.
	xvii	xvi	xv	xiv	xiii	xii	xi	3	30. Ian.	16. Feb.
	x	ix	viii	vii	vi	v	iv	4	6. Feb.	23. Feb.
	iii	ii	i	*	xxix	xxviii	xxvii	5	13. Feb.	2. Mar.
	xxvi	25.	xxv	xxiv				6	20. Feb.	9. Mar.
C	xxiii	xxii	xxi	xx	xix	xviii	xvii	2	24. Ian.	10. Feb.
	xvi	xv	xiv	xiii	xii	xi	x	3	31. Ian.	17. Feb.
	ix	viii	vii	vi	v	iv	iii	4	7. Feb.	24. Feb.
	ii	i *	xxix	xxviii	xxvii	xxvi	25.	5	14. Feb.	3. Mar.
	xxv	xxiv						6	11. Feb.	10. Mar.

cæteri ex ordine, quouſque ſeptem vltimi 19. 20. 21. 22. 23.14.15. Aprilis, accipiantur ſecundum quintas.

Ac ne inculcare rem pigeat, Prima Epa-

NOVA PERPETVA.

Paſcha.	Rogationes.	Aſcenſio.	Pentecoſtes.	Trinitas.	Corpus Chriſti	Dominic. int. Pentecoſt. & 1. Dom. Aug.	Dominic. inr. Pentecoſt. & Adu.	Prima Domin. Aduentus.
22. Mart.	27. Apr.	30. Apr.	10. Maij	17. Maij	21. Maij	11	28	29. Nou.
29. Mart.	4. Maij	7. Maij	17. Maij	24. Maij	28. Maij	10	27	29
5. Apr.	11. Maij	14. Maij	24. Maij	3. Maij	4. Iun.	9	26	29
12. Apr.	18. Maij	21. Maij	31. Maij	7. Iun.	11. Iun.	8	25	29
19. Apr.	25. Maij	28. Maij	7. Iun.	14. Iun.	18. Iun.	7	24	29
23. Mar.	28. Apr.	1. Maij	11. Maij	18. Maij	22. Maij	11	28	30. Nou.
30. Mar.	5. Maij	8. Maij	18. Maij	25. Maij	29. Maij	10	27	30
6. Apr.	12. Maij	15. Maij	25. Maij	1. Iun.	5. Iun.	9	26	30
13. Apr.	19. Maij	22. Maij	1. Iun.	8. Iun.	12. Iun.	8	25	30
20. Apr.	16. Maij	29. Maij	8. Iun.	15. Iun.	19. Iun.	7	24	30
24. Mar.	29. Apr.	2. Maii	12. Maii	19. Maii	23. Maii	11	28	1. Dec.
31. Mar.	6. Maii	9. Maii	19. Maii	16. Maii	30. Maii	10	27	1
7. Apr.	13. Maii	16. Maii	16. Maii	2. Iun.	6. Iun.	9	26	1
14. Apr.	20. Maii	13. Maii	2. Iun.	9. Iun.	13. Iun.	8	25	1
21. Apr.	27. Maii	30. Maii	9. Iun.	16. Iun.	20. Iun.	7	24	1
25. Mar.	30. Apr.	3. Maii	13. Maii	20. Maii	24. Maii	10	28	1. Dec.
1. Apr.	7. Maii	10. Maii	20. Maii	27. Maii	31. Maii	9	27	2
8. Apr.	14. Maii	17. Maii	27. Maii	3. Iun.	7. Iun.	8	26	2
15. Apr.	21. Maii	24. Maii	3. Iun.	10. Iun.	14. Iun.	7	25	2
22. Apr.	28. Maii	31. Maii	10. Iun.	17. Iun.	21. Iun.	6	24	2
26. Mar.	1. Maii	4. Maii	14. Maii	21. Maii	25. Maii	10	28	3. Dec.
2. Apr.	8. Maii	11. Maii	21. Maii	28. Maii	1. Iun.	9	27	3
9. Apr.	15. Maii	18. Maii	28. Maii	4. Iun.	8. Iun.	8	26	3
16. Apr.	22. Maii	25. Maii	4. Iun.	11. Iun.	15. Iun.	7	25	3
23. Apr.	29. Maii	1. Iun.	11. Iun.	18. Iun.	22. Iun.	6	24	3
27. Mar.	2. Maii	5. Maii	15. Maii	22. Maii	26. Maii	10	27	27. Nou.
3. Apr.	19. Maii	12. Maii	22. Maii	29. Maii	2. Iun.	9	26	27
10. Apr.	16. Maii	19. Maii	29. Maii	5. Iun.	9. Iun.	8	25	27
17. Apr.	23. Maii	26. Maii	5. Iun.	2. Iun.	16. Iun.	7	24	27
24. Apr.	30. Maii	2. Iun.	12. Iun.	19. Iun.	23. Iun.	6	23	27
28. Mar.	3. Maii	6. Maii	16. Maii	23. Maii	27. Maii	10	27	28. Nou.
4. Apr.	10. Maii	13. Maii	25. Maii	30. Maii	3. Iun.	9	26	28
11. Apr.	17. Maii	20. Maii	30. Maii	6. Iun.	10. Iun.	8	25	28
18. Apr.	24. Maii	27. Maii	6. Iun.	13. Iun.	17. Iun.	7	24	28
25. Apr.	31. Maii	3. Iun.	13. Iun.	20. Iun.	24. Iun.	6	23	28

ctarum Series è regione literæ D continet ſolã Epactam xxiij. ipſique reſpondet in ordine ſexto 22. Martij: quoniã eo die Paſcha eſt, quemadmodũ deduximus, quotocumque anno

no Epacta eſt xxiij. & litera Dominicalis D.

Sic prima Series è regione literæ E conrinet Epactas xxiij.& xxij,ipſique reſpouder in ordine ſexto dies Martij 23. quòd illo die Paſcha ſit,quotocumque aono alterutra illatum Epactarum eſt, & litera Dominicalis E.

Sic prima è tegione F, continet Epactas xxiij. xxij. xxi. ipsique reſponder in Ordine ſexto dies Martij 24.quòd Paſcha illo die ſit, quotocumque anno, vna earum trium Epactarum eſt,& litera Dominicalis F.

Sic prima è regione G, continet Epactas xxiij.xxij.xxi.xx, reſpondétque ipſi in Ordine ſexto dies Martij 25. quòd eo die Paſcha ſit, quotocumque anno voa harum Epactarum eſt,& litera Dominicalis G.

Sic prima è regione A, continet Epactas xxiij. xxij. xxi. xx. xix. ipsique reſponder in Ordine ſexto dies Martij 26.quòd eo die Paſcha ſit, quotocumque anno vna ex hiſce Epactis eſt,& litera Duminicalis A.

Sic prima è regione B, continet Epactas xxiij xxij.xxi.xx.xix.xviij. ipsique reſpundet in Ordine ſexto dies Martij 27. quòd eo die Paſcha ſit, quotocumque anno vna ex his Epactis eſt,& litera Dominicalis B.

Sic prima è regione C, continet Epactas xxiij. xxij. xxi. xx.xix.xviij. xvij. ipsique reſpondet in Ordine ſexto dies Martij 28.quòd eo die Paſcha ſit, quotocumque anno vna ex his Epactis eſt,& litera Dominicalis C.

Cùm Prima porrò Series à ſingulari Epacta incipiens è regione literæ D,increſcat ex ordine è regione aliarū literarum, quovſque prima è regione C,Epactas ſeptem cōtineat, tres deinde Series ſequētes è cuiuſlibet literę regione Epactas ſeptem continent. Nempe.

Secunda Series è regione D continet Epactas xxij.xxi.xx xix.xviij.xvij xvi. Secunda è regione E,xxi.xx.xix.&c. Secunda è regione F,xx.xix.xviij, &c. Secunda è regione G,xix. xviij. xvij. &c. Secunda è regione A, xviij. xvij .xvi, &c. Secunda è regione B, xvij,xvi, xv,&c.Secunda è regione C,xvi.xv xiv,&c, cum reſpondentibus in Ordine ſexto diebns Martij,29.30.31.Aprilis 1.2.3.4.

Tertia verò Series è regione D, continer Epactas xv. xiv. xiij, &c. Tertia è regione E, xiv. xiij. xij.&c. Tertia è regione F, xiij. xij. xi. &c. Tertia è regione G, xij. xi. x. &c. Tertia ę regione A, xi. x ix. &c. Tertia regione B, x. ix. viij.&c. Tertia è regione C ix. viij. vij. &c. cùm reſpondentibus in Ordine ſexto diebus Aprilis 5.6.7.8. 9. 10. 11.

Quarta quoque Series è regione D, continet Epactas viij. vij. vi. &c. Quarta è regione E, vij. vi. v. &c. Quarta è regione F, vi. v. iv. &c. Quatta è regione G, v. iv. iij. &c. Quarta è regione A, iv.iij. ij.&c.Quarta è regione B, iij.ij.i, &c. Quarta è regione C, ij.i.* xxix. xxviij. xxvij xxvi. (ac inſuper 25. quòd eidem diei,cum xxvi.attribuantur) cum reſpondentibus in Ordine ſexto diebus Aprilis 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

At Quinta Series perinde decreſcit à litera D in literam C, vt prima ab eadem in eandem increuit. Tametſi verò quinta è regione D,continet has Nouem Epactas 1. *. xxix. xxviij. xxvij. xxvi. 25. xxv. xxiv. Ipſæ nihilominùs ſunt poteſtate ſeptem dumtaxat, quatenus xxvi. & 25. eidem diei attribuuntur, ac eundem diem pro Dominica Paſchali deſignant; ac eodem modo xxv.& xxiv. cùm & idem ſit de vtriſvis in quinta Serie intelligendum circa cæteras Literas.

Quò proinde ſit, vt, ſicut illæ nouem 1. * xix, &c. quæ è regione D reducuntur ad ſeptem; ita illæ octo * xxix. xxviij xxvij. xxvi. 25.xxv.xxiv.è regione E,reducantur ad ſex: Illæ ſeptem xxix. xxviij. xxvij axvi. 25. xxv.xxiv.è regione F,reducantur ad quinque, Illæ ſex xxviij. xxvij xxvi. 25.xxv.xxiv è regione G, reducātur ad quatuor.Illæ quinque xxvij.xxvi.25.xxv.xxiv.è regione A, reducātur ad tres. Illæ quatuor xxvi.25.xxv.xxiv è regione B,reducātur ad duas.Illę denique duę xxv.xxiv. è regione C, reducantur ad vnam.

Nihil Neceſſe eſt admonere 30.Epactas è regione cuiuſque literæ diductas, & è regione cuiuſque,à xxiij incipienteis,ac ordine retrogrado in xxiv. deſinenteis, illas eaſdem eſſe, quæ ab 8. Martij, incipientes, in 5. Aprilis deſinunt (concluſæ nempe Paſchalium Nouiluniorum terminis) & à quibus ſupputata Luna xiv. habere poteſt proximè inſequentem Dominicalem literam, per quam dies Paſchæ deſignetur.

Obſeruare præſtat, vt ex quinis Epactarum Seriebus è regione eiuſdem literæ cooꝛentis, tranſiri ex vna in proximam non poteſt, quin litera deſignans reſpectu antecedentis vnum ex Calendario diem, deſignet reſpectu conſeqoentis ſeptimum diem pòſt (neque enim eadem litera, niſi ſeptenis diebus in Calendario recurrit) ita reſpondenteis dies Paſchatis ſeſe ſeptenis ſuperate. Adde enim diei 22. Martij, 7. prodit 29.adde 7. prodir 5. Aprilis adde 7. prodit 12, adde 7. prodit 19. atque ita in cætetis. Et quemadmodum ex prima Serie vnius literæ tranſitur in primam ſequentis, & ex ſecunda in ſecundam, ex tertia in tertiam, &c. ſola immutatione vnius diei, quòd literæ ex ordine digeſtæ dies cohærenteis in Calendario indicent; ita & reſpondeoteis dies Paſchatis ſeſe vnitate ſolùm ſuperare. Sectare enim primas Series; & leges 22.23.24.&c. Sectare ſecundas, & leges 29. 30. 31. &c. Sectate tertias, & leges 5.6.7.&c.

Id, inquam obſeruatu eſt dignnm; quoniam ordines cæteri, mobilibus aliis feſtis deſtinati,non ſecus procedunt; quippe quòd hæc feſta pari ſemper dierum intercapedine à Paſchate diſtent: vnde & vel ſolo primo ordinis die habito, cæteri ſtatim obtineantur. Ad digerendum enim v g dies Cinerum, adde ad 4. Februarij 7. fit 11.adde 7. fit 18. adde 7.fit 25.adde 7.fit 4.Martij. Subinde autem,literā mutatā, ad ſuperiorem 4. Februarij vnitate auctum, ſequitur 5. Februarij, ad 11.ſequitur 12 ad 18.ſequitur 19.atque ita in cæteris.Niſi dato 4. Februarij procedere malis addendo ſeptem, vt ſit 11. ac rurſus 7. vt 19.atque ita porrò: perinde enim eſt.

Vt inuento porrò die Paſchatis, cætera Mobilia Feſta deducantur, nihil aliud,quam

retrò, hoc eſt verſus aoni initium nomerandi ſunt à die Paſchatis excluſo, dies 46. vt in diem Cinerum incidatur; & retrò ab iſto excluſo dies 17. vt in Domioicam Septuageſimæ dictam. Aut alio modo, numera retrò a Paſchate ſex Dominicas; quæ enim antecedit ipſam feria iv. eſt dies Cinerum, Numera nouem; Noua enim eſt, quæ Septuageſimæ dicitur. Atque id quidem pro Tabulæ Ordinibus quarto, & quinto.

Pro Ordinibus autem ſeptimo, octaoo, nono, decimo, vndecimo, numera prorſum ſeu verſus finem anni à die Paſchatis excluſo, dies 35. & dies Rogationum occurret. Ab hoc die excluſo 3. & erit dies Aſcenſionis. Ab hoc excluſo 10. & erit Feſtũ Pentecoſtes. Ab huc excluſo 7. & erit Dominica Trinitatis ab hoc excluſo 4. & erit Feſtum Corporis Chriſti. Aut alio modo: Numera à Paſchate exacto 5. Dominicas, & ipſa Quinta erit, quam inſequens feria ij. appellatur Rogationes, & inſequens v. eſt Aſcenſio Domini. Numera 7. & ſeptima erit Pentecoſtes; numera 8. & Octaua erit quæ Trinitatis, dicitur, & quam quæ ſequitur feria v. Corporis Chriſti feſtum eſt.

Quod ſpectat ad Ordinem tertium continẽtem Dominicas, quæ inter Epiphaniam, diei Ianuarij 6. hærentem, & Septuageſimam intercedunt (id enim noſſe propter Officium Eccleſiaſticum intereſt) à die Septuageſimæ dato ſubtrahe 7. (qui intelliganiur eſſe tum ſex primi dies Ianuarij, tum ipſa dies Septuageſimæ) & quot in reſiduo ſeptenarios integros inueurẽs, tot intercipi Dominicas dices, Sic quia Septuageſima exſiſtente diebus 18, 19.20. Ianuarij detractis inde diebus 7. remanent 11.12.13. in quibus eſt vnus dumtaxat integer ſeptenarius, pronunciabis vnicam Dominicam interuenire; & quia exſiſtente diebus 21.22.23. 24.25.26. 27. detractis inde 7. ſuperſunt dies 14.15.16.17.18.19.20. in quibus omnibus ſunt duo integri ſeptenarij, duas interiici pronunciabis. Ac pari modo de cæteris; nam &, cùm Septuageſima in diem Februarij qualemcumque incidit, adde illi 31. dies ex Ianuario & ex ſumma detrahe 7. ac tum ſeptenarij ex reſiduo integri Dominicarum numerum indicabunt. Sic enim exſiſtente Seetuageſima die Februarij 18. ſi addas illi 31. fient 49. detrahe ſeptem, ſupererunt 42. & quoniam iſto numero ſeptenarij ſex continentur, ideò Septuageſima exſiſtente die Februarij 18. pronunciabis ſex intereſſe Dominicas; neque ſecus reperies, ſi exſtiterit diebus 19.20. & 21.

Quod attinet verò ad duodecimum Ordinem contiuentem Dominicas, quæ inter Pentecoſteo, & Dominicam 1. Auguſti interueniunt; ſciendum eſt in Officiis Eccleſiaſticis eam haberi alicuius menſis Dominicam primam, quæ contiogit vel ipſis Kalendis, ſeu die 1. vel propior eſt ipſis Kalendis, ſeu antè, ſeu pòſt; adeò vt, non modò quæ contingit die 2.3. aut 4. habeatur prima; ſed quæ etiam contingit die vltima, penultima, aut ante-penultima menſis ſuperioris. Hoc autem poſito, cùm litera Dominicalis competens diei 1. Auguſti ſit C, ſuccedant ad tres dies ſequenteis, d, e, f, præeant verò ad finem Iulij, b, A, g: mente tenenda eſt Dominicalis anni, & adnotandum, quoties inter diem Pentecoſtes, & diem, cui in hoc fine Iulij, vel initio Auguſti (vtroque die excluſo) competit; totidem nimirum Dominicæ interuenient.

Sic, quia Pentecoſte exſiſteote die 10. Maij, & litera Dominicali d, hæc litera vndecies inter illum diem; & diem 2. Auguſti intercipitur; ideò ij. Dominicæ intercipiuntur. Neque ſecus ſunt ij. ſi Pentecoſtes ſit die Maij 11. aut 12. ſub litera e, aut f, quòd Dominica prima Auguſti pari modo in 3. aut 4. diem promoueatur. At ſi Pentecoſtes ſit die 13. Maij, ſub litera Dominicali G, quia tunc Dominica 1. Auguſti erit die Iulij 29. cui eadem litera competit, ac eadem-met litera deprehendetur ſolum iotercepta decies: ideò decem ſolùm Dominicæ erunt. Neque verò ſecus erunt ſolùm 10. ſi Pentecoſtes iuciderit io dies Maij. 14. & 15. ob literas A, b, competenteis 30. ac 31. Iulij, itémque ſi io dies Maij 16.17.18.19.20. ob literas c, d, e, f, competenteis diebus Auguſti 1. 2. 3. 4. ac ſolùm vbi inciderit io diem Maij 21. incipient eſſe dumtaxat 9. ob recurrentem literam g, die Iulij 29. atque ita de cæteris; quovſque Peotecoſte exſiſtente diebus Iunij 10. 11. 12. 13. ſint Dominicæ tantum ſex, ob literas g, A, b, c, competenteis tribus diebus Iulij vltimis, & 1. Auguſti.

De Ordine decimo-tertio, contioente Dominicas, quæ inter Pentecoſten, & 1. Aduentus Dominicam interjacent, pari mudo eſt ratiocinandum; niſi quòd prima Dominica aduentus ea habẽda eſt, quæ in feſtum B. Andreæ, diemve 30. hoc eſt, vltimum Nouembris incidit, aut ipſi eſt antè, vel pòſt proxima; incidens nempe aut in diem Nouembris 27.28.29. aut in Decembris 1.2.3. Pari ſcilicet modo, cùm litera Dominicalis competens diei 30. Nouembris ſit e, & ſequantur ipſam f, g, A, præcurrant d, c, adnotandum eſt, quoties Dominicalis anni inter diem Pentecoſtes, & diem, cui in hoc fine Nouembris, aut initio Decembris, (vtroque die excluſo) litera competit: totidem nimitum Dominicæ interſunt.

Sic, quia Pentecoſte exſiſtente die 10. Maij, & litera Dominicali d, litera hæc vicies octies inter illum diem, & diem Nouembris 29. excluſos intercipitur, eadem cauſa Dominicæ 28. intercipiuntur. Neque ſecus ſunt 28. ſi Pentecoſtes ſit die Maij 11.12.13. 14. ob primam Aduentus Dominicam pariter promotam in diem Nouembris 30. Decembris 1. 2. 3. at ſi Pentecoſtes ſit die Maij 15. quia ob literam Dominicaleio b, Dominica prima Aduentus erit die Nouembris 27. ideò eſſe incipient Dominicæ 27. ac pergent eſſe iotidem, Pentecoſte exſiſtente diebus Maij 16. 17. 18. 19. 20. 21. ob parem promotionem, & quovſque exſiſtente die 22. recurrat eadem litera b, ac eſſe

incipiant

incipiant Dominicæ ſolùm 26.atque ita porrò ; quovſque poſtremò , Pentecoſte exſiſtente die Iunij 12.ſint duntaxat 23. ac pariter 23.ſi exſtiterit die 13.

Ordo denique quartus-decimus , extremuſve continens Nouembris , aut Decembris diem , qua prima Aduentus Dominica contingit,ex ſuperiore elicitur. Nam quoties Dominicæ interceptæ ſunt 28. 27. 26.25.24. & litera,Dominicalis D,neceſſe eſt eam Dominicam eſſe die Decembris 29.cui litera D competit. Quoties totidem , & litera e,eſſe die 30. Quoties totidem, & litera f,eſſe die Decembris 1. Quoties totidem , & litera g, eſſe die 2. Quoties totidem. & litera A, eſſe die 3.Quoties autem Dominicæ ſunt 27.26. 25.24.23. & litera b, neceſſe eſt eam Dominicam eſſe die Nouembris 27. Quoties totidem, & litera c , eſſe die 28.

Hæc de Tabulæ conſtructione. Ad vſum quod ſpectat,nihil facilius eſt. Videlicet,daris ad quemlibet annum tum Dominicali litera, tum Epacta, nihil aliud,quàm quærenda eſt Epacta è regione literæ;& qua in Serie Epacta erit , ſecundum eandem ad dextram pergendum ; vno enim tenore occurrene & numerus Dominicarum inter Epiphaniam,& Septuageſimam,& dies Septuageſimæ , & dies Cinerum, & dies Paſchatis, & cætera omnia. Exempli gratia , quia hoc anno 1654.litera Dominicalis eſt D,& Epacta xij. requiro Epactam xij.è regione literæ D , & quia occurrit in ſerie tertia, ideò pergens ſecundum eandem reperio,ac pronuncio, intercedere inter Epiphaniam , & Septuageſimam Dominicas 3. Septuageſimam contingere die 1. Februarij , diem Cinerum 18. Februarij,Paſcha die 5. Aprilis,Rogationes 11. Maij, Aſcenſionem 14. Pentecoſten 24.Trinitatem 31.eiuſdem,Corpus Chriſti 4. Iunij ; intercedere Dominicas inter Pentecoſten , & Dominicam primam Auguſti,9. inter Pentecoſten , & Dominicam primam Aduentus 26. ac denique ipſam primam Aduentus Dominicam cadere in diem Nouembris 29.

Vna ſolùm cautio circa Septuageſimam, & diem Cinerum adhibenda eſt ; vt nempe in anno Bis-ſextili, in quo, vt iam dictum,litera poſterior vſurpanda eſt, addatur ſemper circa Septuageſimam vnus dies ; hoc eſt, dies Septuageſimæ habeatur non 15. qui ſcriptus eſt in Tabula,ſed qui proximè illum ſequitur quoniam eo anno vnus dies inter Paſcha & ipſum à Paſchate ſupputatum interiicitur ; at verò circa diem Cinerum, dies vnus tum ſolùm addatur, cùm ipſe dies Cinerum in Februarium inciderit ; quatenus,ſi incidat quidem ante feſtum S.Matthiæ, ipſa Septuageſimæ promotio id exigat ; ſi pòſt, ipſa Bis-ſextilis diei interiectio. Cæterum enim,ſi dies Cinerum incidat in Martium, quia ſupputatio à Paſchate ad ipſum vſque facta nullum diem interiectum habet ; ideò addendus dies non eſt ; interiecto alioquin iam exſiſtente die Bis ſextili , & menſe Februario facto dierum 29.

Sic,exempli gratiâ , cùm nuper,ſeu anno 1648. quo literæ Dominicales fuere E D, & Epacta v ; Quæſita Epacta v.è regione literæ D, & reperta in ſerie 4. exhibuit è veſtigio Septuageſimā die 8.& diem Cinerum 25. Februarij. Quare vno die addito habenda fuit Septuageſima die 9 & dies Cinerum 26. eius menſis. At futuro anno 1656.quo Dominicales erunt B A,& Epacta iv. quoniam hæc Epacta quæſita è regione celluſæ A , & reperta in ſerie 4. exhibet Septuageſimam, die Februarij 12.& diem Cinerum die Martij 1.ideò addito vno die ad Septuageſimam, non item ad diem Cinerum ; habenda erit Septuageſima die Februarij 13.& dies Cinerum Martij 1.

Capvt VII.

Tabula Paſchalis antiqua, ſed reformata , eademque perpetua , ad inuentionem eorumdem Feſtorum.

VT de poſteriore Tabula iam dicamus, ea breie reperenda non ſunt , quæ de ipſa , prout eſt antiqua, ſuo ſuperiùs loco memorauimus ; ſed ea dumtaxat , quæ ad eandem , quatenus reformatam , ſpectant. Attende imprimis pagina inſequente cuiuſmodi ſoleat integra exhiberi.

Conſtat ſanè Reformationem in eo præſertim conſiſtere, quòd loco Aureorum numerorum (qui tamen in ſuo , hoc eſt primo ordine relinquuntur) inſertæ Epactæ in eam ſint , ad feſtum Paſchatis inueniendum. Videre autem licet eas eſſe numero 30. hoc eſt ab vſque xxiij. ordinè retrogrado, ad vſque xxv.&xxiv.eodem modo diſpoſitas , quo ſe habent in Calendario,à die 8. Martij Paſchalium Nouilnniorum termino,in 5. Aprilis terminum promotiorem.

Quòd verò ad dextram Epactæ xxiij. vacuam ſeriem vides, hoc eſt,nihil appoſitum ex ordinibus cæteris ; res eſt,intelligenda ex iis, quæ ſunt circa Aureum numerum deducta.Vt enim in ſerie Aurei numeri xvi.ita in ſerie(quæ eadem eſt)ipſius Epactæ xxiij. nulla eſt litera Dominicalis deſcripta , nullus dies Paſchalis(nullum cæterorum Feſtorum mobilium) quòd Epacta exſiſtente xxiij , & Luna proinde xiv.cadente in diem Martij 21. Paſcha eſſe illo die non poſſit ; ſed poſſit dumtaxat aut die inſequente 22. ſi dies 21. fuerit Sabbathum ; aut die 23. ſi 21. fuerit feria vi aut 24.ſi feria v.atque ita de cæteris, vt inculcatum ſæpiùs iam eſt.

Quin etiam,vſus Tabulæ per Epactas,non alius eſt , quàm , qui eſt deſcriptus per Numeros Aureos. Videlicet, datâ Epactâ, cum Dominicali anni litera , adnotanda eſt , pari modo,in eadem ſerie , ac intra ordinem literarum quæ litera occurrit ; & , ſiue ipſa ſit Dominicalis anni, ſiue non ſit, progrediendum deorſum eſt , quovſque primùm litera Dominicalis anni occurrat ; tunc enim in illius ſerie ad dextram,occurret in ſuo ordine dies Paſchæ ; atque idcircò etiam in ſuis, Mobilia Feſta reliqua.

Tabula Paſchalis antiqua, reformata, perpetua.

Aur. num.	Cyclus Epactarum.	Lit. Dom.	Dom. Sept.	Dies Cinerum	Dies Paſchæ.	Dies Aſcenſionis.	Dies Pentecoſtes.	Corpus Chriſti.	Dominicæ poſt Pent.	Domin. Prima Aduentus.
6	xxiii									
5	xxii	d	18 Ian.	4 Febr.	22 Mart.	30 April.	10 Maij	21 Maij	28	29. Nou.
	xxi	e	19	5	23	1 Maij.	11	22	28	30
13	xx	f	20	6	24	2	12	23	28	1. Dec.
2	xix	g	21	7	25	3	13	24	28	2
	xviii	A	22	8	26	4	14	25	28	3
10	xvii	b	23	9	27	5	15	26	27	27. Nou.
	xvi	e	24	10	28	6	16	27	27	28
18	xv	d	25	11	29	7	17	28	27	29
7	xiv	e	26	12	30	8	18	29	17	30
	xiii	f	27	13	31	9	19	30	27	1. Dec.
15	xii	g	28	14	1. April.	10	20	31	27	2
4	xi	A	29	15	2	11	21	1. Iun.	27	3
	x	b	30	16	3	12	22	2	26	27. Nou.
12	ix	c	31	17	4	13	23	3	16	28
1	viii	d	1 Febr.	18	5	14	24	4	26	29
	vii	e	2	19	6	15	25	5	26	30
9	vi	f	3	20	7	16	26	6	26	1. Dec.
	v	g	4	21	8	17	27	7	26	2
17	iv	A	5	22	9	18	28	8	26	3
6	iii	b	6	23	10	19	29	9	25	27. Nou.
	ii		7	24	11	20	30	10	25	28
14	i		8	25	12	21	31	11	25	29
3	*	e	9	26	13	22	1. Iun.	12	25	30
	xxix	f	10	27	14	23	2	13	25	1. Dec.
11	xxviii	g	11	28	15	24	3	14	25	2
	xxvii	A	12	1 Mart.	16	25	4	15	25	3
19	25. xxiv		13	2	17	26	5	16	24	27. Nou.
8	xxv xxiv	c	14	3	18	27	6	17	24	28
		d	15	4	19	28	7	18	14	29
		e	16	5	20	29	8	19	24	30
		f	17	6	21	30	9	20	14	1. Dec
		g	18	7	22	31	10	21	24	2
		A	19	8	23	1 Iun.	11	22	24	3
		b	20	9	24	2	12	23	23	27. Nou.
		e	21	10	25	3	13	24	23	28

Sic iſto v.c.anno 1654 quo Epacta eſt xii. & litera Dominicalis D, ſi in ordine Epactarum, quæras Epactam xii. & notata litera g, ipſi è regione reſpondente, accipias primùm occurrentem literam d, inuenies in ipſius ſerie ad dexteram, ac intra ordinem Paſchatis diem Aprilis 5. Sic anno 1656. Biſſextili, quo Epacta erit iv. & poſterior Dominicalis A, ſi quæras in ſuo ordine Epactam iv. inuenies quidem ipſi è regione literam A, verùm quia oportet ad aliud proximum A deſcendere, deprehendes in ipſius ſerie, ac in ordine Paſchatis diem Aprilis 16. Non repeto autem, cur non ipſa è regione occurrens litera accipienda ſit, ſed alia inferiùs ſeptimo loco poſita, ne Paſchæ celebratio Luna xiv. fiat.

Tametſi autem ſolùm de Paſchate loquor, idem tamen intelligendum de cæteris Feſtis Mobilibus eſt, quæ vt dependent à Paſchate, ſic ſunt intra ſuos quódque ordines in eadem-met ſerie cum ipſo Feſto Paſchatis requirenda: prorsùs vt circa ſuperiorem Tabulam declaratum eſt. Quin etiam eadem cautio circa Septuageſimam, & diem Cinerum adhibenda eſt in annis Bis-ſextilibus; vt, cùm nempe occurrunt ante menſem Martium, ſeu Ianuario, ac Februario, accipiatur dies, non qui habetur in Tabula, ſed qui illum proximè conſequitur in Calendario. Quo pacto in mox allato exemplo vnus dies ad diem Februarij 12. additur, vt Septuageſima adſcribatur diei Februarij 13.

Quare & conſtat hanc Tabulam, quatenus reformata eſt, eandem reipsâ cum ſuperiore eſſe; diſcrimenque ſolùm in eo verſari, quòd in ſuperiore literæ Dominicales ſeptem ſemel exhibeantur, & 30. Epactæ deducantur ſepties, ſemel ſcilicet ſub vnaquaque

quaque litera ; in hac autem ipſæ Epactæ deducantur ſemel, Dominicales autem literæ, quæ eſſe in vſu cum vnaquaque Epacta poſſunt, deducantur ſepties ; incipiente nempe vnaquáque ab ea ſerie, quæ proxima eſt ſub ſerie cuiuſque Epactæ. Nimirùm, cum dies, quibus poſſe celebrari Paſcha contingit, ſint numero 35. ſiue quinquies ſeptem ; neceſſe fuit in Tabula priore quinque Epactarum ſeries ſub vnaquaque ſeptem literarum extendi ; & in poſteriore ſeptem literas quinquies repeti iuxta progreſſum Epactarum, quarum quælibet ſeptem diebus indicandis inſeruit.

Quin agnoſcere etiam licet hinc fieri, vt cùm in Tabula poſteriore dies Paſchatis ſeſe ordine naturali, vno tenore ſequantur ; in priore tamen ſequantur interruptim, & quaternis quidem vt plurimùm interceptis ſeriebus. Cauſa nempe eſt, quòd in poſteriore Epactæ vno tenore deorſum collocentur, & quæ Epacta xxiij. in prima totius Tabulæ ſerie eſt (quæque aliunde in Calendario præfixa eſt diei 8. Martij) habeat ſtatim in ſecunda ſerie Dominicalem literam competentem diei 22. Martij, in quem cadit dies, ſeu Luna xv. ab 8. Martij ſupputata, prima omnium videlicet, in qua ex Epacta xxiij. poteſt Paſcha celebrari.

Sic verò & Epacta xxij. in ſecunda ſerie (præfixa aliunde diei Martij 9.) habeat ſtatim in tertia ſerie Dominicalem literam competentem diei 23. Martij, in quem cadit dies ſiue Luna xv. ſupputata à die 9. Martij, prima nempe omnium, in qua poteſt Paſcha celebrari ex Epacta 22. vti & eſt Luna xvi. qua poteſt ſecundò ex Epacta xxiij. Sic & ex Epacta xxi (præfixa aliunde diei Martij 10) in tertia ſerie habeat ſtatim in quarta Dominicalem literam competentem diei 24. in quam cadit dies, ſiue Luna xv. à die 10. ſupputata, hoc eſt prima omnium, in qua poteſt Paſcha celebrari ex Epacta xxi. vti & eſt Luna xvi. qua poteſt ſecundò ex Epacta xxii. & Luna xvii. qua poteſt tertiò ex Epacta xxiij.

Sic rurſus deinceps, ac in cæteris, quovſque Epacta xxv. vel xxiv. in ſerie vigeſima nona (præfixa aliunde diei Aprilis 5.) habeat ſtatim in trigeſima Dominicalem literam competentem diei Aprilis 19. in quem cadit dies, ſiue Luna xv. hoc eſt omnium prima, qua poteſt Paſcha celebrari ex Epacta xxv. vel xxiv. Vti & eſt Luna xvi. qua poteſt ſecundò ex Epacta xxvi. vel 25. & Luna xxvii. qua poteſt tertiò ex Epacta xxvii. & Luna xviij. qua poteſt quartò ex Epacta xxviij. & Luna xxix. qua poteſt quintò ex Epacta xxix. & Luna xx. qua poteſt ſexto ex Epacta *): & Luna xxi qua poteſt ſeptimò ex Epacta 1.

Vt taceam, notum proinde eſſe, Dominicalem literam in ſerie trigeſima prima competere diei Aprilis 20. hoc eſt ſecundæ, in qua poteſt Paſcha celebrari ex Epacta xxv. vel xxiv. & tertiæ, in qua poteſt ex Epacta xxvi. vel 25. & quartæ, in qua poteſt ex Epacta xxvii. &c. Ac Dominicalem literam in ſerie trigeſima ſecunda competere diei Aprilis 22. hoc eſt tertiæ, in qua poteſt Paſcha celebrari ex Epacta xxv. vel xxiiij. & quartæ, in qua poteſt ex Epacta xxv. vel 25. & quintæ, in qua poteſt ex Epacta xxvii. ac ita procedendo, quovſque litera Dominicalis in ſerie trigeſima quinta competat diei Aprilis 25. hoc eſt ſeptimæ, vltimæque, in qua ex Epacta xxv. vel xxiv. eáque ſola, poteſt Paſcha celebrari.

At verò in Tabula priore Dominicales literæ ſic ſemel ponuntur, vt, cùm vnaquæque ex 30. Epactis, Paſchatis diem indicet ſub vnaquáque litera, & ſint quinquies ſeptem, ſeu 35. Epactarum ſeries, quinæ ſcilicet ſub litera quaque : idcircò poſitâ Epacta xxiij. quæ ſub litera D, indicet diem Martij 22 ; eadem non poteſt, niſi interceptis ſeriebus quatuor, indicare cum litera E, diem 23. & rurſus niſi interceptis aliis quatuor, cum litera F, diem 24. Atque ita porrò, quovſque cum litera C, indicet diem 28.

Deinde autem, quod Epacta xxij. indicet etiam cum litera E, diem Martij 23. eadem non poteſt cum litera E, indicare diem 24. niſi quatuor ſeriebus interpoſitis ; neque, niſi aliis quatuor interpoſitis, cum litera G, diem 24. neque, niſi aliis quatuor, cum litera A, diem 25. &c. quovſque redeundo ad literam D, ſed ad ſecundam ſeriem indicet diem 29.

Sic rursùs, quòd Epacta xxi. indicet etiam cum litera F, diem Martij 24. non poteſt eadem, niſi ſeriebus quatuor interiectis, indicare cum litera G, diem 25. neque, niſi quatuor, cum litera A, diem 26. & ſic conſequenter, quovſque redeundo ad literam D, indicet cum ipſo diem 29. & cum E, diem 30. atque ita porrò ex ordine ad vſque vltimam Epactam xxv. aut xxiv. quæ, quòd indicet cùm litera D ; diem Aprilis 19. non poteſt, niſi interceptis ſeriebus quatuor, cum litera E, indicare diem 20. neque, niſi quatuor, cum litera F, diem 21. neque, niſi quatuor, cum litera G, diem 22. neque niſi quatuor, cum litera A, diem 23. neque niſi quatuor, cum litera B, diem 24. neque, niſi quatuor, cum litera C, diem 25.

Videre proinde ex his licet Tabulæ vtriuſque conformitatem ; & quemadmodum toties repetitæ in priore Epactæ, poteſtate, vt aiunt, contineantur in poſteriore; quatenus vt in illa Epacta xxiij. apponitur ex ordine literis D, E, F, G, A, B, C, quibuſcum Paſcha indicare poteſt ; ita in hac Epactæ xxiii. ſubiiciuntur à proxima ſerie eædem 7. literæ, quibuſcum Paſcha indicet ad eoſdemmet dies Et, vt in illa Epacta xxii. apponitur ex ordine literis E, F, G, A, B, C, D: ita in hac Epactæ xxii. ſubiiciuntur à proxima ſerie eædem 7. literæ quibuſcum rursùs Paſcha indicet ad eoſdem-met dies. Et, vt in illa, Epacta xxi. apponitur literis F, G. A, B, C, D, E, ita in hac Epactæ xxi. ſubiiciuntur eædem literæ Paſcha ad eoſdem dies indicantes, &c.

Ex quo rursùs fit, vt quẽadmodũ in Tabula

priore

priore, ac in ſecunda ſerie ſub litera D, collocantur iſtæ Epactæ XXII. XXI. XX. XIX. XVIII. XVII. XVI. ex quibus Paſcha celebrari poreſt die Martij 29. ita in poſteriore, & à ſecunda ſtatim ſerie habeas ipſas caſdem Epactas, quæ numeratis deorſum diebus 7. 6.5.4.3.2.1. proximè inferiùs indicent diem Martij 29. atque ita de cæteris. Sed fortè plus æquo in bis immoramur.

Quæres, cur Aurei numeri relicti in hac Tabula ſint? Sed nempe id ſactum, vt, ſi noſſe oporteat quo die Paſcha celebratum anno aliquo Correctionem antecedente fuerit, id modo ſuperiùs declarato explorari poſſit. Cùm rem verò repetere nihil ſit neceſſe, adde iam ſolùm, vt Tabulæ vſus extendi poſſit etiam ad annos Correctionis anno poſteriores (pro iis, qui Calendarium vetus retinent) cam eſſe adhibendam cautionem, vt quia, ob decem dies detractos, fuere quaſi ſuppreſſæ tres Dominicales literæ (quippe à 4. die Octobris, cui eſt præfixa litera D, tranſitus fuit factus ad 15. cui eſt præfixa litera A, ſicque vltra circuitum 7. literarum, ſuppreſſæ manſerunt literæ E, F, G) idcirco, Aureo numero dato, ea litera vſurpetur pro Dominicali, non quæ nobis in vſu eſt, ſed quæ tribus prætermiſſis quarto loco in naturali ſerie, ac circuitione literarum occurrit.

Exempli gratiâ, hoc anno 1654. quo Aureus numerus eſt 2. vſurpanda eſt illis non litera Dominicalis D, qua nos vtimur, ſed quarta poſt ipſam, videlicet A (interceptis putà E, F, G) qualis in vetere Calendario occurrit. Sic enim ſi quæras in ordine primo Aureum numerum 2. ac vbi in illius ſerie, & intra columnam literarum incideris in g, G, accipias literam A, primùm occurrentem, deprehendes in ſerie illius ad dextram, ac intra ordinem Paſcharis, diem Martij 26. (in Calendario nempe veteri: nam ille nobis eſt Aprilis 5.) (cui apud illos Paſchæ celebratio competit.

Pari autem modo poſt duos annos, ſeu anno 1656. quo Cyclus Aureus erit IV. & literæ Dominicales erunt nobis B, A, deprehendes quartas ab his literas eſſe F, E, Et quia poſterior in hoc negotio vſurpanda eſt, idcircò, ſi quæras in ordine primo Aureum numerum IV. & notata è regione eius, intra ordinem literarum, litera A, accipias proximè inferiùs occurrentem literam E, deprehendes in ſerie illius ad dextram, ac intra ordinem dierum Paſchatis, diem Aprilis 6. (nobis 16.) quo illis Paſcba ſit celebrandum.

Notandum verò huiuſmodi trium literarum ſuppreſſionem non valituram, niſi ad vſque annum 1700. Toto enim ſæculo deinceps, quia nos, ob ſuppreſſum Bis-ſextum, prolatabimus geminas vnius anni literas in duos annos, atque idcircò efficiemur vnâ literâ promotiores; eam ob cauſam, ad literam Calendarij veteris habendam, accipienda erit, quæ erit poſt noſtram non quarta, ſed tertia. Eáque ratione anno, v.g. 1750. quo nobis erit litera Dominicalis D, erit in veteri Calendario litera G.

Ob parem rationem toto ſæculo ab anno 1800. accipienda erit, quæ erit poſt noſtram, non tertia, ſed ſecunda. Quo modo v.c. anno 1850. quo nobis erit litera Dominicalis F, erit in veteri Calendario litera A.

Parem rurſùs ob cauſam anno 1900. ac etiam ab anno 2000. (quo Bis-ſexti ſuppreſſio non fiet) accipienda litera erit, quæ ſit poſt noſtram, non ſecunda; ſed prima. Quo pacto, anno, v.c. 1950. quo nobis litera Dominicalis erit A, erit in veteri Calendario B, & anno 2050. quo nobis erit litera B, erit in vetere Calendario C.

Sic parem ob cauſam, ab anno 2100. & toto ſæculo inſequente, eadem omninò litera & nobis, & in veteri Calendario erit. Quo pacto anno 2150. eadem vtriſque erit Dominicalis litera D.

Ab anno autem 2200. ordine iam retrogrado procedendum erit; tunc enim noſtra prima erit ab ea, quæ in vetere erit Calendario; Quo pacto anno 2250. quo nobis erit Dominicalis litera F, erit in vetere Calendario E.

Et pari ratione ab anno 2300. noſtra erit ſecunda ab ea, quæ in vetere Calendario; Quo pacto anno 2350 quo nobis erit litera A, erit in veteri Calendario litera F (procedendo nempe ab A, per G, in F) atque ita deinceps, pari proportione, conſequentibus ſæculis.

CAPVT VIII.

Tabula Temporaria Feſtorum Mobilium ab anno 1650. in annum 1750.

SVpereſt paucis deducamus, quemadmodum ex Tabulæ, quas vocant Temporarias, facili negotio ex vtraliber iſtarum duarum conficiantur. Videtur autem prior vſurpatu commodior, quòd acceptâ cuiuſque anni Epactâ è regione cellulæ, in qua litera Dominicalis eminet, reperiantur in eadem Serie & Paſcha, & alia Feſta Mobilia; neque ſit neceſſe deſcendere, Epactâ datâ, ad requirendum Seriem Dominicalis literæ, in qua eadem Feſta occurrant.

Tabulam ergo confecturus ad quotcumque annos volueris, delinea in ipſa à ſummo deorſum tredecim quaſi columnas, ſiue ordines; quando moris eſt totidem diſcerni; ac in primo Ordine, ſub titulo Annorum Domini ſcribe ſuccedenter quotquod annos volueris, v.c. anno 1650. in annum 1750.

In ſecundo, ſub titulo Literarum Dominicalium, ſcribe è regione primi annorum propoſitorum competentem ipſi Dominicalem literam, ſeu ea vnica, ſeu gemina ſit, provt annus extiterit ſeu communis, ſeu Bis-ſextilis; ac deinde è regione conſequentium ex ordine; Idque ſeruato ordine Cycli literarum Dominicalium, qui deſcriptus ſuperiùs eſt; & Cyclo, ordineve eodem (ſi opus quidem fuerit) poſt 28. annos repetito. Adeò vt, cùm, ex. gr. anno 1650. adſcribatur

litera

litera b,anno 1651.litera A,anno 1655. Biſſextili literæ g,f , &c. idem ordo rediturus poſt 28.annos ſit; hoc eſt anno 1678.iterum b, anno 1679. A, anno 1680. g, f, &c.

In Tertio , ſub titulo Aurei Numeri, ſcribe iternm è regione primi anni Aureum numerum ipſi competentem (v.c.è regione anni 1650. numerum 17) ac è regione conſequentium inſequenteis numeros idque redeundo ad 1.cùm xix. ſcripſeris. Interiicitur antem iſte ordo ; quòd tametſi Numerus Aureus nobis Iam inueniendis Feſtis Mobilibus vſui non ſit ; inſeruit tamen, vt admoneamur , quid ſit agendum circa Epactas, quæ cum numero Aureo vltimo,ſeu xix.concurrunt : cùm & ſit vtile eum tenere ad vſus antè expoſitos.

In Quarto,ſub titulo Epactarum, ſcribe è regione primi anni Epactam ipſi competentem(v.c.è regione anni 1650.Epactam xxvii.) ac cum annis conſequentibus adſcribe inſequenteis Epactas,ſuper· addendo ſemper xi. ad antecedentem (& detractis quidem 30. quoties numerus excreuerit) ſed ita tamen, vt cùm ad Epactam è regione Aurei numeri xix. perueneris, addas xii. ad habendum Epactam anni inſequentis ; vt nobis quidem hoc ſæculo contingit , quoties Epacta eſt etiam xix. è qua tranſimus ad Epactam i.vti & duobus ſequentibus ſæculis eueniet , cùm Epacta erit xviii. è qua tranſibitur ad Epactam * : & ſæculo ab heinc tertio , cùm ab Epacta xvii. tranſibitur ad Epactam xxix. atque ita deinceps.

Hiſce apparatis,Quod primùm ad omneis communeis annos attinet , adnota quæ ſit Dominicalis litera , & quæ Epacta vniuſcuiuſque : ac tum , aſſumptâ literâ in ſua prioris Tabulæ cellula,quære Epactam inter eas, quæ literæ illi adiacet ; & qua in Serie illam inueneris , perge ad dextram in eadem Serie ; & quos ibi dies in Ordinibus,ſeu Columnis Septuageſimæ , Cinerum , Paſchæ, Aſcenſionis,Pentecoſtes , Corporis Chriſti, cum numero Dominicarum poſt Pentecoſtem vſque ad Aduentum,& die Dominicæ 1. ipſius Aduentus ; ſcribe è regione propoſiti anni,ſub iiſdem titulis intra Ordines,ſeu Columnas octo ſequenteis.

Vt,quia anno, ex.g.1650. litera Dominicalis eſt b,& Epacta xxvij.Et ad latus cellulæ b , deprehendes in prima Serie Epactam xxvij. ideò , ſi pergas ſecundum eandem Seriem inuenies ſcribendum in v. columna ſub titulo Septuageſimæ 13. Februarij. In vi.ſub titulo diei Cinerum, 2. Martij : In vii.ſub titulo Paſchæ , 17. Aprilis. In viii. ſub titulo Aſcenſionis 26. Maij ; In ix. ſub titulo Pentecoſtes 5. Iunij : In x. ſub titulo Corporis Chriſti ; 16. Iunij. In xi. ſub titulo Dominicarum poſt Pentecoſten , 24. In xii. ſub titulo Dominicæ primæ Aduentus , 27. Nouembris. Neque ſecus prouidendum eſt in omnibus communibus annis.

Deinde verò quoties ad annos Bis-ſextileis perueneris ; memento primò , accipere ſemper ex duabus literis Dominicalibus poſteriorem, ſeu eam quæ à feſto vſque S.Matthiæ vſui eſt,vt anno 1655.f,anno 1656.A.

Secundò inſcribere ſemper in v. columna ſub titulo Septuageſimæ , non diem qui intra illam in Epactæ anni Serie occurrit , ſed diem proximè inſequentem , vt anno 1655. non 27. (vt habetur in Tabula è regione Epactæ iv. ſub litera f) ſed 28. Februarij anno 1656. non 15. ſed 13. Februarij.

Tertiò , quotieſcumque dies Cinerum in Februarium inciderit, accipe conſimiliter non diem ſcriptum in Tabula,verùm proximè inſequentem, vt anno 1652. non 13. (vt habetur in Tabula , è regione Epactæ xix. ſub litera f) ſed 14.Februarij. Prætereo heic autem annum 1656. quoniam eo dies Cinerum ad 1. Martij exhibetur , ſicque extra cautionem eſt.

Heinc , cætera quod attinet , ſeu diem Cinerum in Martio inuentum , ſeu Paſcha, ſeu quæcumque alia in eadem Serie occurrentia perinde inſcribes reliquis columnis,vt exhibentur in Tabula.

Quod monui porrò delineandam etiam columnam xiij. idcircò fuit, quòd adiici, interiicive prætereà vna inter x. & xi. titulo Indictionum ſoleat. Id nempe ob Bullas ſeu diplomata Pontificia , quibus Indictio , Indictioniſve annus plerumque apponitur;cùm & res pridem vſui fuerit non modò in Chriſtianorum actis , ſed etiam in Cæſareis diplomatibus ; tametſi Indictiones non à Ianuario , veluti nunc, ſed à Septembri Ianuarium antecedente computarentur , ob Conſtantini Vicennalia,viij Kalendas Octobris, vt ſuprà innuimus , celebrata.

Quamquam autem Indictiones non ante ipſa Conſtantini tempora cœpiſſe videntur; rettoagi tamen ad vſque annum Chriſti primum finguntur, quo (vt ſuprà quoque adnotauimus) Indictio iv. ſeu annus quartus cœptæ Indictionis fluxiſſe deprehenditur.Quippe hac ratione nihil aliud oportet , quàm addere 3. ad annum Chriſti propoſitum , & ſummam diuidere per 15. (numerum annorum , ex quibus integra Indictio conſtat) ſic enim quod ſupererit , anni Indictionem monſtrabit ; aut , ſi nihil reſiduum ſit , ipſe erit annus 15. Quo pacto vt habeas Indictionem anni currentis 1654. adde huic anno 3. & ſummam 1657. diuide per 15. quia peracta diuiſione, qua detrahuntur 110.Cycli integri , ſuperſunt 7. pronunciabis Indictionem huiuſce anni eſſe 7. Idem elicies ex Tabella quæ habetur in Canone quinto Calendarij de Indictione inſcripto.

Attingerem heic,quemadmodum ex Numero Aureo , ſeu Cyclo Lunari 19. & Cyclo Solari , ſeu literarum Dominicalium 28. in ſe ductis producitur Periodus illa annorum 532.de qua ſuperiùs diximus;ita ex hac periodo in Cyclum Indictionalem , ſeu 15. ducta , producatur Periodus annorum 7980. quæ & iam celebris euadit ; & Iuliana ideò vocatur ,quòd ex annis Iulianis conſtet ; & cœpiſſe intelligitur ab anno vſque ante conditum Mundum 764. (nempe vt potuerint tres Cycli ab vnitate ſimul inchoari , & ſic ſe habere , vti habent iam) adeò proinde, vt

annus

annus primus Natiuitatis Chriſti intelligatur, incidiſſe in xnnum periodi Iulixnæ 4714. & præſens annus 1654. ſit anous eiuſdem periodi 6367. Verùm digreſſio hæc nimia foret.

Itaque, vt quod loci huius eſt reſumam, ad hoc, vt Indictionum Ordinem, columnamve compleas, Scribe è regione primi anni competentem ipſi Indictionem, cæteriſque annis conſequentibus ex ordine xdſcribe, ſdque redeundo ad vnitxtem, quoties 15. ſcripſeris. Quo pacto, cùm anno 1650. competat Indictio 3. ſcribe 3. è regione illius, & è regione inſequentis 4. è regiont alterius 5. xtque ita ex ordine.

Reſtxt, vt, experiundi gratiâ, apponxmus heic Temporariam Tabulxm à prætergreſſo memoratóque anno 1650. ad annum vſque 1750. vt medius intercipiatur annus ſæcularis 1700. ac attendi poſſit, quæ tunc commutatio erit facienda. Anno huiuſmodi ſcilicet non Bis-ſextili, vt deberet, futuro, ſingularis erit Dominicalis literx, xc idcircò addendum erit ad Epactam anni 1699. quæ erit xxix. non xi. ſed x. vt proinde futura ſit Epacta eius anni x. in Tabula Expanſa, ac in Serie C, in quam commutabitur (iuxtx ante-dicta) Series D, quæ iam nobis vſui. Vt poſitx xutem ſemel hac Epacta, continuari Tabula poſſit, non in annos modò 100. verùm etiam vltrà, quàm continuauit Clauius, qui ipſxm produxit ad annum vſque 500. nimiſquàm eſt notum; dummodò par tamen cautio xdhibeatur in annis centeſimis, in quibus & vnica eſt Dominicalis litera, & ad Epactam antecedentis anni ob commutatam Seriem, adduntur non xi. ſed x. ſi Series inferior; aut xii. ſi ſuperior ſit: iuxta ea, quæ ſunt anteriùs deducta. Tabulam ergo, qualem Breuiarix, Miſſaliaque præ ſe ferunt (niſi quod Indictiones in vltimum locum reiectæ ſunt, & adiectæ columnæ duæ ex Calendario veteri) Tabulam, inquam, eiuſmodi inferiùs habes.

Requires fortè, cur non ſoleant huic Tabulæ interſeri duo Ordines, quos cernere in Noua perpetux xntè deſcripta licet, alter earum Dominicarum, quæ inter Epiphaniam, & Septuageſimam ſunt; alter earum, quæ à Pentecoſte in 1. Dominicam Auguſti. Verùm cauſa fortaſſis eſt, quòd vtræque erui poſſiot ex Ordine Dominicarum poſt Pentecoſten, ſeu quæ à Pentecoſte, vſque ad Aduentum intercipiuntur.

Scilicet, cùm Dominicæ interceptæ inter Epiphaniam, & Septuageſimxm, (quæ eſſe non poſſunt pauciores vnâ, neque plures quàm ſex) xc inter Pentecoſten, & Aduentum (quæ eſſe non poſſunt pauciores 23. neque plures, quàm 28.) ſint ſimul iunctæ aut 29. quoties Litera Dominicalis eſt vnx ex his, B, C, D, E, F; aut 30. quoties vna ex his, G, A; conſtat tot debere Dominicas intercipi inter Epiphaniam, & Septuageſimam, quot deſunt illis, quæ inter Pentecoſten, & Aduentum intercipiuntur, deſunt, inquam, aut ad x9. ſub prioribus literis, xut ad 30. ſub poſterioribus. Quo pacto, cùm hoc v. c. anno 1654. vtræque Dominicæ ſimul iunctæ ſint 29. ob literam D, ac inter Pentecoſten, & Aduentum ſint 26. colligo interceptas inter Epiphaniam, & Septuageſimam eſſe 3. totidem enim deficiunt xd 29. Et cùm xnno 1656. vtræque ſimul iunctæ ſint futuræ 30. ob literam A (ex Bis-ſextilibus poſteriorem) interceptæ verò inter Pentecoſten, & Aduentum ſint futuræ 25. colligo interceptas inter Epiphaniam, & Septuageſimam fore 5. totidem enim ad 30. deficiunt.

Cùm verò Dominicæ interceptæ inter Epiphaniam, & Septuageſimam, ac inter Pentecoſten, & Dominicam 1. Auguſti ſint ſimul iunctæ 12. ſub quibuſlibet literis; (quoniam idem eſt ſemper interuallum dierum inter Dominicam 1. poſt Epiphxniam, & Dominicam 1. Auguſti, ob eaſdem Dominicaleis litera g, A, b, c, d, e, f, competenteis, ſeptem primis diebus Epiphaniam proximè conſequentibus, & ſeptem diebus quibus poteſt Dominica 1. Auguſti contingere, nempe à die Iulij 29) cùm inquam, dettacto interuallo, à Septuageſima in Pentecoſten, ſuperſint conſtanter 12. Dominicæ; conſtat, quotquot deſunt ad hunc numerum, illis, quæ inter Epiphaniam, & Septuageſimam intercedunt, totidem debere intercedere inter Pentecoſten, & 1. Dominicam Auguſti. Quo pacto, cum hoc anno, Dominicæ inter Epiphaniam, & Septuageſimam ſiot 3. colligo Dominicas inter Pentecoſten, & 1. Dominicam Auguſti eſſe 9. totidem enim deſunt xd 12. Et cùm anno 1656. priores ſint futuræ 5. colligo poſteriores fore 7. totidem enim etiam ad 12. deſunt.

Vnde & intelligi licet, cauſam, cur iunctæ Dominicæ, quæ inter Epiphaniam, & Septuageſimam, ac inter Pentecoſten, & Aduentum intercedunt, nunc 29. nunc 30. ſint, non aliunde oriri, quam ex interſtitio reſiduo à 1. Dominica Auguſti in 1. Dominicam Aduentus, quod nunc Dominicâ 17. eſt, dum nempe vna ex illis 5. literis B, C, D, E, F, eſt Dominicxlis; nunc 18. dum nimirùm voa ex illis duabus G, A, Domioicalis eſt.

Quia enim 1. Dominicx Auguſti, iuxta antè dicta, ea eſt, quæ contingit vno 7. dierum, quæ ſunt Iulij 29. 30. 31. Auguſti 1. 2. 3. 4. quibus ex ordine competunt iſtæ literæ, G, A, B, C, D, E, F, & Dominica 1. Aduentus ea ſit, quæ contingit vno ex 7. diebus, quæ ſunt Nouembris 27. 28. 29. 30. Decembris 1. 2. 3. quibus ex ordine competunt iſtæ literæ, B, C, D, E, F, G, A, manifeſtum eſt, literas G, A, quæ illeic præcedunt, heic verò ſequuntur, habere interuallum vnius integræ hebdomadis, ac proinde vnam Dominicam interceptam ampliùs, quàm reliquas quinque B, C, D, E, F. Adeò vt, ſi Dominica 1. Auguſti fuerit v. c. die Iulij 29. Dominica 1. Aduentus protrahatur in diem Decembris 2. ſin illa fuerit die Iulij 31. hæc præoccupet diem x7. Nouembris; atque ita de cæteris.

Non eſt porrò, quorſum requiras, cur in

hac

bac quoque Tabula deſiderentur Ordines tum Rogationum, tum Feſti Trinitatis, qui in Noua perpetua ſunt: Quippe nimis-quam notum eſt, Rogationum diem in Noua illa Tabula expreſſum eſſe conſtanter feria ij. eiuſdem-met hebdomadis, cuius Aſcenſio eſt feria v. & ſanctiſſimæ Trinitatis feſtum incidere conſtanter in Dominicam, quæ & 1. poſt Pentecoſten eſt, & Cutporis Chriſti feſtum antecedit.

Iuſtiùs fortaſſis requireres, cur in nulla barum Tabularum Ordo quiſpiam ſit indicans. Quatuor tempora, quæ mobiliter quotannis recurrunt? Sed nempe notum quoque eſt, duo quidem priora contingere, alterum intra hebdomadem, quæ ſequitur Dominicam 1 Quadrageſimæ, alterum intra eam, quæ ſequitur Dominicam Pentecoſtes. Duó verò poſteriora contingere, alterum quidem intra hebdomadem, quæ ſequitur Dominicam tertiam Septembris; alterum intra eam, quæ ſequitur Dominicam tertiam Aduentus.

At, qui poteſt, inquies, tanta eſſe cohæſio inter hæc duo poſteriora, & Sanctæ Crucis, ac Sanctæ Luciæ feſta, vt vulgare ſit ea proximè poſt feſta eiuſmodi contingere, nulla facta tertiæ Dominicæ mentione? Dico rem poſſe propemodùm intelligi ex hactenus dictis; ſupponendo aliunde primum diem 4. Temporum eſſe hebdomadis feriam iv. & feſtum S. Crucis eſſe die Septembris 14. & feſtum S. Luciæ die Decembris 13.

Etenim, quia prima Dominica Septembris ea eſt, quæ aut ipſis Calendis, aut proximè ipſas ſiue antè, ſiue pòſt contingit; ac incidit adeò in vnam ex ſeptem diebus, quæ ſunt Auguſti 29.30.31. Septembris 1.2.3.4. conſtat tertiam Dominicam contingere quoque vna illarum ſeptem, quæ ſunt 12.13.14. 15. 16. 17.18. Septembris. Et quia Dominica III. exſiſtente die 12. ſeu quam citimè poteſt) ſequens feria iv. cadit in diem 15. manifeſtum eſt Quatuor tempora cadere non poſſe, niſi poſt feſtum S.Crucis, hoc eſt vel poſtridie, vel aliquo dierum conſequentium; quouſque Dominica III. cadente in diem 18. ſequens feria iv. incidat in diem 21. hoc eſt vltimam, quæ eſſe feria iv. poteſt, poſt feſtum S.Crucis proximè; quippe tunc ipſum quoque feſtum feria iv. eſt Dominicam II. ſequens.

Pari autem ratione, cùm 1. Dominica Aduentus ea ſit, quæ aut die vltima Nouembris, proximéve ipſam, ſiue antè, ſiue poſt contingit; atque adeò contingat ſemper vna ex 7. diebus mox antè deductis (27. 28. 29. 30. Nouembris 1. 2. 3. Decembris) Dominicáque proinde III. incidat neceſſariò in vnam ex 7. quæ ſunt 11. 12.13.14.15.16. 17. Decembris, conſtat, ſi Dominica III. fuerit die ij (hoc eſt, quàm poteſt citimè) ſequentem feriam iv. cadere in diem 14. ac non poſſe adeò Quatuor tempora, niſi poſt feſtum S.Luciæ contingere, hoc eſt vel poſtridie, vel aliquo dierum conſequentium; quouſque Dominica III. cadente in diem 17. ſequens feria iv. cadit in diem 20, hoc eſt vltimam, in quam cadere feria iv. proximè poſt feſtum S. Luciæ poteſt; quippe, quòd ipſum quoque tunc in feriam iv. incidat.

Facile interim obſeruatu eſt, idem circa feſtũ S.Luciæ contingere, licet die mẽſis 13. ſit, ac circa feſtũ S.Crucis, quod eſt die menſis 14. quoniam Dominica prima Aduentus, non penes Kalendas Decembris, vt in Septembri ſit, menſuratur, ſed penes Nouembris diem vltimum. Quamobrem autem Maiores noſtri Dominicam 1. Aduentus attendendam cenſuerint penes Nouembris vltimum, potiúſquam penes Decembris primum; Cauſa illis fuiſſe videtur, vt forent quotannis Dominicæ Aduentus, ſiue ante diem Natiuitatis quatuor; quòd, iuxta iam dicta minimè eueniret, ſi re penes ipſas Kalendas attenta, Dominica prima die 4. contingeret tunc enim Dominica quarta in ipſum-met diem Natiuitatis incideret, ſicque maior quædam in Eccleſiaſtico Officio perturbatio interueniret.

Superſunt iam duæ extremæ Columnæ, quæ ad Calendarium vetus attinentes idcircò appoſitæ ſunt, vt diſcrimen pateat, quo Paſcha à nobis, & ab iis, qui Calendarium vetus retinent, celebratur. Prior Literarum eſt Dominicalium, quæ, nulla facta interruptione, ex Stylo vſque Vetere, per annorum ſeriem decurrunt; ita nimirum, vt literæ G, F, ad primum Cycli annum tanquam Bis-ſextilem pertineant; cùm nos Stylo Nouo attribuamus eidem anno literas C, B, reſpodenteis ipſis G, F, vti & cæteræ proinde cæteris, quatenus ſuperiùs fuit declaratum

Quanquam & res, niſi ad vſque annum 1700. non conſtabit. Eo ſiquidem ipſo anno vnica nobis, ſeu Stylo Nouo, litera C, literis G, F, ex Stylo Veteri reſpondebit; ac deinceps, ob vnum diem, præter 10. antè exemptos; detractum, literis G, F, reſpondebunt non ampliùs C, B, ſed D, C, vti & poſt annum 1800. ob detractum alium, literæ E, D, & poſt annum 1900. ob detractum alium, literæ E F; ac tandem poſt annum 2100. ob detractum alium, ſint futuræ, vtroque ſtylo, literæ, G.F. Tametſi ſtatim poſt annũ 2100. ob detractum alium, futurum ſit, vt literis G, F, Styli Veteris reſpondeant ex Stylo Nouo literæ A, G, & poſt annum 2300. ob diem detractum, literæ B, A, atque ita porrò, quotieſcumque dies noui detrahentur.

Poſterior Columna eſt dierum, Dominicarumve Paſchalium, ex qua, cum ea, qua nos vtimur, comparata, deprehendere poteris, Paſcha interdum quidem celebrari ab iis, qui Calendario vetere vtuntur, ipſo eodem die, quo à nobis: at ſæpenumero tamen euenire, vt tardiùs, ab illis celebretur, quàm, à nobis, nunc vna, nunc quatuor, nunc quinque hebdomadibus (præterea autem ſecus in Feſtis Immobilibus euenire, vtpote in quibus diſcrimen ſit conſtanter dierum 10.)

Exempli gratiâ, hoc anno 1654. vtrique eodem die celebrauimus; Qui enim fuit nobis dies 5. Aprilis, fuit illis dies Martij 26.

TABVLA TEMPORARIA

Anni Domini.	Literæ Dominicales.	Aurei Numeri.	Epactæ.	Septuageſima.	Dies Cinerum.	Paſcha.	Aſcenſio.
1650	b	17	xxvii	13.Feb.	2.Mar.	17. Apr.	26. Maij
1651	A	18	viii	5.Feb.	22.Feb.	9. Apr.	18. Maij
1652	g f	19	xix	28. Ian.	14.Feb.	31.Mart.	9. Maij
1653	e	1	i	9.Feb.	26.Feb.	13.Apr.	22. Maij
1654	d	2	xii	1.Feb.	18.Feb.	5. Apr.	14. Maij
1655	c	3	xxiii	24. Ian.	10.Feb.	28.Mart.	6. Maij
1656	b A	4	iv	13.Feb.	1.Mar.	16. Apr.	25. Maij
1657	g	5	xv	28. Ian.	14.Feb.	1. Apr.	10. Maij
1658	f	6	xxvi	17.Feb.	6. Mar.	21. Apr.	30. Maij
1659	c	7	vii	9.Feb.	26.Feb.	13. Apr.	22. Maij
1560	d c	8	xviii	25. Ian.	11.Feb.	28. Mar.	6. Maij
1661	b	9	xxix	13. Feb.	2. Mar.	17. Apr.	26. Maij
1662	A	10	x	5.Feb.	22.Feb.	9. Apr.	18. Maij
1663	g	11	xxi	21. Ian.	7.Feb.	25. Mar.	3. Maij
1664	f e	12	ii	10.Feb.	27.Feb.	13. Apr.	22. Maij
1665	d	13	xiii	1.Feb.	18.Feb.	5. Apr.	14. Maij
1666	c	14	xxiv	21.Feb.	10. Mar.	25. Apr.	3. Iun.
1667	b	15	v	6.Feb.	23.Feb.	10. Apr.	19. Maij
1668	A g	16	xvi	29. Ian.	15. Feb.	1. Apr.	10. Maij
1669	f	17	xxvii	17.Feb.	6. Mar.	21. Apr.	30. Maij
1670	e	18	viii	2.Feb.	19.Feb.	6. Apr.	15. Maij
1671	d	19	xix	25. Ian.	11.Feb.	29. Mar.	7. Maij
1672	c b	1	i	14.Feb.	2. Mar.	17. Apr.	26. Maij
1673	A	2	xii	29. Ian.	15.Feb.	2. Apr.	11. Maij
1674	g	3	xxiii	21. Ian.	7.Feb.	25. Mar.	3. Maij
1675	f	4	iv	10.Feb.	27.Feb.	14. Apr.	23. Maij
1676	e d	5	xv	2.Feb.	19.Feb.	5. Apr.	14. Maij
1677	c	6	xxvi	14.Feb.	3.Mar.	18. Apr.	27. Maij
1678	b	7	vii	6.Feb.	23.Feb.	10. Apr.	19. Maij
1679	A	8	xviii	29. Ian.	15.Feb.	2. Apr.	11. Maii
1680	g f	9	xxix	18.Feb.	6. Mar.	21. Apr.	30. Maii
1681	e	10	x	2.Feb.	19.Feb.	6. Apr.	15. Maii
1682	d	11	xxi	25. Ian.	11. Feb.	29. Mar.	7. Maii
1683	c	12	ii	14. Feb.	3.Mar.	18. Apr.	27. Maii
1684	b A	13	xiii	30. Ian.	16. Feb.	2. Apr.	11. Maii
1685	g	14	xxiv	18.Feb.	7. Mar.	22. Apr.	31. Maii
1686	f	15	v	10.Feb.	27.Feb.	14. Apr.	23. Maij
1687	e	16	xvi	26. Ian.	12.Feb.	30. Mar.	8. Maij
1688	d c	17	xxvii	15.Feb.	3.Mar.	18. Apr.	27. Maij
1689	b	18	viii	6.Feb.	23.Feb.	10. Apr.	19. Maij
1690	A	19	xix	22. Ian.	8.Feb.	26. Mar.	4. Maij
1691	g	1	i	11.Feb.	28.Feb.	15. Apr.	24. Maii
1692	f c	2	xii	3. Feb.	20.Feb.	6. Apr.	15. Maii
1693	d	3	xxiii	18. Ian.	4.Feb.	22. Mar.	30. Apr.
1694	c	4	iv	7.Feb.	24.Feb.	11. Apr.	20. Maii
1695	b	5	xv	30. Ian.	16. Feb.	3. Apr.	12. Maii
1696	A g	6	xxvi	19.Feb.	7. Mar.	22. Apr.	31. Maii
1697	f	7	vii	3.Feb.	20. Feb.	7. Apr.	16. Maii
1698	c	8	xviii	26. Ian.	12.Feb.	30. Mar.	8. Maii
1699	d	9	xxix	15. Feb.	4. Mar.	19. Apr.	28. Maii
1700	c	10	ix	7. Feb.	24.Feb.	11. Apr.	20. Maii

FESTORVM

FESTORVM MOBILIVM.

Penteco-ſtes.	Corpus Chriſti.	Dom. poſt Pent.	Domin. 1. Adu.	Indictio.		Lit. Dom. Kal. Ver.	Paſcha Kalend. Veteris.
5. Iun.	16. Iun.	24	27. Nou.	3		f	14. April.
28. Maii	8. Iun.	26	3. Dec.	4		c	30. Mart
19. Maii	30. Iun.	27	1. Dec.	5		d c	18. Apr.
1. Iun.	12. Iun.	25	30. Nou.	6		b	10. Apr.
24. Maii	4. Iun.	26	29. Nou.	7		A	26. Mart.
16. Maii	27. Maii	27	28. Nou.	8		g	15. Apr.
4. Iun.	15. Iun.	25	3. Dec.	9		f e	6. Apr.
20. Maii	31. Maii	27	2. Dec.	10		d	29. Mar.
9. Iun.	20. Iun.	24	1. Dec.	11		c	11. Apr.
1. Iun.	12. Iun.	25	30. Nou.	12		b	3. Apr.
16. Maii	27. Maii	27	28. Nou.	13		A g	22. Apr.
5. Iun.	16. Iun.	24	27. Nou.	14		f	14. Apr.
28. Maii	8. Iun.	26	3. Dec.	15		e	30. Mart.
13. Maii	24. Maii	28	2. Dec.	2		d	19. Apr.
1. Iun.	12. Iun.	25	30. Nou.	2		c b	10. Apr.
24. Maii	1. Iun.	26	29. Nou.	3		A	16. Mart.
13. Iun.	24. Iun.	23	28. Nou.	4		g	15. Apr.
29. Maii	9. Iun.	25	27. Nou.	5		f	7. Apr.
20. Maii	31. Maii	27	2. Dec.	6		e d	22. Mart.
9. Iun.	20. Maii	24	1. Dec.	7		c	11. Apr.
23. Maii	5. Iun.	26	30. Nou.	8		b	3. Apr.
17. Maii	18. Maii	27	29. Nou.	9		A	23. Apr.
5. Iun.	16. Iun.	24	27. Nou.	10		g f	7. Apr.
21. Maii	1. Iun.	27	3. Dec.	11		c	30. Mart.
13. Maii	24. Maii	28	2. Dec.	12		d	19. Apr.
2. Iun.	13. Iun.	25	1. Dec.	13		c	4. Apr.
24. Maii	4. Iun.	26	29. Nou.	14		b A	16. Mart.
6. Iun.	17. Iun.	24	18. Nou.	15		g	15. Apr.
29. Maii	9. Iun.	25	27. Nou.	2		f	31. Mart.
21. Maii	1. Iun.	27	3. Dec.	2		e	10. Apr.
9. Iun.	20. Iun.	24	1. Dec.	3		d c	11. Apr.
25. Maii	5. Iun.	26	30. Nou.	4		b	3. Apr.
17. Maii	18. Maii	27	29. Nou.	5		A	16. Apr.
6. Iun.	17. Iun.	24	18. Nou.	6		g	8. Apr.
21. Maii	1. Ion.	27	3. Dec.	7		f e	30. Mart.
10. Iun.	21. Iun.	24	2. Dec.	8		d	19. Apr.
2. Iun.	13. Iun.	25	1. Dec.	9		c	14. Apr.
18. Maii	29. Maii	27	30. Nou.	10		b	27. Mart.
6. Iun.	17. Iun.	24	28. Nou.	11		A g	15. Apr.
29. Maii	9. Iun.	25	27. Nou.	12		f	31. Mart.
14. Maii	25. Maii	28	3. Dec.	13		c	20. Apr.
3. Ion.	14. Iuo.	25	2. Dec.	14		d	12. Apr.
25. Maii	5. Iun.	26	30. Nou.	15		c b	27. Mart.
10. Maii	21. Maii	28	29. Nou.	1		A	16. Apr.
30. Maii	10. Iun.	25	28. Noo.	2		g	8. Apr.
22. Maii	2. Ion.	26	27. Nou.	3		f	24. Mart.
10. Iun.	21. Iun.	24	2. Dec.	4		c d	12. Apr.
26. Maii	6. Iun.	26	1. Dec.	5		c	4. Apr.
18. Maii	29. Maii	27	30. Nou.	6		b	14. Apr.
7. Iun.	18. Iun.	24	29. Nou.	7		A	9. Apr.
30. Maii	10. Iun.	25	28. Nou.	8		g f	31. Mart.

TABVLA TEMPORARIA

Anni Domini.	Literæ Dominicales.	Aurei Numeri.	Epactæ.	Septuageſima.	Dies Cinerum.	Paſcha.	Aſcenſio.
1701	b	11	xx	23. Ian.	9.Feb.	27.Mart.	5. Maij
1701	A	12	i	12.Feb.	1.Mar.	16. Apr.	25. Maij
1703	g	13	xii	4.Feb.	21.Feb.	8. Apr.	17. Maij
1704	f e	14	xxiii	20. Ian.	6.Feb.	23.Mart.	1. Maij
1705	d	15	iv	8.Feb.	25.Feb.	12.Apr.	21. Maij
1706	c	16	xv	31. Ian.	17.Feb.	4. Apr.	13. Maij
1707	b	17	xxvi	20.Feb.	9.Mar.	14. Apr.	2. Iun.
1708	A g	18	vii	5.Feb.	22.Feb.	8. Apr.	17. Maij
1709	f	19	xviii	27. Ian.	13.Feb.	31. Mar.	9. Maij
1710	e	1	*	16.Feb.	5.Mar.	20. Apr.	29. Maij
1711	d	2	xi	1.Feb.	18.Feb.	5. Apr.	14. Maij
1712	c b	3	xxii	24. Ian.	10.Feb.	27. Mar.	5. Maij
1713	A	4	iii	12.Feb.	1. Mar.	16. Apr.	25. Maij
1714	g	5	xiv	28. Ian.	14.Feb.	1. Apr.	10. Maij
1715	f	6	xxv	17.Feb.	6.Mar.	21. Apr.	30. Maij
1716	e d	7	vi	9.Feb.	26.Feb.	12. Apr.	21. Maij.
1717	c	8	xvii	24. Ian.	10. Feb.	28. Mar.	6. Maij
1718	b	9	xxviii	13.Feb.	2. Mar.	17. Apr.	26. Maij
1719	A	10	ix	5.Feb.	22.Feb.	9. Apr.	18. Maij
1720	g f	11	xx	28. Ian.	14.Feb.	31. Mar.	9. Maij
1721	e	12	i	9.Feb.	26.Feb.	13. Apr.	22. Maij
1722	d	13	xii	1. Feb.	18.Feb.	5. Apr.	14. Maij
1723	c	14	xxiii	24. Ian.	10.Feb.	28. Mar.	6. Maii
1714	b A	15	iv	13 Feb.	1.Mar.	16. Apr.	25. Maij
1725	g	16	xv	20. Ian.	14.Feb.	1. Apr.	10. Maij
1726	f	17	xxvi	17.Feb.	6. Mar.	21. Apr.	30. Maij
1727	e	18	vii	9 Feb.	26.Feb.	13. Apr.	22. Maij
1728	d c	19	xviii	25 Ian.	11.Feb.	28. Mar.	6. Mxij
1729	b	1	*	13 Feb.	2.Mar.	17. Apr.	26. Maij
1730	A	2	xi	6.Feb.	23.Feb.	9. Apr.	18. Maij
1731	g	3	xxii	21. Ian.	7.Feb.	25. Mar.	3. Maij
1732	f e	4	iii	10.Feb.	27.Feb.	13. Apr.	22. Maij
1733	d	5	xiv	1.Feb.	18.Feb.	5. Apr.	14. Maii
1734	c	6	xxv	21.Feb.	10. Mar.	25. Apr.	3. Iun.
1735	b	7	vi	6.Feb.	23.Feb.	10. Apr.	19. Maij
1736	A g	8	xvii	29. Ian.	15. Feb.	1. Apr.	10. Maii
1737	f	9	xxviii	17.Feb.	6. Mar.	21. Apr.	30. Maii
1738	e	10	ix	2.Feb.	19.Feb.	6. Apr.	15. Maii
1739	d	11	xx	15. Ian.	11.Feb.	19. Mar.	7. Maij
1740	c b	12	i	14.Feb.	2.Mar.	17. Apr.	26. Maii
1741	A	13	xii	29. Ian.	15.Feb.	2. Apr.	11. Maii
1742	g	14	xxiii	21. Ian.	7.Feb.	25. Mar.	3. Maii
1743	f	15	iv	10.Feb.	27.Feb.	14. Apr.	23. Maii
1744	e d	16	xv	2.Feb.	19.Feb.	5. Apr.	14. Maij
1745	c	17	xxvi	14. Feb.	3. Mar.	18. Apr.	17. Maij
1746	b	18	vii	6.Feb.	13 Feb.	10. Apr.	19. Maij
1747	A	19	xviii	29. Ian.	15. Feb.	2. Apr.	11. Maii
1748	g f	1	*	11.Feb.	28.Feb.	14. Apr.	23 Maii
1749	e	2	xi	2.Feb.	19. Feb.	6. Apr.	15. Maii
1750	d	3	xxii	25. Ian.	11.Feb.	29. Mar.	7. Maii

Neque ſecus eueniet anno 1656. quo qui Paſchatis dies nobis erit Aprilis 16. erit illis 6. ſicque annis 1658. 1659. & aliis. At verò ſuperiore anno 1653. diſcrimen

FESTORVM

FESTORVM MOBILIVM.

Pentecoſtes.	Corpus Christi.	Dom. poſt Pent.	Domin. 1. Adu.	Indictio.		Lit. Dom. Kal. Vet.	Paſcha Kalend. Veteris.
15. Maii	26. Maii	27	27. Nou.	9		e	20. Apr.
4. Iuu.	15. Iun.	25	3. Dec.	10		d	5. Apr.
27. Maii	7. Iun.	26	2. Dec.	11		c	18. Mart.
ij. Maii	12. Maii	28	30. Nou.	12		b A	16. Apr.
31. Maii	11. Maii	25	19. Nou.	13		g	8. Apr.
23. Maii	3. Iun.	26	28. Nou.	14		f	14. Mart.
12. Iun.	23. Iun.	23	27. Nou.	15		e	13. Apr.
27. Maii	7. Iun.	26	2. Dec.	1		d c	4. Apr.
19. Maii	30. Maii	27	1. Dec.	2		b	14. Apr.
8. Iun.	19. Iun.	24	30. Nou.	3		A	9. Apr.
24. Maii	4. Iun.	26	29. Nou.	4		g	1. Apr.
15. Maii	26. Maii	27	17. Nou.	5		f e	20. Apr.
4. Iun.	15. Iun.	25	3. Dec.	6		d	5. Apr.
20. Maii	31. Maii	27	2. Dec.	7		c	28. Mart.
9. Iun.	20. Iun.	24	1. Dec.	8		b	17. Apr.
31. Maii	11. Iun.	25	29. Nou.	9		A g	1. Apr.
16. Maii	17. Maii	27	28. Nou.	10		f	21. Apr.
5. Iun.	16. Iun.	24	27. Nou.	11		e	13. Apr.
28. Maii	8. Iun.	26	3. Dec.	12		d	29. Mar.
19. Maii	30. Maii	27	1. Dec.	13		c b	17. Apr.
1. Iun.	12. Iun.	25	30. Nou.	14		A	9. Apr.
24. Maii	4. Iun.	26	29. Nou.	15		g	25. Mart.
16. Maii	27. Maii	27	28. Nou.	1		f	14. Apr.
4. Iun.	15. Iun.	25	3. Dec.	2		e d	5. Apr.
20. Maii	31. Maii	27	2. Dec.	3		c	28. Mart.
9. Iun.	20. Iun.	24	1. Dec.	4		b	10. Apr.
1. Iun.	12. Iun.	25	30. Nou.	5		A	2. Apr.
16. Maii	27. Maii	27	28. Nou.	6		g f	21. Apr.
5. Iun.	16. Iun.	24	27. Nou.	7		e	6. Apr.
28. Maii	8. Iuu.	26	3. Dec.	8		d	29. Mart.
13. Maii	24. Maii	28	2. Dec.	9		c	18. Apr.
1. Iun.	12. Iun.	25	30. Nou.	10		b A	9. Apr.
24. Maii	4. Iun.	26	19. Nou.	11		g	15. Mart.
13. Iun.	24. Iun.	23	28. Nou.	12		f	14. Apr.
29. Maii	9. Iun.	25	27. Nou.	13		e	6. Apr.
20. Maii	31. Maii	27	2. Dec.	14		d c	15. Apr.
9. Iun.	10. Iun.	24	1. Dec.	15		b	10. Apr.
25. Maii	5. Iun.	26	30. Nou.	1		A	2. Apr.
17. Maii	28. Maii	27	29. Nou.	2		g	22. Apr.
5. Iun.	16. Iun.	24	27. Nou.	3		f e	6. Apr.
11. Maii	1. Iun.	27	3. Dec.	4		d	19. Mart
13. Maii	24. Maii	28	2. Dec.	5		c	18. Apr.
2. Iun.	13. Iuu.	25	1. Dec.	6		b	3. Apr.
24. Maii	4. Iun.	26	29. Nou.	7		A g	25. Mart.
6. Iun.	17. Iun.	24	28. Nou.	8		f	14. Apr.
29. Maii	9. Iun.	25	27. Nou.	9		e	30. Mart.
21. Maii	1. Iun.	27	3. Dec.	10		d	19. Apr.
2. Iun.	13. Iun.	25	1. Dec.	11		c b	10. Apr.
25. Maii	5. Iun.	26	30. Nou.	12		A	26. Mart.
17. Maii	28. Maii	27	29. Nou.	13		g	15. Apr.

fuit hebdomadis vnius. Cùm nos enim celebraremus die Aprilis 13. numerantes illi eo ipſo die diem Aprilis 3. eam, pro Dominica Palmarum habebant; vnde & Paſcha nõ celebrâ

lebtârunt, niſi deinceps dle 10. quæ nobis iam 20. erat. Quo eodem pacto anno 1657. cùm noa Paſcha celebtabimus die 1. Aprilis; ea dies erit ipſius 22. Martij, ac rurſus Palmarum Dominica; vnde & Paſcha non celebrabunt, niſi die 29. quæ nobis erit Aprilis 8. ac idem eueniet annis 1661. 1664. &c.

Anno autem 1652. diſcrimen fuit hebdomadum 4. Cùm nobis enim Paſcha foret die Martij 31. erat ipſa illis ſolùm Dominica 3. Qnadrageſimæ; vnde & Paſcha non celebrârunt, niſi die Aprilis 18. quæ nobis iam erat 28. Ac pari modo, anno ſequente 5655. cùm nos Paſcha celebrabimus die Martij 28. erit ea illis 18. ac rorſus Dominica 3. Quadrageſimæ; Vnde & Paſcha non celebrabunt, niſi die Aptilis 15. quæ à nobis 25. numerabitur.

Sed enim anno 1660. diſcrimen erit hebdomadum 5. Cùm enim nos Paſcha celebrabimos die Martij 28. Ea ſic erit illis 18. vt ſimul ſit ſolùm Dominica Quadrageſimæ ſecunda: vnde & Paſcha non celebrabont, niſi die Aptilis 22. quæ nobis Maij ſecunda erit. Sic & anno 1663. cùm nos Paſcha celebtabimua die Martij 25. ea ſic illia 15. erit, vt ſit rutſus dumtaxat Dominica 2. Quadrageſimæ; Vnde & Paſcha illis non celebtabitur niſi die Aprilis 19. quá nos 29. numerabimus.

Quætes fortè, quid cauſæ ſit, eut diſcrimen ſit dietum aut o. aut 7. aut 28. aut 35. non item 14. aut 21. ſeu hebdomadum duatum, vel ttium? Reſpondeo verò id pendere ex ſitu, qoo tam Aureus numerus in Kalendario veteri, quàm Epactæ in Nouo, intra terminos Nouiluniotum Paſchalium habentur. Videlicet in Seria dierum illorum 29. Aureus numetus aut præcedit Epactam vnius, eiuſdemque anni, aut eam ſequitut. Præcedit autem eùm eſt 1. 2. 4 5. 6. 7. 9. 50. 12. 13. 54. 15. 16, 57. 18. præcedit inquam, vbique ſeptiduo, niſi quòd, cum eſt 5. præcedit octiduo. Sequitut vero, quoties eſt 3. 8. 55. 19. ſequitor, inquam, vbique diebus 23.

Si igitur Aureus numetus Præcedit Epactam, aut Luna xiv. ipſo indicata propinquiorem habet Dominicam inſequentem, quam indicata per Epactam habeat; aut remotiorem. Si propinquiorem, tunc diſcrimen eſt o. quia Stylo nouo retatdante, & vetere accelerante, concurſus in eandem Dominicam fit. Sin remotiorem; tune differentia eſt dierum 7. qoia ſtylo veteri 3 iam tardiota magis tardante, & ſtylo nouo iam celeriore magis accelerante, efficitut, vt Dominica Stylo nouo, anteuertat Dominicam Stylo veteri pet ſeptidoum.

Si Aureus verò numetus ſequitur, aut Luna xiv. ipſo indicata ptopiùs diſtat à Dominica inſequente, quàm indicata per Epactam, aot remotiùs. Si ptopiùs, diſcrimen eſt dierum 28. quia Stylo vetere accelerante, & ſtylo nouo retardante, concurſus fit in Dominicam, qoæ prima poſt dies 23. occurrit; Sin remotiùs, diſcrimen eſt dietum 35. quia Stylo vetere tardante, & Stylo nouo accelerante, efficitur, vt Dominica Styli noui anteuertat Dominicam Styli veteris tota hebdomade ſupra dies 28. ſiue diebus 35.

Quod dico porrò diſcrimen eſſe dierum aut o, aut 7. aut 28. aut 35. id de hoc, & de aliqoot ſequentibus ſæculis eſt intelligendum. Quòd enim error, cottectionis defectu, in Calendario veteri ſemper inereſcat; idcircò euenturum eſt, vt ab anno 2698. diſctimen o. eſſe deſinat, totumque in 7. tranſeat; & anno 3013. incipiat etiam eſſe 14. Ab anno verò 4860. diſcrimen 7. deſinat, totumque in 14. ttanſeat: ac anno 4995. eſſe quoque 21. incipiat, & ſic conſequentet. Ac pari ratione, ab anno 2092. diſcrimen deſinat eſſe 28. totumque ttanſeat in 35. & anno 3437. incipiat eſſe etiam 42. Ab anno autem 4413. diſcrimen 35. ttâſeat totũ in 42. & anno 4602. incipiat quoque eſſe 49. atque ita porrò.

Quæ omnia ideò commemoto vt quanta fuerit neceſſitas emendationis, inſinuem; cùm error initio tam patuus, temporis progreſſu euadat tam magnus.

CAPVT COROLLARIVM

De Romano Martyrologio.

CVm iam videatur eſſe plus æquo de Calendario Romaño dictum, operæ tamen pretium eſt pauca quædam ſubiicere de Romano Mattytologio, ptovt argumenti eſt connexi, eiuſqua declaratio elicitur, pendetque ex iis, quæ ſunt hactenus citca Calendarium deducta. Certè ipſe quoque Batonius inter explieandum, quæ in lectione Martyrologij ad quotidianam ætatis Lunæ ptonunciationem pertinent, ad eadem, aut paria remittit, his verbis *Conſtructionem tam Tabella literarum Martyrologij, quàm Tabula Æquationis, quia breuiter explicari nequit, & litera Alphabeti, quæ etiam ſunt litera Martyrology, deſumuntur ex Tabula Cycli Epactarum Expanſa, deditâ operâ in librum Noua rationis reſtituendi Calendarij Romani reiicimus, vbi Tabula illa Expanſa Epactarum continetur.*

Itaque, vt quibos ad manum non eſt aut liber eiuſcemodi, qoi fuit Aloyſij Lilij, aut qui eſt copioſior deinceps conſcriptus à Clauio, ſubſidium haberi ex iiſdem, quæ fuere ſoperiùs allatæ, expoſitæque, Tabulia poſſit; res indigitanda breuiter heic eſt. Neceſſe eſt autem, vt res dicatur clariùs, exhibere ſtatim initio faciem Martytologij, qualis habetur ipſis Kalendis, ſeu die primo Ianuarij; eùm & aliis per annum diebus non diſſimilis obſeruetur. Ea ergo ſic habet.

1. *Kalendis Ianuarij, Lunâ* A*

a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ
2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 53 14 15 16 17 18

t u A B C D E f F G H M N P
19 20 25 22 23 24 25 26 26 27 28 29 30 1

Circumciſio Domini noſtri Ieſu Chriſti. & Octaua Natiuitatis eiuſdem. Romæ ſancti Almanachij Martyris, &c.

Quo loco labor ſolùm eſt in declaranda Tabella, ex gemina Serie, vna literarum, altera cyphrarum conſtante, ad eliciendum, quo-

ta

ta dies ætatis Lunæ ſit vſurpanda, vt ad vocem *Lunâ*, quæ in primo verſu eſt, adhibeatur: veluti cùm hoc anno 1654. ſic pronunciatū fuit, *Kalendis Ianuar. Lunâ decimatertiâ.*

Circa porrò verſum hunc primum, facile intellectu eſt notam 1. quæ ad læuam habetur, nihil aliud, quam indicare diem Ianuarij primum, quo pronunciamus, Romano more, *Kalendis Ianuary*: Sic enim & die ſequente apponitur nota 2. quo pronunciatur, *Quarto Nonas Ianuary*, & ſic conſequenter. Literam autem A, quæ cum aſteriſco * ad dextram, nihil aliud, quàm deſignare literarum Dominicalium primam, quæ in Calendario, ad diem primum Ianuarij, intra columnam literarum Dominicalium apponitur, & Epactam *, quæ in columna Cycli Epactarum illi reſpondet: Sic enim & die ſequente apponitur litera B, cum Epacta illi reſpondente xxix. atque ita porrò, per decurſum anni.

Quare, ne in hoc hæream, & de Tabella ipſa dicam, Quam in illa Seriem literarum vides, ipſa eadem eſt, quam habes ſuperiùs in Tabula Expanſa, pag. 114. procedendo infernè ſurſum; (niſi quòd, ob cauſam paullo pòſt dicendam, minuſcula f, hîc inſeritur inter maiuſculas E, F.) Non ita verò accipiuntur, vt ſint hîc, quemadmodum illic, indices Serierum tranſuersè procedentium, ſed ſolùm, vt ſint loco Epactarum, quæ illis ad latus in ordine primo aſcendendo reſpondent, quæque hoc loco aſſumendæ forét. Scilicet, quia Series cyphrarum, quas in hac Tabella vides ſubiectas literis, Lunæ ætatem repræſentat; induci poſſet quædam confuſio in diebus ætatis Lunæ pronunciandis, ſi geminæ cyphræ, vna Epactarum, alia dierum Lunæ ſimul ponerentur. Adde quòd, etiam antiquitus, adhibebantur, literæ Aureorum numerorum vice.

Efficitur autem, vt quemadmodum ex 30. Epactis, vnica per totum annum vſui eſt, ita ex 30. literis vnica toto anno ſit vſui. Toto enim hoc, v. c. anno 1654. vſui eſt litera m; exindéque eſt, vt aſſumpta, quovis die huius anni, & quæſitâ in Martyrologio ad eum diem literâ m, habeas ſub ipſa diem ætatis Lunæ. Adeò proinde, vt quia die prima Ianuarij habes ſub m, cyphram 13. is, qui pridie eius diei Martyrologium legit, pronunciare ſic, vt iam innuimus, debuerit, *Kalendis Ianuarij, Lunâ decima-tertiâ*; Et quia die ſequente, eadem litera m, habet ſub ſe cyphram 14. ſic pronunciare debuerit, *Quarto Nonas Ianuary, Lunâ decimâ-quartâ*; atque ita deinceps, donec die Decembris, annique penultima, qua ſub litera m, erit cyphra 23. ita pronunciaturus ſit, *Pridie Kalendas Ianuary, Lunâ vigeſimâ-tertiâ.*

Qua occaſione, pronum eſt obſeruare, triginta quidem literas ad vnumquemque anni diem & eaſdem, & eodem inuariabili ordine exſtare; ſic nempe ſemper incipiendo; a, b, c, d, &c. At triginta cyphras, quæ ſub ipſis ſunt, ita dietim promoueri, vt, cùm, v. c. die prima Ianuarij ſub literis a, b, c, d, cyphras habeas 2, 3, 4, 5; die inſequente habeas, ſub iiſdem, 3, 4, 5, 6; die tertia, 4, 5, 6, 7, die quarta 5, 6, 7, 8, &c. Id nempe, quia Lunæ ætas fit ſemper vno die prouectior: atque idcircò neceſſe eſt cyphram ſub anni litera variari.

Et quia cohærenter pronum eſt, vt quæras, cur ordo cyphrarum non incipiat ipſa die prima Ianuarij, ab 1, 2, 3, 4, potiùs, quàm à 2, 3, 4, 5; ideò quædam priùs deducenda ſunt; ac illud imprimis, quòd, Vt non ſunt quovis ſæculo omnes 30. Epactæ vſui, ſed dumtaxat nouemdecim; ita neque omnes 30. Literæ, ſed nouemdecim ſolùm, vſui ſint. Hoc modò, ab anno correctionis, & toto hoc ſæculo, ſeu ad vſque annum 1700. excluſiuè, vſui erunt, ſicut Epactæ, ſic literæ Martyrologij, quas ipſis ſupra ponimus, Numeris ſimul Aureis ſubiunctis, ſequente Tabella.

G	g	t	N	k	B	b	n	E	e
xxvi	vii	xviii	xxix	x	xxi	ij	xiii	xxiv	v
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15
r	H	h	o	a	m	D	d	q	
xvi	xxvii	viii	xix	i	xii	xxiii	iv	xv	
16	17	18	19	1	2	3	4	5	

Et ab anno 1700. *incluſiuè, in* 1900. *excluſiuè, vſui erunt hæ.*

i	A	a	m	D	d	q	G	g	t
ix	xx	i	xii	xxiii	iv	xv	xxvi	vii	xviii
10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
P	l	C	c	p	F	f	ſ	M	
*	xi	xxii	iii	xiv	xxv	vi	xvii	xxviii	
1	2	3	4	5	6	7	8	9	

Et ab anno 1900. *incluſiuè in* 2200, *excluſiuè*, *iſta.*

N	k	B	b	n	E	e	r	H	h
xxix	x	xxi	ij	xiii	xxiv	v	xvi	xxvii	viii
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10

u	P	l	C	c	p	F	f	ſ	
xix	*	xi	xxii	iii	xiv	25	vi	xvii	
11	12	13	14	15	16	17	18	19	

Vt intelligi autẽ liceat, vnde iſtæ fuerint Tabellæ deſumptæ, ac ſimileis alias pro ſæculo quovis cõtexere valeas; Vide in Tabula Æquationis, quam habes ſuperiùs pag. 121. & 122. quæ eo ſæculo, de quo quæritur, ſit litera Index. Ea videlicet indicabit Seriem Epactarum in Tabula Expanſa, quæ eo ſæculo vſurpandæ erunt; Ac vbi has Epactas ſeorſim ſcripſeris, nihil oportebit aliud, quàm vnicuique ipſarum præfigere eam literam, quæ ipſi in ordine primo aſcendendo, aut deſcendendo acceptæ reſpondet. Pro Numero autem Aureo reperiſſe ſemel eum ſufficit, qui anno primo debetur; oportet quippe ſolùm ſequenteis conſequentibus literis, Epactiſque ſubiicere.

Quod ſi alicuius ſolummodò anni velis habere literam, Quære in Tabula Æquationis, quæ litera Index reſpondeat dato ſæculo; ac propoſiti anni reperi Aureum numerum. Tum autem adi Tabulam Cycli Epactarum perpetuam, quæ habetur ſuperiùs pag. 126. ac operare quemadmodum illeic loci præſcriptum eſt; ſiquidem ſimul cum Epacta, litera quæſita occurret.

Adhibitus porrò Aureus Numerus ad ſuperiores Tabellas eſt, vt adnotari valeat, qua cum litera Aureus numerus 1. concurrat. Siquidem quoties Numerus Aureus eſt 1. eo anno Kalendis Ianuarij, & per reliquam Lunationem, ætas Lunæ pronunciatur vno die minor, quàm poſita cyphra ſub anni litera indicet. Id nempe, vt propter ſaltum Lunæ, prima in Ianuario terminata Lunatio ſit ſolùm dierum 29. quæ foret alioquin, vt annis cæteris, dierum 30. quoniam Lunatio inſequens eſt ſemper dierum 29. Et cùm eſt quidem litera P (vti erit, v. g. anno 1710.) pronuncianda eſt tunc, ſine diminutione, Luna prima, propter cyphram 1. ipſi P, ſubſcriptam, quia die Decembris vltima, fuit Luna 29. ſub litera t; at in cæteris res ſecus habenda.

Nam anno quidem exempli gratiâ, ſuperiore 1653. quo fuit Aureus numerus 1, & litera anni a, quæ ab vſque Reformatione, & toto hoc ſæculo illi congruit; quia die vltima Decembris antecedentis anni 1652. fuerat Luna 30. ſub litera u, idcircò Kalendis Ianuarij pronunciandum fuit ſub litera a, non 2. ſed 1. die ſecunda non 3. ſed 2. & ſic conſequenter, donec, poſtquàm Quarto Kalendas Februarias, pronunciata fuit Luna, non 30. ſed 29. Tertio deinde Kalendas pronunciari debuit, ſub eadem litera a, vti & habetur, Luna 1. Quod obſeruandum item erit annis 1672. & 1691.

Quia verò ſingulare eſt, vt hoc tempore litera a, vti & Epacta 1. cum Aureo numero 1. concurrat, & futurum ſit, vt per ſæcula longè plurima, concurſura ſit cum aliis Aureis numeris, vt per duo proxima, cum Aureo numero 12. per tria deinceps conſequutura cum Aureo numero 4. &c. quibus omnibus ſub litera a, pronunciandum erit Kalendis Ianuarij Luna 2. ideò eſt effectum, vt, quò ſeries inſtitueretur generaliùs, poſita fuerit ſub litera a, cyphra 2. potiuſquàm cyphra 1. quæ cùm alioquin foret pronuncianda, id poſſet vnitatis, vniuſve diei minutione præſtari. Atque hoc quidem ob id, quod dixi, pronum eſſe, vt requiratur.

Eſt autem ſubinde adnotandum, quando anno centeſimo ea fit commutatio, vt Epactę Aureis numeris reſpondentes, vnitate minores, quàm præcedente ſæculo fiant; euenire, vt Kalendis Ianuarij pronuntietur eadem Luna, quæ pridie Kalendas fuerit pronunciata; id videlicet exigente Æquatione, ob quam fit, vt Luna veluti conſiſtat. Sic enim, cùm anno 1599. euenturum ſit, vt die vltima Decembris pronuncietur Luna x. propter cyphram 10. poſitam ſub N, quæ illius anni erit litera; eueniet, vt ipſis Ianuarij Kalendis inſequentibus, pronuncietur iterum Luna x. propter cyphram 10. poſitam ſub 1. quæ litera erit 1700. anni.

Ne te quidquam interim moueat, quòd eſſe non ſolùm triginta, verùm triginta & vna, cùm literæ, tum cyphræ videantur. Siquidem

quidem quam vides literam minuſculam f, poſt maiuſculam E, ipſa vna, eademque eſt cum maiuſcula F, quæ inſequitur, reputanda; vti & pro vtraque habetur ſola F, in Tabella Cycli Epactarum perpetua, pag.126. quàm paullò etiam antè memorauimus.

Quorſum autem hîc diſtinctè adſcribatur, res ex eo pendet, quod pag 123.& 124. deduximus; nempe quotieſcumque Aureus numerus minor eſt, quàm xij. Epactam xxv. in Tabula Expanſa ſub illo repertam, ſcribi iſto ipſo charactere xxv. & quoties Aureus numerus maior eſt, quàm xi. tunc ſcribi iſto, 25. Inde enim eſt, cur Epacta exſiſtente xxv. accipiatur litera F; exiſtente autem 25. accipiatur litera f, ac tum Luna pronuncietur iuxta cyphram, quæ eſt ſub ipſa. Cauendum verò, ne pro hac f, illam accipias, quæ exſtat alioquin inter minuſculas c, & g. Iuxta porrò adnotata, non erit vſus literæ f, quæ inter E, & F, eſt, ante annum 1916. quo Aureus numerus erit 17. & Epacta 25. ac deinceps decimo nono quoque anno, per id ſæculum, & duo conſequentia.

Et quanquam ipſis Kalendis Ianuarij, ac etiam deinceps, ad vſque pridie Nonas Februarij, perinde ſit cyphram ſub altervtra litera vſurpare, quoniam cyphra eadem eſt; ipſis ſcilicet Kalendis Ianuarij 26. 26. die ſequente 27. 27. &c. ac idem etiam dicendum conſtet, à Pridie Nonas Martij. ad vſque pridie Nonas Aprilis, ſicque alternatim in menſibus aliis, ab eo vſque die, quo Epacta 25. ponitur ad latus Epactæ xxv. ad illum vſque, quo eadem Epacta 25. ponitur ad latus Epactæ xxvi. perinde enim pridie Nonas Martij cyphræ ſunt 1. 1. ipſis Nonis 2. 2. atque ita in cæteris: Attamen in ſenis aliis menſibus, hoc eſt à die vſque, quo Epacta 25. ponitur è regione xxvi. in diem vſque, quo eadem 25. ponitur è regione xxv. non perinde eſt vſurpare vtramuis, quòd cyphræ diuerſæ tunc ſint. Quippe ea, quæ eſt ſub litera f, antevertit illam, quæ ſub litera F; vtpote, eadem-met exſiſtens cum ea, quæ deinceps ſequitur ipſam F. Sic enim ſub literis f, F, G, H, M, &c. habentur pridie Nonas Februarij, v.c. hæ cyphræ, 1.30. 1.2.3.&c. ipſis Nonis, 2.1.2.3.4.&c. poſtridie, ſeu octauo Idus, 3.2.3.4.5. &c. ac in reliquis menſibus pari modo.

Cauſa verò huius rei eſt, quòd in prioribus ſex menſibus Epacta 25. nihil mutet, quatenus in eundem-met diem cum Epacta xxv. quando in vſu eſt, incidit: at verò in poſterioribus. quoniam Epacta 25. poſita ad latus Epactæ xxvi. (nempe ad lucrandum ſex illos dies, quibus duodecies 30. ſeu 360. Epactæ, dies Lunaris anni 354. ſuperant, vt declaratum ſuperiùs eſt, pag. 103.) quoniam, inquam, tunc Epacta 25. antevertit vno die, occupatque locũ Epactæ xxvi. quæ per illud tẽpus in vſu nõ eſt; ideò, cùm aliunde Epactæ xxvi. litera ſit G, & pridie Nonas Februar. v. c. cyphra, quæ ſub G, ſit 1. hæc ipſa cyphra 1. ponitur ſub f; & relictâ literâ F, ſuâ cyphrâ 30. reſumitur ſub litera G, eadem cyphra 1. ac ita porrò fieri pergitur per dieis inſequenteis.

Nihil iam ſupereſſe hoc loco videtur, niſi vt vno verbo dicatur, qui condi valeat Temporaria Literarum Martyrologij Tabula in complureis annos. Quoniam igitur quandiù eadem Epactarum Series eſt vſui, eædem nouemdecim literæ cum Aureo numero incipiunt, procedunt, recurrrunt; idcircò neceſſe non eſt, vt huiuſmodi Tabula vltra annos nouemdecim prorogetur, ſed ſufficit vt annis Nouemdecim deductis, alij, aliique Nouemdecim ſequentes ipſis apponantur; ſic enim appoſitis quoque annis, vt idem Aureus numerus, ita idem ordo Literarum inſeruit.

Cùm occurret verò centeſimus annus, quo mutata Epactarum Serie, Literarum quoque ordo mutabitur; tunc non ſecus erit habenda diſpoſitio; id cauendo modò, vt niſi anno centeſimo, quo mutatio fiet, Aureus numerus ſit 1. talis annus, ac inſequentes ſub reſiduis Aureis numeris continuentur, ipſiſque attribuantur reſpondentes ex nouo ordine Literæ, ac ipſis exactis, prima ordinis Litera cum Aureo numero 1. reſumatur. Sed res, opinor, abundè ſatis, vel ex inſpectione ſola Tabulæ inſequentis intelligetur; quam ab anno ſuperiore 1653. idcircò inchoauimus, quia Cyclus Aureorũ numerorum cum illo cœpit.

Dixi initio laborem ſolùm eſſe in declaranda illa Tabella ex literis, cyphriſque conſtante, quæ ad ſingulos dies Hiſtoriæ Martyrologij præfixa eſt: nam quod ſpectat quidem ad ipſam Hiſtoriam, res & plana eſt, & præter noſtrum inſtitutum. Quare, & ob id ſolùm, quod obiter innui circa pronunciationem diei, ac Lunæ, addo illam ſemper vno die ſic præoccupari, vt quæ hiſtoriæ ad vnum diem pertinent, pridie eius diei, vt ſi ipſa eſſet, legantur.

Id videlicet ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine; iuxta quam pridie Feſti SS. Martyrum, illorum geſta recitabantur, vt quorum foret commemoratio inſequente die facienda, Fideles tempori admonerentur, inque Eccleſiam præcipuam, in qua Altare foret. vnà cum conditis ſub ipſo eorum Reliquiis, conuenirent, pernoctarent, celebrarentque Agapas (moderata ſcilicet illa, & commiſta hymnis, orationibuſque conuiuia) quò, ſicuti apud Prophanos dies natalitij virorum illuſtrium erant celebres; ita apud Chriſtianos celebres forent dies, quibus Sancti Martyres exitu glorioſo mortalem vitam coronantes in terra, vitæ immortali naſcerentur in Cælo; ex quo & tales dies appellati ſunt Martyrum Natalitia.

Legi porrò ſolebant geſta Martyrum ex ſpeciali Codice, quo, vt ex B. Gregorio intelligi licet, continebatur ſolùm Nomen, locus, & dies martyrij cuiuſque; cùm & adderetur interdum tum genus martyrij. tum ſub quo Tyranno. Talem Codicem in dies digeſtum dixit Tertullianus Chriſtianorum Faſtos; cùm præterea nempe haberentur Co-

dices

Tabula Temporaria Literarum Martyrologij.

Aur. Num.	Anni Domini.			Lit. Mart.	Aur. Num.	Anni Domini.				Lit. Mart.
1	1653	1672	1691	A	1		1710	1729	Sicque reliquo, & ſequente ſæculis.	P
2	1654	1673	1692	m	2		1711	1730		l
3	1655	1674	1693	D	3		1712	1731		C
4	1656	1675	1694	d	4		1713	1732		c
5	1657	1676	1695	q	5		1714	1733		p
6	1658	1677	1696	G	6		1715	1734		F
7	1659	1678	1697	g	7		1716	1735		f
8	1660	1679	1698	t	8		1717	1736		ſ
9	1601	1680	1699	N	9		1718	1737		M
10	1662	1681		k	10	1700	1719	1738		i
11	1663	1682		B	11	1701	1720	1739		A
12	1664	1683		b	12	1701	1721	1740		a
13	1665	1684		n	13	1703	1722	1741		m
14	1666	1685		E	14	1704	1723	1742		D
15	1667	1686		e	15	1705	1724	1743		d
16	1668	1687		t	16	1706	1725	1744		q
17	1669	1688		H	17	1707	1726	1745		G
18	1670	1689		h	18	1708	1727	1746		g
19	1671	1690		u	19	1709	1728	1747		t

dices ampliores, quibus geſta Martyrum fuſiùs deſcripta continerentur; quatenus mos erat omnium Eccleſiarum, vt Martyrum propriorum acta ſtudioſè conſcribi curarent. Atque id quidem, cæteris Romanam imitantibus, in qua, ab vſque S. Clemente, paucis poſt Apoſtolos annis, inſtituti fuere Notarij, qui paſſiones Martyrum colligerent, conſcriberent, & ad Subdiaconos, Diaconoſque, à quibus expendi, probarique poſſent, referrent.

Solebant verò adinuicem conſcripta geſta communicare, vt ſingulæ noſſe quid geſtum, non modò apud ſe, ſed etiam apud cæteras foret, poſſent; ac ea ratione eadem fieret apud omneis commemoratio. Eaſtant certè adhuc monumenta quædam tranſmiſſæ per Epiſtolas ſanctorum Martyrum Hiſtoriæ, ab Eccleſiis Lugdunenſi, Viennenſi, Smyrnenſi, Carthaginienſi, & aliis; fueratque talium hiſtoriarum facta inſignis collectio ab Euſebio Pamphili, cuius iacturam, quantum licuit, reſarcire conati ſunt, quotquot hactenus collegerunt, conſcripſeruntque, vt omnium Sanctorum, ita ſpeciatim Martyrum Vitas.

Vtcúmque ſit, Martyrologiũ legi in Eccleſia conſuetum, Codex ſemper fuit, non quales iſti copioſi ſunt, ſed qualem diximus, ex S. Gregorio, Martyrum hiſtorias compendioſiſſimè continere. Retinuit autem ſemper, ac etiamnum retinet nomen Martyrologij; tametſi temporis progreſſu inſerta in ipſum variè fuerit Sanctorum aliorum, putà Confeſſorum, Virginumque, memoria, & ab ipſis etiam initiis, Feſtorum Chriſti Domini. Quod verò, quatenus à nobis ſpectatum eſt, Romanum dicatur, non obſcura ſanè eſſe poteſt cauſa.

Cùm id ſcilicet fuiſſet primùm à S. Hieronymo editum, partim varij fuere Authores, qui ipſum variè amplificârunt, ac cœpit ideò Martyrologium Bedæ, Flori, Vſuardi, Vandeſberti, Adonis, cæterorum, dici; partim Eccleſiæ aliæ ipſum accipientes, ſic in ſuos vſus transformârũt, vt quot penè fuere Eccleſiæ, totidem habita, dictáque Martyrologia fuerint: Quare & fuit neceſſe, vt, quò vniformis Sanctorum apud omneis Eccleſias commemoratio fieret, Martyrologium à cæteris, quatenus fuerat in Romana conſeruatum, reſumeretur.

Gregorius ergo XIII. poſt Calendariũ reformatum, Martyrologium quoque Romanum ita emendauit, vt menſe Ianuario anni M. D. LXXXIV. Bullam emiſerit, in qua, *Mandamus*, inquit, *omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, &c. vt in peragendo in Choro Officio, omni alio Martyrologio amoto, hoc tantum noſtro vtantur, nulla re addita mutata, adempta. Si quos alios habuerint Sanctos in ſuis Eccleſiis, aut locis celebrari ſolitos, eos in hunc librum ne inferant, ſed ſeparatim deſcriptos habeant; eumque illis locum, atque ordinem tribuant, qui Regulis hic deſcriptus traditur.* Repetit etiam mox, *Aliorum Martyrologiorum omnium publicè, priuatimque in Eccleſiaſticis Horis, vſu interdicimus.*

Regulæ porrò, quas inſinuat, quæque in Bulla non continentur, ad eam reducuntur, quæ inter Rubricas Martyrologij extat, his verbis. *In Sanctis propriis particularium Eccleſiarum in hoc Martyrologio non appoſitis, qui in iis tantum Eccleſiis & locis, vbi præcipuè memoria eorum celebris habetur, legi poterunt, etiam primo loco, ſi de illis ibidem agatur Officium: ſi verò non agatur, poſt Sanctos in hoc Martyrologio deſcriptos, ordine ſuo; videlicet, Martyres poſt Martyres, Confeſſores poſt Confeſſores; & Virgines poſt Virgines.* Verùm hæc iam ſatis.

FINIS.

MANV

MANV-DVCTIO
AD THEORIAM,
SEV
PARTEM SPECVLATIVAM
MVSICÆ.

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO PRÆSVLI
CÆSARI D'ESTREES
LAVDVNENSI EPISCOPO
AC DVCI, FRANCIÆ PARI,
ANISIACI COMITI, ET ABBATI
B. MARIÆ DE LONGO-PONTE, &c.

PETRVS GASSENDVS χαίρειν ϗ εὐπράττειν.

ILLVSTRISSIME PRÆSVL,

Haudquaquam, opinor, miraberis me hoc qualicunque de Muſica Opuſculo Te interpellare, & majora dum tractas, Te ad ſtudia hæc viſa minora diuertere, quando conſertorum aliàs, cùm pro ſingulari tua bonitate dignareris inuiſere me, de Theoria Muſices ſermonum Te ſubierit cogitatio. Cùm quæſiiſſes nempe ex me, annon Matheſeos partis adeò nobilis vllibi meminerim, reſponderímque me quondam amico Viro, Muſico Aquenſi, vt gratificarer quidpiam excogitaſſe, adhortatus es, & precibus etiam adhibitis efflagitaſti, vt illud indigeſtum licèt, in lucem prodire ſinerem. Patior itaque, REVERENDISSIME PRÆSVL, & Tibi quidquid id ſit, do, dico, addico, quaſi quidpiam Tibi merito iure debitum, in certam obſeruantiæ meæ erga Te ſummæ, gratitudiníſque teſtationem: Quid enim abs me Tibi denegari poſſit, qui ſic me amas, vt meas lucubratiunculas non inſpicere modò, ſed commendare etiam non dedigneris? Quo ſit vt abundè mihi gratulaturus ſim, ſi

ex tantulo meo penu prodire queat aliquid, quod poſſit Eccleſiæ Principi tanto, tantáque eruditione ornatiſſimo non vndequaque diſplicere. Quoties autem, attendenti mihi ad tuum illum bonarum omnium literatum ſtudioſiſſimum animum, tuámque in litetatos omneis propenſiſſimam voluntatem, inſuſurrare illud in Te meritò ſubit contra mentem Poëtæ transformatoris:

Quàm bene conueniunt, & in vna ſede morantur
Majeſtas & amor——

quippe ſic ſentio, ſic dico, fecit Te natura majeſtate venerandum, fecit eadem Te indole amabilem; compoſuit ars ad grauitatem, compoſuit eadem ad comitatem; euexit Diuina Prouidentia ad Eccleſiaſticas dignitates, euexit eadem ad illum beneuolentiæ apicem, vnde animos omnium conciliaris: Quin-etiam ſi majeſtatem natura expreſſit, ars illam morum lenitate ſuauiſſimâ temperauit; ſi indidit amorem natura, ars illum morum grauitati continentiſſimæ miſcuit: Quòd ſi majeſtatem ſimul & amorem tam ars, quàm natura inſeuit, egit Prouidentia ſuas parteis, dum nec abjectione nimis familiari majeſtatem imminuit, neque elatione nimis inſolenti amorem ſede exturbauit: Enimverò ſi liceat primas alterutri concedere, ambigendum diu non eſt, ſuperat amor majeſtatem, nam id Tibi eſt maximè cordi, vt cordi ſis omnibus: Itaque efficis vt amor tanto magis obtineat, quanto mirè amabilem efficis ipſam majeſtatem, adeò vt quæ in aliis eſt, ſiue ad terrorem, ſiue ad odium compatata, fiduciam in Te prouocet, & beneuolentiam accerſat. Hæc aliàs vberiùs ſi Deus faxit mihi dicenda, cùm Tu volueris nulla re magis quàm amore abs me agnoſci. Patientet ergo feras quæ Te jubente Tyronibus Muſicæ ſum dicturus & tuam incomparabilem bonitatem deprecor & beneuolentiam depoſco.

MANV

MANV-DVCTIO AD THEORIAM, SEV PARTEM SPECVLATIVAM MVSICÆ.

CAPVT PROOEMIALE.

MVSICA eſt canendi, ſeu modulandi ars. Canere autem nihil aliud eſt, quàm vocem variè inflectere ſecundum varios acutiei, grauitatis, celeritatis, & tarditatis gradus: vnde & quia vox variis modis, modulíſue inflectitur, idem modulari, quod canere eſt. Sumitur verò hoc loco vox, quatenus eius ſignificatio non modò ad ſonum, qui ore emittitur, ſed etiam ad illum, qui organis exprimitur, extendi ſolet.

Ac eſt quidem vt ipſa vox, ita & cantus à natura; verùm quæ fuere obſeruationes circa cantus ſuauitatem, & aſperitatem factæ, pepererunt artem, quâ non-niſi ſuauiter, ſeu appoſitè ad demulcendum aureis caneretur. Quin-etiam homines exinde euexere ſe altiùs ad explorandum ſuauitatis, aſperitatíſque huiuſmodi cauſas; effectúmque eſt, vt præter praxin cantus, habita fuerit quaſi præcipua Muſicæ pars ſpeculatiua.

Hinc Muſica & inter arteis liberaleis connumeratur, noménque habet ab ipſis Muſis, quæ Deæ habentur cantus præſides; & vna ex quatuor primariis Matheſeos partibus habetur, id Arithmeticæ ſuper-addens, vt numeros non nudos, ſed canoros, & harmonicos ſpectet; quæ proinde eſt ipſi ſubiecta materies.

Videlicet cantus ad numerum procedit, modulíque numeri ſunt, quatenus non modò in ſingulari cantu varij gradus tam acutiei, quàm grauitatis diſcernuntur, ac variæ morulæ vnicuique ex his gradibus impenduntur; verùm maximè in compoſito cantu, ſeu concentu, proportio, ratiove certis numeris alligata interuenit; eſtque talis proportio ipſa harmonia, conſonantiave; vti & defectus proportionis huiuſcemodi diſſonantia eſt.

Quare & cùm ſingularis cantus ipſo concentu contineatur; & cõcentus, vt harmonicus ſit, proportione quadam numeris exprimenda conſtet; ideò dicturis compendioſè de Muſica, & maximè qua parte eſt ſpeculatiua, ducendum initium videtur ab iis Proportionibus, à quibus conſonantiæ pendent: ac tum, vbi ipſæ conſonantiæ expoſitæ fuerint, agendum cùm de appellatis Muſicæ generibus, tum de vocatis Cantus modis.

CAPVT PRIMVM.

De Proportionibus vniuerſè, & quatenus ad Harmoniam conferunt.

VT ergo à Proportionibus exordiamur; ſupponendum eſt ſolere hoc loco, & plerumque aliàs proportionis nomine intelligi, & quaſi confundi illa duo diſtincta apud Geometras, *rationem* atque *proportionem*. Verùm ne in voce hæreamus, poteſt proportio vel vt ſimplex, vel vt complexa accipi: priore enim modo eſt idem quod dicta Geometris *Ratio*, Græcè λόγος: poſteriore idem, quod dicta illis *Proportio* Græcè ἀναλογία.

De priore autem vt priùs dicatur, aliud nihil eſt proportio ſimplex, ſeu ratio, quàm relatio, ſeu habitudo duarum quantitatum generis eiuſdem comparatarum inter ſe. Debent autem quantitates eſſe eiuſdem generis, vt duæ lineæ, duæ ſuperficies, duo numeri, duo tempora; quoniam lineæ ad ſuperficiem, temporis ad lineam, & vt familiare eſt dici, finiti ad infinitum, nulla eſt proportio. Cum dico verò quantitates, res quoque ipſas intelligo, quæ ſecundùm aliquod genus quantitatis poſſunt comparari. Vt duos homines, ſi ſpectentur ſecundùm magnitudinem; duos calores, ſi ſecundùm intenſionem; quippe heic quoque quantitas quædam, numerus puta graduum intenſionis interuenit, ac pari modo cætera.

Diſtinguitur autem proportio hæc duplex, alia enim Æqualitatis, alia Inæqualitatis vocatur. Proportio æqualitatis eſt, quæ inter quantitates æquales verſatur, vt ſi pedalis linea comparetur cum pedali; trias cum triade, hora cum hora, &c. Proportio inæqualitatis, quæ inter inæqualeis, idque ſeu comparemus quantitatem maiorem cum

minore, vt lineam decem pedum cum linea vnius; decadem cum triade, diem cum hora: quo caſu proportio maiotis inæqualitatis dicitor; ſeu minorem cum maiote, & lineam pedalem cum decempedali, triadem cum decade, hotam cum die, quo caſn dicitur proportio minoris inæqualitatis.

Proportio maioris inæqualitatis ſubdiſtinguitur quintuplea, nempe Multipla, Superparticularis, Superpartiens, Multipla ſuperparticularis, Multipla ſnperpartiens.

Multipla eſt, cùm quantitas maior continet minorem aliquot vicibns præcisè, vt numerus 4. numerum 2. bis; numeros 9. numerum 3. ter, &c. (Numeros autem heic vſurpamus, quòd etiam vbi proportiones in cæteris quantitatis generibus vſurpaocrimos, eæ niſi per numeros eaplicari non valeant, vt comparando lineam 4. pedum ad lineam 2. tempus 9. horarum ad tempus 3. &c.) Denominatur portò ſpecies proportionis Mnltiplæ à numero illarum vicium, quibus maior quantitas ſuperat minorem. Sic enim proportio 4. ad 2. dicitur Dupla, quia 4. continet 2. duabus vicibus, proportio 9. ad 3. Tripla, quia cootinet tribus; proportio 16. ad 4. Quadrupla, quia continet qoatuor, atque ita de cæteris. Vnde & vocatus Arithmeticis Denominator, hoc eſt cyphra ſpeciem proportionis exprimens erit ipſa cyphra eaprimena vicium numerum: quo pacto Denominator propottionis Duplæ erit 2. Triplæ 3. Quadruplæ 4. &c.

Superparticularis, cùm qnantitas maior continet minorem ſemel, ac præterea eius aliquotam partem, vt numerus 3. numerum 2. numerus 4. numerum 3. Notum verò eſt partem aliquotam dici, quæ aliquoties ſumpta menſurat totum, eaæquaturve toti præcisè: quo pacto 1. eſt pars 2. quia 1. bis ſumptom exæquatur præcisè duobus; itémqoe 1. pars triom, quia ter ſumptum eaæquatur tribus. Solent autem ſpecies huius proportionis denominationem ſortiri ab aliquota huiuſmodi parte cum præmiſſa particula *Seſqui*. Sic enim proportio 3. ad 2. Seſquialtera dicitur, quia pars aliquota qua 3. eacedunt 2. hoc eſt 1. eſt altera pars ſeu dimidium duorum: proportio 4. ad 3. Seſquitertia; quia pars aliquota ſeu qua 4. abundat eſt tertia pars trium, ac pari ratione proportio 5. ad 4. Seſqui-quarta; 6. ad 5. Seſquiquinta, &c. Vnde & Denominator huioſmodi ſpecierum erit ciphra 1. ſignificans ſemel, cum appoſita ciphra eaprimente aliquotam partem; quo pacto Denominator Seſquialteræ erit $1\frac{1}{2}$. Seſqui-tertiæ $1\frac{1}{3}$. Seſqui-quartæ $1\frac{1}{4}$. &c.

Superpartiens, cùm quantitas maior continet minorem ſemel, ac præterea ipſius non aliquotam partem, ſiue parteis quæ ſimul ſumptæ non ſunt pars aliquota ipſius, vt numerus 5. numerum 3. ille enim hnnc continet ſemel, ac præteteà duo, quæ non ſunt pars aliquota trium. Solent autem ſpecies huius proportionis denominari à numero partiom excedentium interpoſito iſtis particulis *ſuper*, & *partiens*, ac minori ipſa quantitate ſnbjuncta. Ita nimitum proportio 5. ad 3. dicitur ſuperbipartiens tertias: proportio 8. ad 5. Supertripartiens quiutas: proportio 11. ad 7. Superquadripartiens ſeptimas, &c. Vnde & Denominator huiuſmodi ſpecierum eaprimi ſolet vnitate & numero partium eacedentium. Quo pacto denominator Superbipartientis tertias eſt $1\frac{2}{3}$. Supertripartientis quintas $1\frac{3}{5}$. Superqoadripartientis ſeptimas $1\frac{4}{7}$. &c.

Multipla Superparticularis, cùm quantitas maior continet minorem multis vicibus, ac præterea vnam aliquotam ipſius partem, vt numerus 5. numerum 2. ille enim hunc continet bis, ac præterea vnitatem, quæ eſt pars duorum aliquota. Specierum autem huius proportionis denominatio non alia eſt quàm ſpeciernm multiplæ, & ſuperparticularis conjunctio. Sic enim proportio 5. ad 2. dicitur Dupla ſeſquialtera: proportio 10. ad 3. Tripla ſeſquitertia. Proportio 9. ad 4. Dupla ſeſquiquarta, &c. Vnde & denominator ſpecierum huiuſcemodi ciphra erit exprimens vtramque, quo pacto denominator Duplæ ſeſquialteræ erit $2\frac{1}{2}$. Triplæ ſeſquitertiæ $3\frac{1}{3}$. Duplæ ſeſquiquartæ $2\frac{1}{4}$. &c.

Multipla ſuperpartiens, cùm quantitas maior continet minorem multis vicibus, ac præteteà parteis aliquot ipſius, vt numerus 11. numerum 4. ille enim hunc continet bis, ac præterea 3. quæ ſunt pars non aliquota ipſius. Species autem huius proportionis oon aliter denominantur quàm conjungeodo multiplæ, & ſuperpartientis denominatotis; ſic enim proportio 11. ad 3. dicitur Tripla ſuperbipartiens tertias: proportio 19. ad 5. Tripla ſuperquadripartiens quintas. Vnde & denominator non alius eſt, quàm qui eſt vtriuſque conjunctim: Quo pacto denominator duplæ ſuper-tripartientis quartas erit $2\frac{1}{4}$. triplæ ſuperquadripartientis quintas $3\frac{4}{5}$. &c.

Proportio Minoris inæqualitatis ſubdiſtinguitur etiam quintuplex, cùmque iiſdem nominibus, ſed particula *Sub*, præfiaa in hunc modum, Sub-multipla, Sub-particularis, Snb-partiens, Sub-moltipla Sub-particularis, Sub-multipla Sub-partiens.

Vnaquæque autem harum proportionum abundè intelligitur ea dictis; conſtat enim vt quantitate maiore continente minorem aliqnot vicibus præcisè proportio eſt multipla: ita minore contenta aliquoties præcisè in maiore eſſe Multiplam. Et vt maiore continente minorem ſemel cum aliquota eius parte eſt Superparticularis; ita minore contenta à majore ſemel, cum abundante aliquota parte eſſe Subparticularem, atque ita de cæteris.

Sic & denominatio ſpecierum cuiuſque non alia ratione vatiatur; nam vt proportio 4. ad 2. eſt dopla; ita 2. ad 4. ſubdnpla. Et vt proportio 3. ad 2. eſt ſeſquialtera; ita 2. ad 3. ſubſeſquialtera. Et vt proportio 5. ad 3. eſt ſuperbipartiens tertias; ita 3. ad 5. ſubbipartiens tertias. Et vt proportio 5. ad 2. eſt dupla ſeſquialtera: ita 2. ad 5. eſt ſubdupla ſubſeſquialtera: Et vt proportio 11. ad 4. eſt dupla ſupertripartiens quartas; ita 4. ad 11. eſt

eſt ſubdupla ſubtripartiens quartas.

Vnde & fit vt cùm denominatores illarum exprimantur numeris integris; aut integris cum adjuncta aliquota, aut non aliquota parte: denominatores iſtarum non exprimantur niſi fractionibus; quatenus numerus minor nunquam eſt niſi pars, vel complexus partium maioris. Quo pacto in ſpeciebus proportionis Submultiplæ denominatores erunt $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{3}$, $\frac{1}{4}$, &c. ita enim exprimitur, quoties minor numerus in maius continetur. In ſubparticulari verò $\frac{2}{3}$, $\frac{3}{4}$, $\frac{4}{5}$, &c. In ſpeciebus ſubpartientis $\frac{3}{5}$, $\frac{3}{8}$, $\frac{3}{11}$, &c. In ſpeciebus ſubmultiplæ ſubparticularis $\frac{2}{5}$, $\frac{3}{10}$, $\frac{4}{9}$, &c. In ſpeciebus ſubmultiplæ ſubpartientis $\frac{3}{14}$, $\frac{3}{13}$, $\frac{3}{11}$, &c. ſeribendo ſemper duorum numerorum inter quos eſt proportio, minorem ſuprà, maiorem infrà; vt intelligatur ſemper quoties, & qua præterea parte, quibuſve partibus minor numerus, minorve quantitas à maiore ſuperetur.

Non admoneo verò patere ex his, proportionem quamlibet maioris inæqualitatis maiorem eſſe qualibet minoris; quòd denominator in illa ſemper maior, in hac ſemper minor vnitate ſit. Idémque in genere Multiplæ, duplam eſſe minorem tripla, hanc quadruplà, &c. In Superparticulari ſeſquialteram eſſe maiorem ſeſqui-tertia, hanc ſeſqui-quintà, &c. Adnoto potiùs quamlibet proportionem exprimi aliquando numeris omnium minimis, & quaſi radicalibus, vt cùm dupla dicitur, quæ eſt 2. ad 1. ſeſquialtera, quæ 3. ad 2. interdum compoſitis; vt cùm dupla dicitur, quæ eſt 4. ad 2. 6. ad 3. 10. ad 5. Seſquialtera, quæ eſt 6. ad 4. 9. ad 3. 12. ad 4. atque ita de cæteris.

Notum verò eſt proportione datâ in numeris compoſitis reductionem fieri ad radicaleis, ſeu minimos, ſi maiorem duorum per minorem diuiſeris, & ſi opus fuerit minorem per fractionem ſuperſtitem; ac iſtam per ſuccedentem, quovſque fractio nulla ſuperſit: Tunc enim ſi per vltimam fractionem datos numeros proportionis diuiſeris, quotientes erunt numeri minimi proportionis datæ. Sic data proportione 81. ad 54. diuide 81. per 54. ſupererunt 27. diuide 54. per 27. nulla fractio ſupererit. Tum diuide per 27. tum 81. tum 54. quotientes prodibunt illeinc 3. heinc 2. qui erunt minimi numeri proportionis ſeſquialteræ, qualis inter 81. & 54. reperitur.

Supereſt iam ſumpta poſteriore modo proportio, quam nonnulli etiam dicere diſtinctionis gratiâ *Proportionalitatem* malunt. Ea verò diſtinguitur triplex, videlicet Geometrica, Arithmetica, & Harmonica.

Geometrica eſt, quæ verſatur inter quatuor numeros, quorum primus ad ſecundum eadem ſe ratione, aut proportione habet, quâ tertius ad quartum; idque ſiue numeri ſecundus & tertius ſint reipsâ diuerſi, veluti cùm dicimus vt ſe habent 2. ad 4. ita ſe habent 5. ad 10. vnde dicitur proportio disjuncta: ſiue ſecundus & tertius ſint idem bis ſumptus, veluti cùm dicimus, vt ſe habent 2. ad 4. ita ſe habent 4. ad 8. vnde dicitur proportio conjuncta. Nempe in priore caſu proportio dupla quæ eſt 2. ad 4. eſt veluti ſejuncta à dupla quæ eſt 5. ad 10. at in poſteriore quæ dupla eſt 2. ad 4. eſt veluti cohærens cum duplâ quæ eſt 4. ad octo.

Hæc verò continuari quantumlibet poteſt aſſumptis ſemper numeris eandem proportionem continenter ſeruantibus, vt ſi quis dicat 1. 2. 4. 8. 16. 32. 64. 128. vbique enim proportio interuenit dupla vel 1. 3. 9. 27. 81. 243. 729. vbique enim interuenit tripla, vel 1. 4. 8. 16. 64. 256. 1024. vbique enim interuenit quadrupla; atque ita de cæteris.

Arithmetica eſt, quæ verſatur inter treis, aut pluréis numeros, qui differentia æquali procedunt. Talis eſt inter 1. 2. 3. 4. 5. quia omnes iſti numeri differunt inter ſe vnitate. Talis inter 2. 4. 6. 8. 10 &c. quia omnes iſti differunt binario. Talis inter 3. 6. 9. 12. 15. qui omnes iſti differunt ternario. Talis inter quoſlibet alios. Ex quibus licet intelligi proportionem Arithmeticam eſſe magis propriè progreſſionem quandam per æqualia, aut differentiarum æqualitatem, quàm proportionem.

Harmonica eſt, quæ verſatur inter treis numeros ſic diſpoſitos, vt quæ eſt proportio maximi ad minimum talis ſit differentiæ maximi à medio, ad differentiam medij à minimo. Talis eſt inter hos numeros 6. 4. 3. quoniam vt ſex maximus numerus ad 3. minimum ita 2. differentia inter ſex & 4. ad 1. differentiam inter 4. & 3. Talis inter 15. 12. 10. quoniam vt 15. ad 10. ita 3. differentia inter 15. & 12. ad 2. differentiam inter 12. & 10.

Prætereo autem proportionem quam nonnulli vocant Antiharmonicam, eam eſſe, quæ verſatur inter tres numeros, ita diſpoſitos, vt eadem ſit proportio numeri maximi ad minimum, quæ eſt differentiæ minimi à medio ad differentiam medij a maximo. Talia eſt inter 6. 5. 3. vt enim ſe habent 6. ad 3. ita 2. differentia numeri minimi 3. ad medium 5. ſe habent ad 1. differentiam medij 5. à maximo 6.

Operæ-pretium porrò eſt noſſe, quatenus quæ vulgò dicuntur Arithmeticæ operationes hiſce interuenire Proportionibus valeant.

Ac imprimis quidem Additio, aut Compoſitio potiùs tum fit, cùm duabus (aut etiam pluribus) proportionibus datis maior vnius numerus in maiorem alterius, & minor in minorem ducitur; ita nimirùm duo producta compoſitam exhibent proportionem. Exempli gratiâ, ſi addere, componeréve ſeſquialteram, & ſeſquitertiam compoſitionem velis, numeros illarum diſpone, vt heic habes, duc 3. in 4. habebis 12. duc 2. in 3. habebis 6.

3	4
2	3
12	6

Producta 12. & 6. exhibent proportionem duplam, quæ proinde ex ſeſquialtera, & ſeſquitertia componitur.

Subtractio deinde tum fit, cùm duabus proportionibus datis, maior vnius numerus in minorem alterius, & minor in maiorem ducitur; ita ſcilicet duo producta

proportionem reſiduam oſtendunt. Exempli gratiâ, ſi ex proportiooe ſeſquialtera ſubtrahere velis ſeſquitertiam, oumeros diſpone, vt heic vides. Due 3. in 3 habebis 9. due 2. in 4. habebis 8. Duo producta 9. & 8. proportionem ſeſqui octauam indicant, quæ remanet ex ſeſquialtera, vbi ſubduxeris ſeſquitertiam.

3	2
4	3
9	8

Multiplicatio autem vel potiùs Continuatio proportionum poteſt fieri aut vnius ſolùm, v.g. Seſquialteræ, aut plurium, v.g. ſeſquialteræ, & ſeſquitertiæ.

Continuatio eiuſdem proportionis tum fit, cùm numerus illius maior quadratè ducitur, & minor conſimiliter, ac tandem alter in alterum; ſi enim tertium hoc productum inter duo alia collocaueris, treis habebis numeros, quorum vt primus ad ſecundum, ita ſecundus erit ad tertium. Exempli gratiâ, ſi geminare, aut contiouare ſemel velis proportionem ſeſquialteram, duc, vt heic vides, 3. in ſe, habebis 9. due 2. in ſe, habebis 4. due 3. in duo babebis 6. quod productum vbi inter 9. & 4. collocaueris, habebis proportionem ſeſqui-alteram ingeminatam.

3		2
9	6	4

Si lubeat ita continuare, vt habeas 4. numeros proportionem eandem ſeruanteis; peracta priore obſeruatione, ac numeris manentibus, duc primùm in allato exemplo (ac pari modo in cæteris) vt heic habes 3. in 9. & 3. in 6. ac deinde etiam 2. in 6. & 2. in 4. ac ita expetitos numeros habebis, qui vt vides, erunt 27. 18. 12. 8.

3			2
9	6		4
27	18	12	8

Si ita lubeat, vt habeas quinque; prima adhuc obſeruatione, ac numeris iiſdem retentis, ac vt pergamus rem declarare in exemplo propoſito, cùm par ſit ratio in cæteris, duc quadratè 9. itémque 6. itémque 4. duc poſteà 9. in 6. & productum colloca inter duo priora, ac denique 6. in 4. & productum repone inter duo poſteriora; ac ita habebis numeros expetitos, oempe 81. 54. 36. 24. 16.

3				2
9		6		4
81	54	36	24	16

Continuatio verò diuerſarum, tum fit, cùm numerus maior ſecondæ ducitur primò in maiorem primæ, ſecundò in minorem eiuſdem; ac tertio loco minor primæ in minorem ſecundæ. Sic enim producta tres numeri ſunt; quorum primus ad ſecundum priore requiſitarum proportionum eſt; ſecundus ad tertium, poſteriore. Exempli gratiâ ſi contiouare ſeſquialteram, & ſeſquitertiam velis, diſpone primùm numeros, vt heic vides. Due 4. in 3. erunt 12. due 4. in 2. erunt 8. due 3. in 2. erunt 6. habebis ergo treis numeros 12. 8. 6. quorum primus ad ſecundum proportione ſeſquialtera erit, ſecuodus ad tertium ſeſquitertia.

3	4	
2	3	
12	8	6

Si continuare autem adhuc aliam v.g. his duabus ſeſqui-tertiam velis; retentis iiſdem numeris adde, vt heic vides, numeros proportionis ſeſqui-quartæ; ac numerum maiorem 5. duc in 12. in 8. in 6. & minorem 4. in minimum horum videlicet 6. ac ita habebis quatuor numeros 60. 40. 30. 24. quorum primus ad ſecundum erit proportione ſeſquialtera; ſecundus ad tertium ſeſquitertia; tertius ad quartum ſeſquiquarta.

3	4		5
2	3		4
12	8	6	
60	40	30	24

Diuiſio denique locum habet in ſingulis tribus proportionum, ſeu proportionalitatum generibus, hoc eſt tam in Geometrica, quàm Arithmetica, & Harmonica.

Quanquam Diuiſio Geometrica oon poteſt propriè peragi niſi in multipla proportione; ac ne in omni quidem, ſed in ea ſolùm quæ hinc quadratum numerum, hinc vnitatem habet; cuiuſmodi eſt verbi cauſà Quadrupla, Nonupla, Sedecupla, &c. hæc autem Diuiſio oon aliter fit, quàm accipieodo radicem quadratam, ipſam conſtituendo inter vnitatem & quadratum numerum; ſic enim proportio in duas eiuſdem inter ſe rationis proportiones diuiditur, exempli gratiâ, Quadrupla interpoſitione radicis 2. inter 4. & 1. diuiditur in duplam, quæ eſt 4. ad 2. & duplam quæ 2. ad 1. ſic Nonupla interpoſitione radicis 3. inter 9. & 1. diuiditur in triplam, quæ eſt 9. ad 3. & triplam, quæ 3. ad 1. atque ita de cæteris.

Diuiſio autem Arithmetica non aliter fit, quàm addendo duos proportionis numeros, & accipiendo dimidium; quippe id dimidium proportione Arithmetica, hoc eſt æquali differentia inter duos numeros cadet, quorum cum maiore minorem, cum minore maiorem proportionem creabit, exempli gratiâ vt dimidatur proportio, quæ eſt 8. ad 10. adde hos numeros, habebis 18. accipe dimidium huius, hoc eſt 9. ipſum 9. inter 8. & 10. poſitum aberit ab vtroque æquali differentia, vnitate videlicet; & numerus maior cum ipſo conſtituet proportionem Seſqui-nonam, quæ eſt minor, ipſum cum 8. Seſqui-octauam, quæ maior.

Quod ſi numerorum datæ proportionis alter fuerit impar, aut numeri ſint radicales, qui vnitate ſola differant, ita vt aggregatum duorum etiam impar ſit, nec ſecari in dimidia poſſit; nihil aliud quàm ſunt duplicandi numeri, ac poſteà addendi; additi enim dimidium inter duplicatos collocatum idem præſtabit. Exempli gratiâ, vt diuidatur proportio Seſqui-altera, cuius termini ſunt 3. & 2. duplica vtrumque habebis 6. & 4.

iſta

iſta duo adde, habebis 10. accipe dimidium vt puta 5./ipsúmque inter 6. & 4. repone: aberit ab vtroque æquali differentia, & 6. cum ipſo proportionem ſeſqui-quintam conſtituet, ipſum cum 4. ſeſqui quartam.

Diuiſio denique Harmonica tum fit cùm data proportio diuiditur primùm Arithmeticè, vt iam dictum eſt: ac deinde ex habitis tribus numeris medius ducitur primo loco in primum, ſecundo loco in tertium; ac poſtremò tertius ducitur in primum. Ita enim productum tertium inter duo alia collocatum duas proportiones creabit: vnam maximi numeri ad medium, aliam medij ad minimum: & quæ aliunde proportio maximi ad minimum erit, eadem differentiæ inter maximum & minimum ad differentiam inter medium, ac minimum reperietur.

Exempli gratià, vt dupla proportio diuidatur Harmonicè, diuide primam illam Arithmeticè & habitis tribus hiſce numeris, 4, 3, 2, duc 3. in 4. habebis 12. duc 3. in 2. habebis 6. duc 4. in 2. habebis 8. qui collocatur inter extremos, exhibebunt hanc ſeriem 12.8.6. ſeu reducendo, 4.3. ſicque habebitur Harmonica duplæ diuiſio, in duas proportiones vt puta ſeſqui alterá, quæ eſt ipſorum 6. ad 4. & ſeſqui-tertiam, vtpote 4. ad 3. Harmonica autem proportio, quatenus proportio ad 3. erit dupla, vt ipſum 2. (quæ eſt differentia inter 6. & 4.) dupla eſt ad 1. (quæ eſt differentia inter 4. & 3.)

Sic & Seſqui-altera proportio diuidatur Harmonicè: vbi ipſam Arithmeticè diuiſeris, hoſque treis numeros 6. 5. 4. habueris diſpone enim illos, vt heic vides; ac deinde duc 5. in 6. habebis 30. duc 5. in 4. habebis 20. duc 6. in 4. habebis 24. quod productum vbi inter alia duo collocaueris tres hoſce numeros habebis 30. 24. 20. quorum primus eſt ad ſecundum proportione ſeſqui-quarta, ſecundus ad tertium ſeſqui quinta: cùm & conſtet treis numeros proportione Harmonicâ, ideò eſſe, quòd quæ eſt proportio maximi ad minimum videlicet ſeſqui-altera, eadem ſit differentiæ maximi à medio, vt putà 6. ad differentiam medij à minimo, vt putà 4. hoc igitur modo proportio ſeſqui-altera manet harmonicè diuiſa.

6	5	4
30	24	20

Hiſce autem præmiſſis adnotandum eſt imprimis omnem numerum, quo proportionis alicuius numeri multiplicantur, aut diuiduntur, creare numeros proportionem eandem ſeruanteis, exempli gratiâ, multiplicentur numero 5. duo numeri proportionis ſeſqui-alteræ 3. & 2. producentur 15. & 10. Eſt verò etiam inter duos hoſce numeros proportio ſeſqui-altera. Sic numero 4. diuidantur 12. & 8. inter quos eſt proportio ſeſqui-altera; quotientes erunt 3. & 2. qui in eadem ſunt proportione.

Deinde, proportionem extremorum ex mediis proportionalibus, vt ſui partibus componi, exempli gratiâ, proportionem, quæ eſt inter 6. & 3. videlicet Duplam, ex ſeſqui-quinta, quæ eſt 6. ad 5. ex ſeſqui-quarta, quæ eſt 5. ad 4. & ex ſeſqui-tertia, quæ eſt 4. ad 3. aut ſi mavis ex ſeſqui-altera, quæ eſt 6. ad 4. & ſeſqui-tertia, quæ eſt 4. ad 3. aut ſi magis lubeat ex ſeſqui-quinta, quæ eſt 6. ad 5. & ex ſuperbipartiente tertias, quæ eſt 5. ad 3. Quare & compoſitam proportionem diuidi reciprocè poſſe in proportionalia media, ex quibus compoſita eſt; vti dupla in ſeſqui-quintam, ſeſqui quartam, ſeſqui tertiam; aut in ſeſqui-alteram, & ſeſqui-tertiam; aut in ſeſqui-quintam, & ſuperbipartientem tertias. Vnde & ſequitur, vt poſitis tribus numeris proportio inter extrema major ſit, quàm inter medium & vtrumlibet extremorum, exempli causâ, poſitis numeris 4. 3. 2. proportio inter 4. & 2. quæ eſt dupla, maior eſt proportione inter 4. & 3. quæ eſt ſeſqui-tertia, aut inter 3. & 2. quæ eſt ſeſqui-altera.

Ad-hæc, quia proportio nihil aliud eſt, quàm Interuallum, ſeu diſtantia, inter duos numeros intercepta, differentia videlicet, qua maior minorem excedit, aut minor à maiore exceditur; ac proportiones ſolent plerumque hoc in negotio nomine Interuallorum exprimi, ideò poſſe ex hoc hæc quæ inſequuntur ex ſuperioribus deduci.

Interuallum Duplum diuiſum harmonicè, ſeſqui-alterum, & ſeſquitertium creat; hinc nempe interuallum 4. ad 3. illinc 3. ad 2. vt conſtat ex praxi iam expoſita, duplicando nempe numeros proportionis duplæ, 2. & 1. vt habeantur 4. & 2. inter quæ 3. medium Arithmeticum cadat. Quare & Interuallum Duplum ex ſeſqui-altero, & ſeſqui-tertio componitur.

Interuallum Seſqui-alterum harmonicè diuiſum ſeſqui quartum & ſeſqui-quintum creat; vt ex eadem praxi manifeſtum eſt. Quare & Interuallum ſeſqui-alterum ex ſeſqui-quarto, & ſeſqui-quinto componitur.

Interuallum Seſqui-quartum harmonicè diuiſum, ſeſqui-octauum, & ſeſqui nonum creat, ex eadem praxi. Quare & Interuallum ſeſqui-quartum ex ſeſqui-octauo & ſeſqui-nono componitur.

Interuallum duplum, & ſeſqui-alterum ſimul iuncta creant Triplum, multiplicando enim majores vtriuſque proportionis numeros productum fit 6. & multiplicando minores productum fit 2. conſtat autem 6. ad 2. proportionem triplam eſſe.

Si ex interuallo Seſqui-altero Seſqui-tertium ſubtraxeris, ſupererit ſeſqui-octauum, vt ſcilicet 9. ad 8. (Praxis autem nota eſt ex ante-dictis.) Quare interuallum ſeſqui-octauum ipſa erit inter ſeſqui-alterum, & ſeſqui-tertium differentia.

Si ex Seſqui-tertio Seſqui-quartum ſubtraxeris, ſupererit ſeſqui-quindecimum; vt nempe 16. ad 15. Quare ſeſqui quindecimum differentia inter ſeſqui-tertium, & ſeſqui-quartum erit.

Si ex Seſqui-quarto ſeſqui-quintum ſubtraxeris, ſupererit ſeſqui-vigeſimum quartum; vt nempe 25. ad 24.

Quare Seſqui-vigeſimum quartum differentia inter ſeſqui-quartum & ſeſqui quintum erit.

Si ex Seſqui-octauo ſeſqui-nonum ſubtraxeris, ſupererit ſeſqui-octogeſimum; vt nempe 81. ad 80.

Quare Seſqui-octogeſimum differentia inter ſeſqui-octauum, & ſeſqui-nonum erit.

Si ex Seſqui-quindecimo ſeſqui-vigeſimum quartum ſubtraxeris, ſupererit ſupertripartiens centeſimas vigeſimas quintas; vt nempe 128. ad 125. iuxta eandem praxim.

Quare ſupertripartiens centeſimas vigeſimas quintas differentia erit inter ſeſqui-quindecimum, & ſeſqui vigeſimũ quartum.

Duo interualla Seſqui-octaua ſunt minora vno ſeſqui-tertio; ſed maiora vno ſeſqui-quarto. Etenim duo interualla ſeſqui-octaua continuata iuxta relatam antè praxin, ſunt ex. gr. inter iſtos treis numeros 81. 72. 64. Extremi autem, ad complectendum interuallum ſeſqui-tertium, eſſe deberent 81. & 54.

Interuallum ergo eſt minus (differentia nempe) qua 81. & 54. diſtant ad complectendum autem ſeſqui-quartum, eſſe deberent 80. & 64. interuallum ergo eſt maius (differentia nempe, qua diſtant 81. & 72.)

Tria interualla ſeſqui-octaua ſunt maiora vno ſeſqui-tertio, ſed minora vno ſeſqui-altero. Etenim tria interualla ſeſqui-octaua continuata habent pro numeris extremis, iuxta praxin expoſitam, 729. & 512. quæ interuallo maiore diſtant, quàm 729. & $546\frac{1}{4}$. quæ in proportione ſeſqui-tertia ſunt, & minore, quàm 729. & 486. quæ ſunt in ſeſqui-altera.

Quatuor interualla ſeſqui-octaua excedunt ſeſqui-alterum. Etenim quatuor ſeſqui-octaua continuata habent ex eadem praxi pro numeris extremis 6561. & 4096. quæ interuallo maiore diſtant, quàm 6561. & 4374. quæ in proportione ſeſqui-altera ſunt.

Quinque interualla ſeſqui-octaua ſunt minora duplo. Etenim quinque ſeſqui-octaua habent ex eadem praxi pro numeris extremis 59049. & 32768. quæ minore interuallo diſtant, quàm 59049. & $29524\frac{1}{2}$. quæ in proportione ſunt dupla.

Sex interualla ſeſqui octaua exſuperant duplum. Etenim ſex ſeſqui-octaua continuata habent ex eadem praxi pro numeris extremis 531441. & 262144. quæ maiore interuallo diſtant, quàm 531441. & $265720\frac{1}{2}$. quæ in dupla ſunt proportione.

Sed hæc pauca, quaſi in exemplum, quatenus iis, quæ inſequuntur neceſſaria ſunt, deducta ſufficiant.

Capvt II.

De Conſonantiis, earumque partibus ad ſuas proportiones relatis.

Nunc cùm de proportionibus Conſonantiarum cauſà dictum ſit: ſuppono ſolùm Conſonantiam nihil eſſe aliud, quàm compoſitionem, miſturámque duorum ſonorum, alterius grauis, alterius acuti, qui autem vniformiter, ſuauitérque afficiant. Dico autem alterius grauis, alterius acuti; quoniam ſi nulla grauitatis, acutiei-ve diuerſitas ſit, tunc non tam Conſonantia, quàm vniſonantia eſt, quemadmodum ipſa corpora quæ ſonant non tam conſona dicuntur, quàm vniſona.

Intelligimus verò Conſonantiam idcircò debere in proportione quadam conſiſtere, quòd non omnis duorum ſonorum compoſitio auribus grata, organóve auditus congrua ſit, ſed aliqua etiam ingrata, atque diſcrepans, vnde & Diſſonantia vocatur: proſus vt oporteat duos ſonos Conſonantiam creanteis certa ratione commenſurati, proportionémve inter ſe tueri, quam non tueantur, qui creant diſſonantiam.

Cæterùm quia res non poteſt meliùs exprimi, quàm aſſumendo duas chordas æqualis longitudinis, quibus ſupra idem inſtrumentum tenſis, effectiſque vniſonis vna tota cum variis alterius partibus pulſetur; ſic enim efficientur duo ſoni, vnus grauis chordæ totius, alius acutus partium alterius; idcircò lubet rem declarare duabus inſequenteis lineis, quarum AB intelligatur chorda integra; CD verò chorda diuiſa; ſed diuiſione nempe ſubtus in ipſo organo ſic notata, vt chorda digito ad notam diuiſionis preſſa, ac ſuppreſſa adeò parte illius verſus C reliqua verſus D ſimul cum tota AB pulſetur.

Ad comparationem, ac vt poſſint variæ proportiones intelligi ſufficere poſſet ſola chorda CD; quippe ipſa tota cum ſuis partibus comparata, eaſdem proportiones quas cum iiſdem partibus comparata alia diuerſa, adeò proinde, vt ſatis eſſe Monochordon organum poſſet; verùm non poſſent duo ſoni alter grauis, alter acutus, niſi ſuccedenter audiri, quando non poſſent tota & pars niſi ſuccedenter pulſari. Et quamuis duæ partes diſcernículo ad diuiſionem compoſito pro duabus chordis haberi poſſint, ſi nempe hinc inde ſimul pulſarentur; vt ſi ad audiendum ſonum proportionis duplæ, quæ eſt 2. ad 1. diuideretur chorda in treis parteis (quaſi 2. & 1. coniunctis) & hinc duæ, hinc vna pulſarentur ſimul, aut ſi ad audiendum in ſeſqui-altera quæ eſt 3. ad 2. diuideretur chorda in quinque (quaſi 3. & 2. iunctis) & hinc tres pulſarentur, hinc duæ; atque ita de cæteris; nihilominus quia res præſtatur diſtinctis chordis longè commodiùs ac tanto magis, quanto omnes ſoni acuti ex comparatione ad eundem grauem explorantur; ideò rem organo dichordo repræſentare ſatius eſt.

Et quia exhibendæ proportiones ſunt non [illegible] Conſonantiarum, ſed earum etiam partium, ex quibus conſonantiæ ſic conſtant, vt quamuis ſeorſim Conſonantes ſint, coniunctim tamen tales euadant; eapropter eadem chorda CD ita diuidi poterit, vt per ipſam omnes proportiones exhibeantur.

Itaque vt primùm tam duplam, quàm minores omnes proportiones habeas; ſic diuide totam C D vt C E ſit dimidium, ſeu duarum partium

B D

	Tota chorda AB eſt ad parteis heie adnotatas verſus D. Vt	Proportiones, quibus tota AB ſe habet ad parteis chordæ CD deſignatas verſus ipſum D.	Sonorum Interualla dicta iuxta Græcos.	Iuxta Latinos, & Practicos.
h	8 ad 1	Octupla.	Triſdiapaſon.	Vigeſima ſecũda
g	20 ad 3	Sextupla ſuperbip. 3as.	Diſdiap. hexach. mai.	Vigeſima maior.
f	32 ad 5	Sextupla ſuperbip. 5as.	Diſdiap. hexach. minus.	Vigeſima minor.
e	6 ad 1	Sextupla.	Diſdiap. diapente.	Decima-nona.
d	16 ad 3	Quintupla ſeſqui tertia.	Diſdiap. diateſſaron.	Decima-octaua.
c	5 ad 1	Quintupla.	Diſdiap. ditonus.	Decima-ſept. ma.
b	24 ad 5	Quadtupl. ſuperquadip. 5as.	Diſdiap. ſemiditonus.	Decima-ſept. mi.
a	4 ad 1	Quadrupla.	Diſdiapaſon.	Quinta-decima.
Z	10 ad 3	Tripla ſeſqui-tertia.	Diapaſon hexachord. mai	Decima-tert. ma.
Y	16 ad 5	Tripla ſeſqui-quinta.	Diapaſon hexachord. mi.	Decima-tert. mi.
X	3 ad 1	Tripla.	Diapaſon diapente.	Duodecima.
V	8 ad 3	Dupla ſuperbipart. 3as.	Diapaſon diateſſaron.	Vndecima.
T	5 ad 2	Dupla ſeſqui-altera.	Diapaſon ditonus.	Decima-maior.
S	12 ad 5	Dupla ſuperbipart. 5as.	Diapaſon ſemiditonus.	Decima minor.
E	2 ad 1	Dupla.	Diapaſon.	Octaua.
K	5 ad 3	Superbipartiens tertias.	Hexachordon maius.	Sexta maior.
L	8 ad 5	Superbipartiẽs quintas.	Hexachordon minus.	Sexta minor.
F	3 ad 2	Seſqui-altera.	Diapente.	Quinta.
G	4 ad 3	Seſqui-tertia.	Diateſſaron.	Quarta.
H	5 ad 4	Seſqui-quarta.	Ditonus.	Tertia maior.
I	6 ad 5	Seſqui-quinta.	Semiditonus.	Tertiã minor.
M	9 ad 8	Seſqui-octaua.	Tonus maior.	Secunda maior.
N	10 ad 9	Seſqui-nona.	Tonus minor.	Secunda maior.
O	16 ad 15	Seſqui-quindecima.	Hemitonium mai.	Secunda minor.
P	25 ad 24	Seſqui-vigeſima quarta.	Hemitoniũ mi. ſeu Dieſis mai.	Secunda minor.
R	128 ad 125	Supertripartiens 125as.	Dieſis minor.	
Q	81 ad 80	Seſqui-octogeſima.	Comma.	

A C

partium

partium altera CF triens, ſeu vna tertia, CG vna quarta, CH, vna quinta, CI vna ſexta; CK ſint duæ quintæ, CL tres octauæ, CM ſit vna nona, CN vna decima; CO vna decima ſexta; CP vna vigeſima quinta CQ vna octogeſima prima; CR ſint tres centeſimæ vigeſimæ octauæ.

Diuiſio autem facilè peragetur, ſi vbi totam ſemel diuiſeris in parteis duas ad E, in treis ad F, in quinque ad H, tum dimidium CE in duo dimidia diuiſeris; ſic enim habebis CG, & hoc in duo; ſic enim iſtorum alterum triplicando habebis CL, & ſubdiuidendo in duo habebis CO; hoc autem ſi in duo ſubdiuiſeris, & horum vnum in alia duo, ac deinde vnum iſtorum in duo; duas habebis particulas, quarum vnam ſi ter ſumpſeris, habebis CR. Pari autem ratione trientem CF bipartite, habebis CI, eandem CF tripartite, & habebis CM, quam ſi rurſus in treis parteis ſubdiuiſeris, ac vnam iſtarum in tres, habebis CQ. Pari denique modo, duplica CH, habebis CK, eandem CH bipartire habebis CI, eandemmet CH diuide in quinque, habebis CP.

Deinde vt majores duplâ proportiones obtineas, accipe ex ordine dimidia interuallorum CI. CH, CG. CF, CL, CK, CE, ipſáque transfer ab E verſus D, & chordam diuide, qua ex ordine terminabuntur, ſcilicet ad S, T, V, X, Y, Z, a. Accipe & pari ratione dimidia interuallorum ES, ET, EV, EX, EY, EZ, Ea, ipsaque transfer ab a verſus D, & chordam qua terminabuntur, diuide ad b, c, d, e, f, g, h. Neque verò ſecus licebit ſi lubeat accipere iſtorum interuallorum dimidia, transferréque vlteriùs. Quòd dimidia autem interuallorum CM, CN, aliorúmque minorum non tranſtulerimus, fecimus vitandæ confuſionis gratiâ; cùm & ſufficiat intelligi poſſe rem perinde præſtari.

Nihil porrò eſt accipi vbique inter ſubdiuidendum dimidia; quoniam vt CE eſt dimidium totius AB, ita E a eſt dimidiū ipſius CE, & a h eſt dimidium ipſius E a, atque ideò neceſſe eſt omneis parteis proportionaleis, quæ ſunt ab E vſque ad a eſſe dimidia earum, quę ſunt a b a, vſque ad E; ac pari modo omnes quæ ſunt ab a, vſque ad h, dimidia earum quæ ab E vſque ad a, vti & reciprocè omnes quæ ſunt à C ad E ſunt duplæ earum quæ ab E ad a, & quæ ſunt ab E ad a, duplæ earum, quæ ab a ad h. Quanquam inter comparandum totam chordam AB cum partibus chordæ CD accipere ſemper oportet parteis reſiduas verſus D; intelligendum eſt enim AB duplam eſſe ipſius ED, quadruplam ipſius a D octuplam ipſius h D; ac pari modo ſeſqui alteram ad FD, triplam ad XD, ſextuplam ad e D, atque ita de cæteris.

Hinc cum ordine quoſdam quatuor ad dextram linearum appoſuerim, vides in primo exprimi cyphris proportiones chordæ totius AB, ac ſingulas parteis chordæ CD quæ à ſingulis diuiſionum punctis ad vſque D intercipiuntur; in ſecundo autem diſertè ac nominibus propriis exprimi ſpecies proportionum.

Hiſce præmiſſis facile erit intelligere quod de Conſonantiis, partibuſque earum, vt cœpimus iam dicere, ita deinceps dicendum erit.

Idcircò enim tertium, quartúmque ordines illis tribuimus, efferendo ipſas in tertio Græcis, antiquiſque nominibus, in quarto Latinis & recentibus, quatenúſque vulgò apud Practicos enunciantur, vt vno proſpectu appareat ad quam-nam ſpeciem proportionis vnaquæque Conſonantia, aut illius pars referatur.

Cum diſtingui autem Conſonantiæ in Simplices, & Compoſitas ſoleant, & Simplices habeantur, quæ conſiſtunt in proportione dupla aliiſve minoribus; & Compoſitæ, quæ in maioribus dupla, ideò ſciendum eſt ſimpliceis diſtingui olim ſolitas treis duntaxat; quibus & fuere nomina impoſita *Diapaſon, Diapente,* & *Diateſſaron*; recentiùs verò agnitas fuiſſe, habitaſque præterea quatuor, duæ infrà Diateſſaton vt puta *Ditonus* & *Semiditonus*, & duæ ſuprà Diapente, vt puta *Hexachordon minus*, & *Hexachordon maius*; vnde & euaſere ſimplices Conſonantiæ ſeptem.

Ex ipſis verò Diapaſon conſiſtit in proportione dupla, ſeu qualis eſt 2. ad 1. adeò vt ſi pulſes ſimul chordam AB & chordam ED, auditurus ſis duos ſonos conſonos, alterum grauem, chordæ AB, alterum acutum chordæ ED, qui in conſonantiam Diapaſon coaleſcant. Suppono autem, vt iam admonui, totam chordam AB, & totam CD, eſſe perfectè vniſonas.

Hexachordon minus in proportione ſupertripartiente quintas, ſeu qualis eſt 8. ad 5. adeò vt ſi ſimul pulſes chordam AB, & chordam LD, auditurus ſis conſonantiam Hexachordon minus.

Hexachordon maius in proportione ſuperbipartiente tertias, ſeu qualis eſt 5. ad 3. adeò vt ſi ſimul pulſes chordam AB, & chordam KD, auditurus ſis conſonantiam Hexachordon maius.

Diapente in proportione ſeſqui-altera, ſeu qualis eſt 3. ad 2. adeò vt ſi ſimul pulſes chordam AB, & chordam FD, auditurus ſis conſonantiam Diapente.

Diateſſaron in proportione ſeſqui-tertia, ſeu qualis eſt 4. ad 3. adeò vt ſi ſimul pulſes chordam AB, & chordam GD, habiturus ſis conſonantiam Diateſſaron.

Ditonus in proportione ſeſqui-quarta, ſeu qualis eſt 5. ad 4. adeò vt ſi ſimul pulſes chordam AB, & chordam HD, auditurus ſis conſonantiam Ditonum.

Semiditonus in proportione ſeſqui-quinta ſeu qualis eſt 6. ad 5. adeò vt ſi ſimul pulſes chordam AB, & chordam ID, auditurus ſis conſonantiam Semiditonum.

Vt cohærenter autem dicamus de Interuallis minoribus, quæ ſunt quaſi partes ex quibus conſonantiæ huiuſcemodi conſtant, aut quibus mutuò differunt (appellant aliqui etiam gradus.)

Eæ iam agnoſcuntur potiſſimum, *Tonus maior, Tonus minor, Hemitonium maius, Hemitonium minus,* ſeu *Dieſis maior,* denique *Dieſis minor,*

pulſes totam CD (niſi mauis AB) & mox chordam partemve MD Tonum majorem ſis percepturus.

Tonus minor in proportione Seſqui-nona, ſeu qualis eſt 10. ad 9. adeò vt ſi pulſes primò totam CD, & mox partem ND, percepturus ſis talem Tonum.

Hemitonium maius in proportione ſeſqui-quindecima, ſeu qualis eſt 16. ad 15. adeò vt ſi primò pulſes totam CD & mox partem OD percepturus ſis tale Semitonium.

Hemitonium minus, ſeu Dieſis major in proportione Seſqui-vigeſima quarta, ſeu qualis eſt 25. ad 24. adeò vt ſi pulſes primò totam CD, & mox partem PD. percepturus ſis tale Semitonium.

Dieſis minor ſeu Enharmonica in ſupertripartiente centeſimas vigeſimas quintas, ſeu qualis eſt 128. ad 125. adeò vt ſi primò pulſes totam CD, & mox partem RD, talem Dieſin ſis percepturus.

Comma in proportione Seſqui-octogeſima, ſeu qualis eſt 81. ad 80. adeò vt, ſi pulſes primò totam CD & mox partem QD Comma ſis percepturus.

Heic nota, cùm antiqui Tonum minorem non agnoſcerent, diuiſiſſe illos maiorē, quem ſolum Tonum appellabāt in duo Hemitonia, quorum maius *Apotome* vocatum conſiſteret in proportione Seſqui-ſeadecima, ſeu qualis eſt 17. ad 16. & minus, appellatum *Dieſis* in Seſqui-decima ſeptima, ſeu qualis eſt 18 ad 17. Et cùm Diateſſaron diuiderent in duos tonos, & Hemitonium, quoniā id Hemitonium neutrum erat iſtorum duorum, ſed habebat ſe proximè vt 19. ad 18. ſeu vt 256. ad 253. ideo conſtituiſſe iſtud Hemitonium in huiuſmodi proportione; ac ipſum appellaſſe *Leimma*; quaſi id eſſet, quod ſubtractis ex Diateſſaron duobus Tonis relinquĕtur Nos has proportiones in chorda non expreſſimus, ob agnitum Tonum minorem factamque ipſius, potiuſquam maioris diuiſionem in duo Hemitonia; quorum maius ſubtractis ex Diateſſaron maiore, ac minore Tonis relinquatur.

Vides interim Hemitonium dici, non tam quòd ſit Toni præciſè dimidium, quàm quòd ad dimidium proximè accedat; videlicet nullum interuallum poteſt in duas æquas parteis harmonicè diuidi; neque poſſunt duo interualla eiuſdē naturæ ſeſe immediatè conſequi, quin ordo Harmonicus perturbetur. Vnde & poſſet quidem Tonus in duo æqualia diuidi, non bipartitione ſanè interualli, quod eſt à C ad N, vel M (quò enim magis a C receditur eò minus interuallum eſt. quod eandem ſoni varietatē facit) ſed inuentione lineæ proportionalis mediæ inter CD, & N (aut M) D eo modo quo docent Geometræ, verùm neutrum Semitoniorum ad componendum interuallum Semiditoni Diateſſaron, vlliuſve aliarum conſonantiarum congruum foret.

Sed vt diuiſio, compoſitióque ſingulorum interuallorū deducatur paullò ſpecialiùs; diuiſa Harmonicè Diapaſō creat, heinc Diapĕte, heinc Diateſſaron, quòd dupla proportio in Seſqui alteram, & Seſqui-tertiam diuidatur, vnde & fit vt ex Diapĕte, ac Diateſſarō cōponatur ob diuiſā Harmonicè eius proportionē.

Sic verò quia hexachordum maius in Diateſſaron & Ditonum diuiditur; ideo ex illis componitur.

Et quia Hexachordum minus in Diateſſaron, & Semiditonum diuiditur; ideo ex illis componitur.

Et quia Diapente in Ditonum. Semiditonúmque diuiditur; ideo ex illis componitur.

Et quia Diateſſaron in Tonum maiorem, Tonum minorem, & Hemitonium maius diuiditur; ideò ex illis componitur.

Et quia Ditonus in Tonum maiorē, & Tonū minorē diuiditur, ideò ex illis cōponitur.

Et quia Semiditonus in Tonum maiorem, & Hemitonium maius diuiditur; ideò ex illis componitur.

Et quia Tonus minor in Hemitonium maius & Hemitonium minus diuiditur; ideò ex illis componitur.

Et quia Hemitonium maius in Hemitonium minus, & Dieſin Enharmonicam diuiditur; ideò ex illis componitur.

Quoniam autem Comma differentia eſt, quæ inter maiorem & minorem Tonum reperitur, vt ex ſubtractione iſtius ex illa, ex paullò antè dictis manifeſtum; idcircò adnotari poteſt, vt Hemitonium minus excedit tria Commata, deficit à quatuor; & Hemitonium maius excedit quinque, deficit à ſex, ſic Tonum minorē excedere 8. deficere à 9. & Tonum maiorem excedere 9. deficere à 10. quæ quidē ex praxi antè expreſſa cōſtāt.

Videlicet pari ratione inſinuauimus duos maiores Tonos excedere Ditonum, deficere à Diateſſaron; quatenus oſtendimus duo interualla Seſqui-octaua eſſe maiora Seſqui-quarto, & deficere à Seſqui-tertio. Quo eodem modo deducitur treis maiores Tonos excedere Diateſſaron, ſed deficere à Diapente, quatuor excedere Diapente ſed quinque illam excedere: Diapaſon excedere quinque. deficere à ſex, neque verò ſecùs deducetur, Hexachordon minus excedere treis, deficere à quatuor; maius excedere quatuor, deficere à quinque) atque ita de cæteris.

Quare & cùm aliunde conſtet Tonum maiorem eſſe differentiam, qua Diapente excedit Diateſſaron, & Hemitonium maius differentiam, qua Diateſſaron excedit Ditonum; ac Hemitonium minus differentia, qua Ditonus excedit Semiditonum, exinde manifeſtum fiet conſtare Semiditonum ex Tono maiore, & ex Hemitonio minore, Ditonum ex Tono maiore, & ex Tono minore.

Diateſſaron ex Tono maiore, ex Tono minore, & ex Hemitonio maiore, Diapente ex duobus Tonis maioribus ex vno minore, & ex Hemitonio maiore.

Hexachordon minus ex duobus Tonis maioribus, ex vno minore, & ex duobus maioribus Hemitoniis.


Hexachordon maius ex duobus Tonis maioribus, ex duobus minoribus, & ex Hemitonio maiore.

Diapaſon ex tribus Tonis maioribus, ex duobus minoribus, & ex duobus maioribus Hemitoniis.

Sed

Sed & quia Diapaſon non modò ex Tonis, ac Hemitoniis, ſed ex aliis etiam conſonantiis minoribus componitur, qua ratione quæ infrà Diapaſon ſunt maiores, ex minoribus componuntur: ideò rem totam vno perſpectu exhibere iuuet inſequente ſchemate, in quo chorda 3. diuidi intellecta in parteis æqualeis 180. vt interualium totius Diapaſon terminetur ad 90. obſeruare imprimis licet ſeptem interualla his cyphris diſtingui 160. 144. 135. &c. & proximè ſubſcribi proportiones interualiorum Seſqui-octauo. Seſquinono, Seſqui-decimoquinto, &c. ſubiici cuique Semi-circellum, in quo Tonus, aut Hemitonium ipſi reſpondens exprimitur.

Deinde autem aliis maioribus Semi-circulis comprehendi bina interualla ex quibus aut ſemiditonus conſtet: Subinde aliis maioribus terna ex quibus Diateſſaron (quę aliunde conſtare intelligatur aut ex Ditono, & Semitonio maiore, aut ex Semiditono & Tono minore) túmque aliis maioribus quaterna ex quibus Diapente (quæ conſtare aliunde intelligatur aut ex Ditono, & Semiditono, aut ex Diateſſaron & Tono maiore) rurſuſque aliis maioribus quina, ex quibus vtrumque Hexachordon (cùm & maius aliunde intelligatur conſtare, aut ex Ditono, Semiditono, & Tono minore; aut ex Ditono & Diateſſaron, aut ex Diapente & Tono minore; Minus verò aut ex duobus Semiditonis & Tono minore; aut ex Semiditono & Diateſſaron, aut ex Diapente & Semitonio maiore.) Denique autem alio maximo ſeptena, ex quibus Diapaſon, (quæ & aliunde conſtare intelligitur aut ex Ditono, duobus Semiditonis & Tono minore: aut ex Diateſſaron & Diapente: aut ex maiore Hexachordo, & Semiditono; aut ex minore & Ditono.)



Porrò vel ex hoc ſchemate conſtare denominationis Conſonantiarum ratio poteſt. Nam primùm quidem Ditonus dicitur quòd duos Tonos contineat: Semiditonus autem non tam quòd Ditoni dimidium contineat, quàm quòd ſit quaſi Seſqui-tonus, ſeu mauis Ditonus minutus. Poſſet proinde vt etiam ab aliquibus ſit, aut Seſqui-tonus, aut trihemitonium dici. Deinde Diateſſaron dicitur; quòd quatuor chordis ſeu vocibus tria interualla contineat; & Diapente quòd vocibus, chordiſve quinque contineat quatuor. Sic & Hexachordon vtrumque quod vocibus, ſeu chordis ſex contineat interualla quinque. Denique Diapaſon cùm poſſet *Diocto*, aut *Octachordon* appellari, quòd octo vocibus ſeu chordis ſeptem interualla contineat, Diapaſon tamen dicitur, quòd per conſonantias omneis progrediatur, contineátque omneis illarúmque parteis ſuo ambitu.

Deinde, vt Diapaſon ab Harmonicis, Practicisve *Octaua* vocatur, quòd octo vocibus, chordiſve ſeptem interualla contineat; pari ratione conſtat Ditonum, Semiditonúmque appellari *Tertias*, ob voces, ſiue chordas treis, Diateſſaron *Quartam* ob quatuor, Diapente *Quintam* ob quinque, vtrumque Hexachordon *Sextam* ob ſex; ne memorem tam Tertiam, quàm Sextam maiorem, & minorē fieri quòd in maiore Tonus ſit, cuius loco in minore ſit ſolummodò Hemitonium.

Atque ita quidem ſe habent Conſonantiæ ſimplices, ex quibus cùm antiqui agnoſcerent ſolùm Diapaſon, Diapente, & Diateſſaron; idcircò, vt ipſas, ac vnà Tonum maiorem exprimerent, cenſuere omnem Harmoniam contineri illis quatuor numeris 12. 9. 8. 6. quibus aliunde exprimerētur tria proportionum genera, Harmonica quidem inter 12. 8. 6. Arithmetica inter 12. 9. 6. Geometrica quatenus vt 12. ad 9. ita 8. ad 6. vel vt 12. ad 8. ita 9. ad 6. Scilicet Diapaſon continetur proportione dupla, quæ eſt 12. ad 6. Diapente Seſqui-altera, quæ eſt 12. ad 8. vel 9. ad 6. Diateſſaron Seſqui-tertia, quæ eſt 12. ad 9. vel 8. ad 6. & Tonum maiorem Seſqui-octaua, quæ 9. ad 8.

Nunc ad exprimendum prætereà Hexachordon vtrumque & ſemiditonū, ditonúmque ac minorem tonum, adſciſcere oportet hoſce numeros 10. 5 3. vt tota proinde Harmonia ſeptem numeris contineatur; ſic enim Hexachordon maius continebitur proportione ſuperbipartiente tertias, quæ eſt inter 5. & 3. Hexachordon minus ſupertripartiente quintas, quæ eſt inter 8. & Ditonus Seſquiquarta, quæ eſt 10. ad 8. Semiditonus Seſquiquinta,

quinta, quæ eſt 12. ad 10. ac tonus minor ſeſqui-nona, quæ eſt 10. ad 9.

Ad compoſitas Conſonantias quod ſpectat, parùm ſupereſt addendum ad ea, quæ de ſimplicibus dicta ſunt. Siquidē ab vſque Diapaſon, ſeu Octaua, ad vſque Diſdiapaſon, ſeu decimam quintam; ac rursùs ab vſque Diſdiapaſon, ſeu decimaquinta, ad vſque Triſdiapaſon, ſeu vigeſimamſecundam, diuiſiones proportionéſque omnium ſe perinde habent, ac in ipſis ſimplicibus, omneſque adeò, nihil aliud quàm ipſi Diapaſon, aut Diſdiapaſon veluti ſuperadiiciuntur.

Nempe, quia vt tota AB pulſatâ cum ED, cuius eſt dupla, creatur Diapaſon, ita ſi pulſaretur dimidiū chordæ AB, æqualis puta ipſi ED cum aD, cuius foret dupla, crearetur alia Diapaſon ſuperior; oportet ſanè, ſi tota AD pulſetur cum eadem aD cuius eſt quadrupla, creari Diſdiapaſon; neque ſecus creari Triſdiapaſon, ſi pulſetur cum hD cuius eſt octupla, quatenus ſi quadrans chordæ AB æqualis puta ipſi aD pulſaretur cum eadem hD crearetur nouus Diapaſon ſupra ipſam aD duplam ad hD.

Pari autē ratione, quia dimidio chordæ AB pulſato cum ED crearet ſemiditonum, quatenus ſe ad illam haberet vti 6 ad 5. oportet tota AB pulſata cum eadem SD ad quam ſe habet vt 12. ad 5. creari Diapaſon ſemiditonū; neque ſecus creari Diſdiapaſon ſemiditonum ſi pulſetur cum bD ad quam ſe habet vt 24. ad 5. cùm ſi illius quadrans æqualis puta ipſi aD pulſaretur cum eadem bD ad quam ſe vt 6. ad 5. haberet, ſemiditonum ſupra ipſam crearet. Quod idem quoque in cæteris intellectu facile eſt.

Dico autem Conſonantias compoſitas ipſis Diapaſon, aut Diſdiapaſon ſuperadditas, nō verò ſingulas ſibi ipſis addi, ſeu ingeminari, tergeminariue: quoniam nulla eſt Conſonantiarum ſimplicium, quæ ſibi ipſi addita, ſiue repetita conſonantiam creet, præter ſolā Diapaſon. Nam Diapaſon quidem ad Diapaſon addita conſonantiam Diſdiapaſon creat, videlicet extremis ſeſe habentibus vt 4. ad 1. At Diapente, v.g. ad Diapente addita creat diſſonantiam extremis nimirum ſe habentibus vt 9. ad 4. Quo etiam modo, duæ Diateſſaron nō conſonātiam, ſed diſſonantiā creant, extremis ſe habentibus vt 16. ad 9. atque ita de cæteris.

Heic non adnoto licere, ſi libeat Tetradiapaſon & maximè quidem propter organa, ſuperaddere (ſi chordam nempe hD bipartiēdo, vt tota AB ſit ad illius dimidium in proportione ſexdecupla, ſeu vt 16. ad 1.) & ſeruata proportione conſonantias cæteras inter Triſdiapaſon, ac Tetradiapaſon interſerere: Siquidem non aliam ob cauſam in ipſa Triſdiapaſon conſtitimus, quàm quòd vulgò humanæ voces non euehantur altiùs, cùm & veteres ne ipſam quidem Diſdiapaſon exceſſerint, vt intelligetur ex infra dicendis.

Obſeruo potius Conſonantiarum illas haberi perfectiores, quarū proportio multipla, aut ſuperparticularis eſt. cuiuſmodi ſunt Diapaſon, Diapente, & aliæ; minùs verò perfectas, illas, quarum proportio eſt ſuperpartiens, cuiuſmodi eſt vtrumque Hexachordon. Quò fit vt etiam Diapaſon-ſemiditonus, & Diapaſon Diateſſaron in minùs perfectis habeantur, cùm illius proportio ſit dupla ſuperbipartiēs quintas; illius dupla ſuperbipartiens tertias, atque id quidem ne aliquid dicam de Diateſſaron, quæ niſi ſupra Diapente locetur, ipſis Ditono, Semiditono, Hexachordíſque perfectione cedit.

Quin etiam eædem Conſonantiæ modò gratiores, aut minùs gratę ſunt, vbi pro varietate poſitus, quo duæ, vel plures ſimul adhibentur ad creandum harmoniam. Videlicet ſi duabus chordis Diapaſon creantibus interaddatur media, quæ heinc Diapente, heinc Diateſſaron faciat, longe gratior erit harmonia, ſi Diapente inferius, ſiue verſus chordā vnam, & Diateſſaron verſus ſummam, quàm ſi oppoſito modo adhibeantur. Ratio autem eſſe poteſt, quòd priore modo interualla conſonantiarum ſe habeant iuxta hoſce treis numeros 6. 4. 3. qui in proportione, mediocritateve harmonica ſunt, poſteriore autem iuxta hoſce treis 4. 3. 2. qui in Arithmetica ſolùm.

At quænam eſſe vniuerſè interuallorum conſonantium, diſſonantiúmve ratio poteſt? Dico cauſam videri, quòd cum ſonus creetur non tam velocitate quam crebritate ictuum aëris, quibus auris, audiúſve ſenſorium imperceptibili tempore percellitur; ictus varij duorum ſonorum vnitiores ſint leniúſque aurem afficiant, dum creatur conſonantia, diſtractiores ſint, & aſperiùs afficiant, dum creatur diſſonantia.

Id quid ſit, vt intelligas, tende chordam quampiam prolixam leui appenſo pondere, quo aliquanto laxior ſit, vt digito abducta, dimiſſáque heinc inde excurret, ac recurret, ſuóſque itus, ac reditus, (qui omnes erunt æquitemporanei) ſenſibileis faciat, ſingulæque vni v.c. arteriæ pulſui exæquentur. Manente eadem tenſione, ſuppone illius medio diſcerniculum cui inſiſtat, vt alterum ſolùm dimidium abductum, dimiſſumque eat, ac redeat, tunc erunt itus, reditúſque duplò velociores, ac plures binive exæquari ſingulis pulſibus. Huiuſce dimidij abduc, dimitteque pari ratione ſolum dimidium, quod erit chordæ totius quadrans, tunc erunt itus, reditúſque plures quadruplo, quaterníve ſingulis pulſibus exęquati. Pari adhuc ratione huiuſce dimidij, abduc, dimittéque dimidium, hoc eſt totius chordæ octantem, erunt itus, reditúſque plures octuplo, octoni ve exæquati ſingulis pulſibus, atque ita porrò.

Hæc obſeruaturus cùm ſis in chorda prolixa (vt ſi illam tetenderis inter duo pergulæ extrema) intelliges ſanè idem euenire in breuiore, hoc eſt itus reditúſque pari ratione duplicari, quadruplicari, octuplicari, &c tametſi ea pernicitate ſint, vt obſeruari oculo, numerarique non valeant; adeò vt cùm chorda ita fuerit tenſa, vt ſonora euadat (ac potiſſimū ex genere fidium) intellecturus ſis vbi tota primum abducitur, dimittiturq; ac deinde pari ratione illius dimidium, duos creari ſonos, quorum poſterior, hoc eſt acutior itibus, ac reditibus duplū pluribus, quàm prior, hoc

eſt grauior conſtet. Vnde & quia ſonus dimidij chordæ ſupra ſonum totius Diapaſon, ſeu Octaua eſt, intelliges Diapaſon ſeu Octauam creari ex itibus reditibúſve chordæ duplò pluribus; & conſequenter etiam Diſdiapaſon ex quadruplo, Triſdiapaſon ex octuplo, ac ita deinceps.

Quin-etiam, quia non modò Diapaſon creatur cùm eadem chordæ tenſione manente pulſatur illius dimidium; ſed etiam cùm manente eadem longitudine, chorda tenſior fit aut pondere quadruplicato, aut contorſione clauiculi; intelliges ex hac tenſione creari in eadem chorda itus, ac reditus duplo plureis, ac idem fieri & in Campana, & in vocati organi tubo duplæ latitudinis, altitudiníſque, craſſitudiníſque octuplæ; inque id genus aliis. Neque ſecus contingere in voce circa itus, ac reditus aëris ab arteria preſſi; in ſono etiam tibiæ, ac ſimilibus, quoties à graui aliquo ſono, ad ipſius Diapaſon ſeu Octauæ acutiem tranſitur.

Quod dixi porrò de itibus, ac reditibus in dimidio chordæ duplicatis; idem proportione eſt intelligendum circa parteis cæteras. Si enim in chorda eadem prolixa, ac leuiter tenſa quidpiam non ad medium, ſed ad trientem ſupponas, & reliquum beſſem abductum dimittas, itus, reditúſque obſeruabis in proportione ad totam ſeſqui-altera fieri, ternos ſcilicet exæquatos binis pulſibus. Sin ad quadrantem, & reliquum dodrantem abductum dimittas, obſeruabis fieri in proportione ſeſqui-tertia, hoc eſt exæquari quaternos ternis pulſibus. Sin ad quintam partem & abducas, dimittáſque quatuor reliquas, exæquabuntur quini quaternis, atque ita de cæteris. Vt proinde etiam intelligas chordæ itûs, ac reditus eſſe, in Diapente proportione ſeſqui-altera; in Diateſſaron ſeſqui-tertia, in Ditono ſeſqui-quarta, in Semiditono ſeſqui-quinta. Neque ſecus in Hexachordis proportione ſuperpatiente. Idque pari ratione vt in chordis, ſic in vocibus, tibiis, ac id genus aliis.

Iam cùm duabus chordis ſic tenſis, vt totidem vnus itus, reditúſque, ac alterius fiant, non tam duo ſoni, quàm vnus creetur, vnde & earum eſſe vniſonantia dicitur, conſtat aërem ab vtraque chorda pulſatum, ſenſoriúmque auditus ferientem nihil inferre aſperitatis, quoniam ſinguli vtriuſque ictus in vnum coëuntes, in vnum ſimplicẽ, vniformémque ſonum coaleſcunt. Dum chordis autem ita tenſis, vt vna Diapaſon, ſeu Octauam ſupra aliam creet, contingit quidem vt vbi duo ictus, ab vtraque coaluerint, ſuccedat vnus inſociatus; at quia tamen illicò duo coaleſcentes ſuccedunt, idque ſemper alternis fit; inde fit, vt hæc conſonantia ſit gratiſſima omnium, quòd poſt vniſonantiam, nulla vnitior ſit, autémve vniformiùs ſubeat.

Succedit Diapente, ſeu Quinta, ideò proximè poſt Octauam ſuauiſſima, quòd licet in illa duo ictus inſociati ſint, coalitio tamen fiat in quolibet tertio. Sequitur Diateſſaron, in qua coalitio, niſi in quarto non fit; tum Ditonus, in quo non-niſi in quinto; & Semiditonus, in quo non-niſi in ſexto. Deſinere autem cenſetur in hanc, quæ Conſonantiæ in proportione ſuperparticulari ſunt; quòd deinceps coalitiones vt iam cœperant ſic euadere diſtantiores pergant quàm vt ſenſorium ipſa ſonorum varietate non diſtrahatur, nec ſatis crebrò conſolidetur, & quaſi leniatur, vnde & ob diſcrepantiam ſenſibilem non iam conſonantia, ſed diſſonantia eſſe cenſeatur. Qua etiam ratione Hexachordon quidem vtrumque conſonantia eſt, quòd in minore octaui quique ictus cum quinis coëant, in maiore quini quique cum ternis, quæ proportiones proximè accedunt ad duplam, ac ſeſqui-alteram; at nullæ inſuper in ſuperpartiente proportione interueniunt; quòd in illis ſit coalitio diſtractior. Profectò eandem quoque ob cauſam conſonantiæ compoſitæ non æquè videntur eſſe ſuaues, ac ſimplices, quatenus nempe plures ictus incoaleſcentes interueniunt; coalitiones quippe ſe habent quaſi lenimenta ipſam ſenſorij diductionem, & quaſi dilacerationem conſolidantia, quæ quò adhibentur frequentiùs, eò maior ſuauitas creatur, quò infrequentius eò minor, donec denique inſuauitas ſit.

At quorsùm Diapaſon videtur ſuauior vniſonantia? Nempe ea ratione, qua poſt tempeſtatem euadit ſerenum iucundius ſerenitate continua; & morbi, aut doloris ceſſatio ſæuitate morbi ac doloris experte. Vnde & Harmonici aliquando diſſonantiam interſerunt, quam vt immediatè præcedat, ſic ſtatim ſequatur perfecta conſonantia, quò ſenſorium læſionem ſentiat, medica manus mox adhibita dulcorem faciat ſenſibiliorem. Ex quo etiam intelligis, vt excipere diſſonantiam conſonantia illicò debet, ne auris quaſi diſcerpatur, ſuauitatéque Harmoniæ priuetur; ita debere vniuersè coalitiones ictuum, inſociatos ictus quam-proximè excipere; ne ſi abeant longiùs, aut infrequentiores ſint, organum interea diſcerpatur, vt illi ſanando fiant impares, & pro conſonantia diſſonantia ſentiatur.

Prætereo porrò duo quædam quæ ſubiici hoc loco poſſunt, vnum ſi habeatur ratio non longitudinis chordarum, ſed ituum, ac redituum, quibus ex aëris pulſatione ſonum creant; proportiones conſonantiarum minoris habendas inæqualitatis; ſicque Diapaſon dicendam eſſe in proportione non dupla, ſed ſubdupla cõſiſtere, quatenus chorda tota ſemel it, ac redit, dũ eius dimidiũ it reditque bis, ac pari ratione Diapente non in ſeſquialtera, ſed in ſubſequi-altera, quatenus tota non it, reditque niſi bis, dum bes illius ter, atque ita de cæteris; ſcilicet ituum, ac redituum, ſeu pulſationum aëris ratio eſt longitudinum inuerſa. Quin etiam res fortè tanto magis congrueret, quanto & ſoni creatio per ſe ab aëris ictibus non à longitudine chordæ pendet; & ratio iſta minoris inæqualitatis generalia eſt, hoc eſt ſpectata nõ modò in chordis, ſed etiam in omnibus rebus, quarum ſoni poſſunt mutuò comparari, & in quibus tamen longitudo non attenditur, quæ ne attendi quidem in chordis diuerſæ aut tenſionis, aut craſſitudinis poteſt. Verùm ob

familiarem

familiarem vſum, & quia comparatio longitudinum eſt longè ſenſibilior, quàm ictuum, pulſationúmve aëris; ideò retinere debeut nomina maioris inæqualitatis.

Alterum videri exinde declarari poſſe, quî fiat vt pulſata ſingulari chorda ſeu in eadem Chely, ſeu in alia prope admota chordas cōſonanteis faciat tremere, diſſonanteis, tametſi fuerint interceptæ, immotas relinquat. Nempe dum eius excurſibus, recurſibúſque aër pulſatur. Compulſantur quidem chordæ omnes vicinæ; at quia ſolæ conſonantes ita tenſæ ſunt, vt ſubire eoſdem cum ipſa excurſus, & recurſus valeant; ideò tremorem ſolæ patiuntur; diſſonantes enim non tremunt, quòd ita ſint tenſæ, vt dum ipſa it, illæ redeant; dum ipſa redit illæ eant; ſicque dum itus reditibus, & reditus itibus obſtant, immotæ conſtent, nec tremorem patiantur. Conſtat autem cur duæ chordæ vniſonæ, æquiſonæve vehementiùs tremant, quàm quæ ad Diapaſon conſonantes ſunt; hæ, quàm quæ ad Diapente; atque ita de cæteris. Videlicet vniſonæ omneis itus ac reditus ſimul incipiunt, ac terminant; quæ ad Diapaſon ſunt, ſolos alternos, quæ ad Diapente ſolos ternos; ſicque aliæ ex ordine. Sed hæc aliis locis vberius dicenda.

Capvt III.

De Generibus Muſicæ.

His circa Conſonantias præmiſſis, ſequitur vt pauca dicamus de iis, quæ Genera & Muſicæ, & Harmoniæ, & Melodiæ vulgò dicuntur, ac nihil ſunt aliud, quàm certæ rationes progrediendi à ſono graui ad acutum, aut contrà ab acuto ad grauem per parteis, ex quibus Diateſſaron componitur. Vnde & quia Diateſſaron poteſt quatuor chordis exprimi, definiri genus Muſicæ, Harmoniæve ſolet, certa modulationis ratio expreſſa Tetrachordo, ſiue quatuor chordis, quarum extremæ ſint in proportione ſeſquitertia, referántque Diateſſaron. Nihil autem eſt neceſſe admonere huiuſmodi Tetrachordon aliud eſſe à Lyra Mercurij, quam ſcilicet vt conſtitiſſe ex quatuor chordis memorant, ſic addunt extremas in proportione fuiſſe dupla, creaſſéque Diapaſon, prima quippe exſiſtente vt 12. ſecunda vt 9. tertia vt 8. quarta vt 6. Quo pacto ſe olim habuiſſe maximā Harmoniam, eſt iam antè dictum.

Quia verò poteſt Diateſſaron aut ex Hemitonio maiore, tono maiore, & tono minore componi; aut ex Hemitonio maiore, Hemitonio minore, & ſemiditono, aut ex Dieſi maiore, Dieſi minore, ac Ditono; hinc fit, vt tria ſoleant Harmoniæ genera diſtingui, *Diatonicum* nempe, *Chromaticum*, & *Enharmonicum*.

Videlicet Diatonicum eſt, quod primo modo, idque aſcendendo à graui ad acutum procedit; cùm deſcendendo ab acuto ad grauem oppoſitè procedat, hoc eſt per tonum minorem, tonum maiorem, & Hemitonium maius. Videtur autem Diatonicum dici quòd progrediatur per integros tonos.

Chromaticum autem quod ſecundo modo idque aſcendendo, cùm deſcendendo procedat oppoſito, puta per ſemiditonum Hemitonium minus, Hemitonium maius. Fortè autem Chromaticum, ſeu coloratum dictum eſt à ſpeciali notarum chordas exprimentium colore.

Enharmonicum denique, quod tertio, idque aſcendendo, cùm deſcendendo oppoſito, videlicet per Ditonum, Dieſin minorem, & Dieſin maiorem procedat. Fortè autem eſt Enharmonicum dictum ob Dieſin minorem ideircò vocatam Enharmonicam, quòd ſit minimum interuallum, atque idcircò, quaſi principium à quo initi Harmonia poteſt.


Cæterùm quia procedendo à graui ad acutum (ac pari ratione ab acuto ad graue) licet vltra Tetrachordon, ſeu Diateſſaron progredi: ideò Veteres cùm harmoniam ſuā ad vſque Diſdiapaſon extēderent (quam & maximum Syſtema dicebant) effecere primùm ad componendum Diſdiapaſon quatuor Tetrachorda, quorum duo inferiora communem vnam chordam haberent, & duo ſuperiora ſimiliter; vt proinde cùm viderentur eſſe debere chordæ ſexdecim, forent tantùm quatuordecim quaſi vltima primi Tetrachordi, & prima ſecundi, ac pari modo vltima tertij & prima quarti in vnam coeuntibus; ſecus ac vltima ſecundi, & prima tertij, quæ maioris toni interuallo disjunctæ manſerunt.


Et quia ne hac quidem ratione Diſdiapaſon perficiebatur, quippe maior vnus tonus deerat; ideò ſub infimo Tetrachordo aſſumpſere vnam chordam, quæ fuit ea de cauſa *Proſlambanomene*; ſeu quia ſoni harum chordarum dicebantur *phthongi* Proſlambanomenos appellata; & eo quidem interuallo, vt ab infima infimi Tetrachordi per tonum maiorem diſtaret. Quare & fuere hac ratione chordæ quindecim, vnde & exſtitit vocatum *Pentekadecachordon*.

Ex quatuor autem Tetrachordis, infimum dicitur Tetrachordon *ὑπατῶν Principalium*; quòd illius chordæ ſint præcipuæ, & quaſi baſes cæterarum; ſuccedens dicitur Tetrachordon *μέσων Mediarum*, ſeu quòd chorda eius ſuprema ſit totius Pentekadecachordi media; ſeu quòd cùm duo tantùm forent Tetrachorda, prima illius chorda (eadem cum vltima inferioris) media omnium foret. Tertium Tetrachordon *διεζευγμένων Disjunctarum*; quòd eius chordæ, non cohæreant ſed disjunctæ ſint à chordis ſecundi. Quartum Tetrachordon *ὑπερβολαίων Eminentium*, quòd illius chordæ emineant ſupra cæteras.

Ex chordis verò infimi Tetrachordi prima dicitur *Hypate hypaton*, quaſi Principalis principalium. Secunda *Parhypate hypaton*, quaſi principalium principali proxima. Tertia *λίχανος Lichanos hypaton*, quaſi index principalium, quòd vicina vltimæ, ſit quaſi index digitus maximo proximus in manu. Quarta, quòd eadē ſit cùm mediarū prima dicitur *Hypate meſon*, quaſi principalis mediarū.

MONOCHORDON Syntonum, ſiue DIATONICVM Naturale.





Monochordon Diatonicum Regulare.
Monochordon Chromaticum regulare
Monochordon Enharmonicum regulare
Tonus maior. sem. ma. Ton. maior Ton. minor sem. ma. Ton. ma. Ton. min. Ton. ma.
se. mi
To. ma
To. mi.
se. ma
To. ma
To. mi.
sta
mo
neu
sta
mo
neu
sta
sta
mo
neu
sta
mo
neu
sta
sta
Ton maior
se. ma. se. mi. Semiditonus
Semiditonus
To. ma
se. ma
se. mi.
Semid.
se. ma
se. mi.
Semid
bilis
tra
bilis
bilis
tra
bilis
bilis
bilis
tra
bilis
bilis
tra
bilis
Ton. maior
diesis maior
diesis minor
Ditonus
di. ma.
di. mi.
Ditonus
To. ma
di. ma
di. mi.
Ditonus
di. ms.
di. mi.
Diton?

Ex chordis ſecundi, prima, vt mox dictum eſt *Hypate meſon*, principalis mediarum; ſecunda *Parhypate meſon*, proxima principalis mediarum; tertia *Lichanos meſon*, index mediarum: Quarta *Meſe*, Media quaſi per excellentiam dicta.

In duobus ſuperioribus Tetrachordis numeratio fit oppoſito modo; ita nempe vt *νήτη*, hoc eſt vltima appelletur prima, & ſuccedens proinde deorſum *Paranete*, & ſequens ipſam *τρίτη Tertia*: attamen vt eadem ſerie procedatur, nihil vetat vltimam cuiuſque primam facere, & quod ſuperet, eadem nomina retinere.

Ex chordis ergo tertij prima dicitur *Parameſe* quaſi proxima mediæ. Secunda *Trite diezeugmenon*, tertia disjunctarum; tertia *Paranete diezeugmenon* proxima vltimæ disjunctarum; quarta *Nete diezeugmenon* vltima disjunctarum.

Ex chordis quarti, quod prima eadem ſit cum antecedentis vltima, Prima non alia eſt, quàm mox nominata Nete diezeugmenon vltima disjunctarum, Secunda verò dicitur, Trite hyperbolæon tertia eminentium: Tertia paranete hyperbolæon proxima vltimæ eminentium; Quarta Nete hyperbolæon vltima eminentium.

Viſum eſt deinceps quintum Tetrachordon non tam ſuperaddere, quàm ſub medium quaſi intertexere, vt chorda vna inter Meſen, & Parameſen collocaretur, quæ Tonum illeic interceptum in duo partiretur hemitonia; non aduertendo ſcilicet ille-ne maior, an minor tonus foret. Vocatum autem eſt *Tetrachordon συνημμένων, ἢ συνεζευγμένων Coaptatarum*, ſeu *con iunctarum*, quòd illius chordæ, veluti coaptarentur, conjungerenturve cum chordis ſecundi, ac tertij.

Vnde & ex chordis huius Tetrachordi prima eadem eſt ac dicitur quæ ipſa *Meſe*, ſeu mediarum ſumma. Secunda eſt ipſa quæ inſeritur inter Meſen, & Parameſen, dicitúrque *Trite Synemmenon* conjunctarum tertia quaſi nempe numeratione vt in tertio, & quarto Tetrachordis facta. Tertia, eorumdem inſtar *Paranete Synemmenon* proxima vltimę cōjunctarum dicitur; & quarta *Nete Synemmenon* vltima conjunctarum. Cúmque a plæriſque Paranete Synemmenon eadem habeatur cum Trite diezeugmenon; & Nete ſynemmenon eadem cu[illegible]anete diezeugmemon. Sicque huiuſce Tetrachordi vna tantum chorda ſit propria, & ex quinque Tetrachordis non fiat ampliùs, quàm Heckædecachordon; non deſunt tamen qui alteram, ac etiam qui vtramque quaſi diſtinctas habeant; vnde & alij Heptakædecachordon, alij Octokædecachordon diſtinguunt.

Cùm exhibendis portò hiſce Tetrachordis neceſſariæ viderentur chordæ minimùm quindecim, & cum aſſumpta ſexdecim; nihilominus moris eſt vnam quampiam chordam ita diuidi, vt ſingulis eius diuiſionibus totidem chordas referentibus & Tetrachorda & chordæ omnes per eam ſolam repræſententur. Nimirum, quaſi tota chorda ſit Proſlambanomenos, reſiduum chordæ à proxima diuiſione eſt Hypate hypaton; reſiduum à ſuccedente Parhypate hypaton, atque ita de reliquis. Et quia non tam ipſa chorda diuiditur, quàm Regula ſupta quam tenditur, & in qua adhibitis ad ſingulas diuiſiones neruulis, varij quidam; quaſi gradus diſcernuntur: heinc fit vt tale organum ex vnica chorda, & regula gradatim diuiſa conſtans appelletur tum *Monochordon*, tum *Regula harmonica*, tum *Muſica ſcala*.

Conſtat proinde aliud eſſe Monochordon Diatonicum, aliud Chromaticum, aliud Enharmonicū: quę licet ſubdiſtingui ſoleant in ſyntona, mollia, toniæa, &c. abūdè tamen ſingula exhibuimus quatenus regularia ſunt, ac vniformi diuiſione progrediuntur. Exhibuimus autem primùm Monochordon Diatonicum & ipſi ſeorſim adhibuimus & Tetrachordorom, & chordarum ſingularum nomina; quo ea, quæ dicta hactenus ſunt, vel ex ſola ipſius inſpectione intelligantur. Subinde autem tria Monochorda conjunctim exhibuimus; vt ex ipſo etiam proſpectu appareat quibus in chordis conueniant, quibus diſcrepent inter ſe.

Monochordon autem Diatonicum, quod ſuperiùs exhibuimus, quodque aliqui Syntonum, & Naturale nominant, diuidi commodiſſimè iuxta ante-dicta in hunc modum poterit. Cùm tota ipſa chorda ſit Proſlambanomene, habeatur pro 1. poſſitque adeò ipſi adſcribi 1. diuide totam in duo & dimidio adſcribe. 8. inde enim chorda 8. incipit; ſubdiuide in 4. & quadranti adſcribe 4. dodranti 16. inde enim hæ chordæ incipiunt. Sic totam diuide in tria, & trienti adſcribe 5. beſſi 13. inde enim, &c. ſubdiuide in ſex & ſextanti adſcribe 3. ſubdiuide adhuc in 9. & nonæ parti adſcribe 2. Ac tum quod reſiduum eſt à ſecunda diuide in 2. & dimidio adſcribe 10. quod reſiduum à tertia in duo & quatuor ac dimidio adſcribe 11. quadranti 6. quod reſiduum à quarta in duo & quatuor; ac dimidio adſcribe 12. quadranti 7. quod reſiduom à ſexta in duo, & quatuor, ac dimidio adſcribe 14. quadranti 9. quod reſiduum à ſeptima in duo, & dimidio adſcribe 15. ſicque negotium confectum erit.

Quod ſpectat verò ad tria Monochorda vno proſpectu exhibita; diuiſio primòm Diatonici ipſa eadem eſt, quæ eſt mox deſcripta; niſi quòd nona chorda tonum inter Meſen, & Parameſen diuidens prætermittitur; adeò proinde, vt decima fiat nona, vndecima decima, ac ita deinceps, quovſque decima ſexta, ſit decima quinta. Scilicet tam hoc Monochordon, quàm duo reliqua exhibentur ſolùm Pentehædecachorda.

Chromatici diuiſio difficilis non eſt; nam primùm chordæ illius 1.2.3.5.6.8.9.10.12.13.15. eædem ſunt cum chordis Diatonici: Vt habeas autem cæteras; diuide totam chordam in parteis quinque; & pars vna dabit chordam 4 duæ dabont 7. tres 11. Reſiduum autem à ſeptima diuide in duo, & dimidium dabit 14.

Pari autem ratione circa Enharmonicum, imprimis chordæ illius 1.2.5.8.9.12. 15. eædem ſunt cum chordis Diatonici; imò & 4.

eadem

eadem eſt cum 3. & 7. eadem cum 6. & 11. eadem cum 10.& 14.eadem cum 13. Ad cæteras quod attinet, Reſiduum à ſecunda diuide in 25.& vna vigeſima-quinta dabit 3. Reſiduum à tertia in duo, & quatuor ac dimidium dabit 10. quadrans 6. Reſiduum à ſexta in duo; & dimidium dabit 13.

Cùm ſoleant verò chordæ in Stabileis, Mobileis,& Neutras diſtingui & Stabiles dicantur eæ,quæ in omnibus Monochordis eædem ſunt, parémve locum obtinent: Mobiles, quæ in ſingulis diuerſæ ſunt, ſiue locum mutant; Neutræ quæ in duobus eædem,ſiue pari in loco ſunt; conſtat vel ex iis,quæ Monochordis interſcripſimus, Stabileis eſſe 1.2. 5.8.9.12. 15. Mobileis 4.7.11.14. Neutras 3. 6.10.& 13.

Conſtabit etiam attendenti in Diatonico quidẽ Monochordo reperiri Diapaſon octies; quater ſcilicet inter chordas ſtabileis, bis inter mobileis, bis inter neutras, Diapente verò ſepties; ter inter ſtabileis, ſemel inter mobileis; ſemel inter neutras; bis inter neutras & mobileis, Diateſſaron denique octies; quater inter ſtabileis; bis inter mobileis, bis inter neutras. In Chromatico autem; & Enharmonico Monochordis, reperiri quidem tam Diapaſon, quàm Diateſſaron octies, perinde ac in Diatonico; at Diapente reperiri ter ſolùm, idque inter ſtabileis chordas.

Ac huiuſmodi quidem fuiſſe Genera harmoniç apud Veteres intelligimus. Iamdudum verò eſt ex quo ſolùm Diatonicum eſt in vſu: niſi quod interdum ſemitonium minus, ex Chromatico, ſeu Dieſis major ex Enharmonico; ac interdum quoque Dieſis minor ex Enharmonico vſurpatur; & in Diatonicum interſeritur: Quo pacto videtur Genus Diatonicum ex additione, miſtionéve tam Chromatici quàm Enharmonici compleri; nempe cùm in ipſum transfertur, quod cæterorum proprium eſt.

Id autem fit, cùm Muſicæ notæ inſigniuntur aut quatuor huiuſcemodi decuſſatis virgulis ✕ aut duabus huiuſcemodi X. Videlicet cùm Practici exiſtiment integrum Tonum componi ex nouem commatibus, reputant quoque maius Hemitonium componi ex quinque; & tum tribuunt quatuor reliqua minori hemitonio, ſeu Dieſi maiori; tum Dieſin maiorem dimidio minuentes, tribuimus Dieſi minori duo.

Sequitur itaque, vt de Monochordo, ſcaláve harmonica Recentiorum dicamus, quam *Guido Aretinus* Benedictinus Monachus ante annos ſexcentos inuexit. Id in eo ab antiquis differt, quod ex chordis non 15.16.17.aut 18. ſed ex 22. conſtet; ac Syſtema ſit maximum, quod non ſolùm Diſdiapaſon, ſed maius etiam Hexachordon ſupra ipſam exhibeat. Illa aliunde ex quatuor aut quinque Tetrachordis concinnabantur; iſtud ex Hexachordis ſeptem. Chordæ illorum exprimebantur nominibus Græcis, Proſlambanomene, Hypate hypaton, &c. Chordæ iſtius Latinis literis A,B,C,D,E,F,G, cum adhibitis voculis, Vt, re, mi, fa, ſol, la, quæ fuere ſyllabæ initiales hemiſtichiorum noti illius primi ex hymno S. Ioannis triſtichi, quod per id tempus ſic canebatur, vt ſyllabæ illæ efferrentur phthongis Hexachordi ſerie procedentibus, ac medium quidem occupante Hemitonio.

VT queant laxis REſonare fibris
MIra geſtorum, FAmuli tuorum;
SOLue polluti LAbij reatum.


Ad literas quod attinet, A quidem reſpondet Proſlambanomene, B Hypate hypaton, atque ita ex ordine; verùm quia ſeptem duntaxat vſurpantur literæ, & duæ tamen ac viginti ſunt chordæ; idcircò adhibentur primùm maiuſculæ literæ A, B, C, &c. ac deinde minuſculæ a,b,c,&c. & iſtæ demum ingeminantur aa, bb, cc, &c. Sic non mirum ſi Anagrammate qui ludunt, in nominibus variis Notas ſex illas Muſicas reperiant, quemadmodum cuiuſque illorum Monachorum nomen *F. Saluator Milo,* & *F. Lotus Almeras,* ipſas dempta nullâ, aut additâ literâ continet, vt & plæraque alia v.g. *Folium Aſtrale,* &c.

Quia verò aliunde ſyllabæ illæ ſenæ ſenis chordis cuiuſque hexachordi reſpondent, & vnumquodque hexachordon treis, de quibus dicemus poſteà, Diateſſaron ſpécies continet (quatenus nempe hemitonium in principio, medio, aut fine Diateſſaron eſt) ideo oportuit Hemitonium collocari in medio; exprimique vocibus *MI*, *FA*, interuallóve ipſis comprehenſo. Et quia vulgò canimus in Diatonico genere, in quo primum Hemitonium niſi vno tono, qui eſt à Proſlambanomene ad Hypaten hypaton, non præceditur, ea de cauſa ſubſumere vnam chordam oportuit, quam Græci dicerent *hypoproſlambanomenen*, Guidoni autem ſatis fuit, attribuere illi literam Græcam Γ. vnde & attributa ipſi voce *Vt* dicta eſt 1. chorda Gamma *Vt*, ſecunda *A RE*, ac cæteræ ex ordine, prout in ſequente Monochordo expreſſum vides.

Prætereo autem, quod Tetrachorda antiqua appoſita ſunt; idcircò factum, vt planiùs conſtet ad quaſnam Recentiorum chordas antiquorum chordæ reuocari poſſint; tum vt ſtatim pateat quid ſit inter hoc & antiqua Monochorda diſcriminis; ac inter cætera obſeruetur tum eſſe quinque chordas ſuper-additas, tum vnam infernè ſubſumptam, ac intelligatur hexachordon eſſe, quò Syſtema hoc excedit antiquum.

Id verò notandum omnia Hexachorda incipere ſemper ab aliqua vna harum literarum F, G, C, ac idcircò agnoſci ſolùm treis quaſi radices, ſeu *Claues*, vt appellant Cantus, quas & vocant Clauim F fa, vt, Clauim G ſol, re, vt. Clauim C ſol, fa, vt, (ſcilicet vnaquæque effertur vna cum litera, nunc per vnam, nunc per duas, nunc per treis huiuſmodi voces, prout habentur in ſchemate.)

Et quia incipiendo à chorda F fa, vt, chorda b fa, mi, exhibitura erat Fa, quod cum mi, ipſius A la mi re crearet Hemitonium; incipiendo autem à chorda G ſol re vt, eadem chorda b fa, mi, exhibitura erat mi, quæ cum mi, ipſius A la mi re, crearet tonum integrum; eapropter oportuit chordam b fa, mi, in duas diuidere, quarum prior cum b rotundo ſic exprimeretur, b fa: poſterior cum quadrato



ſie h mi. Dici autem ſolet, illud b molle, hoc verò h durum, partim ob figuram quòd rotunda leuior, & quadrata aſperior ſit; partim ob cantum, quòd mollius ſit per Hemitonium, quàm per tonum procedere.

Hac proinde ratione Clauis F fa, vt. dicitur vulgò Clauis B mollis; & Clauis G ſol, re, vt, Clauis B quadrati, ſeu duri; Clauis autem C ſol, fa, vt, dici ſolet clauis naturæ; idque eùm ſit media, ſiue mauis neutra inter alias duas. Et certè Hexachordo incipiens à C ſol. fa, vt, deprehenditur ſemper inter Hexachorda à G ſol, re, vt, & F fa, vt, medium; ac id vtrique commodi præſtat, vt cùm tranſiri ab altero in alterum non valeat, tranſitio tamen tam ex vno, quàm ex alio in ipſum C ſol, fa, vt; & ex ipſo C ſol, fa, vt, tam in vnum, quàm in aliud fiat.

Quod vides autem ad dextram Monochordi interuallum ex b fa, in h mi, maiore Hemitonio deſignari, eùm heinc inde, & alibi cætera interualla minora deſignentur Hemitoniis minoribus, maiora æqualibus tonis: id ex Guidone, aliiſque ipſum ſequutis deſumptum eſt; quatenus antiquorum inſtar minorem tonum non agnoſcentes non potuere Diateſſaron ſeu Quartam compoſitam habere ex duobus tonis & maiore Hemitonio, verùm ex minore duntaxat; & eùm reputarent tamen tonum integrum componi ex duobus Hemitoniis, cuiuſmodi Apotomen eſſe, & Leimma antè diximus; ideò vt interuallum à b fa in h mi tonum, tam cum antecedente, quàm eum inſequente Hemitonio minore conflaret, cenſuere ipſum eſſe Hemitonium maius.

Prætermittendum verò non eſt, cùm ſuperioribus ſæculis huiuſcemodi Syſtema chordarum viginti duarum (aut etiam viginti, contrahendo in vnum b fa, & h mi) ſic monſtraretur tyronibus vt ſingulis apicibus flexuriſque digitorum ſingulæ chordæ aſſignarentur; vnde & Syſtema fuit vocatum *Manus*, & vulgò etiam *Gamma* (propter primam chordam dictam Gamma Vt,) itémque Alphabetum praxeos. Nupero hoc tamen fuiſſe vt ſolerter; ita commodè exeogitatum Hexachordon triplex cum literis ſeptem ſemel appoſitis, in quod totum ſit Syſtema contractum; quodque etiam *Manus* illius imitatione cui ſubſtituta eſt, appelletur.

Res ita ſe habet, vt videre licet in inſequente ſchemate, in quo literæ eædem ſunt, ac nihil aliud, quàm F deductum ex ſupremo loco

loco in infimum eſt. Id autem factum, vt tranſponendo voces *Fa, vt*, in *Vt fa*, Clauis B mollis inde incipiens radix fieret primi Hexachordi, quod vt deinceps procederet, commutatę etiam ſunt ſequentium duarum chordarum voces, haberi enim vides non G ſol, re, vt, ſed G re, ſol, vt; & non A la, mi, re, ſed A mi, la, re.

Cùm inſequens autem chorda *G re, ſol, vt*, ſit Clauis B duri ſeu quadrati, vides ab ipſa commodè incipere tertium Hexachordon (relictâ ſub *Vt* vacua cellulâ è regione *F vt, fa*,) ac vt id poſſet procedere, fuiſſe quoque tranſpoſitas trium ſupremarum chordarum voces, videlicet *C ſol, fa, vt*, in *C ſol, vt, fa*; *D la, ſol, re*, in *D la, re, ſol*, & *E la mi*, in *E mi, la*, (vacua relicta areulâ ad verticem primi Hexachordi) abſque eo, quòd tranſpoſitio huiuſmodi chordarum naturam immutet: neque enim vlla vox quæ eſſet b mollis, euaſit b duri, aut contrà.

E		mi	la
D	la	re	ſol
C	ſol	vt	fa
B	fa		mi
A	mi	la	re
G	re	ſol	vt
F	vt	fa	

Interim verò ſecundum Hexachordum ſic reperitur diſpoſitum, vt Claui Naturæ exſiſtente *C ſol, vt, fa*, incipiat ab ipſius *Vt*, & treis chordas, quæ supernè deſunt, infernè ſuppletas quaſi circuitione habeat (vacuâ relictâ areolâ inter ipſas *B fa, mi*, voces.) Vnde & tametſi chorda *C ſol, vt fa*, inter chordas *F vt, fa*. & *G re ſol, vt*, media non ſit; ipſum tamen *Vt* Hexachordi radicem medium obtinet.

Commodiſſimè autem hac ratione tranſitiones fiunt ex primo Hexachordo in ſecundum, & viciſſim ex ſecundo in primum; itémque ex tertio in ſecundum, & viciſſim ex ſecundo in tertium. Quoniam ſeu aſcendere oporteat, commodè tranſitur ex *ſol*, primi in *re* ſecundi, & ex *fa* ſecondi in *re* primi; neque ſecus ex *fa* tertij in *re* ſecundi, & ex *ſol* ſecundi in *re* tertij; ſeu deſcendere, commodè tranſitur ex *fa* primi in *la* ſecundi, & ex *mi* ſecundi in *la* primi; neque ſecus ex *mi* tertij in *la* ſecundi, & ex *fa* ſecundi in *la* tertij, ſed res apud tyrones trita.


Non eſt verò etiam id prætermittendum, quòd cùm antiqui ſuis cantilenis duos quoſdam ordines characterum ſuperſcriberent, vnum eorum, quibus chordæ ſyllabis quibuſque efferendis deſtinatæ deſignarentur; alterum eorum quibus tempora in eiſdem ſingulis efferendis inſumenda; fuiſſe deinceps artificium eidem muneri præſtando longè facilius excogitatum.

Nam quod ſpectat quidem ad chordas, quibus cantus acuties, grauitáſve deſignetur; nihil aliud, quàm quinque lineæ cantilenæ superducuntur, ac vbi illarum præfigitur character vnius trium Clauium, vt ea quaſi chorda determinata habita cæteræ ſurſum, deorsúmque pro ſuo quæque ordine partim in interuallis, partim in lineis diſpoſitæ intelligantur. Sunt autem characteres Clauium huiuſcemodi


Clauis F fa, vt.




Clauis G ſol, re, vt.



Clauis C ſol, fa, vt.



Apponitur aliquando Claui, & ſua quidem in chorda, hoc eſt ſua in linea, ſuóve interuallo character b, ſiue b molle in hunc modũ;




indicat autem Hexachorda b mollis, & naturæ, eorúmque tranſitiones vſurpandas eſſe. Quod ſi nullum ſit, indicio eſt hexachorda b duri, ac naturæ, eorúmque tranſitiones debere vſurpari.

Ac ne mirere, cur tam paucæ adhibeantur lineæ, quippe quæ vna cum interuallis ac ſpatiis etiam, imò & lineolis ſuprà, infráque additis complectendo Syſtemati chordarum non ſufficiant; ſcito, dum quiſpiam ſolus canit, abundè ſatis eſſe chordarum; & dum plures ſimul concinunt ſatis quoque abundè eſſe ſingulis, quatenus totius chordarum Syſtematis quatuor diſtingui partes ſolent, vna Ima, altera Summa, duæ intermediæ, quarum quæ eſt prope imam *Tenor* dicitur, quæ prope ſummam *Altus*, ſupple cantus; & Claues iis tribuuntur lineis, vt tam qui imam, quàm qui ſummam, quàm qui cæteras parteis tenent, ſatis chordarum, quibus excurrant, habeant.

Quod ad tempus cuique efferendæ inſumendum ſpectat; excogitatæ ſunt primùm octo notæ, figuræve, quas heic cum ſuis nominibus expreſſas habes

Maxima, Longa, Breuis, Semibreuis,



Minima, Semiminima, Vnca, Semivnca.




Harum autem notarum valor ita ſe vt plurimùm habet, vt quæque antecedens æquiualeat duabus proximè conſequentibus. vt vna maxima duabus longis, vna longa duabus breuibus, &c. Et quia ſemibreuis eſt aſſumpta, cuius valor ſit vna nuncupata, *Tactio*, percuſſióve, ſiue menſura, quæ vnam manus, θέσιν, ἀρσιν, h. e. *demiſſionem, euectionémque*, duáſve motiones contineat; ideò fit, vt Maximæ valor Tactiones ſint octo, Longæ quatuor, Breuis duæ; & contrà vt ad vnam Tactionem requirantur duæ minimæ, quatuor ſemiminimæ, octo vncæ, ſexdecim ſemivncæ. Cúmque idem valor ſoleat exprimi iiſdem lineolis, interductibúſve, quæ ſignificant intermoria, pauſáſve, quibus aliquando à cantu interquieſcitur; idcircò ecce eaſdem notas pro valore per intermoria.



Dico autem vt plurimùm; ſiquidem is valor diuerſimodè alterari ſolet: ac imprimis quidem per eos, quos Practici & vocant *Gradus*, & diſtinguunt treis, *Modum, Tempus, & Prolationem*, ſpecialeiſque illis characteres tribuunt, quos immediatè Clauibus adjungunt.

Et Modum quidem maiorem, aut minorem faciunt; illum cùm maxima per longas; iſtum, cùm longa per breueis menſuratur. Maiorem autem perfectum dicunt, cùm maxima æquiualet tribus longis; imperfectum cum duabus ſolùm; qui idem valor communis eſt. Et minorem perfectum cum longa tribus breuibus, minorem, cùm duabus breuibus, qui itidem valor eſt communis. Character autem Maioris perfecti ſunt ternæ lineolæ, tria inter lineas interualla comprehendentes, aliquando etiam ſolùm duo; imperfecti binæ comprehendentes etiam interualla vel tria, vel duo. Minoris perfecti linea vnica interualla comprehendens tria; Imperfecti etiam vnica comprehendens duos ad iſtum videlicet modum

Modus maior perfectus, Modus maior imperfect. Modus minor perfectus, Modus min. imperf.



Neque te moueat, quod heic lineolæ aliquæ eædem, quæ aliquorum intermoriorum videantur; quia cùm ſunt modi, inter Clauim & characterem temporis de quo mox dicendum, ducuntur, cùm intermoria, poſt eum characterem, Vnde & cùm anteponuntur, dicuntur *Indiciales* ſolùm, quia nihil aliud quàm indicant modum; cùm poſtponuntur, etiam *Eſſentiales*, quia ad cantum præterea ſpectant.

Tempus vocant menſuram breuis per ſemibreueis, ipsúmque aut perfectum, cùm vna breuis æquiualet tribus ſemibreuibus; eſtque illius character circellus; aut perfectum, cùm duabus ſolùm, eſtque illius character circelli dimidium.

Tempus perfectum, Tempus imperfectum.



Prolationem denique dicunt menſuram Semibreuis per minimas, ipsámque adhuc aut perfectam, cùm vna æquiualet tribus, charactere illius exſiſtente pari circello, ſed cum puncto in medio, aut imperfectam, cùm ſolùm duabus, exſiſtente illius charactere ſemicircello cum ſimili puncto in hunc modū

Prolatio perfecta, Prolatio imperfecta.



Vt præteream autem omnes iſtos gradus eſſe interdum ſimul in cantu perfectos, interdum ſimul imperfectos, interdum mixtim ſe habere; adnoto potiùs, quia vocata Tactio vſurpatur aliquando ad menſuram breuis, & tunc tam demiſſio reclinatione quàm euectio reſtitutione manus veluti ingeminatur, & quaſi quadruplex motio fit; idcircò ſpecialem eius characterem haberi circellum cum tranſuerſa deorſum linea: Dici autem ſolet Tactio iſta maior; cùm minor nempe ſit communis, ſeu ſimplex quæ ſemibreui competit, cuiuſque character eſt ſemicircellus cum ſimili linea.

Tactio maior. Tactio minor.



Eſt verò & alia Tactionis ſpecies, quam *proportionatam* appellant, ac potiſſimum quæ hemiolia, aut ſeſqui-altera, & vulgò *Tripla* dicitur, conſtans ſcilicet motionibus tribus, vt puta demiſſione manus, reclinatione eiuſdem, & facta ſimul reſtitutione, euectionéque; vnde & illius character eſt 3. aut $\frac{1}{3}$. Sed de ea ſtatim pòſt dicendum.

Addo priùs fieri prætereà notarum alterationem aut colligatione mutua, aut punctis adhibitis, aut colore variato. Et quod ſpectat quidem ad colligationes, ſiue ligaturas eæ fieri hiſce modis ſolent.



A B C D E F G I

Regulæ autem ſunt, pro nota quidem prima, vt ſi caudata ſit, eiúſque cauda ſpectet ſurſum, vt in exemplis A, tunc tam ipſa, quàm inſequens, ſeu obliquè ſe ſeu quadratè habeant, pro ſemibreuibus ſeu vna tactione menſuratis habeantur. Sin cauda ſpectet deorſum, vt in exemplis B, tunc prima habeatur pro breui, æquiualénſve duabus tactionibus, ac ſimiliter ſi cauda deſtituatur, & inſequens ſurſum procedat, vt in exemplo C, cæterùm ſi caudata non ſit, & ſequens deorſum vergat vt in exemplis D tunc æquiualet vni longæ, ſeu tactionibus quatuor.

Pro media autem, vt ſiue illa ſit vna, ſiue multiplex, veluti in exemplis E, æquiualeat ſemper vni breui, ſiue duabus tactionibus.

Pro vltima, vt ſi deorſum procedat, & quadrata ſit, æquiualeat longæ ſeu tactionibus 4. vt in exemplo F: ſi obliqua æquiualeat ſolùm breui ſeu tactionibus duabus, vt in


in exemplo G. Si denique ſurſum præcedenti ſit, æquiualeat etiam ſolùm breui, ſiue duabus tactionibus vt in exemplo H. Si denique caudata ſit, vt in exemplis I, æquiualeat longæ, ſeu tactionibus quatuor.

Ad puncta quod attinet; nihil neceſſe eſt dicere de iis, quæ accidentalia dicuntur, cuiuſmodi ſemicircello aut ſurſum aut deorſum conuerſo inſcribuntur, ad deſignandum ceſſationem, coitionémve canentium; aut interſeruntur duabus lineolis, ſuperſcribunturve S literæ ad deſignandum repetitionem partis cantilenæ, quæ præceſſerit, & ſi quæ alia ſimilia ſunt; dicendum dumtaxat de iis, quæ eſſentialia nominant, quæque tria cùm ſint, vnum accrementi, alterum ſpeciatim alterationis; tertium diuiſionis, aut imperfectionis *punctum* dicitur.

Accrementi punctum eſt, quod ad dextram notæ appoſitum dimidium valoris ipſius illi ſuperaddit, quo proinde modo nota maxima valet tactionibus 12. longa 6. maxima 3. breuis $1\frac{1}{2}$. minima $\frac{1}{4}$. ſemiminima $\frac{1}{8}$. vnca $\frac{1}{16}$. Quia verò heic fit idem valoris augmentum, ac per gradus perfectos; tunc ſi fortè graduum characteres ſimul adhibentur nihilo proptereà valor auctior fit; eóque caſu nihil aliud, quàm punctum perfectionis vocatur.



Alterationis punctum eſt, quod ſuperſcribitur notæ Semibreui, cùm inter duas breueis conſtituitur; ac tum valorem illius duplicat, adeò vt Breui, ſeu duabus tactionibus æquiualeat, vt in exemplo appoſito A.



A B C

Idem porrò, etiam ſine puncto ſuperſcripto aduenit ſequenti ſemibreuium ſi inter duas breueis duæ collocarentur, veluti in exemplo B.

Denique punctum Diuiſionis, ſeu imperfectionis eſt, quod supernè pingitur inter duas notas ſimileis; cùm eæ habent antecedentem, ac inſequentem notam maioris valoris. Obſtat videlicet ne valor poſterioris ingeminetur eo modo quo dictum mox eſt; vt patet in exemplo C.

Ad Colorem demum quod ſpectat; Si charactéres graduum perfectorum adſint, tum color niger adimit notæ trientem valoris ipſius; ſi imperfectorum, quadrantem. Adeò proinde, vt Maxima priore caſu æquiualeat ſolùm 8. tactionibus, ſeu valoris communis fiat; poſteriore autem æquiualeat 6. Longa priore caſu æquiualeat 4. poſteriore tribus: Breuis priore duabus, poſteriore vni, ac ſemiſſi ſeu tribus minimis. Semibreuis priore vni, poſteriore dodranti vnius ſeu tribus ſemiminimis. Minima priore dimidio vnius, poſteriore tribus vncis.

Quanquam ob difficultatem deligendi fractiones in breuibus, ſemibreuibus, minimis, ac ſemiminimis, vix illarum color niſi in Tactione proportionata, ſeu Tripla variatur, quam etiam Hemioliam & Seſqui-alteram appellari iam diximus.

Cùm huiuſmodi porrò duæ voces eiuſdem ſint ſignificatus, ac idiomate ſolùm differant; nihil tamen aliud inuehunt diſcriminis, quàm quòd in hemiolia omnes characteres ſunt nigri; & quia hoc ipſum Tactionem triplam eſſe indicat, nullus character præponitur; in ſeſqui-altera autem omnes characteres ſunt albi ſeu communes (niſi quòd ad impediendum alterationem, quæ ob concurſum duarum ſimilium interceptarum, vt in exemplo B mox antè allato, contingeret, altera earum denigratur) præfigitur autem character $\frac{3}{2}$.

Prætereo autem tam Hemioliam, quàm Seſqui alteram maiorem dici, cùm notæ ſunt breues, & ſemibreues; interpoſitis aliquando minimis; idque ſemibreui exſiſtente communi menſura, hoc eſt valente vnam motionum, quarum in Tactione ſunt tres; cùm & breuis valeat ſolùm earum duas, & minima dimidium vnius. Ac pari ratione tam Hemioliam, quàm Seſqui-alteram minorem dici, cùm notæ ſunt ſemibreues ac minimæ, interpoſitis interdum ſemiminimis (ac etiam in Hemiolia, ob colorem, vncis) idque minima exſiſtente communi menſura, hoc eſt valente trium motionum vnam, cùm ſemibreuis valeat duas, & ſemiminima dimidium vnius. Verùm immorandum in iſtis non eſt.

Importunum fortè non erit heic adnotare quod R.P. Athanaſius Kircherus *in Muſurgia* habet, illic nempe deducit ante tempora Guidonis Aretini Hymnorum cantum expreſſum fuiſſe octo lineis, quibus non item interuallis notæ adſcriberentur, ac tale ſchema ſe repeteriſſe Meſſanæ, cuius vſus fuiſſet à 700. circiter annis, cuiuſque octo lineæ initium ducerent ab octo prioribus literis Græcis, α β γ δ ε ζ η θ. Alterum non octo lineis, ſed duabus ſolùm cum notis tam in ipſis quàm in interuallo & infra multiplicibus, vt ad *Salue Regina.*

Guidonem autem in Aretio Hetturiæ Oppido natum, Monachum Ordinis S. Benedicti, ex hiſce quaſi rudimẽtis inſtituiſſe quem habemus ritum exprimendi cantum per notas inſertas, tum quinque lineis, tum interuallis (facilitatis gratiâ) idque Pompoſæ in Ducatu Ferrariæ tempore Ioannis XX. anno M.XXIV. alij dicunt M.CC.VIII. deſumptis ex Hymno S. Ioannis, vocibus VT, RE, MI, FA, SOL, LA, quæ in progreſſu per Scalam, aut *Manum* quam compoſuit, adhiberentur literæ A B C D E F G, addita initio litera Γ Græca, quâ nonnulli putant indicare illum voluiſſe initialem ſui nominis literam. Aiunt illum hoc characterum genere Graduale primum notaſſe, & Ioannem hanc formam non tantùm probaſſe, ſed & omnibus præferendam ſtatuiſſe. Erant verò etiam Guidoni omnes Notæ vniuſmodi; quare & videtur ſolùm habuiſſe rationem Grauis & Acuti, non item temporis Longi & Breuis: Inuentorem antè Notarum, quas iam & habemus Auctorem fuiſſe Ioannem Muriam, aliter *Jean des Murs* Pariſinum 300. circiter pòſt annis.

Porrò Guido necdum contentus hac noua cantandi methodo, inauditam antehac

plurium

plurium vocum Symphoniam excogitaſſe dicitur primus (certè nullam ipſius memoriam habemus apud Veteres; etſi tritum eſt, dum Nautæ,&c. cantant Octaua acotiùs canere quàm iuniores, ac alias quoque inflexiones vocis variare) ac fuit etiam auctor Inſtrumentorum Polyplectrorum, vt ſunt Clauicymala, Clauichordia,&c. cùm priùs nibil tale.

Scala Guidonis componitur ex vocibus grauibus, acutis & ſuperacutis, literas ſcilicet repetendo. Concludit R. Pater nullum exſtare monumentum quod Antiqui Polyodia vſi ſunt, ſed ſola Monodia, hoc eſt vnica voce, niſi quòd hæc Lyræ, Cytharæ, aut Tibiæ accõmodabatur. (*Lib. 7. part. 1. Eratem. 3.*) Quòd enim quatuor illa apud Ptolemeum ἀγωγὰς, pro quatuor vt iam vocant partibus accipiantur, ſunt tantùm variæ vocis affectiones, ac veluti figuræ tropi barmonici, quibus cantus decorem & gratiam acquirebat, quod & deducit, & ſub fioe. Quæ verò Boëtius, Ptolemæus, aliíque de Harmonia præter Diapaſon, Diapente, Diateſſaron, & ea hiſce compoſitas, nullam aliam agnoſcerent conſonantiam; nec enim Ditonos, Semiditonos, Hexachordúmque inter conſonantias vt modo computabant ante Guidonem, & à temporibus D. Gregorij differat, ita notabantur per ſeptem literas A, B, C, D, E, F, G, (quas proinde Guido retinuit, addita Γ, ad componendum Octauam) vt conſtans inter quem tonum, aut ſemitonum foret, ac id ſemper ſeu aſcendendo, ſeu deſcendendo ſumatur

A } Tonus.
B }
C } Semitonus.
D } Tonus.
E } Tonus.
F } Semitonus.
G } Tonus.

Atque bæc de generibus Muſicæ.

Capvt IV.

De Tonis, ſiue Modis Cantus.

Svpsrest dicamus de iis, qui fuere etiã ab antiquis Toni, Modíque appellati; ſed alio ſanè ſignificatu, quàm qui vtrivis voci attributus hactenus eſt. Scilicet Tonus, ſiue Modus, quatenus heic accipitur, nihil aliud eſt, quàm forma quæpiam modulatiunis, quæ in vnaquaque ſpecie Diapaſon, ſeu Octauæ eſt varia, quatenus initiũ illius, ac iutra ipſam ſemitonia ad varias chordas pertinent. Vnde & quia Veteres fecere Diapaſon ſeptem ſpecies, ſeptem quoque Modos, Tonóſve agnouere, quos & dixere *Dorium*, *Phrygium*, *Lydium*, *Hypodorium*, *Hypophrygium*, *Hypolydium*, *Mixolydium*; nempe occaſione deſumpta à ſpeciali ritu canendi certarum regionum.

Et *Dorius* quidem Modus eſt qui incipit ab Hypate Meſon, ſeu à chorda communi duobus inferioribus Tetrachordis, & deſinit in Neten Diezeugmenon, ſeu cõmunem duobus ſuperioribus; *Phrygius* qui à Lichano Hypaton in Paraneten Diezeugmenon; *Lydius*, qui à Parhypate hypaton in Triten Diezeugmenon; *Hypodorius*, qui à Meſe in Neten hyperbolæon; *Hypophrygius*, qui à Lichano meſon in Paraneten hyperbolæon; *Hypolydius*, qui à Parhypate meſon in Triten hyperbolæon; *Mixolydius* denique, qui ab ipſa Hypate hypaton in Parameſen. Vnde & vt ipſos habeas quo ordine ſunt ab infima chorda ſurſum aſcendendo, ita connumerari poſſunt; *Mixolydius*, *Lydius*, *Phrygius*, *Dorius*, *Hypolydius*, *Hypophrygius*, *Hypodorius*. Sunt, qui numerent oppoſito modo, vt Ptolemeus Hypodorium ab Hypate hypaton in Parameſen, Hypophrygium à Parhypate hypaton in Triten diez. &c. quemadmodum Merſennus noſter innuit, ſicuti & Lucianus in Harmonide, cùm concentus modum docet ſeruari debere in Phrygio attonitum, in Lydio turbulentum, grauitatem in Dorico, in Ionico ſuauitatẽ, τὸ ἴδιον τῆς Φρυγίου, τὸ ἔνθεον, τῆς Λυδίου τὸ Βακχικὸν, τῆς Δωρίου τὸ σεμνὸν, τῆς Ἰωνικῆς τὸ γλαφυρόν.

Ac fuere quidem aliquibus plures ſpecies enumeratæ; ſed eæ tamen fuere duntaxat iſtarum quædam ſubdiſtinctiones. Siquidem omnes iſtæ ſpecies Dorio, ac Hypodorio exceptis fuere in acutam, & grauem diuiſæ, & Lydius grauior fuit vocatus *Æolius*; Hypolydius grauior *Hypæolius*; Phrygius grauior *Iaſtius*, ſeu *Ionius*; Hypophrygius grauior *Hypoiaſtius*; niſi quòd aliqui Hypoiaſtium cum acutiore Mixolydio, vti & grauiorem Mixolydium cum Hypodorio pro eodem habuerunt; cùm & videantur acutiorem Mixolydium Hypermixolydium dixiſſe, vti & acutiorem Phrygium, Hyperphrygium.

Quæres fortè qui fieri poſſit, vt qui ſeptem modos primi diſtinxere octauum non adjecerint à Proſlambanomene in meſen? Sed feciſſe nempe videntur; quòd hic modus non alius ab Hypodorio fuerit viſus. quatenus non alia eſt ſpecies Diapaſon à Proſlambanomene in Meſen, quàm quæ eſt à Meſe in Neten Hyperbolæon; quatenus vtraque incipit à Tono, & procedit per Hemitonium, duos Tonos, &c.

Vt quidpiam verò de ſingulorum proprietatibus attingamus; ecce modo Dorio tribuitur, vt ſit grauis, ſeuerus, pudicus, ſtabilis, compoſitus, ad prudentiam & vitæ actiones temperandas comparatus, ac ideò Ciuitatibus, Rebuſpublicíſve probè inſtitutis imitationi habitus: At Hypodorio, vt ſit lãguens, piger, ſomniculoſus; ad vitæ functiones inhabilis. Quo factum aiunt, vt Pythagoræi Dorio expergefierent, & ad ſtudia ſe compararent; Hypodorio indormiſcerent, & ad quietem conuerterentur.


Sic Phrygio proprium tribuitur, vt animos addat, iram, furorémque accendat, ad immanitatem, itémque ad luxuriam comparet, bellicoſus, audax, præceps, vnde & lituo exprimebatur, Anapæſtiſque continentibus; Hypophrygius autẽ ex oppoſito; vt vulgare proinde ſit Lacedæmonios ſolitos Phrygio ſonare claſſicũ, Hypophrygio canere receptui.

Sic Lydio, vt ſit lugubris, flebilis, ſuſpirioſus, lamẽtoſus; Hypolydio contrà, vt feſtiuos, alacer,


alacer, iucundus, amœnus; vnde & ille ad funebria, caſuſque miſerabileis, iſte ad amatoria, choreas, res gratas eſt accommodatus. Mixolydio denique, vt quaſi medio ſe habens modo animi affectus commoucat, ac ſedet. Et hæc quidem pauca de Antiquorum modis.

Ad Recentiorum Modos quod ſpectat, non agnoſcuntur quidem iam plures, quàm ſeptem Diapaſon, ſeu Octauæ ſpecies; at quatenus illæ aut Harmonicè, aut Arithmeticè diuiduntur, creantur ex ipſis modi duodecim; de quibus tamen priuſquam dicamus ipſæ Octauæ ſpecies cognoſcendæ ſunt; cùm & operæ-pretium ſit tum cæterarum conſonantiarum præcnoſſe varias ſpecies; tum perſpectum habere quibus chordis, ſeu lineis minora interualla, hoc eſt hemitonia, toniquæ exprimantur.


Imprimis itaque Hemitonium minus non eſt quidem vſui in Diatonico genere; ſed poſſet tamen chordis, characteribúſque b mollis, ac b duri in hunc modum exprimi




Hemitonium maius, ſeu Secunda minor, vt Practici dicunt, his fere chordis exprimitur



Tonus minor, ſeu Secunda maior ſequitur ſemper tonum maiorem tendendo ſurſum; quòd ſummum ſemper locum in omni Tetrachordo obtineat En illius exempla



Tonus maior, ſeu iterum ſecunda maior, ſequitur ſemper tendendo ſurſum Hemitonium maius in omni Tetrachordo; ac reperitur prætereà inter *re* chordæ *A mi, la, re,* & *mi* chordæ b *mi*, En illius exempla




Semiditonus, ſiue Tertia minor duarum eſt ſpecierum, prout nempe tonus præcedit Hemitonium, vel ſequitur. En exempla

1 2




Ditonus ſiue Tertia maior duarum etiam eſt, quatenus tonus maior minorem præcedit, vel inter *A mi, la, re*, & b *mi* ſequitur. En exépla

1 2




Diateſſaron trium eſt ſpecierum prout Hemitonium aſcendendo in ſummo, in medio, aut in imo locum obtinet. Exempla ecce

1 2 3




Diapente ſeu Quinta ſpecierum eſt quatuor, prout etiam ſe Hemitonium habet

1 2




3 4




Hexachordon minus, ſiue Sexta minor trium ſpecierum eſt, prout duo Hemitonia maiora in illa ſe habent

1 2



3



Hexachordon maius, ſiue Sexta maior trium etiam ſpecierum pro maioris vnici Hemitonij diſpoſitione

1 2




3




Heptachordon minus, ſeu Septima minor ex Diapente & Semiditono compoſita quinque eſt ſpecierum

1 2



3 4




5



At maius Heptachordon, ſeu Septima maior ex Diapente, & Ditono compoſita nonniſi duarum agnoſcitur.

1 2




Denique autem Diapaſon, ſeu Octaua ſeptem eſt ſpecierum, pro ratione ſeptem chordarum, à quibus poteſt incipere.


1 2




3 4



5 6



7



Et ſic quidem ſe ſpecies, vt cæterorum interuallorum, ſic ſpeciatim Diapaſon, ſeu Octauæ ſe habent.

Addo verò id cauendum eſſe, ne Conſonantias, & maximè Diateſſaron, Diapente, Diapaſon pro numero chordarum, notarúmve præcisè metiamur; quatenus poteſt contingere, vt earum compoſitio rationem Conſonantiæ excedat, aut ab ea deficiat, vnde & vulgò aut excedens, aut diminuta dicitur.

Et Diateſſaron quidem, ſeu Quarta excedés dicitur, quoties quatuor chordæ, ſeu notæ nullum complectuntur Semitoniũ, verùm ter tonos integros; vnde & *Tritonus* appellatur; diminuta

minuta verò quoties cum tono vnico complectuntur duo Hemitonia; dicitur autem etiam Semidiateſſaron. Exempla ecce

Diapente quoque,ſiue Quinta pari ratione aut excedens, aut diminuta quæ & Semidiapente vulgò dicitur, in hunc modum

Sic & Diapaſon,ſiue Octaua pari modo aut excedens, aut diminuta. quæ & ſemidiapaſon vulgò appellatur, in hunc modum




Dignum interim conſideratione, vt character b adimit notæ Hemitonium minus, & ex tono facit Hemitonium maius; ſic iſtos ✗, & ♮ notæ addere Hemitonium minus; adeò proinde,vt nota, quę valeret ſolùm Hemitonium, euehatur ad integrum tonum, ſed minorem videlicet. Quanquā cùm character ✗ adhibeatur aliàs,non ſolet tamen character ♮ adhiberi niſi in chorda b *fa*, ♮ *mi*, ad innuendum, licet modulatio per b molle fiat, ea tamen occaſione, eſſe notàm efferendam non per *fa*, ſed per *mi*; adeò vt ex Meſe tranſitus fiat ad Parameſen, relicta Trite Synemmenon, cuius chorda b *fa* propria eſt.

Nunc ad Recentiorum Modos vt redeamus, diximus iam illos fieri duodecim ex diuiſione partim Harmonica, partim Arithmetica ſpecierum ipſius Diapaſon. Exiſtimatur autē Diapaſon harmonicè diuidi, cùm Diapente infra, Diateſſaron ſupra conſtituitur; quippe iuxta diſpoſitionem numerorū 6.4.3. quibus eſt antè declaratum proportionem duplam harmonicè diuidi; Arithmeticè autem, cùm Diateſſaron infra, & Diateſſaron ſupra, pro diſpoſitione numerorum 4. 3. 2. quibus dictum eſt diuidi Arithmeticè proportionem duplam.


Ac viderentur quidem Modi eſſe debere 14. cùm ſpecies Diapaſon ſint ſeptem; at duodecim tantum ſint neceſſe eſt; quatenus neque quarta ſpecies harmonicè diuidi, neque ſeptima harmonicè poteſt; quoniam ſi in quarta deorſum, in ſeptima ſurſum Diateſſaron acceperis, ea Triton erit, conſtabitve ex tribus tonis integris; ſicque reſiduū fiet non Diapēte, ſed vocata Semidiapente, conſtans nempe ex duobus tonis, & duobus Hemitoniis duntaxat.

Cæterùm ex 12. Modis, qui loco ſunt impari vt puta 1.3.5.7.9.11. vocari ſolent *Principales, Dominantes, Authentici*; qui verò ſunt pari, vt puta 2.4.6 8.10.12. dici ſolent *Collaterales, Famulantes, Plagales*. Scilicet quòd illi & creentur ex diuiſione harmonica & elatiore loco ſint; iſti, & creentur ex diuiſione Arithmetica, & depreſſiorē ſedem obtineant. Etenim cùm bini aſſumantur, hoc eſt 1. & 2. 3. & 4. 5. & 6. &c Sunt quidem chordæ ipſius Diapente coniugaris authentico & collaterali communes; at Diateſſaron in illo ſurſum, in iſto deorſum additur; ſicque eſt neceſſe vt iſte ſit diateſſaron integrā inferior, quàm ille.

Vt habeas autem quo ordine & ex quibus ſpeciebus Diapaſō ſinguli creētur; creatur ecce primus ex 1. ſpecie diuiſa Harmonicè, Secundus ex 5. diuiſa Arithmeticè, Tertius ex 2. diuiſa Harmonicè, Quartus ex 6. diuiſa Arithmeticè, Quintus ex 3. diuiſa Harmonicè, Sextus ex 7. diuiſa Arithmeticè, Septimus ex 4. diuiſa Harmonicè, Octauus ex 1. diuiſa Arithmeticè, Nonus ex 5. diuiſa Harmonicè, Decimus ex 2. diuiſa Arithmeticè, Vndecimus ex 6. diuiſa Harmonicè, Duodecimus ex 3. diuiſa Arithmeticè, Eſſe autem exempla Modorum hæc poſſunt




Quin-etiam, quia, vt iam monuimus, tam Authenticus, quàm collateralis ipſi coniugatus eandem Diapente communem habent; ij poſſunt bini, ſeu coniugati ſic repræſentari, vt tribus notis cuiuſque authentici ſubiiciatur quarta, ad conſtituendum collateralem, cuius aliunde ſuprema nota ſit ea, quæ media authentici eſt; in iſtum videlicet modum




Quo loco adnotari poteſt tunc modum quēpiam dici perfectum, cùm inter canendum ad vſque Diateſſaron, ſeu quartam præcisè ſeu in authentico infra Diapaſon deſcenditur, ſeu in collaterali ſupra aſcenditur; imperfectum autem, & diminutum quidem, cùm non omninò attingit Diateſſaron, excedentem verò, cùm vltrà excurrit. Atque hic quidem ſenſus eſt, quo practici Harmoniam vocant, cùm illam habent pro ſyſtemate ex Diapaſon, & Diateſſaron conſtante.

Non memoro autem quòd Practici iidem Modos diſcernunt definiúntque ex duodecuplici commiſtione trium ſpecierum Diateſſaron cum quatuor Diapente, vt dum primum Modū eum eſſe deſcribunt, qui componitur ex prima ſpecie Diapente a *C ſol fa vt* & *G ſol re vt* poſita inferiùs, & ex prima Diateſſaron. *G ſol re vt*, ad *C ſol fa vt* poſita ſuperiùs, atque ita de cæteris: id ſcilicet perinde eſt. Obſeruo potiùs quod ſolent Modos ex propriis chordis in alias transferre, ſeu tranſponere, ex quo appellari tranſlati, ſeu tranſpoſiti modi ſolent. Fit autem hæc tranſlatio potiſſimum interuentu b mollis, ita ſcilicet perinde eſt ſeu dicas

Vtrobique



ſeu



Vtrobique enim primus Modus eſt; ſed illeic germanus, ſeu in propriis chordis, heic tranſlatitius, ſeu in alienis. Vbi & adnotandum eſt, ſi poſteriore quidem loco non adhibeas molle, non primum modum tranſlatum fore, ſed germanum ſeptimum; vti & ſi priore adhibeas, non iam primus erit, ſed nonus tranſlatus.

Quanquam verò ſint, qui propterea velint duos eſſe dumtaxat agnoſcendos Modos, quòd omnis cantus aut per b molle, aut per b durum peragatur; hæc tamen eſſe ad ſummum poteſt generalior diſtinctio; cùm plures ſint ſpeciales modi, qui ſub illo vtroque ſint planè diſtincti. Rectiùs fortaſſe qui exiſtimant ſeptem dumtaxat agnoſcendos, quatenus 8.9.10.11.12. iidem cum 1.2.3.4.5. eſſe videntur; tametſi appoſitè fit, cùm ideò habentur diſtincti, quòd vtcumque chordæ extremæ primi, & octaui, ſecundi & noni, & ſic de cæteris, eædem ſint; intermediæ tamen aliæ ac aliæ ſunt, quatenus altero exſiſtente authentico, altero collaterali, non poteſt eadem eſſe chorda, quæ Diapente ſurſum, deorſúmque procedendo efficiat.

Intereſſe autem plurimùm mediam quoque chordam eſſe eandem, vel ex eo perſpicitur, quod ad eam quoque appellatæ *Cadentia*, in quibus lepor cantus præcipuus conſiſtere deprehenditur, fiant. Neque verò modò mutata hæc chorda proprias mutat cadentias; ſed mutando ſimul chordam intercepti intra Diapente Ditoni ac Semiditoni, illas quoque mutat, quæ ad ipſam fiunt. Sed hac de re quoque aliquantò poſt.

Roges heic fortè, qua ratione vocati in Eccleſia Toni, quibus Pſalmodia peragitur, ad hoſce modos referantur? Reſpondeo verò, cùm octo ſolùm huiuſmodi Toni vulgò agnoſcantur primũ illorũ eſſe, qui heic tertius eſt, ſecundum, qui quartus, tertium qui quintus, ac ita porrò, quovſque decimus ſit octauus. Qua ratione fit, vt prætermittantur, qui heic ſunt primus, & ſecundus; vndecimus, & duodecimus: niſi quòd Tonus, qui præter illos Irregularis dicitur, & quo Pſalmus *In Exitu* canitur diebus Dominicis, ad modum vndecimũ refertur.

Quamobrem auté qui octo delegere Tonos à tertio Modo incœperint; non alia occaſione feciſſe videntur, quàm quia primitùs Modi incipiebant ab eo, qui iam habetur tertius, habétque chordam initialem, finalémque *D la re ſol*. Quippe pari Modo Tonus Eccleſiæ primus ſitus eſt in *D la re ſol*; neque verò ſecus octauus, perinde ac Modus decimus eſt in eadem *D la re ſol*: ſed ſuppoſita ſcilicet diuiſione Arithmetica à qua ſit Modus collateralis. Quod temporibus auté nuperis Modus primus acceptus ſit penes chordam *C ſol vt fa*, idcircò eſſe factum videtur, vt modi inciperent ab ea chorda, quæ ipſa eſt Clauis naturæ & ex Harmonica diuiſione primæ ſpeciei Diapaſon creatur. Quanquam & ſpecies Diapaſon inchoari à chorda *F vt fa*, aliave nihil vetuit.

Sed hiſce dimiſſis, ac vt aliquid de ſingulorũ modorũ proprietatibus attingamus; id primùm prætereo, quod varij variè recenteis hos Modos ad antiquos illos referunt & accommodant: vt dum plærique primũ vocãt Dorium, ſecundum Hypodorium, tertium Phrygium, quartum Hypophrygium; quintum Lydium, ſextum Hypolydium, ſeptimum Mixolydium; octauum Hypomixolydium, nonũ Hyperdorium, ac Ionium, decimum Hypohyperdorium, ac Hypoionium vndecimum Hypophrygium, ac Æolium: duodecimum Hypohyperphrygium, ac Hypæolium: Alij primum eſſe Phrygium, ſecundum Hypophrygium; tertium Dorium, quartum Hypodorium, &c. verùm res debet intelligi ex iis quæ ſingulis attribuuntur.

Primus itaque ad choreas, tripudiáque eſt comparatus; *Modúſque laſciuus* ideò dicitur.

Secundus ex ſe ſatis lætus, ob affinitatem tamen cum ſexto, ita ad exprimendum affectus amatorios deflectitur, vt proptereà *Languens, lamentabiliſque* dicatur.

Tertius dicitur modus *Grauis*, quòd ſit maximè ad res graueis, ſeriáſq; exprimẽdas idoneus.

Quartus quòd mœſtitiæ, miſeriæ, ſollicitudini exprimendæ comparatus ſit, dicitur *Flebilis, & ſupplex*.

Quintus quòd rebus arduis, difficilibus, aſperis, dicitur *Seuerus, auſterus, immitis*.

Sextus dicitur *Aſſentator*, quòd ſit maximè accommodatus ad exprimendum adulationes, querimoniáſque & languores amantium.

Septimus *Hilaris, alacérque*, quòd mentem à curis, & ſollicitudinibus auocet, & ad hilaritatem, lætitiámque componat.

Octauus *Religioſus*, quòd ferè vſurpetur pœnitentiæ, lachrymis, aliíſque pietatis verbis, affectibúſque exprimendis.

Nonus *Iracundus*, quòd accommodetur exprimendis minis, mentiſque emotionibus, vnde & ad res quoque laſciuas transferatur.

Decimus *Pudicus*; quòd miſtam pudori ſuauitatem præ ſe ferat, & ſedationem animi, modeſtiámque teſtetur.

Vndecimus *Politus*, ſeu comptus, quòd præ ſe ferat quidpiam comptum, limatum & compoſitum; vnde & carminibus Lyricis eſt maximè accommodatus.

Duodecimus *Luctuoſus*, quòd quarto, ſextóque affinis, exprimendis lugubribus, deploratíſque rebus ſit aptus.

Atque iſta quidem circa Modos idcircò adnotãda ſunt, quòd Harmonicis, Practiciſve habenda cura imprimis ſit, vt deligatur modum argumento congruum. Argumentum verò materiam ſubiectam, hoc eſt rem, ſiue orationem, quæ conciniitur. Vocant proinde vulgò ſubiectum, tametſi ſubiectum quoque nominant, eam concinentium partem, quæ ſua ſpeciali modulatione argumentum ſic exprimit, vt cætera ad ipſam, quaſi præcipuam referantur: idque ſiue illud ſit aliunde propoſitum, ſeu proprio Marte excogitatum.

Eſt autem modus deligendus, congruúſque vſurpandus, tum ne res lætæ modo lugubri, lugubres læto exprimantur, ac vniuerſè vt orationi ſit cantus cõſentaneus, tum vt agnoſcatur quibus chordis vocatæ cadentiæ accõmodandæ ſint, & ad quas vſque excurrere liceat. Quippe neceſſe plærumque eſt vltra modum excurrere cùm ſi canendo permutatis, vt loquuntur, vocibus, Tenor, v.c. authentico modo argumentum

exprimat,oporteat ſæpiùs partẽ imam ad quartam chordam infra Tenoris infimam, aut ſi io collaterali ad quiotam vſque exſceodere;neque ſecus partem ſummam,ad qointam, aut quartã ſopra altæ partis ſupremam aſcendere ; cùm ſit aliuode totâ Octauâ ipſo tenote acutior; vti & pars alta parte ima Octauâ totâ altior eſt. Vt taceam poſſe quidem ad vnam,alterámve chordam prætereà excurri,ſed non ſine magno plærumque coocioentium incommodo.

Dixi autem,dum vocibus permutatis canitur ; nam ſi canendum ſit paribus , vt ſi omiſſa parte ſummâ, duo, treſve tenotes ſint , tunc tanms excurſus neceſſarius ooo eſt , potéſtque chordarum ſyſtema eſſe longè mious. Vnde & obiter intelligi licet , oon poſſe propriè partes eſſe plures,quàm quatuot ; quoniam cùm plures inducuotur , oon ideò chordarum Syſtema augetur , ſed partes ipſæ ſic ingeminantur , vt ſint doo tenotes, v. g. quotum vnos ſit altera tota tertia acutiot; videlicet quaſi bipartiendo quintã,qua tenor ſuperat parteio imam , atque ita de cæteris. Prætereo autem cùm ex oppoſito pauciores partes ſunt,vt puta vel duæ, vel tres, poſſe eas in abſentium confinium chordas ſic excuttere, vt ipſas quaſi ſuppleant, iiſdem exhibitis conſonantiis.

Intelligimr cooſimilitet,ad agnoſcendũ concentus modum attendendam quidem præcipuè eſſe finalem chordã,ſeu eam in quam concẽtus totus deſinit ; at quia plerumque dũ modi authentici ſunt, io medias chordas deſinitur,dum collaterales in extremas ; ideò atteodenda textura eſt tota, ac peruidendum ad quas chordas crebriores fiant cadentiæ. Id certè maximè eſt neceſſe,vbi modi noo ſimpliees , ſed commiſti ſunt, veluti primus cum decimo, quiotus cum duodecimu , cæteríque pari ratione.

Quod dixi porrò deligendũ eſſe modum cõgruum,vt cantus orationi cõſentaneus ſit;patet accedere debere , vt quæ pars præcipuè argumentum exprimit,motiones gradatim, aut ſaltuatim;mioores,aut maiores pro ipſa argumẽti coodiiione ſubeat. Nam ſi argumeotom querulum,luctuoſum, flebiléque ſit,procedendũ maximè eſt pet Hemitonia, itémque per mioores tertias,ſexras,tertias decimas ſupra ioſimam;& ſupra chordas accideotaleis vſurpanda ioterdũ b molle,ac Dieſin;vt prætereeam notas maiores, durantioréſve eſſe debere ; vti & ſecus agendũ conſtat,vbi argumentum lætitiæ eſt; caueri autem potiſſimùm motiones illæ lenes debeot,vbi argumentum, iracundiam, immanitatem,aſperitatem præ ſe fert, vſurpãdæque maximè præter tonos integros maiores tertiæ,ſextæ, tertiæ decimæ : quartæ quoque vndacimæqoe, ac ſeptimæ etiam , præcipoéque cùm ſyocope, hoc eſt nota , quæ io tactus elatiooe cœperit , perſeuerante in depreſſione.

Quanquam verò hæc iam attinẽt ad praxin, iuuat tamen adhuc duo,aut tria quædam generatim ſubiicere. Vnum eſt, vt adhibeaotur cooſonantię potiſſimùm; tametſi,vt antè innuimus, poſſint interdum diſſonãtiæ appoſitè intermiſceri. Debent autem ioitio ſpeciatim ſolæ adhiberi conſonantiæ,eæque, quantum licet perfectæ,& maximè quidem ſi partes occipiãt ſimul canere ; nam ſi alioquio vna poſt aliam poſſint imperfectæ quoque vſurpari. Quod ſi vſpiam eſſe perfectæ,tum in fine præſertim debẽt; tunc enim pręcipuè harmoniæ ſuauitatẽ auris exſpectat,& qualis potiſſimũ eſt Octauæ,aut vniſoni.

Cauendum verò ſtudioſè eſt vt chordæ,notæve ſibi inuicem reſpondentes conſonantes ſint, ſed etiam quæ binæ hinc inde decuſſatim oppoouotur,hoc eſt prior vnius cum poſteriore alterius,ſe harmonicè habeaot,neque relatione, vt loquuntur,falſa,peruerſáve afficiantur ; hoc eſt vt inter illas neque Tritoous , oeque Semidiapente,neque Semidiapaſon,Diapaſoove excedens interueniat. Eſt autem præſertim Tritoous cauendus; cæteræ enim tolerantur faciliùs, maximéque Semidiapente ſi inſequatur Ditonus & præcedeote quidem,vt par eſt coosonantia ; neque enim alia ratione diſſonaotiarom aſperitas , quàm præcedentium , conſequentiúmque cooſonaotiarum ſuauitate lenitur.

Atque vt hoc loco quidpiam obiter,de Diateſſaroo, ſiue Quarta, quæ reſpiciẽda interdum videtur, adiiciam;ſcieodom eſt illam ſolitariam quidem,hoc eſt cùm duæ ſolùm partes canuotur,noo eſſe gratam admodum , quò fit vt ferè vſurpari niſi cum ſyocope noo ſoleat ; verùm cõſociatam;vt ſi tres,pluresſve partes conciõãt; tunc commodiſſimè vſurpari ; ac noo modò quidem copulatam inferne cum Quinta , aut minore tertia,ſed etiã ſupernè cũ tertia maiore.

Alterum, vt ipſæ conſooaotiæ cootiouò varientur;hoc eſt vt ooo adhibeantur coheretenter ioter duas eaſdẽ partes duæ octauæ,duæ quintæ,&c.ac minimè omnium duo Vniſooi. Id ſcilicet ingratum eſt, ac ferè ſolùm cùm aot motiones ſaltuatim procedunt , duæ tertiæ , ſextæque habeotur tolerabiles maximéque ſi altera maior, altera mioor ſit , ob tantulam illam Hemitonij diuerſitatem. (Qua ratione proiode fit, vt ſi tertia ſexram,aut ſexta tertiam cooſequatur altera eſſe maior altera minor debeat; niſi fortè altera partiũ in eadem chorda ootave conſtet) aut motiones cõtrariæ ſunt,hoc eſt,dũ vna partim aſcẽdente altera exſcẽdit,duæ qoęlibet conſonantię continentes oon improbãtur.

Notandum eſt verò tametſi duabus conſonantiis eiuſdem naturæ interponatur diſſonaotia ; illas nihilominus cootinenteis reputari, neque , perfectæ licet fuerint , ſatis ſuauiter diſſonantiæ iocohærentiam temperare.

Poſtremùm,vt variatæ cooſonantiæ non ſine delectu procedaot; vtque adeò ex vna in aliam vicinam tranſeatur. Exempli gratiâ,vt ſi ex ſexta procedendum ſit ad octauam , ea ſexta ſit maior,ſi ad quintam, ea ſit minor ; oeque ſecùs ſi ex tertia ad octauam;partibus ioterea motiooes oppoſitas ſubeuntibus. Quod ſi ex tertia ad quintam procedendum ſit , vbi altera quidem conſtiterit,par eſt tertiam eſſe maiorem,vbi variata fuerit minorem : ſi verò ex tertia ad vniſonum debet ea tertia eſſe miour ; & partibus quidem gradatim, oppoſitéque incedentibus, aut voa cooſtante, altera ſaltante ; nam ſi alioquio voa gradatim , altera ſaltuatiio aſcendat, eſſe eam minorem par eſt.

Verùm pauca hæc, & Modorum quidem occaſione attigiſſe ſit ſatis ; hæc enim , aliáque vt fuſiùs , ita ſpecialiùs proſequi ad eam praxim attinet , quam Compoſitiooem vulgò nominaot;quæque adeò in duabus,tribus plutibuſve partibus ad efficiendum Harmonicum coocentum aptandis, verſatur. Quare & huc vſque Mano-ductio ad Muſices Theoriam ſufficiat.

FINIS.

NOTITIA

NOTITIA
ECCLESIÆ
DINIENSIS,

CVI ACCESSIT

CONCILIVM AVENIONENSE,

Anni M. C C C. X X V I. Ex Manu-ſcripto Codice
Statutorum eiuſdem Eccleſiæ.

CLERO POPVLOQVE DINIENSI,

PETRVS GASSENDVS Eccleſiæ Præpoſitus, S.

VESTRA fuere vota, MI PRÆSVL, MEI COLLEGÆ, MEI CONCIVES, vt appellerem animum ad ea, quæ audiſtis interdum me de Eccleſia, Vrbéque noſtra edisserentem, conſcribenda. Nempe ſoliti eſtis demirari, qui potuiſſem è tenebris educere illa non pauca, quæ forent vobis incognita; ac reputaſtis, niſi ea ſcripto ſuſtinerem committere, fore, vt, me exſtincto, in denſam caliginem relaberentur. Manum itaque, ante meum à vobis diſceſſum, operi admoui; ac iam, alias inter Elucubratiunculas, emiſſurus quoque hanc ſum; tantò ſanè alacriùs, quantò propria alioquin ſponte hoc mei in Patriam affectus exhibiturus ſpecimen, perſentio me facturum rem Vobis futuram non iniucundam. Dudum eſt certè, quòd cogitâram, non antè, ſi Deus daret, emori, quàm hocce officio vt defungerer, hoc eſt, vt ex iis, quæ aut fando à maioribus accepiſſem, aut ex libris intellexiſſem, aut ex euolutis innumeris penè Regiſtris, Actiſque eruiſſem, aut ex viris curioſitatis oppidò raræ addidiciſſem, Opellâm huiuſcemodi quantulamcumque concinnarem. Ac me cum quidem nunquã habui, qui poſſem Principis Poëtarũ imitatione dicere,

Primus Idumæas referam tibi Dinia palmas,
Et viridi in campo templum de marmore ponam:

Verùm, non ideò intentatum pro modulo virium debui ſinere, ſi Diniæ fortè commendationem quærere aliquantulam poſſem. Quippe tametſi futuri ſint, qui me res adeò tenueis, ac noſtræ iſtæ Dinienſes ſunt, extuliſſe in vulgus cauſentur; tuebor me tamen, quòd hanc nactus Spartam, ornare hanc debuerim; &, cùm alij ſuis glorientur Mycenis, imitari mihi eum licuerit, qui Ithacam ſuam in aſperrimis ſaxulis affixam, tanquam nidulum, immortalitati etiam anteposuit. Videlicet, tametſi Patria nec magna, nec ſplendida ſit, non ideò minùs patria eſt, neque minùs ipſi debemus, quòd ſumus; atque adeò eſſe eam nobis minùs caram æquum non eſt: cùm & eo ipſo magis teneamur, quò exornare valeat nos, euadere ipſi cuipiam ornamento. Neque verò hoc dico, quaſi noſtra hæc tenuis prorſus ſit, obſcuráque habenda; cùm Ciuitas fuerit iam Plinij, Ptolemæique temporibus non contemnendi nominis, quippe Regionis cuiuſdam Caput; ac ideò deinceps in Prouinciarum diſtributione Diœceſis euaſerit ſecundum Metropolim prima. Quanquam, occaſione iſtorum, qui ſcribi, niſi grandia, valdéque illuſtria non ferunt, admoneo

fore, vt heic non videant claram Rhodon, aut Mitylenen, aliamve id genus vrbem laudari, nec facta virûm, quæ æternis famæ monimentis inclyta floreant: admoneo, inquam, maturè, ac in fronte; ne, ſi fortè ea, quæ ſequentur legere ſuſtinuerint, ſeſe deinceps operam, præter ſpem, luſiſſe querantur. Ad cæteros quod attinet, qui non perinde præter pauonem, rhombúmque omnia faſtidiunt, ac rerum faſtu non ſic ducuntur, quin cognoſcere parua æquè, & magna cordi habeant, ij, niſi aliud, ſaltem me eum eſſe deprehenſuri ſunt, qui cùm cæteris non inuideam, vt ſint palatiorum amplitudine, magnificentiáque glorioſi, ipſe caſis humilibus, paupertéque cauo ſim lætus. Sed & vtcumque de aliis ſit; abundè erit, quòd Vos ſaltem, quorum intereſt, hæc noſſe delectet: nempe & Vos eſtis, quibus ipſa præſertim ſcribo, iiſque, qui nobis ſucceſſuri ſunt, quibus non hæreo, quin gratum faciam, dum tranſdo ad illos, quæ me, ad nos vſque ex antiquitate non latent, quibuſque ſimilia ſi fuiſſent per vices ab aliquibus anteceſſorum tradita, non in ea, qua ſumus, rerum ignoratione; verſaremur. Quamobrem & ipſi Vos eſtis, ô Reverendissimé Præsvl, ô carissimi Collegæ, & Concives, quibus hæc ipſa offero, vt ſint in pignus mei illius, quem dixi, affectus, obſequiíque in Patriam, cui voueo, apprecórque omnem à Deo bonorum omnium largitore proſperitatem: Vtque ſint aliunde in quantulamcumque compenſationem eius officij, ad quod mei præſentiâ teneor; neque enim dubito, quin pro eo, quo eſtis erga me amore, quoque acceptum meum hoc munuſculum habebitis, hanc commutationem cum mei abſentia (non valdè prolixa, Deo dante, futura) æqui, boníque conſulatis. Ne longum autem faciam, cùm omnia, quæ ſum deinceps dicturus titulo *Notitiæ Eccleſiæ Dinienſis* complectar; ea ſic partienda trifariàm videntur, vt iuuet primùm pauca de ipſa Ciuitate præmittere; proſequi ſubinde ea, quæ ad Eccleſiam in ipſa ſitam attinent; ac ſeriem demum ſubiicere Epiſcoporum, qui Eccleſiam rexerunt, & Appendicis vice, Præpoſitorum etiam aliquot eiuſdem Eccleſiæ.

NOTITIA

NOTITIA ECCLESIÆ DINIENSIS.

PARS PRIMA.

Qua de Ciuitate Dinienſi pauca præmittuntur.

CAPVT PRIMVM.

Diniæ Situs.

VT igitur inde incipiam; DINIA; ſiue, vt in libello Prouinciarum legitur, *Dina*, Ciuitáſve Dinienſium, nominata eſt poſterioribus ſæculis, nunc *Dinea*, nunc *Dignia*, nunc *Digna*; & cohærenter *Dineenſis*, vel *Dienenſis*, *Dignienſis*, & *Dignenſis* vrbs. Gallica, & vernacula appellatio eſt *Digne*; etſi aliqui, vt Scaliger, ſcribant, *Dine*, & Schudus etiam apud Ortelium, *Doney*.

Populi, quorum Caput fuit, dicti ſunt Plinio, EBRODVNTII, dum narrat, *tam Auanticos, quàm, Ebroduntios, quorum oppidum Dinia, à Galba Imperatore formulæ adiectos*, hoc eſt, Narbonēſi Prouinciæ adſcriptos, cùm Inalpini antè haberentur. Scilicet aliàs idem Plinius inter genteis Alpinas à Romanis deuictas numerat Ebroduntios. Ac vult quidem citatus Schudus non Ebroduntios, ſed Bodiontios legendum, verùm, ſi coniectura placet, quidni potiùs Bloduntios, Bledontióſve legendum ducamus, propter Blodunam, vel Bledonam fluuium (vulgò *Bleone*) qui variè ſinuatus, varia hinc inde oppida habet; ac medio curſu Diniam alluens, quarto deinde lapide ſeſe exonerat in Druētiam? Certè, cùm Druentia ſuperiùs, eadémque ex parte fluuiolum Vantium excipiat; potuere, qui ipſum circumſtarent Populi, Vantici, Auanticíve eſſe, quorum Dinia quoque oppidum, ſiue caput foret. Niſi quis malit Auanticos requirere in Delphinatu, ob Auanſonum oppidum; ac ipſos etiam Ebroduntios pro Ebrodunenſibus habere. Quanquam, ſi illi quidem Auantici fuere; qui potuit ipſorum tam procul ſitorum, ac vltra Druentiam oppidum, eſſe Dinia? Qui etiam potuit Ebrodunenſium; cùm Ebrodunum, & iam antè Alpium, ſeu Græarum, ſeu Cottiarum celebre fuiſſet oppidum; & deinceps fuerit Metropolis, cuius Ciuitatum vna fuit Dinia? Quòd ſi præterea Plinius Ebrodunum, aut Ebrodunenſeis inter genteis Alpinas nominatim non numerauit; cauſa fortè fuit, quòd Ebrodunum habuit in iis duodecim Ciuitatibus, quæ non fuere recenſitæ in Inſcriptione illa è tropheo Alpium, quam referendam integram cenſuit. Videlicet, enumeratis variis Populis ſubiicit; *Non ſunt adiecti. Cottianæ ciuitates xii. quæ non fuerunt hoſtiles: item attributæ municipiis Lege Pompeia.*

At Ptolemæus Populos, quorum DINIA caput, vocat SEXTIOS, dum Οὐεσεντίων, inquit, καὶ Μεμινίων ἀνατολικώτεροι Σέντιοι, ὧν πόλις μεσόγειος Δινία. *Vocontiis, & Mimenis magis Orientales ſunt Sentij, quorum ciuitas mediterranea eſt Dinia.* Inouit autem hos fuiſſe extremos ad Orientem Galliæ populos verſus Alpeis, cùm ipſos inter populos Galliæ Narbonenſis recenſet, neque pro Inalpinis habet. Cùm verò eſſe addat finitimos Veſdantios, quorum Sanitium oppidum inter Italiæ populos, atque Alpium incolas refert; heinc fit, vt Sentios habere eoſdem cum Sanitienſibus non liceat; tametſi alionde nullum ſuperſit in tota regione eius vocis veſtigium; niſi fortè ipſam extendas ad vrbem vſque Sedenam, vulgò *Sene*, & poſſe putes iam Sedentios appellari pro Sentiis, cōiecturamque ea eo fulcias, quod proximi Sedenæ mōtes Gallicam ditionem à Sabaudica, ſiue Inalpina, atque Italica ſecernant. Vtcumque ſit, ac ne ambages conſecter; cùm temporibus inſequentibus mos obtinuit Gallias in ſeptem Prouincias diſtingui, habita eſt Dinia inter ciuitates Prouinciæ Maritimarum Alpium, quarum Metropolis Ebrodunum: quemadmodum vel ex citato Prouinciarum libro intelligitur.

Deinceps, cùm fines, nomináque Prouinciarum mutationes ſubierint varias; comperitur quidem Ebrodunum ab aliquot iam ſæculis ad Delphinatum pertinere: at DINIA ſemper in ea fuit quæ ipſum Prouinciæ nomen fecit ſuum. Heinc & Principem ſemper eum agnouit, qui Prouinciam obtinuit; & ex quo Comites Prouinciæ, qui iidem fuere Reges Hieroſolymitani, Neapolitani, Siculi, deſierunt regere Prouinciam, Caroluſque

omnine

nomine III. & Comitum vltimus obiit anno Chriſti M. CCCC.LXXXI. Dinia, vt & tota Prouincia Regem Francorum Principem habuit, ac Proregem eundem, ſeu Gubernatorem vocatum agnouit, & ex quo Supremi Senatus, Parlamentíve inſtitutio anno M. D.I. facta eſt Aquis-Sextiis, eò detulit vltimam controuerſiarum cognitionem.

Cæterùm DINIÆ ſub Cælo ſitus à Ptolemæo deſcribitur, ſecundum Longitudinem quidem, κζ, ς, hoc eſt 27. graduum, & minutorum 10. ſecundum Latitudinem verò μδ, γ, hoc eſt grad. 44. & minut. 20. Ipſi, quod ad Latitudinem ſpectat, quæ eadem eſt cum Poli altitudine, deprehendimus illam grad. 44. min. 6. idque idoneis organis, tam ex meridiana Solis altitudine, ac Solſtitiali potiſſimùm; quàm ex altitudine maxima, maximáque Stellæ Polaris, quæ ſpeciatim ſub finem anni M. DC.XXXII. obſeruata fuit, veſperi quidem ſummè euecta, grad. 46. min. 46. Manè verò ſummè depreſſa, grad. 41. min. 25 $\frac{1}{2}$. Vnde & patet, obiter, quantum Dinia ſit borealior Aquis-Sextiis, vbi ex noſtris obſeruatis attollitur Polus grad. 43. min. 33. quantum Maſſiliâ; vbi grad. 43. min. 20. quantum Tauroentio, Tolonéve, vbi grad. 43. min. 12. quantum item auſtralior Gratianopoli, vbi grad. 45. min. 12. quantum Lutetiâ Pariſiorum, vbi grad. 48. min. 50. atque ita de cæteris.

Ad longitudinem quod attinet; quia illius initium tam ſecundum Ptolemæum, quàm ſecundum alios in incerto eſt, ac differentiæ inter varias ciuitates tutiores ſunt, eapropter ſeligo dumtaxat Obſeruationes aliquot, ex quibus differentia Diniam inter, & cæteras (in quibus certè potiſſimùm eadem obſeruata fuerint) innoteſcat.

Prima eſt Eclipſeos Lunaris, quæ contigit anno M. DC. XXXIII. menſe Aprili, die XV. manè, Stylo nouo, ſeu Gregoriano, vti & cætera. Videlicet eius Initium, ſeu primam limbi remerationem inumbrationi ſuccedentem obſeruauimus teleſcopio, cùm Cauda Leonis foret ad occaſum alta grad. 20. min. 6. ac proinde Hor. 3. min. 9. à media nocte.

Secunda Eclipſeos pariter Lunaris, quæ contigit anno M. DC. XXXV. ac die Auguſti XXVIII. manè. Siquidem, cùm nobes permiſerint ſolùm conſpici Lunam circiter Incidentiæ, ſeu increſcentis obſcurationis medium; obſeruauimus teleſcopio ſex Digitos deficere horâ præcisè à media nocte ſecundâ; idque ex Aquilæ, ac Pegaſi Stellis.

Tertia Eclipſeos item Lunaris, quæ contigit anno M.DC.XXXVI. die Februarij XX. veſperi. Fuit quippe illius Initium hor. 9. minut. 44. ac ſemiſſe; Finis (præter phaſeis complureis) hor. 9. minut. 35. idque ex duabus, aut tribus Stellis; vti & ferè in cæteris.

Quarta Lunaris rurſùs Eclipſeos, quæ anno M. DC. XXXVIII. ac die Decembris XX. manè, ſiue ſtatim à media nocte. Contigit nimirùm illius Initium hor. 10. min. 37. Immerſio Hor. 1. min. 38. Emerſio hor. 3. min. 13. $\frac{1}{2}$. Finis hor. 4. min. 14.

Quinta Eclipſeos demùm Lunaris, quæ anno M. DC. XLIX. ac die Nouembris XIX. manè. Quippe obſeruatum illius Initium hor. 5. min. 18. Immerſio totalis hor. 6. min. 22

Sexta fuit Solaris Eclipſeos, quæ contigit anno M. DC. XXXIII. ac die Aprilis VIII. poſt meridiem. Cum Initium enim præripuerint nubes, obſeruare licuit nihilominùs tum Finem hor. 5. minut. 45. ex altitudine Solis grad. 8. minut. 5. tum plureis Phaſeis intermedias, ex quibus licuit intelligi contigiſſe Medium hor. 4. min. 42. $\frac{1}{2}$. maximo defectu exſiſtente digitorum 8. minut. 18. Scilicet teleſcopio, & appoſita machina vtebar.

Septima addi poteſt, quòd Luna occultare cœperit Regulum, anno M. DC.XXVII. die Iunij. XVII. hor. veſpert. 10. min. 30.

Octaua, quòd occultare primam trium in collo Sagittarij, anno eodem, die Septembris XVIII. hor. ii. min. 2.

Nona, quòd primam trium in Cauda Arietis, anno M. DC. XXXIII. die Februarij XIV. hor. 11. min. 30.

Decima, quod præcedentem duarum in Cauda Capricorni, anno M. DC. XXXV. die Auguſti XXVI. hor. 9. min. 49.

Vndecima, quòd eam Stellam, quæ eſt in extremo pede Caſtoris, anteceditve aliam in pede Præcedentis Geminorum, die memorata Decembris anni M. DC. XXXVIII. hor. 4. min. 37. id nempè, cùm Luna adhuc exueret ſuperſtitem ab Eclipſi penumbram.

Duodecima, quòd rediens Luna ad eandem Stellam Februario anni inſequentis, ac die XIII. tranſierit illi cuſpide borea, obtuſaque ad duo minuta, hor. 10. min. 17. idque cùm ſub noctis initium texiſſet, reuelaſſetque Propodem; atque id genus cætera; ſed pauci ad iſta attendunt.

Prætereo autem ex Eclipſibus, ac illa præſertim, anni M. DC. XXXV. quam in locis variis, intercedente optimo, & nunquam ſatis laudato Nicolao Fabricio Peireſkio, Senatore Aquenſi, amico coniunctiſſimo, obſeruari curauimus, colligi poſſe eſſe Diniam Orientaliorem Aquis-Sextiis, aut Maſſiliâ, beſſe, ſiue dodrante gradus: Amſterodamo integro gradu; Auenione ſeſqui-gradu; Pariſiis ſeptem (aut, vt aliàs, proximè quatuor) gradibus: Londino vix quicquam ampliùs: Occidentaliorem verò Tubingâ vix ſextante gradus; Neapoli gradibus 13. Dantiſco 14. Cairo 55. $\frac{1}{2}$. Alepo 28. Quanquam hæreo hac in re nimis.

CAPVT II.

Diniæ Deſcriptio.

FVIT verò ſemper DINIA, aut ſaltem ab annis pluſquàm octingentis, in Ciuitatem, & Burgum diſtincta. Scilicet *Burgum* nominant aliam quaſi vrbem

bem, vt poſterius dicendum. Conſtructa porrò Ciuitas fuit ad productam radicem montis præcipientis illi exortum ab æquinoctiali in æſtiuum: vnde &, cùm formâ ſit penè nuatâ, tendit ipſius longitudo ab ortu proximè æſtiuo in occaſum proximè hiemalem. Quà pars illius ſumma eſt, ac decliue dorſum montis imminet, Turris eſt *Taliaſia* vocata, & ſpecie quidem octangula; niſi quòd bina latera, quæ erant vrbem reſpectuia, coaluere in vnum planum. Oppoſita ex parte, hoc eſt ad productæ radicis extremum, rupes eſt, ſupra quam paullò eminentiorem extructum fuit pridem Epiſcopi Caſtrum, quod Patrum noſtrorum memoriâ ſic fuit dirutum, vt nihil iam præter maceriem, & aliquot cryptas, rudetaque ſuperſit. Id videlicet, poſtquàm anno M. D. LXXVI. occupatum à Caluiniſtis caſtrum, vnà cum adiuncta Eccleſia, induxit ciuibus in mentem, ne ſartum tectum locum tenerent, qui iteratò cedere in extraneum præſidium poſſet. De ipſa Eccleſia, quæ fuit à ſeſqui-ſæculo dumtaxat (ſicque aliquot ſæculis poſt ipſum caſtrum Epiſcopi, & ad eius ortum) conſtructa, ſuo inferiùs loco dicetur. Adnoto heic ſolum Turrim Campanilem, quæ illi adiacet, ac Horologio etiam vbis inſeruit, non eam eſſe, quam ciuitas condi anno M. CCCC. XIV. curauerat, ſed eam, quæ conſecta deinceps cum Eccleſia fuit; niſi quòd effecta cùm fuiſſet pyramidali faſtigio, reſecta eſt illi pyramis ante annos XXVIII. & Turri facta elatiore, (ſeruatâ nempe quadratâ formâ) ſuperpoſitum eſt illi Horologium intra caueam ferream, quæ machina eſt ingens, eleganſque, & procul accedentibus vt valde eminens, ſic pulchra adſpectu.

Tres fuere Portæ vrbis præcipuæ, quæ etiam num integræ viſuntur. Duæ nimirùm exſtant heinc inde infra Turrim Taliaſiam, quarum altera *Portale Trauerſiæ* ab adiacente ſuburbio, & *Durandorum* ab antiqua quadam familia appellata, aperitur, vergitque in Cæciam; altera *Portale Balneorum* (quod inde exeatur ad balnea) & *Solis*, aut *Solarij boum* (quòd in adiacente ſuburbio coriatij, alutarij ve exponant Soli, boum coria, cæteraſque pelleis) vocata, aperitur, vergitque in Vulturnum. Tertia habetur, quà extrema, imáque pars illius rupis in meridiem conuertitur; & ab oppido, quod primùm occurrit ad Bledonæ læuam, *Portale Galberti* nominata, aperitur, vergitque in Africum. Fuere & duæ Portæ minores, quippe non perinde munitæ ſuis turribus, nec belli, aut peſtis temporibus perinde apertæ. Prior fuit medio ferè loco inter eas, quæ Trauerſiæ, & Galberti dictæ ſunt; appellata primùm *Portale Vbaci* (Prouinciales nempe Vbacum, quaſi Opacum, nominant proſpectum ſeu montis, ſeu loci alioquin editioris borcum) ac deinde *Capituli*, ob quæſiuam illeic ante annos trecentos Capituli domum. Ea fuit aperta, vergénſque in Cærum, ac non ita pridem, ſeu meo tempore, ita diruta, vt vix iam ſuperſit illius veſtigium. Poſterior illi oppoſita, & Balneorum Portæ, quàm Galberti propior, conuertitur quoque, vt illa, in Vulturnum; & neque adeò antiqua eſt, neque alio nomine, quam *Portaleti* nuncupatur. Ipſa eſt, iuxta quam Tribunal Regij Iudicis olim fuit.

Mœnia fuere variis, iiſque quadratis interſtincta Turribus, quæ integræ ferè adhuc perſeuerant (tametſi tam ipſæ, quàm murus, & ante-murale magna ex parte in domos cedunt) ac tres præſertim ex iis quatuor, quæ inter Portam Galberti, & Portaletum ſunt; vna, quæ exinde ad Portam Balneorum, & (præter ipſam turrim Taliaſiam, quæ in apice vrbis eſt) tres, quæ à Porta Trauerſiæ in Portam Vbaci. Quod porrò ex Vbaci Porta in Portam Galberti fuerit vnica, cauſa fuit ipſum Epiſcopi Caſtrum, ac prærupta rupes; vnde & nullæ domus ipſi adiacuerunt, ac fuere ſolùm aliquæ exſtructæ, qua parte aliquantula fuit rupis decliuitas verſus Africum, ac verſus Meridiem. Mœniorum, ac adeò totiùs Ciuitatis ambitus, ſecluſis ſuburbiis, maior non fuit paſſibus communibus, proximè octingentis.

Vicus intra ciuitatem præcipuus fuit vnus, iſque appellitatus *Rectus*, quaſi rectà tédens à Porta Galberti ſecundum vrbis longitudinem, & meridionalé quidem eius partem; niſi quod circa medium angiportus auſtralior eſt; & quà quidem vix deflectitur vicus non-nihil ad læuam. Appellatur etiam inferior ob ſuperiorem alium citra, ac vltra Portaleti regionem, quo vſque factus è Regione turris, quam eſſe inter Portaletum, ac Balneorum Portam eſt dictum, tum dilatatur in Macellum, tum flectitur in læuam, excipitúrque à vico ipſi parallelo, & ſuperiore dicto, qui mox in Plateam præcipuam ampliatur, & coactus rurſus in anguſtias ad appellatam Vrbis domum, aperitur breui in Plateolam, quæ ante Portam Balneorum eſt, ſinuatúrque exinde ad læuam in Portam Trauerſiæ. Prætereo autem Regionem vrbis in quam ſtatim à Porta Galberti ad læuam, aſcenditur, venire *Rupis* nomine; ſcilicet à ſubſtrata rupe; &, cùm ſint aliquot illius quaſi mæandri, ſeu viculi; ſuperiores duos ex iis, qui ſecundum vrbis longitudinem ſunt, coire in vnum ad meridiem Caſtri, ipſiúſque Eccleſiæ; infimum verò excipi à vico Iudaico dicto, qui mox deſcripto ſubiicitur, ac intereeptam adeò ſub Caſtro Regiam domum ſeu Palatium habet. Is Parallelus eſt ipſi Recto; vnde & illo alio per decliuitatem accepto, ſuccedentem habet, quem Superiorem diximus, quique ſub medium leuiter flexus alium excipit, ex porta Vbaci obliquè ſubeuntem; idque deducto in vtrumque angiportu, quo ex rupe, ac parte Eccleſiæ orientali excenditur. Cùm ſint porrò vici intra Vrbem anguſti, tum anguſtiores etiam, obſcurioréſque ex eo redduntur, quòd Domorum facies non parietibus, ſed productis contignationibus inſiſtant: quò fit, vt qua præſertim parte contignationes huiuſmodi columnis nullis ſuffulciūtur, inamœnus ſit, propter ſitum inæquabilem domorum, proſpectus.

Fit

Fit quoque, vt domus, quæ maxima parte oblongæ, anguſtæque ſunt, ſint ſimul obſcuræ; & quæ cameræ mediæ inter anticas, poſticáſque ſunt, efficiantur cæcæ; niſi quòd in quibus ſont ſcalæ medium occupantes ædificium; ſpatium quadratum adiacet, ac inane in cælum patet (Cælum apertũ nominant) ex quo aliquid lucis cortiuetur.

Ad Suburbia quod attinet; maximum fuit olim, quod ex ſitu quaſi tranſuerſo ſecũdum faciem memorati montis in Boream conuerſam, nominatum *Trauerſia* eſt; quippe interſtitio paſſuum proximè octingentorum ciuitatem ipſam eum Burgo connexüit. Nunc ſupereſt ſolùm triens circiter; ſuntque in vacuo parietinæ, ſeu rudera potiùs Sacelli beati Sebaſtiani, quod illius medium circiter obtinuit. Aliud, cui (vt dictum eſt) *Sol*, vel *Solarium boium* eſt nomen, tãtum ferè iam, quantum olim eſt; ídque inſtauratis, à me vſque puero, variis domibus per bella ciuilia euerſis; ac in iis etiam publico Gymnaſio, in quo ſub extremum Suburbij exædificato, literæ humaniores docentur. Tertium, quod à Porra Galberti, & porrò ad vſque Portam Vbaci, vlteriúſque extenditur, tum recentiùs eſt, tum ampliùs, quàm cætera duo. *Vbacum* vulgò dicitur; niſi quod heinc inde ad Plateam, quæ extra Portam eſt, itemque quà directò ab ea iu Portam Suburbij, ac porrò in Confluentem itur, appellari *Pes vrbis* ſolet. Eius, ac Trauerſiæ ſpatioſi ſunt vici; ac inſiia exſtructæ domus commodiores, ampliores, & participantiores lucis, quàm quas intra vrbem eſſe diximus.

De Bvrgo, vt etiam dicatur, id intelligitur ex iam dictis eſſe, aut fuiſſe potiùs, ipſi Ciuitati ad Cæciam. Eius ſitus eſt in conualle, quam ad vnam leucam fluuiolus *Mardaricus* dictus ſic præterluit, vt non procul à mœnibus Ciuitatis demùm decorrens, in Bledonam exoneretur. Vix autem fuit Burgum ſuo ambitu ciuitate minus; vti demonſtrant mœnia, quæ tametſi ſemiruta, & penè ſolo exæquata, dimidia tamen adhuc ex parte nempe ad Occaſum, & Boream ſuperſunt: cùm quà fuere iuxtim, & ſecundum Maidaricum, ac præter pratum, quod iam eſt Præpoſituræ, veſtigio careant. Murorum proinde circuitus fuit præter propter paſſuum communinm ſexcentorum.

Tres quoque fuere illius Portæ; Vna, quæ patuit in Trauerſiam, ipſamque adeò Ciuitatem; ac fuit idcircò aliquando *Porta Trauerſia* nominata. Fuit etiã dicta *Porta Inferior*; & ante ſeſqui-ſæculum *Porta lede noſtra Domina la bella* fortè à quapiam imagine iuxta illam pulchrè depicta. Supereſt nunc ſolùm illius ex vtraque parte maceries, & cohærens quidem ad læuam (ſcilicet ingredientibus) com muroreſiduo producto in Boream, ac verſus Sacellum beati Ioannis Chryſoſtomi, vlteriùs ad eam partem ſitum. Alia ipſi oppoſita, qua exibatur Sedenam, Ebrodunum, in Pedemontium (vti & exitur etiam-num) ſortita eſt *Porta Superioris* nomen: ac dicta eſt etiam aliquandiù *Porta Sauina* à quodam familiæ Sauinæ ruſtico prædio non procul ſito. Integra penè præter arcom viſitur adhuc eius ſtructura; vti & Mœniorum, quæ exeuntibus cohærent illi ad ſiniſtram. Tertia exſtitit, vbi nullum iam obſeruare licet illius veſtigium: quà nempe murus quem diximus tendere in Boream, & terminatur, & ab eo excipitur, qui eſt ſecundum vineam Præpoſituræ ab occaſu in ortum. Exeuntibus illâ aderat proximè ad dextram memoratum Sacellum beati Ioannis Chryſoſtomi, è quo deflectebatur iter ad Sacellum ſancti Martini, ac ad oppida verſus Boream ſita. Nomen illi *Porta Laurentia*; an id à familia Laurentia (qualem ipſi deficere in vrbe nuper vidimus) an à quapiam imagine, Sacellóve beati Laurentij; an aliunde, eſt incompertum.

Exſtat in Burgo Baſilica, ſiue Eccleſia Cathedralis, de qua dicendum poſteriùs eſt; ſuperſuntque adhuc circum ipſam, circúmque Cœmeteriũ, Præpoſiti Domus, & paucæ quædam aliæ quæ olim fuere Canonicorum. Cæteræ ab annis nonaginta præſertim (cœperant quippe etiam antè, familiis Burgi in vrbem ſecedentibus negligi) ita propter bella ciuilia dirutæ, collapſæque ſunt, vt ſolo exæquatæ, & in viridaria, agroſque conuerſæ (iam enim eſt ſeges, vbi Burgum fuit) documento ſunt attendentibus, quæ ſint rerum vices. Heinc præter vicom, qui à Porta inferiore in ſuperiorem, publica iam Regiâque eſt via, duo ſolùm ſuperſunt, quorum altero ibatur in Portã Laurentiam, altero in partem quidem eandem, ſed tamen non procul à Porta inferiore. Cæteri confuſi cum prædiis ſunt; quatuorque viculi præſertim quibus exibatur in Mardaricum, quorúmque aliqui nuper ſolùm fuere obſerati.

Capvt III.

Diniæ Ditio, ac Magiſtratus.

Porrò, cùm ſemper fuerit, vt Agri, ſiue Territorij, ita Ditionis, Magiſtratuumque inter Ciuitatem, & Burgum diſtinctio (niſi quòd munera, oneráque appellata Municipalia, videntur fuiſſe à tribus propè ſæculis confuſa, atque indiuiſa) ideò à Ciuitate vt ordiamur; ea Ditionis pars, quæ Iuriſdictio dicitur, fuit olim inter Principem, Epiſcopúmque communis. Vnde & ante duo ſæcula, præconia, proclamationéſve fieri adhuc ſolebant coniunctim authoritate Baiuli Regij, & Clauarij Epiſcopalis (ſic certè ſpeciatim habetur in actis, quibus Capituli emphyteutæ Diniæ commorantes; & Galberti bona obtinentes ad recognoſcendum interpellabantur) & factæ ante ſæcola quatuor Conuentiones hac de re, inter Principem, & Epiſcopum, in Regiis Archiuis hoc titulo exſtant. '*Compoſito Domini Dignenſis Epiſcopi. In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen. Anno eiuſdẽ* M.CC.LVII. *die Dominica, in craſtinã ſancti Michaelis. Cõſtet quidẽ hoc publico Inſtrumẽto, quòd cùm ſuper diuerſis articulis, & caſibus ratione*

ratione Iuriſdictionis , & dominij Dignenſis Ciuitatis, & territoru,& aliis variis quaſtionibus, inter excellentiſſimum Dominum Karolum, Domina B. vxoris ſua eorumdem Comitatuum Comitiſſe , & Marchioniſſe Prouincia nomine , ex vna parte : ac venerabilem Patrem Dominum B. Dignenſem Epiſcopum, ſuo , & Epiſcopatus ſui, ac Dignenſis Eccleſia nomine ex altera , diuerſi generis eſſent orta. Tandem Prefatus Dominus Comes, &c.

Nunc ſeſqui-ſæculum ferè eſt,ex quo vniuerſa Iuriſdictio, quæſita eſt Principi , & Iudicibus Magiſtratibúſve ab eo conſtitutis(de ea loquor, quam Temporalem , ſæculatémque nominant ; eſt enim prætereà Eccleſiaſtica,quam ſemper in Epiſcopo,illiúſque Vicario reſidere eſt manifeſtum.) Quin-etiam, cùm in Conuentione memorata hæc verba legantur , *Item mandauerunt* (ſupple Arbitri) *quod Dominus Epiſcopus concedat Domino Comiti, quod poſſit emere, ſeu acquirere hoſpitium, ſiue locum ad adificandum , vbicumque voluerit in Ciuitate Dignenſi ; dummodò extra torum,ſeu montem,vel Fortalitium, vbi domus Epiſcopalis noſcitur conſtituta ; quod incontinenti conceſſit ;* cùm hæc,inquam, verba legantur ; eſt tamen deinceps acquiſita Principi domus, quæ Capituli olim fuit, in toro, ſeu monte fortalitij Epiſcopalis : ea nempe , quam iam diximus Regiam domum , ſiue Palatium , in quo & ius à Regiis Magiſtratibus dicitur , & carceres Regij ſunt.

Quod verò ad Directum dominium (partem Ditionis alteram) ſpectat,illud fuit olim magna ex parte Principis, & Epiſcopi ; cùm & priuati non pauci forent,qui Emphyteuſes proprias, ac laudimiorum iura haberent ; vt familiæ Amalricorum , Iſoardorum , Roſtagnorum,de Bella-garda,& aliæ ; ac Præpoſitus etiam , Capitulúmque , & Hoſpitale : at iam illud totum ſic in Principem , Epiſcopúmque tranſiit,vt iam ex dimidio ſit vtriuſque,neque Emphyteutæ ſint ampliùs,quemadmodum fuere priſcis temporibus,diſtincti.

Sed ad Iuriſdictionem , Regióſque Magiſtratus vt redeam,efficitur ex ipſis Dinia duplex quoddam vrbium, & circum-jacentium oppidorum caput. Ac imprimis quidem ratione Seneſcalliciæ præfecturæ. Quippe,cùm vnus Seneſcallus,ſeu quaſi Prætor Prouinciæ ſit ; ſunt tamen à centum,& viginti,ac tribus annis , creati varij Proſeneſcalli , Proprætoréſve per Prouinciam , quos appellant Locum-tenentes,ac illis attributæ Sedes in variis ciuitatibus ; illéque,qui Diniæ conſedit, ſucceſſit Regio Iudici , idque iuriſdictionia finibus prolatis. Siquidem fuere illi attributæ vrbes quædam Epiſcopales , vt Regium, ac Sanitium ; aliæque etiam , quæ aut iam tum fuerint, aut deinceps affectæ Regiæ, vti Sedena, Collis martius , Monaſterium, Mezellum, Medæ : præter oppida minora complura, quæ in illius forum , etiam num conueniunt ; niſi quòd, creatis nuper duabus Sedibus, Siſtarici vna, Caſtellanæ altera, fuere hinc inde oppida varia , ac Sanitium quoque , ab illo ſubducta. Fuerant & alia priùs diſtracta ; nempe cùm Sedes quinque crearentur ſuprà illas quatuor,quæ inſtitutæ primùm fuere anno ſæculi ſuperioris xxxı. & quas inter Dinienſis fuit.

Primus in ea Pro-prætor , ſeu Proſeneſcallus delectus fuit Blaſius Clarianus, qui & quinquennio pòſt dicere ius cœpit in eo cauſarum genere , quod appellitant Submiſſionum.Succeſſit illi Raymundus Andreas poſt annos præcisè triginta ; hunceque decennio circiter pòſt excepit Ioannes Aguillenquius. Huius quotquot legi iudicia , ſummam æquitatem ſapere ſunt viſa. Qui ab ipſo fuit Guillelmus Falconius, pietate , morum integritate , iuris dicundi peritiâ inſignis , ſupra quadraginta annos ſedem tenuit ; donec fato functus ante annos triginta , ſucceſſorem habuit Carolum Tabaretium, qui vitæ quoque integer , intelligénſque muneris , effectus eſt ante annos decem claſſis Inquiſitionum in Senatu Præſes , ac genero nobili Horatio de Caſtellana locum ceſſit. Hunc paucis ante meum diſceſſum menſibus excepit Ioannes Franciſcus Rufus , cuius & natales, & liberalis indoles,cum iuris,& æqui amore, ſtudióque conjuncta , præclaram ſpem faciunt , vt , qua eſt ætate , euaſurus ſit in conſummatiſſimum Magiſtratum. Prætereundum interim non eſt , præter Proſeneſcallum primarium , prætérque Aduocatum, & Procuratorem , ſeu Cognitores Regios, creatos fuiſſe temporis progreſſu , Proſeneſcallos treis , Particularem , Submiſſionum, Particularem criminum ; Conſiliarios prætereà treis ; idque cùm, me adoleſcente. Proſeneſcallus Particularis , & Conſiliarius vnicus aſſiderent.

Deinde ratione Baiuliæ , ſeu Vicariæ , Vigueriæve, vt iam appellant. Nempe, vt olim Baiulus Regius , ita iam Viguerius conſtituitur, qui non modò, Cenſoris inſtar , de criminibus in Vrbe cognoſcat ; verùm præſit etiam Comitiis , vt particularibus (ſeu minoribus) Ciuitatis,ſic generalibus tam ipſius, quàm oppidorum circumjacentium,quæ coëuntia , agunt præſertim de Prouincialibus ſubſidiis;& cùm opus eſt,hominem delegant, qui in Ordinum Prouinciæ,Comitiis,ſpeciala, diſtinctúmque ab eo , quod ſit proprium Conſulis Ciuitatis , ſuffragium ferat. Nec verò antiquum eſt modò , vt Vrbes , oppidáque Prouinciæ , quæ ad tertium Ordinem ſpectant, per Bajulias diſtinguantur ; ſed Nobiles etiam , qui ſecundum conſtituunt. Exſtat certè Recognitionis actum anni ᴍ cccc. ɪx. quod mihi occurrit hocce titulo, *Recognitio facta Domino noſtro Regi Roberto per infra-ſcriptos Nobiles,& Barones Bajulia Digna.*

Ad Burgum verò quod attinet, ſpectat tota illius Ditio , hoc eſt tam Iuriſdictio, quàm Directum dominium ad Eccleſiæ Præpoſitum; idque ex conceſſione Raymundi Berengarij Primi, Nepotis Ildefonſi, & Abnepotis Raymundi alterius Berengarij qui anno ᴍ. cc. xxı. vɪɪɪ. Eidus Martias , conceſſionem factam à maioribus ſpeciali diplomate ratam fecit. Hinc eſt , cur ex illis temporibus vſque conſtituatur à Præpoſito Iudex cũ aliis,vt vocant,Officiariis,qui in Burgi Curia cauſas

cauſas tam ciuileis, quàm criminaleis dirimat (exceptis tameo caſibus Homicidij, & Adulterij, quos Princeps ſibi reſeruauit) exſtetque etiam-num Chartularium, ſiue Codex Inquiſitionum, Iudiciorumque Clauarij (ita vocabant Iudicem) à Raymundo Agouto de Pooteues Præpoſito creati, per anoos M. CCC. XXXVI. M. CCC. XXXVII. & M. CCC. XXXVIII. cum pluribus aliis tam antiquioribus, quàm recentioribus Iuriſdictionis actis; etiam Præconiorum ſolemnium, quæ qnotannis in feſto Aſſumptionis B. Mariæ fiunt Cur item Præpoſitus prædia tam vrbana, quàm ruſtica io Emphyteuſin, ſeu, vt vulgò loquuntur, io Accapitum det, Emptores inueſtiat, Prælationis iure vtatur, Laudimia, Cenſuſque exigat; ac præterea Iura Pedagij, ſiue Puluetagij, vt vocant; ne & iura illa antiqua vocata Furnagij, ac Moliturǽ memotem; ne ius Cociarum ſiue menſuræ in diuendendis frumentis, legumioibus, nucibus; oe ius percipiendæ io Saliuo Quarteriæ Salis ſingulis hebdomadibus; oe percipiendi inſuper ſingulis annis Sextaria ſex, quod idem poſterior Raymundus Berengarius anno M. CC. XXX. pretio Raymundinorum bis mille quingeotorum à Præpoſito acceptorum, conceſſit.

Quod dixi autem Munera, oneráque Municipalia videri à ſæculis propè tribus inter Ciuitatem, Burgúmque confuſa; ioſinuare imprimis volui, eſſe prætereà in Ciuitate Magiſtratus municipaleis, quos Conſules iam dicimus. Iam, inquam; nam à ſuperiore ſolùm ſæculo ita nominantur; cùm antecedente, & ab anno vſque M. CCC. LXXXV. appellarentur Syodici, ac ante id tempus Cominales; quod oomen illis iam tribuitur, qui proximè ex-Conſules, æſtimandis rebus, maximéque fundis, damniſque datis præficiuntur. Deinde fuiſſe quoque in Burgo Magiſtratus huiuſmodi, & Conſules quidem à prima vſque eorum ioſtitutione nominatos. Quippe & facultas eligendi, creandique treis Conſules legitur conceſſa hominibus Burgi anno M. CC. XCVII. & io memorato Chartulario trecentis annis ſuperiore, verba hæc habentur nou ſemel. *Mandamentum eſt Domini Præpoſiti, & Conſulum* (interdum etiam Conſulorum) *Burgi*. Tandem, cùm foret commodum viſum iuribus omninò communibus vti; viſum quoque fuiſſe Cominalium, Conſulumque loco creare indiſcriminatim ex Ciuitate, & Burgo Syndicos communeis, qui in commune tam Ciuitatis, quàm Burgi rebus prouiderent; & Territoriis alioquio ſua ſub ditiooe permanentibus, prædia vtriuſque ſubiicere oneribus communibus, peoſitationibusve, quas Taleas appellant; vt ſeu ſubſidia ſoluenda forent, ſeu quid prætereà in communem vtilitatem impendendum, id ex communi illa pecunia, quaſi ærario publico fieret.

Prætereo autem Conſules creari quotannis pro Comitiis Ciuitatis generalibus, ſeu in generali Conſilio, quod ſit neceſſe ex Conſiliariis duodequinquaginta conſtare. Fieri id verò Pridie Annuntiationis B. Mariæ, ſeu IX. Kalendas Aprilis; ac ſolemne eſſe, vt die inſequente, ſiue Ipſo feſto, Conſules creati Diuinis officiis cum Epomide, Conſularive ornamento interſint. Prætereo & huiuſmodi generale Coonſilium cogi à Conſulibus per annum, ſi quid fortè deliberandum de rebus præcipui momeoti occurrat; cùm ſi deliberandum ſit de minoris momenti rebus, tum Conſilium Particulare vocatum ſolùm conuocent, quod ex duodecim conſiliariis conſtat. Prætereo demùm Generale cogi authoritate Proſeneſcalli, qui intereſſe illi aut ipſe, aut alius ex ſede Seneſcallica Regius iudex, Conſiliariuſve debeat: Particulare verò authoritate Baiuli, ſeu Viguerij, qui debeat quoque ipſe adeſſe; aut, niſi adſit, Conſulum primus, ſumpto in manus Viguerij baculo, vt inſigni, illius locum teneat.

Capvt IV.

Ager, Commercium, Nundinæ Dinienſes.

VT cetera iam perſequar, & de Agro, ſeu Territorio, commercióque, quod Nundinis præſertim increbreſcit, dicam; conſtat Ager ex montibus, vallibúſque iotereceptis totus. Quippe circumſtant vndique montes; ueque horizon liber eſt, niſi quadamtenus ad occaſum hiemalem, quò verſum fluuius *Bledona*, de quo eſt iam dictum, decurrit. Is quatuor ab vrbe leucis, milliaribuſve Prouincialibus, & ad ortum quidem æſtiuum, originem ducens, circuitu quodam in boream, ac deiode in occaſum facto, occurrit tandem à ſeptentrione, & ad Ciuitatem perueniens, excipit altera ex parte Mardaricum, de quo eſt iam dictum; ex alterâ Fluuiolum, torrentemve paullò maiorem vocatum *Aquas-calidas*, à calidis Balneorum aquis, quæ alteri eius ramo commiſcentur. Aduenit ille quoque, vt *Mardaricus*, ab exortu; ſed coalitis non longè alueolis duobus, quorum alter ab ortu æſtiuo, alter ab hiemali aquas colligit. Bledona non longè ab ipſis exceptis, ſiouatur in occaſum, vt dixi hiemalem, ac poſteà ampliùs recuruatus, exoneratur denique, quod etiam dixi, in Druentiam.

Cùm ſint portò Montes maxima ex parte rupei, ſcrupei, ac infetaces; idqoe à pleriſque iam annis, ex quo & ſiluas cædere, & nouellare paſcua eſt viſum (ſiquidem vehementes pluuiæ deraſâ terrâ nudâruut rupeis) ſuperſunt tamen tres Conualles, quæ & pratorum arboribus conſitorum amœnitate, & bonitate fructuum haud facilè aliis coocedant. Vna eſt Aquarum-calidarum, altera Mardarici, tertia ipſius Bledonæ, idque tam verſus illam regiouem, è qua adfluit, quàm verſus illam, io quam effluit; tametſi ripa eius vlterior haud territorij Dinienſis eſt, ſed attinet ad oppida Corbonos, Ceyáſque vocata. Heinc pyra, poma, ceraſa, generaque alia fructuum optima; imprimis autem Perdrigonia Pruna, quæ non cæteri modò mercatores, ſed ipſi etiã Brinonięſes pro Brinoniis quærunt, diuendũtque. Vites ad latera

conuallium

conuallium ſatis copioſæ ſunt conſitæ, ex quarum haud exigua parte optimum, atque in æſtatem præſertim, exprimitur vinum. Quanquam ſolet vinum recentius, ex agro Medenſi, Regienſi, aut inferiore ex Prouincia quæri, vt illi commiſtum vnàque fermentatum, temperiem haudquaquam iniucundam efficiat. Frumenti prouentus, ob cauſam memoratam, exiguus: ex quo etiam efficitur, vt armenta in circumuicinis oppidis frequentiùs paſcantur: in quibus etiam plerique ciuiũ prædia quæritát, poſſidéntque.

Eſt verò etiam, ob ſiluas excisas, caritas lignorum, caritaſque non parua. Quanquam id, quod ædificando neceſſarium eſt, ad treis leucas cæditur, Bledonáque aduehitur, niſi quod ſiluæ illeic cæduæ breui defecturæ timentur. Diu nempe eſt, ex quo trabium copia quotannis Bledonæ commiſſa, tranſmittitur ſubinde Druentiâ, Rhodano, Mari, Auenionem, Arelatas, Maſſiliam; ac varie intereà ab iis, quibus opus eſt, trabes retinentur, & in mediterranea etiam loca, vt Aquas Sextias, conuehuntur. Siſtuntur autem Diniæ non modò quæ domibus ædificandis, verùm etiam quæ aggeribus extruendis, inſtaurandiſque Pontibus neceſſariæ ſunt; imprimis verò illi, quo Bledona tranſmittitur, paſſibus trecentis, & triginta communibus longo. Non fuit is ſemper, vbi iam, & ab annis prope octoginta exſtat; quippe ante duo ſæcula, ſeu anno M. CCCC. XLI. ex redemptione, ſeu pacto-pretio, conſtructus fuerat inferiùs, ſubſtratis pilis Lapideis, quarum vna ad annos vſque nuperos, non longè a ripa vlteriore, ſuperſtes fuit, ac per vices quoque, aqua circùm excauante, ſui indicium facit. Adeſt porrò magna aliunde ædificando Gypſi copia: nam, vt taceam Vrbem ex parte natiuo gypſo inſiſtere: qui mons eſt Vibi ad meridiem, ac vltra Aquas-calidas, feraciſſimos eius eſt; quippe illeinc eruitur, quod ad quatuor etiam leucas transferatur.

An addam eſſe alios Monteis, ac ad eaſdem præſertim Aquas-calidas, aliumque eatum boreum, in quibus vel ſola amenia indicent ſubeſſe omuigenas propè Metallorum mineras, maximè verò æris, ac plumbi? An iterùm alios, ac potiſſimùm, qui Burgo ad boream, & Balneis ad meridiem, in quibus reperiuntur lapilli Pentagonici, colore cinereo, mirabili ſtructura? Hoc certe adnotandum, patere in illis hinc inde areolam, quinque ſemicirculis leuiter prominentibus, ac ſeſe in medio interſecantibus, & ad angulos occurrentibus ita interſtinctam, vt ij crebris inciſuris quaſi punctati appareant. Nec verò eſt vnus, ſimplexque lapillus; ſed ex pluribus conſimilibus, coæqualibuſque ſic connectitur, vt ſi illos, qua par eſt induſtria, ſecundum commiſſuras diſpeſcueris, pro Columella ſtriata, ac longiuſcula, habiturus ſis totidem quaſi Stellas. Harum Stellarum latitudo non eſt amplior in maximis Pariſini pedis ſemidigito, nec craſſitudo vncia eiuſdem: in minimis ipſa amplitudo coarctatur ad vnciam, & craſſitudo ad vnciæ ſextantem. Columellæ ex pluribus textæ, & inter angulos leuiter excauatæ, nunc productiores nunc contractiores digito viſuntur; neque ex rupe, aut matrice aliqua auelluntur vt; ſed caſu heic illeic inter ſcrupos alios, & quæruntur, & colliguntur.

Cæterum fuit ſemper Dinia commercij non infrequentis; ac vel illud eſſe argumento poteſt, quod priuſquàm Iudæi pellerentur ex Gallia, vicum integrum ioca obtinuerint. Multa legi acta, ac potiſſimùm annorum circiter ducentorum, quibus cum illis contrahebatur; extatque in noſtris Statutis forma Sacramenti, qua iurare coram Notariis, ac Iudicibus tenebantur. Res inde ſolitæ abſportari, ſunt non modò fructus, ac in ipſis, vt dixi, Pruna; ſed maximè etiam lanificia, & apparata opificiis coria quæ in Sabaudiam potiſſimùm, ac Pedemontium conuehuntur. Cúmque Dinia commune ſit oppidorum complurium, ac diebus præſertim Sabbathinis, Feſtiuiſque emporium, tum ad commercium præſertim faciunt non incelebres Nundinæ, quæ quater in anno recurrunt conſtantque ſingulæ ternis diebus, Lunæ ſcilicet, Martis, ac Mercurij primum occurrentibus à die Cinerum; à die feſto Corporis Chriſti; a die feſto ſancti Iuliani, qui in feſtum ſancti Auguſtini incidit (eſtque dies Auguſti xxviij) & à feſto omnium Sanctorum. Sunt autem celebres præſertim in tota Prouincia, in Delphinatu, in Sabaudia, ac Pedemontio; propter armentorum omnis generis, & tam quidem biſulcorum, quam ſolidipedum copiam, quæ vndique adduci, ac diuendi ſolent; vt operum textilium mercatores præterea, itemque coriarios, aromatarios, ſalſamentarios, alioſque qui non tribus tantum deſtinatis diebus, ſed plerumque etiam tota reliqua hebdomade mercatum producunt.

Harum Nundinarum duæ poſteriores omni memoriâ maiores ſunt, ac pridem haberi ſolitæ in Burgo. Scilicet vltra mœnia, & vocatam antè ſuperiorem Portam, à ſuperato riuulo Valli-Sanctorum ſuccedente, patebat Forum armentorum, ſeu vocatum vulgò *Pratum Nundinarum*, in quod armenta conducerentur, intra mœnia verò, & ad Cemeterium præſertim, ob eius amplitudinem, exercebantur cætera commercia. At duæ priores ſunt ſolùm à duobus ſæculis inſtitutæ; nempe ab anno M. CCCC XXXVII quo Ciuitas non Præpoſiti modò, ſed Capituli etiam conſenſum obtinuit, ad transferendum Nundinas ex Burgo in vrbem; ac impetrauit ſimul à Rege Renato duas alias, quæ eadem in vrbe haberentur. Prætereo autem, vt præſtandis tam Præpoſito, quàm Capitulo indemnibus, addixerit ſe Ciuitas ad ſoluendum quotannis penſitationem, Præpoſito quidem, florenorum ſeptem cum ſemiſſe, quam & perſoluit etiam-num: Capitulo verò florenorum ſexdecim, quam neſcio quamobrem perſoluere deſierit, ſaltem ex dimidio; nam dimidium quidem relaxatum fuit ea tranſactione, quæ de Vini in vrbem immiſſione legitur facta.

Eodem porrò illo tempore cogitare Ciuitas cœpit de armentorum foro, Nundinarúmve Prato apparando; & ad alias merceis quod ſpectat, destinauit, vt Mercatoribus ad vrbem accedentibus locarentur ciuium tabernæ, ipſarúmve, aut domorum facies; idque ex ordine, & ſecundum vicos per ſuccedenteis Nundinas, quovſque circuitu peracto inſtauraretur ſeries, nec parùm diuturna fuit lis, quam Suburbani intentârunt, vt emolumenti exinde creati efficerentur participes. Sed de ipſo Prato Nundinarum vt dicam, destinatum id quidem fuit inter ipſam vrbem, & Mardaricum, coëmptis hortis, viridariiſque, quæ heinc inde erant tendentibus à Porta Vbaci ad Minoritarum cœnobium, vltra Mardarici pontem ſitum; verùm licuit ſolùm per ea tempora, ſemiſſem, beſſemve illius, quod iam viſitur, adipiſci. Quippe quicquid eſt partis inferioris è regione Epiſcopalis Caſtri, Eccleſiæque adiacentis, ac vlterioris Plateolæ, hortus fuit Epiſcopi, in quem deſcendebatur, qua parte Sphæriſterium tribus præaltis cryptis ſuffultum me adhuc puero exſtructum eſt; acquiri que dumtaxat potuit anno M. D. XXX. à Franciſco Guiramando tum Epiſcopo, idque trecentorum florenorum pretio, quod in Epiſcopatus rem conuerteretur.

Taceo verò hanc conuerſionē factam, cùm anno demùm M. D. XLVI. coëmpta fuere huiuſmodi pretio viridaria aliquot, ex quibus coaluit *Prati Plantatarum* vocati in Burgi ditione pars inferior, fuitque accepta Epiſcopo, qui ſedebat tunc, Antonio Oliuario. Partem autem inferiorem dico; nam ſuperiorem quidem, cùm nullatenus ex ea acquiſitione foret, ſed haberetur ab vſque anno M. D. XVIII. Iuuentutis Principi à Præpoſito conceſſa, ad Baliſtæ exercitationem (vnde & Baliſterium fuit dicta) Antonius tamen de Bollonia Epiſcopus, exigente pueritiam me, vna cum reliqua ſæpibus heinc inde concluſit, conſeuitque arboribus; nempe cùm nullæ priùs exſtarent, præter Nuces annoſas treis, quibus ad eandem partem ſuperiorem conſtantibus, ludorum pars agebatur in vmbra. Tranſegiſſe ea de re Ciuitatem cum Epiſcopo anno M. DC. XVII. nihil eſt, cur heic memoretur.

Capvt V.

Aquæ, ac præſertim Thermales, ſeu Balnea Dinienſia.

De Aquis vt quidpiam attingam; nullæ quidem ſtagnantes ſunt; ſed quæ ex imbribus magnis colliguntur, deuaſtare conualleis ſolent. Rapidas facit, præter ipſam decliuitatem, commiſta terra, quæ ex ſatis montibus, vt iam innui, corraditur. Certè qui Bledona vix vllis repagulis iam ſiſtitur, & latè graſſatur, detentus pridem perhibetur anguſto ſatis alueo, qui ſi interdum compleretur, exarari bobus ſolebat, qui alerentur publicitùs, vt ſuperueniens copioſior aqua alueum faciliùs reficeret, neque cum damno exundaret. Quàm vereor autem, ne poſteri maius adhuc id damnum ſentiant, quatenus quoties in vrbem redeo, agnoſco non Bledonæ modò, verùm etiam Mardarici, & Calidarum-aquarum alueos elatiores factos aliquot pedibus: quippe dum ampliùs attolli pergent, periculum eſt, ne aquæ effuſæ prædia, humiliora relicta, diripiant.

Interim autem, commodo magno, ducuntur ex iis canales, ſeu foſſæ (Bedalia appellant) inſeruientes Molendinis; quorum terna (ac inſuper machinæ Fulloniæ, Pulueriſque Pyrij) aguntur aquis Bledonæ; bina verò ductis ex Calidis Aquis. Nullum iam ad Mardaricum; verùm dum res Burgi incolumes ſtarent, duo fuere; vnum ad Portam ſuperiorem, & ad dextram quidem egredientibus, quà Præpoſituræ pratum eſt adhuc eo loco, vnde aqua proruebat, humilius, quaque ipſi, dum loci attollendi causâ quaſdam excauari foſſas curaſſemus, rudera quæpiam inuenimus. Hoc fuit, in quod cùm Lantelmus Epiſcopus aliquid iuris priuati haberet, legimus ipſum fuiſſe ab eo in Anniuerſarium Eccleſiæ legatum. Alterum aliquantò vlteriùs, & qua fuit, ac etiam-num dicitur Hoſpitale vetus. Defluebat aqua ex hoc in illud; & cùm non poſſet, magis quàm illud, continenter molere, quòd aqua non ſemper abundè afflueret ex Mardarico, adeò aqua colligebatur, ſiſtebatúrque repagulo; locuſque progreſſu temporis oppletus, viſitur etiam num editior ad orientem domus ibidem loci ſuperſtitis; ſciendum autem fuiſſe per ea tempora Mardarici alueum longè depreſſiorem. Commodo etiam magno ex foſſis, Bedalibúſve huiuſmodi deducuntur riui, quibus viridaria, pratáve, ac horti, vnà cum arboribus, vere, ac æſtate irrigentur; exinde enim conualles rident, ac lætæ proueotu vbere efficiuntur. Suppleri vtcumque heinc poteſt, quòd aquæ piſcoſæ admodum non ſunt: rari ſcilicet, ac puſilli Piſces, paucæque ſunt Truttæ, quàs Bledona profert. Enutriret, vt putant, pluteis, niſi quotannis trabes illæ, de quibus antè dictum eſt, eas exturbarent, abriperentque; ſcilicet non paucæ ſuperiùs capiuntur.

Ad potum quod ſpectat, optima Bledonia, quæ ſingularis aliunde eſt leguminibus macerandis. Neſcio autem an ſit ſalubre deligere per æſtatem illam, quæ ad fluuij crepidinem per ſubterraneos ductus ſcaturiens, & frigentiſſima eſt, & manè hauriri, reponique in cryptis ſolet. Optimæ etiam reputantur fontium aliquot ſcaturigines, & quæ ſunt ſecundum Mardaricũ præſertim. In ipſa vrbe duo ſolùm Fontes; vnus in Platea, quam dici eſſe exteriùs ad Portam Galberti; alius in Platea, quæ eſt interiùs iuxta Portaletum. Vterque deducitur ſimul ex inſigni quadam ſcaturigine, quæ quadrante leucæ ab vrbe emicat ſupernè ad dextrum Latus prædicti Aquarũ-calidarũ rami, quo itur ad Balnea. Et quamuis interdum canales, tubíve tam lateritij, quàm lignei, quà per Aquarum-calidarum alueum palis retenti traiciũtur, obducti

interiùs viſantur cruſta quadam lapidea; putant tamen id eſſe vitium non aquæ, ſed terræ, quæ præ neglectu, in canaleis in ipſa origine ſubintret; aut ſe in progreſſu per commiſſuras non ſatis exquiſitè obductas, cùm turbida aqua præterfluente inſinuet. Puteorum vſus eſt non magnus: pauci quippe in vrbe ſunt, iique ruderibus oppleti, pauimentóque exæquati; neque ipſe vnquam reſeratos vidi. Obturatus eſt pari modo, qui admodum profundus, ac intra rupem exciſus exſtitiſſe eximius in Epiſcopali caſtro perhibetur. In Minoritarum cœnobio eſt vnus, ad quem patet perfugium, deficientibus, ob canales interruptos, fontibus, turbatiſque Bledonæ aquis. Alius eſt in Burgo ad ipſum cœmeterium, ac ante Eccleſiam, à quo non procul recentior, quem effodi ipſi in horto Præpoſituræ curauimus, cuiúſque aqua pleriſque probatur.

Cùm nihil ſit porrò dicere neceſſe de frigido Bledonæ Balneo, quo recreari per æſtatem iuuenes potiſſimùm ſolent, & maximè quà rupes ſunt, iuxta quas excauatum fundum aquas ad natandum idoneas ſuſtentat; nihil item de frugalibus cœnis, quæ ab ipſo natatu, & ad memoratam crepidinem, cùm tempora meliora ſunt, non infrequentes habentur, quæque mihi ſæpè in mentem reuocârunt illa carmina;

Attamen inter ſe proſtrati in gramine molli,
Propter aquæ riuum, ſub ramis arboris altæ,
Non magnis opibus iucundè corpora curant;
Præſertim quum tempeſtas arridet, & anni
Tempora conſpergunt viridanteis floribus herbas.

Cùm id, inquam, nihil ſit neceſſe; at præterire tamen non licet intacta Balnea calida, ſeu Thermaleis aquas, quibus nihil habet Dinia nobilius, nihil, quod magis noſſe exteros interſit. Siquidem miracula ſunt, quæ patrari ab ipſis quotannis videmus; vt, Paralyticos ſanari, ac ſine fulcris incedere; artubus captos, contractóſque, & recuruatos abire rectos; membris fluxos, ac tremulos, conuulſóſque euadere firmos; doloribus iſchiaticis, arthriticis, vniuerſéque omnibus à frigida cauſa ortis laboranteis, fieri iis immuneis, aliáque complura. Nam quod indigenæ quidem balneis ad quoſvis penè morbos vti ſoleant, ac vtilia admodùm probent, ſaltem aduerſus Nephritidem, pleuritidem ſpuriam, hydropiſin, colicam paſſionem flatuoſam, teneſmum, hæmorrhoidas, vermeis, omnigenam ſcabiem, icterum, ſtrumas, ſcrophulas, lacrymationem, tinnitum aurium, incubum, ſtomachi dolorem, mammarum tumorem, appetitus deprauationem, menſium ſuppreſſionem, ſterilitatem, cæteráque innumera, res vulgaris eſt; ac idcircò non modò ex tota Prouincia, ſed etiam ex circumuicinis ad illa per ver, æſtatémque, & autumnum concurritur; ſi dies excipias Caniculareis.

Diſſitus eſt locus ab vrbe, ac verſus ortum quidem hiemalem, triente leucæ circiter. Scaturiunt aquæ paullò altius, quàm attollatur memoratus aquarum calidarum alueus (quam vereor quoque, ne progreſſu temporis ita excreſcat alueus, vt huiuſmodi aquarum ſcaturiginibus euectior, ipſas tandem obtuat, ac inutileis reddat.) Scaturiunt, inquam, penè ad radicem rupis inferiùs concauæ, quæ ad auſtrum conuerſa, parte ſuperiore prærupta eſt quidem, ſed aſpera tamen hiatibus, ac loculamentis, per quæ dum ſerpẽtes verno tempore, Maióque præſertim, ac diurno calore vigente diſcurrunt, in tectum, atriumve exædificatarum illeic domorum decidunt, & maxima quidem parte copulati: cùm & notatu dignum ſit, attrectari illos impunè, quòd veneni expertes ſint, & dentibus ne tantum quidem, quantum veſpæ aculeis noceant. Cùm tectum dico, id veterum ædificiorum intelligo, quæ & ad loci orientem ſunt, & rupi cohærent, contegúntque balnea, recentiora videlicet ab ipſa rupe, cauernáve ampla, quæ ſub illa, diſſita ſunt, intercipiente atrio, in quo etiam aquæ aliquot thermales erumpunt; vti & nonnullæ prætereà vltra memoratum vetus ædificium, quæ ſub caua rupis torrente alluuntur.

Sunt porrò quatuor potiſſimùm in hiſce Balneis inſignia loca. Primas ex ipſis meritò tenet, quod non abs re *Balneum Virtutum* appellant. Ipſum eſt cæteris ad ortum, longum treis cum ſemiſſe orgyias; latum vnam ac ſemiſſem; altum non-nihil vnâ minùs. Crypte è natiua eſt rupe; pauimentum, & gradus ex cæſo, quadratóque lapide; & cùm ſeptem hinc inde, ac è fundo ſcaturiginibus compleatur, tota ſubduci aqua poteſt, quoties eloti aliquibus, commutanda eſt in aliorum gratiam. Secundas iure obtinent Thermæ, Vaporarium videlicet, Sudatoriumve, quod *Stubas* dicunt. Locus eſt ingredientibus in vetus ædificium ad læuam. Crypte eſt conſimiliter ex rudi, ac natiua rupe; cuius altitudo cùm ad oſtium ſit vnius orgyiæ ac ſemiſſis, deinceps tamen decreſcit ſenſim, ad vſque ſcaturiginem, quæ in eius fundum copioſa erumpit. Longitudo orgyiarum eſt quinque, latitudo vnius; & proximè quidem ipſum pauimentum, ſecundum mediam cuius longitudinem factus canalis aquam tranſmittit, cuius vapore interim totus locus ſic incaleſcit, vt ingreſſis ſudor ſtatim exprimatur; permirúmque eſt, cùm in ipſo ingreſſu imminere videatur ſuffocatio, breui tamen facta intus mora, illeic poſtquàm ſuauiter degi. Permirum rurſus, talem vaporem non ita concreſcere, vt locus humectus reddatur; ſed eâ potiùs eſſe naturâ, vt ſi humefactus pannus eò inferatur, ſtatim reſiccetur. Solet porrò Virtutum Balneum ad hoc vſurpari, vt humores præparet, qui deinceps Thermis, Sudatorióve exigantur.

Exoneratur Thermarum aqua in reliqua duo, quæ eſſe dixi inſignia loca. Quippe proximo ad latus egreſſu *Balneum* creat, quod *ſancti Ioannis* appellatur: ac deinde inſigni caſu *Balneum* vocatum *ſancti Ægidij*. Hæc vſurpari præſertim ſolent à ſcabioſis, aut aliis, quibuſcum alij degere in Balneo non facile ſuſtineant. Caius quoque ille ex tertio in quartum adhiberi interdum ſolet

ad ſuperfuſionem, quam *Guſſam* appellant, dum pars affecta ſupponitur, vt materia tenax inde diſcutiatur. Non eſt verò interim reticendum, Thermalem hanc aquam affatim in potum aſſumptam mirè conducere mundandis naturalibus partibus, ac reddita adeò ſtomacho temperie, anorexiam, ſiue defectum appetitus abigere; exigere arenulas, ſanare vlcera interna; inteſtinalem colicam ex frigida cauſa ſanare; vermeis depellere, ac ſpeciatim inteſtinum rectum ab Aſcaridibus ſic eximere, vt hominem nôrim, è quo ſupra myriadem, vel vna vice abduxerit.

Sed modum facio; ac præſertim quod tres inſignes Medici, Guillelmus Alamandius, Sebaſtianus Richardus, & Dauid Lautaretius, de huiuſmodi Balneorum natura, Mirabilibúſve commiſtis, déque proprietatibus, effectibus, vſibus, integros libros conſcripſerint; ac fœlici ſorte ipſe etiam-num ſuperſit Lautaretius, qui accedente diuturniore ad inſignem doctrinam experientia, ſit iam vberiùs, abſolutiúſque hoc argumentum rettactaturus.

Capvt VI.

Aër Dinienſis; ac obiter Peſtilentia anni M. DC. XXIX.

Cvm de Aëre dicendum ſuperſit, is haberi ſalubris ſolet, quòd purus ſit, & vix per annum appareat ſemel caliginoſus. Frigidus valdè per hiemem, tum ob niueis ſatis frequenteis, ac in montibus vicinis præſertim; tum quòd magna dierum parte montes Solem præripiant, & pars vrbis infima ne in meridie quidem Solem circa brumam conſpiciat; tametſi, quæ montis conſtitutio eſt, & tantillum videat circiter nonam matutinam, & paullò poſt meridiem in occaſum recuperet; quòd ea parte, & ſola quidem, vt iam antè adnotatum eſt, cælum liberum aperiatur. Æſtate ſatis calidus, ob coactionem radiorum Solis ex variis montium lateribus; niſi quòd ferè Bledona, gratiſſimam auram miniſtrat. Ac ventis quidem ſæpè perflatur; ſed ij tamen rarò vehementes ſunt, excepto Vulturno, quem Marinum vocant. Tonat ſæpiuſculò per æſtatem, & cùm interdum ſimul pluat, interdum etiam grandinet; tum huiuſmodi pluuiæ ſunt, quæ interdum profuſæ, conualleis, vt dixi, & prata, ac ſata, boúmque labores diripiunt. Quò ſit, vt illæ magis timendæ, quàm hiemales ſint, quæ ferè niuales, ac in montibus potiſſimùm ſunt; & quidpiam duntaxat metuendum tunc ſit, cùm Aprili, ac Maio, ſed iſto præſertim, niues in montibus ſoluuntur; quanquam, quòd ſenſim ſolutio fiat, tum ſolùm timenda exundatio ſit, cùm ad calorem tempeſtatis & venti auſtrales, & vberes pluuiæ liquationem niuis promouentes accedūt.

Sed ne iſtis diutiùs inhæream; præſtat Aëris occaſione verbum ſubiicere de ea peſte, quæ per æſtatem anni M.DC.XXIX. ea peruicie vrbem afflixit, vt nulla clades memorabilior, quod ſciam, illi contigerit. Nam audiui quidem ſæpenumerò ſenes conquerenteis de cladibus variis per bella ciuilia inductis, & ex quo præſertim Mouantius ſub annum ſæculi ſuperioris ſexageſimum excitare cœpit tragœdias; at nulla vnquam iſti par ſtrages: quippe quæ vix ſextam ſeptimámve incolarum partem ſuperſtitem reliquerit; quatenus, cùm anteà ad vſque decies mille numerarentur, vix enumerari ſub mali finem plures, quàm quingenti ſupra mille potuerint. Verſabar ipſe tunc in Belgio, vbi, ac deinceps Pariſiis multa accepi lacrymis digna ex amicorum literis; obſtupui verò, cùm triennio pòſt reuerſus, tum complureis deſertas domos populoſæ priùs vrbis conſpexi; tum pluſculæ ciuium nouorum ignotæ facies occurrerunt; tum pauci ſuperfuere amici, quos complecti licuerit; tum horrendum fuit, quod qui erant ſuperſtites, ſæuiente malo contigiſſe narrârunt. Videbar enim mihi grauiora audire, quàm narraſſet Thucydides circa celebrem illam Peſtem, quæ

Finibus Cecropiis funeſtos reddidit agros,
Vaſtauitque vias, exhauſit ciuibus vrbem.

Ac non eſt quidem valdè neceſſe quidpiam de ea re heic attexere, quando optimus Lautaretius, qui & tunc eſt in vrbe verſatus, & non alios modò laboranteis vidit, verum ipſe quoque eſt malum expertus, integrum de hac peſte librum edere meditatur: at nihil interim oberit pauca ex iis attingere, quæ fuere à me reduce ex illiuſmet ore præſertim accepta.

Itaque, quantum memini, cœpit malum ſe prodere ipſo ſtatim initio Iunij: vtcúmque ab aliquot iam diebus non parua adhiberetur cautio, ob rumorem ſparſum de Peſte, non modo Lugduni, ac per Delphinatum graſſante; verùm etiam in aliquot inferioris Prouinciæ locis. Sed milites nempe iter in Italiam per hanc regionem inſtituentes, neque ſeruantes ordinis, huiuſcemodi labem intulerunt. Tempore Peſtilentiæ toto, quod quaternûm fuit menſium, Cælum ab ipſo vſque principio non modò ſpiſſa caligine terras preſſit, æſtúſque ignauos nubibus incluſit; ſed fuit etiam ſolito & tonantius, & in pluuias effuſius. Obſeruatum eſt quoque Facem, ſeu Meteorum flammeum ſupra vrbem motu pernici tranſvolaſſe. Nulla per totum idem tempus, neque in vrbe, neque in agro, volans, quieſcenſve auis comparuit; nullum penitus aliud morbi genus, præter Peſtem, viſum, auditúmve fuit.

Malum prænuntiabant, & comitabantur, ſitis, angor, vigiliæ, laſſitudo, grauedo, aphonia, nauſea, vomitus, mictio cruenta, expuitio ſimiliter, ſudor, tremor, conuulſio, rigor, delirium, &c. Symptomata crebriora erant vocati Bubones ad axillarum, inguinum, cerebri emunctoria; ac ij quidem ouata ſpecie, intumentéſque minimùm quantum eſt amygdalum, maximum, quantum gallinæ ouum. Interdum ſinguli; ſæpius bini; non-

nunquam

nunquam cum carbũculis; ſæpè ſine illis omnes cũ dolore; citra inflammationem tamen. Euaneſcebant aliquando, regrediebanturve introrſum; ſed vergebant ferè ad ſuppurationem, &, cùm fluerent, non poterat acrior, exquiſitiorque dolor ſentiri. Carbunculi ipſi interdum ſolitarij, interdum, vt dixi, cum bubonibus; ardentes ſemper, malignique, & circumducti puſtulis: nonnunquam ſinguli, ſæpiùs plures, interdum ad duodecim vſque. Abibant ferè in eſcharas, foſſaſque ſommè fœtidas, quanta eſt vola manus, niſi etiam maiores (rarò minores) relinquebant. In quibuſdam ægrotis nihil obſeruatum, præter exanthemata varia, nigra, lurida, purpurea, flammantia. Nonnullis artus intumeſcebant; ac fuere etiam, qui nullo morbi exhibito indicio, mortui repentè conciderint. Cadauera ipſa, horrida adſpectu vultuque detorto, neque carne molli, fluxaque, vt putant; verum rigida, & contracta plerumque.

Mirum interim, quid vis morbi in pleriſque potuerit. Vir fuit, qui ſciuri inſtar parietem ſcanderit, & ad tectum prouectus deiicere imbrices, quaſi nuces cœperit. Alius ſcalâ ſupra tectum euectus, aliquandiù ibi variè ſaltitans tripudiauit; & cùm exſcendiſſet, procurrere cœpit, quovſque incidens in præſidium globulo ictus concidit. Quidam indignatus, quòd in noſocomio pro laborante detineretur, inde proſiliit, excurritque, & vxorem adiens, cumque ea rem habens, vnà illicò cum ipſa interiit. Mulier fuit, quæ ſtatim à partu cœperit per auia, præcipitiaque diſcurrere, ſicque incurrere in exitium. Quidam fuit, qui ſe volaturum reputans, brachiaque proinde expandens, ſe ex alto præcipitârit, totumque adeò contriuerit: Alius, qui quaſi in naui foret, ac tempeſtate vrgeretur, ſupellectilem è feneſtra, quaſi merces deiecerit. Pater etiam fuit, qui filiolum viuum, manu vltra feneſtram protenſa, in pauimentum dimiſerit.

An eam fuiſſe morbi naturam adiiciam, vt bene multi compluteis dies mortui habiti, reuixerint tamen; vt proinde neceſſe ſit fuiſſe adhuc pluteis viuos conſepultos, quatenus donec veſpillones habuere quidpiam virium, nihil fuere ſoliti morari, quin omneis illos abriperent, qui videbantur omni ſenſu, vitæque indicio deſtitui. Quidam certe ex feretro currúve, quo cadauera conuehebantur, emerſerunt. Puella viginti annorum in foſſam proiecta, ſigno vitæ dato, fuit inde educta. Alia annorum vigintiquoque, cùm in vineæ foſſam prolapſa, iacuiſſet triduo abſque vllo ſenſu quarto tamen, ſenſu bubonis ſuborientis fuit excitata, à quo etiam conualuit. Vidua quæpiam totos ſex dies ſine ſenſu, aut ſaltem ſine vllo cibo, vlloque potu concluſa manſit, indeque meliùs habuit. Vir fuit, qui toto quatriduo mortuus habitus, neque alia de cauſa inſepultus, quàm quòd vxori, quæ illi foſſam qualemcumque excauauerat, non fuiſſet ſatis virium, vt eum in ipſam pertraheret, expergefactus veluti fuit, ac vagari per agros cœpit, futura, ac potiſſimùm extremum Iudicium nunciando, ad Pœnitentiam exhortando, obuiis, qui nollent ſibi genua ſubmittere, maledicendo, & alia quæ etiam ex ipſomet addidici.

Sed hæc, vt mittam, cùm initio, ac per primam hebdomadem, vix tribus, aut quatuor plures obiiſſent; iam tamen circiter quindeni ſub ipſum Iunij medium in dies ſingulos interibant: per Iulij initia circiter quadrageni; ſub medium centeni; in fine, ac initio Auguſti centeni ſexageni; donec tandem Auguſti medio cœpit dira lues non adeò ſæuire: per Septembrim non pluris quinis, ſenisve in dies abſtulit; ac per initia denique Octobris à ſtrage ceſſauit. Supputatum eſt autem ex tot hominibus, ſeu mortuis, ſeu ægris ſuperſtitibus, vix fuiſſe quingentos, quibus adhiberi remedia potuerint. Idque, cùm pleraque familiæ, etiam admodum numeroſæ, extinctæ prorſus fuerint; & camera extiterit duabus quadratis orgyis non maior, è qua fuerint nouem cadauera educta.

Cauſa porrò præcipua, cur labes graſſata tantoperè fuerit, ipſa fuit inexperientia, ac interpretatio nimis regida Placiti, Arreſtive illius, quo fuit à Parlamento cautum, idque ſub pœna capitis, ne quis Dinienſium incolarum ex vrbe, aut agro, territoriòve proprio exiret. Quippe, cùm, vt iam dictum eſt, ripa vlterior Bledonæ agri Dinienſis minimè ſit, ſed Corbonorum, Ceyarumque (tametſi quidquid ad ſeſqui-leucam ſecundum ipſam eſt villarum, vinearum, pratorum, agrorũm, ad Dinienſeis ciueis attineat) &, quod agri Dinienſis eſt, aut non amplum ſit, aut non ſatis idoneum ſegregandæ, diſtribuendæque in caſulas tantæ, quanta in vrbe erat, multitudinis; id nihilominùs cognitum, vti veriſimile eſt, ipſi ſupremæ Curiæ non fuit. Aliunde verò Conſiliarius ad exſequutionem Placiti commiſſus, homines armauit oppidorum confinium, vt non paterentur quemquam ciuium agri Dinienſis fines tranſilire, quærereque vlteriùs ſedem, tuguriaque extruere: ac præſidia ex illis armatis conſtituit, maximeque ad Bledonæ pontem: quò etiam ſolebat frequens aduentare, & ſtipatu quidem per amplo, quoties erat quidpiam concluſis ciuibus ſignificaturus, qui cateruatim, indiſcretéque ad præconis vocem confluentes, mutuo ſe contagio magis inficiebant.

Acceſſit, quod ipſi homines oppidani eam duritatem induerant, vt miſeriâ ciuium nullâ mouerentur: &, cùm in tanta egeſtate, conquirendique impotentia, prouidere, miniſtraréque deberent neceſſaria, tantum id abfuit, vt potiùs Præſidiarij illi, ſi quid eduliorum, allatúmve rerum ab amicis tranſmitteretur, ſibi ipſis haberent, aut, ſi quid vænum afferretur, ipſi emerent parui, magno venderent. Quin-etiam, cùm ſumma deſolatio foret, ac non poſſent iam ampliùs abſportari cadauera, ſicque vltra mille, & quingenta ſummo cum fœtore inſepulta per vrbem iacerent, conſultauere, decreuere-

téque ipſam vrbem cum ciuibus in ea reſiduis ſuccendere;&,ne facerent, ſolùm obſtitit, quòd caſu renunciatum fuit graſſari peſtem in aliis tribus, quatuorve vrbibus cœpiſſe; vnde & ſubiit cogitare, non poſſe Diniam, quin pari iure illæ perderentur, ſuccendi; crematáque eſt ſolùm villa in agro vicino, vnà cum familia tota, cuius erat, quæque ſe in eam receperat.

Sanè, ſi miſeris licuiſſet parare tuguria, humileiſve caſas in vicinis agris(maximéque in illis vltra Bledonam) ac in ipſis ſub congrua oppidanorum cuſtodia, aliquot dierum quadragenas, vt eſt moris, exigere; potuiſſet eorum pars maxima ipſa ſegregatione, contagiique fuga ſeruari, vti & ſeruati ex iis non pauci, quibus ſatis fuit, vnde poſſent per villas, & caſulas Dinienſis agri ſuſtentari. At quando pars maxima agnouit, non fore ſibi vnde extra vrbem in tanto oppidanorum rigore neceſſaria ſuppeterent; ideò concluſi remanſere, miſeréque periere, ac præſertim, ex quo increſcente morbi ſæuitia, noſocomióque, quod extra vrbem, ad fanum S. Lazari, capere ægrotos ampliùs non valente, ac aliunde curru perfracto, veſpilonibúſque(etiam eductis è carcere)aut inualidis,aut demortuis;Moderatores ciuitatis, tutoréſque ordinis coacti fuere laxare primùm, ac denique prorsùs mittere habenas. Tunc nimirùm Ciuitas fuit, ſine Conſule, ſine Iudice, ſine vllo Diuino cultu; & deficientibus artificibus,præfectiſque,qui res curarent, obmutuit horologium, exaruerunt fontes, conſtiterunt molendina, refriguere clibani; macellum nihil extulit, ſumma rerum omnium neceſſariarum inopia fuit.

Per-mirum verò, cùm nine mors adeò videretur certa omnibus, vt aliqui inuenti ſint, qui, ne nudi ſepelirentur, ſindones ſibi (etiam morbum nondum experti) circumconſuerint; nullum viguiſſe pietatis ſenſum, humanitatémque omnem exſulaſſe. Mulier fuit, quæ opem marito laboranti negauerit. Viſa fuit, ac ſine auxilio relicta quædam puerpera (aboriebantur autem omnes) quæ proinde fœtum ſibi ipſa extraxerit, hærentémque adhuc placentæ, lateri, ac mammæ admouerit, & vna cum ipſo interierit. Non pauci erant, qui vagantes deſertas domos expilabant, ditaríque inde malebant, quàm exhibendo famulatui:vix enim fuit, qui operam locare in menſem ducentis etiam ſcutatis voluerit. Neſciebant nempe miſeri fures ſe breui quoque extinctum iri, & malè parta malè iri dilapſum. Qui poſtremi certè ex iis ſuperfuerint, pauci admodum exſtitere, ac neſcias, quò opes congeſtæ abierint. Si quis ægrotus incurreret in ſanum, tranſitu iuxtim affectabat, ac regionem venti, hoc eſt, vnde flaret, recuſabat cedere. Qui per vrbem obuij fiebant, habebant ſe quaſi extraneos, apparebántque ſibi inuicem quaſi quædam viuorum vmbræ. Fœlix nimiùm, qui ſibi ipſi ferre opem poterat, neque exſpectare cogebatur aliunde.

Per agrum quoque non pauci fuere, qui ſupra humum nudam omni deſtituti ſubſidio iacuerint, animámque tandem efflârint. Reperta illeic mater eſt,cuius demortuæ infans ſugere mammam non deſiſtebat. Aliqui fuere, quibus capellæ nutricum vices ſuppleuerint. Multi quoque intra ipſas caſas iacuere diu ignorati, atque idcircò inſepulti. Qui parentes ſupererant, ſepeliebant liberos, qui liberi parentes, qui viri vxores, quæ vxores viros. Quanquam id plerumque ſuperficie tenus;adeò vt minima ferè aura vultus, aliaque membra nudaret. Quin-etiam, cùm proximè vrbem, in Prato nempe Nundinarum, & in agro prope Aquas-calidas, forent ingentes foſſæ excauatæ, in quas coniicerentur, quæ fuerant proximè extra vrbis portas coaceruata cadauera, ea fuit deinceps congeſtorum copia, vt ſupergeſta, & diducta terra non multùm eminuerit, ac fuerint aliquorum brachia,cruráque interdum retecta.

Vt deſinam tandem; licet per Octobrim, Nouembrímque, vrbs meliùs haberet, luſtrationibúſque variis purgaretur, ac perſtaret tamen præſidium ſe inſolentiùs gerere: (quippe etiam initio Decembris aliquem ciuium vulnerauit) idcircò tam qui intra vrbem conualuerant, quàm qui in ipſam redierant, cepere inuicem conſilium deiiciendi præſidij, quod & reipsà, ſic deiecerunt, vt, interfectis aliquibus, actum in fugam fuerit, neque deinceps redire ſuſtinuerit. Tunc verò fuit, cùm dinumerati ſiue ex ipſa vrbe, ſiue ex agro ſuperſtites, vix plures quàm mille, & quingenti deprehenſi ſunt; inque ipſis plures fœminæ,quàm viri; plures ſenes, quàm iuuenes, cùm & ex tanto hoc numero vix quinque, aut ſex ſuerint, qui morbo affecti non fuiſſent.

Prætereo autem libertatem eundi, ac redeundi ciuibus factam, non contigiſſe Placito Curiæ, ante feſta Paſchalia, hoc eſt, inclinante Aprili anni inſequentis. Prætereo quoque, cùm Peſtis alia poſt ſeſqui-annum obreperet, diſceſſiſſe ciueis & maturiùs, & longiùs; ac periiſſe illà non pluteis, quàm centum, eóſque præſertim ex ciuibus nouis; ſcilicet obſeruatum eſt, neminem ex iis, qui priore illà laborauerant, hac poſteriore correptos fuiſſe.

PARS SECVNDA.

Qua deducuntur, quæ attinent ad ipſam Eccleſiam.

Capvt VII.

Antiſtites primi, à quibus Dinienſis Eccleſia fundata.

NVnc, cùm videatur eſſe plus æquo de Ciuitate Dinienſi dictum, ac iam dicendum ſit de Eccleſia, quæ fundata in illa eſt, cuiuſque occaſione immorati circa eam ſumus; ideò auſpicari debere videmur ab ipſa Eccleſiæ origine: &, quòd haberi illa

poſſit

poſſit ex Lectionibus, quas inſtaurare rogati ſumus, vt vice earum, quæ de Communi ab annis aliquot recitabantur, inſerantur Officiis trium primariorum Antiſtitum, quibus Chriſti fidem regio noſtra debet; idcircò à Lectionibus h[illegible]od videtur ordiendum. Ac ternas quidem [illegible]ùm exhibeo, pro Antiſtitibus ſingulis; [illegible]rum, cum plures, vberioreſque in Legendariis vetuſtis exſtent; hæ tamen, paucæ licet, ac breues, quicquid eſt geſtorum temporibus congruum ita continent, vt [illegible] etiam quædam ſuppleant (quippe ali[illegible]nde cognita) quæ in i[illegible]lis deſiderantur.

LECTIONES IN FESTO S. Marcellini Primi Ebredunenſium Præſulis, quod eſt etiam Diniæ ſolemne, XII. Kalendas Maij, ſeu die Aprilis XX.

Marcellinus natione Afer, & genere nobilis, Chriſtianâ pietate imbutus ab adoleſcentia fuit. Eo tempore vigebat adhuc recens memoria confeſſionis Beati Cypriani Martyris, qui ſub Imperatoribus Valeriano, & Gallieno glorioſe occubuerat. Illius itaque doctrina, pietate, & conſtantia animatus Marcellinus, dum Rel[illegible]ionis propagationem, defenſionémque meditatur, admonetur diuinitus, vt in Europam traiiciat, ſociòſque ad meſſem idoneos adſciſcat. Paret vir ſanctus Spiritui; & aſſumptis comitibus Domnino, ac Vincentio, peruenit Romam ſub initium imperij Conſtantini, quo tempore Papa Euſebius Pontificatum obtinebat. Is, vocatione cognita, Marcellinum Epiſcopum creat Maritimarum Alpium, in quibus Idolorum cultus adhuc vigere perhibebatur.

Digreſſus ergo Marcellinus per Thuſciam, ac Liguriam, peruenit tandem Ebredunum, quæ Alpinæ Maritimæ habebatur Metropolis; quæque, licet fidem Chriſtianam, prædicante, ſub Nerone, beato Nazario, accepiſſet, ab ea tamen defecerat. Aggreſſus ibi Marcellinus diuini verbi prædicationem, ſic breui profecit, cooperante Domino, & ſermonem confirmante miraculis variis, vt euerſis Idolorum templis, maxima pars Indigenarum baptizari voluerit. Quare Eccleſiam prope muros, & Baptiſterium condidit, ex quo aqua baptizandis Cathecumenis ſponte, hoc eſt, diuina gratia exuberante, promanauit. Teſtati ſunt etiam ſæculis pòſt multis graues ſcriptores talem aquam erumpere ſolitum & in Natali, & in Cœna Domini; itémque in Vigilia, & per totam hebdomadam Paſchæ.

Dimiſſis autem Sociis in Dinienſium ciuitatem, ſacratóque illeic poſteà Domnino in Epiſcopum, in eo aſſidue incubuit, vt prædicatione, exemplo, & ſignis ſtabiliret fidem. Indefeſſus verò præſertim fuit eius labor, cum ſub vitæ finem hæreſis Arriana cœpit quorumdam animos in partibus Italiæ finitimis ſubſfactare. Qua occaſione contigit, vt aliquando cum magna credentium multitudine iter faciens, torrentis exundantis aquas ita ſtiterit, vt ipſe cum populo toto tranſierit ſiccis veſtigiis. In illo itaque labore, circa id tempus, quo Conſtantius Arrianus iniit imperium, obdormiuit in Domino, duodecimo Kalendas Maij. Teſtantur iidem Scriptores ad eius ſepulcrum illuxiſſe lychnum, inconſumpto oleo, quo infirmi ſanarentur. Caput illius Diniam tranſlatum, unà cum Sanctorum Comitum reliquiis, magna in hunc vſque diem veneratione colitur.

LECTIONES IN FESTO S. Domnini Primi Dinienſium Epiſcopi, quod celebratur Idibus, ſeu die Februarij XIII.

Domninus ex Africa oriundus, cùm zelo Chriſtianæ Religionis arderet, vnà cum comite Vincentio, ſequutus eſt Marcellinum Ebredunenſium Antiſtitem, quo tempore ille Romam appulit, ac Euſebium Pontificem, Conſtantino iam imperante ſalutauit. Sed & ſimul cum Marcellino in Galliam Inalpinam miſſus, operam aſſiduam illi præſtitit, donec fides Chriſti in Ebredunenſium Ciuitate, & circumuicina regione diſſeminata, radices egit. Tunc verò à Mar[illegible]ino dimiſſus cum Vincentio [illegible] fidem vlteriùs propagaturus. Conſtituit autem ad Dinienſium ciuitatem accedere, in qua Idolorum cultores, & Chriſtiani nominis oſore[illegible]e fama erat.

Et certè quam-primùm os aperuit, aduerſus idola verba faciens, & Saluatorem Chriſtum prædicans, repugnant[illegible]s acriter diſſertatores habuit, quouſque [illegible] ratione perſuaſionem Deorum falſorum euertit, & oratione in cælum fuſa, fidem in Chriſtum obtinuit; & ſignis, ac virtutibus

tibus fidem habitam confirmauit. Siquidem, poſtquàm exaggerauit promiſſa facta credentibus, adduci infirmos undequaque iuſſit; & magna illorum multitudine coram vniuerſo Populo coacta, omnibus in nomine Ieſu ſanitatem momento reſtituit. Quare ingenti applauſu facto, cœpit magna pars Deos deteſtari, & Baptiſmum depoſcere; adeo vt, paruo Baptiſterio, ablueris prima vice animas circiter quingentas.

Cùm poſteà etiam procuraſſet conſtrui Eccleſiam in honorem Deiparæ Virginis, adfuit Marcellinus eam conſecraturus, qui & ſimul conſecrauit Domninum in Epiſcopum. Cœpit intereà Eccleſia Dei in oriente laborare, propter Arrianum hæreſim; ſacraque Synodus Nicæna per ea tempora celebrata eſt. Domninus autem tenerum gregem indefeſſo labore paſcens, illum in confeſſione Sanctæ, ac indiuiduæ Trinitatis perſeuerantem continuit. Tandem verò, cum ſeſe iam propè deficere ſentiret, poſtquàm hortatus eſt Vincentium, vt curam gregis ſuſciperet, imperante tunc Conſtantio, Idibus Februarij migrauit ad Dominum. Sacrum eius Caput cum altero Brachio in Dinienſi Eccleſia adſeruatur hucuſque, venerationique habetur.

LECTIONES IN FESTO S. Vincentij Secundi Dinienſium Epiſcopi, quod XI. Kalendas Februarij, ſeu die XXII. Ianuarij colitur.

Vincentius Africanus, tanto feruore Chriſti fidem à teneris annis ſuſcepit, vt Marcellino Ebredunenſium, & Domnino Dinienſium primis poſteà Præſulibus diſcedentibus in Europam, ſeſe tertium, tametſi adhuc adoleſcens, adiunxerit. Salutato ſimul cum illis beato Papa Euſebio, qui circa initia imperij Conſtantini ſedem tenuit, acceſſit pariter cum ipſis ad Alpeis Maritimas, ac in iis Ebredunum, vbi Marcellino miniſter, adiutórque ſtrenuus fuit. Diſceſſit etiam poſteà Diniam, comes Domnino indiuiduus, &, qua erat facundia, perſuadendíque gratia, non parùm auxiliatus eſt in conuertendis ad Chriſtum, continendiſque in fide animis Dinienſium prius deditis Idololatriæ.

Et voluit quidem illi Domninus Epiſcopatum cedere; ſed, qua humilitate fuit, perpetuo munere Leuitæ Domnino fungi maluit. Quin Domnino etiam mortuo, vix tandem coactus ſuffragiis communibus Epiſcopatum aſſumpſit, in quo tot, tantáque virtutis ſpecimina edidit; tanta comitate, atque eloquentia omnium animos conciliauit, vt aliquoties quaſi obrutus quæſierit ſolitudines, in quas ſecedens, orationi, hymniſque pſallendis quietiùs vacaret. Tanta quoque in illo fuit miraculorum gratia, vt & ſolo veſtium contactu infirmos ſanauerit, & ſola præſentia, atque oratione tum Dæmones fugauerit, tum mortuos etiam ſuſcitárit. Fortiter prætereà hæreſi Arrianæ ſe oppoſuit; ac non modò commiſſum gregem in antiqua fide continuit, ſed etiam accurrit, cùm ad parteis alias, tum præſertim Ebredunum, quò lubem illam, à defuncto Beato Præſule Marcellino, ſerpere cœperat.

Hinc variæ illi ab Arrianis tenduntur inſidiæ; & quibus temporibus B. Euſebius Vercellenſis, ac Dionyſius Mediolanenſis ſunt diuerſimodè vexati, ipſe aliquando in itinere comprehenſus, ita flagellis exceptus fuit, vt parùm abfuerit, quin inter tormenta animam efflaret. Adfuit poſt-modum ætate prouectus Valentino Concilio primo, cum Artemio Ebredunenſi, aliiſque Præſulibus, anno ſalutiferi partus trecenteſimo ſeptuageſimo quarto: neque multò pòſt ſenio, & laboribus, quos pro Chriſti nomine ſubierat, caſſus, ſpiritum Deo reddidit; poſtquàm in ſomnis viſus eſt videre Chriſtum conſolantem, porrigentémque viaticum. Caput eius ſanctum, cum altero Brachio adſeruatur adhuc, colitúrque in Dinienſi Eccleſia, quæ & illius celebrat feſtum vndecimo Kalendas Februarij; Tranſlationem verò Capitis ipſius tertio Nonas Iulij.

Atque hæ quidem Lectiones ſunt, quæ & Dinienſis Eccleſiæ originem continent, & commentarioli loco eſſe poſſunt ad ea, quæ in Martyrologiis de Beato Marcellino, ac illius Sociis habentur. Sic nempe in Romano Baronij, ad xij. Calendas Maij: *Ebreduni in Galliis ſancti Marcellini, primi eiuſdem vrbis Epiſcopi, qui Dei nutu, cum ſanctis ſociis Vincentio, & Domnino ex Africa veniens, maximam partem Alpium Maritimarum verbo, & ſignis admirandis, quibus vſque hodie refulget, ad Chriſti fidem conuertit.* In Martyrologio Adonis. *Eodem die in Galliis, Ciuitate Ebredunenſi, natalis ſancti Marcellini primi eiuſdem vrbis Epiſcopi, qui diuino iuſſu, cum ſanctis Sociis Vincentio, & Domnino ex Africa veniens, maximam partem Alpium Maritimarum verbo, & ſignis admirandis, quibus vſque hodie*

hodie refulget, ad Chriſti fidem conuertit. Et poſteà; *Venerabilis Socij eius apud Dinienſium vrbem conditi, glorioſis nihilominùs miraculis commendantur.* In Martyrologio Vſnardi; *In Gallijs, Ciuitate Ebredunenſi ſancti Marcellini eiuſdem vrbis Epiſcopi, & Confeſſoris; qui diuino iuſſu cum ſanctis Sociis Vincentio, & Domnino ex Africa veniens, maximam partem Alpium Maritimarum verbo, & ſignis admirandis, quibus vſque hodie refulget, ad Chriſti fidem conuertit.* Eadem, ne longum faciam, repetit Petrus de Natalibus, qui, cùm cætera ex Adone deſumpſit, tum illud adiecit, *Socij vero eius* (ſupple Marcellini) *Confeſſoris Chriſti in Domino dormierunt apud Dinienſium* (non, vt vulgò legitur, Cluuienſium, *vrbem conditi.* Prætereo autem, quod neque Beda in Martyrologio, neque Gregorius Turonenſis, de Marcellino dum loquuntur, Sociorum eius meminerunt.

Reticeri verò non debet, quod non modò Gregorius, verùm etiam Ado, ac Petrus, de ſancto Marcellino habet. Nam Gregorij quidem iſthæc verba ſunt: *Habet & Ebredunenſis vrbs Patronum proprium, Marcellinum Antiſtitem, per quem, dum adhuc in corpore moraretur, multa Chriſtus miracula operatus eſt. Hic enim feciſſe dicitur lauacrum ad baptizandum, in quo in Natali Domini, & Dominica cœna aqua dicitur diuinitus oxoriri. De quo etiam ad aliud lauacrum, in quo conſuetudo priſca baptizari inſtituit, aqua defertur. Non tamen cumulatur, vt de illis fontibus Hiſpaniæ ſuprà retulimus. Ad huius ergo Sancti ſepulcrum lychnus aſſiduè lumen præbet; ſed accenſus ſemel, multis noctibus, ſine vllo additamento perdurat, & plerumque contingit, vt exſtinctus à vento, diuinitùs iterum accendatur. Ex quo oleo plerumque infirmi medicamenta ſuſcipiunt.* Hæc verò Adonis: *Ita vt Baptiſterium, quod ipſe apud præfatam vrbem condidit, in ſacro-ſanctis Paſchalis feſti vigilijs, diuina virtute, ſingulis annis aquis ſubitis inundetur, & per ſeptem eiuſdem ſolemnitatis dies gratia exuberante permaneat.* Petri demùm iſta; *Hic, inter cætera virtutum eius præmia, obtinuit, vt Baptiſterium, quod idem in eadem Ciuitate condiderat, ſingulis annis in Sabbatho ſancto, aquis diuinitùs, & ſubitò repleatur, & per ſeptem dies Paſcha aqua exuberante plenum permaneat; quod vſque in diem hodiernum ibidem apparet. In eadémque ciuitate quieuit in pace, vbi & ſepultus eſt xij. Calendas Maij.*

Ad ſanctum Domninum quod ſpectat, adnotandum eſt, cùm illius Officium fuerit ab omni memoria in Dinienſi Eccleſia ſub titulo Confeſſoris, & Pontificis celebratum; Papyrium tamen Maſſonum ita ſcribere; *Dinienſis Eccleſia dicata eſt Donino* (non Domnino) *Martyri, qui apud Iuliam viâ Claudiâ Martyr ſub Maximiano fuit. Qui, cùm vellet rabiem perſecutionis declinare, protinus inſequutus, & nihilominùs gladio tranſuerberatus glorioſè occubuit; quantum relatum reperimus apud Vſuardum.* Quo loco agnoſcere licet huiuſmodi Authorem, tum non ritè didiciſſe, cui Diuorum Eccleſia noſtra conſecrata ſit (eſt ſcilicet Beatæ Mariæ, non ſancto Domnino, vt inferiùs dicetur, ſacra) tum confudiſſe Doninum, celebrem illum Martyrem, cum Confeſſore hoc noſtro. Melius antè Volaterranus eoſdem diſtinxerat: nam mentione Martyris facta: *Alius item*, inquit, *Confeſſor* (perperàm, opinor legitur Profeſſor) *ex Africa pulſus, vnà cum Vincentio, & Marcellino Præſule Ebredunenſi; in qua etiam vrbe ſepultus. Eius feſtum colitur xij. Calendas Maij.* Vbi notandum, Volaterranum videri gratis viros Sanctos vi perſecutionis pulſos, potiuſquàm monitu diuino, adductos in Europam fuiſſe; ac malè etiam coniicere ex quibuſdam Martyrologiis, ſepultum eſſe ſanctum Domninum, ac illius feſtum coli Ebreduni xij. Calendas Maij, potiuſquàm Diniæ Eidibus Februarij.

De ſancto Vincentio illud obſeruandum; tametſi omnia Martyrologia illum priore loco, ſeu ante ſanctum Domninum memorent, non eſſe tamen coniiciendum, priorem ex duobus Epiſcopum fuiſſe: ſecùs nempe ſuadent cùm ipſa traditio, tum vetuſtiſſima Legendaria. Habemus ex iſtis Vincentium fuiſſe eloquentiſſimum; quapropter potuit maiorem quandam celebritatem adipiſci, & priore loco in primo Martyrologio nominatus, ſic nominari in cæteris. Et non potuiſſe certè ſanctum Domninum poſt ſanctum Vincentium ſedere, vel id maximè arguit, quòd, cùm veniſſent in Europam circiter annum illius ſæculi X. Vincentius tamen ſedem tenuerit anno LXXIV. quo interfuit commemorato Valentino Concilio, *cum Artemio Ebredunenſi, Florentio Vienneſi, Æmiliano Dienſi, Rhodanio Toloſano, Nicetio Valentino, & alius*; Quod quidem vir admodum pius, ac eruditus, facundúſque Polycarpus Riuiera Carthuſiani Ordinis decus, per literas ſignificans, profeſſus eſt ſe id debere celebri illi Sauarono, in Aruernia, dum viueret, Claromontano Præſidi. Feſtum porrò ſancti Vincentij celebrari nobis xj. Calendas Februarij, omni memoria ſuperius eſt. An tamen contigerit illum eodem die mori, quo ſanctus Martyr Vincentius occubuit; an certo aliquo conſilio id factum fuerit, mihi incompertum. Illud memorabile eſt, alium adhuc ſanctum Vincentium, & ipſum Martyrem, comitémque Sanctorum Orontij, & Victoris, eodem die coli Ebreduni; quod Martyrologia etiam omnia meminerunt.

CAPVT VIII.

Nicaſium, qui ſolus ex Gallijs Concilio Nicæno interfuit, Dinienſem, vt vulgò creditur, non fuiſſe.

INterim verò, dum ſanctum Domninum temporibus Sacræ Synodi Nicænæ Dinienſem Epiſcopum facio, inre ne querelas meorum Collegarum, Conciuiúmque effugiam, quatenus exinde ſubduco ex noſtrorum Præſulum ſerie Nicaſium illum celebrem, qui vt ſolus ex Prouincia Galliarum inter

interfuit illi Synodo, ita fuiſſe Epiſcopus Dinienſis conſtanter habetur? Imprimis enim Fronto Ducæus in ſuis ad Concilium Cabilonenſe Notis, poſtquàm docuit legendum eſſe, *Agapium verò, & Bobonem Dinienſis vrbis Epiſcopos*, ſubdit, *Sic reſtituendum eſt, & in Subſcriptionibus Concilij Nicæni I. vbi perperam legitur, ex Prouincia Galliarum Nicaſius Dinienſis, aut Diuionenſis.* Deinde Papyrius Maſſo in ſua Notitia Epiſcopatuum Galliæ, *Habita eſt*, inquit, *Nicæna in Bithynia admodum celebris Epiſcoporum Synodus; quódque mirabile ſit, Nicaſius Dinienſis Epiſcopus è Prouincia Galliarum ſolus adfuit. Sed hoc moneo* (pergit) *Prouinciæ Galliarum nomine intelligi totam Galliam debere, non Prouinciam Alpinam, in qua ſita eſt Dinia.*] Sequitur Claudius Robertus; cuius verba ſunt in Gallia Chriſtiana: *Nicaſius Concilio Nicæno 325. Baron. Vbi editio Romana legit perperam Diuionenſis, pro Dinienſi. Quæ ſumma laus eſt huic Præſuli, inter 318. Patres, ſolum ex Epiſcopis Galliarum ſediſſe.*

Quid memorem Galterium in Tabula Chronologica Gallicè conſcripta? quid alios? Addere ſufficiat vnum Petrum Saxium, qui in Arelatenſi Pontificio, ex Dinienſi Nicaſio Arelatenſem Epiſcopum fecit. Nam primùm ſic habet: *Ad Marium redeo, qui vitam propagauit ad indictionem Concilij Nicæni, cui, ſi coniectura non improbatur, per legatum adfuit, Nicaſium nempe Dinienſem Galliarum legatum, in Arelatenſi Eccleſia poſt Martinum ſucceſſorem.* Et poſteà, *Dinia Sentiorum, aut Ebroduntiorum oppidum eſt, antiquo Epiſcopatu inſigne, in Prouincia Romanorum, cui præerat Nicaſius tempore Concilij Nicæni: Oecumenico enim Concilio Galliarum legatus ſubſcripſit.* Ac deinque ſtatim, *Quam legationem tantâ cum laude exercuit, vt defuncti Martini noſtri locum ſupplere meruerit. Coniectura facilis, & expedita eſt; tum quòd celebris, & magni nominis eſſet in Prouincia noſtra; arduis etiam negotiis ritè perfunctus; tum quòd ipſum hac ætate, aut cognominem nobis offerat Elenchus noſter.*

Ex hiſce ergo, an non videor parùm in Patriam æquus, aut pius, dum adimere illi tantæ famæ Epiſcopum minimè vereor; Verùm, aut Legendario noſtro, hoc eſt antiquæ pietati, traditioníque Patrum noſtrorum adimenda fides videtur, aut ille nobis reſpondendus eſt. Vt enim taceam durum eſſe, vel ab Euſebij tẽpore, qui ſedere cœpit anno CCC.IX. in annũ Concilij CCC.XXV. aut XXVIII. obire debuiſſe cùm Domninũ, tũ Vincẽtium, & fortè etiã quempiã alium, vt iam Nicaſius ſucceſſiſſet; ac potiſſimum, cùm habeamus & Domninum conſenuiſſe, & Vincentium longo pòſt ſuperfuiſſe tempore (quæ facilè ſanè cum XII. aut XV. annis minimè cohærent) en quæ Legendarij ſint verba. *Intereà* (hoc eſt temporibus Vincentij, qui haud-dubiè Domnino ſucceſſit) *exorto Schiſmate peruerſo hæretica falſitatis, comperit Eccleſia Ebredunenſis perturbata eſſe intra Illyricum, & Ligeriam Catholicorum dogmata, & in diſſidium penè veniſſe Sanctæ Trinitatis fidem, quod teſtabantur latere; in quo Dionyſium Mediolanenſem, & Euſebium Vercellenſem, & Patricium Veronenſem Epiſcopos eſſe damnatos, cum pluribus alijs Catholicis defenſoribus; quod qui interfuerunt, teſtati ſunt.* Notum porrò eſt indicari ex his Concilium illud Mediolanenſe, quod annis XXX. poſt Nicænum, hoc eſt anno CCC.LV. celebratum eſt, & in quo, præter cæteras clades, tam Dionyſius Mediolanenſis, quàm Euſebius Vercellenſis perſequutionem paſſi leguntur.

Itaque, ex his fueram iam adductus, vt crederem Nicaſium fuiſſe nobis falsò aſſertum; ac, vt poſſem Scripturam illam ſubſcriptionis emendare, quia legi Nicaſius Diuienſis, aut Diuionenſis minimè poſſet (quòd Diuienſis diœceſis nulla, Diuio ad Lingonenſem ſpectaret) conieceram debere ergo Dinenſem, aut Dienſem legi; quòd quæ Diœceſis Dienſis coniuncta iam eſt Valentinæ, perantiqua exſiſteret: Verùm, quòd nullo argumento fulcire coniecturam poſſem, ac, vt verum fatear, ægrè ferrem Antiſtitem adeò illuſtrem abnuere, maximè verò tot grauibus authoribus, qui nobis ipſum tanto conſenſu aſſererent, planè inuitis; ad id demùm confugeram, vt mortuo fortaſſis Domnino ante Nicænum Concilium, ſucceſſiſſet Vincentius, qui & Concilio interfuiſſet, & ſubſcripſiſſet non Latinè *Vincentius*, ſed Græcè Νικάσιος; quando conſtat vox *Nicaſij*, & *Vincentij* idem ſonare, vti Νικᾶν eſt *Vincere*; Quanquam & obſtabat, familiare eſſe, vt qui Præſules eodem nomine Conciliis Græcis intereſſent, ſubſcriberẽt quiſque, nõ Νικάσιος ſed Οὐικέντιος.

Has igitur inter anguſtias commodùm illuxit memoratus Riniera, qui non modò me id, quod dixi iam, per literas docuit, Sanctum putà Vincentium ſuperfuiſſe adhuc Concilij illius Valentini tempore (hoc eſt annis nouem & quadraginta poſt Nicænum, & poſt Mediolanenſe nouemdecim) verùm etiam prorsùs exemit hunc de Nicaſio ſcrupulum, oſtendens debere reuerâ in ſubſcriptionibus Concilij *Dinenſem* aut *Dienſem* legi, quòd Nicaſius ille reuerâ Dienſis Epiſcopus fuerit. Nempe id ſibi conſtare ſcripſit ex Legationis Gallicæ Bulla, Hugoni Epiſcopo Dienſi conceſſa, anno M.LXXVI. vt in qua conceptis verbis fiat mentio *Memorandi illius Nicaſij, qui pro Eccleſia Gallicanâ ſancta, & Oecumenica adfuit Nicæna Synodo, cuiúſque venerabile corpus in eadem Sacra requieſcit Eccleſia.* Atque hæc quidem pro reſpondendo nobis, ac reſtituendo interim ſuæ Diœceſi Nicaſio.

CAPVT IX.

Ebredunum Metropolis, ad quam ſemper fuerit Dinienſis Eccleſia relata.

SEquitur quidem qualis fuerit à priſcis vſque temporibus Dinienſis Eccleſia dicendum; verùm par eſt præmittere de Ebreduno aliquid, quatenus Metropolis eſt, ad quam ab ipſa vſque Sanctorum Antiſtitum

prædicatione

prædicatione' Dinienſis Ecclēſia ſpectauit. Reſpuendum certè heic quoque eſt, quod nobis quidam aſſerunt, vt nempe Dinia Metropolis, & celebris quidem aliquando fuerit. Siquidem citatus Maſſonus, vbi de Dinia, aot Domnino eius Epiſcopo loquitur, *Celebrē*, inquit *fuiſſe Metropolim; ex ſubſcriptionibus prima Synodi apud Aureliam habita* (anno ſcilicet D. XI.) *certum, atque perſpicuum eſt.* Imitatur hic Author conſcriptam Gallicè Notitiam Diœceſeon vniuerſalis Eccleſiæ; ac perſuaderi idem poſſent, qui editionem Conciliorum Binij, aut aliam ſimilem inſequuti, hocce initium Subſcriptionum Concilij primi Aurelianenſis legerent, *Auentius Dinien. Metropolis:* Et in Notis marginalibus, *Dinienſ. Dien. vel Dignenſ.*

Enimverò, Neque Sirmondus meliora ſequutus, dum Gallicana Concilia nuper edidit, inter Subſcriptiones illius Concilij vllo modo meminit huiuſcemodi aut *Auentij* aut *Dinienſis*, aut *Metropoleos*; Neque veriſimile eſt, cum Pentadius quinque antè annis ſubſcripſiſſet Agathenſi Concilio, & Portianus tredecim pòſt ſubſcripſiſſe reperiatur Arelatenſi IV. ac vterque Dinienſis quidem, ſed nudè tamen Epiſcopus; veriſimile, inquam, non eſt, intermedio tempore fuiſſe celebrem Metropolim Diniam: Neque aliàs vſquam fit mentio huiuſce Metropoleos, aut Ebreduoum memoratur vnquam non habuiſſe Epiſcopum noſtrum Suffraganeum: Neque denique, ſi Pentadio ſucceſſiſſet Auentius, probabile fieri vllo modo poteſt, meruiſſe illum, vt primo loco, tempore tam breui, eo in Concilio ſubſcriberet. Itaque error haud dubiè eſt in illis Editionibus, quæ nobis tribuunt aut Auentium, aut Metropolitanam ſedem. Quòd ſi cui fortè placeat primam illam ſubſcriptionem non tam expungi, quàm emendari; legi fortè poſſet, non *Auentius Dinienſis*, ſed *Auitus Viennenſis*; quòd Scribarum vitio, illa ſiue mutatio, ſiue corruptio literarum contingere potuerit; quòdque clarum ſit tum Auitum temporibus illis Viennæ præſediſſe, tum Viennam fuiſſe Metropolim. Fuit ergo potiùs ſemper Dinia ſub Metropoli Ebreduno.

Ebredunum porrò nemo eſt, qui eſſe Alpium vrbem neſciat, quæ in quibuſdam Libri Prouinciarum Codicibus tum excuſis, tum MSS. variè legitur, *Ebreduno*, *Ebruduno*, *Eburoduno*, *Eberedunо*, *Eburodunum*, & *Ebredunum*. Ptolemæus dicit Ἐβρόδουνον, & Strabo ἐπεβρόδουνον, niſi quod Caſaubonus Ἐβρόδουνον legendum putat. Appellata etiam nonnullis *Ambronum* ciuitas eſt; & iampridem vulgare eſt, vt *Ambrun*, vel *Embrun* vocetur. Diſtat Diniâ leucis, ſeu milliaribus Prouincialibus XII. idque in Cæciam circiter; ex quo quia ratiocinor, Longitudinis differentiam vix dimidio gradus maiorem exſtare; ideò videtur Ptolemæus excedere duobus gradibus, cùm Ebreduno Longitudinem tribuit 29. grad. 30. minut. & Diniæ, vt eſt antè viſum, 27. grad. & minut. 10. Et quia differentiam Latitudinis ex Dinienſi cognita, eſſe 24. minutorum eruo; idcircò addo Ptolemæum videri rectè conſtituiſſe Ebreduni Latitudinem 44. grad. & 30. min. Sita eſt vrbs ad Druentiam, Druentiumve (ex Ptolemæo) flumen, quod *gurgitibus varijs intortum* Ammianus appellat (ſcribens *Annibalem per ipſum regiones occupauiſſe Hetruſcas*) & Silius eadem occaſione, *truncis, ſaxiſque turbidum*; ac Auſonius *ſparſis incertum ripis.* Cùm ſint verò incerti fines earum Alpium, quæ Cottiæ, Pœninæ Grææ, Maritimæ ſunt dictæ; videre licet Ebredenum à Strabone collocari inter Alpeis Cottias (poſſet & inter Pœninas, quæ eædem cum Cottiis, vocatæ Pœninæ ob Annibalem ſunt) à Ptolemæo inter Græas (dum eſſe etiam dicit Caturigidorum) ab Authore libri Prouinciarum, inter Maritimas.

Vtcumque ſit, cùm facta fuit, quæ & deinceps inualuit, Prouinciarum diſtinctio, Prouincia vna habita fuit Maritimarum Alpium, cuius Metropolis fuit Ebredonum. Nempe, vt priùs Metropolis ob ſæcularem ditionem fuit, ita & remanſit, cùm ſubiit Eccleſiaſticam adminiſtrationem. At merito iure quis hæreat, cùm, à Chriſtiana Religione accepta, eædem Ciuitates quæ fuerant Diœceſeun quaſi capita, euaſerint Epiſcopales ſedes; Quî fieri poſſit, vt cùm priùs Ebreduno Metropoli ſubijcerentur ſeptem Ciuitates huiuſmodi (nuncupatæ in illo Prouinciarum Libro) Dinienſium, Rigomagenſium, Sollinienſium, Sanicienſium, Glannatena, Cemelenenſium, Vincienſium; quinque tamen ſolùm ex his Epiſcopales Sedes iam ſint, nempe Dinienſis, Sanicienſis, Glandatenſis (eadem, quæ Glannatena) Nicienſis (loco Cemelenenſis, quòd Cemeleno diruta, ſeu, vt Ptolemæo dicitur, Cemeneleo, diruta, tranſlata ſedes fuerit in ciuitatem proximam Niciam) ac denique ipſa Vincienſis. Nam quod Graſſenſis quidem addatur, non illa eſt vna ex reliquis duabus; ſed tranſlata in eam eſt ſedes ex Ciuitate Antipoli, cui pridem tributa præter ordinem fuerat.

An ergo, cùm Rigomagenſis, & Sollinienſis numero deſint, placebit, quod fando accepi à memorato Riuiera, dum ſe habere acta narrauit, quibus comprobaret eſſe non *Rigomagenſium*, ſed *Brigomagenſium* legendum; ac fuiſſe olim Brigomagum, quod iam appellatur *Brianſon: Sollinienſium* autem ciuitatem eam fuiſſe, quæ *Sedenenſium* iam dicitur; ac vtramque quidem initio Epiſcopalem ſedem fuiſſe; ſed poſteriùs tamen coaluiſſe in Metropolim Ebredunum: An ſtandum potiùs coniecturæ memorati quoque eximij Peireskij, qui in ea fuit, vt etiam ex ore ipſius accepi, ſententia, vt crederet *Trinum* Montisferrati *Rigomagum* eſſe, quæ Libicorum ciuitas exſtiterit; ac *Saliniam*, quæ iam *Salucia*, ipſum eſſe Sollinium? Tametſi non meminerim, aut qui probârit Trinum idem cum Rigomago eſſe; aut dicere potuerit quando, quorſumve contigerit Ciuitates haſce ſubduci à Metropoli Ebreduno.

Et de ſuperſtitibus quidem aliis nihil neceſſe eſt hoc loco adiiciam; de noſtra verò

aduotu ſolùm, quemadmodum anteà Ciuitas Dinienſis prima omnium recenſebatur; ita & iam adhuc Dinienſem Diœceſin cunnumerari primam umnium, quæ ad Ebredunum Metropolim ſpectant. Præterea autem, quod Maſſonus habet, cùm de Dinienſi Epiſcopo loquens, Is, *primum*, inquit, *inter Collegas Epiſcopos locum tenet*; ſiquidem perantiquum eſt, vt quo quiſque Epiſcoporum ordinatione prior eſt, eò locum priorem inter collegas teneat. Obſeruo potiùs, ex eo, quòd primi Dinienſes Epiſcopi quidam quaſi Coadiutores Ebredunenſi fuerint, natam videri ſpecialem illam, quæ inter vtramque Eccleſiam intercedit neceſſitudo. Nempe, ſi quando Canonici Ebredunenſes Diniæ, aut Dinienſes Ebreduni verſentur, inuitari ſolent hi illeic, & illi heic vt Choro interſint Canonicali habitu; vt ſi quandoque interfuerint, diſtributiones accipiant; vt; ſi cogatur Capitulum, in id ingrediantur, & ſuffragium ferant.

Subiicere hoc loco iuuat verba Diplomatis illius, quo Carolus IV. Romanorum Imperator, anno M. CCC. LVII. confirmauit, ac iteratò conceſſit Guillelmo Ebredunenſi Archiepiſcopo Sacri Romani Imperij Triſcamerario, Principatum Ebredunenſem; *Ita vt, tam ipſe, & ſucceſſores eius, quàm Eccleſia Ebredunenſis ſoli Imperatori circa temporalia ſubiaceret*, &c. Quippe iſtud demum ſequitur; *Huiuſmodi denique Salua-gardia, & protectionis noſtra Imperialis exſequutores, & conſeruatores perpetuos venerabiles Taurinenſem, Dignenſem, & Carpentoractenſem Epiſcopos, Principes, & deuotos noſtros dilectos, & eorum quemlibet, dictis Archiepiſcopo, & Eccleſia damus, & authoritate, qua ſuperiùs, cum plena poteſtate tranſgreſſores, inuaſores, & turbatores dictorum Archiepiſcopi, & Eccleſia, ſuorumque hominum, bonorum, libertatum, poſſeſſionum, & iurium, per ſe, vel alium, ſeu alios puniendi, coërcendi, pœnas exigendi, atque leuandi, aliáque omnia, & ſingula faciendi, & exſequendi, qua in talibus ſunt, vel fuerint opportuna, tenore præſentium deputamus.* Ex quibus patet obiter, quid Dinienſi Epiſcopo inter Principes ab Imperatore habito, circa Ebredunenſem tam Archiepiſcopum, quàm Eccleſiam fuerit tributum.

Cæterum, ab initio ſtatim Ebredunenſem Epiſcopum Metropolitanum fuiſſe confirmari vel ex eo poteſt, quòd anno CCCC. LXV. Hilarus Papa legitur ſcripſiſſe ad Veranium, Leontium, & Victorium Epiſcopos, *circa cauſa inquiſitionem, & inſtaurationem iurium Ingenui Ebredunenſis*. Nempe Auxanius Arelatenſis impetrârat per ubreptionem, vt Ebredunenſis Prouincia ſuo Epiſcopatui quoad Eccleſiaſticam iuriſdictionem ſubiiceretur. Et quamuis in Regienſi Concilio XXVI. antè annis celebrato, cauſæ depoſitionis Armentarij, qui ordinatus fuerat Ebredunenſis Epiſcopus, enarrari videantur, *quòd ordinatio facta fuiſſet abſque trium Epiſcoporum præſentia; Comprouincialium literis; Metropolitani authoritate*: cauſa tamen præcipua; ac penè vna fuit, ordinatio facta à duobus ſolùm Epiſcopis. Nam illud quidem, *abſque Metropolitani authoritate*, non arguit Ebredunum fuiſſe alterius Metropoleos; ſed videtur ſolùm innuere defectum conſenſus Metropolitanæ Eccleſiæ, in qua authoritas reſidet, donec vacat ſedes. Vt prætercam ſeriem contextus videri ſolùm indicare vnam ex cauſis irritandæ ordinationis, *iuxta Patrum conſtitutiones eſſe, ſi ea abſque authoritate Metropolitani fiat*; intellige, niſi ordinatus Epiſcopus exſtiterit ipſe Metropolitanus. Si fuerit enim, conſtat aliàs eſſe poſſe irritanteis cauſas, vt quæ prætereà commemorantur; & qualis quoque eſſe poſſet illa, ob quam poſt-modum Ioannes VIII. Aribertum Ebredunenſem Archiepiſcopum anno D. CCC. LXXVII. reprehendit, quòd ſcilicet *alium in Vencienſi Eccleſia conſecraſſet Epiſcopum, præter eum, quem Clerus, & populus elegerant.*

Huc me admonet, vt id non prætercam, ex quo aliunde confirmetur, quod inter D. Marcellini Lectiones repoſuimus, fuiſſe eum ab Euſebio Pontifice verſus Alpeis miſſum. Bulla nempe eſt Victoris II. qui anno M. LVIII. menſe Iulio, de conſecratione Vuimanni in Ebredunenſem Archiepiſcopum, ad ipſummet ſcribens, inter cætera ita eſt affatus. *Te, cariſſime confrater, & coepiſcope vnanime, præfata Eccleſia Archiepiſcopum, & Rectorem, pro vita merito, & ſapientia doctrina ordinauimus, & conſecrauimus, ſecundum electionem Cleri, & populi: ad petitionem quoque religioſorum Principum; & ad ſuggeſtionem venerabilium Primatum circumiacentium Prouinciarum, quorum vnanimis ſententia exſtitit, vt ſi Ebredunenſis Eccleſia recuperatio aliqua ſperetur, ab illa Matre ſcilicet Eccleſia Romana; qua prius illò B. Marcellinum Prædicatorem, & Pontificem direxerat, Prædicator, & Pontifex repræſentetur*, &c.

Capvt X.

Priſcus Dinienſis Eccleſiæ ſtatus, prout elicitur ex Bullis Alexandri III. *&* Lvcii III. *ante annos propè quingentos conceſſis.*

Iam, qualiſnam fuerit ab vſque initio Eccleſia noſtra cõſtituta, aut quo ſtatu per octingentos primos annos perſeuerârit, dicere ſanè promptum non eſt; quando in noſtris Tabulariis nihil antiquius exſtat duabus illis Bullis, quarum alia eſt Alexandri III. Anno M. C. LXXX. ac menſe Nouembri; alia Lvcii itidem III. Anno M. C. LXXXIV. ac menſe Maio conceſſa: Acta verò externa, & Conciliorum maximè, aliud nihil produnt, quàm noſtrorum aliquot Epiſcoporum nomina; vt proximo ſtatim à SS. Antiſtitibus ſæculo, Nectarij, & Memorialis; inſequente, Pentadij, Porciani, Hilarij, Heraclij, & quorundam prætereà inferiùs commemorandorum. Quamobrem coniectando ſolùm, & quibuſdam

quibuſdam veſtigiis penè euaneſcentibus inſiſtendo, haberi veriſimile poteſt, Epiſcopos Sanctos, & qui proximi ab illis fuere, non ſolùm in Vrbe, ſed etiam oppidatim conſtituiſſe Eccleſias, quibus ſingulis quia ipſi per ſe miniſtrare diuinum verbum, Sacramentáque non poterant, delegerint viros idoneos, quos in Miniſterij partem aſſumptos, (ac ideò dictos Clericos) & Sacerdotes inſtituerint, & Eccleſiis præfecerint. Ne deeſſent verò, qui ad Sacerdotium, cùm opus foret, promouerentur, & mitti ad Eccleſias Paſtoribus viduatas poſſent, inſtitutum fuiſſe in Vrbe Clericorum collegium, qui partim ab Epiſcopo, partim mutuò, hoc eſt iuniores à veteranis erudirentur ad munia Eccleſiaſtica; ac in diuinis præterea laudibus concinendis occuparentur. Vrbanam proinde, ſeu dictam ab Epiſcopi ſede, Cathedralem Eccleſiam, habitam fuiſſe quaſi Matricem, principemque oppidanarum; quòd eius Collegium eſſet ſeminarium, promptuariumque, ex quo illarum Paſtores, Rectoreſque deſumerentur. Totum Clerum, hoc, eſt, tam Epiſcopum, quàm Clericos (tum ſacerdotes, tum deſtinatos ad ſacerdotium) ſuſtentatum fuiſſe populi oblationibus, collatiſque ex Diœceſi vniuerſa decimis, quas adminiſtrans Epiſcopus, ex iis partim ſibi, & Clericis aliis, quæ neceſſaria forent, prouideret: partim ædibus, veſtibus, vaſis ſacris proſpiceret; partim in Diœceſeos pauperes erogaret. Quòd Clerici in Vrbe, matricéque Eccleſia degentes nondum fungerentur (vno, alterove excepto, qui cùm opus foret, Epiſcopi vices ſuppleret) eo miniſterio, quo per Diœceſin cæteri, & partem tamen ex Canone, decimalive penſitatione aliorum inſtar caperent, fuiſſe ex eo Canonicos dictos; eorumque collegium idcircò appellatum Capitulum, quòd Epiſcopo exiſtente velut primario capite, ipſum veluti ſecundarium foret. Si obiret Epiſcopus, fuiſſe ſolitum in illius ſucceſſorem deligi non ex ſolo hoc Collegio, ſed ex totius Diœceſeos clero, quem ſanctitas præſertim vitæ faceret tam apud Clericos, quàm apud Populum, maximè commendatum.

Cùm procedente tempore cœpiſſet Epiſcopi Electio non ſine ambitu fieri, & curæ paſtoralis feruor, charitaſque refrigeſceret, tæduiſſe Epiſcopum vnà cum Canonicis viuere, Menſamque ſibi propriam, ſpecialemque habere voluiſſe. Conueniſſe ipſi, & Canonicis, vt Epiſcopali Menſæ certę Eccleſiæ, decimæve oppidorum, in quibus illæ ſitæ forent, deſtinarentur; & certæ etiam Capitulari; ac vt tam Epiſcopus, quàm Capitulum ſua ſeorſim bona adminiſtrantes, ſuarum ſimiliter Eccleſiarum Sacerdotibus prouiderent. Capitulum, Canonicoſve vnum è gremio delegiſſe, quem & dixere Præpoſitum, vt verbo, & exemplo collegis præeſſet. Cœpiſſe & temporis progreſſu ipſos tædere Canonicos degendæ communiter vitæ; &, cùm videretur eſſe commodum, vt ſibi Eccleſias inter ſe partirentur; viſum tamen fuiſſe incommodum, vt, cùm vacarent Eccleſiæ, ipſi ſe ad illas conferrent, & totis ipſarum reditibus fruentes, nihil Collegio relinquerent, vnde ſuffecti alij Canonici ſuſtentarentur, ſicque ſeminarium Sacerdotum deficeret. Itaque cogitaſſe ipſos tum Eccleſias quaſdam communeis habere, tum portionem quiſque ex ſua in commune conferre, quod ſuffectis Canonicis ſuſtentandis congrueret, quouſque & ipſi aſſequerentur Eccleſias vacanteis. Quoniam verò Epiſcopus deſtinabat Eccleſiis ad ſuam Menſam ſpectantibus, non Sacerdotes iam delectos ex Canonicorum collegio, ſed quos ipſe aliunde inſtitueret; cogitaſſe Canonicos, poſſe quoque ſe ad oppidanas ſuas Eccleſias Sacerdotes deſtinare aliunde aſſumptos, & Epiſcopo tamen approbatos, qui ſui vices gererent; neque fore neceſſe nouos ſibi ſubſtitui Canonicos; ſe enim Canonicos remanſuros in ipſa Cathedrali Eccleſia, & quam conferebant portionem redituum in ſuffectos Canonicos, poſſe deinceps in Sacerdotes ſui vicem gerenteis in oppidis conferri.

Hoc proinde modo euenitſſe, vt Canonici fixam ſedem numeróque certo, in ipſa Cathedrali Eccleſia facti fuerint ac deſierint circa functiones Sacerdotaleis, ſiue ad curam animarum ſpectanteis, inſtitui (niſi qui eſſent, qui miniſterio ſuis in Eccleſiis defungi mallent) ac ſolam retinuerint concinendi laudes diuinas functionem. Et quibus quidem præterea occaſionibus factum fuerit, vt Epiſcopus, Capitulum, Præpoſitus, Canonici quidam, præter decimas Eccleſiarum, etiam prædia, feuda, iura alia Eccleſiis affecta obtinuerint, heic non refero; adnoto ſolùm, talem videri fuiſſe ſtatum Eccleſiæ, cùm memoratæ Bullæ ante annos propè quingentos fuere conceſſæ.

Videlicet ex ipſis conſtat, fuiſſe iam tum Præpoſitum, & duodecim Canonicos in ipſa Dignenſi Eccleſia diuino obſequio mancipatos; ac poſſediſſe interim varias per totam Diœceſin Eccleſias. Quòd in iiſdem verò legantur Præpoſitus, & Canonici *S. Mariæ Dignenſis* dicti (quippe ob ipſam Cathedralem, primariamque Eccleſiam B. Mariæ Virgini ſacram) occaſioni eſt, vt obſeruem, non apparere quo argumento niti poſſint tum Ioannes Marius, tum aliqui alij, tum in enumeratione Diœceſeon Septimaniæ Metropolibus ſubiectarum, Diniam, Dinienſemve Eccleſiam faciunt Ordinis S. Auguſtini. Quippe, vt taceam monumentum, veſtigiumve nullum exſtare, ex quo liceat coniicere fuiſſe vnquam maiores noſtros Regulareis, ſeu Ordinis Monaſtici Canonicos, vel ea ſola Nuncupatio, qua Canonici S. Mariæ Dignenſis dicti ſunt, videtur ſatis arguere extitiſſe illos ſuæ ſolùm Eccleſiæ, non vlli præterea Monachorum Ordini addictos. Fortè Authores illos decepit, quòd, cùm Diniæ pridem Eccleſia Monialium, ſeu Monaſterium fæminarum Ordinis S. Auguſtini fuerit, idque ante annos ducentos aliò tranſlatum, vt infrà dicetur; anſa fieri potuit, vt coniicerent Dinienſem Eccleſiam fuiſſe olim Canonicorum Sancti Auguſtini Regularium,

qui eſſe à ducentis annis Regulares deſierint, & Sæculares fuerint effecti.

Verùm, vt hoc mittam, ſubiicere præſtat, ipſarum-met Bullarum verba; maximéque, cùm congruum ſit, eorum occaſione ediſſere varia capita ad ſtatum Eccleſiæ deinceps conſequutum ſpectantia. Quanquam, quòd Bullarum poſterior iiſdem penè verbis, quibus prior concepta ſit, & pauca ſolùm diſcrimina, quorum intereſſe quidpiam valeat, in Eoumeratione Bonorom habeantur; ea de cauſa verba prioris dumtaxat referenda ſuot; &, ſi quid fuerit diſcriminis, id obiter interſerendum. Quio ob eandem etiam cauſam, oihil attexemus verborum alterins Bullæ Gregorii IX. anno M. CC. XXXIV. ac menſe Nouembri conceſſæ, idque confirmantis, quod in his habetur de duodenario, præter Præpoſitum, Canonicorum numero: Neque rurſùs alterius Vrbani IV. anno M. CC. LXII. conceſſæ, eundem-met adhuc numerum Canonicorum cõfirmantis, addentiſque ſolummodò, factum de eo fuiſſe Statutum, quod etiam firmatum iuramento fuerit. Referentur antem poſteà ſolùm Bullæ, quæ ad Capita alia, quàm in his contenta, attinere deprehendentur.

Bulla itaque Alexandri III. oon modò Sigillo munita, ſed etiam, vt tum moris erat, ſubſcriptione ipſiuſ-met Pontificis, hac forma, *Ego Alexander Catbolica Eccleſia Epiſcopus*, tum Cardinalium XI. hac item forma, *Ego Hubaldus Oſtienſis, & Velitrenſis Epiſcopus; Ego, &c.* Bulla, inquam, ſic incipit; *ALEXANDER Epiſcopus Seruus Seruorum Dei; Dilectis filiis Vgoni Præpoſito, & Canonicis ſanctæ Mariæ Dignenſis, eorúmque Succeſſoribus canonicè inſtituendis.*

Deinceps verò in eius ſerie Pontifex, ſuſcepto Eccleſiæ patrocinio, confirmat primùm Poſſeſſiooes, & Bona omnia, quæ Præpoſitus, & Canonici, ſeu habebant, ſeu habituri erant; ſimúlque texit eorum, quæ tum exſtabant, dinumerationem. *Præfatam Eccleſiam, in qua diuino mancipati eſtis obſequio ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus: Statuentes, vt quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona eadem Eccleſia in præſentiarum rationabiliter poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificis, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, ſeu alijs iuſtis modis, dante Domino, poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis.*

Burgum Dignenſe, in quo Eccleſia veſtra conſiſtit, cum omnibus pertinentijs ſuis. Eccleſiam S. Vincentij ſupra Burgum. Eccleſias de valle Marculfi, cum pertinentijs ſuis; videlicet S. Stephani, S. Marcellini, S. Martini: ſanctæ Mariæ de Mannano, ſanctæ Mariæ de Heuſeria, S. Mauritij, S. Andreæ Eccleſias. Eccleſias inſuper de Antragilis, & de Beco ieiuno, cum decimis, & alijs pertinentijs ſuis. Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Galberto, cum omni iure ſuo. Eccleſias d'Aglenio (Lucius, de Agleduno) *cum omni iure ſuo, Eccleſias de Ceis. Eccleſiam ſanctæ Eugeniæ, cum omni iure ſuo.* (Ioteriicit heic Lucius *Eccleſiam S. Stephani de Oxida.*) *Eccleſiam S. Vincentij de Garbeſia, & S. Pontij de Rubina, ſaluo iure Epiſcopi Dignenſis in Eccleſia S. Pontij. Eccleſiam S. Mariæ de Salloë. Domum Eleemoſynariam Burgi Dignenſis. Tertiam partem Mortalagij totius Epiſcopatus. Procurationem, quam habetis in Eccleſia de Bligerio* (addit Lucius, *Procurationem, quam habetis ab Epiſcopo veſtro in feſto S. Stephani.*) *Medietatem Synodalium nummorum. Caſtrum de Heuſeria, & Villam S. Andreæ, cum pertinentiis ſuis. Quicquid habetis in Caſtro Dignenſi, & Caſtro Marculfi, & eorum territoriis, tam in Eccleſiaſticis, quàm Mundanis. Quicquid iuris habetis in Caſtro de Dromone, & tenimento ipſius. Quicquid poſſidetis in Caſtro Barlet, & in Caſtro de Belioco, & eius tenimento. Quicquid poſſidetis in Rocca dominorum de Ganea* (Lucius, de Gaueda: ioternicit autem, *Quicquid habetis in vico de Gaudulis.*) *Quicquid habetis in Caſtro Campi Vrſini, & in Canola* (Lucius Cannola) *Quicquid habetis in Caſtro de Durbis, tam in decimis, quàm in aliis. Quicquid in Caſtro de Rocca bruna, & de Ceis, ex dono Petri Iſnardi.*

Tum poſteà, circa Canonicorum Nnmerum, in hunc modum decernit: *Statuimus inſuper, vt numerus Canonicorum veſtrorum duodenarium non excedat; ſed ſemper duodecim, præter Præpoſitum, in eadem Eccleſia ſtatuantur, qui debeant in ipſa domino famulari: niſi tantùm ipſius excreuerint facultates, vt plures decenter de bonis eiuſdem valeant ſuſtentari.*

Denique, & de ipſis Electiooibus ita ſtatuit: *Obeunte verò Epiſcopo veſtro, vel Te, fili Præpoſite, vel quolibet eorum, qui vobis ſucceſſerint, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia, ſeu violentia præponatur; niſi quos Fratres communi conſenſu, vel Fratrum pars conſilij ſanior, ſecundum Deum prouiderint eligendum.*

Capvt XI.

Eccleſia, ſeu Baſilica Dinienſis Primaria; cui ſacra, & cuius antiquitatis.

Vt quidpiã porrò circa præcipua iſthæc capita adnotemus; obſeruate imprimis lubet, ex eo, quòd Bnlla *Canonicos S. Mariæ Dignenſis* dicit, & ſanctæ Mariæ Eccleſiam *conſiſtere in Burgo* addit, vbi & conſiſtit etiamnum; intelligi fuiſſe couſtanter Cathedralem Eccleſiam, Baſilicámve primariam beatæ Mariæ Virgini ſacram: ac idcircò falli Maſſonum, cùm *B. Domnino dicatam* eam facit. Non quòd primis temporibus dicari Eccleſia Domnino defuncto oon potuerit; ſed quòd à quingentis ſaltem hiſce annis, & ab exſtructa vſque Eccleſia res ſecus ſe habuerit; neque vſpiam vocati legantur *ſancti Domnini Canonici*; vt Ebrednnenſes, verbi gratiâ, qui iam ſanctæ Mariæ Canonici ſunt, ob primariam Baſilicam intra Ciuitatem exſtructam, dicti fuere ante aonos ſexcentos *Canonici ſancti Marcellini*, ab ædificata extra

mutos


muros ſancti Marcellini Eccleſia, quæ & diruta fuiſſe per Caluiniſtarum bella ſuperiore ſæculo, & verſa in propugnacula perhibetur. Saltem, inquam, quoniam alioquin noſtro in legendario habetur, quam primum Domnino, ac Vincentio prædicantibus, excepta eſt à Dinienſibus fides, conſtructam fuiſſe Eccleſiam, quæ, euocato etiam Diniam beato Marcellino, *in honorem genitricis Dei Mariæ conſecrata fuerit.*

Ac ſuſpicari quidem quis poſſet, primam hanc Eccleſiam eſſe id Sacellum, quod extra Portam Solatij bouum, tendendóque ad Balnea, & proximè locum, in quo ante annos ſolùm quinquaginta exſtructum eſt Recollectorum Cœnobium, tum peruetuſtum viſitur, tum *Mater Dei* appellatur: verum, cum id quoque *Noſtra Domina de Conſolatione* vocetur, videtur dumtaxat fuiſſe conditum, vt membrum quoddam Noſocomij, ſiue Hoſpitalis Peregrinorum Pauperum, qui & acceſſuri ad Balnea, & ab iis reuerſi, illo pridem excipiebantur, curabanturque ad aliquot dies. Cōmemini certè legiſſe inter acta Ioannis Filioli Notarij, anno M.CCCC.XXXV. *Collationem Hoſpitalis noſtræ Dominæ de Conſolatione, & S. Ægydij Balneorum Digna, in fauorem Andreæ Iſnardi per Bertrandum Boſſonum, & Guilelmum Roſtagnum Vicarios, ad requiſitionem Syndicorum dictæ Ciuitatis, ad quos præſentatio Hoſpitalis pertinebat.* Prætereo autem locum præcipuum, quo infirmi excipiebantur, verſum iam eſſe in exſcenſum, plateamve illam decliuem, quæ ante id Sacellum eſt. Veroſimilius eſt interim, conſtructam fuiſſe à primis illis Antiſtitibus patuulam Eccleſiam ipſo eodem in loco, in quo fuit deinceps, vt maior, ita & ſumptuoſior, exædificata.

Eſt hæc verò, vt iam aliquoties, repetitum ſita in Burgo, totaque interius, exteriuſque conſtat ex quadrato, viuo, nigricanteque lapide; longa interiùs, orgyias xxiiij. lata v. niſi quòd quà duo Sacella citra appellatum Presbyterium in formam crucis exſtructa ſunt, lata eſt x. Cohæret dextro, auſtrinove horum Sacellorum Turris campanilis, non illa tamen ex eodem lapide, ſed ex topho conſtans, Viæ elegantis, congruæque, quam ſuſtentâtat Pyramidis, quæque per bella fuerat deiecta, impoſita eſt illi, me puero, rudis, ac obtuſa, quæ iam viſitur. Cùm ſint præter illa Sacella, duo quædam alia præcipua, alterum ad læuam maioris altaris, quod & in Sacriſtiam cedit; alterum ad læuam inferioris Chori; fuere ipſa tamen poſteriùs conſtructa ab optimis Epiſcòpis; Illud quidem ab Elziario de Villa-noua (vnde & appellatum fuit Capella B. Elziarij) idque ab annis quidem trecentis; Hoc verò à Raynaldo Porcelleto, qui & ſepeliri in ipſo voluit (vnde & dictum ad nos vſque S. Raynaldi Capella fuit, cùm iam S. Annæ vocetur) idque ab annis trecentis triginta.

Ad huiuſce autem Eccleſiæ vetuſtatem quod attinet, conſtans, verúſque traditio eſt, eſſe ipſam vnam ex iis, quas Carolus Magnus conſtruxit. Atque ego quidem non diſputo, legitima-ne ſit, an ſpuria illa Epiſtola, qua ad Adrianum Papam conſcripta, & in Libello, cui Titulus *S. Annæ Sepulcrum*, relata, Imperator ſignificat *ſe, fundamentis iam aliquot Eccleſiarum iactis in Narbonenſi Prouincia, velle Diniam contendere, vt & ibi vnam in honorem B. Mariæ conſtitui curet:* Refero dumtaxat, quæ verba habentur in Bulla quadam Sixti IV. continente vnionem Prioratûs S. Petri de Alberta, anno M.CCCC.LXXIX. ac menſe Septembri conceſſa, & in noſtris quoque Tabulariis aſſeruata. Nempe in ea ſic legitur. *Pro parte dilectorum filiorum Capituli Eccleſiæ Dignenſis, nobis expoſito, quòd fructus, reditus, & prouentus Menſæ Capitularis eiuſdem Eccleſiæ, quæ à Diuæ memoriæ Carolo Magno Romanorum Imperatore inter duos montes, extra muros Ciuitatis Dignenſis fundata, & dotata exſiſtit; propter ſterilitatem, tempeſtates, & frigora inibi vigentia, adeò diminuti fuerant, &c.*

Cæterùm, vtcumque Eccleſia, Baſilicáve huiuſmodi antiquitatis maioris non ſit; at ſaltem quod Marmor in medio proſpectu maioris Altaris conſpicere licet, tranſ-ſumptum eſſe debet ex alia, quæ illi præexſtiterit à tempore vſque ſanctiſſimorum Antiſtitum, ſeu à ſæculo Magni Conſtantini. Quippe in area Marmoris duas inter columnas depreſſa eminet ad vnam circiter vnciam digiti, ea Crucis ſpecies, quæ per id tempus exhibebatur, quæque proinde incidi tum debuit: Eſt ea verò huiuſmodi



Altitudo illius eſt Pariſini pedis vnius, & digitorum duorum, ac trientis: latitudo, ſeu tignum tranſverſum decem cum ſemiſſe: facies ſua inter latera, digiti vnius, cum triente; deflexio partis ſupremæ in dextram, cum recuruatione, vt heic pingitur.

Prætereà autem, cùm curaſſemus Altare eminentius fieri, dediſſe nos quoque operam, vt idem Lapis attolleretur. Fuiſſe eum bi-ſectum repertum, & ab anteriore quidem, ſuperioréque parte in poſteriorem, inferiorémque; obliquè nimirùm, & quaſi vno ictu, ac iuxta venam lapidis. Cætera fuiſſe ſolidum,

& figurâ quidem proximè quadratâ,ſeu non omninò cubicâ; longum nempe, ac latum (ſi ritè recordor, duos pedes, atque dodrantem, craſſum duos, ſextante minùs. In areæ ſuperioris medio excauatam areolam fuiſſe, quaſi ad excipiendnm conſecratum lapidem; ſubtúſque etiam aliam ampliorem, quaſi ad coodendum reliquias: prorſus, vt Altare fuiſſe videretur. Emiouiſſe columnas ad angulos ſingulos; niſi quòd poſtica ad læuam nulla adfuit. Scripturæ veſtigia nulla vſpiam viſa.

Ad rem vt redeam, notum eſt, deſignari Cruce huiuſcemodi Chriſti nomen, ob expreſſionem duarum priorum Græci nominis literarum X. & P. cuiuſmodi ſolitæ ſunt eo ſæculo repræſentari. Vt enim prætereum, quod alij, poſt Euſebium, habent de Conſtantini Labaro, ſeu Signo: exſcribere heic ſolum juuat, quod Baronius notat, ac refert ad annum CCC. XII.



Habes, inquit, *in Labaro* X P. *Chriſti nomen expreſſum. Per literam enim* X *conſueuiſſe Chriſti nomen intelligi, fidem facit etiam Iulianus Apoſtata in Miſopogone. In hoc verò & illud obſeruandum, mira concinnitate iiſdem elementis exprimi ſimul Chriſti nomen, & Crucis ſignum, vt Crux in Chriſto, & Chriſtus in Cruce monſtretur. Per* X *enim Crux, licet tranſuerſa notatur, quam in rectam lineam ſic alij deducebant; & id quidem hoc ſæculo. In Cemeterio enim Priſcillæ, viâ Salariâ, Tabula effoſſa eſt, cum eiuſmodi Inſcriptione, atque Signo;* MIRO INNOCENTIÆ, AC SAPIENTIÆ PVERO MARCIANO, QVI VIXIT ANN. IIII. ET MENSEIS III. DIES II. QVIESCIT IN PACE. D. PRID. KAL. DEC. ARBATIONE, ET LOLLIALO COSS. (*congruit hic annus anno Domini* CCC. LV.) PARENTES FECERVNT. *Sub hac inſcriptione idem character Hieroglyphicus (vt poſtremus ſcilicet) ſic habetur; quem imago togata, ſeu potius ſacra induta veſte dextra tenet, &c.*



CAPVT XII.

Dinienſis Eccleſiæ Præpoſitus, & Canonici (in quibus Archidiaconus, Sacriſta, Præcentor) ipſorumque numerus.

QVòd deinde Bullæ ad Præpoſitum, & Canonicos dirigantur, nulla ſpeciali mentione facta Archidiaconi, Sacriſtæ, Præcentoris, qui jam poſt Præpoſitum ſedent, & dignitates habere cenſentur; obſeruare licet id factum, quòd, vt in cæteris, ſic in hac Eccleſia Præpoſitus ſolus dignitatem obtineret; iſti nullo diſcrimine à cæteris Canonicis forent, ſed deligerentur dumtaxar, qui ſpecialibus quibuſdam fungerentur muneribus, non qui Canonicis præſiderent. Hinc modo oppoſito in ipſis, ac in Præpoſito res ſe habuit. Nam cùm munia, ſiue officia eorum canonicatibus attributa poſteriùs fuerint; debuit ab vſque initio ipſi Præpoſiti Dignitati canonicatus attribui, v & quaſi Fratrum vnus haberetur, & non modò primas in Choro teneret; ſed Capitulo etiam, ſeu Caoonicis congregatis, & quapiam de re deliberantibus præeſſet; cùm in talem congregationem nemo admittatur non Canonicus.

Ex quo efficitur, vt Bulla, ſiue Literæ collationem ipſi factam continentes, ſpecialem adnexi Canonicatus meotionem contineant; vtque ratiooe tam Præpoſituræ, quàm Canonicatus tum gemina pendeat, quæ vocant Capituli iura (duplam Cappam, duplum Anniuerſarium, duplos Pileos &c.) tum ipſe viciſſim gemina percipiat, & Diſtributiones canonicales gemioas lucretur; ne heic memorem gemioa Suffragia, de quibus poſteà dicendum eſt.

Dicti autem ſunt Archidiaconus, Sacriſta, Præcentor habere (ac etiam vulgò loquendo, eſſe) Officia, ſiue Perſonatus, propter officia, quæ exercerent, ſuſtinerentque adeò ſpeciales Perſonas: Archidiaconus quidem, Epiſcopo miniſtrans, Leuitæque munere fungens; Sacriſta, & ſacrarum veſtium, & totius inſeruientis Altari ſupellectilis curam gerens: Præcentor officia Chori moderans, & cantoribus ipſis præiens. Res nempe ſic ſe ab initio habuit, vt ſe habere iam comperitur circa duos Canonicos, qui ob officia, ſiue functiones à Sanctione Pragmatica, Concordatóque, & Regiis Conſtitutionibus præſcriptas, Theologus, & Præceptor dicuntur: vt proinde minùs ſit mirum, ſi, vt nulla tam ſpecialis iſtorum in Bullis mentio fieret; ſic neque illorum facta pridem fuerit; ac ſi; vt in aliis Eccleſiis, ſic in noſtra quoque id moris obtinuerit, vt dicerentur *Præpoſitus, Canonici, & Capitulum* aliquid decernere (tametſi à nuperis annis aliquid immutatum eſt) & literæ aliunde conſcriptæ *Præpoſito, Canonicis, & Capitulo* inſcriberentur.

Adnotandum verò, vt Officium Præcentoris recentiùs eſt inter Caoooicos auditum; ita antiquatum, ſuppreſſumve haberi, quod Archipreſbiteri olim fuit. Id certè exſtitiſſe conſtat, vel ex Conuentione anni M. CC. LVII. memorata ſuperius, de Iuriſdictione Ciuitatis cùm ageretur. In ea quippe ſic legitur; *Tandem præfatus Dominus Comes, pro ſe, & Domina Comitiſſa ſupradicta, & ea volente; ac Dominus Epiſcopus ſupradictus, pro ſe, & Epiſcopatu, ac Dignenſi Eccleſia, de conſenſu, voluntate Hugonis de Marcols Archidiaconi, Magiſtri Tmberti Archipresbyteri, &* R. *de Euſeria Canonicorum Dignenſium; nec non & totius Capituli ſui, compromiſerunt ſupradictæ partes, &c.* Quod dico interim Præcentorem non fuiſſe in Caoonicorum numero pridem habitum; conſtare põteſt ex Chartulario condito à Capitulo, anno M. CCC. XX. & in ipſis Capituli Tabulariis adhuc exſtante. Quippe vbi de Gabella vini Præpoſituræ agitur, verba hæc leguntur: *Item, quòd alij omnes Clerici, quicumque fuerint in dicto Burgo, declinantes, vel ſtantes, tam reſidentes, quàm aduenæ, exceptis Canonicis, & Præcentore Eccleſiæ Dignenſis, non emant, &c.*

Quo

Quo loco vides Præcentorem diſtingui à Canonicis, & poſt illos connumerari. Quo minùs eſt mirum, ſi in antiquis Capitulis Archidiaconi ſæpè, aut Sacriſtæ, Præcentoris autem nunquam fiat mentio; quaſi defectu Canonicatus à Capitulo arceretur.

At quandonam cœpit Præcentor haberi ſimul Canonicus, & in Capitulum admitti? Nempe anno M. CCCC. LXXIV. ac menſe Martio, cùm decretum fuit in Capitulo, cui Antonius Guiramandus Epiſcopus interfuit, *vt Guillelmus Mignotus haberetur de cætero in eadem Eccleſia pro Præcentore, & Canonico Præbendato*: quod quidem habetur inter acta Notarij tunc Bertrandi Heſmiuij. Legere in Statutis licet, fuiſſe hunc Mignotum Canonicum quinque antè annis. Adeptus poſtcà Præcentoriam, litem cum Capitulo habuit; ac interuenit tandem memoratum Decretum. Prætereo autem, quòd Præcentor vocetur vulgò *Cabiſcolus*, cauſam reputari, quòd ſit veluti *Caput Chori*, at literæ ſ, ac l, interpoſitæ veriſimile faciunt ſic dictum, quaſi *Caput Scholæ*; idque confirmari vel ex eo poteſt, quòd in actis Ioannis Filioli legerim, *Ioannem Taſſilem contuliſſe Scholas, vt procuratorem Præcentoris, ad quem pertineret illarum collatio.*

Quemadmodum porrò factum priùs fuerat, vt ſedente Præpoſito ad dextram ingredientium Chorum, Archidiaconus, quòd propior adeſſet Epiſcopo, dextrum ſuperiorem chori angulum obtineret; Sacriſta læuum oppoſitúmque, vt à Sacriſtia, ſeu promptuario ſacrarum veſtium minùs abeſſet; ſic prouiſum fuit, vt Præcentor, ſederet ad læuam ingredientium Chorum, vt poſſet meliùs Cantorum ſeriem quaſi coram ſe prorsùm poſitam moderari. Exinde verò factum videtur, vt ipſo temporis progreſſu præeminentiam fuerint inter Canonicos ſortiti, ac poſſidere dignitatem, non verò ſolum Officium, aut Perſonatum reputari. Factum quoque, vt eorum Præbendæ (ſeu Groſſi, vt appellant, fructus) temporis progreſſu immobiles euaſerint, hoc eſt optionibus antiquiorum Canonicorum non obnoxiæ.

Non fuiſſe certè ſemper fixas ducent nos inter cætera citari mox Filioli acta. In iis quippe, & ad annum quidem M. CCCC. LII. ac diem penultimam Februarij, legimus, Ioanne Rudolpho Sacriſta mortuo, Præbendam eius fuiſſe optatam (hoc eſt delectam, acceptámque ab antiquiore Canonico) & optionibus ex ordine factis, Sacriſtam ſucceſſorem acceptaſſe vltimam Præbendam. Quod quidem tantò magis mirum, quantò inter acta eiuſdem Filioli, & ad annum quidem M. CCCC. XXXVII. legitur vnio Præbendæ de Enſeria facta Sacriſtiæ (ſed nempe neque illam jam-nunc obtinet) idque habita informatione ex Canonicis, & iis, qui deſeruierant Sacriſtiæ, atteſtantibus, *Reditus Sacriſtiæ non excedere* LX *florenos de Rege, ſeu libras* XLVIII. *Turonenſes: cùm tamen impenſæ faciendæ pro duobus Seruitoribus, oleo, chordis, campanis, incenſo, paleis, &c. excedant ſummam* LXXX. *florenorum de Rege, ſeu libras Turonenſes* LXIX. *præter victum, & veſtitum ipſius Sacriſtæ. Et, cùm Præbenda Enſeriæ valeat florenos etiam* LX. *qui cum aliis facerent ſummam florenorum* CXX. *poſſe exinde prouideri, vt commodè, &c.* Fuit porrò etiam facta Præbendæ Sacriſtiæ optio anno inſequente, ſeu M. CCCC. LIII. ac die XX. Aprilis.

Tametſi ordo Capitum, quæ in Bullis habentur, heic interuertatur, appoſitè tamen quæri hoc loco poteſt, Quî fiat, vt cùm Bullæ repetitò prohibeant, ne duodenarius Canonicorum, præter Præpoſitum, numerus augeatur; tredecim nihilominùs, præter Præpoſitum iam ſint? Quæri, inquam, id poteſt; licet mihi nondum, quod ſatisfaciat, occurrerit. Crediderim factum id fuiſſe, cùm Capitulum ſtatuit, vt idem pro Præcentore, & Canonico haberetur. Siquidem tametſi memoratus Mignotus Canonicus iam antè fuiſſet; reputans nihilominùs Præcentoriam ex ſe Canonicatum inuehere, debebat iam Canonicatum ſeorſim poſſeſſum reſignaſſe, cùm litem intendit; vt, quia eſſet Præcentor, haberetur etiam, more cæterorum Canonicus. Rem verò eſt aggreſſus, quia fauentem habuit tum Epiſcopum, qui & pauculos tum præſenteis Canonicos in ſui ſententiam faciłè pellexit; tum Præpoſitum Epiſcopi fratrem, qui cùm à Capitulo abfuiſſet, vltrò tamen ratam ex poſt-facto rem habuit in gratiam amici, cui Præcentoriam ipſe reſignaſſet.

Suſpicari fortè quis poſſet, aliquem ex iis honorariis Canonicis, qui aliquando cooptabantur, adeò benè fuiſſe animatum, vt aliunde opibus pollens, eos reditus contulerit, Eccleſiæque addixerit, quibus tam ipſe quàm quos haberet ſucceſſores, ſuſtentarentur; verùm, qui ſuper-numerarij creabantur Canonici, ea ſolùm creari, admittique conditione ſoliti erant, vt Canonicatum, & Præbendam primò vacaturam adipiſcerentur; ac tum nouus Canonicatus extinctus, ſiue nullus foret; quo modo creatus, verbi gratiâ Ioannes Guiramandus anno M. D. XXXIX. Canonicatum anno ſtatim inſequente vacantem obtinuit. Prætereo autem, cùm talis Creatio à Capitulo fieret, ſolitam fuiſſe confirmationem à ſummo Pontifice peti; cùm & aliquando ſummus Pontifex motu proprio quempiam crearet; veluti cùm anno M. CCCC. XLVIII. Ioannem Pelluchonum commenſalem Epiſcopi; cùm anno M. CCCC. LXXXIII. Criſpinum Amalricum; & cùm anno M. D. XXVI. Sebaſtianus Chabaſſolus iam Ebredunenſis Canonicus, obtulit Capitulo *Exſpectatiuas literas ad Canonicatum Dignenſem.*

Reuocat hoc verò obiter in mentem, ſublatam ex Prouincia praxin, quæ etiam-num in Delphinatu, aliiſque regionibus perſeuerat; vt nempe idem Clericus Canonicatus ſimul plureis in variis Eccleſiis poſſideat. Et quanto quidem detrimento Diuini apud nos Officij id fieret, vel ex eo poteſt intelligi, quòd pauci ſemper Canonici noſtra in Eccleſia reſiderent, plures ad alias ſecederent. Heinc, quia comperi, v. c. ſub annum M.

MMm 4 CCCC.

cccc. xl. fuiſſe ex noſtris Canonicis, vnum Præpoſitum, alium Canonicum Ebreduni; aliúmque item Regij; ac rursùs alium Aquis-Sextiis. Sub annum M. CCCC. LXXXX. duos iterum Ebreduni; vnum Lauſanæ, &c, Præter illos, qui me fugerunt; ideò videri mirum non debet, ſi tam pauci Canonici, Capitulis etiam generalibus fuerint ſoliti intereſſe. Videlicet anno M. CCC. XX. interfuere ſolùm, præter Præpoſitum, Sacriſta, & Canonici duo. Anno M. CCC. XXIV. præſente etiam Guillelmo de Sabrano Epiſcopo, iterùm præter Præpoſitum, Archidiaconus, Sacriſta, Canonici duo. Anno M. CCC. LVI. præſente Ioanne Piſce, omnes ſimul numero ſex. Anno M. CCCC. XIX. præſente Bertrando Rodulpho, omnes ſimul numero quinque. Anno M. CCCC. LXXIX. omnes ſimul numero quatuor. Anno M. D. V. præſente Antonio Guiramando, omnes ſimul numero quinque; atque ita de cæteris: Vt taceam, quotquot ferè leguntur ſeu contractus, ſeu collationes eorum temporum, raró exhibere Canonicorum numerum ternatio maiorem.

Capvt XIII.

Clerici, & Presbyteri cæteri, deſeruientes in Eccleſia Diniensi.

Qvoniam, licet Bullæ hactenus relatæ aliorum diuino obſequio in Eccleſia mancipatorum, quàm Præpoſiti, & Canonicorum, non meminerint; ſunt tamen quædã aliæ, ac ſpeciatim Bulla Sixti IV. referenda inferiùs, quæ loquũtur quoque de aliis in Eccleſia ſeruientibus; idcircò videtur de illis cohærenter eſſe dicendum. Itaque, quantùm aſſequi ex antiquis veſtigiis licet; donec Canonici & celebrârunt ipſi Miſſas, & pſallendis in Choro Canonicis horis interfuere aſſidui; pauci ſolùm fuere miniſtri dicti ſpeciatim Clerici, qui Canonicis in Miſſarum, cæterorúmque Officiorum celebratione famularentur. Cùm verò nonnulli ex iis Clericis in Sacerdotes euaderent, cœpere & ipſi Miſſas celebrare; &, cùm aliquando vacaret, liceretve per munia, ſoliti fuere Choro intereſſe, cúmque Canonicis pſallere. Fuere autem etiam admiſſi & ad celebrandum Miſſas, & ad concinendum in Choro Preſbyteri aliqui, Capellani ideò vocati, quòd in ſpecialibus Capellis, Sacelliſve Miſſas celebrarent in defunctorum illorum gratiam, qui ſibi fundos reliquiſſent vocatos Capellanias; vt purà quorum reditibus ipſi Capellani alerentur.

Cœpere exinde Canonici intereſſe minùs frequentes Eccleſiæ, ac diuinis Officiis, quaſi Clerici, & Capellani abſentium loco intereſſent; vnde &, ne deeſſent, qui munia ſupplerent, ſicque minor fieret conquerendi anſa, inſtituêre quoſdam ſpeciatim ex illis, qui gerere ſui vices tenerentur; ipſóſque ea de cauſa dixere Vicarios. Aſſumpſere illos plærumque ex Ordine Capellanorum; & ex illis duos præſertim, qui hebdomadibus alternis Miſſas quotidie canerent, Chorique Officia inchoarent; Dominicis diebus Catecheſeis parœcialeis exſequerentur, & Sacramentorum adminiſtrationi ſeu intra Eccleſiam, ſeu extra ipſam incumberent. Ij Capellani Ordinarij per ea tempora dicebantur; nos Curatos iam dicimus, qui Curantes potiùs, ſeu Curatores forent dicendi; niſi interpretari vocem ſic liceret, non quaſi illorum cura habeatur, ſed quòd Cura, ſollicitudineve animarum donati, affective, ſeu onerati ſint.

Cæterùm, cùm exceptis hiſce ordinariis Capellanis, cæterorum ſeu Vicariorum, ſeu Clericorum numerus, inſtitutióque inconſtans foret, res abiit demùm in confuſionem; ac cœpit ſolummodò anno M. CC. LXXVIII. quandam in formam redigi; cùm propter diſſidia, quibus Eccleſia laborabat (ac potiſſimùm propter varias liteis ex eo intentatas, quòd varij obtinere eoſdem Canonicatus contenderent, alij quidem freti literis Apoſtolicis, quas Exſpectatiuas appellant, alij Capitularibus) acceſſit Iacobus Ebredonenſis Archiepiſcopus (ſucceſſor nimirum Cardinalis Oſtienſis) & accepta facultate componendi omnia diſſidia à Capitulo, cui præſens interfuit XIJ. Calendas Iulij; quod ſpectat quidem ad hoc negotium (Seruitorum videlicet) ita pronuntiauit XV. Eidos Ianuarias, cùm verſaretur Siſtarici. *Porrò, vt Eccleſia debitis obſequijs non fraudetur: ordinamus, vt ſex Clerici per Epiſcopum, & Capitulum, vel per ipſum ſolum Capitulum, Sede vacante, ponantur in Eccleſia perpetui, continuè ſeruituri. Item, per Præpoſitum, & Capitulum, hoc eſt per Canonicos, qui præſentes fuerint, Canonicis abſentibus etiam non citatis, ponantur duodecim Vicarij ſimiliter perpetui ad idem ſeruitium exſequendum; præter, & vltra duos Capellanos ordinarios Parrochiales, qui curam debeant habere Parrochialem. De iſtis autem decem, & octo Seruitoribus, ſex debent eſſe Presbyteri, ſex verò Diaconi. & ſex Subdiaconi; & ad ordines huiuſmodi debent infra annum, ex quo recepti fuerint, promoueri.* Et ſic quidem ille, accepta à Capitulo facultate inſtituit.

Duodecim autem annis pòſt; hoc eſt, anno M. CC. XC. & die Auguſti XXIII. Guillelmus Porcellerus Dignenſis Epiſcopus, poteſtate rurſùs à Capitulo accepta, vnà cum Sacriſta, conſtituit, *Vt præter duos Capellanos, eſſent ſex Clerici, & octo tantùm Vicarij. Loco autem quatuor Vicariorum, qui antedicto numero deerant, eſſent quatuor Medij-Vicarij, qui videlicet acciperent ſolùm dimidium Libræ, ſeu diſtributionum, quas Vicarij perciperent* (propter hanc nempe ſolam cauſam Medij Vicarij, ſeu, manis, Semi-Vicarij vocati ſunt) adjecítque, & de nouo inſtituit *Clericulos quatuor* (pueros Chori iam dicimus) *qui verſiculos canerent, cereos deferrent, celebrantibus deſeruirent.* Prætereo fuiſſe quoque ab ipſo ſtatutum inter cætera, *vt duo ex Vicariis, & vnus ex Mediis Vicariis, tenerentur per hebdomadas comitari Capellanum, qui Euchariſtiã, aut Extremam vnctionem ad ægrotos comportaret.*

Deinceps,

Deinceps, quòd non viderentur reditus planè ſufficere, ſuppreſſi iam erant duo Vicariatus anno M. CCC. XX. vt conſtat ex Capitulo, quod eo eſt anno celebratum; & iam à ducentis penè annis ſuppreſſi ſunt Medij Vicarij. Certè à temporibus Corraldi à Cruca (qui Præpoſitus primùm fuit, ac deinde Epiſcopus) hoc eſt, ab anno M. CCCC. LXXIX. quo illi Antonius Guiramandus ſucceſſit; nullam factam eorum mentionem comperio. Superfuere proinde ſolùm ſex Clerici, & ſex Vicarij, duóque Capellani ordinarij, vnà cum quatuor Clericulis. Fuere iſti poſteà aliquando ſex; vt cùm inter acta Petri Gaudemaris anni M. D. XXXII. conductum legimus *Magiſtrum cantus, ad reditus vnius Beneficiati, quouſque prouiſum foret de Beneficiatura, qua obtenta perſeueraret; teneretur autem nutrire, veſtire, inſtruere ſex pueros, mediantibus xv. ſextariis annonæ, xv. cuppis vini, & argento ex Anniuerſariis ſolito*; hoc eſt, debito partim Clericulis, partim mediis Vicariis, cùm fuere in locum quatuor Vicariorum conſtituti.

Quod vides autem *Beneficiatum*, & *Beneficiaturam* heic dici: ſciendum eſt olim Clericos ſolos fuiſſe habitos pro Beneficiatis, quatenus eſſe Clericum, Clericatúmve obtinere in Eccleſia, Beneficium reputabatur: Vicarios autem dictos fuiſſe habere non Beneficium, ſed Officium; quatenus ſicut illi aſſumi ad Beneficium Clericatus, ſic ipſi aſſumi ad Officium Vicariatus perhibebantur. At verò non longè à principio ſuperioris ſæculi fuiſſe hoc diſcrimen ſublatum, vſúmque obtinuiſſe, vt tam hi, quàm illi Beneficiati dicerentur; & ea ſex poſterioribus deſtinarentur bini per ſingulas hebdomadas, qui Curatos adminiſtranteis Sacramenta comitarentur. Vltimus certè annus, quo nobis facta mentio eius diſtinctionis occurrit, fuit ſuperioris ſæculi V. quo, ac die Septembris quintadecima, Antonius Guiramandus, cum Præpoſito, & Canonicis capitulariter congregati, leguntur *approbaſſe, confirmaſſe, &c.* Statutum illud antiquius, *Quòd nullus ad Officium Vicariatus, nec Beneficium Clericatus aſſumatur, niſi fuerit Sacerdos Miſſam celebrans.*

Iuuabit fortè obſeruare, fuiſſe id Statutum conditum anno M. CCCC. XXXII. ac die Februarij ſeptima à Bertrando Rudolpho, vna cum Capitulo hiſce verbis; *Statuerunt, & ordinauerunt pro diuino Officio, vel diuino cultu in perpetuum continuando, & etiam augmentando, quod eſt omnibus præferendum, in ipſa Eccleſia Cathedrali: quatenus ab ipſa die in anteà, nullus aſſumatur, ſeu inſtituatur ad Officium Vicariatus, nec ad Beneficium Clericatus in ipſa Eccleſia Dignenſi, cuiuſcumque conditionis, vel ſtatus exſiſtat, nec cum aliquo diſpenſetur, ad preces cuiuſcumque, niſi fuerit actu Sacerdos celebrans Miſſam. Et hoc ſtatutum voluerunt perpetuis temporibus inuiolabiliter obſeruari, & iurari obſeruandum per Præpoſitum, & quemlibet Canonicorum in introitu adeptionis Præpoſituræ, vel Canonicatus. & ſuper iſto non quærere a quocumque Superiori diſpenſationem; & ſi eis daretur, ipſa non vti; ſed ipſum Statutum ſemper ſeruare in ſua veritate.* Notandum verò Statutum hoc, quod etiam ante Guiramandum Corraldus à Cruca confirmauerat, fuiſſe inconcuſsè obſeruatum ad memorabilem vſque Peſtem anni M DC. XXIX. quam ſuperiùs deſcripſimus, & propter quam rebus confuſione plenis, viſum eſt poſſe cum duobus Beneficiatis diſpenſari, vt tametſi non forent actu celebrantes, admitterentur; ſed ceteris conditionibus; fuítque id ab Epiſcopo, Archiepiſcopo, Suprema Curia confirmatum, & in acta referri iuſſum.

Sunt porrò alij inſuper famulantes Eccleſiæ, veluti Choragus, Magiſtérve Cantus, ſiue Muſices; Organiſta quoque, & Vice-ſacriſta, cum Campaniſta famulo: Verùm quod ad Choragum ſpectat, donec vir idoneus inter Beneficiatos eſt, ſolet illi id muneris vnà cum Clericulorum inſtitutione demandari: Et, cum Organa non alia conditione ex inito pacto cum Conſulibus inducta in Eccleſiam fuiſſent, quàm vt Beneficiaturarum vna pulſanti illa deſtinaretur (videlicet ob reditus Eccleſiæ nimiùm tenueis) idcircò talem deſtinationem fieri nuper contigit, anno putà M. DC. LII. ac die Iunij XXI. Idem verò etiam de Vice-ſacriſta caperetur conſilij, niſi foret ſpes, vt Sacriſta ipſe, cuius eſt Præbenda omnium optima, reſumaret Sacriſtiæ curam.

Capvt XIV.

Electio ad Epiſcopatum, Præpoſituram, & Beneficia alia ad Eccleſiam Dinienſem ſpectantia.

Priusqvam de Bonis, ſeu rebus, facultatibúſque Eccleſiæ dicamus; videtur etiam poſtremum illud, quod Bullæ habent de Electione, caput eſſe hoc loco anteuertendum; vt quia ad perſonas etiam attinet, ad ſuperiora conſequatur. Itaque, quod imprimis ſpectat ad Electionem Epiſcopi; Notius eſt, quàm vt dici debeat, Præpoſitum, & Canonicos, ſeu Capitulum, cui conceſſa fuerat, quodque eius vſum retinuerat, illam amiſiſſe, cùm amiſere ſimul omnes aliæ Regni vniuerſi Eccleſiæ; anno putà M. D. XV. quo Leo X. Pontifex Max. & Franciscvs I. Rex Galliæ, de iure eligendi Epiſcopos ſic pepigerunt, vt Capitulis deinceps inauditis, Rex nominaret, præſentarétque; Papa conferret, ac prouideret. Electio, quam vltimam legi, fuit memorati Corraldi à Cruce, facta à Capitulo anno M. CCCC. LXVI. menſe Iulio. Annis antè XXVIJ. oblata fuerat Capitulo procuratio immittendi in poſſeſſionem Epiſcopatus Guilelmum de Eſtotavilla; Præpoſitus autem, & Capitulum proteſtati fuerant, *ſe ad Electionem non proceſſiſſe, quòd compertam non haberent vacationem Epiſcopatus, per tranſlationem Petri de Vercellis in Epiſcopatum Meldenſem.* Quare &, cùm Petrus Turturellus Eſtotauillæ ſucceſſor memorato menſe obiiſſet; poſtridie mortis Capitulum,

citatis

citatis priùs, ſi qui ab vrbe tum abeſſent Canonicis, congregatum fuit, & Corraldum Præpoſitum ſuffragiis communibus, etiam ipſiuſmet, elegit. Scilicet cùm ipſe inter opinandum *ſuas duas* (vt loquuntur) *voces* Canonicorum vni *commiſiſſet*, vt in quem vellet illas conferret, Canonicus *ipſas ad illum remiſit*, ſiue in eiuſmet gratiam contulit. Ita videlicet habetur in actis Bertrandi Heſmiuij.

Vbi, quod de abſentium citatione attingitur, inſinuat morem veterem fuiſſe, vt ad Electionem non procederetur, niſi, ſi qui fortè ex Capitulo intra Diœceſeos fineis abeſſent, nominatim priùs, debitéque interpellarentur: eo modo, quo etiam iam adhuc id conſuetudinis perſeuerat, vt cùm de Electione aut collatione Beneficiorum agitur; non ſufficiat ſono Campanæ conuocaſſe Capitulum; ſed neceſſe ſit congregatos exſpectare, quóvſque omnes, qui intra vrbem acceſſerint; &, niſi qui accedat, interpellatum mittere; &, ſi accedere præ morbo non valeant, poſtulatum mittere per Secretarium illorum ſuffragia. Quod verò attingitur de duabus Præpoſiti vocibus, id innuit morem iam tum antiquum, vt ſuffragium Præpoſiti æquipolleat duobus Canonicorum ſuffragiis. Fuit autem res quoque deinceps, hoc eſt anno M.CCCC.LXXXVI. Tranſactione ſolemni firmata; ſoletque etiam-nunc in ipſis Electionum actis declarare Præpoſitus *dare ſe duas ſuas voces*, ſeu duo, quæ habet ſuffragia in eius gratiam, quem iudicat Beneficio dignum conferre.

Quod deinde ad Præpoſiti, & Canonicorum electionem attinet: ea illibata hactenus permanſit, & Capitulum tam Præpoſituram, quàm Canonicatus omneis iure pleno, & ordinario confert; idque, ſeu per ceſſum, reſignationemve vacent; ſeu per deceſſum vel obitum: tametſi hoc non obſtat, quin poſſit Summus Pontifex, eiuſque Auenione Legatus, Vicelegatuſve vacanteis per reſignationem, per incapacitatem, & per obitum quoque, præuentione conferre. Neque verò excluditur ab Electione Epiſcopus, prout Capitulo intereſſe, & vt Canonicorum vnus ſuffragium ferre; idque primum, & primo loco (ob dignitatem) ſedẽs poteſt, licet aliũde Præpoſitus, vt Capitulum iure ſuo conuocat, ſic in illo præſit; ſuffragia cæterorum poſcat, colligatque, & gemina ſua conferat: electionem factam pronunciet; electum in ſacramentum, fideique profeſſionem admittat, pileum ipſi imponat, oſculum exhibeat; de immitendo in poſſeſſionem mandet; omniaque perinde, ac ipſo Epiſcopo abſente, faciat. Ita ſcilicet ex ſolemni Arbitrio anni M. DC. XV. iuxta quod Archidiaconus quoque, eadem, quæ Præpoſitus (niſi quòd ſingularis eſt ſuffragij), Epiſcopo præſente præſtat: ſi nempe de Præpoſiti electione, admiſſione, fidei profeſſione agatur; aut alioquin Præpoſitus non interſit Capitulo: quemadmodum poteſt ex actis Petri Spitaletij conſtare; vti ad annum M. DC.XXXIV. in Natiuitatis Dominicæ vigilia; & ad annum M.DC.XXXIX. die Decembris XIV.

Nihil verò eſt adiici neceſſe de ipſa Beneficiatorum, Curatorumque electione. Quoniam Beneficiati quidem, vt ſunt inſtituti à Capitulo, ita à Capitulo eliguntur, prouiſionemque obtinent. Eliguntur, inquam, ex numero eorum, qui Clericuli in Eccleſia fuerint, aut aliàs, vt moribus probi, ita cantus (illius ſaltem quem plenum appellant) periti extiterint; vnde & fit, vt ea de re, déque reſidentia, promotionéque ad Preſbyteratum recudi ſæpe Statuta ſoleant; ne quando aut Cantores Choro, aut Sacerdotes Altari deſint; cùm facilè abuſus circa hæc obrepat. Sic nimirum fieri oportuit, vt mox antè attigimus, poſt peſtem illam ſæuiſſimam; anno putà M. DC. XXXIII. ac menſe Decembri.

Quo ſanè loco præterire non decet Statutum vnum, aut alterum ex illis antiquioribus, quæ ad hanc rem maximè attineant. Vnum eſt anni M.CCCC.XIX. ac diei V. Februarij, ſub eodem Bertrando Rodulpho, cuius vnum iam, paullò antè retulimus. Ille igitur, & Canonici Capitulariter congregati, poſt exaggeratum dolorem, ob diuini cultus negligentiam, ita ſanxerunt. *Statuimus, & ordinamus, vt nullus Clericus Benefaciatus, Vicarius, vel Semi-vicarius noſtra Eccleſia Cathedralis, qui ratione ſuorum Beneficiorum tenentur in ipſa Eccleſia reſidentiam facere perſonalem, & in Miſſa parochiali, & aliis diuinis Officiis efficiando in Choro tenentur principaliter intereſſe, poſſit, nec præſumat tenere aliquod Beneficium curatum, vel cui cura immineat animarum, in Diœceſi Dignenſi, aut extra, nec etiam Capellaniam, propter quam oporteret eos alibi, & extra dictam Eccleſiam Cathedralem Dignenſem ſæpius celebrare; ne propter eorum abſentiam in dicta Eccleſia Cathedrali, circa diuinum officium committatur de cætero diminutio, aut defectus. Et quicumque prædictorum oppoſitum fecerit, eo ipſo ſuo Beneficio ſit priuatus, & poſſit liberè conferri alteri idoneo Seruitori. Adiicientes, vt ſi aliquis prædictorum ſine ſpeciali licentia Epiſcopi, & Capituli extra Ciuitatem Dignenſem ſpatio vnius menſis continuè ſteterit, ſubiaceat pari pœna.*

Nec verò decet etiam prætermittere aliud, quo iſtud ipſum fuit confirmatum in Capitulo, cui memoratus Corraldus interfuit anno M. CCCC. XXXIX. ac die Ianuarij XIIJ. his verbis. *Statuerunt, & ordinauerunt, quòd quicumque intrauerit dictam Dignenſem Eccleſiam, ſeu in ſeruitio illius, pro Beneficiato, Vicario, vel Semiuicario, iuret reſidentiam facere: Et, ſi per menſem ſe abſentauerit, quòd ſit priuatus ipſo facto, & pro priuato habeatur; ita quòd, ſit licitum Domino Epiſcopo, Præpoſito, & Canonicis prædictis, ponere vnum alium reſidentem.* Sequitur autem; *Item Statuerunt, & ordinauerunt, quòd dicti Beneficiati, vel Vicarij, non poſſint dictos Clericatum, & Beneficiaturam, ac Vicariam permutare, ſeu renunciare alicui, ſine conſenſu, ac licentia Dominorum Epiſcopi, & Capituli prædictorum. Et, ſi contrarium fecerint, quòd eorum collatio pro infecta habeatur; ſitque licitum eo caſu, eiſdem Dominis Epiſcopo, & Capitulo de alio prouidere, prout eis videbitur expedire.* Ac rurſùs,

Cæterùm

Cæterùm Statuerunt, & ordinauerunt, quòd omnes Seruitores intrantes, iurare teneantur, & debeant Statuta prædicta, & illa ſeruare inconcuſsè. Et inſuper promittant, & iurent non impetrare diſpenſationem ſuper iuramento; Quòd ſi forſan fecerint, talis diſpenſatio habeatur pro non facta, ſitque caſſa, irrita, atque nulla. Atque hæc quidem de Beneficiatis.

Ad Curatos quod attinet, eos Capitulum ita eligit, præſentatque Epiſcopo (videlicet propter Animarum curam) vt iis examine probatis Epiſcopus tribuat literas prouiſorias Quod fit etiam in cæteris per totam Diœceſin Parœciis; in quibus Prioratus, Præbendæve, ſeu iura percipiendi decimas, groſſoſque alios fructus, ad Capitulum, Canonicoſve ſpectant. Nempe etiam ex tranſactione anno M. D. LVI. inita, præſentandi ius illibatum Capitulo & Canonicis manet, Quanquam illud inter vrbanos, oppidanoſque Curatos eſt diſcriminis, quòd, cùm iſti ſemel prouiſi perpetui ſint; illi aut annui inſtituantur, aut quandiu ſolùm idoneos ſe præſtiterint, retineri ſoleant.

Capvt XV.

Bona Dinienſis Eccleſiæ in Bullis recenſita, quà deinceps minuta, quà aucta.

Vt iam intermiſſum de Eccleſiæ Bonis, poſſeſſionibuſque caput repetamus, plurimum abeſt, vt bona omnia, quæ ſunt ex Bullis connumerata, ad Præpoſitum, Canonicos, aut Capituli Menſam iam attineant. Nam imprimis quidem, Eccleſia S. Vincentij ſupra Burgum, conceſſa eſt ab anno vſque M. CCCC. XCV. iis Religioſis, quos S. Trinitatis, & Redemptionis captiuorum vocant; & Epiſcopus comperitur iam obtinere omneis Eccleſias, quæ eſſe ſunt dictæ de valle Marculfi. Eccleſiam etiam S. Stephani de Oxida, ſiue Ozeda (vulgò *Oize*) cuius oppidi pridem diruti, & in oppidum eiuſdem ditionis Campotarcerium *Champtercier*) tranſlati, facta iam eſt Eccleſia non Sancto Stephano, ſed Beatæ Mariæ de Burgo. Noſſe id mihi ſpeciatim licet, cui Oppidum hoc, vnâ ab vrbe, leucâ in occaſum diſtans, natalitium eſt. Obtinet verò etiam partem Eccleſiarum de Agleduno, ſeu, vt recentiùs, Aigleduno, (*Aiglum*) ac eam præſertim, quæ de Malis meſſibus (*Mala meſſons*) eſt appellata, cuique adiacens ea, quæ de Catalenis vocatur, vnita fuerat Capitulari menſæ anno M. CCCC. XXIX. Obtinet rursùs Caſtrum Diguenſe, & Caſtra de Marenlfo, & Heñſeria, eaque pridem diruta; quanquam quæ heic inta dicuntur Mundana, ſpectantiave ad Iuriſdictionem, Directum dominium, & alia, tranſlata leguntur in Epiſcopum, ex permutatione cùm Prioratu S. Eugeniæ de Corbonis (quem etiam quando, aut quomodo obtinuiſſet, iam ignoratur) facto anno M. CCCC. LXXVI. & triennio pòſt à Sixto IV. confirmata. Prætereo autem Corbonorum Eccleſiam eſſe iam S. Claræ dicatam, ac ſupereſſe ſolùm procul ab oppido prædium S. Eugeniæ dictum.

Deinde, cùm vocis illius *de Garbeſia*, nullũ, quod ſciam, veſtigium exſtet; exſtat tamen adhuc in agro Robinæ Sacellum S. Vincentij; & quæ iam ſolum dicitur Præbenda S. Pontij, legitur anno M. CCCC. XLI. appellata fuiſſe Præbenda S. Vincentij veteris de Rubina. Eccleſia S. Mariæ de Salloë abiit in Prioratum, qui iam de Aynaco vocitatur. Ius illud Mortalagij, quod etiam duodecim pòſt annis confirmatum fuerat à B. Dignenſi Epiſcopo, non exigitur ampliùs in reliquo Epiſcopatu: ſed dumtaxat in ipſa vrbe quam Quartam appellant Funerariam, ab Eccleſiis reliquis, ac Minoritarum ſpeciatim, ex tranſactione inita anno M. CCCC. XXIX. Euanuit quoque pridem memoria Procurationis illius in Feſto ſancti Stephani; vel & nihil pridem percipitur ex Synodalibus nummis.

Nihil verò etiam percipitur pridem ex Caſtro illo de Dromone, quod ſitum ad S. Geneſium quarto ab vrbe lapide, Diœceſeos Vapincenſis eſt (certè, ſi idipſum eſſe ſupponatur; cùm alterius quidem veſtigium non ſit) Nihil ex Caſtro de Bello-ioco, cuius Prioratus in commendam datus, Ordinis eſt S. Auguſtini. Nihil ex Rocca Dominorum de Gaueda (*la Iavie*) Nihil ex vico de Gaudulis (*Chaudoul*) quorum Prioratus Ordinis S. Benedicti ſunt, & ad Monaſterium S. Victoris Maſſilienſis ſpectant. Nihil ex Caſtro Campiverſini, cuius ſpecialis Prioratus eſt; niſi quis fortè intelligat fuiſſe illi adiunctum Prioratum Pratorum, ſeu loci de Pratis, qui iam in præcipuam Præbendæ Archidiaconi partem cedit. Caſtrum Barles, ſeu ius Dominij, ac directi potiſſimùm, in locum de Barolis, & de Aynaco, fuit non ita pridem Præbenda ſatis pinguis; vt acta varia Recognitionum, quæ in Archiuis Capituli adhuc exſtant, abundè arguunt: at partim Præbendatorum negligentiâ, partim familiari Con-dominis vſurpatione, effectum eſt, vt Canonicus nullus eam iam acceptet.

Idem penè dicendum eſt circa Caſtrum de Roccabruna; quippe ob cõſimilia iura Præbenda pinguis ea fuerat, quæ commutata tamen fuit ex tranſactione inita ſub ſæculi huius initium cũ Domino affinis Corbonorum territorij (cui tradita etiam à Præbendato rei monimenta) commutata, inquam, pro librix Turonenſibus nongentis, quarum penſitatio libris quinquaginta ſex, cum quadrante taxata, redituum Præbendæ ſit loco. Atque, vt obiter vel ex vna, quam Præbenda hæc paſſa eſt, iactura, cæteræ agnoſcantur; En quid adhuc habeat Chartularium vetus, anni putà M. CCC. XX. in Capituli Tabulariis. *Bona, prouentus, & reditus Præbendæ de Rocca bruna, conſiſtunt in Iuriſdictione hominum, quos habet ibi dicta Præbenda; & in bannis, inſtitijs, & condemnationibus. Item in furno, molendino, & in libris cenſualibus, quas faciunt prædicti homines in Feſto omnium Sanctorum. Item etiam in xxviij.*

Sextarys

Sextariјs annona cenſualibus, qua percipit dicta Prabenda ſuper quibuſdam vineis territorij dicti loci. Et in xlv. *Sextariјs ſiliginis cenſualis, qua percipit in quibuſdam caſamentis, & in quibuſdam terris, Et in* lx. *Sextariis Cinata cenſualibus, qua percipit ſuper quibuſdam caſamentis. Et in* xxx. *Gallinis cenſualibus, quas percipit in quibuſdam caſamentis, & in quibuſdam condaminis. Item etiam in ſeruitiis minutis.*

Qua occaſioue, vt etiam conſtet, quid bonorum Præpoſituræ, v.c. deperierit, permanſerit, quæſitum fuerit; ecce illa in eodem Chartulatio ſic recenſentur. *Bona, prouentus, reditus, & obuentiones Prapoſitura Digneuſ. conſiſtunt in Iuriſdictione Burgi Digna, & eius Diſtrictus. In Leſdis, qua quidem Leſda valent communiter* xxv. *libras Vian. In Cociis blandorum, & leguminum, nucum, & ſimilium: Valent communiter* iiij. *Seſtar. Item in Fornagiis furnorum; in Molendino vno, quod quondam fuit Hoſpitale Burgi; in Laudimiis; In ſeruitiis minutis pecuniariis: Valent communiter* viij. *libr. Vian. In Perdicibus, in Gallinis cenſualibus: In Oneribus herbarum, quando ſecantur prata territorij Burgi: In Pratis, & Vineis propriis dicta Prapoſitura: In Nemoribus; qua omnia ſunt hinc inde iuxta dictum Burgum, & iuxta Hoſpitia Prapoſitura. In Venationibus cuniculorum. In decima Bladi territorij Burgi: Valet communiter* lxxx. *Seſtar. In decima Vini territorij dicti Burgi: Valet communiter* cccc. *cuppas vini. Item in decima Canapi, caulorum, porrorum, ceparum, aliorum, & herbarum minutarum territorij dicti Burgi. Item in quinquaginta cuppis Vini, quas percipit annis ſingulis in Eccleſia de Galberto: & in* xx. *Seſtar. Cinata, &* iiij. *Seſtariis annona, qua percipit annis ſingulis in bonis Capellania, ſeu beneficio Vicarij perpetui Eccleſia de Durbis. Item in vna Quarteria Salis, quam percipit in Salino Burgi, diebus omnibus Sabbathinis. Item in Lectis morenorum, & in Guagiis ſpiritualibus. Item in Paſqueriis, Bannis; In Pulueragiis. In Ficubus, & racemis leuandis pro menſa Prapoſiti de vineis Plantatarum iuxta Burgum, ſemel in ſeptimana, ſuis temporibus. Item in Quartaria apud Aquas calidas, & illis partibus; qua conſiſtit in hortolagiis, & aliis obuentionibus: Valet communiter* viij. *libr. Vian. Item in Seruitiis annona cenſualibus, qua percipit in territorio de Marculpho. In quibuſdam Vineis, pratis, & aliis poſſeſſionibus: Valet* lx. *Seſtar. quolibet anno. Et in Seruitiis minutis; valent* xv. *denar. anno quolibet. Et in Laudimiis, & vna gallina cenſuale in dicto territorio de Marculpho. Item in decima de Corbonis percipit quolibet anno* xxx. *Seſtar. inter hordeum, & annonam, &* xxx. *cuppas vini, vel circa. Item apud Rocham, vnam unciam Garyophilli cẽſualis. Item tenet Prapoſitus clauſum Arnaudorum, ſitum in territorio dicti Burgi, in quo eſt Campus, pratum, nuces, & alia arbores, pro quo debet tenere Presbyterum vnum, qui ſeruiat Eccleſia, ſicut & cateri ſeruitores. Debet etiam Prapoſitus habere penes ſe in ſcriptis omnes, & ſingulas Domos, & poſſeſſiones alias, cum coharentiis ſuis, in quibus percipit ſeruitia minuta pecuniaria, propter laudimium, ne amittatur. Soluit in decima Prapoſitus pro Prapoſitura, pro* lxxv. *libr. Prouincial. Reforciat.*

Sed ſpecialiora hæc vt mittam, fuere deinceps, Bona quædam Capitulari Menſæ viciſſim quæſita. Huiuſmodi fuere, Anno M. CCCC. XXIX. Hoſpitale Burgi, & Eccleſia *de Cavaleriјs* (tametſi deinceps alienatio vnius, & commutatio alterius ac *Malarum* ſimul *meſſium*, facta eſt cum Epiſcopo, pro decimis vini in territoriis Dignæ, Ceyatum, Galberti.) Itémque anno M. CCCC. XXXVII. quatuor Capellaniæ, quæ tamen, quo euanuerint, neſcitur; cùm adootari interim poſſit, Criſpinum Gaudematem Officialem Dignenſem, ad hoc commiſſum ab Herigio Clariano Senecenſi Epiſcopo, cui, aut illius Officiali, demandata rei cura à NICOLAO V. fuerat, iſthæc in acta retuliſſe, circa exilitatem redituum. *Quòd multa, & varia Prabenda ſint in dicta Dignenſi Eccleſia, quarum reditus, & prouentus vnius non excedunt florenum vnum; & alterius florenos duos; & alterius florenos duos, & ſemiſſem; & aliquarum aliarum tres florenos; vel quinque. Item, quòd ſinguli Beneficiati, qui ſunt numero octo, non aſcendunt, niſi ad florenos de Rege* XIV. *groſſos argenti* IX. *& cuiuſlibet Vicarij ad florenos* XE. *groſſos* IX. *Item, quòd reditus, & prouentus cuiuſlibet Canonici, Beneficiati, & Vicarij, non excedunt florenos* XXV. *dum tamen adhuc eos lucrentur inſeruiendo: Adeò vt reditus non ſufficiant ſuſtentationi, niſi ſubueniatur ex bonis patrimonialibus, &c.* Ita videlicet habetur in Regiſtris Ioannis Filioli.

Quæſiti ad-hæc, ad-nexique Capitulari Menſæ fuere aliquot Prioratus, ac imprimis ille *S. Petri de Albera* propè Thoardum, de quo obtentam à SIXTO IV. Bullam anno M. CCCC. LXXIX. iam meminimus, cùm de primariæ Baſilicæ antiquitate ageretur. Crederem hanc Bullam eam eſſe, quæ ſine anno, ac Pontifice legitur in quodam Inuentario, diciturque Bulla vnionis Prioratus *de Thoardo* (quòd alioquin nulla in eo fiat S. Petri de Albeta mentio) niſi aliunde hi duo Prioratus vt planè diſtincti haberentur. Deinde Prioratus *S. Nicolai de Brachio*, in Diœceſi Regienſi, de cuius vnione conceſſa eſt Bulla à LEONIS X. anno M. D. XIII. ac X. Kalend. Martij. Tandem Prioratus *S. Maria de Carboneriis*, aliàs *de Stella*, loci *de Caſtro-nouo*, in Diœceſi Siſtaricenſi; de cuius, permutationis causâ, in manibus Papæ reſignati per Philippum Guiramandum Canonicum, vnione, extat Bulla Clementis VII. anni M. D. XXXII. pridie Eidus Iunij. Nihil autem addo de Prioratu S. Eugeniæ; quoniam is, vt iam innui, nihil aliud, quàm ad Eccleſiam rediit. Nihil de Prioratu Galberti; quia vnitus quidem Capituli menſæ anno M. CCCC. LX. fuit; verùm is Eccleſiæ iam fuerat, & Canonico vni in Præbendam conceſſus, qui ipſum deinde cum Præbenda Beci-ieiuni commutauit.

Capvt XVI.

Præbendæ, ſeu Groſſi appellati fructus tam Præpoſiti, quàm Canonicorum Dinienſium.

CVm apud alios porrò Præbendæ, & Canonicatus, ſeu Canoniæ, voces ſynonymæ ſint, ac pro eodem habeantur; apud nos tamen Præbenda nihil aliud eſt, quàm quod alij Groſſum, Groſſoſve fructus nominant; vna ſcilicet Eccleſiarum, quas oppidanas diximus, cum iure percipiendi fructus, hoc eſt decimas (& ſi quæpiam alia ſunt iura adnexa) ex agro, ſiue territorio Oppidi, in quo ea eſt ſita. Tales Eccleſiæ, in quibus ſunt inſtituti Vicarij, cùm ab aliis, quàm Canonicis obtinentur, dicuntur Prioratus, & qui illas obtinent, vocantur Priores; videlicet quaſi Vicarij (quibus eſt ab illis, maiorem fructuum partem ſibi retinendo, reſignata animarum cura) poſteriores ſint, ſiue inſtituti poſteriùs Sacerdotes. Et quo iure quidem id fiat, vt qui nullum Eccleſiæ impendit obſequium, illius fructus, ſeu ex ea emolumentum percipiat, heic non diſputo; obſeruo duntaxat percipiendi ius fuiſſe ab initio idem cum Sacerdotio, vt qui ius haberet animas regendi, haberet etiam accipiendi ſui laboris quaſi mercedem, ea nempe, quæ forent ad ſui ſuſtentationem neceſſaria. Quamobrem autem tales Eccleſiæ, Prioratus, ſiue Sacerdotia, cùm à Canonicis obtinentur, dicantur Præbendæ, cauſa eſſe poteſt, quòd facta ab initio Eccleſiarum, inter Canonicos partitione, cùm deinceps quæpiam, ob Canonici ipſam poſſidentis obitum, vacaret; ſuperſtites Canonici, qui exiliores, ſeu minùs pingueis (ſic enim dicunt) obtinebant, optarent ſibi illam præberi, conferri-ve à Capitulo, ac ille, cui ea præberetur, reſignaret ſuam, à Capitulo ſimiliter præbendam Canonico nouo. Quoniam verò in facta illa inter Canonicos partitione remanſere quædam Eccleſiæ, quæ communiter haberentur, poſſiderenturve à Capitulo; ideò fuere ipſarum fructus deſtinati, tum vt prouideretur variis Eccleſiæ negotiis occurrentibus; tum, vt aliquid dietim in eos, qui à diuinis Officiis hoc eſt Pſalmodia in Choro, nõ abeſsẽt, diſtribueretur. Cùm autem, ex quo deſeruientium, accitorumve Clericorũ numerus cœpit adaugeri, reditus cõmunes non ſufficerent ad præſtandum congruas, non tam ſanè Canonicis, quàm Clericis cæteris, quibus nihil aliunde ſuppeteret, diſtributiones; variæ idcircò fuere ſubortæ querelæ, ad quas ſedandas memoratus Iacobus Ebredunenſis Archiepiſcopus anno recitatu M. CC. LXXVIII, animum applicuit.

Ille igitur facultate, vt eſt ante dictum, accepta à Capitulo, conſtituit, vt omnes reditus Eccleſiæ, ac ideò ipſæ quoque Canonicorum Præbendæ in commune conferrentur, & ex iis Librario, ſiue diſtributio ita fieret, vt illi antedicti Seruitores octodecim, ad Sacerdotium promoti, actuque celebrantes, & duo Capellani ordinarij, acciperent quolibet menſe, duo frumenti Sextaria, & Cuppas vini quatuor; Canonici Eccleſiæ præſentes Sextaria frumenti quatuor, & Cuppas vini octo: Quolibet verò die, in pecunia numerata, memorati quidem Seruitores Preſbyteri acciperent denarios treis; Diaconi verò, Subdiaconi, & duo Capellani denarios duos, Canonici denarios ſex. Hiſce autem præmiſſis, ſubiunxit. *Harum Librarum tam Clericorum, Vicariorum, & Presbyterorum, quàm Canonicorum diſtributio fiet de prouentibus, & reditibus ad Eccleſiam ſpectantibus; quibus ſic factis, de Reſiduo fient corpora Præbendarum, ſiue parùm fuerit, ſiue multùm, ſingulis, qui reſidentiam fecerint, æqualiter exſoluenda.*

Verùm hæc Conſtitutio, tametſi alioquin (meo quidem iudicio) præclara, aut non diu, aut nihil etiam, quod ſpectat certè ad Præbendarum æqualitatem, obtinuit. Siquidem Guillelmus de Sabrano Epiſcopus, XLV. circiter pòſt annis, ſic, cætera inter, memorauit, ac ſtatuit. *Cùm in ipſa Dignenſi Eccleſia fuerit olim ſtatutum, & diuturna conſuetudine obſeruatum, vt cùm ibi vacant Præbendæ, antiquiores Canonici poſſint vacuuteu optare liberè pinguiores; Canonici, inſpecto receptionis tempore, dum ibi vacabunt Præbendæ, liberè per ſe, vel per alios optare valeant liberè pinguiores, vel alias vacanteu ab optantibus dimiſſas, ſi eis videbitur faciendam; formà conſtitutionis Bonifacianæ ſuper hu edita, obſeruatà.*

Vbi Notandum imprimis eſt, id, quod dicitur, *per ſe, vel per alios*, quaſi res extendi ad abſenteis, ſiue non reſidenteis poſſet, ſublatum fuiſſe ſpeciali Bulla Nicolai V. Qua, poſt præmiſſam Supplicationem, expoſitionémque Capituli, *Quòd dicta Eccleſia, quæ inſignis, & & notabilis eſt, in loco campeſtri, in quo pauci homines moram trahunt, ſita exſiſtit; & cum magnis incommoditatibus, & difficultatibus Canonici, & Capellani diuino in dicta Eccleſia inſiſtentes cultui, reſident apud eam; & maiores, ſiue pinguiores Præbendæ huiuſmodi, per illos, qui apud dictam reſidere noncurant Eccleſiam, optantur; & illi, qui minores obtinent Præbendas, propter illarum fructuum exilitatem, ſe ab eadem contendunt Eccleſia abſentare; vnde diuinus inibi cultus plurimùm diminuitur, & decreſcit; Et, ſi Canonici minoribus Præbendis præbendati apud eandem Eccleſiam perſonaliter reſidentes dumtaxat, dictas maiores, ſiue pinguiores præbendas optarent, & aſſequerentur, multiplex exinde cultus eiuſdem ſuccederet incrementum. Quare, &c.* Tum Pontifex pergit: *Nos itaque, qui cultum ipſum noſtris potiſſimè temporibus adaugere, feruentibus deſiderijs affectamus; huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, præſentis perpetuò valitura, ac irrefragabiliter obſeruanda conſtitutione edicto, Apoſtolica authoritate ſancimus, & etiam ordinamus, Quòd ex nunc in anteà, perpetuis futuris temporibus, antiquiores ipſius Eccleſiæ apud eam perſonaliter reſidentes Canonici, maiores, ſiue pinguiores Præbendas huiuſmodi, quoties illas vacare contigerit, optare, & aſſequi liberè & licitè poſſint: Quódque nullus alius apud eandem Eccleſiam perſonaliter non reſidens, maiores, ſiue pinguiores Præbendas huiuſmodi optare, vel*

de illis ſibi prouideri facere per literas Apoſtolicas, vel quanis authoritate poſſit; etiamſi in literis ipſis de præſentibus plena, & expreſſa mentio facta fuerit ſpecialis: decernentes irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Bulla eſt anni M. CCCC. XLVII. Extátque etiam eius confirmatio à SIXTO V. anni M. D. LXXXIX.

Notandum deinde, licet ex citata conſtitutione Bonifacij, quæ habetur cap. ij. *qui auth. Apoſt. de Præb. & Dignit.* mos fuerit, vt Canonici literis Apoſtolicis prouiſi obtinerent eaſdem Præbendas, quas ij, quorum fuerant Canonicatus, poſſederāt, ſicque optioni locus non foret (Papa ſcilicet derogante cōſtitutioni huiuſmodi) ante annos tamē viginti octo ſublatum fuiſſe diſcrimen hoc (inter Prouiſiones nimirum Pōtificis, & Ordinarij) Senatus-conſulto Aquenſi; adeò vt quacomque ſiue vocatione, ſiue prouiſione occurrente, libera fiat Canonicis antiquioribus Præbendarum optio. Conſtitutum ſolùm poſteriùs ab ipſo Capitulo eſt, vt quò ſalua fiat Regia Conſtitutio, quæ de Theologis Canonicis eſt, Præbenda de Beco-ieiuno aſſignata Theologo optioni in poſterum non ſubjaceat.

Quòd verò aliunde Præbendæ tam Præpoſiti; quæ in Burgo conſiſtit, quàm Archidiaconi, quæ eſt . raris, & ex parte quadam Antragilis, & Sacriſtæ, quæ Blegerij. & Præcentoris, quæ Ceyis, optioni quoque non ſubiacerent; Quòd Canonicus, cui aſſignabatur Præbenda de Barolis, fructus nullos perciperet; Quòd Canonicus Præceptor, ſeu Præceptorialis, Præbenda etiam deſtituerent (ſiquidem Præbenda de Gramuſia, vna ſcilicet veterum de Cadafalco Eccleſiarum, quæ aſſignata Præceptori iuxta eandem Regiam conſtitutionem fuerat, vix ſufficiebat penſitationi Præceptori publico vrbis, ex pacto inito cum Conſulibus, perſoluendæ.) Quòd hac ratione, cùm ſupereſſent Canonici nouem, quibus ius optādi competeret, & ſupereſſent tamen dumtaxat ſeptē Præbēdæ optabiles, vocatæ nēpe de Aigleduno, de Durbis, de Antragilis, de Robina, de Cadafalco, de Archallo, de Rocca bruna; Quòd, inquā, res ſic ſe haberet; Ideò Capitulum, aſſumptâ Præbenda de Gramuſia, vnà cum illo perſoluendæ penſitationis onere, detraxit ex Menſa communi penſionem frumentariam, quam Aigleduni percipiebat, ac illam diſtribuit in duas quaſi Præbendulas, quarum aliam Sancti Domnini, aliam S. Marcellini indigitauit, ipſáſque duobus Canonicis Præbendæ alioquin expertibus, quouſque optionis occaſio, & ius illis obtingeret, conceſſit.

An addam fuiſſe ſimul Statutum, vt, cùm moris antiqui ſit, percipi à Capitulo fructus Præbendarum primi anni, quo Præpoſitus, & Canonici admiſſi in Eccleſiam ſunt; & propter initium huius anni inconſtans, neque ſatis determinatum, ac propter varia fructuum temporibus variis percipiendorum genera, variæ inter Capitulum, & hæredes Præbendatorum ſolerent lites excitari; Statutum, inquam, fuiſſe, vt primus hic annus cōputaretur in poſterùm ab ipſa die Sabbathi Sancti, ac eo momento, quò Campanæ primùm pulſantur; adeò vt, ſeu Præpoſito, ſeu quolibet Canonico ante illud defuncto, anni illius fructus pertineant ad Capitulum; defuncto autem pòſt, ad hæredes ſpectent, & Capituli ius in anni inſequentis, pro primo habiti, fructus differatur.

Taceri verò heic non debet, quod fuit ſpeciatim olim ſtatutum de primi anni fructibus, circa Præbendas Præpoſiti, Archidiaconi, & Sacriſtæ, à Ioanne Piſce (qui deinceps fuit Aquenſis Archiepiſcopus) vnà cum Canonicis, anno M. CCC. LVI. Scilicet verba Statuti ſūt. *Attendentes, quòd ſecundum antiquum, eſt in noſtra Eccleſia Dignenſi diutiùs obſeruatum, quòd fructus primi anni Præbendæ cuiſlibet noui Canonici, Fabricæ Eccleſiæ, iuxta moderationem per ſedem Apoſtolicam editam applicantur, & conſiderantes, quod illi, qui priores, & potiores gradus, & reditus in ipſa Eccleſia obtinent, maiorem debent eidem Eccleſiæ commoditatem afferre: ideò in noſtro generali Capitulo, vt moris eſt, congregati, Statuimus, & etiam ordinamus pro neceſſitate, & vtilitate dictæ Eccleſiæ, & Capituli, Quod fructus primi anni Præpoſiti Archidiaconi, & Sacriſtæ, in antè, & in futurum aſſumendi, & aſſumendorū, iuxta moderationem Apoſtolicam ſupradictā, pro medietate, fabricæ prædictæ Eccleſiæ, & pro alia medietate Capitulo eiuſdē Eccleſiæ, pro Canonicalibus diſtributionibus faciendis applicentur.*

Quin prætermitti etiā non debet Statutum duplex conditum in Capitulo generali anni M. CC. XXIV. ac diei 1. Auguſti, cui Guillelmus de Sabrano Epiſcopus interfuit, circa priuationem fructuum Præbendarum, defectu reſidentiæ, qui ſeu Initio, ſeu deinceps contingat. Videlicet Articulus XX. ſic habet. *Item, cùm multi Canonici in Dignenſi Eccleſia per Procuratores recepti fuerint, & diutiùs fructus Præbendarum ſuarum receperint in eadem, qui nullo tempore in ea fuerint; quod eſt valdè iuri diſſonum, & contrarium rationi: ideo Statuimus & etiam ordinamus, vt nullus Canonicus ibi de cætero aſſumendus, de Præbenda ſua, vel fructibus quicquam percipiat, donec per ſex menſeis integros in eadem Eccleſia ſuam reſidentiam fecerit perſonalem; ſed quicquid medio tempore de eadem Præbenda, vel fructibus eius obuenerit, totum Dignenſi Capitulo applicetur pro Canonicalibus diſtributionibus faciendis, contraria conſuetudine non obſtante.*

Articulus autem XV. ſic. *Item, cùm Canonicorum præſentia ſit eidem Dignenſi Eccleſiæ non modicum fructuoſa, & ab antiquo ibidem fuerit ordinatum, quod per certam partem anni deberent ibi Canonici facere reſidentiam perſonalem, alioquin fructuum Præbendæ ſuæ perderent magnam partem: Nos ex certa cauſa Statuimus; vt quilibet Canonicus præbendatus in ipſa Eccleſia, quolibet anno per tres menſes, continuò, vel interpolatè perſonaliter debeat reſidere, niſi in ſtudio, vel aliàs ex iuſta cauſa abſens fuerit, de licentia Domini Dignenſis Epiſcopi, & Capituli ſpeciali; alioquin Quartam partem fructuum Præbendæ, quam in ipſa Dignenſi Eccleſia obtinebit, perdere debeat, ſecundum taxationem decimæ æſtimandam, faciendis Canonicalibus diſtributionibus applicandam. Et, ſi per vnum menſem reſidentiam fecerit, tertiam partem illius Quartæ; &, ſi per duos, duas partes eiuſdem Quartæ; & ſi per tres, totam ipſam partem*

Quartam

Quartam ipſe iure valeat retinere; Quocumque alio ſtatuto dudù in contrariù edito, nõ obſtante.

CAPVT XVII.

Diſtributiones Canonicales, & Libra ſeruientium in Eccleſia Dinienſi.

TAmetſi multa hactenus fuerit Diſtributionum facta mentio, quia tamen aliquid ſpecialius ſubiiciendum de illis eſt; idcircò res eſt inde repetenda, quòd vt illa Archiepiſcopi Iacobi conſtitutio circa Præbendarum æqualitatem non diù viguit, ita nec diù circa formam Diſtributionum obtinuit. Statim ſcilicet (hoc eſt anno M.CC.XC.) in generali Capitulo menſis Auguſti, cui Guillelmus Porcelletus Epiſcopus interfuit, conſtitutum habetur, ex actis Hugonis de Brianſono Notarij, qui rogatu Capellanorum, & permiſſu Officialis clauſulam exſcripſit anno M.CCC.XX. *vt quotidie Capellani Ordinarij, & Clerici ſex Denarios acciperent, Vicarij quinque, Medij Vicarij duos, & obolum*; aucta nempe diſtributione in numerata pecunia, vt tolleretur, quæ in frumento, vinóque fiebat diſtributio. Id verò confirmatum fuit in eo Capitulo anni M.CCC.XX. in quo memoratum Chartolarium conditum fuit, & in quo legimus, *vt ij dictam quidem pecuniam accipiant, ſed nihil vltra; niſi ſint Anniuerſaria.* Atque hæc quidem diſtributionis forma dicta eſt Libra Seruitorum; cùm alioquin diſtributiones, quæ Canonicis fierent, Canonicales appellarentur.

Et quod ſpectat quidem ad Canonicaleis, non valuit id moris ſemper obtinere, vt duplò maiores, quàm Libra, ſeu diſtributiones factæ Clericis, & Vicariis forent, ſed eæ ſolitæ vt plurimùm fuere aut excedere, aut deficere quidem ſæpiùs) prout illorum, quæ iis faciendis deſtinata erant, fuit abundè, aut parùm. Mox ante nempe attigimus deſtinatum fuiſſe ad id muneris dimidium fructuum primi anni primatiarum, trium Præbendarum, obſeruatúque dignum eſt, fuiſſe id moris ante illud tempus, vt Præpoſitus, Archidiaconus, & Sacriſta *præſtare tenerentur ſex libras pro Canonicalibus diſtributionibus faciendis, iuxta antiquum ſtatutum ipſius Eccleſiæ*; quod ad calcem quidem euidem Statuti ſub Ioannne Piſce extat. Attigimus quoque eódem deſtinatum quicquid defectu Reſidentiæ, ſiue ab admiſſionis initio, ſiue deinceps amittebatur, detrahebaturve ex abſentium Præbendis. Deſtinabatur verò etiam multa, cui erat cuiuſque Præbenda obnoxia, ob non perſolutam Libræ Seruitorum (de qua mox dicendũ) penſionẽ; Quippe qui illá nõ contribuiſſet præfinitis tẽporibus, is ſolitus erat mulctari ſolidis XX. Deſtinabâtur & quædam alia.

De ipſa verò Libra, ſeu diſtributione Seruitorum vt dicam, quoniam ad illam reditus communes Capituli non ſufficiebant, ideò Præbendis ſingulis onera fuere impoſita, quæ collata in commune Libræ huiuſmodi ſatis eſſent. Ita nempe habetur ex illa ſub Porcelleto conſtitutione. Hinc proinde Canonici dicti ſunt penſionem pro Seruitorum Libra facere, quæ partim in feſto S. Martini ſolueretur, partim in veteri Carniſ-priuio (Dominicave Quadrageſimæ prima) vti ex Statutis ſub Guillelmo de Sabrano perſpicuum eſt. Quantum autem vnaquæque Præbenda conferret, definitum habetur ex memorato anni M.CCC.XX. Capitulo, in quo adhuc legitur Præbenda de Durbis, v.g. ſoluere conſueuiſſe ſolidos LX. Præbenda de Euſeria (quæ, vt dictum iam antè eſt, aliquando fuit Sacriſtiæ, nunc eſt Menſæ Epiſcopi) ſolidos LXVI. Præbenda de Aigleduno, ſolidos XC. Præbenda de Gaberto (quæ, vti etiam dictum, Canonici olim, nunc menſæ Capituli eſt) ſolidos C. &c. Tunc igitur diſtributiones in ſola pecunia numerata fiebant.

Poſtmodùm autem viſum eſt commodiùs tam Canonicaleis, quàm alias in Panem, & Vinum quotidie accipiendum conuertere; reſque definita habetur in Capitulo, quod Petro Turrutello Epiſcopo celebratum eſt anno M.CCCC.LX. In eo ſcilicet conſtitutũ fuit, *vt ſingulis diebus Canonici quidem, qui Officio intereſſent, Panes iiij. & Quartaletos vini ij. acciperent, dimidium putà pro Magna Miſſa, & dimidium pro Veſperis. Clerici vero Beneficiatis Curati, & Vicarij, lucrarẽtur Panes ii. & Quartaletum vini i. Panem vnũ videlicet pro Matutinis, & Laudibus; alium pro Tertia, & Sexta; reliquum pro Magna Miſſa, & Nona; vini autem lucrarentur, dimidium quidem pro Matutino, Laudibus, & Prima, dimidium vero pro Veſperis & Completorio. Medij Vicarii denique panes ii. acciperẽt, & Quartaletum vini dimidium; idque partim pro Matutino, partim pro ipſis Veſperis, & Completorio lucrarentur.* Vbi quòd aliarum horarum mentio non fiat, cauſa eſt, quòd per illas, Sacerdotibus Miſſas celebrantibus inſeruirent. Prætereo autem Panem incoctum eſſe debuiſſe XV. vnciatum; coctum verò XI. Atque hoc quidem modo fuit Libra illa argentea ſublata.

Temporis progreſſu captum eſt conſilium diſtribuendi ſemel in anno Frumentum, maximéque ex quo etiã Vicarij, Beneficiati habiti ſunt, & adiũcti Clericis octo, fuere duodecim numero; ac Semi-vicariorum munera fuere per Clericulos ſuppleta. Solita nempe fuere diſtribui ſingulis Canonicis LX. Frumẽti ſextaria, Beneficiatis XXX. Clericulis XV. quouſque effectum eſt nuper, vt Beneficiatis diſtribuerentur XL. eáque non ſemel, ſed per anni quadranteis, ſeu X ſextaria tertio quoque menſe. Quo ſanè ex tẽpore euênit, vt Canonici diſtributiones non modò parciores, verùm nullas quoque aliquando perceperint. Neque id modò circa Frumentũ, ſed circa Vinum etiam, ex quo effectum eſt, vt Beneficiatis Quartaletũ vnum cum ſemiſſe diſtribueretur. Non quòd anteà quoque id Canonicis non contingeret; & ab anno præſertim M.D.XXX. vt ex conteſtatione quadam aduerſus Raymonetũ Guiramandum, qui fuerat Præpoſitus, conſtat, ſed quòd res foret infrequentior, & non annorum ſimul complurium, vti deinceps contigit; adeò proinde vt Canonici, quibus exiles Præbendæ ſunt, deteriore longè conditione euaſerint, quàm Beneficiati. Vtcumque ſit, intelligendum eſt

Diſtribotiones, vt ſunt deſcriptæ, tam Canonicis, quam Beneficietis ita fieri, ſi Preſbyteri modò, & e&u celebrantes exſtiterint. Nam qui Diaconi ſolummodò fueriot, dimidio minùs accipiunt, quàm Preſbyteri; Subdiacooi verò, & in minoribus cooſtituti Ordinibus, dimidio minùs, quàm Diacooi tametſi ab aliquo vſque tempore id moris obtinuit, vt vtrique iſti tantumdem, quentum Clericuli, boc eſt quindecim Frumenti ſextaria io amno, & quartaleti Vini ſemiſſem dietim eccipiant.

Efficiuntur verò prætereà Diſtributiones aliquæ innumerate pecunia; ec potiſſimùm ex fuodetis pietete defunctorum Miſſis, & ex Anniuerſatiis, quæ eb ipſis tam Canonicis, quàm Beneficiatis in ſui admiſſione fundantur. Et ex Miſſis quidem diſtributio ex æquo omnibus tam Canonicis, quàm Beneficietis fit, ſi Preſbyteri modò fuerint Miſſaſque e&u celebrârint pro conſtituto ordine; Ex Anniuerſatiis autem æqualiter quidem tam Beneficiatis, quàm Canonicis; ſed provt tamen Preſbyteri, Diacooi, Subdiacoui, conſtitutive in minotibus Ordinibus fuetiot; ſic tamen vt Preſbyteri megnas cantare Miſſas teneantur, Canooici quidem Domioicis, ac feſtiuis diebus, Beneficiati verò diebos reliquis per hebdomadam, & Clericuli quoque in partem eorum veniant ob cauſem antè memoratam. Præterco eutem Præpoſitum doplum quoque Auniuerſariotum lucrari, quateous licet in celebreotium hebdomadetim ſerie oon ſit, ſolet nihilominùs in feſtis ſolemoioribus celebrare. Dixi verò, potiſſimùm ex Miſſis, & Anniuerſatiis; quooiam ſunt prætereà minutiotes aliæ, vt quæ percipi ex ſpecialibus B. Mariæ Veſperis ſolent. Quicquid heic dico interim de Beneficiatorum diſtributionibus, idem eſt & de Curetorum diſtributionibus dicendum; quippe eæ ſemper conſimiles fuere, recenſqoe eſt, quòd aliquid diſcriminis fuerit inductum.

Vt autem aliquid ſpeciarim de frumenti, ac vini diſtributiooibus ſubiiciam, ſcieodum eſt, ex qoo Clerici, Vicariique fuere inſtituti, Canonicos rarò, & ad libitum Matutinis horis interfuiſſe; ex eóque eſt, cur paullò antè memoratum ſit, illos diſtributionem iotegrem, ſi modò magnæ Miſſæ, ac Veſperis intereſſent, lucratos fuiſſe; at verò ab annis circiter octogiote, fuiſſe conſtitutum, vt Metutinis, Leudibus, Magoæque item Miſſæ (quæ à noſtris maioribus Miſſe Terriæ appellebatur) intereſſent; diſpenſarentur verò, vt priùs, circa Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Completorium, quas paruas Horas appellitant; cùm alioquin Beneficiati Horis omnibus intereſſe teneantur.

Scicodum quoque eſt, abſentiam ab Officiis, pet ſpecialem Obſeruetorem à Capitulo deputatum notari, vt diſtributionum ſubtractio pro ratione abſentiæ fiat. Cùm olim antè ſemel dumtaxat qualibet hebdomade abeſſe impunè liceret, liceere tamen abeſſe iam mēſe quolibet Beneficiatis quidem ſexies, Canonicis duodecies, & Præpoſito vicies-quatet: Et cùm antiqui moris ſit, vt tam Beneficiati, quàm Canonici ſexagenariis maiotes, à Matutinis excuſeotur, ooo excuſari eos tameo ab Officiis reliquis; niſi fortè ratione morbi, aut occupationis pro Ecelesia; cuius cauſâ noo-nemo excuſatur. Eſt porrò etiam aotiqui moris, vt ſi quis ſeu Ceoonicus, ſeu Beneficiatus proficiſcatur peregrè, & plureis abſit, quàm duos dies, non ſoleat in abſentiam neque dies diſceſſus, neque dies reditus computari: tametſi oeſcias qui factum fuerit, vt qui duos tantum dies ebeſſet, ambo perderet: cùm qui abeſſet treis, perderet medium ſolùm. Notandum eſt verò Metutinum, ac Leudes pro vna magna Hora haberi, Maiorem Miſſam pro elia, ac Veſperas turſus pro alie; idque ob Beneficiatos dico, quorum reſpectu, vt aliæ quinque Horæ paruæ appellantur; ſic quatuor ex illis magnam vnam cooflant; adeò vt, cum ſexies abeſſe ab officio poſſe dicautur, id non modò de magnis Horis, ſed de Paruis etiam quaternis ſit intelligendom

Sciendum demùm eſt, non abſentiam modò; ſed alias qooque eſſe cauſas, ob qoas priuari aliquem diſtributiooibus contiogat. Voa eſt ex autiquo Statuto (tametſi id iam parum ſollicitè obſeruetur) vt ſi quis tempore exacto, quo bon. Eccleſiæ, Capitulique adminiſtrârit, rationem aecepti, expenſique intra menſem noo reddiderit, & accepti reſiduum ooo perſoloerit, diſtributione omni priuetur, quovſque rem præſtiterit. Alta, eaque præcipua cauſa ipſe eſt defectus reuerentiæ, etque modeſtiæ, quæ diuinorum Officiorum maieſtatem, & grauitarem decet: Solent nimirum delinquentes diſtributiooum ſubtractione, eáque ampliore, eut parciore, provt ſe defectus habuerit, mulctari. Quo ſanè loco appoſitè referetur ſpecialis Bulla à Sexto IV. anno Selutis M.CCCC.LXXIX. ac III. Non. Septembris conceſſa; qoandò illa, vt cætera Eccleſiæ Stetuta confirmat, ita ſpeciatim facultatem corrigendi taleis defectus, ſitam penes Præpoſitum, Canonicos, & Capitulum, retam facit. Io ea ergo hiſce præmiſſis; Sixtvs *Epiſcopus, &c. Sanè pro parte dilectorum Filiorum, Prapoſiti, Capituli, & Canonicorum Eccleſia Dignenſis, nobis nuper exhibita petitio continebat; Quòd licet in dicta Eccleſia ab antiquis temporibus ſint quam-plurima Statuta, & Ordinationes rationabiliter edita, & prudenter ordinata, diuini cultus ampliationem, & conſeruationem, ac Canonicorum, & Perſonarum dicta Eccleſia honeſtatem, & eiuſdem Eccleſia decorem, & venuſtatem concernentia; tamen incuriâ, & negligentiâ eorum, quorum intereſt, ſape contingit, quòd diuina Officia in dicta Eccleſia cum debita modeſtia, & honorificentia horis ſuis debitis minimè celebrantur; ſed quam-plures ex perſonis dicta Eccleſia, poſt-poſito Clericalis Ordinis decore, & honeſtate circa pramiſſa negligēter, & irreuerēter ſe habēt, nō ſine Diuina Maieſtatis offenſa, & multor ūfidelium ſcandalo, & diſplicētia ſingulari; Quòd-que ſi ſtatueretur & ordinaretur, quòd iuxta Statuta, & Ordinationes pradictas, Prapoſitus, & Capitulū prafati*

per

per ſubtractionem Diſtributionum panis, & vini, ac pecuniarum, quæ intereſſentibus Diuinis, cum debita honeſtate, & modeſtia dari, & aſſignari debent, & delinquentes ipſos multare, & punire poſſent; ipſoſque Præpoſitũ, Capitulũ, Canonicos, & ſingulares perſonas dictæ Eccleſiæ ad obſeruationem Statutorum prædictorum ſub pœna Excommunicationis teneri, & obligatos eſſe decerneretur, enormitas huiuſmodi ceſſaret, decor, & venuſtas dictæ Eccleſiæ conſeruaretur, & diuinus cultus inibi ſuſciperet incrementum, cum Dei honore, & fidelium partium illarum conſolatione non modica. Quare pro parte Præpoſiti, Capituli, & Canonicorum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt in præmiſſis eorum, ac dictæ Eccleſiæ ſtatui, & honeſtati opportunè prouidere, de benignitate Apoſtolica dignaremur : Tum ſequitur.

Nos igitur attendentes, quod iuxta Canonicas Sanctiones neceſſe eſt, vt quos Dei timor à malo non reuocat, Eccleſiæ ſaltem coërceat ſeueritas diſciplinæ; & quadam ſunt culpæ, in quibus eſt culpa relaxare vindictam; huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, authoritate Apoſtolica tenore præſentium Statuimus pariter, & decernimus, Quòd Præpoſitus, Capitulum, ac Canonici præfati, & ſingulares perſonæ dictæ Eccleſiæ ad obſeruationem Statutorum dictæ Eccleſiæ, dũmodò ſint honeſta, & ſacris Canonibus non cõtraria, ſub pœna Excommunicationis de cætero teneantur, & ſint, a ſtricti. Quódque Præpoſitus pro tempore, & Capitulum præfati, ſingulares perſonas, eis, & ex dictis aliis in dicta Eccleſia pro tempore ſeruientibus, per ſubtractionem diſtributionum panis, & vini, ac pecuniarum, pro intereſſentibus Diuinis cum debita reuerentia, & honeſtate aſſignari ſolitarum, delinquẽtes ipſos authoritate Apoſtolica multare, & punire poſſint, & debeãt, alias iuxta dictorũ Statutorum formam, & tenorem : Et ſuper hoc, per quemcumque cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, vel conditionis fuerit; nullatenus valeat diſpenſari ſeu remiſſio fieri; niſi de expreſſo conſenſu Præpoſiti, & Capituli præfatorum: aliàs tamen authoritate, & ſuperioritate Epiſcopi Dinienſis pro tempore exſiſtentis ſemper ſaluis. Decernentes ex nunc irritum, & inane, quicquid ſecus, ſuper his per quoſcumque, quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari : Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcũque. Nulli ergo hominũ liceat, &c.

Capvt XVIII.

Diuini Officij, & Sacrarum Reliquiarum ex Dinienſi Burgo in Vrbem tranſlatio.

Dicandvm iam quidem de diuino Officio, celebrandique illius ritu noſtra in Eccleſia eſſe videretur; At cùm ſint iam anni LX. ex quo, ſuadente, promouentéque Claudio Coqueleto Epiſcopo, dimiſſa fuere tam Miſſalis, quàm Breuiarij Officia, quæ Eccleſiæ propria antecedenter fuerant, ac illa ſuſcepta, quæ iuxta decretum ſacri Tridentini Concilij reformata exſtabant; ideò & foret ſuperuacaneum aliquid de ritu moderni Officij, vt palàm noto, ſubiicere; & foret aliunde importunum quidpiam referre ex veteri, vnde proderetur vtriuſque diſcrimen. Sufficiat antiquum Officium fuiſſe quidem prolixius; at fuiſſe nihilominus ſua ſpecie venerabile, ſeu ipſa cantus grauitas, ſeu cæremoniarum maieſtas ſpectetur. Id licebit coniicere vel ex ritu Proceſſionis in Aſcenſione Domini, qui ex toto Officio vetere ſolus obſeruatur, quique, ne planè intercidat, vt penè fieri iam occepit, aliquantò pòſt recenſebitur.

Addo heic ſolùm id fuiſſe moris, vt etiam Epiſcopo abſente, Capitulum quidpiam de Officio ſtatueret; veluti cum anno M.CCC.XX. ac die xj. Nouembris, conſtituit, vt die Feſto Sancti Andreæ ante Aduentum contingente, dies infra Octauam illius in ipſo Aduentu continuarentur, & in die Octaua de ea ipſa fieret; nempe cùm priùs nihil aliud, quàm memoria fieret de ea; vti & in diebus infra Octauam. Quamobrem autem Sancto Andreæ ſpecialis honos haberetur (aliorum quippe Apoſtolorum, quam Sanctorum Petri, & Pauli, Feſti dies Octauas non habent) cauſa fuit fragmentum oſſis alterius genuum Sancti Andreæ habitum, inque Eccleſia aſſeruatum.

Adnotari autem poteſt obiter, vt in diebus infra Octauam tempore Aduentus occurrentibus, fiebat Octauæ ſimplex commemoratio; ita aliis tẽporibus legi ſolitas treis ſolùm lectiones, eáſque de Sancto, vel Feſto; cùm in ipſo Feſto, ac die Octaua nouẽ legerentur; & de Sancto quidẽ, aut Feſto octo reliquæ; ſeptima verò de Homilia foret. Ita certè licet vel ex ſolo Officio S. Vincentij agnoſcere; ac S. etiam Chryſoſtomi, cuius Octaua quoque erat. Subiicerem xij. Feſta habita per annum præcipuè ſolemnia, vt in quibus Epiſcopus, aut Præpoſitus celebrarent, putà Natale Domini, Circumciſionem, Epiphaniam, Purificationem B. Mariæ, Dominicam Palmarum, Cœnam Domini, Dominicam Paſchæ, Aſcenſionem, Dominicam Pentecoſtes, Feſtum Corporis Chriſti, Aſſumptionem Beatæ Mariæ, Feſtum omnium Sanctorum: Dicerem & alia; ſed excurrerem nimiùm.

Itaque præſtat commemorare qua occaſione, & quandónam Officium tranſlatum ex Burgo in Vrbem ſeu ex Eccleſia S. Mariæ, in Eccleſiam S. Hieronymi vocatam, fuerit. Conſtat igitur ex antiquis rerum, ornamentorumque Eccleſiæ. quæ adhuc leguntur, Inuentariis, ac vno præſertim anni M. CCC. XLI Eccleſiam variis, pretioſiſque Ornamentis inſtructiſſimam fuiſſe. Vltimum, quod mihi occurrit, fuit anni M. D LVIII. in quo legere paria licuit; ac memini audiiſſe ex viris, qui ornamenta ea viderant, fuiſſe in illis plurimas cappas ſic ex auro, argento, operéque phrygio contextas; vt ſuper tabulatum erectæ illi inſiſterent, nec collaberentur. Narrauere etiam illi, quanta foret Chori Eccleſiæ elegãtia; ipſeque adhuc

vidi illius fragmentum ſubductum ex incendio, quod & inauratum, & exquiſiti artificij cùm foret, eſſe debuiſſe Chori ſtructuram admodùm magnificam ſuaſit. Quare & donec res Ecclesiæ ſteterunt, ooo modò Officium in ea cum decore fuit celebratum; ſed nihil etiam, quod tranſlationem eius ſuggereret, occurrit.

Verùm, quæ demùm ſunt rerum vices, cootigit, vt quatuor pòſt annis, aono purà M.D.LXII. ſęuientibus iam Caluiniſtis, ea fuerit in Burgum, Eccleſiámque facta irruptio, vt huiuſmodi ornamenta direpta ab iis fuerint, & quæcumque potuere ab iiſdem inueniri reliquiæ combuſtæ; idque, pyrâ exſtructâ ex eleganriſſimo Choro. Cootigit alia quoque direptio anno M. D. LXVII. Contigit & alia anoo M. D. LXXIV. Ac anno demùm M. D. XCI. obſeſſa fuit, expugnatáque à Lediguerio Ecclefia, tutantibus, qui ſe intra illam communierant, militibus; vt conſtat ex globo tormeotario ad læuam portæ Eccleſiæ, cum inſcriptiooe anni, impreſſo. Hic verò ipſe annus fuit, quo Canonici ita tranſtulere io Vrbem Officium, vt cùm oceaſiooibus aliis per anoos triginta incidentibus, pariter tranſlatum, retuliſſent tamen in Burgum; ex eo nihilominus tempore Vrbi conſueſcentes referre ex toto ounquam ſuſtinuerint, Præpoſito licet variis ſemper actis reclamante, interpellantéque.

Conſtitutum dumtaxat fuit, vt ſingulis diebus Sacerdotes quatuor itarent ex vrbe in Eccleſiam, ibíque Miſſas totidem celebraxent pro Mortuis, ac io iis quidem vnam magnam, ſiue cum cantu, à qua cootiooter abſolutio per totam Eccleſiam, ac cæmeterium fieret. Cōſtitutum quoque, vt in feſtis B. Mariæ ſingulis, excepta Purificatione, Proceſſio ex vrbe io Eccleſiam fieret, Magoa illeic Miſſa cantaretur, haberetúrque adeò tam in Cooceptione per aduentum, quàm in Annunciatiooe per Quadrageſimam, concio. Conſtitutum rursùs, vt in feſtis Aſſumptionis, ac Natiuitatis, pérque totas eorum Octauas, officium illeic celebraretur, vt temporibus priſcis, inregrum; idque fieret etiam per totam Octauam Dedicationis Eccleſiæ, quæ colitur ſemper à Dominica Iulij propinquiore Eidibus, ſiue diei XV. in inſequentem Domioicam; atque id quidem reſeruatis aliquot ad populi vſum intra Vrbem priuatis Miſſis. Cooſtitutum item, vt Canonici bini, totidémque Beneficiati cum Clericulorum vno ſingulis diebus Domioicis, ac in feſtis etiam Beatorum Ioannis Baptiſtæ, Ioaoniſque Euangeliſtæ, Natalitiis, poſt Veſperas diei in vrbe peractas, eò cantatum diſcederent, quas Veſperas parui Officij B. Mariæ pridem inſtituit, dotauitque Legerius Bochardus (ſed nempe ille ioſtituerat, vt intra Vrbem canerentur, cùm Officium in Burgo fieret; adeò proiode, vt volontati illius deperierit nihil.) Denique annis nuperis conſtitutum fuit, ſed non dio tameo ex toto obſeruatum, vt quatuor illi Sacerdotes tū in Burgo reſiderēt, tū non modò Miſſas memoratas celebrarent; ſed Officium quoque totum Defunctorum, ac totum Paruum Beatæ Mariæ canerent, ad quod alioquin ipſe Chorus, qui intra vrbem, teneretur.

Cæterùm, quod dixi direptores primos ruio expilaſſe ornamenta, tum combuſſiſſe quas potuere reperire Reliquias; ſciendum eſt, potuiſſe bona ſorte ſubduci ſatis tempori, tum ex ornamentis Tapetem ioſignem, in quo erat deſcripta Machabæorum hiſtoria, quíque & adhuc ſupereſt, & nuper ſectus in parteis duas, ſolet in feſtis ſolemnibus ad latera Altaris maioris appendi; tum ex Reliquiis eas omneis, quæ argento concluſæ, ornatæque eraot; quemadmodum tria Sanctorum Antiſtitum Capita, vnà cum tribus Brachiis, nempe S. Domnini vno, S. Vincentij altero, & S. Ioannis Chryſoſtomi tertio: ac rurſus aliæ conditæ, aut intra Reliquiaria argentea, quemadmodum vna Coſtarum S. Petri martyris intra argenteam arculam; aut iotra columellas ex cryſtallo eleganteis, ipſáſque aut ſingulas, aut binas, aut ternas, argento munitas, fulcriſque argenteis ſuſtentatas; veluti fragmentum Dominicæ Crucis; fragmenta quoque ex Oſſibus S. Blaſij, S. Agathæ, S. Apolloniæ, & alia complura; vt taceam memoratum iam fragmentum ex Genu S. Andreæ Apoſtoli, quod æoeo dumtaxat pede ſuſtioetur. Potuit verò quoque ſubduci argentea, inauratáque Turricula, pondere Librarum Prouiocialium viginti quatuor, ſeu appellatarum Marcarum, quæ vnciarum octonum Pariſinarum ſunt, proximè triginta nouem. Ea eſt præcelleoti, ſumméque exquiſito elaborata artificio, dicitúrque à noſtris Majeſtas, B. Mariæ ſcilicet, cuius imago, argentea quoque, mediæ eius baſi ioſiſtit; parentibus purà quaſi foribus, ob quatuor fulcra ex totidem baſeos angulis conſurgentia. Potuit & argeotea Crux duplex; potuit Calix vnus admodum antiquus; potuere & quæpiam huiuſcemodi. Fuere verò hæc omnia, quantum quidem fando accepi, commiſſa curæ, fidei, arcanóque duorum optimorum Ciuium, qui abdidere ipſa primùm, vltra præſepe ſtabuli domus, quæ è regione eſt Hoſpitalis; ac tranſtulere deinde io Sanitienſem agrum, defoderéque in prædio fidi, probíque, & communis amici; quoviſque rediere tempora meliora, per quæ libuit ea non amplius in Burgum, ſed in ipſam Vrbem referre.

Cùm huiuſmodi verò fuerit cura Argenteæ ſupellectilis; par ſanè noo fuit earum Reliquiarum, quæ erant argenti expertes; fortè quòd iis ſubducendis oon fuerit ſatis temporis; fortè quod creditum non fuerit euenturum, vt direptores in oſſa mortuorum ſæuirent. Adſeruabantur per id tempus ioſtructæ argento Reliquiæ in crypte quadā ſub Campanili, ad quam patebat introitus ex dextro duorum Sacellorum, formam Crucis cum reliqua Ecclesia exhibentium, quod dictū olim Corporis Chriſti (veluti & aliud oppoſitum Quinque Plagarum) nunc, à tranſlata in eam quapiam B. Mariæ Imagine, Noſtræ Dominæ de Refugio vocatur. In hoc Sacello, præter Altare præcipuum, ipſúmque verſus ortum

ortum conuerſum, fuerat aliud verſus meridiem dicatum B. Chryſoſtomo, ac ſupra ipſum intra parietem eacauatum armarium, loculamentumve, in quo, quæ credebantur eſſe huius Sancti Reliquiæ, intra arcam aſſeruabantur. Quid ea illis defuerit, dictum, ſcriptumve non memini, præter Caput, & alterum Brachium. Et Romæ certè habetur tum Caput, in Eccleſia S. Clementis, tum alterum Brachium, partim io Eccleſia S. Petri ad vincula, partim in Eccleſia S. Cæciliæ trans-Tiberin, vt à Pancitolo memoratur. Cùm verò & in Eccleſia S. Petri in Vaticano, & in quibuſdã aliis, alias aſſeruari Reliquias idem referat; non multa apud nos haberi potuerunt. Quodcumque id fuerit, habetur iam ſolùm os alterius Brachij brachio conclusum argenteo; cùm & tale vnum Romæ haberi non legatur. Id autem quando, aut quomodo transferri ad nos potuerit, mirum non eſt, ſi ignoremus; quando neque Onuphrius, neque Baronius, neque alij plures comperire vſquam potuerunt, quando, aut quomodo, quæ Romæ habentur, comportata eò fuerint; ac ſolus Panciroſus fieri id potuiſſe coniiciat circiter annum Domini octingenteſimum ſexageſimum, cùm Nicolavs I. duos Legatos Conſtantinopolim, depoſiti Photij occaſione, miſit. Quanquam non aliud obtendere, quàm Maiorum noſtrorum pietatem contendo, qui ſi hac in re, ſimilive alia hallucinari quicquam ſunt, ſuam merentur excuſationem. Sanè & illud ſimplicitatis fuit, quòd S. Ioannem Chryſoſtomum, non Conſtantinopolitanum, ſed Hieroſolymitanum Patriarcham habuerunt, vt ex aliquibus inſcriptionibus adhuc ſuperſtitibus patet. Vtcumque ſit, habere ſaltem, quemadmodum illi, huiuſmodi os venerationi poſſumus, tanquam monimentum & ſanctiſſimi, & digniſſimi ſuo nomine Viri, quem non modò nos, ſed vniuerſam etiam Eccleſiam fas, & æquum ſit venerari.

Præter illa duo porrò loca, adſeruabantur etiam Reliquiæ ad maius Eccleſiæ Altare. Nam in memorato quidem Inuentario anni M. CCC. XL. verba hæc leguntur. *Item in Altari B. Mariæ ſunt duæ magnæ Caxiæ, cum duobus ſcabellis pictis, bordonatæ in ſuperiori parte; in quarum vna verſus partem Præpoſituræ, ſunt Reliquiæ completæ Marcellini & Petri martyrum; & in alia verſus nemus Præpoſituræ, oſſa B. Domnini Primi Dignenſis Epiſcopi, & Caput B. Marcellini Ebredunenſis Archiepiſcopi.* Denique Reliquiæ, ſeu Oſſa venerationi habita optimi Epiſcopi Raynaldi Porcelleti aſſeruabantur in eiuſmet Sepulcro, ac intra Sacellum, quod diu ab eo dictum vocatum S. Raynaudi: Scilicet io eodem Inuentario fuiſſe legimus, *Subtus monumentum Domini Raynaudi Porcelleti, vnum pannum ſericum* Exceptis itaque Beatorum Marcellini, & Domnini Capitibus, quæ vna cum altero huius Brachio, ornari poſteriùs argento, ſeponique debuerant, fuere iſtæ omnes Reliquiæ, ac nonnullæ etiam aliæ in prima præſertim direptione, crematæ: niſi quòd quædam oſſicula per Eccleſiam ſparſa, quædámque etiam ſemiuſta ex incendio reſidua (ac in iis vnum S. Raynaudi) collecta fuere, & io communem Theſaurum deinceps illata.

Capvt XIX.

Eccleſia, ſeu Baſilica S. Hieronymi intra Diniæ muros; & ſuperſtes ex Officio veteri Solemnis Proceſſio.

QVæ porrò Eccleſia intra Vrbem tam diuinum Officium, quàm Sacras Reliquias excepit, B. Hieronymo eſt ſacra. Ea eſt, quàm antè diximus conſtructam ab annis non ampliùs, quàm CLIV. Nempe Antonius Guiramandus redemptore vſus Antonio Brollione Barcilonenſi murario, cum eo quidem pepigit anno M. CCCC. XC. vt intra annos quinque eædificaretur; at non potuit tamen, ob bella, obſtaculáque alia, niſi poſt decennium abſolui. Debuit ea ſic conſtrui inter caſtrum Epiſcopale, & Turrim vrbici Horologij, vt non modò magnus Tinellus, hoc eſt aula Caſtri præcipua, verſus occaſum dirueretur; verùm dirueretur ipſa quoque Turris; & Preſbyterium duas cannas (quæ Prouincialis menſura eſt, Orgyïa, Toyſáve Pariſiná, vltra digitum, ac trientem maior) præter vrbis murum ad Septentrionem produceretur. Fecit nimirùm loci ſitus, vt conuerti Eccleſia ab occaſu in ortum non potuerit, pro antiquo more omnium Eccleſiarum. Exſtant adhuc pacta conuenta, & conſcripta quidem vernaculâ linguâ inter acta Bertrandi Heſmiuij; Eccleſiáque fuit pro eorum tenore eaſtructa, vt nunc viſitur; niſi quòd Feneſtræ nullæ apertæ ad occaſum ſunt; & Preſbyterium nonnihil quidem, at non duas cannas vltra murum proſtat: ac refecta tunc horologij Turris (quæ eadem campanaria eſt) eo nuper modo fuit reformata, quo ſuperiùs deduximus.

Excipi verò etiam debent, quæ fuere poſteriùs adiuncta. Nam cùm Sacriſtiâ quidem opus foret, acceſſit primùm penè ab initio, quod Sacellum caſtructum fuit ad læuam Preſbyterij, conuerſa in eam crypta quadam Caſtri. Deinde verò, cùm Sacræ Reliquiæ hanc in Eccleſiam fuere inductæ, viſum eſt illas neque commodiùs, neque tutiùs poſſe, quàm io hoc Sacello rēponi; Quare & exſtructum eſt aliud ipſi è regione, ſiue ad dextram Preſbyterij, quod cederet in Sacriſtiam An memorem verò, cùm foret Preſbyterij paries inſignis craſſitudinis, fuiſſe ad hanc partem eacauatum in illo arcum, ſub quo ſepeliri Guiramandus voluerit: ac rem deinceps contigiſſe luctuoſam. Nempe in ſecunda illa direptione, qua eſt in Vrbe etiam ſæuitum, oſſa optimi Præſulis fuere ex hoc ſepulchro eruta, & combuſta; idque poſtquàm procaces quidam, perditique milites abuſi fuere Cranio ad latrunculorum ludum. Hinc quæ Statua lapidea ſub eo arcu iam viſitur (ſed obducta nempe Celebrantis Miſſam, Aſſiſtentiúmque ſedibus) non Guira-

mandi ipſius eſt,ſed Antonij de Bollonia, in eum locum nuper, anno putà M. DC.XXXIII. ex media Chori area translata;cùm fuit nempe Chorus nuceus eleganti ſpecie conſtructus. Denique acceſſit annis nuperis ad memoratæ Turris meridiem nuncupatum D. Ioſephi Sacellum, vnà cum aula ſupra fornicem, in qua Capitula celebrentur.

Taceri autem heic non debet, fuiſſe in Eccleſiæ conſtructionem florenos ſex mille, & nongentos impenſos; ex quibus licet Capitulum trecentos contulerit, & Ciuitas ipſa ſexcentos; qui fuere tamen ſex mille reſidui, exæquauere reditus Epiſcopatus annorum trium; quando taxatis, biennio poſt Guitamandi obitum, totius Regni Beneficiis, deprehenſum eſt reditus Dinienſis Epiſcopatus non excedere florenos bis mille. Quò fit, vt cùm iam iidem reditus ſint turonicatum librarum prope octo millium; reputari poſſit Eccleſiam conſtitiſſe eius monetæ, quæ iam nobis in vſu eſt, turonicis libris vicies ſepties mille. Aſſignauit verò præterea, dignus memoriâ Epiſcopus, florenos mille, & onnaginta, quorum penſio, ſeu fructus ſernandæ perpetuò Eccleſiæ ſartætectæ inſumeretur.

Neque id modò: ſed deſtinârat etiam adnectere Capituli Menſæ quem tum obtinebat Prioratum Collis-martij, eo ſolùm cum onere, vt Capitulum diebus ſingulis mitteret in vrbem Sacerdotes quatuor, qui in recente Eccleſia, quod Populo foret commodum, Miſſas celebrarent: verùm, re licet ſeriò tentata, ipſam tamen ante obitum perficere potis non fuit; nec Capitulum ideò minùs, quod ſpe illa fretum cœperat, agere pertexit. Conſtituit dumtaxat, vt ex quatuor Miſſis, ipſi Eccleſiæ deſtinatis, quarta celebraretur, ac diebus potiſſimùm Dominicis, in Sacello illo D. Michaëlis, quod vidimus ipſi adhûc integrum, è regione portæ, qua in publicam Vrbis domum ingreſſus patet. Nempe ſolemne erat in eo à Conſulibus, conſilióque in publicam domum eneüntibus Sacrum audiri. Fuit verò Officium Maioris Eccleſiæ ex illa quatuor Sacerdotum deſtinatione tantò imminutius, quantò aliunde multi ſemper aberant ab Eccleſia, quòd ob redituum exilitatem cogerentur, ſiue Parœcias intra Diœceſin regere, ſiue alia ratione alibi victum quæritare: Eaque fuit cauſa, cur Optimus ille vnire Capituli menſæ Sacerdotium pingue cogitauerit, vt non ſubeſſet ratio, cur defectu redituum ab Eccleſia diſcederetur.

Non reperio quando, aut qua occaſione diuinum Officium tranſlatum in hanc Eccleſiam fuerit; duo quædam ſolùm adnoto. Vnum eſt, eſſe quidem ſemper Eccleſiam B. Mariæ Burgi Cathedralem Eccleſiam, ac debere in ea tam Epiſcopatus, & Præpoſituræ, quàm Canonicatuum, & Beneficiaturarum poſſeſſionis adeptionem fieri; cùm & nominari ſpeciatim in Bullis prouiſoriis ſoleat; ſed moris tamen eſſe, vt etiam in hac ſancti Hieronymi Eccleſia immiſſio poſſeſſionis fiat; licet eius mentio in Bullis ſit nulla, ac inauditum planè ſit, vt Cathedralis appelletur. Alterum, ex quo fuit in ea anno M.D.XCIV. receptus ritus Officiorum Tridentini Concilii, nihil fuiſſe ex antiquo retentum, vt iam antè attigimus, præter ſolemnem Proceſſionem, qua Sacræ omnes Reliquiæ in Aſcenſione Domini magnâ pompâ circumgeſtantur. Et par quidem Proceſſio fiebat, dum res Burgi, & Eccleſiæ ſtarent, in ſancti Ioannis Chryſoſtomi feſto; Reliquiæ enim omnes pari pompa ad illius vſque Eccleſiam, Sacellúmve comportabantur, parique exinde referebantur; At iam itur quidem quotannis Proceſſione in id Sacellum, Miſſaque ſolemnis in eo cantatur; attamen portatur dumtaxat, quod huius Sancti habetur Brachium, nihilque præterea Proceſſio non commune habet: vti neque totum reliquum Officium, quod olim tamen celebrabatur non ritu modò duplici, ſed etiam cum ipſa Octaua.

Cùm ſuſceperim porrò aliquid dicendum de Proceſſione ſuperſtite, quæ quotannis ante maiorem Miſſam in Aſcenſione Domini fit; nihil eſt neceſſe memorare de Ordinum totius vrbis, ac Religioſorum præſertim inceſſu. Obſeruo ſolùm, Capita trium ſanctorum Antiſtitum Vincentij, Domnini, Marcellini ponè celebrantem geſtari; eo ſcilicet loco, quo ſolet Epiſcopus incedere. Geſtantur autem ſingula cum Mitra, vt ſunt, argentea inaurata, & gemmis illuſtri; cúmque appenſa Stola, & impoſita Caſula, prout humerorum, pectoriſque ſpecies ex eodem argento cum collo cohæret; cui eſt aliunde circumdata argenteæ ſtolæ portio, quodque vnà cum facie, ipſaque ſanè peruenuſta, natiuo colore exhibetur. Geſtantur, inquam, ſingula à binis hominibus, iiſque, ſi fieri poſſit, Clericis, Acolythorum ſpecie indutis, qui excepta hinc inde ſuis humeris ſuſtentantia fulcra comportent. Geſtatur verò quarto loco, ac ordine eodem, eadémque formâ, quæ argentea Turricula ſuperiús deſcripta, appellatur Maieſtas, cùm ſit quaſi thronus B. Virginis, ob imaginem, vt dictum eſt quoque, in ea conſiſtentem. Geſtatur, & pari ratione Arca lignea, in qua aſſeruantur cæteræ argento non concluſæ Reliquiæ, quamque Virtutes nominant; idque dependentibus ſtolis, quas dum geſtatores partim conſiſtũt, partim incedunt, ſolet multitudo eundo, redeundóque, illos inter, exoſculari. Arca verò hæc, non ponè celebrantem, ſed prorsùm, antéve ipſum Eccleſiæ Clerum defertur. Reliquiarum thecis argenteis, cryſtalliniſve concluſarum quicquid ſupereſt, ſic diſtribuitur in ſingulos, qui ex Eccleſia Proceſſioni interſunt, manibus, corámque pectore geſtandum, vt niſi Reliquiaria, ſaltem vaſa aliqua Sacra ex eodem promptuario tribuantur; &, ne deſit quidem ex eodem, quod Clericuli aliorum inſtar manibus geſtent.

Vbi verò parata omnia ad incedendum fuerint, Celebrans vnà cum Miniſtris, ſiſtit ſe coram ſummo Altari, & donec eſt genibus flexis, Chorus pleno cantu incipit ab hac Antiphona. *Exurge Domine, adiuua nos, & libera*

libera nos propter nomen tuum, Alleluia. Deus auribus noſtris audiuimus, Patres noſtri annunciauerunt nobis. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen. Exurge Domine, adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum Alleluia.

Facto breui intermorio & quaſi in ipſo ad diſcedendum procinctu, proſequitur Chorus, cantans Antiphonam. *De Ieruſalem exibunt Reliquiæ, & ſaluatio de monte Sion; propterea protectio erit huic ciuitati, & ſaluabitur propter Dauid famulum meum, Alleluia.*

Pergit continenter; ſed cantu Litaniarum graui, ſpecialique, *Kyrie eleiſon: Chriſte eleiſon: Kyrie eleiſon: Chriſte audi nos; Chriſte exaudi nos. Pater de Cœli Deus, miſerere nobis. Kyrie eleiſon; Kyrie eleiſon; Chriſte audi nos. Fili redemptor mundi Deus, miſerere nobis. Kyrie eleiſon; kyrie eleiſon; Chriſte audi nos. Spiritus ſancte Deus, miſerere nobis. Kyrie eleiſon: Kyrie eleiſon: Chriſte audi nos. Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere nobis. Kyrie eleiſon: Kyrie eleiſon: Chriſte audi nos,*

Et continenter adhuc cantat Antiphonam: *Benedicat nos Deus, Deus noſter, Benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ. Deus miſereatur noſtri, & benedicat nos Deus; & metuant eum omnes fines terræ. Alleluia.*

Tum verò Acolythi cantant verſiculum, *Benedicamus Patrem, & Filium, cum ſancto Spiritu:* Reſpondet Chorus, *Laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.* Celebrans verò erectus, & ad Altare reſpectans, proſequitur. *Oremus, Omnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in Confeſſione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia maieſtatis adorare vnitatem: quæſumus, vt eiuſdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur aduerſis. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.* Reſpondet Chorus. *Amen.*

Incipit ſubinde diſceſſus, egreſſúſque ex Eccleſia, idque gradu admodum lento. Extra Eccleſiam, & per vrbem, tum pari paſſu inceditur, tum & ſepties ſtatur. Statio autem Prima fit, cum Sacra Capita peruenerunt ad imum exſcenſus, qui eſt ab egreſſu ex Eccleſia, inque plano iam vico ſunt. II. cùm proximè vltra viculum, qui relinquitur verſus Portaletum. III. cùm vltra occurſum imi exſcenſus è vico Iudaïco. IV. cùm ad eam Vbaci partem, è qua primùm conſpicitur accliuitas habens Preſbyterium Eccleſiæ ad dextrâ. V. cùm poſt decliuitatem eiuſdem eminentiæ, ad ipſum Nundinarum Pratum, celebranſque eſt prope eam Turrim, ad quam Statio fit in Proceſſione Corporis Chriſti. VI. cùm ad Plateolam, quæ eſt ad Balneorum, Solariive boüm portam. VII. cùm ad ſummum aſcenſus, qui eſt prope Eccleſiam, Chorúſque conſiſtit ante ipſam Portam. Donec verò inceditur, Litaniæ à Choro cantantur; ac ſi opus ſit, repetuntur aliquæ inuocationes ſanctæ Mariæ, & Sanctorum Angelorum, ac Patriarcharum, ſi quidpiam temporis ſuperſit priuſquàm ad Stationis locum ventum ſit, vti & dimittuntur, quæ ſuperſunt, cùm eò ventum eſt, ex Inuocationibus Apoſtolorum, aliorúmque Sanctorum; quanquam prouidendum à Choriſtis eſt, vt ſuperſit ſatis temporis, ac inceſſus, quo poſſit poſtremo loco cantari illud, *Omnes ſancti Apoſtoli: Omnes ſancti Martyres, &c.* Donec ſtatur, cantat primùm Chorus Antiphonam; ſubiiciunt canendo Acolythi verſiculum, ad quem, vbi reſponſum eſt, Celebrans ad Sacra Capita conuerſus, ac præmiſſa voce *Oremus*, Orationem pronuntiat, vt iam coram Altari factum.

Itaque, ſtatim ac moueri, diſcederéque Chorus incipit, ſic Litanias proſequitur. *Sancta Maria, ora pro nobis. Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon, Chriſte audi nos.* (ita & deinceps, præmiſſa Sanctorum inuocatione, repetitur.) *Sancta Dei Genitrix, ora pro nobis. Kyrie, &c. Sancta Virgo Virginum, ora, &c.* In prima autem Statione, Antiphona. *Candida Virginitas Paradiſi clara colonis; Hortus concluſus, florenti ceſpite vernans; Cui meritò totus celebrat præconia Mundus, Quæ meruit Dominum progenerare ſuum: Alleluia. Ipſa ſuo nato nos reddat Regia Virgo: Quæ meruit Dominum progenerare ſuum: Alleluia.* Verſic. *Ora pro nobis ſancta Dei Genitrix.* Reſp. *Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.* Orat. *Concede nos famulos tuos quæſumus, Domine Deus, perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa B. Mariæ ſemper Virginis interceſſione à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Per Chriſtum Dominum noſtrum.*

Reſp. *Amen.*

Procedendo deinde ad ſecundam Stationem. *Sancte Michael, ora pro nobis. Kyrie, &c. Sancte Gabriel. ora, &c. Sancte Raphael, ora, &c. Omnes Sancti Angeli, & Archangeli, orate. &c.*

In ipſa Statione, Antiph. *Te Sanctum Dominum in excelſis laudant omnes Angeli dicentes, Te decet laus, & honor Domine, Alleluia Cherubin quoque, ac Seraphim Sanctum proclamant, & omnis cœlicus Ordo dicit, Te decet laus, & honor, Domine. Alleluia.* Verſic. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi, Deus meus.* Reſp. *Adorabo ad templum Sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* Orat. *Perpetuum nobis Domine tuæ miſerationis præſta ſubſidium, quibus & Angelica præſtitiſti ſuffragia non deeſſe. Per Chriſtum. &c.*

Procedendo ad III. *Sancte Ioannes Baptiſta, ora, &c. S. Ioſeph, ora, &c. S. Ioachim, ora, &c. Omnes S. Patriarchæ, & Prophetæ, orate, &c.*

In ipſa Statione, Antiph. *Sanctetuis ingiter famulis Baptiſta Ioannes, Vt faueas petimus: Alleluia Gloria ſit Patri æterno, ſit Filio, & ipſi Spiritui ſancto, nunc, & per ſæcula detur. Alleluia. Vt faueas petimus; Alleluia.* Verſ. *Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini* Reſp. *Rectas facite ſemitas eius.* Orat. *Omnipotens ſempiterne Deus, da cordibus noſtris illam tuarum rectitudinem ſemitarum,*

quam

quam beatus Ioannes Baptiſta in deſerto, vox clamantis, edocuit, per Chriſtum, &c.

Procedendo ad IV. *Sancte Petre, ora, &c. S. Paule, ora, &c. S. Andrea, ora, &c. Omnes ſancti Apoſtoli, & Euangeliſtæ, orate*, &c.

In ipſa Statione, Antiph. *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis: Alleluia. Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis, dicit Dominus: Alleluia. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Vos amici*, &c. Verſic. *In omnem terram exiuit ſonus eorum.* Reſp. *Et in fines orbis terræ verba eorum.* Orat. *Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, & Apoſtolorum tuorum Petri, & Pauli, & aliorum Apoſtolorum, atque Euangeliſtarum nos tuere præſidijs, quorum donaſti fideles eſſe doctrinis. Per Chriſtum*, &c.

Procedendo ad V. *Sancte Stephane, ora, &c. S. Laurenti, ora, &c. S. Vincenti, &c. Omnes ſancti Martyres, orate*, &c.

In ipſa Statione, Antiph. *Lauerunt ſtolas ſuas, & candidas eas fecerunt, in ſanguine Agni: Alleluia. Iſti ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni: Alleluia.* Verſic. *Exultent iuſti in conſpectu Dei.* Reſp. *Et delectentur in lætitia* Orat. *Præſta quæſumus omnipotens Deus, vt qui glorioſos Martyres fortes in ſua confeſſione cognouimus, pios apud te in noſtra interceſſione ſentiamus. Per Chriſtum*, &c.

Procedendo ad VI. *Sancte Nicolaë, ora, &c. S. Domnine, ora, &c. S. Vincenti, ora, &c. Sancte Marcelline ora, &c. Omnes ſancti Confeſſores, & Pontifices, orate*, &c.

In ipſa Statione, Antiph. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Et vos ſimiles hominibus exſpectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs; Alleluia. Vigilate ergo, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit. Et vos ſimiles*, &c. Verſic. *Exultabunt Sancti in gloria.* Reſp. *Lætabuntur in cubilibus ſuis.* Orat. *Deus, qui nos Sanctorum tuorum confeſſionibus circumdas, & protegis; da nobis & eorum imitatione gaudere. Per Chriſtum*, &c.

Procedendo ad VII. *Sancta Maria Magdalena, ora, &c. S. Catharina, ora*, &c. *S. Agatha, ora*, &c. *Omnes ſanctæ Virgines, & Viduæ, ora*, &c.

In ipſa Statione, Antiph. *Regnum Mundi, & omnem ornatum ſæculi contempſi, propter amorem Domini mei Ieſu Chriſti. Quem vidi, quem amaui, in quem credidi, quem dilexi: Alleluia. Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi: Quem vidi*, &c. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto; Quem vidi, &c.* Verſic. *Adducentur Regi Virgines poſt eam.* Reſp. *Proximæ eius afferentur tibi.* Orat. *Deus, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in ſexu fragili victoriam Martyrij contuliſti; concede propitius, vt quarum natalitia commemoramus, per earum ad te exempla gradiamur. Per Chriſtum*, &c.

Tum autem Chorus ingrediendo in Eccleſiam, cantat Antiphonam, *Viri Galilæi, quid admiramini adſpicientes in cælum? Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cælum; Alleluia. Cúmque intuerentur in Cælum euntem illum, Ecce duo viri adſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt: Hic Ieſus*, &c. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen. Hic Ieſus, qui*, &c.

Progreſſo intereà Celebrante, &c, genu-flexione facta, ſtante coram ſummo Altari, Verſ. *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Alleluia.* Reſp. *Deum meum, & Deum veſtrum, Alleluia.* Orat. *Concede quæſumus, omnipotens Deus, vt qui hodierna die vnigenitum tuum redemptorem noſtrum ad cælos aſcendiſſe credimus, ipſi quoque mente in cæleſtibus habitemus. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum.* Reſp. *Amen.*

Ac talis quidem ſupereſt huiuſce Proceſſionis ritus.

CAPVT XX.

Dinienſia Sacella, & Virorum Religioſorum Cænobia.

VIx porrò eſt neceſſe, vt quidpiam ſubiiciam de locis aliis minoribus, ſeu Ædiculis, ac Sacellis, in quibus ſiue intra, ſiue extra vrbem, aut ſolitum eſt, aut deſiit Sacrum celebrari. Inſigne præſertim Sacellum D. Ioanni nuncupatum, in Caſtro Epiſcopali fuit. Hoc fuiſſe etiam Eccleſiam dictum, ex Archiuis Aqueoſibus, ac Regiſtro Pergamenorum vocato, intelligitur. Siquidem Homagium Hugonis Digneuſis Epiſcopi, anno M. CC. XXXVII. prid. Id. Ianoarias, dicitur *Actum Digna, ante Eccleſiam B. Ioannis: Teſtes Romeus*, &c. Superfuere eius Parietes durabiliſſimâ ſtructura, ad ſuperiores vſque annos, per quos viui, cæſi, quadratique lapides quibus tam interiùs, quàm exteriùs commodè iebantur, auulſi fuere; & ſola maceries quaſi excoriata, ac ideò adſpectu deformis, remanſit. Dixi iam de Sacello S. Michaëlis, etiam diruto, & ex parte iam cedente in vicum, apertum nuper ex Plateæ maioris ſuperiore parte in Nuodinarum pratum.

Supererat adhuc, me puero, maceries Sacelli S. Catharinæ, quod fuerat extra Portam Vbaci, & ad læuam quidem, ac ſub vrbis muro; verùm fuit illeic deinceps conſtructa, erectáque domus, idque annuente Capellano, qui ob reditus olim ſatis pingues, celebrare illeic frequens tenebatur. Vt paucis dicam; ex variis Sacellis, quæ intra Vrbem, aut iuxtim erant, duo ſolùm ſuperſunt, in quibus Sacrum etiam-num fiat. Vnum, quod antè diximus in Solarij boüm ſuburbio, & *Matris Dei*, ac *Dominæ noſtræ de Conſolatione* nomine venire: alterum, quod eſt Noſocomij, ſiue Hoſpitalis in Trauerſiæ ſuburbio, idque, ex quo tra ſlatum in eum locum fuit, quod Hoſpitale

erat in Burgo : eo putà loco, quem eſt antè dictum appellari adhuc Hoſpitale vetus; quod contigit quidem ante annos trecentos. Exſtat ſcilicet in actis Filioli, Ioannem Iordanem Canonicum, Officialemque Dignenſem, fuiſſe Hoſpitalis vltimum Rectorem, anno M. CCC. XXXVII. cùm id foret octo antè annis Capitulari menſæ adnexum.

Ad cætera ab Vrbe remotiora quod ſpectat; ea partim adhuc integra conſtant, vt quod diximus prope Burgum S. Ioannis Chryſoſt. vt quod eſt Noſocomij, ſiue Leproſariæ S. Lazari, verſus Africum (qui locus Leproſis ab annis XXX. aut XL vacat) vt quod eſt S. Michaëlis in monte Coſſono, ad meridiem poſito; vt quod eſt S. Pancratij in monte ad orientem ex illius nomine dicto: Partim habentur inſtaurata, refectave recentiùs, vt quod eſt S. Ægidij ad Balnea, quodque vltra Mardaricum, ac ad boream, S. Martini; partim diruta penè iacent, aut pridem, vt quæ fuere olim S. Iacobi, & S. Claudij, quibus adhuc locis nomina ſuperſunt; vnius citra S. Martinum, alterius non-nihil vltra Burgum: aut nuper, vt quod diximus inter Ciuitatem, & Burgum, S. Sebaſtiani: quod licet à me vſque adoleſcente inſtauratum bis fuerit; iam tamen eſt prorsùs exæquatum ſolo. Hinc deſiit in iſtis Miſſa celebrari; &, cùm adhuc celebretur in aliis, id fieri tamen ſolet dumtaxat aut æſtiuis temporibus, vt in Sacello S. Ægidij, donec vſus Balneorum eſt; aut ſemel quotannis, & quandò ad illa Proceſſione acceditur; vt circa Sacellum S. Chryſoſtomi eſt dictum. Diſcedi autem proceſſione ſolet antelucano tempore, cùm ad montem S. Pancratij feſto eius Sancti die pergitur; & maturiùs adhuc, cùm ad montem Coſſonum, vt diſtantiorem, niſi ipſo Feſto apparitionis Archangeli; at aliquo ſaltem Feſtorum conſequentium, ac potiſſimum tertio Pentecoſtes.

Hiſce ergo dimiſſis, memorare præſtat, quæ Cœnobia, ſeu Monaſteria tam virorum, quàm fœminarum, partim extra Vrbem, partim in Suburbiis viſuntur; præter vnum, quod fuiſſe pridem ex variis actis intelleximus. Ab iis autem, quæ attinent ad Viros, vt incipiam; dicere primùm decet Cœnobium, ſiue Conuentum Fratrum Minorum, quos Cordigeros etiam dicunt. Is Conuentus eſt Ciuitati ad Boream, vltra, proximéque Mardaricum ſitus. Dicitur ipſum B. Franciſcus, cùm hac in regione aliquandiù commoraretur, condidiſſe. Non longè certè ab illius temporibus conditum fuiſſe comprobari vel ex eo poteſt, quòd cùm Vir ſanctus anno M. CC. XXVI. obierit, memini legiſſe inter quædam acta in eodem Conuentu reperta, *Raymundum de Sparrono, militem, dominum Palli, donaſſe Conuentui Fratrum Minorum Digna, rogatum nempe à Principe Salerni, ius omne, quod habebat in ripagio Bleibona, bedali Molendini, &c.* idque anno MCC. LXXXII XVIJ. Februarij: ac priùs quoque, hoc eſt anno M. CC. LV. emptum fuiſſe in gratiam Conuentus, iter quoddam proximè ipſum; & pretio quidem ſolidorum centum. Quam annoſam Vlmum videre adhuc licet accedentibus ad veſtibulum, credibile eſt ſatam fuiſſe ab illis vſque temporibus, ſiue habuiſſe eadem cum Conuentu cunabula; vnà cum alia paris ætatis, quæ ex igne caſu admoto annis nuperis conflagrauit. Senſit verò hoc quoque Cœnobium Caluiniſtarum iniurias; quippe ab iis propè in cineres verſum. Vidi ipſe Eccleſiam ſemirutam adhuc, quæ tota iam contecta eſt vti & quædam Religioſorum domicilia in dies reficiuntur. Quæ extant adhuc Parietinæ, argumento ſunt fuiſſe inſignem domum.

Anni ampliùs triginta ſunt, ex quo quæ aula Refectorium fuerat, cuiuſque parietes ſemiruti adhuc conſtabant, exædificata fuit, verſáque in Eccleſiam, quam vocatorum Pœnitentium, Diſciplinatorumve (eorumque alborum) Capellam, & Caſetiam vocant. Ij nempe locum iſtum quæſierunt, illo dimiſſo, qui ipſis fuerat, ante annos ab hinc LXXV. conceſſus, apparatuſque in Burgo; quique adhuc cohæret Eccleſiæ ingredientibus in ipſam, ad læuam. Exſtat quippe Bulla Aueniоne obtenta à Cardinali Arminiaco, anno M. D. LXXIX. ac die Maij ſeptima, qua continetur, *Fundatio Societatis Diſciplinatorum, ſeu Pœnitentium, in Capella aliqua constructa, vel conſtruenda in Eccleſia Cathedrali Dignenſi; requirentibus Hieronymo Ianſelmo Archidiacono, Claudio Matherono Canonico, duobus Beneficiatis, & plurimis Ciuibus.*

Prætereo ex hocce Conuentu viros aliquot celebreis produiſſe. Imprimis verò, vt certè eſt fama, Franciſcum illum de Mayronis, qui ſolet in Scholis, ac apud ſuos, potiſſimùm, Illuminatus Doctor citari; quique ſub annum M. CCC. XV. author fuit Pariſiis Sorbonici illius actus, quo ſingulis diebus Venereis à ineunte Iunio in ineuntem Nouembrim Baccalaureorum vnus reſpondet argumentationibus cæterorum, ab hora vſque ſeptima matutina, in veſpertinam quintam; idque ſine præſide, ſine ſocio, ſine prandio, ſine emigratione ex ſede. Exſtitiſſe hunc memorant à ſacris confeſſionibus beatis Elziario, atque Delphinæ. Deinde Hugonem, de Digna vocatum, qui in Concilio, non memini quo, appellatus eſt Doctrinæ mirandæ, & ſanctitatis profundæ vir. Ac rursùs Vitalem de Furno, qui & Vercellenſis Epiſcopus fuit, & Cardinalis etiam. Obiit autem Aueniоne tempore Ioannis XXII.

Dicendum ſecundo loco eſt Cœnobium Fratrum vocatorum Sanctæ Trinitatis, & Redemptionis Captiuorum (Mathurinos quoque vocant alibi, maximéque Pariſiis) quod ſitum in Monte, qui ad læuam, Boreamve Burgi attollitur, ipſique imminet deflectendo in Cæciam. Eccleſia hæc eſt, quam antiquæ Bullæ Eccleſiam S. Vincentij ſupra Burgum dicunt. Prioratus erat, quem cùm anno M. CCCC. XCV. Michaël Cancellus Beneficiarus obtineret, Antonius Guiramandus Epiſcopus, reſignante Cancello, & aſſentiente Capitulo, deſtinauit, aſſignauit, &, vt cum ipſo Notario loquar, incorporauit Ordini Religioſorum huiuſmodi, fecitque adeò ex Prioratu vocatam ab illis Adminiſtrationem. Res acta fuit cum Fratre Antonio

Creyſ

Creyſcaſſio conuentus Montis-peſſulani, pactumque inter cætera eſt, *vt Adminiſtratione vacante, Epiſcopus Miniſtrum creet Religioſum idoneum: vt Miniſter, vel eius Vicarius quotannis interſit Epiſcopali Synodo ſoluatque Epiſcopo duos aureos; vt cum ſuis Religioſis, & Cruce Proceſſionem aſſociet, quoties per Clerum Dignenſem fiet; vt de bonis acquirendis, Laicorum inſtar, decimas perſoluat, &c.*

Neque verò hic quoque Connentus expertus non eſt Caluiniſtarum iniquas manus: vnde & moltis annis manſit dirùtum, ac ſine vllo Religioſo, quò vſque ſub finem ſuperioris ſæculi, Honoratus Blancus Canonicus bonorum Conuentus curator, tum religioſum indumenrum adoleſcenti bene nato, xeſtirnendæque domus appetenti, Ioanni Blanco contulit; tum ipſius curæ rem totam commiſit. Is autem & confirmationem à generali Miniſtro obtinuit; & Romam profectus Sæculari anno, Indulgentialeis Bullas attulit; & eo deinceps labore, eáque induſtria ſudanit, vt ſecum alere primò vnum, mox duos Religioſos potuerit; & tum Eccleſiam, tum etiam domum magna ex parte inſtaurârit. Res eò ſubinde proceſſit, vt Religioſi non modò ſiut duplò, triplóve numeroſiores; ſed domum etiam nuper quæſierint, Eccleſiamque exſtruxerint, prope Portam eius Suburbij, quod obſeruatum ſuperiùs eſt Pedem Vrbis appellitari.

Tertiò Cœnobium Fratrum Minorum ex reformata Obſeruantia, quos Recollectos nominant, quod in Suburbio Solarij boùm, ſeu ad ortum Vrbis eſt ſitum. Id fundamenta prima habuit anno huius ſæculi tertio, vbi ipſe hortos memini vidiſſe: ac primum eſt eorum, quæ in tota Pronincia, quam S. Ludonici dicunt, conſtructa poſt Reformationem ab vſque fundamentis fuere. Qui illa & iecere primi, & promouere aliquò vſque, fuere Patres Fulco, & Ribera concionatores egregij, vnà cum Patre Michaële, Religioſo optimo, qui cùm præeſſet facricæ, & delinearet neſcio quid in ipſo Eccleſiæ fornice, cum machina tota corruit, ac interiit.

● Denique tacendum non eſt, Iſabellam Falconiam, piam admodùm fœminam, Guillelmi illius Proſeneſcalli, de qno dictum ſuperiùs, filiam, & virorum nobilium Franciſci Villa nouani, Flayoſcei primùm, ac deinde alterius. Franciſci Villa nouani Spinoſæi viduam, cùm ante ſex annos Pauperes hæredes inſtitueret, legaſſe inter cætera, Patribus Societatis Ieſu prædia vrbana, & ruſtica, quorum reditus Manſioni, vt vocant, Religioſorum quatuor ſufficiant. Ipſis eſt à duobus iam annis commiſſa publici Collegij, in quo Literæ humaniores docentur, cura. Eſt verò ſanè vel ipſorum occaſione non reticendum, eximium illum Ludouicum Richeomum, virum in ea Societate ſcriptorum facundia, eruditione, copia celebrem, fuiſſe ex hac vrbe oriũdum. Memini, cùm anno huius ſæculi v. ipſam reuiſiſſet, ac inuitatus fuiſſet à conciuibus, vt dignaretur Patriam concione quadam publica, cœpiſſe illum ab hoc exordio, *Quadraginta anni iam ſunt, ex quo mihi Dominus, vt olim Abrahamo dixit, Exi de terra, tua & de cognatione tua, & de domo patris tui; & veni in terram, quam monſtrauero tibi.* Scilicet tantum temporis erat, ex quo Societati nomen dederat, neque deinceps repetierat lareis.

Capvt XXI.

Dinienſia, quæ pridem, ac iam, Fœminarum Religioſarum Monaſteria.

AD Fœminarum Monaſteria quod ſpectat: duo imprimis ſæcula ſunt, ex quo vnum (de quo ſuperiùs quidpiam eſt inſinuatum) deſiit, vel potiùs aliò tranſlatum fuit; quod, quantum licet coniicere, ordinis fuit S. Auguſtini. Id ſitum fuit Vrbi ad Boream, ac vltra Mardaricum, ſed Bledonam propiùs, quàm Conuentum Cordigerorum. Nimirùm eſſe proximè debuit Molendinum illud, quod etiamnum Monialium dicunt, è regione putà Epiſcopalis caſtri; quandò &, cùm Turris horologij, Caſtro olim contigua, conſtructa fuit anno, vt jam attigi, M.CCCC.XIV. legitur in Regiſtris vrbis, *eam fuiſſe completam ex parte Monialium, ex parte Aquarum-calidarum, ex parte Epiſcopatus, ex parte Ciuitatis* qua deſcriptione deſignantur quatuor cæli partes, ſeptentrio, meridies, occaſus, & ortus. Quod mihi occurrit monumentum illius antiquiſſimum, non ſuperat annum M.CCC.LXVII. Illud autem eſt teſtamentum Iſnardi Ayme, in quo legatum legitur factum *Conuentui Monialium S. Catharinæ Dignenſis.* Succurrit aliud anni M. CCC. XCIII. quo habetur, *Ioannem Ferandum Clericum Beneficiatum S. Mariæ Burgi, fundaſſe Capellaniam valoris centum florenorum, pro prouiſione vnius Capellani, qui celebrare, & ſeruire deberet Dominabus Monialibus.*

Eodem tempore Abbatiſſa fuit Iſnarda Bondaneria, quæ triennio pòſt legitur *locaſſe domum infra Ciuitatem Digna; arrendaſſe terram in territorio de Ceis*(io quo etiam Beatrix Liautauda Monialis *arrendaſſe* eodem anno legitur *quandam ſuam vineam) vendidiſſe fructus, & gauſidas cuiuſdam prati in territorio de Ozeda, ad S. Columbam*(id pratum Monialium adbuc vocitant) denique *conduxiſſe quendam Iacobum Guibelum de Pratis, qui promiſit ſtare cum Dominabus Monialibus Monaſterij S. Catharinæ Digne, hinc à Feſto Conceptionis proximo, in vnum annum, & promiſit legaliter ſeruire Dominæ Abbatiſſæ, & aliis Dominabus dicti Monaſterij, earumque præcepta & negotia facere: Et vice-verſa Domina Iſnarda Bondaneria eidem pro ſua mercede promiſit decem florenos auri, & vnum florenum pro ſuis indumentis, & quindecim dies tempore meſſium.*

Ad annum deinde M. CCCC. XX. legi *Ioannem Amabenqui, de Digna promiſiſſe venerabili, & religioſæ Dominæ Batronæ Matharonæ, Abbatiſſæ Monaſterij S. Catharinæ Dignenſis, Catharinam filiam ſuam ponere Monialem. Promiſit autem dare XXV. florenos ſoluendos intra quinque annos, ſcilicet quinque quolibet anno; ex quorum,*

quorum, ſuper idoneo mercatore poſitorum, fructu, teneantur prædictæ Catharina prouidere, & poſt eius mortem perueniant ad Monaſterium. Pendente ſolutione teneatur pater induere, & calceare. Promiſit dare vnum lectum, & vnam raupam de blanqueto. Catharina vidua Roſtagni Neuery promiſit raupam de blanco pretij trium florenorum. Iacobus Pauloni quinque florenos pro vno mantello, intra tres annos. Pater vnam caceam. Quo eodem modo poſt ſexennium Ludouica Gauteria Abbatiſſa, & aliæ Moniales *confeſſa fuerunt habuiſſe xxv. florenos, & caceam pro Monialis* alterius *ingreſſu.*

Ad annum poſteà M. CCCC. XXX. hæc legi in actis Bertrandi Iſnardi. *Venerabilis, & religioſa Domina Brianda Trimenda recepta fuit in Abbatiſſam Monaſterij ſanctæ Catharinæ Ciuitatis Digna, vt fertur, adunati cum Monaſterio de Subripis, de voluntate reuerendorum in Chriſto Patrum Dominorum Epiſcoporum Dignenſis, & Vapincenſis, ſub quorum Diœceſibus dicta Monaſteria continentur, & per venerabiles viros dominos Bertrandum Beſſoni, & Guillelmum Roſtagni Canonicos, Vicariósque generales dicti Domini Epiſcopi; & præſentibus ibidem nobilibus viris Raynaudo Benedicti de Siſtarico, Baiulo, & Capitaneo Regio præſentis ciuitatis Digna; ac Ludouico Rodulpho, & Ioanne de Corbonis Syndicis eiuſdem Dignenſis ciuitatis; ac quamplurimis alijs dominis dictæ Eccleſia, & Burgeſibus de Villa: per traditionem Croſſe, oſculando Altare, & deinde ſedendo in Choro, in Cathedra maiore, cum Cantico Te Deum laudamus*, &c. *Quæ quidem iurauit ſuper Te igitur, in Miſſali, & propoſito ſuper altare, de duabus ſuis manibus, officium dictæ Abbatiæ bene, & fideliter exercere.*

Cùm acta deinceps varia huiuſce Trimondæ occurrant; vt die inſequente Procuratio per ipsá, & quaſdá Moniales, *præſentibus, conſentientibuſque dictis Vicarijs*, & triennio pòſt Venditio *domus in carreria portalis Durandorum*; & anno M. CCCC. XL. menſe Aprili, Tranſactio quædam: Tum ad hunc annum, & menſe Octobri legitur in actis memorati Iſnardi, *Syndicos vrbis ſupplicaſſe Ioanni Rodulpho Sacriſta, & Vicario generali in ſpiritualibus, & temporalibus Reuerendiſſimi in Chriſto Patris Domini Dom. G. Dei gratiâ Dignēſis Epiſcopi, Cardinalis S. Martini, vt Abbatiā conferre vellet Ioāne de Medullione*, &c.

Porrò contulit ille quidem; ſed Abbatiſſa non multò pòſt Moniales exinde abduxit, tranſtuliſque Siſtaricum, & in eo fuit, vt hoc Monaſterium, perinde ac illud de Subripis, addiceret menſæ Monaſterij S. Claræ Siſtaricenſis. Hinc enim eſt, cur ſtatim anno M. CCCC. XLI. legatur, *Antonium Alamandi loci de Subripis, Procuratorem Abbatiſſa S. Catharina Digna, & de Subripis, locaſſe domū illarum in carreria Portalis Durandorum, iuxta procurationem, ſeu ſchedulam ſcriptam manu Franciſci Audiberti Siſtaricenſis Canonici, & prædictorum Monaſteriorum Factoris, ſubſcriptum verò manu Domina Abbatiſſa* Anno autem M. CCCC. XLIX. ex Regiſtris Ioānis Filioli habeatur, duos Canonicos fuiſſe à Capitulo deputatos *ad tractandum cum Domina Abbatiſſa Monaſteriorum ciuitatis Digna, & de Subripis vnionem, ſi fieri poteſt, Monaſterij S. Catharina ciuitatis Digna, cum Dignenſi Eccleſia, coram Domino Cardinali de Fuxe, & Domino noſtro Papa Eugenio, &c. Attento, quòd ipſum Monaſterium iam eſt depopulatum, & dictum prœruerit, propter abſentiam dominarum Monialium, nunc abſentium, & nullus cultus diuinus ibidem celebretur; quæ omnia ſe praſtò offerrent ipſi Domini Canonici fideliter adimplere*, &c. Et ad annū M. CCCC. LXI. in Regiſtro Hugonis Bonifacij, hoc exſtet: *Iſnarda de Marculfo, Monialis, Vicaria nobilis, & magnifica Domina Ioanne de Medullione, Abbatiſſa Monaſterij Digna, Siſtarici, & de Subripis, Procuratorem conſtituit ad conſtituendum quemdam crotonum, in apotheca domus dicti Monaſterij ſita Digna, in porta Durandorum.* Ac iterùm in eodem, *Nobilis, magnifica, ac religioſa Domina Ioanna de Medullione, miſeratione diuina Abbatiſſa Digna, Siſtarici, & de Subripis, conſtituit Procuratores ad exigendum, leuandum, recipiendum, acquittandum, &c. Actum in Focanea dicti Monaſterij Siſtarici.*

Et quo deinceps quidem Monaſterij bona euaſerint, mihi incōpertum; videtur certè is, quem attigimus, Capituli conatus fuiſſe irritus (vtcumque anno M. CCCC. LXX. lis ipſi fuerit, neſcio quæ, ob quam poſtulauit exemplum Acti illius, quo Ioannæ de Medullione facta collatio Monaſterij fuerat) ac ſi quidpiam emolumenti quæſitum cuipiam exinde fuit, is Epiſcopus eſſe potuit, ad quem anno iam M. CCCC. LXXXV. Molendinum illud Monialium vocatum attinuit, quod & Ciuitati deinceps in accapitum, ſeu Emphyteuſim dedit, ſub florenorum octodecim cenſu; qui anno M. DC. XVII. tranſactione inter Epiſcopum, & Ciuitatem inita, redactus fuit ad florenum vnum. Atque hæc quidem ſunt, quæ mihi innotuerunt de Monaſterio huiuſmodi; quæque paullò fuſiùs ideò retuli, quòd ignorari prorsùs viderem, tale ne aliquando Monaſterium fuiſſet.

Hinc parcior ero in commemorandis duobus recentioribus Monaſteriis, quorum vnum eſt Monialium, ſeu Religioſarum à viro eximiæ ſanctitatis, beatiſſimæque memoriæ viro, Franciſco de Sales, Geneuenſi Epiſcopo inſtitutatum, vocatarúmque beatæ Mariæ, ſeu Viſitationis; alterum nuncupatarum ſanctæ Vrſulæ, Reformatarum, concluſarúmque.

Priores acceſſere ad Vrbem anno M. DC. XXX. ac menſe Septembri, deducente Ioanna Helena Gerarda, quæ Ebredunenſibus præerat, quæque inde diſcedens, Præfectam reliquit Philibertam Pinæam, vnà cum Adſiſtente Auguſtina Quinſonia, quæ, illâ breui fatis functâ, ea deinceps comitate, ac ſapientia Religioſis præfuit, vt eæ ipſam continenter Præfectam expetierint (quantúmque etiam pro inſtituto fas fuit, obtinuerint) ac eâ prudentiâ Monaſterium, eiuſque negotia curauit, vt inſigne iam in extremo Traverſiæ Suburbio exædificatum viſatur.

Poſteriores verò aceeſſere anno M.CC.XLII. menſe Maio, deduceure ipſas ab vſque Æmarorum monte (*Montelimar*) Elizabetha Calneria, quæ & illis in ſexennium præfuit, & regreſſa eſt, cùm poſt illud tempus, præfecta fuit eius loco Mattha Iaubetta, ipſa quoque ſingulari prudentia, benignitatéque, vnà cum Tereſia Furneria Adſiſtente, moderans familiam, ac eo rem deducens, vt iam exſtructum magna ex parte extra, ac infra Balneorum Portam, inque ipſo ſuburbio egregium Monaſtêrium ſit, quod excipere familiam potuerit ab vſque ſuperiore anno.

CAPVT XXII.

Cætera per totam Dinienſem Diœceſin Eccleſiæ; itémque Regia Decima.

NVnc, cùm ſubiiciendum quidpiam videretur de Eccleſiis, ſeu Sacerdotiis, Beneficiiſve cæteris, quæ in Diœceſi reliqua ſunt; immorandum tamen in ipſis commemorandis minimè eſt; cum paucis ſufficiat Diœceſin eſſe adeò arctis finibus concluſam, vt in ea non numerentur plures Parœciæ, ſeu, vt vocant Curæ, quàm viginti ſeptem; plures Prioratus, quàm duodecim; plures Capellaniæ, quàm viginti, & vna. Quò fit, vt demirer, vnde accipere potuerit Robertus, quod in Chriſtiana ſua Gallia ait, eſſe in Dinienſi Diœceſi Parœcias circiter *centum & octeginta quinque.* Vix certè aſſurgunt ad hunc numerum, ſi non modò Parœciæ, ſed etiam Prioratus, Capellaniæ, & quotquot prætereà Sacella, minutioráque Oratoria, quæ tota Diœceſi reſperſa ſunt, connumerentur. Minùs mirandum id, quod habetur in Notitia Diœceſeon vniuerſalis Eccleſiæ, eſſe in Diœceſi Dinienſi Abbatias duas, vnam *de Truchete*, ſiue *Tiruchete* (dici *de Cluchetrete* debuit) *Ordinis ſancti Benedicti*; alteram *Noſtra Domina*, ſeu *B. Mariæ de Villa veteri* (vulgò *Faille-feu*) *Ciſtercienſis Ordinis:* Quippe licet iam ſint Prioratus ſolùm, quorum ille ad Abbatiam ſancti Victoris Maſſilienſis, iſte ad Abbatiam Cluniacenſem pertinet; Ij nihilominùs ab initio ſpeciales Abbatiæ fuere. Vtcumque ſit; quem numerum Parœciarum, Prioratuum, Capellaniarum refero, conſtat ex Elencho, ſeu Catalogo Beneficiorum Diœceſeos Regiis Decimis obnoxiorum.

Videretur etiam occaſione hac quidpiam attexendum de his Decimis: ſed abundè erit, ſi attigero ſolùm, cùm anno M.D.XVI. Inuentarium redituum Beneficiorum omnium totius Regni confectum fuit; Petrum de Brandis ad hoc negotium in noſtram Prouinciam deſtinatum, comperiſſe omneis totius Diœceſeos, hoc eſt, tam Epiſcopatus, & Capituli, quàm Beneficiorum cæterorum reditus, non excedere quinquies mille, octingentos, & quadraginta ſex florenos, cum ſolido vno, & denariis turonicis quatuor; quorum proinde decima pars Regi perſoluenda floreni forent quingenti octoginta quatuor, cum ſolidis ſeptem, & quatuor denariis; ſeu, reductione in libras facta (vti factum ab anno vſque M.D.LXXX.) libræ turonicæ trecentæ quinquaginta, cum ſolidis quindecim, & denariis tribus.

Et Decima quidem deinceps variè multiplicata eſt; Nam illo v.c. anno M.D.LXXX. cùm e ter-decies centenis millibus librarum annis ſingulis in ſexennium à Regni Clero penſitandarum, taxata foret Diœceſis hæc libris mille trecentis vna, ſolidis quatuor, denariis quinque: non ſolùm Decimam ter ſumptam, hoc eſt libras mille quinquaginta duas, ſolidos quinque, denarios nouem; ſed etiam id, quod defuit ad ſummam taxatam pendere oportuit; effectúmque paullatim, ac progreſſu temporis eſt, vt ſumma huiuſcemodi librarum mille trecentarum vnius, ſolidorum quatuor, denariorum quinque, pro Ordinaria decima habeatur (videlicet, quòd ipſa iam pendi minimùm ſoleat; ac familiare nimis-quàm ſit, vt alia extra ordinem corrogetur) hæc quidem, inquam, facta deinceps multiplicatio Decimæ: At nihilominùs, ſiua Ordinaria, ſiue Extraordinaria Decima perſoluenda ſit, illa ipſa, quàm primùm dixi librarum trecentarum quinquaginta, ſolidorum quindecim, denariorum trium, eſt ſemper quaſi Modulus; vt qua proportione iſta ab initio ſolita fuit à ſingulis Beneficiatis exigi (veluti ab Epiſcopo libræ centum viginti ſex, ſolidi octodecim, denarij nouem; à Menſa Capituli libræ triginta vna, ſolidi duodecim, denarij ſex; à Præpoſito libræ ſex, ſolidi nouemdecim, denarij ſex, atque ita de cæteris) eadem reliquæ ſummæ exigantur.

Prætereo autem, quoties Diœceſeos Clerus harum Decimarum occaſione cogitur, ſiue conuenit, intereſſe Cœtui, & Epiſcopum (ad quem pertinet conuocatio) illiúſve Vicarium; Syndicos ex Capitulo duos) quaſi vnus pro Capituli Menſa, alter nomine Præbendatorum ſit) ex Curatis itidem duos, ex Prioribus verò vnum. Quamobrem vnus additus ex Capellanis non ſit; facilè dici cauſa haud poteſt. Conuocatur autem potiſſimum Clerus; vt aut decernatur, vnáne decima, an plures (qualis nempe, & quantus memoratus mox modulus) exigendæ in annum ſint, vel certè in partem anni alteram (quando bis in anno penſitatio fit, putà perendiè Eidus Februarias, & Kalendis Octobribus) aut Decimarum acceptarum, & impenſarum ratio ab Exactore repetatur; aut eligatur, qui ſuffragium ferat in Prouincialibus, Metropolitaniſve Comitiis, quæ Ebredunum conuocantur, cùm ſunt eligendi, qui ſuffragia ferant in Comitiis Cleri Gallicani generalibus, quæ & rationem ab Exactore Decimarum generali poſcant; & de vlteriùs penſitandis cum ipſo Rege contrahant. Prætereo item, ſi qua controuerſia Decimarum occaſione intra Diœceſin ſuboriatur, quæ ab iſto Epiſcopi, & quinque Syndicorum Cœtu dirimi non valeat, ſupremam eius cognitionem deferri ad eam Iudicum Decuriam, quæ diſceptandis id genus cauſis Aquis-Sextiis eſt inſtituta.

Creari

Creari porrò Syndicos Capitulareis moris eſt in generali Capitulo, quod ad feſtum S. Martini celebrari antiquum eſt. Solitum aliquando fuit non in ipſo die feſto celebrari; Sed die Veneris proximè inſequente; idque imitatione alterius generalis Capituli, quod dicebatur Corporis Christi; nempe iſtud poſtridie feſti, hoc eſt die Veneris habebatur. Cùm verò illud Sancti Martini inuariatum permanſerit; iſtud in alia tempora aliquando inciderit; comperitur tamen habitum conſtantiùs Kalendis Auguſti, ſeu feſto S. Petri ad vincula; cum continuatione dierum inſequentium. Prorogabatur certè aliquando vltra diem vigeſimum; maximéque cùm Chartularia, Inuentariáve bonorum, ornamentorúmque Eccleſiæ forent conficienda. Ex quadam huius imitatione, cuius memoria euanuerat, conſtitutum eſt ante aliquot annos, vt generale Capitulum poſtridie feſti Aſſumptionis (aut ſaltem perendie, ſi fortè Dominica obſtiterit) eo præcipuè fine habeatur, vt creetur Oeconomus, bonorumve Adminiſtrator; quippe quòd ex eo vſque tempore, qui frumenti, vinique ſunt reditus, percipiendi occurrant. Quamobrem porrò euenerit, vt cùm pridem Syndicorum alter foret ſemper Præpoſitus, aut vnus antiquiorum, peritiorúmque ex Capitulo; ambo tamen iam ab aliquot annis creentur per turnum, ſeu ex ordine (ſicque plerumque aut iuniores, aut inexpertiores rerum ſint) nihil eſt neceſſe commemorare.

Ad Syndicos alios, putà Curatorum, Priorúmque, quod attinet; creari illos moris eſt in Synodo Epiſcopali. Pro more autem antiquo eſt, vt Synodus hæc celebretur ad feriam tertiam, quæ ſequitur Dominicam ſecundam poſt Paſcha; maximéque, tum quòd Curati per id tempus recente ſint memoria eorum, qui per feſta Paſchalia exhibuerint ſe, aut non exhibuerint Chriſtianos, poſſintque adeò commiſſi gregis rationem quiſque reddere: tum quòd, cùm proinde agatur, agendumve ſit in ea Synodo de Paſtorum cura, & officio; appoſitè id fiat, occaſione eius Euangelij, quod tunc legitur, *Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oues meas*, &c. Solet tamen iam, ſi fortè non vacet tum temporis Epiſcopo, in alium diem, imò & in aliam tempeſtatem Synodus indici. Præterea moris olim fuiſſe, vt Synodus bis quolibet anno conuocaretur, continuaretúrque etiam in treis dies; ſemel ſcilicet ad diem memoratum, & ſemel ad Lucalia. Sed faciendus his modus eſt.

PARS TERTIA.

Qua Dinienſes Epiſcopi, qui innotuere, recenſentur.

CAPVT XXIII.

Dinienſes Epiſcopi, ſed interrupta paſſim ſerie, per octingentos, nongentóſve priores annos.

SVPEREST iam, vt cognoſcamus, qui Epiſcopi à ſuſcepta fide, Dinienſi Eccleſiæ hactenus præfuerint. Cùm non potuerint verò tam multi nobis huc-vſque occurrere, ex quibus contexere ſeriem, quæ probabilitate quadam ſit habenda continens, liceat; at negligendi tamen, qui nobis occurrerunt, minimè ſunt, quòd exinde futurum ſit, vt ſi qui animum huc aduerterint, poſſint faciliùs relictas lacunas, ex iis, in quos incidere ipſis contigerit, ſupplere. Scilicet rem primùm tentare, ac omninò perficere fœlicitatis nimiæ foret: ac in iſto rerum genere præſertim, in quo ſubſidij tam parum habemus à maioribus, & in quo quæ eſſe documenta poſſunt, adeò latè ſparſa habentur; adeò laborioſè quæruntur; adeò mero caſu plerumque occurrunt. Et quotcumque quidem nobis in hunc diem innotuerunt Epiſcopi, ij ſeruata temporum ſerie recenſebuntur ex ordine; at illos tamen ſic diſcernemus, vt cum per quingentos annos nuperos ea ſerie innotuerint, quæ haberi continens poſſit, ab iis quaſi ſeponamus, præmittamuſque cæteros, qui per octingentos, nongentóſve antecedenteis annos, nonniſi ea ſerie, quæ paſſim interrupta ſit, occurrerunt.

Porrò, cùm vix aliud habeamus de ſingulis Epiſcopis, quàm nuda eorum nomina, temporáque, quibus vixerunt (cùm & ſint, quos vixiſſe ſolùm aliquando cognoſcimus ex eo, quòd eſſe mortui leguntur) ideò eſt, quamobrem doleamus non poſſe à nobis contexi quampiam illorum hiſtoriolam, quæ ſucci alicuius ſit; ſed texi oporteat planè ſterilem, planéque ingratam narrationem. Quid facto tamen opus ſit, verſanti in tanta geſtarum ab ipſis rerum ignorantia; partim, quia defuerunt, qui illas ad nos vſque tranſmitterent; partim, quia fortaſſis plerumque, illi eam bonitatis notam actionibus non impreſſerunt, ob quam cara eorum memoria apud poſteros perennaret? Taleis certè paucos fuiſſe inſinuatur; ac beati omninò ſimus, ſi obſeruare aliquos liceat, quorum poſſimus iure virtutem, beneficentiámque, & amorem ſuam in Eccleſiam commendare. Illud tacendum certè non erit, vt deinceps eorum memoria in benedictione ſit, & qui ſequentur, intelligant, non poſſe ſe alia ratione recordationem ſui gratam, glorioſámque relinquere, quàm ſi ſuæ Eccleſiæ, pauperúmque amantes, bonam ſuorum redituum partem in Eccleſiæ ipſius decorem, in diuini cultus augmentum, in miſerorũ ſubleuamen,

in pios quoſque vſus impendant. Sed ſeriem ipſam aggrediamur,

S. DOMNINVS.

Nihil eſt neceſſe repetamus ex iis, quæ de ſancto Domnino primo Dinienſium Epiſcopo fuſiùs deducta iam antè ſunt. Adnotare heic ſufficit, videri eũ cœpiſſe Eccleſiæ præeſſe anno ſalutis circiter cccxiii. Quia enim ex Africa cũ Marcellino, & Vincentio in Europam traiiciens, ſalutauit cum ipſis Romę Euſebium ſummum Pontificem, anno proximè cccx. (quãdò ſedere Euſebius cœpit anno cccix. obiitque cccxi.) efficitur, vt, cùm morari duobus, tribúſve plus minùs annis, cum anteſignano ſuo B. Marcellino in Ebredunenſi Eccleſia, ſeu fundanda, ſeu ſtabilienda potuerit; debuerit ſubinde accedere Diniam eo proximè, quem prædixi, anno. De tempore obitus non tam propè conſtat, ſed cùm mortuus fuerit iam ſenex, & accedere ad Europam tricenarius iam, aut quadragenarius potuerit (fuit ſcilicet multùm ætate, quàm Vincentius prouectior) ideò videtur illius mors in annum circiter cccxl. poſſe conijci; ac ipſa quidem non antè obita, quàm Eccleſiæ curam beato Vincentio commendaſſet.

S. VINCENTIVS.

De ſancto etiam Vincentio nihil repetere eſt neceſſe: Nam & quòd ſecundus Epiſcopus fuerit, & nihil ad hoc obſtet, quòd varij Scriptores ſuggerant *Nicaſium* (qui ſolus ex Gallia Nicæno Concilio interfuit) debere inſeri, declaratum abundè eſt. Itaque heic quoque ſatis eſt obſeruare, ſediſſe illum Epiſcopum ab anno circiter cccxl quo beato Domnino ſucceſſit, ad vſque ccc.lxxv. aut aliquantò ampliùs. Videlicet, cùm interfuerit Valentino Concilio, anno, vt antè retulimus, ccc.lxxiv. non videtur deinceps longo admodùm tempore ſuperfuiſſe; quoniam, cùm ex Africa in Europam veniens, anno, vt eſt iam adnotatum, ccc.x, eſſe illum oportuerit annorum minimùm viginti; ſicque tempore illius Concilij debuerit eſſe, octogenario quatuor minimùm annis maior; videtur ſanè annis deinceps non multis vitam produxiſſe.

NECTARIVS.

Qvis inter ſanctum Vincentium, & Nectarium iſtum interfuerit, altum ſilentium. Intereſſe autem aliquem debuiſſe id ſuadet, quòd tametſi ſupponamus ſanctum Vincentium obiiſſe nonagenarium, anno ccc. lxxx. cùm debuerit tunc, qui illi ſucceſſit, eſſe minimùm tricenarius, non videtur is poſtmodùm eſſe Epiſcopus potuiſſe annis cccc. xxxix. & cccc. li. quibus Nectarij habetur mentio. Scilicet Nectarius fuit vnus Epiſcoporum tredecim, qui interfuere Regienſi Concilio, quod iam antè retulimus celebratum fuiſſe anno cccc. xxxix. ad irritandum ordinationem Ebredunenſis Epiſcopi, qui à duobus ſolùm Epiſcopis ordinatus fuerat; cùm & mulctati ſimul fuerint ordinatores Epiſcopi, & conſtitutum, quánam cota ſepeliendi Epiſcopi forent, &c. Fuiſſe porrò Nectarium, qui Cõcilio ſubſcripſit, Dinienſem Epiſcopum, quando in Epiſcoporum ſubſcriptionibus non exprimitur, id debeo citato ſuperiùs Rinieræ, qui & profeſſus eſt ſe idem debere memorato Sauarono, adiiciens, fieri etiam Nectarij eiuſdem mentionem ad annum cccc l i. ſimulque Ruſtici Epiſcopi Narbonenſis, Venerij Maſſilienſis, Valeriani Nicienſis, & aliorum; ac prætereà eſſe eundem-met videri, cuius in vita S. Hilarij Arelatenſis, meminit Rauẽnius.

MEMORIALIS.

Is ſucceſſiſſe Nectario poteſt. Etenim, vt idem indicauit Riuiera, comperitur magna cum parte Epiſcoporum Comprouincialium ſcripſiſſe ad Hilarum Papam ſuper cauſa Dienſis Epiſcopi, qui à Vienneuſi conſecratus fuerat, anno cccclxiii. Dictum eſt iam antè, vt biennio pòſt, cùm Ingenuus Ebredunenſis de obreptione literarum ab Auxanio Arelatenſi (qui ſibi illius Prouinciam affectabat ſubiicere) obtentarum, coqueſtus fuiſſet, idem Papa Hilarus cauſæ cognitionem, ac iurium inſtaurationem demandârit Epiſtola illa memorabili, quæ & ſolet interſeri Conciliis generalibus, & à Baronio his verbis refertur. *Frater, & Coëpiſcopus noſter Ingenuus Ebredunenſis Alpium Maritimarum Metropolitanus ſemper honore ſubnixus* &c.

PENTADIVS

Ita legere ſcriptum licet in antiquis Galliæ Conciliis per Sirmondum editis; cùm in editione Conciliorum generalium per Binium facta, ſcriptum extſtet, *Pendaſius*; indeque eſſe videatur vox in Gallia Chriſtiana Roberto deſumpta. Poteſt quis alius interceſſiſſe, extitiſſéve poſt Memorialem, at nihil vetat etiam illi ſucceſſiſſe immediatè Pentadium, cùm ſubſcripſiſſe legitur Agathenſi Concilio, quod, Rege Alarico (Ariano licet) permittente, conuocatũ anno dvi. eo præſertim ſine fuit, vt Diſciplina Eccleſiaſtica iam collapſa reſtitueretur. Cùm illi verò interfuerint triginta quinque Epiſcopi, noſtri Subſcriptio ita habet. *Pentadius Epiſcopus de Dinia ſubſcripſi.*

PORTIANVS.

Poteſt hic quoque immediatè ſucceſſiſſe Pentadio; ac potiſſimùm, quia iam antè excluſimus à tempore interiecto *Anentium*, qui Aurelianenſi Concilio interfuit; & quia aliunde argumento deſtituimur, quo *Sacerdotius*, qui interfuit Epaonenſi, anno dix. aſſeratur Dinienſi potiùs, quàm Dienſi Eccleſiæ; referente putà Galterio in Chronologia vtrumque legi. Eſt porrò indicatio Portiani ab eodem Riuiera; ſignificauit enim illum vnà cum Agrœcio Epiſcopo Antipolitano, & aliis, ſubſcripſiſſe iv. Arelatenſi Concilio (habent nonnulli iii.) anno dxxiv. & anno dxxvi. vnà cum Contumelioſo

Regienſi

Regienſi Epiſcopo, Concilio Carpentoractenſi. Nutom eſt verò non interfuiſſe iterùm cum Agrœcio; quoniam iſte, citatus licet, ob ordinationem factam perperam, neque acceſſit ad Concilium, neque ſui loco quempiam deſtinauit; vnde & fuit à celebratione ſacrarum Miſſarum per annum ſuſpenſus.

HILARIVS.

VIdetur hic quoque immediatè ſucceſſiſſe Portiano; legitur ſcilicet imprimis inter ſubſcriptiones Aurelianenſis Concilij V. anno DXLIX. celebrati; Childeberti putà Regis tempore, qui audire ex ore Patrum cùm alia Sacra cupiit, tum maximè Errorum Eutychetis, Neſtorijque condemnationem. Eſt autem Hilarij ſubſcriptio hac forma; *Hilarius in Chriſti nomine, Epiſcopus Eccleſiæ Dinienſis, ſubſcripſi.* Subſcripſit deinde, ipſo eodem anno, Aruernenſi Concilio II. quòd celebratum non longe poſt ipſum Aurelianenſe fuit, ad confirmandum ſexdecim illius Canones, hac forma, *Hilarius Epiſcopus Dinienſis ſubſcripſi.* Vbi aduertendum, tametſi ibidem legatur, *Baſilius Eccleſiæ Dinienſis Epiſcopus ſubſcripſi:* mendum tamen eſſe, quod exſcriptor quiſpiam *Dinienſem* pro *Glanatenſi* ſcripſerit; vt ex collatione huiuſce Concilij cum Aurelianenſi manifeſtum fit. Denique verò ſubſcripſit etiam Arelatenſi Concilio V. Childeberto adhuc regnante, anno D.LIV. hac forma, *In Chriſti nomine, Hilarius Epiſcopus Eccleſiæ Dinienſis SS.*

HERACLIVS.

ISte, vt præcedens, comperitur ſubſcripſiſſe tribus Conciliis; ac imprimis quidem anno D.LXXIII. Pariſienſi IV. quod celebratum fuit Chilperico, fratribúſque regnantibus; ſi fortè ciuilia diſſidia componi abſque bello poſſent. Eſt autem ſubſcriptio hac forma, *Heraclius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Dinienſis conſtitutionem noſtram relegi, & ſubſcripſi.* Deinde anno D.LXXXI. Concilio I. Matiſconenſi, ad reformandum Eccleſiæ mores, coërcendumque Iudæorum petulantiam, conuocato, hac forma, *Heraclius Epiſcopus Eccleſiæ Dinienſis conſtitutis noſtris ſubſcripſi.* Denique anno D.LXXXV. Matiſconenſi II. quod conuocatum iterum (& generaliùs quidem) reformandis moribus fuit, forma huiuſmodi, *Heraclius Epiſcopus Eccleſiæ Dinienſis ſubſcripſi.*

Heic adnotandum eſt, videri nihil eſſe probabilius, quàm quòd, cùm lectum cuipiam fuiſſet ſine adſpiratione, *Eraclius*, & facta deinde literarum in literam confuſione, *Eradius*, ac facili factu metatheſi, Aredius; effectum heinc fuerit, vt *Aredius* ſit creditus Dinienſis Epiſcopus fuiſſe, & non pro hoc *Heraclio* modò ſed etiam pro Hilario ſuperiore habitus; idque tam in memorato Aurelianenſi Concilio V. quàm in Pariſienſi II. quod fuit anno D.LV. celebratum, vt ex Subſcriptionibus conſtat. Videlicet, quamvis in hoc poſteriore legatur, *Aredius Epiſcopus Dien. ſubſcripſi* (intellige in Editione Conciliorum generalium; nam apud Sirmondum nihil tale exſtat) in margine tamen legitur, *Eraclius, Eradius Dignen.* Et Frontu Ducæus ſic habet; *In Aurelianenſi Concilio V. ſubſcripſit Aredius Epiſcopus Dinienſis Eccleſiæ, qui & in Pariſienſi malè Dienſis appellatur. Quod autem in margine additur, Dignen. propius ad nomen vernaculum ciuitatis illius, in Comitatu Prouinciæ accedit, quæ Gallis noſtris Digne.*

AGAPIVS, ET BOBO.

INterjecto tempore, quo ignoratur quis Heraclio Epiſcopus ſucceſſerit, celebratum eſt, Clodouæo II. regnante Cabilonenſe Concilium, circa annum DC.L. cuius Canon XX. idemque vltimus, hic eſt; *Agapium verò, & Bobonem Dinienſis vrbis Epiſcopos, pro eo, quòd ipſos contra ſtatuta Canonũ in multis conditionibus erraſſe, vel deliquiſſe cognouimus; ipſos, iuxta tenorem Canonum, ab omni Epiſcopatuum ordine decreuimus degradare.* Quamobrem porro duo fuerint, aut quibus in rebus errarint Dinienſes iſti Epiſcopi, conjecto facile non eſt; niſi quòd ſuſpicari licet, fuiſſe eos viros ambitioſos, partibus fortè ſuffragiis creatos, partibus factionibus fretos excitaſſe tragœdias, vt cõſtituiſſe, alternis viciſſe, &c. Non tacendum tamen videri Bobonem fuiſſe reſtitutum poſteriùs; & maximè quidem, ſi idem fuit Bobo, qui IX. pòſt annis ſubſcripſit Clipiacenſi Cõcilio, circa immunitatis priuilegium Monaſterio S. Dionyſij à Rege, qui primus ſubſcripſit, conceſſum. Certè vno antè ſæculo tam Salonius Ebreduneuſis, quàm Sagittarius Vaſionenſis in II. Lugdunenſi Concilio depoſiti fuere, ex Gregorio Turonenſi, per Papam poſteà reſtituti.

EMINVS.

HIc iam emioàs, hoc eſt longè, memoratos hactenus Epiſcopos conſequitur; cùm ſucceſſio vltra trecentos, & ſexaginta treis annos ignorata deſideretur. Debetur autem indicatio Epiſcopi huius, Riuieræ, qui illum detexit ex Charta Donationis factæ à Radone Ebredunenſi Archiepiſcopo Eccleſiæ S. Mariæ ad Iliopem, anno ab incarnato Domino M.XXV. regnante Rudolpho Rege, cum huiuſmodi ſubſcriptionis forma, *Sig. Radonis Epiſcopi, Eminus Dinienſis Epiſcopus firmauit. Bellonus teſtis. Goffredus teſtis. Leodegarius teſtis. Imbertus Canonicus rogatus ſcripſit. Hæc ſunt nomina Canonicorum S. Marcellini.*

VGO.

HVius indicatio à Peireskio eſt, qui ad me de ipſo hanc ſchedulam miſit. *Anno M.XL. Idibus Octobris, Vgo Dignenſis Epiſcopus cum Iſmidone Ebredunenſi, Raimbaudo Arelatenſi, Petro Aquenſi, Leodegario Viennenſi, & aliis Prouinciæ Prælatis, Maſſiliæ ſubſcripſit priuilegio per Benedictum Papam IX. conceſſo Monaſterio S. Victoris Maſſilienſis.*

LAVGERIVS.

INdicauit iſtum Rioiera, actum citans è quo eum deduxit, anno Domini M.LXV.

confectum in fauorem Eccleſiæ S. Ceciliæ in Comitatu Ebredonenſi; per Guiramannum Archiepiſcopum, vnà cum Laugerio Dignenſi Epiſcopo, & Canonicis Terberto, Verano, Vmberto, & Gala.

GVIDO.

DEbetur hic quoque Riuieræ, qui eruiſſe ic illum ſcripſit ex Tranſactione inter Abbatem S. Victoris Maſſilienſis, & Iſoardum Nothum, inita, anno M. C. XLVI. coram Guillelmo Epiſcopo Ebredunenſi, & ipſo Guidone Dignenſi Epiſcopo.

Qui ſine anno innotuerunt.

CVm interjectus porrò hiatus inter Laugerium, & Guidonem, octoginta annorum ſit, ac viuere in eo tres aut quatuor Epiſcopi potuerint: cùm item à Guidone, aut ab vſque anno, quo Tranſactioni illi interfuit, anni tres ſupra triginta ad vſque Guillelmum electum intercorrerint, ac potuerit rurſus per id interuallum alios ſedere Epiſcopus; an conijcere in hunc locum Epiſcopos aliquot liceat, quorum nomina quidem nota, ac etiam dies obitus; at non perinde annus, quo obierunt, neque ordo, quo inter ſe, aut cum cæteris extiterunt? Certè, cùm taecendi non ſint, & ratio nulla ſuadeat eos alium in locum inſerere; non videtur planè abs re illós heic loci, quaſi Guidonem circumſtiterint, memorare. Quin etiam, cum Codex, ex quo eruti fuere, vix eſſe videatur hoc tempore antiquior, & quæ tempora fuere conſequuta, non videantur poſſe illos capere; conſtat propè illos ad tempus huiuſcemodi pertinere.

Is verò Codex non alius eſt, quàm antiquum Martyrologium in Eccleſia noſtra legi ſolitum, ante Tridentinum Concilium admiſſum. Non ſanè, quòd ipſe hoc Martyrologium vnquam viderim; ſed quòd, cùm ante annos triginta memoratus antè Franciſcus Villa-nouanus Flayoſcens ipſum neſcio vnde obtinuiſſet, ex eoque eruiſſet adſcripta quædam ad marginem, &, me abſente Aquis-Sextiis, miſiſſet illa Pariſios ad illuſtrem Peireskium; ipſe Peireskius mecum deinde autographum ipſum Flayoſcei communicârit. Ac nihil quidem, Flayoſceo fatis intereà functo, non egi, ſi quà poſſem Codicem ipſum conſpicere (quando ille nou fuit Eccleſiæ, Capitulóve reſtitutus) at non licuit mihi eſſe. adeò fœlici. Solatio fuit tamen, obtinuiſſe Exſcriptum Viri nobilis, atque eruditi; quippe in quo nihil fuerit eorum, quæ ſcite præſertim intereſſet, omiſſum.

Ex eo itaque mihi conſtitit, cùm in ſerie Martyrologij per ſingulos anni dies distributi, pluſculi eſſent verſus ad dies ſingulos, quibus ea continerentur, quæ legenda dictim forent; idcircò abundè fuiſſe marginis, vt poſſent quæ digna præcipuè memoratu forent, conſcribi. Fuiſſe proinde, cætera inter, ad marginem diei cuiuſque adſcriptum, quis illo obiiſſet, legato quopiam Eccleſiæ facto, cuius cauſâ Eccleſia ad preces Anniuerſariaſ teneretur. Non fuiſſe præ aliis Epiſcopos omiſſos, à quibus inſtituta fuiſſent Anniuerſaria aliqua; licet de omnibus non dicatur, quod fuerint ab ipſis quæpiam inſtituta. Denique illos, quibus cura adnotandi iſta incubuit, aliquando quidem ad diem obitus adjeciſſe annum; ſed & aliquandò ipſum omiſiſſe. Quorum porrò Epiſcoporum adhibitum fuiſſe annum comperi, ij ſuo poſteriùs ordine erunt recenſendi; quorum autem non comperi, quorumque aliunde non deprehendi tempora (videlicet aliqui ſunt quorum acta quædam cum annis habemus) ij ſunt, quos hoc loco exhibeo.

HVGO DE VARS.

DE hoc ita fuit adſcriptum Martyrologij margini, & ad VIII. quidem Kalendas Februarias; *Eodem die obiit Hugo de Vars Dignenſis Epiſcopus.*

PETRVS ESMIDO.

DE hoc quoque fuit adſcriptum, Ad VIII. Kalendas Martias. *Eodem die Petrus Eſmido Dignenſis Epiſcopus obiit.*

HVGO.

DE hoc etiam ſic. Ad III. Eidus Martias. *Eodem die venerabilis Hugo..........iſtius Eccleſiæ Epiſcopus obiit; Cuius Anima requieſcat in pace. Qui reliquit pro Anniuerſario ſuo XX. ſolidos Vianenſium.*

PETRVS DE DROILLA.

DE hoc rurſos ſic, Ad XVIII. Kalendas Maij; *Eodem die Petrus de Droilla electus huius Eccleſiæ Epiſcopus obiit.*

GVIGO.

DE hoc demùm ſic, Ad X. Kalendas Iunias; *Eodem die Epiſcopus Guigo huius Eccleſiæ obiit.*

Videri poſſet alicui *Petrus Eſmido* idem eſſe cum *Iſmidone* poſt referendo: at, cùm *Eſmido* cognomen ſit, videtur *Iſmido* fuiſſe nomen; ſicuti ex ritu ſubſcribendi conſtat; idque, ne cauſet diuerſitatem circa initialem literam. Videri quoque poſſet *Hugo*, cuius cognomini exprimendo locus punctatus relictus eſt, quaſi legi in ipſo Martyrologio non potuerit, idem eſſe cum illo *Vgone*, qui ante Laugerium memoratus eſt: Sed ne heic etiam leviuſculam Scripturæ varietatem cauſer, tum non videtur Martyrologium tempus illud attingere; tum nihil quoque aliunde eſt, quod extitiſſe eundem perſuadeat. Videri demùm poſſet *Guigo* non alius à *Guidone* eſſe: verùm litera d, in g, non eſt ſolita commutari; &, cùm pro voce *Guido* ſubſtituatur interdum *Guidus*, *Vidus*, *Vido*, aut quid ſimile; non perinde tamen vox *Guigo*, quantum memini, ſubſtituitur. Vtcumque ſit, nullum propterea factũ veritati præiudi iũ volo.

Hinc, cùm hiſce Epiſcopis quinque, adijci poſſent alij tres, vnus *Guillelmus*, & duo *Bertrandi*; illos idcircò non annexo, quòd maiore quadam veriſimilitudine eſſe ex iis, qui

deinceps

deinceps referendi ſunt cognomines, poſſint. Quanquam non deſino hîc ſubijcere, vt fuerit de illis ad marginem eundem adſcriptum.

Ad xv. Kalendas Maij; *Eodem die* GVILLELMVS *Epiſcopus huius Eccleſiæ obiit.*

Ad vi. Nonas Iulias; *Eodem die* BERTRANDVS *fœlicis memoriæ Dignenſis Epiſcopus obijt.*

Ad iii. Nonas Decembris; *Eodem die* BERTRANDVS *huius Eccleſiæ Epiſcopus obiit.*

CAPVT XXIV.

Dinienſes Epiſcopi ea ſerie, quæ per poſteriores annos proximè quingentos reputari continens poßit.

HI Iam ſequuntur Epiſcopi, quorum tempora ita nouimus, vt poſſit eorum ſeries non interrupta exiſtimari; ſicque detegendi perpauci ſuperſint, ſi fugêre aliqui nos, qui vt ſeriei inſerti, ita adaugere Epiſcoporum numerum valeant.

VV. ſeu GVILLELMVS DE BENEVENTO.

HIc eruitus eſt à Peireſkio ex Foroiulienſis Capituli Archiuis. In iis videlicet habetur facta quædam Donatio ab Hugone ipſis *Præpoſituræ, Eccleſiæ, & Canonicis; videlicet, FF. Antipolitano Epiſcopo, & V. Giraldi Venciensi Epiſcopo, & VV. de Beneuento Dignenſi electo, & Amelio Telonenſi Præpoſito, & Gaucerando, & B. de Cellans, & Maximo, & alijs tam præſentibus, quàm futuris*; idque menſe Iulio, anni M. C. LXXIX. Ita ſcilicet habet Scheda, quam ad me Peireſkius transmiſit. An hic porrò, an alius fuerit Guillelmus ille de Beneuento, qui anno deinceps M. C. LXXXIV. Archiepiſcopus Ebredunenſis creatus fuit, aſſeuerare tutò non licet. Non tacendum verò, tempore ipſius obtentas fuiſſe Bullas illas, quas ſuperius deduximus, alteram Alexandri III. anno M. C. LXXX. alteram Lucij III. anno memorato M. C. LXXXIV. quo Guillelmus de Beneuento fuit Archiepiſcopus ordinatus. Non tacendum quoque, debuiſſe hunc Guillelmum iam obiiſſe anno M. CC. XII. cùm Canonici Ebredunenſes obtinuerunt ab Innocentio III literas, ex quibus probatur non fuiſſe eorum numerum, maiorem duodenario; atque adeò cùm cæteræ Metropoleos Eccleſiæ minore ſemper fuerint, fuiſſe noſtram præ cæteris, propter eundem-met numerum, Metropolitanæ conformem. Literas verò, prout exſtant in libro III. Epiſtolarum eiuſce Pontificis, ecce: *Gebennenſi Epiſcopo in Archiepiſcopum Ebredunenſem electo Dilecto fili, Capitulum Ebredunenſe nobis humiliter ſupplicarunt, vt Statum de non excedendo duodenario Canonicorum numero in eorum Eccleſia dudum factum, & à bonæ memoriæ Clemente Papa prædeceſſore noſtro poſt-modum confirmatum, Apoſtolico dignaremur munimine roborare. Volentes igitur, vt ea, quæ rationabiliter ſtatuuntur, robur obtineant firmitatis, Mandamus, quatenus Statutum ipſum, ſaluo in omnibus Apoſtolicæ Sedis mandato, faciatis, appellatione remota, firmiter obſeruari. Octob.... Pont. an. xv.*

B. fortè BERTRANDVS.

DE hoc aliud nihil occurrit, præter actum, quo declarauit *ius Martilagij*, & quæpiam alia ad Capitulum pertinere. Charta pergamena, cum Sigillo appenſo, aſſeruatur adhuc in Tabulariis Capituli, præſeferens annum M. C. XCII, ac non alia ratione, quam litera initiali B. exprimens Epiſcopi nomen. Quamobrem verò Bertrandum potius, quàm Bonifacium interpreter, cùm nomen vtrumque per ea tempora familiare præſertim foret; cauſam aliam non habeo, quam quia & Bertrandi nomen fuit adhuc vulgatius; & is eſſe potuit alter Bertrandorum, de quorum obitu ſine anno mentionem haberi in Martyrologio obſeruatum eſt: adeò proinde, vt obiiſſe, aut vi. Nonas Iulias, aut iii. Nonas Decembris debuerit.

ISMIDO.

HVius indicatio Riuieræ debetur. Docuit ſcilicet illum interfuiſſe *Donationi Eccleſiarum ſancti Clementis de Vernegio, & ſanctæ Mariæ de Clocbario, cum ipſarum pertinentijs, Monaſterio ſancti Victoris Maſſilienſis, per Raimbaudum de Bello-ioco, anno* M. CC. VI.

VVALO, ſeu GVALLO DE DOMNA PETRA.

IS eſt eiuſdem indicationis. Adnotauit enim Riuiera tranſtuliſſe illum S. Mammetis Reliquias in Lingonenſem Eccleſiam, tempore Roberti Lingonenſis Epiſcopi, anno M. CC. IX. idque ex authore Anonymo, qui Tranſlationem illam deſcripſit, in Bibliotheca Elotiana aſſeruato.

LANTELMVS.

REtulit imprimis Riuiera quemdam L. Dinienſem Epiſcopum ad annum M. CC. X. Deinde ſcripſit Peireſkius legiſſe ſe in actis S. Victoris Maſſilienſis, VVillelmum Faraudum Thoramenæ Dominum, & Glandaueſiæ domus primarium, deditionem ſui feciſſe ipſi Monaſterio, coram L. Epiſcopo Dignenſi, anno M. CC. XVII. Ad hæc, in citata ſuperiùs Confirmatione dirionis Burgi, per Raymundum Berengarium Dignenſi Præpoſito facta, anno M. CC. XX. memoratur L. Dignenſis Epiſcopus præſens. Denique verò, vt de nomine conſtet, en quid adſcriptum fuerit Martyrologij margini, ad iii. Nonas Octobris. *Eodem die, anno ab incarnatione Domini* M. CC. XXXII. *obiit Lantelmus Dignenſis Epiſcopus, qui reliquit pro Anniuerſario ſuo illud, quod habebat, & tenebat in Molendino, quod eſt in exitu Burgi Dignæ ad Portam ſuperiorem; Et debet fieri Anniuerſarium ſuum die Martis poſt Feſtum ſancti Martini.* Ibi reperi quidem in quodam actorum Capitularium Inuentario, & ſub litera

quidem I. hæc verba. *Inſtrumenta duo donationis Meleudini, prope portam ſuperiorem Burgi, pro Prępoſito, & Capitulo, per V. D. Ludouicum Digneuſem Epiſcopum*, idque ſine vlla diei, aut anni deſignatione! Sed quia conditor Inuentarij potuit ex I. litera, loco nominis, Inſtrumentis inſcripta, Ludouicum potiùs, quàm Lantelmum coniicere; ideò per hanc annorum ſeriem agnoſcere Epiſcopos duos, vnum Ludouicum, alterum Lantelmum non auſim.

HVGO DE LAVDVNO.

LEgitur primùm Hugonis nomen in Archiuis Aquenſibus, ac in Regiſtro Pergamenorum dicto. Nempe inter Homagia Comiti Raymundo Berengario præſtita, & in confirmatione Statutorum, Priuilegiorumque, mentio fit *Hugonis Digneuſis Epiſcopi*, ac ſimul *Bonifacij Archidiaconi, Hugonis de Marcels tenentis locum Prępoſiti, duorumque Canonicorum pro ſe, & Eccleſia ſua.* Præterea autem articulos varios, vt, *Quòd Dominus Comes non poſſit facere queſtiam, occaſione transfretationis, in aliquâ perſona cruce-ſignata.* Item, *Quòd ſi quæſtio aliqua oriatur, illa per dominum Dignenſem Epiſcopum, & per duos milites, alterum à Domino Comite, & alterum à Militibus electis, determinetur, &c. Actum Digna, pridie Idus Ianuarias, anno* M. CC. XXXVII. *Teſtes Romeus, & Ferrus; V. Groſſus, R. de Moſterus, de Spinoſa, R. Iſuardus, Sordellus, V. de Reuen a, & milites alij.* Adſcriptum deinde cognomentum fuit ad marginem Martyrologij, in quo hæc reperta, Ad VI. Idus Iulias: *Eodem die obiit venerabilis Pater Hugo de Lauduno quondam Epiſcopus, qui reliquit iſti Eccleſia xij. Anniuerſaria facienda quolibet menſe de x. ſolidis: ſed primum in iſta die ſui obitus debet eſſe de xx. ſolidis.* Sic verò etiam in Chartulario, quod dictum eſt antè fuiſſe poſtmodum conditum, recenſetur *Capellania per Reu. in Chriſto Patrem Hugonem de Lauduno, quondam Dignenſem Epiſcopum relicta Eccleſia.* Præterea probabile eſſe fuiſſe illi ex Fratre nepotem, Hugonem illum de Lauduno, qui Præpoſitus fuiſſe legitur ad annum M.CC.LXXXI.

Cum veriſimile autem ſit produxiſſe Epiſcopum vitam ad annum vſque circiter M. CC. L. duo quædam memoratu digna contigiſſe debent eius tempore, quæ fuere quoque margini Martyrologij interſcripta. Vnum, ECLIPSIS Solis totalis, de qua huiuſmodi margo ſic; *Anno Domini* M.CC.XXXIX. III. *Nonas Iunij, die Veneris, obſcuratus Sol; ita quòd viſum fuit diem conuerti in noctem, circa meridiem; & Stellæ apparuerunt.* Alterum Comitis mox antè memorati Mors, de qua ſic, Ad XIV. Kalendas Septembris habetur, *Eodem die Raymundus Berengarius illuſtris Comes Prouinciæ obiit, anno Domini.* M. CC. XLV. *xviij. Kalend. Septemb.* Circa Eclipſin porrò, par eſt adnotare, cùm vix quæpiam fiat illius apud Authores mentio; fuiſſe eam tamen inſculptam Saxo, quod videre etiam-num licet arcum inchoans, & ad læuam quidem, portæ Sacelli ſemiruti, & B. Magdalenæ dicti, nec procùl à publica via inter Mirebellum, & Canto-perdicium ad Druentiam exſtantis. Nimirum inſcriptio ſic habet, ANNO DOMINI M. CC. XXXIX. III. NONAS. IVNII. SOL OBSCVRATVS FVIT. Præterea, id quod ſequitur, GRAOA, SI COMENXAS, CON FENIRAS. QI BEN FARA, BEN....... vernaculâ linguâ eius temporis, ita reddi poſſe (ſupple tâ ad finem lacunâ voce TROBARA) *Vide, ſi incipias, quomodo finies, Qui bene faciet, bene inueniet.* Sed quod ad Eclipſin quidem attinet, tametſi ipſam vnà cum alia, quæ memorabitur poſteriùs, alio loco retulerim; prætermitti tamen hoc ipſo, vt illius proprio non debuit; &, niſi quidem ob aliud, ſaltem, vt illa qualiſcumque Anteceſſorum noſtrorum diligentia commendetur.

AMBLARVS.

DE hoc iſtud ſolùm ad Martyrologij marginem adnotatum fuit, Ad XIII. Kalendas Octobris. *Eodem die venerabilis Pater Amblarus huius Eccleſia Epiſcopus obiit.* Is eſſe videtur, cuius nomen inter acta Charthuſiæ Montis-Driuij ægrè legitur, vti & nomen Archiepiſcopi Aquenſis, cum quo, cúmque Benedicto Maſſilienſi, & Fulcone Regienſi, maius altare Eccleſiæ loci illius conſecrauerit anno M.CC.LII. IV. Non. Octobris Riuiera porrò docuit me illum tum deuotum exſtitiſſe erga religioſum S. Antonij Ordinem (ex compendij hiſtoriæ Antonianæ, parte tertia, capite XXV.) tum abdicato Epiſcopatu, Cartuſianum habitum induiſſe anno M. CC. LVI. in Excubiarum Carthuſia, in quam, ac etiam in Durbonenſem, & Prato-Bayonenſem plurima bona contulerit. Ad-hæc, ſanctiſſimè vixiſſe, prædixiſſéque etiam futura, ac cætera inter, Bernardi Generalis obitum, anno M. CC. LVII. Denique Carthuſianum quemdam nomine Laicardum ipſius vitam conſcripſiſſe, ac in ea illum ſpeciatim, quod de Prophetiæ dono dictum eſt, memoraſſe.

BONIFACIVS.

CVm adſcriptum Martyrologio, & Ad VIII. quidem Kalendas Iunias hoc fuerit, *Eodem die Bonifacius venerabilis huius Eccleſia Epiſcopus obiit, anno incarnationis Domini* M. CC. LXXVIII. *in die Aſcenſionis Domini*, & potuerit hic Bonifacius ſediſſe ab anno M. CC. LVII. hoc eſt per annos XXI. ideò potiuſquàm duplicem, facere præſtat illum vnum, eundémque cum eo, qui legitur ſola litera B. tum in citato Pergamenorum Regiſtro, tum in alio Pedis vocato Archiuorum Aquenſium. Illeic nimirum legitur id, quod ſuperiùs exſcripſimus de Compoſitione inita circa Iuriſdictionem, & dominium Ciuitatis Digne, inter Dominos Comitem, & Comitiſſam Prouinciæ ex vna parte; *ac venerabilem Patrem Dominũ B. Dignenſem Epiſcopũ ſuo & Epiſcopatus ſui ac Dignenſis Eccleſia nomine ex altera:* idque *anno Domini* M.CC. LVII. *die Dominica; in craſtinum S. Michaelis.*

Notandum

Notandum eſt verò, quod ſequitur ſtatim, quódque etiam antè retulimus, feciſſe id Epiſcopum *de conſenſu, & voluntate Hugonis de Marcols Archidiaconi Tiberti Archipresbyteri, &c.* videri non obſcurè innuere, cùm Hugo de Marcols, qui cum Hugone de Landuno xx. ante annis tenuerat locum Præpoſiti, fuerit Archidiaconus factus, ipſum Bonifacium, qui tunc Archidiaconus fuerat, eundem eſſe, qui hoc loco fuerit Epiſcopus B. hoc eſt nomine Bonifacius.

Obſeruari heic poteſt, huius tempore, hoc eſt anno M. CC. LXVII. & VII. quidem Kalend. Nouembris, celebratum fuiſſe Sedenæ Prouinciale Concilium, cuius decreta varia in Statutorum noſtrorum Codicem tranſlata habentur, ſub Ebredunenſi Archiepiſcopo Henrico, cuius nomen titulo Oſtienſis Cardinalis celebre eſt. Cùm Henrico porrò ſucceſſerit Iacobus, vt ſuperiùs innuimus, hic ille ipſe Iacobus eſt, quem retulimus eodem anno, quo Bonifacius mortuus eſt, compoſuiſſe diſſidia, quæ in Dinienſi Eccleſia erant. Fortè verò hæreret quis poſſet, qui fiat, vt Diniæ verſatus, & plenam poteſtatem à Capitulo omnia componendi adeptus xij. Kalend. Iulij, compoſitionem ediderit IV. Eidus Ianuarias eiuſdem-met anni. Sed nempe, quia anni tunc computabantur (vti & plærumque etiamnum fit, in Bullis præſertim Pontificiis) non à Natiuitate, ſed ab Incarnatione Chriſti Domini, quæ in Martium incidit; ideò annus ille M. CC. LXXVIII. à Martio inceptus, Ianuario adhuc perſeuerabat.

GVILLELMVS PORCELLETVS.

SEdebat hic anno M. CC. XC. quo videlicet legitur quidpiam ordinaſſe, ex poteſtate ſibi data à Capitulo circa diſtinctionem Præbendarum, & aſſignationem Diſtributionum, vt ſuperiùs deduximus. Confirmatur verò hic annus ex Statutorum Codice, in quem inſerta ſunt decreta Prouincialis Concilij, quod ſub Raymundo de Medullione Archiepiſcopo celebratum fuit Ebreduni. Videlicet iſta præcedunt. *Hæc Statuta, quæ Nos Frater R. de Medullione* (Is nempe Religioſus fuerat ex Ordine Prædicatorum, & Siſtarici quidem; vti ex memorata Iacobi anteceſſoris compoſitione conſtat) *Dei patientiâ S. Ebredunenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, per Dominum Henricum bonæ memoriæ Ebredunenſem Archiepiſcopum, ac poſt-modum Oſtienſem Epiſcopum, comperimus eſſe facta; vnà cũ venerabilibus Fratribus G. Dignenſ. B. Glandaten. Lant. Graſſen. B. Seneſcen. Hugone Nicien. & Guillelmo Vencien. Dei gratiâ Epiſcopis Suffraganeis noſtris: Fratre P. Abbate Boſcauden. ac Procuratoribus Capitulorum Eccleſiarum ipſorum, conſtituti in noſtro Prouinciali Concilio, apud Ebredun. Anno Domini* M. CC. XC. *die Sabbathi ante Aſſumptionem Beatæ Virginis euocato, &c.* Idem ſediſſe legitur anno M. CC. XCIV. ac die Nouembris xxiiij. qua ſimile aliquid ſuperioribus ordinauit.

Iſtum porrò non alium facio à Guillelmo illo Porcello, cuius varia ſunt, quæ habentur in Statutorum ſerie. Quippe nihil obſtat, quòd heic Porcellus, illeic Porcelletus dicatur; cùm vtraque denominatio illuſtri illi, ac per-antiquæ (ante annos enim octingintos nominis fuit magni) familiæ conueniat. Obſtaret magis ſeries, qua Statuta digeſta ſunt; nempe quæ Guillelmo Porcello tribuuntur, recenſentur poſt Statuta tum Raynaudi Porcelleti, tum Guillelmi de Sabrano: At in Statutis congerendis habitam non fuiſſe temporum rationem vel ex eo intelligimus; quòd, cùm conſtet memoratum Iacobum Ebredunenſem Archiepiſcopum inter Henricum, & Raymundum de Medullione interceſſiſſe, Statuta Iacobi nihilominus recenſentur poſt ea, quæ R. de Medullione, cum Guillelmo Porcelleto, & cæteris condidit.

RAYNALDVS PORCELLETVS.

IS fuerat Eccleſiæ Sacriſta. Anno ſiquidem M. CCC. III. & de ſecunda Ianuarij, cùm iam eſſet electus, obtinuiſſe legitur meritorum ergo à Capitulo, vt cui de Eccleſiæ gremio expedire iudicaret, conferre Sacriſtiam poſſet; ſed pro ea tamen vice dumtaxat, ac modò id fieret intra diem Martis tum proximum, qui Ianuarij ſeptimus fuit. Conceſſit etiam Capitulum die VII. prorogationem in diem IX. qui Iouis fuit, & quo demùm Sacriſtiæ beneficium viro idoneo contulit, præſente, & approbante Capitulo vniuerſo. Legitur verò eodem anno, ac die Martij XV. Indictione ſecunda, præſtitiſſe Homagium, ex Pergamenorum citato Regiſtro. Nempe, poſtquàm præmiſſum eſt, id actum *Aquis Sextiis, in Monaſterio Beatæ Mariæ de Nazareth, & agris, in quadam aula, in qua comedunt Fratres, de nouo conſtructa, in præſentia R. Patris Domini P. Dei gratiâ Siſtaricenſis Epiſcopi, &c.* tum ſequitur, *Reuerendus in Chriſto Pater Dominus Raynaldus Dei gratiâ Epiſcopus Dignenſis, ſimili modo, & forma, quibus ſupra, iurauit ſupra Dei Euangelia corporaliter manu tacta, promiſit, & recognouit; fecit homagium Regiæ Maieſtati, ſi quod ei competit, reſeruato*, &c.

Cùm de hoc anno conſtet, demiror quî eſſe potuerit Catalogus ille Epiſcoporum Dignenſium, ex quo, MS. Porcelletorum Genealogia, quam apud Peireskium vidiſſe me commemini, fuiſſe ſumptum refert, quod in illa ſic legitur, *Anno* M. CCC. XXIV. *obiit Rinaldus Porcelletus*: &, *Guillelmus Porcelletus illi in Epiſcopatu ſucceſſit.* Nam quod ad mortem quidem ſpectat, debet omninò obiiſſe ante annum M. CCC. XX. quippe, quo Armandus Epiſcopus fuit; cùm & Guillelmus de Sabrano Armandi ſucceſſor anno M. CCC. XXIV. Statuta quædam condiderit. Quod ad Guillelmum verò Porcelletum attinet, is ſanè fuit non ſucceſſor, verùm anteceſſor Raynaldi, vt ex ante-dictis manifeſtum fit. Quoque minus dubij ſit, aſſeruatur Actum in Tabulariis Capituli, quod ſuperius retulimus

limus ſumptum ex Regiſtris Hugonis Brianſoni (exſcribente, qui penes ſe illa habuit, Iacobo Blancinoto) iuxta verò id actum, Anno M.CCCC.XX. & xiij. Aprilis, P. Baſſolis Officialis Dignenſis conceſſit Capellanis facultatem, *vt extraheretur Clauſula ex ordinatione facta circa diſtributiones per Venerabilem Patrem Dominum G. Porcelleti quondam Dignenſem Epiſcopum, ex poteſtate ſibi facta à Dignenſi Capitulo.* Clauſula autem talis refertur, *Anno Domini* M.CC.XC. *xxiij. die Auguſti, Prædictus Dominus Epiſcopus apud Digneam, vna cum Domino Præpoſito, & Canonicis inferiùs nominatis, videlicet, & in generali Capitulo, quod conſueuit celebrari in Dignenſi Eccleſia anno quolibet, in feſto beati Petri ad vincula, ipſo Capitulo vſque in præſentem diem continuato, inſimul congregatis; idem Dominus Epiſcopus, vnà cum dicto Sacriſta ad ordinationem Seruitiorum, & Seruitij, &c.* Atque hoc quidem refero, etiam ob optimum Riuieram, qui hacce de re quadamtenus hæſit, ac anteponi poſſe Raynaldum Guillelmo ſuſpicatus eſt, referendúmque etiam ad annum circiter M.CC.LXXXV. quòd in noſtris etiam Statutis recitetur confirmaſſe Statuta Iacobi Archiepiſcopi, quem octo, aut decem ante annis vixiſſe manifeſtum ſit. Quanquam nihil profectò obſtat, quin Raynaldus, licet Guillelmo poſterior, ſtatuta non modò Iacobi, ſed antiquioris etiam confirmare potuerit.

Id potiùs accipio, quòd in eadem Genealogia dicitur *Rinaldus Porcelletus filius Ioannis Militis, & Alizetta filia Elizarij de Sabrano, & Cæcilia de Agoto* (ita ſcilicet ſcribitur) *per auos maternos ex familiis Auſtriaca, & Sabaudica deſcendentium: Epiſcopus Dignenſis, ſanctus, & miraculis clarus, ſub Ioanne Papa XXII. ex vita Elziarij Comitis Arriani, ſcripta à fratre Raphaële Dominicano.* Certè, vt nihil dicam de illuſtri proſapia, eius memoria apud nos veneratior adhuc habetur. Tametſi enim nullum antiquum monimentum inuenio, quo habitum Sanctum, cultúmve illi exhibitum, quaſi Indigetum vni comprobetur; nominetur verò dumtaxat inſtar cæterorum Epiſcoporum, Dominus Raynaudus; vt cùm in Inuentario antè memorato, anni M.CCC.XL. ita legitur; *Primò inuenit Capellam Domini Raynaudi Porcelleti albam, de Caſamito*: & paulò pòſt: *Item Capellam Domini Porcelleti rubeam*; & alio loco; *Item ſubtus monumentum Domini Raynaudi Porcelleti vnum pannum ſericum, &c.* Nihilominùs à parentum, auorúmque memoria appellari audiui Sanctum; &, quod dixi antè Sacellum fuiſſe ab eo conditum (id certè gerit familiæ Porcelletanæ inſignia in vmbilico fornicis) appellatum fuiſſe Capellam ſancti Raynaudi comperio à ducentis, & ampliùs annis. Id taceo, quod eſt antè recitatum de aſſeruatis eius Reliquiis ac ſuperſtite vſtulato oſſe ex incendiis Caluiniſtarum. Taceo & quod legiſſe me quidem, ſed apud quem tamen Authorem, non ſat memini, *vnum fuiſſe ſanctum Raynaudum Porcelletum, cui in memorabili illa Gallorum internecione, Siculi pepercerint, ob eius pietatem, virtutémque perſpectam*

ARMANDVS.

HVius mentio fit bis, aut ter in Chartulario, cuius iam aliquoties meminimus, quodque conditum fuiſſe diximus anno M.CCC.XX. ac die xj. Nouembris. Quippe initio legitur congregatum Capitulum in Præpoſituræ Domo, abſentibus quidem, cùm aliis Eccleſiæ Canonicis, tum *Reuerendo in Chriſto Patre Armando Dei gratiâ Dignenſi Epiſcopo, in Romana Curia commorante.* Idem poſteà repetitur; ac rursùs in fine confertur Vicaria domeſtico cuidam *Reuerendi in Chriſto Patris Domini Armandi Dei gratia Dignenſis Epiſcopi, licet abſenti.* Prætereo autem, cùm id Chartularium xx. pòſt annis continuaretur, & Inuentarium, cuius mox antè meminimus, conficeretur, fuiſſe in Inuentarium verba hæc inſerta *Item Capellam viridem, cum Dalmaticis Floquetis, &c. quæ fuit Domini Ar. Dignenſis Epiſcopi.*

GVILLEEMVS DE SABRANO.

STatuta habemus, quæ hic condidit anno M.CCC.XXIV. ac menſe Auguſto. In Inuentario quoque ante-dicto memoratur *Capella alba Domini Guillelmi de Sabrano, quæ data fuit per Dominum El. Epiſcopum.* Ex Catalogo porrò Abbatum ſancti Victoris Maſſilienſis, quem mecum tum Peireskius, tum Riuiera communicârunt, conſtat hunc Guillelmum electum fuiſſe Abbatem illius Monaſterij, anno M.CC.XCIII. ipſumque rexiſſe annos xxxij. & Dignenſem Epiſcopum ſub vitæ finem ſimul fuiſſe. Celebrata ab illo fuiſſe in Abbatia Capitula varia, annis porrò M.CC.XCIV. M.CC.XCVIII. & M.CCC.V. Adiecit Peireskius ſua manu ad annum M.CCC.VIII. Carolum II. nuncupaſſe illum *Conſobrinum ſuum Guillelmum Abbatem*: ac anno M.CCC.XVII. die xviij. Iulij, meminiſſe illius ſanctum Elziarium in teſtamento. Subiecit Riuiera eum fuiſſe promotum ad Epiſcopatum non longè ab anno M.CCC.XX. &, quòd Abbas ſimul, Epiſcopuſque vixerit, debuiſſe eius obitum contingere anno M.CCC.XXV. computando nempe xxxij. annos, ex quo Abbas electus fuit; aut certè ante finem anni M.CCC.XXIV. quoniam Abbas Guillelmus de Cardaliaco legitur primum Capitulum illo eodem anno celebraſſe. Par proinde eſt, eſſe illum mortuum non longè ab Auguſto, generalive Capitulo, quod Diniæ menſe illo habuit.

Adnotari heic poteſt, fuiſſe hunc Guillelmum filium Elziarij Domini Vcetenſis, & Cæciliæ de Agoulto: Fratrem habuiſſe Hermengaldum, magnum apud Neapolitanos Iuſtitiarium, qui ex Lauduna Alba S. Elziarium Ariani Comitem, & S. Delphinæ ſponſum ſuſcepit. Sorores illi fuiſſe tum memoratam Alizettam, ſiue Allayeram Raynaldi Porcelleti matrem; tum Burgolam matrem Elziarij de Villa-noua, de quo dicendum ſtatim pòſt. Fuiſſe illum proinde non modo S. Elziarij patruum, & Elziarij de Villa-noua auunculum;

auunculum ; ſed auunculum etiam ipſius Raynaldi, quem habuiſſe anteceſſorem in Epiſcopatu nihil prohibet, cum & occaſione Guillelmi Porcelleti, qui illum in Eccleſiam iam induxerat, præeligi potuerit; & eſſe non admodum auunculo iunior ex matre antiquiore valuerit ; & nouum non ſit aut iuniores ſenioribus præmori, aut ſeniores fieri iuniorum hæredes, atque ſucceſſores.

GVILLELMVS.

HAbetur iſte ex eo Concilio, quod Auenione, ac in Prioratu S. Rufi fuit celebratum anno M. CCC. XXVI. menſe Iunio, à Guſberto Arelatenſi, Iacobo Aquenſi, & Bertrando Ebredunenſi Archiepiſcopis, vnà cùm Suffraganeis Epiſcopis eorumve Vicariis, & Capitulorum, Abbatumque quorumdam Monaſteriorum Procuratoribus; quatenus quidem integrè in Statutorum noſtrorum Codice deſcriptum habetur. Nempe in eo Ebredonenſis ſpeciatim Metropoleos Prælati ita deducuntur, *Et dictus Dominus Bertrandus Ebredunenſis Archiepiſcopus, cum venerabili in Chriſto Patre Domino Falcone Vencienſi Epiſcopo preſente. & cum venerabilium in Chriſto Patrum Dominorum Gaufridi Graſſen. Roſtagni Nicien. Guillelmi Dignen. Bertrandi Seneſcen & A. Glandaten. Epiſcoporum ſuffraganeorum ipſius Procuratoribus ſufficienter comparentibus.* Niſi obſtitiſſent ante-dicta crediditſſem facile hunc Guillelmum eumdem cum Guillelmo de Sabrano eſſe. Credi etiam poſſet fuiſſe ipſum ex aliqua vna familiarum nobilium, quæ ſedem tenuerunt per hæc tempora ; verùm, vt Armandus ex alia, ſic quoque ex alia imerilei hic Guillelmus potuit. Fortaſſis fuit ipſi cognomen *Ebrardo* : quando inter memoratas Epiſcoporum Capellas ea recenſetur, quæ fuerit *Guillelmi Ebrardi*, ſcilicet *violata, de diaſpro diuerſorum colorum, cum Floqueto, & Dalmatica, &c.* Certè is Guillelmo de Sabrano ſucceſſiſſe poteſt, cùm legatur fuiſſe vnus ex iis Canonicis, qui illi condenti ſtatuta adfuerunt. Sed longè ſum tamen, vt quidquam definiam.

ELZIARIVS DE VILLA-NOVA.

HVnc memoratus antè Franciſcos de Villa-noua Flayoſei Baro, Genealogiæ ſuæ ſcientiſſimus, retulit mihi aliàs exſtitiſſe filium Raymundi, & nepotem Giraudi ; vtcumque Genealogia familiæ Sabranicæ à Peireskio communicata, filium Giraudi, & memoratæ Burgolæ de Sabrano faciat. Cùm ex dictis verò conſtet illum fuiſſe S. Elziarij conſobrinum ; mirum minùs eſt fuiſſe illum primo loco ſubſtitutum in teſtamento antè citato anni M. CCC. XVII. Is Canonicus primùm fuit Foroiulienſis, Maſſilienſiſque ; & Epiſcopatum adeptus, præſtitit homagium anno M. CCC. XXXIV. die Octobris X. Quo etiam anno, ac menſe Iunio, ex Riuietæ indicatione, conſecrauit Eccleſiam Carthuſianarum Monialium in Cella Robaudi, Foroiulienſis Diœceſeos, in qua tunc viuebat S. Roſſelina illius vel ſoror, vel ex Fratre neptis. Nos ſtatuta quædam illius habemus, ac in iis illam Sacramenti formam ad quam Iudæi tenebantur, cuiuſque ſuperiùs commeminimus, ex die Maij XXIJ. anno M. CCC. XLI. Deoique in Martyrologio ad Non. Octobris hic adſcriptum fuit, M. CCC. XLI. *VIJ. Octobris, obiit Dominus Elziarius Epiſcopus.* Quare, cum is haud-dubiè fuerit, qui interfuit alteri illi Auenionenſi Concilio, anno M. CCC. XXXVIS. celebrato, & nomen eius literis El. vt etiam fere apud nos, expreſſum ſolùm fuerit, non eſt, cur Robertus dubitare debeat, iſ-ne Elzias an Elias fuerit.

Quàm ſingularis fuerit Prælati huius pietas, ex varietate, ac pretio rerum, quibus donauit Eccleſiam, intelligi poteſt vel ex Inuentario, quod nouennio pòſt fuit conditum. In eo ſcilicet legimus fuiſſe hæc, inter cætera, reperta in Eccleſia ; *Crucem argenteam datam per El. Epiſcopum. Reliquiarium argenteum cum tribus cryſtallis, in quo crines B. M. in ſupremo nempe trium cryſtallorum, cum ſigno El. & Brachium ſancti Domini in argento, cum ſigno etiam El. Vnam Caſſiam magnam coopertam de oſſa, ad tenendum Reliquias, datam per Dominum El. Pannum magnum de Fran. cum Imaginibus Apoſtolorum, datum per Dominum El. Item duo pallia alba diaſpreti, data per Dominum El. Epiſcopum. Duos Corellos de Sirico antiquo, datos per Dominum prædictum El. Proceſſionarium datum per Dominum El. Epiſcopum. Capellam Guillelmi de Sabrano cum ſigno Porcelletorum, datam per Dominum El. Epiſcopum.* Cùm verò hæc fuerint à folio XLJ. in LJ. variè interſperſa ; tum ſequitur folio LIJ. *Res infraſcripta data fuerunt per Reu. in Chriſto Patrem Dominum Elziarium bonæ memoria, vſui, & ſeruitio Beatæ Mariæ Dignenſis* : ac tum complentur duæ paginæ, præter res hactenus memoratas. Quæ ſanè, cum ita ſe habeant, mirum non eſt, ſi eius memoria apud nos cara perſeueret ; ac ſi, poſt eius obitum, quod Sacellum fuerat ab eo, Capitulóque ſimul exſtructum (videlicet præter Capituli inſignia eminentia in fornice, exſtant etiam Villanouana in eo Capitello, cui arcus innititur, ab angulo inter meridiem, & ortum originem ducens) ſi id, inquam, Sacellum fuerit ab eius nomine Capella ſancti Elziarij (quo modo aliud ſancti Raynaudi) appellatum.

Porrò, quia Forma Iuriſiurandi, ad quam Iudæos adſtrictos voluit, habet, neſcio quid ad æquiuocationes præoccupandas ſingulare ; ideò iuuat illam heic apponere. Conſtitutio ergo ſic habet. *Item ſtatuimus, quòd ſi Iudæus cauſam habet cum Chriſtiano, vel contra Chriſtianum vel etiam teſtimonium ferat contra Chriſtianum, teneatur iurare ſub hac forma. Iuras tu per Deum Patrem Adonai? Reſpondet. Iuro. Iuras tu per Deum Patrem omnipotentem Sabbaoth? Reſp. Iuro. Iuras tu per Deum Elohi? Reſp. Iuro. Iuras tu per Deum, qui Moyſi apparuit in rubo? Reſp. Iuro. Iuras tu per decem nomina Dei? Reſp. Iuro. Iuras tu per totam iſtam legem, quam Deus docuit Moyſem famulum ſuum? Reſp. Iuro. Si tu culpabilis es de hac re,*

&

& Dei nomina , & legem eius periuras ; mittat Deus ſuper te turbam , & febrem quotidianam, tertianam , & quartanam : & mittat Deus ſuper te , & oculos tuos anguſtiam animæ tuæ. Reſpondet Iudaus. Amen. Lucrum tuum comedant inimici tui ; & mittat Dominus ſuper te iram ſuam,& deficias ante tuos inimicos : habeant ſuper te inimici tui poteſtatem, & fugias , nemine te ſequente. Reſp. Amen. Si periuras Dei Sacramenta , frangat Deus vires tuas , & potentiam tuam ; & ponat Deus deuaſtationem in domum tuam ; & mittat Deus ſuper te beſtias feroces, & ponat Deus ſuper te inimicos tuos. Reſp. Amen. Adducat Deus ſuper te gladium vindicare vindictam , & adducat peſtilentiam ſuper te ; & tollat à te omnem ſubſtantiam panis , & comedas , & non ſatieris. Reſp. Amen. Item , ſi periuras de hoc Sacramento ; comedas carnem filiorum tuorum, & deſtruat Deus cadauer tuum, & ſuper corpora infantium tuorum adducat mortalitatem peſſimam. Reſp. Amen. Donet Deus domum tuam in deſerto , & deſtruat Deus ſanctuarium tuum,& deleat te de terra,& inimici habitent in domo tua ; & ſtuprent tuam vxorem ; & diſpergat te Deus ſuper terram , & nemo reſpiciat te. Reſp. Amen. Sectetur te gladius mortalitatis ; & mittat Deus moleſtiam , & timorem in corde tuo , vt fugias ad motum foliorum arborum, ac ſi gladius inſequeretur. Reſp. Amen. Sis diſperſus inter gentes ; & moriaris in terra inimicorum tuorum ; & ſic te abſorbeat terra, ſicut abſorbuit Datan , & Abiron ; & etiam deglutiat. Reſp. Amen. Et ſi tu de hoc Sacramento periures ; declinet Deus cor tuum iniquum, & peſſimum , & veniant ſuper caput tuum omnia peccata tua , & parentum tuorum : & omnes maledictiones , quæ in volumine legis Moyſi, & Prophetarum ſcripta ſunt. Reſp. Amen, amen, amen; Fiat , fiat , fiat.

IOANNES PISCIS.

HVius habemus Statuta varia , partim in libro Statutorum , partim in iam dicto Chartulario , illiuſve continuatione, ab anno M. CCC. XLI. in annum M.CCC.LVI. Memoratur præterea in Sententia quadam Vicarius ab illo commiſſus anno M.CCC.LVIII. In Martyrologij autem margine ſic adſcriptum fuit. Ad III. Nonas Iulias. *Eodem die Tranſlatio capitis ſancti Vincentij Dignenſis Epiſcopi, ad Eccleſiam Dignenſem, per Reuerendum Patrem Dominum Io. Dei gratiâ Dignenſem Epiſcopum* , M. CCC. XLIX. *die v. Iulij.* Vndenam porrò facta fuerit Tranſlatio huiuſcemodi , coniectu facile non eſt. Nam exiſtimare quidem aliud nihil actum, quàm ſacrum beati Vincentij Cranium tranſpoſitum fuiſſe ex arcula quapiam in Capſam argenteam, forma capitis eleganti, ac tranſlatum vt fieri ſolet, proceſſione quadam ſolenni, relatum in Eccleſiam; tum verba relata ampliùs quidpiam ſonant ; tum ſancti Vincentij Caput non fuiſſe priùs in Eccleſia ex eo ſuſpicari licet, quòd in Inuentario, nonnem priùs annis confecto, memorentur quidem reperta in vna Caxiarum, quæ ad Altare beatæ Mariæ, Oſſa Beati Dõnini, & Caput beati Marcellini ; at mentio perinde non fiat repertorum Oſſium , Capitiſve Beati Vincentij.

Vtcumque ſit ; quia deinceps Martyrologium nihil habuit circa Ioannis obitum ; & quia aliunde in condendis Statutis Synodalibus anni M. CCC. XLIII. Ioannes cognominatur Piſcis , hinc par eſt reputare illum , poſt annum citatum M.CCC. LVIII. Aquenſem Archiepiſcopum fuiſſe. Scilicet in Catalogo Archiepiſcoporum Aquenſium Roberti , conſonanter illi, quem oſtendit Peireskius , ita legitur, *Ioannes Piſcis Obiit x. Octobris* M. CCC. LXVIII. *ad quem ſcribebat Vrbanus V.* M. CCC. LXIV. Nihil attinet memorare, in illo eodem Inuentario, in quo recenſentur tot, ac tantæ res donatæ ab Elxiario, interrici *vnam Mappam altaris, datam per Dominum Io. Epiſcopum.*

BERTRANDVS DE SEGVRETO.

HIc videtur fuiſſe ille Sacriſta , ſub quo dictum iam ſæpiùs Inuentarium condi cœptum eſt , anno M.CCC.XL. & de quo legitur in ipſomet , *Item , vnum Horologium datum per Dominum Bertrandum de Segureto Sacriſtam prædictum.* Cùm ſucceſſiſſet autem Ioanni ; Pergamena ſupereſt charta in Capituli Tabulariis , qua *Ber....... de Segureto confitetur ſe accepiſſe à Capitulo Mitras quaſdam pretioſas , & annulos Pontificaleis.* Habui etiam præ manibus literas Tonſuræ collatæ Durando Heliæ, Corbonis, Viſitationis tempore, à Domino Bertrando Dignenſi Epiſcopo, anno M.CCC.LXV. die Iunij II. Ne verò temerè ſuccreſcat Epiſcoporum numerus; cùm is poſſit adhuc vixiſſe anno M. CCC. LXXXV. ideò referre ad ipſum placet , quod homagium eſt præſtitum eo anno , ac I. Decembris ; vt ex Regiſtro Homagiorum in Aquenſibus Archiuis habetur. Nempe vel titulus ſic habet : *Homagium Reuerendi in Chriſto Patris, & Domini, Domini B. Dignenſis Epiſcopi, Domini caſtrorum de Marculpho, de Euzeria, Thoraſio, Archaillo, Baſtida, de Rocca bruna, de Rocca-roſſa, Tanarono, & pro partibus, quas habet in Ciuitate Digna, & in Rocca Draſij , & pro Burgo Dignenſi , tam nomine ipſius proprio, quàm Venerabilis Præpoſiti ; nec non Canonicorum, Capituli, & Eccleſiæ Dignenſis.* Fuit fortè huius ex fratre nepos, qui Bertrandus de Segureto deinceps Præpoſitus fuit. De obitu cùm nihil habeatur, coniicere dumtaxat licet, fuiſſe eum alterum Bertrandorum quorum diximus diem obitus tacito anno memorari; ſicque aut VI. Nonas Iulias, aut III. Nonas Decembris obiiſſe.

NICOLAVS DE CERBARIO.

VAria huiuſce acta legi in Protocollo veteri , ſub litera N. annotum M.CCC. XCVI. & M.CCC.XCVII. quo quidem poſteriore anno adnotatum fuit in Martyrologio, arſiſſe Eccleſias tam beatæ Mariæ , quàm Fratrum Minorum, in die ſanctæ Annæ. Extſtat etiam Homagium in Archiuis Aquenſibus , quod *Dominus N. Dignenſis Epiſcopus, Dominus de Marculpho , de Tanarono , & de*

Rocca roſſa

Rocca-roſſa præſtitit Sereniſſimo Regi Ludouico &c. anno M. CCC. IC. die Octobris aj. qua etiam Bertrandus de Seguteto Præpoſitus præſtitit. Is Franciſcanus fuerat, ipſeque fuit, qui Eccleſiæ donauit Totriculam illam argenteam, de qua dictum ſuperiùs eſt. Nempe in vna facierum baſeos iſthæc Inſcriptio legitur, HANC BEATÆ MARIÆ VIRGINIS IMAGINEM, CVM TABERNACVLO, FECIT FIERI, ET LEGAVIT ECCLESIÆ CATHEDRALI DIGNENSI MAGISTER NICOLAVS DE CERBARIO, ORDINIS MINORVM, DICTÆ ECCLESIÆ OLIM EPISCOPVS. Quid porrò fuerit ad marginem Martyrologij adſcriptum, ecce. Ad III. Nonas Martias. *Eodem die obiit Dominus Nicolaus Epiſcopus huius Eccleſia Dignenſis. Et iſte dimiſit currente anno.* M. CCCC. VII. *ob reuerentiam Dei. & Beata, & redemptionem anima ſue, & parentum ſuorum, Imaginem argenteam Beata, qua eſt in praſenti Eccleſia; & ideò dicta die ſtendum eſt Cantare pro anima ſua.* Et ſanè, vt Cantare hoc merito iure fuerat à Capitulo inſtitutum, ac deinceps fuit prætermiſſum immerito; ſic meritiſſimo repetetur; ac tantò magis, quantò habemus tam frequentem præ oculis Prælati huius optimi dignam memoria munificentiam. Quod idem dicendum de optimo Elziario, déque cæteris, quorum benefacta etiam nunc oculos perſtringunt. Quin etiam iure repetentur, quæ fuere ab optimis Prælatis inſtituta Anniuerſaria; tametſi Sortes, ſeu pecuniæ ab ipſis in eam rem legatæ quò euaſerint, ignoretur; neque enim, licet Maiores noſtri illas aut non ſatis curârint, aut fortè etiam decoxerint, ipſorum Legantium fuit culpa, aut per eos ſtetit, quò minùs ad nos peruenirent; neque nos ideò minùs affectui illorum obligati ſumus, nec minùs tenemur ad præſtandum officia, quibus quæ ad nos peruenerunt Beneficia fuere adſtricta.

BERTRANDVS RVDOLPHVS.

ISte quoque, quantum coniicio, Franciſcanus fuit, Ordiniſve Fratrum Minorum. Certè ferè ſemper vox *Frater* nomini eius præponitur. Varia ſunt, quæ eius exſtant monumenta, ab anno vſque M.CCCC.IX. Nam, cætera inter, illo ipſo anno adnexauit Capituli menſæ Priotatum Galberti; vti & XA. pòſt annis Hoſpitale Burgi, & Eccleſiam de Catalcriis. Anno M.CCCC. XVI. Tranſactioni interfuit, inter Capitulum, & Fratres Minores; & XIIJ. pòſt anno iniit ipſe Tranſactionem cum Capitulo, circa Decimam vinearum Dignæ, & Galberti. Extat adhuc Liber, Viridis vocatus, Viſitationem continens, quam eodem anno M.CCCC. XVI. peregit. Exſtant prætereà varia Statuta, quæ fuere ab eo condita, quorumque nonnulla fuere relata ſuperiùs, annis M.CCCC. XIA. M.CCCC. XXIX. & M. CCCC. XXXII. Obitus illius habetur inter acta Ioannis Filioli, ad ann. M. CCCC. XXXI. diem Martis, quæ fuit Februarij XXVJ. ac horam diei XIX. Illicò nempe Capitulum, cui præfuit Ioannes Rodulphus Sacriſta (Bertrandi fortè ex fratre nepos) creauit Oeconomos duos ad regendum, adminiſtrandúmque bona, ac iura Epiſcopatus; vnúmque item Officialem, ac in ſpiritualibus, temporalibúſque generalem Vicarium. Et, ne quis miretur citatum mox annum M. CCCC. XXXII. quo Statuta condiderit; Sciendum eſt, aut mendum inter exſcribendum Statuta irrepſiſſe, quando illa Februario quoque ac ſeptima die fuere condita; aut in Statutis computatum annum à Natiuitate fuiſſe, quem Notarius expreſsè ab Incarnatione dixit; Sic nempe, ex antè adnotatis, vnus, idémque menſis Februarius, qui à Feſto Incarnationis, ſeu Annuntiationis antecedente, fuit anni XXXJ. ab antecedente Natiuitatis feſto, fuit anni XXXII. Miror interim nullam factam Epiſcopi huius in Martyrologio mentionem; quando & illæ adnexiones, & conſenſio quoque in decimas vini, ex quibus poſſent diſtributiones copioſiùs, commodiúſque fieri, arguunt fuiſſe illum in Capitulum, ſuámque Eccleſiam præclare animatum, atque idcircò, cuius etiam memoria recolatur, dignum.

Adnotanda porrò duo quædam heic ſunt, quæ eius tempore contigerunt. Vnum, quòd anno M.CCCC.XIV. ac menſe Iulio celebratum eſt Diniæ Prouinciale Concilium; tametſi qui in ipſum Prælati conuenerint, aut quid omninò ſtatuerint, ſit mihi hactenus incompertum. Celebratum enim dumtaxat cognoui ex Regiſtro quodam publicarum Ciuitatis Deliberationum, in quo ad diem ſecundam Iulij ita legitur. *Ordinatum eſt, quòd Domini Syndici debeant prouidere ſuper aduentu Dominorum Prælatorum, qui in præſenti Ciuitate venturi ſunt, eorum Concilio tenendo; de collatione donorum, & de ſeruiendo eis nomine Villæ, quantum honorabiliter poterunt, ad honorem Villæ ſiue in vino, vel aliis quibuſcumque.* Et ad diem XVI. Auguſti. *Fuit ordinatum, quòd Clauarius Villæ ſoluat ceram, quam præſentauerunt Domini Syndici moderni Dominis Prælatis, qui tenuerunt eorum Concilium in Ciuitate Dignenſi hoc præſenti anno.*

Alterum, quòd anno inſequenti, contigit Eclipſis Solaris memorabilis, de qua hæc verba ad marginem Martyrologij fuere adſcripta, *Anno Domini* M. CCCC. XV. *& die Veneris, quæ fuit vij. Iuny fuit Eclipſis Solis, horâ ſecundâ poſt ortum Solis; & durauit per vnam horam. à principio Eclipſis vſque ad finem; & Stellæ videbantur clariſſimè.* Eſt certè obſeruatu dignum, eandem Eclipſin, etiam in Bohemia, aut Polonia totalem fuiſſe. Ecce enim Eraſmus Reinholdus ipſam accenſens duabus illis, quarum altera a Thucydide, altera ab Ammiano Marcellino refertur, illud ſubiicit; *Scriptor Hiſtoriæ Polonicæ, cùm recitat tumultus Bohemicos, ait anno* M.CCCC.XV. *die* VI. *Iunij hora* XVIII. (hoc eſt vulgari modo loquendo, die VII. hora I. matutina) *Solis Eclipſin conſpectam eſſe tantam, vt & Stellæ velut noctu viderentur, & aues ſubita caligine territæ paſſim è ſublimi in terram deciderent.*

PETRVS DE VERCELLIS.

IPſe, eſt cuius nomen, aut prima certè nominis litera P. reperitur in variis actis ab anno vſque M. CCCC. XXXIII. Fuiſſe illum Theologiæ, Iuris, rerum agendarum eximiè peritum declarant tum duæ, quæ penes me exſtant, eius Orationes in Baſileenſi Concilio habitæ, altera ad ipſum Concilium, altera ad Imperatorem (nempe illcic interfuit & nomine Cleri totius Prouinciæ, & tanquam Orator Ludouici III. Ieruſalem, ac Siciliæ Regis, & Prouinciæ Comitis) tum quæ egit deinceps in Florentino Concilio, ac etiam in Græcia, vbi de Græcorum reconciliatione eſt actum. Ac interfuiſſe quidem illum Florentino Concilio, conſtat ex ſerie ſubſcriptionum prid. Non. Iulij, anni M. CCCC. XXXIX. quas inter hæc exſtat, *Ego Petrus Epiſcopus Dignenſis me ſubſcripſi.* Fuiſſe autem illum in Græcia, Claudius Robertus tecitat in Catalogo Epiſcoporum Meldenſium. Scilicet illo eodem anno Epiſcopatum commutauit, ac in nouam Eccleſiam largitionem teſtatus eſt. Roberti verba ſunt. *Petrus de Verſailles, Doctor eximius* M. CCCC. XXXIX. *dedit Eccleſiæ ducentos aureos ex pecunia ab Eugenio IV. accepta, pro negotiis per eum in Græcia bene geſtis.* Sequitur autem, *Obiit* M.CCCC.XLVI. *xi. Nouembris, & die ſequente, hora* 10. *ſepultus, &c.* De illo proinde apud nos aliud nihil ab exacto anno M.CCCC.XXXIX. comperi, quàm quòd legiſſe memini inter acta Ioannis Filioli, cùm anno M. CCCC. XLV. Inuentarium bonorum Epiſcopatus fieret per Dominum Petrum Turelute tunc Dignenſem Epiſcopum, adfuiſſe Guillelmum Roſtagnum, *quondam Vicarium Domini P. de Vercellis Dignenſis Epiſcopi, & nunc moderni Epiſcopi Meldenſis.* (Notarius nempe loquitur) qui habitas quaſdam à ſe claueis tradiderit dicto Domino Petro Turelure.

Vt quidpiam verò ſeligam ex iis Orationibus, quas illum in Concilio Baſileenſi habuiſſe dixi; Ecce in priore ad ipſum Conciliũ, poſtquàm mandatũ Regis expoſuit, iſtud inter cætera ſubdit, *Sunt etiã in Patria alij, Prælati quorum quidam ægritudine, & ſenio fracti, alij tenues in facultatibus, alij fortes viribus, quos velut oſſa Reipublicæ non expedit his temporibus à patria recedere. Hos omneis repræſentando, excuſatos haberi ſupplicamus, confidenter ad memoriam reducentes legem Dauid Regis, in iſtis dudum obſeruatam, videlicet, quòd euntibus ad prælium, & remanentibus ad ſarcinas, æqua erit pars, & par præmium.* In poſteriore verò, ita imprimis exorditur, *Sereniſſime, atque ſacratiſſime Princeps, Diue Imperator, ſemper Auguſte, cuius directioni ille, qui cæleſtia ſimul, & terrena moderatur, totius orbis commiſit habenas, vt C. ad leg. Rhod. de iactu, L. deprecatio, &c.* (videlicet paſſim interiicit leges, quæ erat temporum illorum facundia, atque eruditio) & ſubiicit mox, *Pro parte ſereniſſimi Principis, & Domini noſtri Ludouici III. Dei gratiâ Ieruſalem, & Siciliæ Regis, fideliſſimi Eccleſiæ vaſalli, ac filij deuotiſſimi, vt in Clem. Paſtoral. §. rurſus....... Veſtræ Imperiali ſublimitati proximâ, imò valdè proximâ conſanguinitatis lineâ coniuncti, ipſique multis & magnis naturalibus, atque...... confœderationum nexibus colligati: totiúſque ſuæ Prouinciæ, tres notabiles particulares Prouincias, Arelatenſem, videlicet, Ebredunenſem, & Aquenſem notoriè contentis, in conſpectu veſtræ ſacræ Imperialis Maieſtatis, aſſiſtentes ſolemnes, electi, atque deſtinati Ambaxiatores perſonaliter conueniunt, &c.* Deſumit deinde, quod appellat Thema, ex eo, quod lectum illo die in Eccleſia fuerit, nempe, *In Concilio iuſtorum*; ac argumento fuſiuſculè deducto, ſic demùm concludit, nihil ampliùs citans. *Relicto igitur Concilio impiorum, teneamus Concilium iuſtorum, &c.* ac tum perorat, Imperatorem ad promouẽdum Cõcilium, ne careat ſperato ſucceſſu, adhortando, ac ipſi negotia ſui Principis (cuius recenſet iterum conſanguinitatem proximam) commendando. Reſponſum autem Imperatoris ecce. *Nos multum gaudemus audire bona de Domino Rege conſanguineo noſtro; & benè recordamur de proximitate generis, & confœderationibus habitis, & initis inter nos, & Dominum Patrem ſuum bonæ memoriæ, qui ſi ſuperuixiſſet, ipſe Dominus.... Bituricen. Dux, mala, quæ nunc ſunt in Francia, non eſſent. Parcat ei Deus. Nos erimus ſemper parati ad complacita Domini Regis conſanguinei noſtri dilectiſſimi. Et vos bene veneritis.*

GVILLELMVS CARDINALIS DE ESTOTA-VILLA.

IS erat iam prior ſancti Martini Pariſienſis, & Eccleſiæ Andegauenſis electus Epiſcopus, cùm iuxta ipſius Procurationem conſcriptam Florentiæ memorato anno M.CCCC. XXXIX. ac die Nouembris III. immiſſus fuit in Dignenſis Epiſcopatus poſſeſſionem, die inſequentis Decembris xviij. Ita retulit Filiolus in acta, ac Procurationem ſubiecit, qua Capitulum tum reſidentiam depopoſcit, tum inſinuari ſummo Pontifici voluit, vt exſpectando eius mandata, ab vſque tranſlatione P. in Meldenſem Eccleſiam, ad electionem non proceſſiſſet. Cæterùm illo ipſo die creabatur Guillelmus Cardinalis Presbyter SS. Syluestri, & Martini in Montibus: vt minùs ſit mirum, ſi anno inſequente, & menſe Octobri, legamus in actis Bertrandi Iſnardi, quod relatum ſuperiùs eſt; ſcilicet, Vrbis *Syndicos ſupplicaſſe Ioanni Rudolpho Sacriſtæ, & Vicario generali in ſpiritualibus Reuerendiſſimi in Chriſto Patris Domini G. Dei gratia Dignenſis Epiſcopi, Cardinalis ſancti Martini vt vellet, &c.* Fuit verò etiam deinde factus Epiſcopus Portuenſis, ac ſanctæ Rufinæ; etiam Oſtienſis, ac Veliternus: Ne memorem fuiſſe Epiſcopum prætereà Marinenſem, & Biterrenſem; ac denique etiam Rothomagenſem Archiepiſcopum. Superſunt adhuc ea in Eccleſia nominis illius inſignia veſtigia, ac in iis ipſum Campanile, cum Campana ingenti eius nomine. Pariſiis Collegium, ſeu domus Facultatis Medicinæ, monumentum eſt liberalitatis ipſius.

Romæ

Romæ Eccleſiam ſancti Auguſtini Vrbis à fundamentis vſque exſtruxit, ſimúlque ditauit, atque exornauit. Fuere & eius munificentiæ teſtimonia alia complura. Nam quanti quidem aliunde fuerit, non in Gallia modò, ſed in aliis etiam Regionibus nominis (idque cùm illuſtris foret genere, ac Reges etiam attineret) ipſæ hiſtoriæ ſatis loquuntur.

Vixit Cardinalis xxxviij. annos, at Epiſcopatum Dignenſem rexit tantùm per annos ſex; ſcilicet ad vſque Decembrim anni M. CCCC. XLV. Per iſtud ſexennium varia legi acta, in quibus nunc Epiſcopus, nunc Adminiſtrator perpetuus Dignenſis Eccleſiæ vocatur. Dignum autem eſt memoratu, in laudem, ac decus tanti Præſulis, cùm habere ſibi non vellet, quos reditus perceperat ex ea Eccleſia, in qua neque vnquàm reſediſſet, neque vtile quidquam peregiſſet, fuiſſe illos poſtmodum ab eo ipſi Eccleſiæ reſtitutos; tum nempe, cùm Corraldus à Cruce, ſucceſſor Petri Turturelli, qui Epiſcopatum proximus ab illo obtinuerat, legitur in actis, quæ ſunt aſſeruata in Tabulariis Capituli, *ſoluiſſe ipſi Capitulo anno* M. CCCC. LXXVII. *ſummam ducentorum ducatorum aureorum, quos illi tradiderat Dominus Guillelmus Epiſcopus Oſtienſis, Cardinalis de Eſtote-ville, Archiepiſcopus Rothomagenſis, pro fundatione Anniuerſary, ſeu Cantarioli media die cuiuſque menſis, aut ſequente proximè, feſti ſolennitate non impedita.* Legimus præterea in Inuentario ornamentorum Eccleſiæ, quod anno M. D. LVIII: fuit conditum, aſſeruatam adhuc *Capellam Domini Cardinalis Rothomagenſis*; Meminíque ſeniores quoſdam retuliſſe mihi adhuc puero, viſum à ſe olim Galerum eius Cardinalitium ex Eccleſiæ beatæ Mariæ presbyterio adhuc dependens.

PETRVS TVRTVRELLVS.

ITa lego huius cognomen in Archiuis Aquenſibus. Quippe in Regiſtro, quod *Taurus* vocatur, legitur, *Dinumeratio Cenſuum, & Seruitiorum pro Reuerendo in Chriſto Patre P. Turturelli Dignenſi Epiſcopo, anno* M. CCCC. LXIV. Aliàs autem cognominari ſolet *Turelure*, ac nominatim in confectione memorati priùs Inuentarij. Porrò & in Codice eodem ita legiſſe memini. *Anno* M. CCCC. XLV. *Decembris xviij Sabbatho quatuor temporum; Rev. Pater Dominus P. Turelure, de Ordine Prædicatorum, Dei, & ſanctæ Apoſtolicæ Sedis gratiâ Dignenſis Epiſcopus, ordines celebrauit infra Dignenſem Eccleſiam, &c.* Id videlicet illicò ab adeptione poſſeſſionis. Sic in Homagio, quod præſtitit die xiij. Ianuarij ſequentis, dicitur *P. Turelure. Magiſter in ſacra Pagina, & de Ordine Prædicatorum.* Et dicitur quidem is annus M. CCCC. XLV. Sed nimirùm, quia is annus terminatus menſe Decembri non fuerat: iuxta id, quod iam ſemel eſt, atque iterùm adnotatum. Vnde & eodem eſt referendum, quòd inter acta Bertrandi Iſnardi, factum Laudimium legitur à Procuratore G. Cardinalis, &c. viij. Decembris M. CCCC. XLV. & à Procuratore P. Dignenſis Epiſcopi, vij. Februarij anni itidem M. CCCC. XLV. Prætereo hunc eſſe, qui biennio pòſt, hoc eſt anno M. CCCC. XLVII. ac die Nouembris xvi. Capellanias quaſdam Capituli menſæ aduexuerit, ex actis eiuſdem Iſnardi. Aliquot ipſius Statuta habemus anni M. CCCC. LX. & Statutorum confirmationem anni M. CCCC. LXIV. ac varia item acta ab eo anno, quo primum ſedit, in annum vſque M. CCCC. LXVI. cuius menſe Iulio, ac die XXII. mortuus legitur. Ipſe eſt, qui, quantum fando accepi, celebri cæremoniæ ad SS. vt vocant, Marias interfuit, panegyrímque elegantem habuit.

CORRALDVS A CRVCE.

HOc nomine legitur paſſim; tametſi interdum Conradus dicatur. Is fuerat ante Præpoſitus: electus eſt autem à Capitulo, anno M. CCCC. LXVI. Indictione xiv. die Iouis, quæ fuit menſis Iulij xxiv. (biduo ſcilicet ab obitu Petri) quod etiam iam antè, cùm de Electione ageremus, adnotauimus. Exſtat adhuc Electio inter acta Bertrandi Heſmiuij, in quibus etiam dicitur & Protonotarius, & legum Baccalaureus. Varia ipſius acta habentur ab anno huiuſcemodi in annum M. CCCC. LXXIX. ac nominatim Permutatio Prioratus S. Eugeniæ Corbonenſis, cum iuribus Marculphi, Euzeriæ, aliorum locorum ad Capitulum pertinentibus, anno M. CCCC. LXXVI. Itémque Solutio illa memorata ducentorum ducatorum aureorum ſibi à Cardinali Eſtotauilla conſignatorum, cum fundatione inſequuta anno M CCCC. LXXVII. Retulimus etiam ſuperiùs, confirmatum fuiſſe ab illo Statutum de Beneficiatorum reſidentia, anno M. CCCC. LXXIX. ac die Ian. xiij. cuius poſtridie legitur decimalia iura elocaſſe. Debet autem poſteà menſe Auguſto obiiſſe; quando legimus die eius menſis xxvii. Vicarium à Capitulo, Sede vacante inſtitutum, & in Bulla Sixti IV. confirmante vnionem dicti Prioratus S. Eugeniæ, menſe Octobri eiuſdem anni, memoratur, vt antè defunctus, *Bona memoria Conradus Epiſcopus Dignenſis.* Quòd verò die vltima Iulij Marcellinus Guiramandus contuliſſe legitur Capellaniam quandam Guillelmo Heſmiuio, tanquam adminiſtrator totius Epiſcopatus; id egiſſe intelligi poteſt, vt generalis Procurator ab ipſo Corraldo inſtitutus. Denique tacendum non eſt, cùm agnoſceret diuinum Officium ob diſtributionum exilitatem frigeſcere, donaſſe illum Capitulo pro diſtributionibus quotidianis Septuaginta florenos de auro: fidem faciente Inuentario Inſtrumentorum Capituli, Bullam exſtitiſſe huius donationis.

ANTONIVS GVIRAMANDVS.

OPtimi huius Epiſcopi plurima occurrunt acta ab illo vſque anno M. CCCC. LXXIX. in annum vſque M. D. XII. Non longè ab ipſa promotione delectus fuit à Carolo III. Comite Prouinciæ, vt eum Franciſco

de Luxemburgo, & Ioanne Iatento Cancellario poſtulatum iter à Sixto Pontifice Maximo Regni Neapoleos infeudationem. Anno M. CCCC. LXXXV. adeptus eſt Præpoſituram Bariolenſis Eccleſiæ; vnde & in quadam Collationis Bulla anni illius legitur, *Antonius Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Dignenſis Epiſcopus, Præpoſitus Eccleſiæ Collegiatæ beatæ Mariæ de Bariolis Foroiulienſis Diœceſeos Commendatarius, & Adminiſtrator perpetuus*, &c. De Prioratu Colliſ-martienſi, quem etiam obtinuerit, quia nihil, niſi fando, accepi, nihil eſt, quod adiiciam ad ea, quæ memorata ſuperiùs ſunt, cùm de conſtructione Eccleſiæ ſancti Hieronymi ageretur. Hæc porrò Eccleſia tam inſigne eſt munificentiæ eius monimentum; vt promptum omninò ſit colligere quantam haberet Eccleſiæ potiùs, quàm ſui, ſuorumve rationem. Heinc cætera quidem prætereo, ac nominatim erectionem Prioratus ſancti Vincentij in Religioſorum ſanctæ Trinitatis, & Redemptionis Captiuorum Adminiſtrationem, de qua antè quoque eſt dictum; ac adiungo ſolùm, quod adſcriptum fuit Martyrologij margini, ad xi. Kal. Nouembris. Illud ita habet. *Eodem die obiit Reuerendus in Chriſto Pater Dominus Antonius Guiramandi, præſertim Eccleſiæ Dignenſis Epiſcopus, qui conſtrui fecit Eccleſiam ſancti Hieronymi in præſcripta Ciuitate, nec-non & alia plurima bona dictæ Eccleſiæ fecit; cuius anima in pace quieſcat, anno* M. D. XIV. *die xxj. Octobris.* Oportet illum priùs ſeſe Epiſcopatu abdicaſſe; quando Succeſſoris ipſius acta aliqua legimus ab anno M. D. XIII. Illuſtre interim recitatum ex Martyrologio Elogium, cuius occaſione par eſt caram eius memoriam vigere in Eccleſia, quæ eſt adeò amantem, adeò beneficum erga ſe experta,

FRANCISCVS GVIRAMANDVS.

IS fuit Antonio ex Fratre Nepos, legique eum fuiſſe prius Præcentorem anno M. D. VII. Accepi etiam fando fuiſſe ipſum quoque Bariolenſem Præpoſitum; tametſi nulla mihi acta de ipſo, ſed de Marcellino ſolùm Guiramando occurrerint. Dixi iam quædam legi de eo, vt Dignienſi Epiſcopo, ab anno vſque M. D. XIII. Annis pòſt tribus profectus eſt ad Lateranenſe Concilium, ſub Leone X. celebratum. Quippe Seſſione XI. quæ habita eſt anno M. D. XVI. die Decembris xix. inter eos, qui interfuerunt, ita legitur. *Reu. P. D. Franciſcus Dignien.* Et poſtea inter vota, *Dignen. Placuerunt; ſine præiudicio Eccleſiæ ſuæ.* Et Seſſione XII. quæ habita eſt anno M. D. XVII. die Martij xvi. inter præſenteis iterùm recenſetur *Reuer. P. D. Franciſcus Dignen.* Anno poſteà M. D. XIX. Capitulo interfuit in acceptatione vnionis Prioratus Brachij Capitulari menſæ iam factæ. An pari modo interfuerit circa vnionem Prioratus de Caſtro-nouo factam anno M. D. XXXII. iuxta permutationem biennio antè factam per Philippum Guiramandum ex eius familia Canonicum, non comperi. Quatuor certè annis deinceps ſuperfuit; cùm de ipſius obitu hoc in Martyrologij margine fuerit adnotatum. Ad VII. Kalendas Iunias (quo etiam die Bonifacius ante memoratus obierat) *Ipſo die* M. D. XXXVI. *obiit, & fuit ſepultus Reuerendus in Chriſto Pater, & Dominus Franciſcus Guiramandi, Epiſcopus Dignenſis.*

CHERVBINVS DORSEIVS.

HVius mentio fit in Regiſtro Dinumerationum in Archiuis Aquenſibus. Siquidem inter cæteras illeic legitur, *Dinumeratio bonorum Epiſcopalium facta pro Reuerendo Patre Dignenſi Epiſcopo Cherubino d'Orſiere die xxv. February, anno* M. D. XXXVIII. Memoratur etiam ad annum M. D. XLIII. tum in Redemptione, ſeu Prerio, vt loquuntur, facto Fontium Baptiſmalium, quos conſtrui in Eccleſia fecit, die Iulij vij. tum In Placito, Arreſtove Curiæ Parlamenti, quod obtinuit die vltima Octobris. Eo nempe Arreſto Cenſus, & prouentus per Prædeceſſorem Franciſcum relicti, aduerſus hæredes ipſi adiudicantur; ſed ita nihilominùs, vt ſint in Eccleſiæ reparationem, pioſque vſus conuertendi. Poſtremò quædam Inueſtituræ ab eo concesſæ leguntur anno M. D. XLIV.

ANTONIVS OLIVARIVS

DE hoc aliud nihil memini legiſſe, quàm quod ſuperiùs ex Ciuitatis Tabulariis retuli, Acceptationem videlicet viridariorum aliquot ex quibus pars inferior Prati Planetarum adunata, & in Epiſcopatus rem verſa fuit, anno M. D. XLVI. & die iiij. Martij. Nempe, cùm ſexdecim antè annis Ciuitas emiſſet à Franciſco Guiramando, Epiſcopi Hortum, qui inter caſtrum Epiſcopale, & Mardaricum erat ſitus, Prato Nundinarum ampliando; idque florenorum trecentorum pretio, quibus fundus Epiſcopatui addicendus acquireretur; ideò huiuſmodi viridaria pretio illo coëmit, Antonio obtulit, ipſeque rem gratam, acceptamque habuit.

ANTONIVS HEROETVS

QVædam huius acta leguntur ab anno vſque M. D. LII. Annò autem M. D. LVI. tum Statuta confirmauit, tum Tranſactionem cum Capitulo iniit, circa jus nominandi, præſentandique Curatos, iis in oppidis, quorum Prioratus, Præbendæve ad Capitulum, aut Canonicos ſpectant. Anno M. D. LXVII. Comitiis Cleri interfuit, & contractui inter Regem, Clerumque inito ſubſcripſit. Vixiſſe debet in finem anni M. D. LXVIII. nempe vacaſſe legitur Sedes die Decembris xxvi. ac die Aprilis xv. inſequentis anni M. D. LXIX. legitur collatio Capellaniæ facta à Vicario Sede vacante conſtituto Is, quantum fando didici, & Longemæi Prior fuit, & non-nihil hæreſeos Caluinianæ inſimulatus. Poëtam fuiſſe intelligi licet, vel ex illo Ioachymi Bellæi

Epigram

Epigrammate, quod eſt à Roberto quoque recitatum.

Non, ſua ſit quamuis Gallis heroica Muſa,
Heroïs nomen Muſa tibi impoſuit:
Tam bene quod nobis verum deſcribis Erota,
Impoſuit Graio nomine nomen Heros.

HENRICVS MEIGNEMIVS.

IS Reginæ Margaretæ Præceptor, & Eleemoſynarius fuit. Procuratorem conſtituit, ac Pariſiis Diniam miſit Ægidium Coqueletum, à quo generalem Vicarium, Officialémque creatum legi memorato anno M. D. LXIX. ac die Octobris XXIJ. Incidi quoque in aliquam eius Scripturam autographam anni M. D. LXXV. in qua ipſius cognomentum ita exprimitur, *le Meignem*. Cùm decreuiſſet Epiſcopatum vel ſemel ſaltem inuiſere, acceſſit quidem Mezellum vſque, quod oppidum Diniâ duabus non ampliùs leucis diſtat; at Diniam vſque accedere neſcio quo caſu non ſuſtinens, dicitur Mezello retuliſſe pedem. Anno M. D. LXXXVII. Epiſcopatum Claudio ex Sorore nepoti ceſſit. Quippe tametſi in Carnotenſi Regis Henrici IV. inauguratione anno M. D. XCIV. facta, memoretur adhuc quaſi Dignenſis Epiſcopus; id tamen ſolùm ob Characterem, ac ſuperſtitem eum ipſo denominationem.

CLAVDIVS COQVELETVS.

FVit iſte, vt iam inſinuaui (aut quantum certè ſando accepi) Henrici ea ſorore nepos, ac, vt conijcere par eſt, memorati Ægidij filius, Canonicus, & Archidiaconus Meldenſis. Bulla ipſius exſtat a citato anno M. D. LXXXVII. & die Octobris XXVJ. licet relata ſolùm fuerit in Inſinuationum Regiſtrum anno M. D. XCIII. quo ſcilicet primum Diniam aduentauit. Is anno inſequente ſuaſit, vt ſuperiùs retulimus, commutationem Officij, cuius vſus erat antiquiſſimus, in Officium ex Tridentini Concilij decreto præſcriptum. Et res quidem ex ſe præclara, vt Deus vniformi ritu, quantum fieri poteſt, colatur: at bonus ille eam procuraſſe ob id maximè dicitur, quòd, cùm intereſſet Officiis, ea ipſi forent ſua prolixitate nimis importuna. Videlicet ingenita mobilitate impatiens erat, nec poterat admodum diu eodem in loco conſiſtere. Hinc & Pariſios breui pòſt rediit, & cùm Epiſcopatum reuiſit (nempe ſub initium huius ſæculi) tantum eſt duntaxat in eo commoratus, quantum fuit opus, vt reditus etiam ſolutione anticipata, exigeret; quippe cùm de Epiſcopatu dimittendo iam cogitaret. Et certè factus Pariſios redux, ipſum eum Lignienſi Abbatia commutauit: Id ſcilicet ineunte anno M. DC. II. Vnde & licet Pariſina Capucinorum Eccleſia conſecrata ab eo, vt Epiſcopo Dinienſi; dicatur anno M. DC. VI. id tamen eo modo eſt intelligendum, quo dictum de Henrico illius auunculo eſt.

ANTONIVS DE BOLLONIA.

VVlgare eſt hoc cognomentum, quòd hac ratione efferamus non Gallicam modò, ſed etiam Italicam vrbem celebrem Bononiam, è qua, & ea familia quidem Capizucorum dicta, Antonij maiores duxiſſe originem dicuntur. Is natus eſt Plani, prope Barcilonam, Ebredunenſis Diœceſeos (ſed ditionis Sabaudicæ) tertius ex ſeptem fratribus, quorum primogenitus Claudius iuriſprudentiam ſectatus cæterorum curam prope paternam geſſit. Cùm adoleſceret, nomen dedit Minimorum Ordini, ac Matiſcone potiſſimùm, cœnobij Procurator degit. Cum Stephanus autem, qui fuit natu ſecundus, profectus fuiſſet tempore Henrici III. Pariſios, ac eò demum profeciſſet, vt vnus Regiorum Eleemoſynariorum fieret, extera inter Sacerdotia, quæ ab Henricis partim III. partim IV. obtinuit, Abbatia Lignienſis fuit, quam Claudio Coqueleto ceſſit, cedenti viciſſim Dinienſem Epiſcopatum Fratri Antonio. Hic Bullam proinde adeptus anni memorati M. DC. II. menſe Martio, fuit ſequente Iunio inauguratus Lugduni. Diniam deinceps cùm veniſſet, non longè fuit, quin varia iura Epiſcopatus vendicaturus, liteis intentârit non paucas aduerſus Ciuitatem, aduerſus Capitulum, aduerſus plæraque Oppida; idque coram Aquenſi Curia, coram Regis Conſilio, coram Viennenſi Primatia; quo effectum eſt, vt præter animi angores, etiam continuis penè morbis corporis fuerit conflictatus. Quòd Epiſcopalis domus per bella ciuilia, vt antè eſt dictum, fuiſſet diruta, ædeis aliquot conductitias per primos annos inhabitauit; ac ſatis amplam deinceps domum in extremo Trauerſiæ ſuburbio exædificauit, quam tamen moriens non Eccleſiæ, ſed minimo natu ex Fratribus Iulio, qui & Gubernator Nogenti Campaniæ, & vnus Oeconomorum domus Regiæ erat, reliquit. Ipſa eſt, quam ante annos aliquot Religioſæ Viſitationis ab ipſo Iulio coëmerunt, & Inſtituto accommodatam, conuertêre in id, de quo dictum eſt, Monaſterium. Antonius porrò morbis confectus, nec ſine pœnitudine, quòd non tranquilliùs vitam degiſſet, obiit demum Tanarone, quod Epiſcopalis ditionis eſt oppidum, anno M. DC. XV. ac die Septembris XXIV. Euicerant Guillelmus Falconius tum Proſeneſcallus, aliique eius affines, vt tranſlatum Diniam cadauer ſepeliretur ad medium Chori Eccleſiæ Sancti Hieronymi; curârat etiam Flayoſceus monumentum lapideum cum ſtatua incumbente ſuperexſtrui, perinde nempe, ac ſi Eccleſiam condidiſſet, ditaſſet, ornaſſet; verùm, cùm Chorus inſtauratus ante annos viginti fuit, tum Monumentum fuit exciſum, tum Statua conjecta in illam concamerationem, quæ maiori Altari, Sacriſtiæque interjacet.

LVDOVICVS DE BOLLONIA.

IS fuit fratrum aliotom vnus, qoem Stephanos iam fecerat vt Eleemoſynarium Regium, & Priorem commeodatarium S. Catharinæ Pariſienſis Vallíſ-ſcholarium; ita & Coadiutotem Dinienſem. Cootigir tamen, vt, cùm pet id tempus, quo Antonij mors obaudita, verſaretur in Aquitania, in comitatu videlicet Ludouici XIII. eò profecti nuptiarum causâ cum Anna Auſtriaca ex Hiſpania tum aduentante, correptus fuerit paralyſi, qua vt ſanari nunquam potuit, ita neque vnquam in Epiſcopum conſecrari. Captum tenebat paralyſis integro corporis dimidio; adeò vt præpeditâ etiam linguâ, vix duas aut treis neſcio quas ſyllabas poſſet balbutire. Ac deductus quidem fuit Diniam, ſi quà ipſi Balnea, Thermæque prodeſſeot; at remedium ipſi fruſtrà vſurpatum; cùm foret aliunde & impatiens, &, quantum multis quidem indiciis declarauit, ſubiracundus. Fuit itaque reductus Nogentum, io domum fratris Iulij, qui ex eius procuratione bona Epiſcopatus, & alia, quoad vixit, adminiſtrauit. Datus interim Nepos Coadjutor, ac relictus ipſi Epiſcopi titulus, quem proinde obtinuit ab anno M. DC. XV. in M. DC. XXVIII. ac ineuntem menſem Februarium, quo obiit Nogenti.

RAPHAEL DE BOLLONIA.

HIc Nepos eſt mox ante dictus, ex Claudio primogeoito. Natus ad Mootem Durium (vulgò *Mondeuy*) Pedemontij, militiæ primùm nomen dedit, vode & meruit Antipoli. Traductus inde fuit Muſſi-pontum Lotharingiæ ſtudiotum gratiâ; vbi & degebat, cùm ſalute Ludouici iam deſperata, voluit Stephanus, aliis licet fratribus reluctantibus (ſed memor nempe beneficiorom à Fratre Claudio acceptorum) vti & Coadiutor Ludouici efficeretur, & Prioratom etiam ſanctæ Catharinæ, cum reſeruata Ludouico inſigni penſione, obtineret. Fuit itaque Coadiotor, cum titulo, vt eſt pro more, Megarenſis Epiſcopi, ab anno vſque M. DC. XVII. quo eſt ipſum etiam Prioratum ſanctæ Catharinæ adeptus. Acceſſit primùm Dioiam, me præſeote, perorantéqoe, anno M. DC. XIX. ac menſe Septembri; & dirempta lite in Magno Cooſilio, quam Patruo Iulio Epiſcopalium redituom causâ mouerat, vixit deinde partim Dioiæ, partim Pariſiis Coadiutor, quoviſque plenè Epiſcopatui, iuribúſque ipſius, ac Prioratus etiam, ſucceſſit ex Ludouici obitu, memorato Februario anni M. DC. XXVIII. Cùm profectus eſſet Romam ſub finem anni M. DC. XXXII. Vrbanos VIII. ſummus Pontifex ipſum Adſiſtentem Februario ſequente creauit. Anno M. DC. XXXV. deſtinatus fuit Pariſios ad Comitia Cleri generalia; vnde inſequentibus annis redux, quæſiuit Areis, prædia tum vrbana, tum ruſtica, in quibus clementiore cælo exigeret hiemes, quas tranſigere Diniæ, niſi incommodè, non poſſet. Denique annus eſt, ex quo agnoſcens obeſſe ſibi tam ætatem, tum incommoda varia, ne poſſit deinceps muniis Epiſcopalibus defungi, Coadintorem, futurúmque ſucceſſorem ſibi delegit.

TOSSANCTIVS FORBINIVS.

IS eſt Coadiotor, ſucceſſórque à Raphaële deſtinatus; quem & Rex Chriſtianiſſimus acceptum, probatumque habens, Summo Pontifici (vt pro more, iuxta Concordatum eſt) nominauit. Exſpectatur proinde Pootificia Bulla in dies; ac ſumma interim eſt lætitia, qua Clerus, Populúſque eſt, ob ſpem de eo ſummam conceptam, perfuſus. Quippe, vt genere eſt illuſtri (nempe ex Ianſonij Marchionibus) ſic indole eſt verè bonus, comparatúſque ad omnem virtutem. Iuuenis eſt adhuc ætate, ſed ſenex tamen moribus; meminique etiam, dum pueritiam exigens, operam daret ſtudiis, demiratum me quaio iam tum morum moderationem, ac iudicij maturitatem præ ſe ferebat. Quò fit, vt oullus hæream, quin ſingulari tum prudeotia, tum bonitate Eccleſiam regat, & boni, imo optimi Paſtoris elogium mereatur. Id alij, vt ſpero, olim celebrabunt; nam me quidem, quod attioet, ſpes eſſe, ac votum non poteſt,

Vt mihi tam longa veniat pars vltima vitæ,
Spiritus &, quantum valeam eius dicere facta.

CAPVT XXV.

Dinienſis Eccleſiæ Præpoſiti ab annis proximè quingentis.

AN verò condonabitur, ſi, cùm inter euoluendum Acta varia, tot nomina Præpoſitorum ab vſque Vgone, qui in Bullis Alexandri III. & Lucij III. memoratur, occurrerint, vt liceat ex iis ſeriem penè continenteio pertexere; aggrediar illos recenſere? Facerem ſanè verecundiùs, qoòd ipſe illorum ſucceſſor, & quaſi agmen hacteous claudens, ipſis denique acceoſendus ſim; verùm, quatenus ea Dignitas eſt poſt Pontificalem (ſic enim aiunt) prima, ac totum ipſum Capitolum, cuius caput eſt, repræſentat; videotur poſſe, imo debere, qui hactenus eam obtinuerunt (aut quos certe licuit ex iis aſſequi) proximè ab ipſis Pontificibus, ſeu Epiſcopis memorari. Id ſaltem debere iis videor, qui mihi ſucceſſuri ſunt, ne hac qoalicumque notitia ſuorum Anteceſſotum careant, quam fortaſſis, niſi per me (qui ipſam mihi labore magno peperi) tranſmiſſam, non ſint habituri. Dixi, qnos licuit aſſequi; nam & certum eſt ante Vgooem quam-plurimos alios ab Eccleſiæ vſque inſtitutione exſtitiſſe; & ooo diffiteor, quin deinceps aliqui interceſſerint, io quos poſſe incidere non fuerit meæ fœlicitatis. Ij, ſi quando fortè aut operâ datâ, aut caſu quopiam innoteſcent

poterunt

poterunt iſtis, qui à me traduntur, facilè intexi: Interim verò huſce à me compertos non inuideo; vt ipſis attexi ij ſaltem, qui conſequuturi ſunt, poſſint; ſi qui modò futuri ſunt, qui ſuo ſtudio digna hæc ducant. Rem paucis eccc.

VGo. Ipſe eſt, quem dixi memorari in Bullis ab ALEXANDRO III. Anno M. C. LXXX. & LVCIO III. anno M. C. LXXXIV. conceſſis. In ipſis nempe Pontifices ſcribunt, *Dilectis filijs Vgoni Præpoſito, & Canonicis ſanctæ Mariæ Dignenſis.*

P Fortè PETRVS. Legitur in Declaratione Epiſcopi B. fortè Bertrandi, cuius ſuo loco meminimus, circa ius vocatum Mortalagij, nonnulláque alia ad Capitulum pertinentia, die viii. Martij, anno M. C. XCII. Extat verò adhuc declaratio in charta pergamena cum duobus ſigillis, in Archiuis Capituli.

A Fortè ANTONIVS. Legitur in Diplomate, quo dictum eſt ſuprà Raymundum Berengarium confirmaſſe conceſſionem Præpoſito factam à maioribus ſuis Ildefonſo, & alio Raymundo Berengario, Iuriſdictionis, & immunitatis Burgi; idque, cùm foret in ipſo Burgo die viii. Martij, anno M. CC. XXI.

GVILLELMVS. Legitur in Diplomate alio, quo idem Raymundus Berengarius, Prouinciæ Comes, cum diuerſaretur in domo Præpoſituræ, die IV. Auguſt. an. M. CC. XXX. conceſſit ipſi Salinum, ac tranſlationem eius, quod erat Diniæ, in Burgum; ſimúlque ſex heminas Salis, præter id, quod ſolitum erat hebdomadatim exigi (vna Quarteria ſcilicet, ſingulis diebus Sabbathinis) ſed nempe acceptis à Præpoſito Raymundinis bis mille, & quingentis, pro huiuſmodi tranſlatione.

HVGO DE THOARDO. Legitur hic ſolus ſine anno, in eo Chartulario, quod diximus antè fuiſſe conditum anno vigeſimo ſæculi inſequentis. In eo ſcilicet memoratur fundata ab ipſo Capellania, abſque vlla mentione anni. Videtur autem in hunc locum, potiuſquàm in alium, poſſe coniici, propter hiatum quinquaginta annorum interceptorum inter duo acta, quorum alterum ad Guillelmum mox memoratum, alterum ad Hugonem de Lauduno mox memorandum attinet. Ac illud quidem interuallum potuit, niſi ab vno, ſaltem ab vtroque ea parte compleri: ſed potuit etiam, & probabiliùs quidem, tertius quiſpiam interiici; nemo verò præter Hugonem de Thoardo hactenus occurrit. Quòd ſi alius fortè deinceps exhibeatur, illum ſubſtitui non repugnabo; vti neque diffitebor, quin Hugo de Thoardo eſſe idem potuerit cum illo Vgone, qui primo loco nominatus ex Bullis Summorum Pontificum fuit, ſi vel leuis ſit coniectura. Quanquam probabile vix fiat, nomen id Diniæ ſolitū cum adſpiratione ſcribi, fuiſſe ſine adſpiratione Diniâ Romam miſſum, ac Romæ proinde & lectū, & ſcriptū.

HVGO DE LAVDVNO. Procuraſſe hic legitur, vt prius illud Diploma, quod A. Præpoſitus à Raymundo Berengario circa Iuriſdictionem, & Immunitatem Burgi obtinuerat, referretur authoritate Regij Iudicis in publica acta Notarij, abs quo exempla peti poſſent. Id verò ille egit die IV. Maij, anno M. CC. LXXXI. Coniicere licet hunc fuiſſe nepotem ex fratre cognominis Epiſcopi, cuius ſuo loco eſt facta mentio: ac, niſi illo ſuperſtite factus fuerit Præpoſitus, ſaltem fuiſſe Canonicum, qui deinceps potuerit Præpoſituram adipiſci.

RAYMVNDVS AVBERTVS. Appellaſſe hic legitur ab vſurpata Iuriſdictione per Iudicem Regium, ann. M. CC. LXXXVII. ſine expreſſione diei, aut menſis. Interceptus fortè Raymundus inter duos Hugones eiuſdem cognominis fuit, quòd poſterior prioris nepos ætatis nondum maturæ foret.

HVGO DE LAVDVNO. Legitur in Oppoſitione per ipſius Locum-tenentem, ac Baiulum, facta cuidam Præconizationi, de non portandis armis prohibitis, quam fieri in Burgo Iudex Regius tentârat, die Iunij XIV. ann. M. CC. XCIV. Eodem verò anno, & die XXIV. Nouembris legitur tam ſui, quàm Capituli causâ deſcribi curaſſe per Hugonem de Brianſono Notarium, Sententiam Guillelmi Epiſcopi, circa Seruitores Eccleſiæ. Deſcripta eſt autem in membrana, ac aſſeruatur etiam-num in Tabulariis Capituli.

GVILLELMVS DE LAVDVNO. Is videtur fuiſſe germanus Hugonis. Legitur in Licentia à Capitulo conceſſa Raynaudo Epiſcopo circa Sacriſtiæ collationem, ipſo ſtatim initio anni M. CCC. III. Et cognomen quidem illius ibi non apponitur; ſed non videtur tamen fuiſſe alius ab eo, cui id adhibetur tam in Declaratione Regij Iudicis de nulla habenda præconizatione in Burgo facta die I. Auguſti ann. M. CCC. XVI. quàm in Inueſtitura de quadam terra, die Auguſti XII. ann. M. CCC. XX. & in Chartulario ſæpiùs memorato, quod fuit ſub eo conditum in Capitulo generali ſancti Martini, menſe Nouembri eiuſdem anni. Quin-etiam idem poſſe eſſe videtur, licet abſque cognomine, qui interfuit Capitulo diei III. Auguſti, anni M. CCC. XXIV. quo Guillelmus de Sabrano Statuta priſca reformauit.

RAYMVNDVS DE AGOVLTO, DE PONTEVES. Legitur in Indicibus Archiuorum Aquenſium præſtitiſſe Homagium anno M. CCC. XXXI. Monimentum verò inſigne temporis, quo vixit, eſt Chartularium Inquiſitionum, Proceſſuum criminalium, & Sententiarum ab eius Clauario, ſeu Iudice pronuntiatarum; annis M. CCC. XXXVI. & duobus inſequentibus, quod etiam num exſtat.

Ac in fronte quidem legitur luchoatum anno M. ccc. xxxvi i. ac menſe Decembri; At inſerta tamen fuere quædam acta ab anno vſque antecedente, vt quod his verbis legitur. *Anno Domini* M. ccc. xxxvi. *die* ii. *menſis Nouembris, tempore Nundinarum omnium Sanctorum, Dominus Roſtagnus Guiramandi Iuriſperitus, habitator Ciuitatis Digna, Iudéxque venerabilis, & potentis viri, Domini Raymundi de Agonto de Ponteues, Eccleſia Dignenſ. Prapoſiti, Burgi Digne, & eius territorij Domini, pracepit, & iniunxit Iacobo Neuegerij nuntio, & praconi publico Curia dicti Domini Prapoſiti, praſenti, audienti, & intelligenti, quòd vadat praconizare per Burgum Digna, & loca conſueta, vt eſt moris, praconizationem ſubſcriptam. Mandamentum eſt Domini Dignenſis Prapoſiti, & Conſulum Burgi Digna, quòd Raymundus Borrelli de dicto Burgo, delatus in Curia Domini Prapoſiti, de fractione carceris, nec-non, & de diuerſis aliis maleficiis per ipſum infra dictam iuriſdictionem patratis, infrà decem dies proximè futuros in dicta Curia perſonaliter comparere procuret, iurare petituris, ſub pœna viginti librarum.*

RAYMVNDVS BOERIVS. Legitur primùm in Teſtamento ciuis vocati Iſcardi Aime, delectus nempe qui mandata à Teſtatore exſequi curaret, idque die Iunij xvij. ann. M. ccc. LVI. Deinde in facta ab ipſo Dinumeratione omnium tam mobilium, quam immobilium Præpoſituræ bonorum, die Maij xij. ann. M. ccc. LIX. Poſteà in Sententia lata inter ipſum, & Epiſcopum, circa agnorum, hædorúmque in territoriis tam Vrbis, quàm Burgi procreatorum decimas, die Iulij xxj. ano. M. ccc. LX. Ad hæc, inſigne eſt monumentum pietatis illius, affectúſque erga Præpoſituram laudabilis, fundatio Capellaniæ, quam & quadringentis florenis dotauit, & adnexam menſæ Præpoſituræ voluit, die Martij xxij. ann. M. ccc. LXXIII. Tametſi certè ea ſumma ex parte euanuerit, ex parte propter imminutum floreni valorem nullius penè reditus iam ſit; eiuſmodi tamen fuit, cuius fœnore poſſent tres, aut quatuor Beneficiati ſuſtentari. Vnde & tantò magis commendari vir optimus debet, quantò cæteri fuere rari, qui Præpoſituræ bona aut non diripuerint, aut certè non neglexerint. Fortè iſte fuit Raymundus Boëtius, qui in Capituli Tabulariis legitur fuiſſe Capellanus, & Procurator Capituli; eóque nomine admiſiſſe inſolutum dationem cum laudimio Capitularis domus, ad Portam Vbaquij, de qua ſuo loco dictum eſt.

BERTRANDVS RODVLPHVS. Legitur in Inueſtitura pro domo ſita in Ciuitate, ac vico Iuraria, ſeu Iudæorum appellato, die i. Decembris, ann. M. ccc. xcv. Itémque pro terra, nemore, & inſula in territorio Marculphi, die Ianuarij xxv. ann. M. ccc. xcvi. Exiſtimarem hunc eundem eſſe, qui fuerit poſteà Epiſcopus, niſi id obſtaret, quòd inſinuatum ſuperiùs eſt, fuiſſe Epiſcopum ex aliquo potius Monachorum Cœnobio, quàm ex Præpoſitura aſſumptum, ob literam F. quæ nomini illius ferè vbique præmittitur.

BERTRANDVS DE SEGVRATO. Is fortè fuit nepos ex fratre Epiſcopi cognominis, de quo dictum ſuperiùs fuit. Legitur autem præſtitiſſe Homagium Ludouico II. Siciliæ, &c. Regi, Prouinciæque Comiti, pro Iuriſdictione, & tota temporalitate Burgi, die Octobris xj. anno M. ccc. ic. Quo anno, ac die præſtitum quoque fuiſſe homagium à Nicolao de Cerbario Epiſcopo, ſuo iam loco ex Archiuis Aquenſibus retulimus.

BERTRANDVS RODVLPHVS. Is eſſe potuit prioris nepos, maximéque, ſi ille idem, qui eſt iam memoratus, Epiſcopus fuit. Legitur autem in Appellatione à quadam Officialis Dinienſis ſententia, circa Decimæ perceptionem ex neſcio qua terra, ſeu fundo in Ciuitatis territorio, die Septembris xxij. ann. M. cccc. XII.

RAYMVNDVS DE ROSSET. Is curaſſe legitur die Nouembris iij. ann. M. cccc. XXI. exſcriptum fieri aliquot Inueſtiturarum à Raymundo Boërio iam memorato collatarum. Legitur etiam conſtituiſſe procuratores aliquos gerendis negotiis Confratriæ S. Spiritus, vt ad eius curam, regiménque ſpectantis, die Ianuarij xviij. anno M. cccc. XXIV. Qua occaſione ipſi procuratores tum elocauerunt, tum ad accapitum, ſeu in emphyteuſin dederunt quoſdam ex Confratriæ fundis, menſibus Aprili, & Maio anni inſequentis M. cccc. XXV.

IOANNES DE PVTEO. Is legitur Capitulo elocaſſe omneis Præpoſituræ reditus, pretio florenorum auri ſexaginta, die Auguſti xx. ann. M. cccc. XXXVII. Quo eodem anno in tranſlationem Nundinarum ex Burgo, in Vrbem conſenſit; vt ſuperiùs meminimus. Fortè is idem fuit, qui tribus pòſt annis fuiſſe legitur (inter acta Ioannis Filioli) Ebredunenſis Præpoſitus, ac ſimul Canonicus Dignenſis. Nempe quaſi Præpoſituram Metropolitanam adeptus, Cathedralem dimiſerit, & cum Canonicatu (quem ſimul, vt ex antedictis, fuit moris, poſſidere potuerit, cùm non poſſet perinde Præpoſituram) commutârit.

PETRVS GASTINELLVS. Is legitur fuiſſe Archidiaconus ab anno M. cccc. XLVI. Præpoſitus verò ab anno M. cccc. XLIX. Hoc ſcilicet anno, ac die Decembris xiv. cùm Procurator Guillelmi de Eſtota-villa (eiuſ creandi mox Cardinalis ſuo loco meminimus) admitti in poſſeſſionem Epiſcopatus poſtularet, fuiſſe exſpectandus legitur (quippe non procul aberat) in diem xviij. Heinc, cùm rediiſſet, facta eſt eo die, ipſo immittente, poſſeſſionis adeptio. Quid ipſe, & Capitulum proteſtati tunc fuerint, memoratum eſt, cùm de Electione. Cætera inter acta, interfuiſſe legitur Compoſitioni litis circa reditus

cuiuſdam

cuiuſdam Capellaniæ, die v. Ianuarij anni M. CCCC. L. Si coniectura quicquam valet, Quia Ioannes de Puteo non potuit nec Præpoſituram, nec Archidiaconatum Dinienſem ſimul cum Præpoſitura Ebredunenſi poſſidere, debuit priùs Petrus Archidiaconatum cum Canonicatu commutare, ac deinde cedenti Præpoſituram Ioanni Canonicatum concedere.

CORRALDVS A CRVCE. Legitur in variis actis ab anno M.CCCC.LIII. cuius Aprili, ac die xx. interfuit Capitulo, in quo factæ fuere optiones à Canonicis occaſione Præbendæ Sacriſtiæ vacantis. Is, quantum coniicio, Delphinas, vel Sabaudus fuit, ob familias cognomines, & ob commercium, quod cum Guitto Riueto de Chamberico habuit, maximéque anno M. CCCC. LVI. Electum hunc fuiſſe à Capitulo in Epiſcopum, & ſic commiſiſſe ſuas duas voces vni ex Canonicis, vt ille in ipſum eas retulerit, idque die Iulij xxiv. an. M. CCCC. LVI. commemoratum ſuperius eſt; vti & vixiſſe Epiſcopum ad annum vſque M.CCCC.LXXIX.

LVDOVICVS AVDEMARIS. Creatus fuiſſe legitur à Capitulo in Præpoſitum, ipſa eadem die Iulij xxiv. ann. M CCCC.LXVI. qua facta Corraldi electio. Videlicet ſtatim, ac Corraldus fuit conſenſu prorsùs vnanimi electus in Epiſcopum, Præpoſituram reſignauit in manus, ſeu poteſtatem Capituli, & Capitulum illico in Ludouicum eam contulit, vt conſtat ex actis vno tenore conſignatis in eodem regiſtro Bertrandi Heſmiuij. Cùm deinceps verò Ludouicus legatur in aliquot actis fuiſſe adhuc Canonicus, An renunciauit Præpoſituræ ob defectum graduum? An, quia ſuſceperat illam ſolùm, vt gratificaretur Corraldo, qui vni nepotum ipſam deſtinaſſet, vnde & illi eam ceſſerit, quam primum idoneus obtinendæ fuit?

IACOBVS DE GLANDEVES. Legitur in quibuſdam actis, nominatim verò Dationis in accapitum, die Martij xvi. itemque xviii. anni M. CCCC. LXIX. & xxiv. Nouembris, anni M. CCCC. LXX. Fuiſſe ipſum porrò Corraldi (ex ſor ·ee putà) nepotem, conſtat ex quadam Tranſactione inter Epiſcopum, & Capitulum inita, die Auguſti xvi. an. M.CCCC.LXXXVI.

ROBINVS CADRVS, vulgò *Caire*. Legitur primùm in fundatione Anniuerſariorum Cardinalis Rothomagenſis, ceu de Eſtota-villa, quorum ſuperiùs facta eſt mentio, die Nouembris xx. an. M.CCCC.LXXVII. Ac poſtremò in emptione cuiuſdam cenſus, die xij. Ianuarij, anno M. CCCC. LXXXI. Idque præter acta quædam intermedia, ex quibus nec valdè induſtrium, nec valdè cordatum fuiſſe illum conſtat.

MARCELLINVS GVIRAMANDVS. Legitur admiſſus in poſſeſſionem Præpoſituræ die Septembris xx. an. M. CCCC. LXXXII. idque, cùm priùs fuiſſet Præcentor, à die Maij xiij. anni M. CCCC. LXXX. Is ita bonis Præpoſituræ alienandis fuit comparatus, ita omnia in rem ſuam vertit, vt vix vlla maior ab alio iactura. Nimis certè multa exſtant eius acta, quæ comprobare id valeant, ab illo vſque anno, in annum M.D.V. Alius fuiſſe ab hoc videtur, qui Marcellinus Guiramandus factus fuit, ex Antonij Epiſcopi reſignatione Barjolenſis Præpoſitus, ac iam tum fuiſſe in Parlamento Aquenſi Conſiliarius Regius memoratur; veluti conſtat ex tranſactione, quam iniit cum hominibus Barjolenſibus, illo ipſo anno Noſter certè in quibuſdam actis illo tempore poſterioribus, neque ſe Conſiliarium, neque Barjolenſem Præpoſitum, ſed quondam Dignenſem Præpoſitum dicit.

PHILIPPVS GVIRAMANDVS. Is ſuperioris, vt puto, nepos, legitur in variis actis ab anno M. D. V. in M.D.XXII. Tametſi verò nec mercaturam Patrui inſtar exercuit, nec tantum bonorum Præpoſituræ immobilium dilapidauit; attamen nec manus omninò continuit, nec patrui pœnitentiâ multum amatior euaſit.

TANSQVINVS GVIRAMANDVS. Is legitur fuiſſe immiſſus in Poſſeſſionem Præpoſituræ die Auguſti x. an. M.D.XXII. Varia exſtant illius acta, maximè verò bonorum, ac iurium Præpoſituræ Dinumeratio, exhibita anno M.D.XXVII. & in Archiuis Aquenſibus exſtans. Teſtamentum condidit die vltima Martij, an M.D.XLIX. vti habetur ex Regiſtro Solidorum cenſualium, Anniuerſariorumve Eccleſiæ.

RAYMONETVS GVIRAMANDVS. Is legitur poſſeſſionem adeptus die II. Aprilis an. M.D.XLIX. Quòd defectu tamen Natalium, & falſi crimine laboraret, eam pacificè non obtinuit, ſed ipsâ tandem depulſus fuit Magni Conſilij placito, Arreſtove, die v. Aprilis an. M.D LIV. Dignenſis Canonicus fuerat ab anno M. D. XXX. cùm & literas prouiſorias quadriennio antè obtinuiſſet, Præpoſiturâ cùm excidiſſet, fuit Canonicus Barjolenſis.

LAVRENTIVS DE CASTELLANA. Is ſucceſſit in poſſeſſionem Raymoneto Guiramando, Arreſto Magni Conſilij, diei v. Aprilis anni M. D. LIV. Varia exſtant illius acta, ab eo vſque anno, in annum M. D. LXXX. Fuit idem ſimul Archidiaconus Glandatenſis, ſeu Interuallium, ac Prior Serenoni. Cùm anno autem M.D. LXXXI. ac die 17. Februarij reſignaſſet Auenionenſi Legato, tum Præpoſituram in fauorem Blaſij Brunelli, in eadem Eccleſia Beneficiati, tum Archidiaconatum, Prioratumque in fauorem cuiuſdam Roſtagni Leotardi, Bulla fuit obtenta die 17. ipſeque obiit 20. inſequente. Fando autem accepi, cum inuitis quibuſdâ conſanguineis Sacerdotia ceſſiſſet viris, quos probatæ vitæ,

vitæ, doctrinæque delegerat, fuiſſe eo moriente direptam ſuppellectilem, ipſúmque deinceps iacuiſſe totum diem in ſtrato neglectom. Neque verò ideò habendus infœlix; quoniam interim eius animus laudati affectus præmio fruebatur.

BLASIVS BRVNELLVS. Is eſt, in cuius grariam, Præpoſiturãm reſignatam à Laurentio, dictum mox eſt. Theologiæ Pariſiis ſtuduerat, & per primos annos etiam concionabatur. Quòd obeunte Laurentio nondom fuiſſet allata Bulla, Capitulum contulerat Præpoſiturãm Melchiori Laugerio Sacriſtæ, qui illius proinde poſſeſſioni toto inſequente Martio reſtitit, & ceſſit tamen, initâ neſcio qua concordiâ, Kalendis Aprilis. Admiſſus à Capitulo die inſequente, Iuriſdictionis Officiarios creauit die vi. ac varia deinceps fuere eius acta per totos xliv. annos, quibus vixit Præpoſitus. Nempe illius Reſignatarius non eſt adeptus poſſeſſionem, niſi medio Aprilis anni M. DC. XXV. neque ipſe obiit, niſi Auguſto inſequenti. Vir bonus, & inooxius, ſed rerum agendarum non admodùm gnarus; quanquam & in eo laudabilis fuit, quòd meliora monenteis audiit, & bona, ac iura Capituli conſtanter defendit.

BLASIVS AVSSETVS. Is ille eſt Reſignatarius, quem poſſeſſionem adeptum dixi memorato anno M. DC. XXV. ac poſtridie Eidus Aprilis. Pacifica tamen poſſeſſio non fuit, quam etiam denique amiſit placito, Arreſtove Parlamenti Aquenſis, die Decembris xix. anno M. DC. XXXIV. Quid detrimenti ex eo paſſa Præpoſitura fuerit, memorare nihil attinet.

PETRVS GASSENDVS. Is eſt, qui à memorato anno M. DC. XXXIV. ac Natalitiorum Vigilia, in poſſeſſionem ſucceſſit, in qua &, Deo bene propitio, adhuc perſeuerat, dum iſthæc edit Pariſiis, menſe Aprili; anno M. IϽC. LIV.

Notitiæ Eccleſiæ Dinienſis

FINIS.

CONCILIVM AVENIONENSE ANNI M. CCC. XXVI.

EX MS. CODICE STATVTORVM Eccleſiæ Dinienſis.

PETRVS GASSENDVS LECTORI.

QVANDOQVIDEM inter Concilia, quæ hactenus collecta, editáque ſunt, nulla fit eius mentio, quod Anno ſupra milleſimum trecenteſimo vigeſimo ſexto, Auenione habitum à trium Metropoleon, ſiue Prouinciarum Præſulibus, Capitulorúmque, & Abbatum Procuratoribus fuit; ac illud tamen inter Statuta Dignenſis noſtræ Eccleſiæ aſſeruatum etiam-num exſtat (quippe exaratum pridem in membraneo, eóque gemino Codice) ideò videtur operæ-pretium ipſum inde eruere, ac facere publici iuris. Et memoratur quidem aliud iſthæc circiter tempora, hoc eſt ſub IOANNE XX. ſeu, vt in noſtro legitur, & vulgò habetur, XXII. Auenione itidem celebratum; verùm id fuit planè ab hoc noſtro diuerſum. Quippe conuocatum ſolummodò fuit aduerſus PETRVM CORBARIENSEM (quem ex Minorum ordine aſſumptum Imperator LVDOVICVS IV. Bauarus IOANNI ſummoperè infenſus, creari Antipapam, nomine NICOLAVM V. procurauerat) ipſum videlicet docentem *Chriſtum, eiuſque Diſcipulos exſtitiſſe adeò pauperes, vt nihil vnquam neque priuatim, neque in commune habuiſſent*; at verò huius noſtri non alius fuit ſcopus, quàm vt ſancirentur varia capita Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Videtur porrò Concilium hoc non ſimpliciter Prouinciale habendum, ſed quadamtenus etiam Nationale; quatenus non vnius ſolùm, ſed trium etiam Prouinciarum concurrerunt Epiſcopi ad illius celebrationem. Nec fuit verò nouum, vt tres hæ Prouinciæ ad prouidendum Eccleſiæ neceſſitatibus coïrent; ſiquidem in noſtris eiſdem Statutis antecedenter ſic legitur: *Hæc ſunt Statuta dudum edita per bonæ memoriæ Dominum Iacobum Ebredunenſis Eccleſiæ quondam Archiepiſcopum, & cæteros Archiepiſcopos* (intellige vnà cum Epiſcopis Suffraganeis) *Comitatus Prouinciæ, quæ, inter alia, volumus, & præcipimus infra noſtram Ciuitatem Dignenſem, & Diœceſin ab omnibus obſeruari.* Vixerat autem Iacobus iſte ſub antecedentis ſæculi dodrantem; nempe poſt Henricum Cardinalem Oſtienſem, à quo habemus etiam Statuta in Prouinciali Concilio Sedenæ habito, anno M. CC. LXVII. menſe Nouembri; & ante Raymundum de Medullione, à quo Statuta rurſus habemus in Prouinciali item Concilio Ebreduni celebrato, Anno M. CC. XC.

menſe

menſe Auguſto ; cùm & acta quædam ipſius Iacobi ſuperiùs citauerimus, ad annum hiſce interceptum M. CC. LXXVIII. Sed ne longum morer, Ecce vt ad verbum legatur ; facto initio ab Inſcriptione, cuius verba ſunt ;

Incipit Prologus Statutorum Prouincialium per Reuerendos in Chriſto Patres, Dominos Arelatenſem, Aquenſem, & Ebredunenſem Archiepiſcopos, cum ipſorum Suffraganeis, ſeu Procuratoribus per ipſos legitimè conſtitutis, editorum in Ciuitate Auenionenſi, in Prioratu ſancti Rufi.

IN NOMINE ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Videlicet, Anno Domini milleſimo treceoteſimo vigeſimo ſexto ; die decima octaua menſis Iunij, Indictione nona, Pontificatus Sanctiſſimi Patris, & Domini noſtri, Domini IOANNIS, diuinâ prouidentiâ Papæ XXII. anuo decimo. Nouerint vniuerſi, quòd Reuerendi in Chriſto Patres Dei gratiâ, Domini Guſbertus Arelatenſis, Iacobus Aquenſis, Bertrandus Ebreduoenſis Aichiepiſcopi, de infra-ſcriptorum Epiſcoporum Suffraganeorum præſentium, & Vicariorom, ac Procuratorum Suffraganeorum, Capitulorum, & Abbatum ſuarum Diœceſium, & Prouinciarum abſentium, conſilio, & aſſenſu; VIDELICET, dictus Dominus Guſbertus Arelatenſis Archiepiſcopus; cum Venerabilibus in Chriſto Patribus, eadem gratiâ Dominis Raymundo Vaſionēſi, Dragoneto Tricaſtrioo, Othone Carpentoractenſi, Gaufrido Cauallicenſi, Ademario Maſſilienſi, & Petro Tolonenſi Epiſcopis, ipſius ſuffraganeis ; ac venerabilibus, & diſcretis viris, Dominis, Gerardo de Campomilio, Epiſcopatus Auenionenſis in ſpiritualibus, & temporalibus ; ac religioſo viro Petro Gerardi Priore Valriaci, Vaſionenſis Diœceſis, Domini Hugonis Auraſicenſis Epiſcopi, Vicariis generalibus; cum Auenionenſis, Arelatenſis, Tricaſtricenſis, Vaſonenſis, Carpentoractenſis, Cauallicenſis, Maſſilienſis, Tolonenſis, Autaſicenſis Capitulorum Procuratoribus ſufficienter comparentibus: ET dictus Dominus Iacobus Aquenſis Archiepiſcopus, cum Raymundo Siſtaricenſi, Bartholomæo Foroiulienſi, Guillelmo Vapiucenſi, Raymundo Aptenſi, Epiſcopis, ipſius Suffraganeis præſentibus ; & cum venerabili viro Domino Raymundo Ioannis, Præpoſito Regienſi, per ſe, & procuratorio oomine Venerabilis Patris in Chriſto, Domini Roſſolini Regienſis Epiſcopi abſentis ; etiam cum Aquenſis, Siſtaricenſis, Foroiulienſis, Vapincenſis, Aptenſis, & Regienſis Capitulorum Procuratoribus ſufficienter comparentibus: ET dictus Dominus Bertrandus Ebredunenſis Archiepiſcopus, cum venerabili in Chriſto Patre, Domino Falcone Vencienſi Epiſcopo præſente ; & cum Venerabilium in Chriſto Patrum, Dominorum, Gaufridi Graſſenſis, Roſtagni Nicienſis, Guillelmi Dignenſis, Bertrandi Senecenſis, & A. Glandatenſia Epiſcoporum Suffraganeorum ipſius abſentium Procuratoribus ſufficienter comparentibus ; nec-non & cum Ebredunenſis, Vencienſis, Nicienſia, Dignenſis Capitulorum, ac Boſcaudunenſis, & ſancti Pontij de Nicia Monaſteriorum Abbatum Procuratoribus ſufficienter comparentibus ; IN loco de ſancto Rufo, prope Auenionem, Auenionenſis Diœceſis, Arelatenſis Prouinciæ ſupradictæ : PROVINCIALE CONCILIVM celebraores, prorogata primo Iuriſdictione de locis ad locum, per dictos Dominos Aquenſem, & Ebredunenſem Archiepiſcopos; etiam Epiſcopatus Auenionenſis in ſpiritualibus, & temporalibus Vicario generali, & Procuratoribus ſupradictis conſentientibus; AD honorem Dei, & glorioſæ Virginis Matris ſuæ, & omnium Ciuium ſupernorum, ac Morum reformationem, delictorum, & exceſſuum correctionem, ac ſuarum Animarum, & ſuorum ſubditorum vtilitatem, & ad ſtatum Eccleſiaſticum ſalubriùs conſeruandum, Statuta infra-ſcripta, dicto Sacro approbante Concilio; concorditer ediderunt; quorum tenor ſequitur ſub his verbis : Ad honorem Dei.

I.

De Miſſa beatæ Mariæ ſemel in hebdomada celebranda.

IMPRIMIS Statuimus, & communiter ordinamus, quòd Miſſa de Beata Maria, additis Collectis, *Eccleſiæ tuæ*; &, *Deus, à quo ſancta deſideria*, in die Sabbathi, ſi Feſtum nouem lectioonum non impediat ; alioquin in alia vacante feria ipſius hebdomadæ, pro pace, & tranquillitate, & bono ſtatu Eccleſiæ conſeruando, ac inimicis eius ad cor, & pœnitentiam cōuertendis, ſolemniter in ſingulis Eccleſiis celebretur. Et, vt ad veniendum Fideles feruentiùs inducantur, ſingulis ad dictam Miſſam venientibus, verè pœnitentibus, & confeſſis, decem dies de iniunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus.

II.

De Indulgentia aſſociantibus Corpus Chriſti, cùm ad infirmos portatur, conceſſa.

ITAM, Si propter Chriſtum, reuerentia Sanctis eius impendi præcipitur ; dignum eſt Sanctum Corpus eius coli veneratione præcipua, quod vbique pro nobis, in illius Paſſionis memoriam conſecratur. Statuimus igitur, & iubemus, quatenus ſinguli Rectores, & Priores, & Vicarij noſtrarum Eccleſiarum, Prouinciarum, Ciuitatum, & Diœceſium

Diœceſium Parochianos ſuos ſalutaribus monitis inducere ſtudeant, vt ſanctiſſimum Corpus Dominicum, dum Preſbyter ipſum portat in Viaticum miniſtrandum ægroto, reuerenter aſſocient, ac luminarium adhibitione decenter honorent. Illis vero, qui aſſociabunt de die, vel de nocte, ſine luminaribus, decem; qui verò cum luminaribus, vel eius luminaria mittent per alium, de die, viginti: de nocte, triginta dierum Indulgentiam, ex conceſſione noſtra (dum tamen verè pœnitentes, & confeſſi fuerint) miſericorditer relaxamus.

III.

De Indulgentia conceſſa deuotè intercedentibus apud Deum pro Domino Papa, & eius regimine proſperando.

ITem, Cùm ſecundum Sacræ Scripturæ teſtimonium, multum valeat deprecatio iuſti aſſidua; & quòd oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum, vt Pſalmiſta teſtatur; pia deliberatione præſentis Concilij duximus concedendum, quòd quicumque Chriſtianus fidelis, verè pœnitens, & confeſſus, noſtrarum Prouinciarum, Ciuitatum, & Diœceſium, deuotas orationes effundere, & pia vota emittere curauerit, præſertim in Miſſarum ſolemniis, ante diuinæ Maieſtatis conſpectum, à quo bona cuncta procedunt, vt per ſuam ineffabilem miſericordiam Sanctiſſimum, & Dominum noſtrum Papam regere, & in ſuæ pietatis gratia conſeruare, & cuſtodire; Fidemque Catholicam toto orbe terrarum multiplicare dignetur, Videlicet quilibet noſtrum Archiepiſcoporum, per totam ſuam Prouinciam; & quilibet noſtrum Epiſcoporum, per totam ſuam Ciuitatem, & Diœceſin, quadraginta dies de iniunctis pœnitentiis miſericorditer relaxamus.

IV.

De Indulgentia conceſſa fidelibus, qui audito nomine IESV, deuotiùs ſe inclinant.

ITem, Cùm fœlicis recordationis Gregorius Papa decimus per ſacrum conſtitutionis oraculum inuitauerit quoſlibet Chriſtiani nominis charactere inſignitos, vt nomen illud, quod eſt ſuper omne nomen, à quo non eſt ſub cœlo aliud datum hominibus, Nomen videlicet Iesv-Christi, exhibitione reuerentiæ ſpecialis attollerent, & præcipuè, dum aguntur Sacra myſteria, illud, quandocumque recolitur, veneratione dignum, deuotâ capitis reuerentia monſtrarent: Nos de noſtrorum ſubditorum ſalute ſolliciti, volumus, vt ſinguli Rectores Eccleſiarum, & Vicarij noſtrarum Diœceſium ad hoc ipſum faciendum plebes ſibi ſubiectas moneant efficaciter, & inducant. Et, vt illud libentiùs faciant, quò vberioris retributionis præmium exinde ſenſerint prouenturum; Nos ſingulis in illius glorioſi Nominis memoria ſe inclinantibus reuerenter, vtique verè pœnitentibus, & confeſſis, decem dierum concedimus indulgentiam, quoties, vt præfertur, fecerint, valituram.

V.

De claudendis Fontibus Baptiſmalibus ne quid in eos ſordidum immittatur

ITem, Cùm Sacri Fontes in quibus Originale aboletur culpæ contagium, per Baptiſmalis aquæ viſibile Sacramentum, coli debeant digno venerationis honore, ne indonoris contrectationibus pateant, nec extrinſecùs aduenientium inquinamento ſordeſcant, Statuimus, vt ſinguli Parochialium Eccleſiarum Rectores noſtrarum Ciuitatum, & Diœceſium, in quibus ſunt fundati Fontes huiuſmodi, eos infrà inſtans Feſtum Natiuitatis Dominicæ ſic claudi cum clauibus faciant, & aptari, quòd nullis ſordibus ad illos ingreſſus immineat: potiorque reuerentia, quod ibi traditur, Sacramenti habeatur; quinque ſolidorum pœnâ quibuſlibet feriendâ, qui hoc contempſerint agere, in opus Eccleſiæ, vel pios vſus alios, ad noſtrum arbitrium ſoluendorum.

VI.

De Sententia Excommunicationis ab Ordinario lata, exigente excommunicati inobedientia, per Prælatos alios prædicanda.

ITem, Statuimus, quod ex quo propriam per Ciuitatem, & Diœceſin lata per Prælatum aliquem Excommunicationis, Suſpenſionis, vel Interdicti Sententia competenti tempore fuerit diuulgata, & ibidem exigente rebellium, & inobedientium duritia, per decem dies extiterit ſolemniter, & publicè aggrauata; ex-tunc, requiſito tamen proprio Metropolitano, & approbatam publicati etiam faciente dictam ſententiam, licitum ſit eidem Prælato, huius authoritate Concilij, cæteros Epiſcopos, & Prælatos requirere, vt ipſi ſententias, quarum tenorem, & cauſam declarent in ſcriptis, in ſuis diſtrictibus ſeruent, & faciant obſeruari; publicent, & faciant diebus ſingulis ad hoc competentibus publicari

VII.

Qualiter contra illos, qui Excommunicationis ſententiam contemnentes, exemplo pernicioſè peragunt, procedatur,

ITem, abominabilis, proh dolor! ad noſtrum tam de longinquo, quàm è vicino peruenit auditum, quòd in quibuſdam partibus inolere cœpit abuſio. Nã aliqui filij Belial, qui nec Deum timent, nec homines reuerentur, iniquitatem bibunt vt aquam,

dum ſententias vilipendunt; dum medicinam, quæ fuerat ad ſalutem reiiciunt, mortis incurrunt periculum, & in interitum ſua peruerſitate, & ſuo malo exemplo nonnunquam inducunt alios, & ſeducunt, Ipſi quidem in Dei opprobrium, in contemptum promulgatoris. & ſententiæ promulgatæ neglectum, non minùs viliter, quàm damnabiliter procedere, imò veriùs execrabiliter excedere non formidant; vt pote, dum proprium Presbyteri, vel Prælati officium confingentes, & interdictum ſibi vſurpantes miniſterium, excommunicationem, imò veriùs execrationem, verſa, & peruerſa vice in Excommunicatores, ſeu denunciatores, ſuos ſimulare præſumunt; accenſos paleatum faſciculos, aut ritiolos ardentes in patellis, conchis, aut ſartaginibus, vel ſimilibus vituperabiliter extinguendo. Cùm igitur talia, & his ſimilia in Dei vergant opprobrium, & in Eccleſiaſticæ diſciplinæ redundent contemptum; Statuimus, & ſub pœna Excommunicationis diſtrictiùs inhibemus, nequis Clericus, vel Laïcus, cuiuſcumque ordinis, dignitatis, conditionis, vel ſtatus exiſtat, rem tantę perniciei de cætero, per ſe, vel alium, aut pro ſe, vel alio attentare præſumat. Qui verò huiuſmodi ſaluberrimi Statuti tranſgreſſor extiterit, & infrà triduum emendam exinde competentem non exhibuerit ex-tunc ſe ſentiat ipſo facto Excommunicationis vinculo innodatum. Locus autem, vbi hæc, vel ſimilia fient, Domino loci ſciente, ſeu mandante, vel ratum habente; vel, poſtquàm requiſitus fuerit, vel eius locum tenens, infra decem dies corrigere negligentiæ præſumptæ fuerint; Eccleſiaſtico tandiù ſit, & remaneat locus ſuppoſitus interdicto, donec ad mandatum Eccleſię, quam delinquens offenderit, & Prælato, quem irreuerenter deſpexerit, ſufficiens, & idonea ſatisfactio, & realis emenda præſtita fuerit per eundem. Et, cùm in talibus non ſit relaxanda vindicta, offenſus Prælatus minimè remittere valeat illo caſu. Eiſdem pœnis ſubiacere volumus illos, & illas, qui, vel quæ talia fieri mandauerint, vel aliàs opem, vel operam, aut conſilium præbuerint ſi rem tamen tam deteſtabilem prodire contigerit deteſtabiliter in effectum. Addito, quòd eorum poſteri vſque ad ſecundam generationem in clericorum Collegium nullatenus admittantur, niſi priùs per Metropolitanum, cum vno Suffraganeo, cum ipſis fuerit ſuper hoc miſericorditer diſpenſatum. Si verò Clericus Beneficiatus, vel in Dignitate, Perſonatu, vel Officio conſtitutus, taliter exceſſerit, vltra pœnam Laïco inflictam, Beneficio, ſi quod in Prouincia noſtra obtinet, ſit ipſo facto præſentis Concilij authoritate, priuatus. Non-beneficiatus autem, ad obeundum Beneficium ſit extunc inhabilis, & indignus.

VIII.

Ne Eccleſiaſtica perſonæ titulum Iuriſdictionis, quam pacificè poſſederunt, Secularibus oſtendere teneantur.

ITem, Quòd Sæculares Domini, cuiuſcumque conditionis exiſtant, vel Bailiui, Officiales eorum, qui Prælatos, vel alios Eccleſiarum Rectores cogunt oſtendere, quare merum, vel mixtum Imperium, aut Iuſtitias alias medias, vel minores tenent, licet tenuerint pacificè multis annis; & ideò, ſi eia hoc non probent, vſurpare, accipere & ſibi applicare, ſine alia cauſæ cognitione, motu proprio non verentur; Si à talibus exceſſibus deſiſtere moniti neglexerint, & ad vſurpandum ſine alia rationabili cauſa proceſſerint; tam ipſi, quàm illi, qui eis in hac parte obediunt, Excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto.

IX.

Vt perſona Eccleſiaſtica per nullum Iudicem temporalem in criminalibus, & perſonalibus diſtringatur.

ITem, Vt nullus Dominus temporalis, vel Iudex ſubdelegatus eiuſdem, cuiuſcumque dignitatis, conditionis, vel ſtatus exiſtat, Clericum, vel perſonam Eccleſiaſticam, aut Religioſam, coram ſe ſuper Criminalibus, vel Perſonalibus citet, vel citari faciat; & ſi quoquo modo fecerit, & infra dies octo non ſe correxerit, & quod incautè præſumpſerit, non relaxauerit; ex-tunc Excommunicationis ſententiam incurrat.

X.

Vt Clericus contra Clericum, ad Iudicem ſecularem, aut alium Laicum pro facienda iuſtitia, vel inferenda violentia non recurrat.

ITem, Prohibemus ſtatuendo, & ſtatuimus prohibendo, vt nulla perſona Eccleſiaſtica de Clerico, vel Eccleſiaſtica perſona qualicumque conquerens ſuper ſpiritualibus, vel Eccleſiaſticis, aut criminalibus, vel perſonalibus quibuſcumque, recurrat ad Curiam, vel Principem, aut Dominum alium ſæcularem, vel Laicum quemcumque ſuper iuſtitia facienda, vel violentia Clerico in perſona, vel rebus ad eum pertinentibus inferenda; nec cum ipſo, vel ipſis ſuper eiſdem, ſine conſenſu Prælati, vel Officialis ſui, pactum aliquod inire præſumat, nec factum obſeruet. Alioquin querelam exponens, vel damnum faciens, & in eis perſiſtés, vel creſcens, & pactum obſeruans, à iure ſuo eo ipſo cadat; nullâ aliâ ſuper hoc ſententia expectatâ; & donec ſuper hoc ad arbitrium Prælati ſatisfecerit, cùm Beneficio Eccleſiaſtico, quod obtinet, nouerit ſe ſuſpenſum, & ab obtinendo indignum.

XI.

Prouiſio contra illos, qui bona, & iura Eccleſiaſticarum Perſonarum ſubtrahunt, diminuunt, diſſipant, & inuadunt.

ITem, Quoniam aliqui ſuis finibus non contenti, paſſim aliena diripiunt, & Eccleſiaſticas libertates infringere non verentur; approbante præſenti Concilio, Statuimus, quòd quælibet perſona ſæcularis, ſeu Eccleſiaſtica, nobilis, aut alia, cuiuſcumque præeminentiæ, dignitatis, officij, conditionis, aut ſtatus fuerit, quæ Eccleſias, aut Capellas, ſeu earum cœmeteria, hoſpitalia, recluſoria, domos, poſſeſſiones, loca, villas, caſtra, cenſus, taſquas, trexena, laudimia, vintena, feuda, leſdas, pedagia, molendinos, piſcarias, paſquerias, ſiue reſclauſas, iuriſdictiones, ſeu alia quæcumque iura, ſeu etiam eorum homines, aut familias, ſeu bona, quælibet immobilia, aut mobilia (quæ quidem mobilia valorem decem ſolidorum monetæ currentis excedant) ſiue domos religioſas, aut hoſpitalia, ſeu recluſoria, vel leproſarias, quomodolibet inuadere, capere, occupare, detinere, pignorare, ſeu grauare, per ſe, vel per alium, inquietare quomodolibet, ſeu turbare; nec non qui contra Eccleſiam, ſiue Eccleſias, aut Clericos, ſiue perſonas Eccleſiaſticas ſiue eorum homines, loca, villas, caſtra, ſeu manſiones, aut contra libertates Eccleſiaſticas, vel domos religioſas, aut hoſpitalia; ſiue recluſoria, vel leproſarias, quomodolibet edere, vel facere quævis ſtatuta, ſeu banna, vel præconizationes, aut nouitates quaſcumque; ſiue quibuſlibet ex prædictis directè, vel indirectè violentias, aut moleſtias irrogare, ſeu eis ſuper bonis quibuſlibet Eccleſiaſticis, ſeu patrimonialibus, quæſtas, aut talias, angarias, ſiue per angarias, aut neceſſitates quaſlibet aliqualiter imponere, vel inferre, ſeu domos Eccleſiarum, aut Clericorum, ſeu perſonarum Eccleſiaſticarum, occaſione quacumque ſerrare, ſiue claudere quoquo modo, ſeu eorum bona quæcumque bannire, ſeu etiam vias nouas aliquas vbilibet adinuenerit, vel facere, per quas Eccleſiæ, ſeu earum villæ, caſtra, vel loca in Pedagiis, ſeu leſdis, aut quibuſlibet iuribus aliis poſſint in aliquo diminui, vel etiam peiorari, ſiue itinera, aut vias, vel ſtratas publicas, aut priuatas infra limites, ſiue territoria, vel diſtrictus locorum, villarum, ſiue caſtrorum Eccleſiaſticæ iuriſdictionis auferre, vel ſibi quomodolibet appropriare, attribuere, ſeu etiam applicare, vel terminos eorum arctare præſumpſerit, ſeu attentauerit, per ſuam potentiam, aut violentiam, ſiue malitiam; Niſi infra ſex dies ſuper iis, à die captionis, ſeu inuaſionis, attentationis, turbationis, vel inquietationis, ſiue præſumptionis huiuſmodi, per emendam, ſeu per reuocationem debitam, ſeu aliàs vt res exegerit, plenè ſatisfecerit, Excommunicationis ſententiæ ſubiaceat, ipſo facto. Quam ſiquidem Excommunicationis ſententiam, cùm de præmiſſis, ſeu eorum aliquibus, cuilibet Ordinario, vel eius Officiali ſummariè conſtiterit, aut de plano ex mero officio, & ſine ſtrepitu Iudicij, & figura, volumus & ſtatuendo mandamus, exequutioni debitæ per ipſum quemlibet Ordinarium, ſiue Officialem ipſius certificatum, de plano mandari per vniuerſas Eccleſias noſtrarum Prouinciarum, Ciuitatum, & Diœceſium, ſicut viderit commodiùs expedire: Super quo, tam in genere, quàm in ſpecie, quàm etiam contra quaſcumque perſonas nominandas, plenam habeat facultatem, prout ei videbitur expedire. Et, ſi Dominus, vel rector Ciuitatis, caſtri, villæ, vel loci alicuius, aut Officialis eius in prædictis, vel in aliquo prædictorum culpabilis fuerit, & per ſex dies in Excommunicatione perſtiterit, Ciuitas, Caſtrum, villa, vel locus huiuſmodi Eccleſiaſtico ſubiaceat interdicto. Si verò Vniuerſitas deliquerit in prædictis, illi, qui vniuerſitatem, vel ſingulares perſonas ad id induxerint, commouerint, vel defenderint, & ſinguli, qui in aliquo præmiſſorum culpabiles fuerint, poſt ſex dies ipſo facto ſententiam Excommunicationis incurrant: Vniuerſitas verò ipſa, niſi infra decem dies emendam fecerit competentem, Eccleſiaſtico ſubiaceat Interdicto. Si verò prædicta iniuria per alium quemlibet illata fuerit, & Dominus, vel Rector, aut Officialis infra cuius iuriſdictionem prædicta iniuria fuerit irrogata, requiſitus per Ordinarium, ſeu Vicarium, vel Officialem, eiuſdem aut vice-gerentes, aut locum-tenentes, aut etiam delegatum, infra decem dies, ſatisfactionem, vel emendam fieri non fecerit competentem, Excommunicationem ſe nouerit incurriſſe. Quam ſi per decem dies ſuſtinuerit, Terra, cui præerit, Eccleſiaſtico ſubiaceat interdicto.

XII.

Prouiſio contra illos, qui bona, & iura Eccleſiaſtica inuaſerunt, vel quomodolibet occupârunt.

ITem, Statuimus, & etiam ordinamus, quòd quæcumque perſona, cuiuſcumque gradus, dignitatis, ſtatus, vel conditionis exiſtat, quæ bona quæcumque, ſiue iura ad Eccleſias, vel Eccleſiaſticas perſonas quomodolibet pertinentia, detinet occupata; vel quæ in præiudicium Eccleſiarum, ſeu perſonarum Eccleſiaſticarū, & iurium earūdem aliquas fecerit nouitates indebitas, plenè reſtituat (vniuerſitas autē ipſa, & locus huiuſmodi, vbi prædicta, ſeu aliquod præmiſſorum cōmiſſa fuerint, ſi ſub eius dominio fuerint; alioquin locus ſuus, vbi habuerit ſuum domiciliū principale, cum effectu reuocet, & ſatisfactionē faciat infra mēſem, poſtquā fuerit requiſita) quòd niſi fecerit, Excommunicationis ſententiæ ſe nouerit ſubiacere. Et, ſi Vniuerſitas, vel Dominus, ſiue Rector, vel Officialis fuerint culpabiles in prædictis, Eccleſiaſtico ſubiaceant interdicto. Vniuerſitatem autem ſufficienter

requiſitam, quoad præſens propoſitum reputamus, cùm Dominus, vel Officialis, qui ibi præfuerit, nominarè expreſsâ iniuriâ, vt eam reuocare faciat, fuerit requiſitus; vel, cùm per tres dies Dominicos publicè, dum celebrabuntur diuina myſteria, per Sacerdotem Parochialem, vel eius locum-tenentem de mandato Ordinarij, vel Officialis eiuſdem ſignificatum fuerit, quòd de iniuria & nouitate, & damnis nominatim exprimendis, ſatisfaciant competenter.

XIII.

Ne quis in loco retineat bona Eccleſiaſtica alibi indebitè ablata.

ITEM, Loca, ad quæ bona Eccleſiarum, vel eccleſiaſticarum perſonarum, per violentiam manifeſtam, ſeu notoriam iniuriam, ſine cauſa probabili, ablata, occupata, ſeu arreſtata deuenerint, tandiu, poſt decem dies, ex quo ſignificatum fuerit locorum Domino, vel rectori, Interdicta permaneant, quandiu bona huiuſmodi ibi fuerint, & competens exhibeatur emenda.

XIV.

Vt ſæculares Poteſtates Clericos per ipſas captos certo iudici ſuo reſtituant, nihil exigentes.

ITEM. Quia priuilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate: attendentes, quòd nonnulli Domini temporales, Vicarij, Clauarij, & alij ſæcularium Curiarum officiales, obtentu, ſeu occaſione aliquarum licentiarum ex cauſa eis ad certum tempus vel ſimpliciter; vel ad certas perſonas ab Archiepiſcopis conceſſarum, hac occaſione, prout comperimus, manus temerarias ad capiendos Clericos paſſim, & indifferenter, aliáſque perſonas Eccleſiaſticas inſimiliter, & eo modo, quo poſſunt turpiùs, ad maiorem confuſionem Eccleſiæ, & Cleri extendere non verentur; quin imò ipſos ſuis mancipant carceribus, ac ibidem non-numquam eos faciunt abradi totaliter, vt palliare poſſint exceſſus ſuos, & illos confingere Clericos non fuiſſe, vel non eſſe in poſſeſſione Clericatus, ſeu quaſi, in ſuarum periculum animarum, eneruata libertate Eccleſiaſtica; Prohibemus, ne à quoquam talia, vel ſimilia de cætero attententur: Reuocantes exnunc licentias ſub quamcumque formam, vel bonum, ſuper huiuſmodi captionibus, vel detentionibus, generaliter, vel ſpecialiter, per literas, vel oraculo viuæ vocis, vel aliàs quomodolibet faciendis, conceſſas; alioqnin, contrarium facientes, cuiuſcunque ſtatus, conditionis, vel dignitatis exiſtant, ſiue ſint Laïci, ſiue Eccleſiaſticæ perſonæ, regulares, vel ſæculares, hanc noſtram Excommunicationis ſententiam, quam in his ſcriptis præſentibus ferimus, incurrere volumus ipſo facto. Niſi fortè in eo dumtaxat caſu, cùm ſcilicet eos adhuc flagrante crimine capi contigerit, antequàm ad alios extraneos actus diuertant, rectà viâ eos ad Curiam Eccleſiaſticam duxerint; &, ſi reſtituerint ſine fraude. Si verò de noctu tales ceperint, debeant vltrò in craſtinum, ſine retentione bonorum ipſorum, & læſione perſonæ, ſine requiſitione alia, reddere eos Curiæ ſupradictæ. Nec eis liceat aliqua à captis huiuſmodi, dono, vel gratiâ, ſuper colore aliquo extorquere, vel accipere grata-data. Quòd ſi in caſtris, vel villis captiones huiuſmodi fieri contingat; adducant ipſos ad Eccleſiaſticam Curiam, vel tranſmittant quam-citiùs, ſub fida cuſtodia, in expenſis ipſius Curiæ moderatis. Quòd ſi ſecus egerint, vel in fraudem ſuper hoc aliquid attentauerint, eadem ſententiâ inuoluantur.

XV.

Prorogatio Iuriſdictionis in inuaſores, & occupatores Eccleſiaſticorum bonorum, & iurium exercenda.

ITEM Cuilibet Ordinario, in cuius iuriſdictione fuerit iniuria, vel violentia Eccleſiis, Eccleſiaſticis perſonis, ac rebus, vel earum iuribus irrogata, ſeu eorum poſſeſſio, vel quaſi, turbata, vel indebitè occupata; contra ipſos iniuriantes, vel perturbantes, ſeu in præmiſſis, vel eorum aliquo quomodolibet delinquentes, ac inde præſtantes auxilium, conſilium, & fauorem, cuiuſcumque ſtatus, dignitatis, ſeu gradus exiſtant, procedendi ſimpliciter, & ſummariè, & de plano, ac ſine ſtrepitu iudicij, & figura, citandi, informationes recipiendi, inquiſitiones faciendi, definiendi, declarandi, & omnem iuriſdictionem Eccleſiaſticam exercendi, vbilibet in noſtras Prouincias, Ciuitates, & Diœceſes, Plenam, & expreſſam, authoritate præſentis Concilij, Nos Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & Procuratores Epiſcoporum abſentium, habentes ad hoc mandatum, concedimus facultatem. Nec obiici valeat contra tales proceſſus, quòd extra territorium ius dixerit ſic procedens; Quia quoad præmiſſa, & quodlibet præmiſſorum, iuriſdictionem noſtram, & noſtrum cuiuſlibet viciſſim inter nos prorogamus, vices noſtras nobis adinuicem, ac dictarum Prouinciarum, Ciuitatum, & Diœceſium, ſingulíſque Officialibus, & Vice-officialibus, ac locum-tenentibus, præſentibus, & futuris in ſolidum committentes. Vniuerſis noſtris ſubditis iniungentes, vt in præmiſſis Ordinario, ac eius officiali, ſeu locum-tenenti ſic procedenti pareant, & intendát, quod niſi fecerint, poſſit procedens per cenſuram Eccleſiaſticam animaduertere in eoſdem. Et nihilominus, ſi nos Archiepiſcopi, & Epiſcopi per ſic procedentem requiſiti, ſuas in hac parte prætermiſerimus requiſitiones aliquatenus exaudire, aut id, ſuper quo requiſiti fuerimus, non curauerimus perducere ad effectum; ſic non exaudiens, nec ad effectum perducens, eo ipſo per vnum menſem, authoritate præſentis Concilij ſit à Pontificalibus ſuſpenſus.

ſuſpenſus. Præſenti ſtatuto minimè valituro poſt decennium; ita quòd, per hoc ſic procedenti in aliena Ciuitate, vel Diœceſi nullum ius, aut iuriſdictio in poſterum ex temporis longinquitate, vel poſt decennium, acquiratur.

XVI.

Vt Excommunicati ad nullum publicum Officium admittantur.

ITem, Statuimus, quòd Excommunicati in Iudices, Conſules, Rectores, Baiulos, Poteſtates, Aſſeſſores, vel Notarios, aut alia quævis publica Officia nullatenus aſſumantur, nec etiam admittantur; &, ſi de facto admiſſi fuerint, ſententia per eos, vel eorum authoritate prolata, & quicumque proceſſus per eos, vel eorum authoritate, in iudicio, vel extra habiti, & munimenta coram eis, vel per eos facta, nulla, & nulli ſint ipſo iure, Et nihilominùs quicumque, cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, aut conditionis exiſtat, ſi tales Excommunicatos ad aliquod prædictorum Officiorum ſcienter aſſumpſerint, vel aſſumptos per alios approbauerint, Excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto. Et, ſi requiſiti per Ordinarium, vel alium eius nomine, huiuſmodi excommunicatos infra decem dies à tempore requiſitionis à prædictis Officiis ſic aſſumptos non amouerint cum effectu, Loca illa, in quibus ad aliquod Officiorum aſſumpti fuerint, tandiu remaneant Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, donec ſic excommunicati à ſuſceptis Officiis realiter, & ſine fraude, & abſque alicuius reſtitutionis ſpe, quandiu in excommunicatione perſtiterint, ſint amoti. Vniuerſitas autem, ac ciuitates, & caſtra, vel villæ, quæ Excommunicatos, & in Eccleſia publicè denunciatos ad aliquod prædictorum Officiorum aſſumpſerint, vel elegerint, vbi eis aliàs hoc liceret, Eccleſiaſtico etiam ſint ſuppoſitæ interdicto.

XVII.

Vt nullus, ſine licentia Superioris, alicui quodlibet miniſtret toxicum, vel alia venenoſa.

ITem, Statuimus ſub pœna Excommunicationis, & diſtrictiùs inhibemus, ne quis Apothecariorum, vel quiuis alius, cuiuſcumque conditionis, vel ſexus exiſtat, toxicum vendat, vel donet, nec alio modo miniſtret alicui, vel alia venenoſa, niſi prius ſignificet Curiæ Ordinarij, vt ſciri poſſit ſuis temporibus, ſi caſus toxicationis contingeret, quis fuerit emptor ille, vel alius qualiſcumque; quódque Apothecarius quilibet ad hoc ſeruandum, iuramento coram ſuo ſuperiore corporaliter præſtito, pro ſe, & ſua familia ſpecialiter adſtringatur. Aliter, dantes, & vendentes, ad homicidum perpetrandum recipientes quomodolibet, vel ementes, aut ad hoc conſilium, vel conſenſum tacitè, vel expreſſè præſtantes, Excommunicationis vinculo ſubiaceant, ad Sedem Apoſtolicam pro abſolutionis beneficio remittendi; & aliàs, prout iuſtum fuerit, puniendi.

XVIII.

De pœnis toxicum, vel herbas mortiferas in mortem alterius miniſtrantibus inferendis.

ITem, Quòd quicumque alium toxicare, aut opem ad hu[illegible] vel conſilium dare, vel in necem alterius [illegible] cum tenere, vel vendere, aut aliter miniſtrate præſumpſerit; vel herbas mortiferas in mortem, vel abortiuum cuiuſquam dederit, eo ipſo Excommunicationem incurrat, à qua nonniſi per Sedem Apoſtolicam abſoluatur; Et, ſi Clericus beneficiatus ſit, illo ſit priuatus Beneficio ipſo facto; & ab Ordine, quem ſuſceperat, degradetur, tradendus Curiæ ſæculari; Et tali, vel ſimili ſuſpicione probabili infamatus, ſimilibus præſumptionibus, & perſpicuis indiciis apud bonos, & graues notatus, ad honorem, vel Dignitatem Eccleſiaſticam nullatenus, admittatur. Et nihilominùs ad detentionem perſonæ honeſtæ, prout requiret perſonæ ſtatus, & ſceleris veritas ſuadebit, ad emendam, & veritatis certitudinem, ſicut Superioris diſcretioni viſum fuerit, procedatur.

XIX.

Qualiter contra Exemptos, & Priuilegiatos in diuerſis abutentes ſuis priuilegijs, procedatur.

ITem, Dolenter referimus, quòd nonnulli Religioſi, Hoſpitalarij, & alij tam exempti, quàm priuilegiati, de priuilegiorum ſibi fortè, aut Ordini ſuo indultorum prærogatiua temerè confidentes, Excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententias ab Ordinariis, vel Officialibus ipſorum rationabiliter promulgatas obſeruare non curant: Quin-imò, in contemptum clauium, Excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos huiuſmodi ad diuina recipiunt, aut interdum in Donatos, ſeu Confratres, contra mentem Concilij Lateranenſis admittunt; Receptatorum in hac parte genus peſſimum imitantes, ſine quibus delinquentes in iis, & ſimilibus diu forſitan non laterent: Sed nec his contenti, domos Conuentuales alterius Ordinis, eiſdem Ordinariis lege Diœceſana ſubiectas, & à ſui fundatione iuriſdictioni Prælatorum, ſaluâ regulâ ſeu Ordinis, ſeu diſciplinæ, ſuppoſitas, tam prænominati, quàm cæteri Religioſi, etiam non exempti, nec priuilegiati, vendicant ſibi, & Prælatis quaſi furtim, ſuccedente poſt-modũ violẽtiâ, ſubtrahere moliuntur; ſicque de ſuis indulgentiis, ſeu priuilegiis confidentes, alios fidentiùs in iure ſuo moleſtant: Ita quòd . authoritate, imò temeritate propria, in veſtimentis ouium venientes, nunc ſæculari fulti potentia,

violentiam per ſe, vel per alium inferentes, poſſeſſiooes domorum huiuſmodi, ac rerum, & iurium ad eas ſpectantium occupare, & cum armis aliquoties inoadere non verentur; & occupata tenere contendunt, in Prælatorum præiudicium, plurimorum ſcandalum, & enormem nihilominùs illius Ordinis, cuius erat, ab initio, & cui ab antiqno ſubeſſe conſoeuerat, læſionem: Cùm igitur tales, & tam enormiter excedentes, & notoriè delinquentes, noo impares receptatoribus, etiam ac improbis rectoribus nequiores, perinde vt alios, iura cenſeant poniendos: Nos, quatenus in ipſos animaduertere poſſumus, & à iure nobis permittitur: & maximè, ſi de ſuis priuilegiis non velint copiam facere, requiſiti; Volentes, vbi eos indulta ſibi priuilegia non defenduot, correctionis, & reformationis officium exercere, ac effrænatam ambientium cupidioem reprimere cupientes, Statuimus, & concorditer ordinamus, vt tales, & ſimiles in præmiſſis, & ſimiliter tam enormiter excedentes, & tam notoriè delinquentes, niſi deſtiterint, & ſaniori ducti conſilio, congruenter, infra dies octo, ex quo fuerint requiſiti, reuocare, ſeu emeodare diſtulerint; vnà cùm illis, qui ſe ad eos ſic ligati reduxerint, & eis, qui tranſlationem huiuſmodi attentauerint, & exinde Monaſteria, & domos Conuentuales, res, & iura huiuſmodi occupare, ſeu inuadere, cum armis, & ſine armis præſumpſerint, & omnibus illis, qui eis ad hoc opem, vel operam præſtiterint, aut, vt ſic occupata detineant, conſilium, vel iuuameo præbuerint, Excommunicationi ſubiaceant ipſo facto. Et, cùm ipſi Prælatis non deferant, ſed potiùs vilipendant eoſdem; Prælati etiam contrà, quandio ſic ſteterint, & auſu temerario eis, vel Officialibus eorum in præmiſſis reſtiterint, in priuilegiis, vel aliis iuribus ſuis tueri eos vel defendere minimè teneantur. Dignum eſt enim, vt qua menſura menſi fuerint, eadem remetiatur & eis; vt ignorantes ignorari, & contemnentes ſentiant ſe contemni. Qua etenim froote Prælatorum inoocabunt auxilium, qui committere non formidant in ipſos? Statuimus inſuper, præcipimus, & concorditer ordioamus, vt ſingulares perſonæ tam foris, quàm ipſius Conuentus, mixtim tranſlationem totaliter fieri procurent, quòd ab illius domus, ſeu Conuentus conſortio penitùs, & in perpetuum excludantur, vitam ſuam alibi ſub arcta pœnitentia, ſui Superioris arbitrio, finituræ. Circa tranſlationem autem ſingularium perſonarum ad arctiorem fortè Regulam tranſire cupientium, nihil per hoc intendimus extra formam à iure traditam immutare.

XX.

Vt Presbyteri Teſtamentis Parochianorum interſint, & per Epiſcopum diſtribuantur incerta Reſtitutiones.

ITem, Ne relictæ in Teſtamentis, vel aliis vltimis voluntatibus Emendæ, vel ad pias cauſas Eleemoſynæ, vel Reſtitutiooes certæ, vel incertæ forſitan occultentur; Statuimus, vt vel Preſbyterum Parochialem intereſſe rogent ordinationi Teſtantis, ſi tamen haberi poterit; aut, quod Notarius infra octo dies à die obitus numerandos, Prælato, vel Officiali, aut Preſbytero Parochiali copiam illius articuli, vbi quæuis Eleemoſyna piis eſt vſibus deputata, vel emenda, ſeu reſtitutio facienda, ſub pœna Excommunicationis, quam ipſo iocurrant facto; ſi negant facere, fideliter teneatur: Et ille, vel illi ſic cum hæredibus, vel exſequutoribus Teſtatoris ordinantis feſtinent, quòd emendæ non occultentur, & Eleemoſynæ ſic relictæ, vel reſtitutiones huiuſmodi oon pereant, ad tempus magnum, vel modicum, aut fortè perpetuò, faciendæ. Adiicientes inſuper, quòd incertæ Reſtitutiones nulli per aliquem exſequutorem teſtamenti, vel alium, præter Diœceſani licentiam præbeantur, nec aliquid diſtribuere præſumant alibi, quàm vbi Prælatus duxerit ordinandum; etiamſi à Teſtatore contrarium dictum eſſet. Ad hoc adiicimus, qnòd Preſbyteri in Synodos venientes, Prælato ſuo, vel Officiali eius, in ſcriptis Teſtatorum, & exſequutorum nomina, & quantitates huiuſmodi præſentare in virtute obedientiæ teneantur.

XXI.

Vt Epiſcopi in diſtributionibus Legatorum vocentur, prout ad eos pertinet, de conſuetudine vel de iure.

ITem, Cùm in eo, in qoo alicuius intereſſe tangitur, rationabiliter eius vocatio debita requiratur; Volumus, & iubemus, quòd in diſtributionibus legatorum, quorum diuiſioni, ſeo exſequotioni habent intereſſe Epiſcopi, de conſuetudine, vel de iure; vocari debeant Epiſcopi, ſeu locum-tenentes ipſorum: quibus equidem non vocatis, nulla præſumatur fieri diſtributio; &, ſi facta fuerit, hæredi, ſeo ſucceſſori, vel illi, cui relictum eſt, nulla ex tali diſtributiooe liberatio acquiratur.

XXII.

Vt nullus Confeſſor ſine Diœceſani licentia quemcumque præſumat abſoluere in caſibus infra-ſcriptis.

ITem, Vt nullos coiuſcumque Ordinis, vel Religionis, ſeu coodiſionis exiſtat, Confitentes io cuiuſquam Ciuitate, vel Diœceſi, præter ſpecialem, vel generalem licentiam

centiam ipſius Diœceſani, de facto abſoluere quemquam, vel ligare præſumat in caſibus eidem Diœceſano à iure, conſuetudine, vel ſtatuto Prouinciali, vel Synodali ſpecialiter reſeruatis. Caſus autem ſunt hi: In Excommunicato à Canone. In Incendiario, nondum etiam publicato. In Blaſphemo famoſo. In Votis relaxandis, vel commutandis. In iis, quæ conſueta ſunt in Diœceſi ab Epiſcopo reſeruari, vtpote; In oppreſſione puerorum. In homicidiis. In ſacrilegiis, vltra decem ſolidos. In violatoribus Eccleſiarum. In violatoribus Eccleſiaſticæ libertatis, & immunitatis. In inceſtu cum cõſanguineis, ſeu affinibus, in aſcendentibus, & deſcendentibus in infinitum, & in collateralibus vſque ad ſecundum gradum incluſiuè. In carnali cognitione Sanctimonialis, aut defloratione virginis violenta. In illis, qui in Eccleſia luxuriam commiſerint per carnalem copulam conſummatam. In reſtitutionibus incertis, vltra viginti ſolidos in vna perſona. In clandeſtinè contrahentibus. In eo, qui conſuetus eſt multo tempore priuatas vſurarias exercere. In falſo teſte. In falſario literarum, vel inſtrumentorum, vel ſubtrahente aliena inſtrumenta, vel delente. In falſario monetæ. In impediente Legatum Sedis Apoſtolicæ. In proditore Domini, vel patriæ. In Hæreſis ſectatore. In ſupponente partum, vel negante, vel abortiuum ſibi, aut aliis procurante. In muliere, quæ ab alio, quàm à marito proprio concepit infantem, quem maritus ſuum etiam æſtimat eſſe, propter quem legitimi defraudantur hæreditate paterna. In toxicatione, vel aliud mortiferum, miniſtrante, vel opem, aut conſilium adhibente. In cohabitante cum Iudæa, vel Saracena, vel Bruto, vel è contra. In Sortilegis, ad quos communiter recurritur pro Sortilegiis faciendis. In iis, qui Corpore Chriſti, vel Oleo ſancto, vel Chriſmate abutuntur. In depopulatoribus agrorum, vinearum, vel arborum. In Excommunicatis, qui ſcienter ingerunt ſe diuinis, & commoniti nolunt Eccleſiis exire, diuinum officium perturbantes. In illis, qui ſcienter Excommunicatorum corpora recipiunt ad Eccleſiaſticam ſepulturam, vel ea ſepeliunt ibi, contra Parochialis Presbyteri voluntatem. In illis, qui ſcienter celebrant in Eccleſia interdicta, quibus à iure non eſt, vel priuilegio conceſſum: cùm ex hoc ſit reconcilianda Eccleſia prædicta.

XXIII.

Vt nullus, occaſione ceſſionis ſibi factæ, coram extraordinario Iudice quemquam audeat conuenire.

ITEM, Quòd nullus Clericus, vel perſona Eccleſiaſtica ex cauſa, vel occaſione, vel ratione donationis, vel ceſſionis ſibi factæ, vel de cætero faciendæ, quemquam coram extraordinario Iudice audeat conuenire. Quod ſi ſecus fecerint, Excommunicationem incurrant ipſo facto.

XXIV.

Vt nullus bona Eccleſiarum vacantium occupet, niſi ſibi per priuilegium vel conſuetudinem hoc liceret.

ITEM, Quòd nullus omninò Prælatus, Abbas, Prior, vel Patronus Clericus, vel Laicus, cuiuſcumque conditionis, ſtatus, vel dignitatis, Ordinis, vel Religionis exiſtat, bona Eccleſiarum vacantium Metropolitanæ, vel ſuffraganeæ, Prioratus, Abbatiæ, vel alius cuiuſquam Monaſterij, vel Eccleſiæ, per promotionem, aut mortem, vel reſignationem, aut mutationem, vel abſolutionem cum alio, quocumque modo vacantium, capere per ſe, aut per alium, aut occupare, vel vſurpare præſumat; niſi ſibi per priuilegium, vel conſuetudinem liceret. Quòd ſi fecerit, tam ipſe, quàm gratis obedientes ei aliqualiter in hac parte, Excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto.

XXV.

Statutum, vt nulla perſona Eccleſiaſtica cum Poteſtatibus ſæcularibus poſſe habens, det conſilium, vel iuuamen contra Eccleſiaſticas libertates.

ITEM, quòd quælibet Eccleſiaſticæ perſonæ Curias ſæcularium fortè Principum, & conſilia frequentantes, maiores, vel minores, vel mediæ cuiuſcumque dignitatis, ordinis, conditionis, vel ſtatus exiſtant, ſi ſcienter contra Deum, & iuſtitiam, & Eccleſiaſticam libertatem, in præiudicium alicuius Eccleſiæ, vel Prælati, ſeu Rectoris Eccleſiaſtici, conſilium, vel fauorem, aut iuuamen Eccleſiaſticæ libertati contrarium dederint, aut dari procurauerint, Excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto: à qua, non-niſi emendato damno, ſeu alio diſpendio, circa Sedem Apoſtolicam abſoluantur.

XXVI.

Vt nullus in Sacris conſtitutus, vel curam animarum habens, in Iudiciis ſæcularium Curiarum gerat Officium publicum, aut priuatum.

ITEM, Quòd nullus Clericus habens curam animarum, vel in Sacris Ordinibus conſtitutus, poſſit eſſe de cætero in Iudiciis, ſiue cauſis in Curia ſæculari Procurator, Syndicus, vel Actor, vel Iudex, aut Baiulus in exercenda iuriſdictione Domini temporalis, pro aliquo Laico. Quòd ſi monitus infra menſem non deſtiterit, ex tunc talis, ſi Beneficiatus fuerit, Beneficiis ſuis huiuſmodi, authoritate præſentis Concilij ſuſpendatur; non Beneficiatus verò liminibus Eccleſiæ arceatur.

XXVII.

De modo probandi electionem Sepulturæ illorum, qui apud Religioſos eam elegiſſe dicuntur.

ITEM, Statuimus, ne quis illorum Funera defunctorum, quos Fratres Prædicatores, & Minores apud ipſos Sepulturam elegiſſe probauerint, deferri ad dominia, & Eccleſias illorum impediat, ſaluo tamen iure portandi Funus ad Parochialem Eccleſiam, & conſuetudine laudabili hactenus obſeruata: nec circa prædicta Fratribus ipſis, aut Funeri, omittendo ſolitam campanæ pulſationem, vel aliter, inferre præſumat. Super hac autem probatione, Volumus ſummariè, & de plano, ſine ſumptibus, & ſcriptis quibuſcumque, per exhibitionem ordinationis teſtantis, aut productionem teſtium coram Parochialis Eccleſiæ Rectore procedere, ſi tamen potuerit, & voluerit intereſſe. Quo abſente vtique, vel nolente, coram Officiali, vel locum tenente ipſius, ſi Funus in Ciuitate fuerit, hoc probare ſufficiet; vel coram perſonis publicis, & honeſtis, ſi hoc extra fortaſſe contingat. Aliter equidem, vbi erunt Funera, ab eis de domibus prohibemus extrahi. Incurrant autem Excommunicationis ſententiam ipſo facto, cùm, contra tenorem huiuſmodi conſtitutionis, extrahentibus de domibus Funera, aut facientibus, procurantibus, ſeu permittentibus extrahi, & præſumentibus in hoc auxilium, fauorem, aut conſilium impartiri. Quæ autem circa Fratres prædictos, quoad probationem, & extractionis Funeris inhibitionem ſtatuimus; ad alios Religioſos, apud quos Sepultura electa fuerit, extendi iubemus.

XXVIII.

Vt ſine noui Cenſus impoſitione, vel veteris augmentatione Beneficia conferantur.

ITEM, Quòd Prioratus Beneficij, ſeu & alterius Eccleſiaſtici, facta cum noua Cenſus impoſitione, vel penſionis antiquæ augmentatione, Collatio non valeat ipſo iure; & per proximum Superiorem illa vice perſonæ idoneæ, ſine dicti oneris vitio conferatur, ac ſi ad eum, propter negligentiam fuiſſet alias collatio dicti Beneficij deuoluta.

XXIX.

Vt Monachi in Eccleſiis ſuis infra certum tempus perpetuos Vicarios Ordinariis repræſentent.

ITEM, Statuimus, quòd in ſingulis Eccleſiis ſolitis per Monachos gubernari, infra ſex menſes, Priores earum ſuis Diœceſanis ad curam animarum perpetuos Presbyteros repræſentent. Quòd niſi fecerint, ex-tunc hac vice Epiſcopi inſtituant Presbyteros in Cura prædicta, & ipſos Priores compellant ad eiſdem Presbyteris prouidendum, prout idem inſtituens duxerit ordinandum. Si qui ſuper præmiſſis habere ſe aſſerunt priuilegia, obſeruentur in eiſdem: In non-priuilegiatis autem, obſeruetur Concilium Viennenſe.

XXX.

Vt nullus Beneficium conferat, in quo ius tantum obtinet Patronatus.

ITEM, Statuimus, quòd nullus in aliquo Beneficio Eccleſiaſtico ſolùm ius obtinens Patronatus, cùm ipſum vacare contigerit, ad ipſum conferendum procedat. Quòd ſi ſecùs egerit, in illa vacatione ius præſentandi ipſo facto amittat, & Superior, ad quem inſtitutio pertinet, plenam habeat diſpoſitionem illa vice.

XXXI.

Vt Præſentatus Patrono non iuret, ſine Diœceſani licentia, nec ab alio ſe inſtitui patiatur, nec Beneficium obtentum dimittat.

ITEM, Sub pœna Excommunicationis præcipimus, ne quis à Patrono Clerico, vel Laïco præſentatus, aut etiam præſentandus, ante inſtitutionem præſtet aliquod iuramentum in manibus Patroni, vel alterius cuiuſcumque, ſine ſpeciali ipſius Ordinarij licentia, vel conſenſu (de quo in inſtitutione, vel pòſt, poſſint præſtare iuramentum Patronis, ratione temporalium, prout eis competit de iure, vel conſuetudine.) Quodque præſentatus, & præſentandus huiuſmodi ab alio, quàm ab Ordinario, cui de iure competit, in Eccleſia Parochiali ſe inſtitui nullatenus patiatur; nec ex quo per Ordinarium inſtitutus fuerit, vel admiſſus, Beneficium dimittat huiuſmodi, non petitâ ipſius Ordinarij licentiâ, vel conſenſu; vel niſi alia ſufficiens cauſa ſubſit legitima, probabilis, & honeſta.

XXXII.

Vt Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ perſonæ à Talliis, & exactionibus ſæcularium per Ordinarios defendantur.

ITEM, Quòd Clerici, & Hoſpitalia, & Eccleſiæ à Talliis, & exactionibus, quas Domini temporales faciunt, etiam ratione poſſeſſionum temporalium, nec-non & in patrimonialibus, ſecundum leges, & Canones defendantur per Ordinarios, nimis hactenus ſuper hoc negligentes; ne paullatim totum vſurpent temporales Domini, in præjudicium, & eneruationem Eccleſiaſticæ libertatis.

XXXIII.

XXXIII.

Ne Quæſta, vel alia Exactiones per ſæculares Hoſpitalibus imponantur.

ITem, Quòd Domini ſæculares, cuiuſcumque gradus, dignitatis, ſeu conditionis exiſtant, Hoſpitalia vſibus pauperum deputata occaſione talliarum, caualcatarum, quæſtarum, vel aliarum exactionum illicitarum, quocumque nomine non applicent, nec moleſtaee, nec onerare præſumant, Alioquin, ſi eequiſiti deſiſtete, & emendam præſtare noluerint; aut ſecus cæterùm contrà fecerint, ipſo facto ſententiam Excommunicationis incurrant.

XXXIV.

Ne Laici, prætextu alicuius Statuti, prohibeant Clericos extrahere blada de terris ipſorum.

ITem, Cùm Statuta ſæcularium Eccleſias, aut Eccleſiaſticas Perſonas non adſtringant; ſtatuimus, vt Sæculares, cuiuſcunque dignitatis, conditionis, aut ſtatus fuerint, qui prætextu ſtatuti, ne bladum extrahatur de terra, vel caſtro, vel villa, vel quòd certo pretio vendatur, inuitos Clericos, & Eccleſiaſticas perſonas adſtringere, maximè cùm ipſi non habeant aliunde forſitan vnde viuant, aut ſuper angariis, aut aliia quibuſcumque, cùm nec in eorum bona aliquam habeant poteſtatem, coarctare præſumpſerint, Excommunicationi ſubiaceant ipſo facto; Et locus, vbi hoc per Dominum loci, vel Vniuerſitatem eius, aut eorum conniuentia, vel permiſſu attentatum fuerit, Eccleſiaſtico ſubiaceant interdicto, niſi moniti, infra menſem emandauerint, & de perpetratis ſatisfactionem exhibere ſtuduerint competentem.

XXXV.

Vt Domini Temporales non impediant, quò minùs Eccleſiarum Rectoribus Decima perſoluantur.

ITem, Quòd Domini temporales, Bailiui, ſeu Officiales ipſorum Clericos, & Eccleſiarum Rectores, quò minùs Decimæ ipſis, prout ad eos pertinet, per Parochianos ſuos præſtentur fideliter, & ſoluantur, non impediant, nec eiſdem Parochianis inhibeant, quòd non ſoluant. Alioquin, ſi contrà fecerint, Excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant.

XXXVI.

Ne Statuta, & ordinationes fiant ſuper Decimis, funeralibus, oblationibus & aliis, contra laudabiles conſuetudines, & Eccleſiæ libertates.

ITem, Quòd Laici cuiuſcumque gradus, dignitatis, vel conditionis exiſtant, vel Vniuerſitas, ſtatuentes, vel ordinantes in ſe, vel inter ſe, vel præconiſari facientes, vel ſubditis ſuis mandantes, quod non præſtent Decimas Eccleſiis, vel non offerant; vel in vltimis voluntatibus quidquam relinquant eis, vel Rectoribus earumdem; vel quòd laudabiles conſuetudines Eccleſiæ in ſpiritualibus, vel aliis infringant, vel aliàs non obſeruent; vel aliud æquipollens directè, vel indirectè, tacitè, vel expreſsè, vel quomodolibet aliud iniungentes, ipſo facto Excommunicationem incurrant; à qua, antequam emenda competens præſtita fuerit, minimè abſoluantur; Vniuerſitas autem Eccleſiaſtico ſubiaceat interdicto.

XXXVII.

De Societatibus, colligationibus, & coniurationibus, quas Confratrias appellant, radicitùs extirpandis.

ITem, Quia in noſtrarum Prouinciarum partibus Nobiles plerumque, & medij alij colligationes, ſocietates, & coniurationes tam Canonibus, quam legibus interdictas ſemel in anno ſub Confratriæ nomine faciunt; & ſe in loco aliquo, vbi congregationes, conuenticula, & colligationes faciunt, iuramento vallant, quòd ſe aduerſus quoſcumque, præter Dominos ſuos, adinuicem adiuuent, & in omni caſu vnus alteri det auxilium, & fauorem; nec-non & pacta, conuentiones, & ordinationes inter ſe habitas, & habita, de quibus iuſtitia offenditur, mortes, & deprædationes ſequuntur, pax, & ſecuritas exulat, innocentes, & inopes opprimuntur, Eccleſiaſticæ perſonæ, quibus taliter oppidò ſunt infeſti, in perſonis, rebus, iuribus, iuriſdictione iniurias diuerſas, & damna plurima patiuntur: Nos volentes iis auſibus peſtiferis, & conatibus pernicioſis extemplo occurrere, & remedio poſſibili prouidere, à peccato ſubditos noſtros, prout paſtorali incumbit officio, cohibere; authoritate præſentis Concilij, omnes conuenticulos, colligationes, ſocietates, & coniurationes, quas Fraternitates, & Confratrias appellant, ab olim factas, per Clericos, vel Laicos, cuiuſcumque gradus, dignitatis, vel conditionis exiſtant, nec-non & pacta, conuentiones, & ordinationes inter eos habitas, & habita irritamus, diſſoluimus, & caſſamus, & caſſas, irritas, caſſa & irrita nunciamus. Decernentes omnia iuramenta ſuper obſeruandis prædictis præſtita adeò illicita, & temeraria, vt nullum teneri velimus ad obſeruationem eorumdem; à quibus iura-

mentis eos abſoluimus, ad cautelam, vt pro votaneo, ſeu temerario ſacramento, à ſuis Confeſſoribus pœnitentiam recipiant ſalutarem. Authoritate prædicta prohibentes eiſdem, ſub pœna excommunicationis (quam venientes in contrarium, poſtquàm præſens Statutum in Eccleſiis, vbi Parochiani exiſtunt, fuerit per duos dies Dominicos publicatum, incurrere volumus ipſo facto) quòd occaſione prædictarum colligationum, ſocietatum, conuentionum, & iuramentorum abinde in anteà ſimul non conueniant, huiuſmodi Confratrias non faciant, alter alteri non obediat, aut præſtet adiutorium, nec fauorem; nec veſtes iam damnatas deferant; nec ſe confratres, Priores, Abbates prædictæ Societatis appellent. Quin-imò infra decem dies à tempore dictæ publicationis, petant à Confeſſore, vt, quantum eſt in eo, à prædictis iuramentis abſoluat, & ſe nolle eſſe de prædicta ſocietate vlteriùs, publica proteſtatione declarent. Prohibemus etiam, quòd amodò tales coniurationes, conſpirationes, & conuentiones, etiam ſub nomine Confratriæ non faciant, nec fiant; alioquin caſſamus, & irritamus, & facientes, & attentantes excommunicationis ſententiæ volumus ſubiacere: à qua, niſi per Prouinciale Concilium non abſoluantur. Per hoc autem Confratrias olim in honorem Dei, Sanctæ Mariæ, & aliorum Sanctorum pro ſubſidia Pauperum introductas, in quibus coniurationes, & iuramenta non interueniunt huiuſmodi, non intendimus reprobare.

XXXVIII.

Vt Clerici Eccleſias, præter Diœceſani licentiam, non teneant, nec ibi armatos tenere præſumant.

ITEM, Prohibemus ſub pœna excommunicationis, quam ipſo facto contrarium facientes incurrant, ne Regulares, aut etiam Clerici ſæculares ad muniendas contra Ordinarios, Eccleſias, ſeu ipſarum iura indebitè occupanda, præter Diœceſani, cui dictæ ſubſunt Eccleſiæ, vel eius locum-tenentis licentiam, vel mandatum, arma propterea portare, vel armatos adducere, vel tenere, vel receptare de propria Diœceſi, vel aliena præſumant.

XXXIX.

De Clericis portantibus arma; & qualiter puniantur.

ITEM, Statuimus, vt nullus Clericus arma portet, nec præterquàm in caſibus in iure expreſſis, deferre præſumat, abſque illius, cui competeret, licentia ſpeciali. Quòd ſi contrà fecerit, præter id, quòd armorum amiſſione multabitur, ſi de nocte portauerit, decem librarum; ſi de die, centum ſolidorum pœnâ monetæ currentis, irremiſſibiliter feriatur.

XL.

Vt Prælati remiſſiones faciant delinquentium, ad inuicem requiſiti.

ITEM, Statuimus, quòd ſinguli Epiſcopi, & eorum Officiales, Vicarij, locum-tenentes, & Vices gerentes ipſorum, in delictis remiſſionem faciant, cùm fuerint requiſiti. Et, ſi qui deliquiſſe dicitur, ex Diœceſi oon fuerit, eius, à quo remiſſio fieri poſtulatur, ſufficiant ſolæ literæ requirentis. Si verò de eius Diœceſi fuerit, ſemi-plena probatio ſufficiat in hac parte.

XLI.

De Excommunicatis compellendis redire ad gremium Eccleſiæ, per Iudicem ſecularem, appoſitione pœnæ.

ITEM, Cùm nonnulli Claues Sanctæ Matris Eccleſiæ contemnentes, Excommunicationis ſententias, oon ſine animarum ſuarum periculo frequenter diu ſuſtineant animo indurato; Statuimus, vt quicumque huiuſmodi ſemētias per Nos, vel noſtras Curias promulgatas, per duos menſes, poſtquàm nouerint in ſe prolatas, eas duxerint ſpiritu pertinaci ſupportandas, non curantes modo debito abſolutionis beneficium petere ab eiſdem, vel eo, per quem fuerint excommunicationis vinculo innodati; Requiratur per eandem Curiam Dominus temporalis, aut ipſius Baiulus, vel Iudex loci, vbi talis Excommunicatus noſcitur commorari, & moneatur attentè, vt infra competentem terminum ab ipſa Curia præfigendum, ſuum ſubditum ſic excommunicatum compellat omninò ſatisfacere ſuper eo, pro quo io eum Excommunicationis ſententia fuerit promulgata, & abſolutionis beneficium poſtulare. Si verò Dominus, Bailiuus, vel Iudex hoc ooo curauerit, & deinde ſe ad hoc dictum ſuum ſubditum cohibere contempſerit, locus ille, donec ipſum compulerit, Eccleſiaſtico interdicto ſupponatur. Cæterùm, vt idoneè Excommunicati, qui diuino non inclinantur amore, ad gremium Eccleſiæ reuertantur, & temporalis metu pœnæ ad id propenſiùs inclinentur; Statuimus, vt Laici quinque ſolidos, Clerici verò decem, & Preſbyteri quindecim Vianenſium bonorum, pro quolibet menſe, quo io Excommunicatione prædicta permanſerint, antequam abſolutionis beneficium eis impendatur, eidem ſoluere teneantur (niſi propter paupertatem, vel aliam cauſam rationabilem, memorata Curia miſericorditer agere voluerit cum eiſdem) io vſus pios ad Diœceſani arbitrium conuertendos.

XLII.

Ne prohibeantur Prælati iuriſdictionem ſuam liberè exercere.

ITEM, Cùm iure cautum exiſtat, Archiepiſcopos, & Epiſcopos in totis ſuis Diœceſibus

ſibus iuriſdictionem ordinariam obtinere, & in quolibet loco ſuarom Diœceſium non eacempto, per ſe, vel alium poſſe pto tribunali ſedere, cauſas audire ed forum ſpectantes Eccleſiaſticum; & perſonas Eccleſiaſticas, cùm tameo exceſſus exegerint, capere, & carceribus mancipare, aliaque omnie ad ſua ſpectantia officie: & noonulli Domini temporales, Iudices, & Rectores, ac Officiales eorum dictam libertatem Eccleſiaſticam, ſactorumque ſtatuta Canonum offendere, in ſuarum animarum grande periculum, non vet entur; perſones Eccleſiaſticas, quas in diuerſis locis noſtrarum Cioitatum, Diœceſium, ac Ptouiociatum, ſuis eaceſſibus, & delictis exigeotibus, capi, & carceribus mancipari contiogit, interdum de carceribus eatrahunt, violenter impediunt, quò minùs de illis, & eorum delictis, & exceſſibus per iudices Eccleſiaſticos, ad quos pertinet, eahiberi liberè valeant iuſtitiæ complementa: Nos talium obuiari damnandis auſibus, iuſque ſeruari ſuper iis, in iiſdem Ciuitate, Diœceſi, ac Prouinciis cupientes, hoc præſenti epprobante Concilio, Statuimus, quòd omnes, & ſinguli temporales Domini, Iudices, Rectores, vel Officiales eorum, talie de cætero in Ciuitate, vel Diœceſi, aut Ptouinciis, ſi præſumpſerint attentare, ipſo facto ſententiam Eacommunicationis incurtent, eorumque Curiæ, ac Loce, niſi infra decem dies, poſtquam fuerint ſuper hoc requiſiti, deſtiterint, ex-tunc Eccleſiaſtico ſubiaceant interdicto; donec expoliatis carceribus plenariè, & liberè teſtitutis, ei, cuius iuriſdictionem ſic læſerint, emendam præſtiterint coodecentem.

XLIII.

Ne prohibeantur directè, vel indirectè Clerici coram ſuo Iudicice litigare.

ITem, Cùm nonnulli temporale dominium obtinentes, ſeu ſæcularis ioſtitiæ poteſtatis gerentes officium, iuriſdictionem Sanctæ Matris Eccleſiæ ſubuertere, vel minuere exquiſitis aſtutiis moliantur: Nos eos, & eorum malitias vltione Canonice teprimere cupientes; approbante præſenti Concilio, Statuimus prohibentes, ne quis in foro Eccleſiaſtico litigantes, ſeu litigate volentes ſuper cauſis merè Eccleſiaſticis, ſioe quæ ad forum Eccleſiæ, de antiqua, & probeta cooſeuudine, & hactenos pacificè obſeruata, pertinere noſcuntur; deſiſtendum compellat per ipſorum, vel parentum, ac conſanguioeorum, ſeu retum eorum, vel perſonarum captionem, aut aliis quibuſcumque modis. Si verò contra præſumpſerint, Excommunicationis ſententiam præſentis euthoritate Cõcilij ſe nouerint incurrere, & ei ſubiacere, licet regularis obſeruantiæ profeſſores, & alios, quos Sedes Apoſtolica exemptionis, & libertatis munitos declarauit titulo, & inſigniuit ptioilegiis, attollere cum dignis fauoribus intendimus, ipſorumque priuilegie, quantum ad nos attinet, obſeruare penitùs illibata; ſic temen eos ſuis maoere contentos iuribus affectamus.

XLIV.

Vt intra domos Prælatorum, & in eorum Officialium præſentia, iniuria nulli fiat.

ITem, Cum illos, quos Dei timor à malo non reuocat, ſaltem coërcere debeat ſeueritas diſciplinæ; præſenti Coocilio duximus Statuendum, quòd ſi perſooa, cuiuſcumque conditionis, ſtatus, ſeu ordinis exiſtat, infra domos Epiſcopales, vel Archiepiſcopales ooſtrarum Cioitatum, & Diœceſiũ, ac Prouinciarum, vel alibi vbicumque Nos, vel Suffraganeos noſtros, vel eorum Officiales cauſas eudientes aliquo facto grauiter inculpauerit, ſeu iniuriam irrogauerit, incurrat Eacommunicationis ſenteotiam ipſo facto; & aliàs puoietur.

XLV.

De Bannis ſoluendis à Clericis, per quos, & qualiter exigantur.

ITem, Statuimus, ſub pœna Eacommunicationis, quòd nullus Dominus temporalis eudeat compellere Eccleſias, vel perſonas Eccleſiaſtices, vel earum familias, ſeruientes, ſeu nunrios, ſoluere bannum, ſiue banna pro animalibus ſuis quibuſcumque, vel perſonis prædictis. Et, ne perſooæ Eccleſiaſticæ, vel earum familiæ materiam propter hoc habeant delinquendi, Statuimus banna, quæ à Laïcis committuotur pto fructibus alienis, vel eorum enimalibus in vineis, ptatis, ac poſſeſſionibus, vel defenſis, inueotis, eadem eb ipſis Clericis, & perſonis Eccleſiaſticis, ipſorumque familiis, & animalibus eorundem, applicanda Curiæ ſiogulorum Diœceſanorum committantur. Volentes, & præcipientes, vt à Preſbyteris ſingularum Eccleſiarum noſtrarum Diœceſium curam habentibos enimarum, banne ipſa, quoties ea io locis ipſorum committi contigerit, authoritate cuiuſlibet Diœceſani eaigantur fideliter, & leuentur, eidem Curiæ per eos poſtmodùm in ſingulis Synodis de iotegro aſſignanda. Si qui verò ſic banna commiſſa ſoluere tecuſauerint, per ipſos Preſbyteros requiſiti; ex-tunc ad duplicata banoe eadem teneaotur, & ad ea ſic duplicanda ſolueoda, per eandem Curiam compellantur; Preſbyteri verò prædicti dictæ Curiæ banna huiuſmodi ſoluere recuſantes manifeſtare procureot; alioquin ſi ſuper hoc reperti neglıgeotes fuerint, iuxta ipſius Curiæ arbitrium exiode puniantur. In Ciuitatibus verò, vel caſtris alicui noſtrum, ſeu noſtrorum Diœceſanorum temporali iuriſdictioni ſubiectis, per noſtros mandatarios, ſeu ipſorum Diœceſanorum, prædicta banne exigi volumus, & leuari, & cuiiibet Diœceſanorum noſtrorum, prout ad eos, vel quemlibet eorundem pertinuerint, teſtitui per eoſdem. Cæterùm,

ſuper

ſuper denuntiationes prædictorum bannorum, cùm ab aliquo, vel aliquibus committentur, Cuſtodibus, ſiue Gardis iuratis fidem decernimus adhibendam. Porrò per ſolutionem dictorum bannorum, ad emendandas talas, ſeu damna, prout fuerit iuſtum, nullum volumus excuſari. Prædictum verò Statutum ad perſonas Eccleſiaſticam iuriſdictionem habentes, in locis ſuis ſubjectis volumus non extendi.

XLVI.

Qualiter Prælati poſſint benedicere in Diœceſi aliena.

ITem, Statuimus, quòd quilibet noſtrûm Archiepiſcoporum prædictorum, & ſinguli Epiſcopi Prouinciarum noſtrarum, dum equitant per dictas Prouincias, poſſint etiam in alia Diœceſi dictarum Prouinciarum populum benedicere, vt ex hoc populi deuotio augeatur; & in Diœceſium Arelatenſis, Aquenſis, & Ebredunenſis Ciuitatibus tamen prædictis dumtaxat. Exceptis ſemper Ciuitate, & aliis locis, in quibus alter ex nobis dictis Archiepiſcopis, vel Diœceſanis, præſens eſſet.

XLVII.

Sententiam Excommunicationis ab vno Iudice latam alius requiſitus ſeruare teneatur: & ipſa ſententia cum moderatione debita proferatur.

ITem, Sententiam Excommunicationis, vel Interdicti latam ab vno, alij denunciari, & obſeruari faciant. cùm à proferente ſuper hoc fuerint requiſiti. Addentes, quòd prædictæ ſententiæ Excommunicationis, & Interdicti non-niſi ex iuſtis cauſis, cum authoritate, & ſolemnitate debita proferantur.

XLVIII.

De contrahentibus Matrimonia clandeſtina in Diœceſi aliena.

ITem, Statuimus, quòd quæcumque perſonæ pro Matrimonio clandeſtinè celebrando Diœceſi ſua exiuerint, & ibi Matrimonium ipſum contraxerint, ſine licentia proprij Sacerdotis, Excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto. Et, vt Excommunicatus vitetur, & publicetur, donec ad arbitrium Diœceſani Eccleſiæ Parochiali ſatisfecerit, in cuius iniuriam hoc præſumpſerat, & abſolutionis beneficium meruerit obtinere.

XLIX.

De abuſoribus Literarum Domini Papæ, & Legatorum eiuſdem, & qualiter puniantur.

ITem, Sunt nonnulli Clerici, & Laïci, qui literis Domini Papæ, & Legatorum eius nequiter abutuntur. Idcircò præſentis authoritate Concilij, Excommunicamus illos omnes, qui literas obtentas, aliis ſuo nomine traduut, ad abutendum; & eos, qui eas recipiunt, tali modo. Item, qui ad loca æquiuoca citare faciunt, vt fraudulenter, & malitiosè vexent, & decipiant ſic citatum laboribus, & expenſis. Item omnes illos, qui per literas Domini Papæ, vel Legatorum eius, perſonas non comprehenſas in reſcriptis, per excogitatam malitiam, Literam, vbi non eſt, ſimulantes, citari faciunt, vel procurant, ad prohibendum teſtimonium veritatis. Item omnes illos, qui literas Apoſtolicas, vel Legatorum eiuſdem Sedis, ad futuras trahunt controuerſias, quæ nondum fuerant tempore impetrationis excitatæ. Item omnes illos, qui per Literam, quaſi de bonis pro ſuo Prioratu, vel ſua Eccleſia impetratam, ad inſtantiam aliquorum, aliquos citari faciunt, cum quibus ratione Prioratus, ſeu Eccleſiæ, quorum cauſâ non eſt Litera impetrata, non habent aliquid quæſtionis de Litera poſt iter arreptum. De omnibus prædicto modo abutentibus idem per omnia Statuentes, nec-non de omnibus illis, qui per quaſcumque literas Apoſtolicas aliquos citari faciunt, contra quos non habent aliquid quæſtionis, vel contra Conſtitutiones fœlicis recordationis Domini Bonifacij Papæ octaui, aduerſarios ad remota loca notoriè faciunt euocari.

L.

De illis, qui literas, prætextu dotis Eccleſiæ, impetrant, vel qui Cruce-ſignatos ſe falsò aſſerunt, & alios fatigant.

SI quis verò ſuper rebus ad Dotem ſpectantibus literam Apoſtolicam impetrauerit, & illius authoritate aliquem, vel aliquos, cum quibus ratione dotis non habet aliquid quæſtionis, fecerit fatigari: Authoritate præſentis Concilij eadem Excommunicationis ſententia, qua ſuperiùs, nominatim nouerit ſe ligatum. De illis verò, qui falsò ſe Cruce-ſignatos aſſerunt, cùm non ſint, & ſic, tanquam Cruce-ſignati, literas Apoſtolicas impetrant, per quas aliquos fatigant laboribus, & expenſis; Item de illis, qui priuilegium Cruce-ſignatorum impetrant ſub illa forma, poſtquam iter arripiunt transmarinum; & ante iter arreptum per illud priuilegium aliquos faciunt fatigari; Talium abuſorum abſolutio, poſtquam parti læſæ ſatisfecerint, ſuo Ordinario reſeruatur: aliis pœnis à iure ſtatutis, eis nihilominùs per ſuos Ordinarios, vel per illum, quem indebitè vexauerint, ſi ibi reperti fuerint, infligendis. Hæc autem contra abuſores Literarum Domini Papæ, & Legatorum eius, authoritate præſentis Concilij duximus ſtatuenda: Eiuſdem Sedis Apoſtolicæ, & Legatorum ipſius authoritate ſemper ſalua.

LI.

L I.

Vt Beneſitiati ſine Diæceſani licentia non componant.

ITem, Sub interminatione Anathemaris prohibemus, ne aliquis prædictarum Arelatenſis, Aquenſis, & Ebredunenſis Prouinciarum ſuper decimis, & aliis iuribus debitis Eccleſiis Parochialibus, cum aliquibus Religioſis componere audeat, ſine authoritate Diœceſani; vel ius vni Eccleſiæ debitum, alteri audeat aſſignare.

L II.

Ne Beneficiati res Eccleſiaſticas, abſque Diæceſani licentia, præterquàm in certis caſibus, alienent.

ITem, Statuimus prohibentes, ne aliquis, cuiuſcumque dignitatis, vel ſtatus, poſſeſſiones Eccleſiaſticas, aut quæcumque alia iura immobilia alienet, quocumque titulo, in quaſcumque perſonas, cuiuſcumque ſtatus, vel Religionis, Ordinis, aut dignitatis exiſtant, ſine ſui Diœceſani conſilio, & aſſenſu. Qui verò contrarium fecerit, prouentus ſui Beneficij vnius anni ipſo facto amittat, in propriam vtilitatem ipſius Beneficij, ad Diœceſani arbitrium, conuertendos. Excipimus autem à prohibitione prædicta, quando poſſeſſiones erunt huiuſmodi cenſus, vt pro vtilitate Beneficij in Emphyteuſin perpetuam dari poſſint. Sed pro primo nihil vltrà accipere audeat, quàm valeat cenſus, vel pars fructuum vnius anni, quæ, vel qui, ratione dominij, retineatur. Saluis etiam conſuetudinibus hactenus obſeruatis, quas non intendimus immutare.

L III.

In quo ſtatu Beneſitia debeant dimitti, & per Succeſſorem teneri.

ITem, Statuimus, quòd ſi cõtingat aliquem Eccleſiam ſuam quomodolibet dimittere, ſine morte, iuxta exiſtimationem legitimam, & eiuſdem Eccleſiæ facultates, relinquatur ibidem in bonis mobilibus, quod perſonæ nexæ ipſi Eccleſiæ, & domui eiuſdem, poſſint viuere vſque ad nouos fructus, & commodè ſuſtentari, & omnia onera interim Eccleſiæ incumbentia ſupportare; quòdque Succeſſor quilibet omnia ornamenta Eccleſiaſtica, & vniuerſam domus ſuppellectilem in pannis, & aliis, in illo ſtatu conſeruet, & meliori, ſi poterit, reddere teneatur eo in quo recipiet Eccleſiam ſupradictam

L IV.

De Inuentario Bonorum Eccleſiaſticorum infra certa tempora faciendo.

ITem, Statuimus, quòd Priores Eccleſiarum, & Hoſpitalium pauperum, & omnes alij Eccleſiaſtica Beneficia obtinentes, faciant Inuentarium cum publico inſtrumento, vel in Chartulario, quod penes Eccleſiam debebit remanere, de omnibus immobilibus, & mobilibus bonis (ſcilicet, Inſtrumentis, Priuilegiis, vaſis æneis, ferreis, atque vinariis) in principio ſui regiminis, infra ſex menſes. Et idem faciant Inſtituti poſt primam Synodum infra ſex menſes. Et qui non fecerint prædicta, in decima fructuum dicti Beneficij puniantur; operi, vel ornamentis, aut vtilitati propriæ Eccleſiæ per Ordinarium applicanda.

L V.

De Teſtamentis per Beneficiatos ſecundùm conſuetudinem laudabilem faciendis

ITem, Statuta olim per Prædeceſſores noſtros edita, ſuper Teſtamentis, vel aliis vltimis voluntatibus, per Prælatos, aut Beneficiatos, vel Laïcos faciendis; ac conſuetudines rationabiles hactenus in ſingulis Prouinciis obſeruatas, authoritate præſentis Concilij approbamus, & in ſuo robore volumus permanere.

L VI.

De Statutis, bannis, & præconiſationibus editis contra conſuetudines prohibendis.

ITem, Statuimus, quòd quicumque contra Eccleſiaſticas conſuetudines antiquas, rationabiliter approbatas, & hactenus pacificè obſeruatas, Statuta, banna, prohibitiones, vel præconiſationes, aut præcepta ſcienter fecerit, aut fieri procurauerit, aut ſeruari; ſeu facientibus, aut ſeruantibus, in hoc, conſilium, vel opem directè, vel indirectè præſtiterit; per Diœceſanum locorum, aut Officiales vel procuratores eorum, præſentis authoritate Concilij moneantur, vt infra vnum menſem à tempore monitionis huiuſmodi numerandum, ſtatuta, banna, prohibitiones, præconiſationes, & præcepta huiuſmodi cum effectu debeant reuocare; ad conſimilia vlteriùs nunquã proceſſuri; alioquin Excõmunicationis ſententia, quã in his ſcriptis, ex-nunc in ipſos facimus, ſint ligati.

L VII.

De contributione expenſarum neceſſaria inter eos Beneſitiatos in Diæceſi facienda.

ITem, Statuimus, quòd ſi Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, vel aliquis Rector alicuius Eccleſiæ, Ciuitatis, vel Diœceſis Prouin

Prouinciarum expenſas neceſſarias fecerit in Legatis, & Nunciis Sedis Apoſtolicæ, illæ expenſæ ſoluantur de communi diſtributione Eccleſiarum, Ciuitatum, & Diœceſium, infrs quas dictæ expenſæ fuerint factæ; Et iſtæ expenſæ ſemel in annu in vna Synudo colligantur.

LVIII.

Vt Iudæi vtriuſque ſexus ſigna deferant, propter quæ ab aliis diſcernantur.

ITEM, Decernimus, quòd Iudæi maſculi à quatuordecim annis, & ſuprà, deferant extra domos in ſuperiuri veſte, in pectore, ſiguum Rotæ, cuius quantitas iu rotunditate ſit trium, aut quàtuor digitorum; niſi ſint in viagio conſtituti; Mulieres autem à duudecim annis, & ſuprà, Cornu deferant extra domus. Si verò Iudæi quocumque prætextu contrà fecerint, Chriſtianorum patricipium eis denegetur. Hac eadem pœnâ Iudæos decernimus compellendos ad Eccleſiis ſatisfaciendum pru decimis, & pro ublatiunibus, de dumibus, & poſſeſſionibus, quas noſcuntur in ipſarum Parochiis puſſidere.

LIX.

Quando ſit ſententia Interdicti ſeruanda.

ITEM, Statuimus, quòd tunc ſententia Interdicti ſeruetur, cùm ab Ordinariu datum fuerit iu mandatis. Iu ſingulis autem caſibus ſupra-dictis, in quibus lata eſt ſententia Interdicti, tunc demùm eam ſeruari volumus, & mandamus, cùm ab Ordinariu, vel eius Officiali, ſeu locum-tenente, aut delegatu datum fuerit in mandatis.

LX.

Cùm Abſolutio, vel Diſpenſatio in caſibus præſentis Concilij Superiori non reſeruatur; per Ordinarium, vel per illum, ad quem Ordinarius remittit, impendi poterit, & debebit.

ITEM, Adjicimus, quòd in caſibus, vbi diſpenſatio, vel abſolutiu non reperietur in urdinatione præſentis Concilij, Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter, vel aliter reſeruata; Epiſcopi, pru ſuæ diſcretionis arbitriu, iuxta negotij qualitatem, & perſunarum conditionem, prouideant, & diſpenſent; aut pru reconciliſtionis, vel abſolutionis, ſeu diſpenſationis remediu, remittant culpabilem ad ſuum, vel aliquem alium de prædictis, Metrupolitanum, de quu ſibi magis videbitur expedire; & ſicut illius ſaluti, de cuius agitur exceſſu, ſpectatis tam negotij, quàm perſonæ circumſtantiis, magis crediderint opportunum.

Expliciunt Statuta Prouincialia edita in Ciuitate Auenionenſi in Prioratu Sancti Ruſi.

Atque Rebus Humaniuribus ſeu Miſcellaneis mudus tandem eſto.

FINIS.

INDEX
RERVM ET VERBORVM
in Epicuri Vita contentorum.

A

ALAVTEVS Epicureus. pag.188
Alcæus & Philiſcus Pſeudo - Epicurei, Romà pulſi, quòd eſſent turpium volu-ptatum adoleſcentibus authores. 196
Alexandri ab Alexandro æquum de Epicuro iudicium. 224
Alexander Philoſophus Epicureus. 190
C. Amafanius Epicureus. 189
D. Ambroſius de Epicuro, & Epicureis quid ſenſerit. 145.199
S.Ambroſius docet Epicuri hortos tolerabiliores eſſe Lyceo Ariſtotelis. 224
Amici & familiares Epicuri quinam? 177.178
Amynomachus Philocratis filius Batithea, Epicuri diſcipulus. 179.183
Andreas Arnaudus Forcalquerienſis, breuem Epicuri Apologiam compoſuit. 224
Anna Maria Schurmana, Vltraiectenſis puella doctiſſima. 221
Annus natiuitatis Epicuri. 174
M.Antonius Bonciarius Pariſienſis Profeſſor, Epicurum cæteris antiquis Philoſophis præfert. 224
Apelles Epicuri diſcipulus. 179
Apollodorus Cepotyrannus. 187
Arceſilas fœcundis calicibus hauſtis moritur. 216
Arceſilæ in Epicurum odium vnde? 223
Arceſilæ podagræ doloribus ardentis vox fortis. 205
Ariſtobulus frater Epicuri. 173.178
Ariſtoteles an Mathematicarum peritus. 223
Ariſtoteli obiici ab Epicuro aiunt, quod voratà paternà ſubſtantià militaſſet, ac medicamenta vendidiſſet. 208
Ariſtotelis lyceo S.Ambroſius præfert hortos Epicuri. 224
in Arteis ac diſciplinas, quæ vtilitatis alicuius gratià excogitatæ ſunt, ſtudia inutilia ac vana plurima irrepſerunt. 229
Aſſis valor. 214
Athenæ, patria Epicuri. 173
T. Pomponius Atticus Epicureus. 188
Atticis olim alia menſium ciuilium, alia Lunarium principia. 174
Auctores aliqui de Epicuro bene meriti. 224

B

BAptiſta Guarinus Veronenſis librum ſcripſit de ſecta Epicuri. 224
Baſſus Aufidius Epicureus. 190
Beatus Epicurus, etiam in acutiſſimis doloribus. 223
Boëthus Geometra, Epicureus. 190
Bona in commune conferenda Amicis non cenſuit Epicurus, & quare. 177

C

CÆlius Rhodiginus de Epicuro benè ſenſit. 224
Calliſtolas Epicuri familiaris. 181
C.Caſſius Bruti ſocius, Epicureus. 188
Catius Inſuber Epicureus. 188.189
Catonis odium in Philoſophos. 226
Celſus Epicureus. 190
Chæredemus frater Epicuri. 173.178
Chæredemus, vnus ex Epicuri familiaribus, cuius nomine librum Epicurus inſcripſit. 180
Chæreſtrata, Epicuri mater. 173
Chaos occaſio fuit Epicuro philoſophandi. 175
Chryſippus Cheſippus, quaſi cacaturiens equus, dictus. 208
Chryſippus librorum Epicuri paraſitus. 179
Chryſippus de Dialectica ſupra trecentos ſcripſit libros. 195
Chryſippus quòd ſuaue merum inter ſacrificia ebibiſſet, interiit. 215
Cicero malè affectus in Epicurum cur? 197
Cicero Epicurum appellat virorum optimum. 205.209
Epicureos laudat. 215
Eos Stoïcis præferebat. 235
Ciceronis locus arduus ex epiſtola 19. lib.5. ad Atticum, explanatus. 177
Clemens Alexandrinus Epicuro infenſus. 199
Colotes Epicuri diſcipulus. 179
Concubinarum vſus olim non omnino prohibitus. 221.222
Congij menſura qualis. 216
Conſtantia Epicuri in acutiſſimis doloribus. 223

D

DAmis Epicureus. 190
Democritum honorauit ac ſequutus eſt Epicurus. 206

Deum vt coluerit Epicurus. 201
Diuinos honores an affectarit Epicurus? 200. vſque ad 203
Deus eſt mortali, iuuare mortalem. 203
Dialecticæ Stoïci impensè addicti fuêre. 195
Dialecticam vt ſuperuacaneam reiecit Epicurus. 2.8.234.235
  De ea Chryſippus ſupra trecenta volumina ſcripſit. ibid.
Diem ab occaſu in occaſum ſupputabant Attici. 174
Diodorus Epicureus. 190
Diogenis Laërtij locus de Metrodoro Epicuri diſcipulo emendatus. 178
Diogenes Epicureus, promptus & diſertus. 233
Diogenem Babylonium maledicum Antiochus Rex iugulari mandauit ob eius maledicentiam. 209
Diſcimus multa, quæ ſi ſciremus dediſcenda forent. 229
Diuitiis quis fruatur. 187
Doſitheus Epicuri diſcipulus. 179

E

ELoquentia. Vide Rhetorica.
Epicurus Athenienſis fuit, quamuis alij eum Samium, alij Lampſacenum crediderint. 173
  Gargettius dictus, quod Gargetti natus. ibid.
Epicuri parentes. ibid.
Epicurus Neoclides dictus à patre Neocle. ibid.
  Quo tempore natus? 174
Epicuri fratres tres, Neocles, Chæredemus, Ariſtobulus. 173.178
Epicuri in fratres amor ac reuerentia. 173
Epicurus vbi pueritiam, adoleſcentiam, iuuentutem exegerit? 174
Epicuri Domus vbi. 177
Fuit Epicurus conſtitutionis non multum firmæ. 183.184
  Fuit morbis obnoxius, non vitæ intemperantiâ, ſed conſtitutionis naturalis vitio. 223
Epicurus anno ætatis 14. ad Philoſophiam accedit. 175
  Αὐτοδίδακτος magiſtrum nullum habuit. ibid.
Epicurus vanitatis arguitur. 207
  Sed per calumniam. 209
Epicuro in Præceptores ingratitudo obiicitur. 206
  Ab ea purgatur. 209
Epicurus maledicentiæ erga omnes antiquiores Philoſophos accuſatur. 207
  Defenditur. 209.210
Epicurus impietatis arguitur. 200
  Defenditur. 202
  Affectarit-ne honores diuinos? 203
Epicuro Venus impura obiicitur. 217.218
  Nec-non gula fœda & noxia. 213
Epicurus cum Prodigo Euangelico à pleriſque comparatus. ibid.
Epicuri ſobrietas, frugalitáſque eximia. ibid.
Epicurus in exemplum continentiæ citatus. 210
  An diſciplinas vniuersè oderit. 226.129
Epicurus è Philoſophorum choro pulſus. 219
  In eundem merito reuocatus. 223
Epicuri erga Deum pietas. 201.102
Epicuri pietas erga patriam, parentes, alios. 204.105
Epicurus vir optimus, Cicerone teſte. 205.209
Epicurus vir mitiſſimus. 209
Epicurus quàm multa conſcripſerit. 179
Epicuri volumina recenſentur. 180
Epicuri epiſtolæ. 181
Epicurus, vbi literæ priùs ſepultæ reuixerunt, à multis authoribus commendatur. 224
Epicurus clarus, perſpicuus, diſertus. 232
Epicuri conſtantia extrema ex ipſo Cicerone & aliis. 223
Epiſtola Epicuri ſtatim morituri ad Idomeneum. 184
Epicuri Teſtamentum. 183. &c.
  Mors. 184
  Quo tempore obierit? 185
Epicurus cum Themiſtocle comparatus. 223
Epicurus à D. Gregorio Nazianzeno laudatus. 220
  Et à Chryſippo quamuis hoſte. ibid.
Epicurus graphicè deſcriptus à Poëta Stellato. 214
Epicuro (quod nomen *Auxiliatorem* ſonat) ob purgatam amentiam multum debent homines. ibid.
Epicuri Horti tolerabiliores Lyceo Ariſtotelis, teſte S. Ambroſio. ibid.
Epicuri ſucceſſores. 187
Epicuri memoria ſectatoribus illius quàm cara. 185
Epicureorum quanta inter ſe conſenſio. 186. 187
Epicurei [illegible] dicti: quamobrem? 186
Epicurei clarè locuti, ac ſine verborum ambagibus. 230
Epicureus Sacerdos: Luciani locus. 200
Epigramma de eo qui laqueum pro auro reperit. 189
Epitaphium Sardanapali. 213
Eucratidas Philoſophus Epicureus. 187
Eurydicus Epicuri diſcipulus. 179

F

M. FAbius Gallus, Epicureus. 189
Famem malignè extinguebat Epicurus. 214
Feminæ ingenio præſtantes in Philoſophorum ſcholis. 221
Franciſcus Philelphus Epicurum commendat. 224
Fratres Epicuri tres, Neocles, Chæredemus, Ariſtobulus. 173.177
Frugalitas Epicuri qualis. 213

G

GAbinius quomodo laudauerit Epicureos. 196
Galenus cur in Epicurum malè animatus? 198

Aliud

Aliud de Epicuro ſciuis, aliud euulgauit. 198
De Venereorum vſu Epicuri ſententiam refert. 199
Gamelion cui ex noſtris menſibus reſpondeat? 185
Gargettius ſenex, & Gargetticus Author dictus eſt Epicurus. 173
Grammaticam qui neglexerit Epicurus. 226. 227.228.229.230
Grammatica duplex. 230
D. Gregorius Nazianzenus Epicurum laudat. 220
Gula immodica Epicuro exprobratur. 218
item Gula fœda & noxia. 213
Obiecta de vtraque ſoluuntur. 214.215

H

HEgeſianax Pyrrhonis frater, Epicuri diſcipulus. 179
Hemina, qualis menſura. 213
Herculeos labores longè exuperat ſapientia. 203.204
Hermachus Agemarchi filius, Mitylenæus, Epicuri diſcipulus ac ſucceſſor. 179
Quos ſcripſerit libros? ibid.
Hermocles Epicureus. 190
Hermodorus Epicureus. ibid.
Hermon Epicureus. ibid.
Herodotus Epicuri diſcipulus. 179
Ad eum Epicurus Epitomem paruam Phyſices ſcripſit. ibid.
Heſiodum Poëtam Epicureis Philoſophis accenſet Albertus Magnus. 191
Hiſtoria commendatur. 232
Q. Horatius Flaccus Poëta ſe Epicureum profitetur. 189.190
Horatius, quòd eſſet Epicureus, ſe porcum dixit, vulgare ſcomma iocando admittens. 213.215
Hortus, Epicuri ſchola. 176
Hortus Epicuri ab infamia ex mulieribus purgatur. 220.221
Hortulum Epicuri deſcribit Seneca. 214
Horti Philoſophici plures. 221

I

IDomeneus Epicuri diſcipulus. 179
à literis Epicuri celebris. ibid.
Ironiam Socrati familiarem reprehendit Cicero. 233
Ironicè loqui ſapientem vix probauit Epicurus. ibid.

L

LActantius in Epicurum malè animatus. 199
Lacydes ex vberiore potatione paralyticus. 216
Leonteus Lampſacenus Epicuri diſcipulus. 179
Leontium Epicuri diſcipula. 218
Amica. 221
Librum elegantem aduerſus Theophraſtum Philoſophum ſcripſit. 221
Scito ſermone & Attico. ibid. & 233
Lepidus Epicureus. 191
Libri, quos Epicurus ſcripſit, recenſentur. 180. &c.
Lucianus Epicureus. 191
Lucilius Senecæ epiſtolis illuſtris an Epicureus? 190
T. Lucretius Carus Epicureus, Poëta inſignis. 188
Lucretius Epicurum quo ſenſu dixit Deum? 203.204

M

MAhometis Paradiſus. 218
Maledicta, contumeliæ, contentiones, concertationes Philoſophiâ indignæ videntur, Cicerone teſte. 210
Mathematicas artes an oderit Epicurus? 228. 235 236
Maza, quod cibi genus. 213
Memmius Epicureus, cui Lucretius libros ſuos dicat. 189
Menander Epicurum quanti faciat? 223.224
Menœceus Epicuri diſcipulus. 179
Ad eum Epicurus epiſtolam de rebus ad mores pertinentibus ſcripſit. ibid.
Menſium ciuilium & Lunarium alia principia olim apud Atticus. 174
Metrodorus Lampſacenus Epicuri diſcipulus, familiaris, amicus. 178
Vir bonus & aduerſus moleſtias mortémque ipſam intrepidus. 178
Penè alter Epicurus. ibid.
Quos ſcripſerit libros. 179
Magnus vir Senecæ dictus. 215
Metrodorum diuinè loquutum B. Clemens aſſerit. ibid.
Metrodorus Stratoniceus an ab Epicuro ad Carneadem defecerit. 205
Metroon, magnæ Deæ Templum Athenis. 183
Minæ valor. 213
Minarum LXXX. valor monetæ noſtræ reſpondens. 256
Mors Platonis & Arceſilæ. 216
Mors acerba vltrici Dei iuſtitiæ non eſt ſemper adſcribenda. ibid.
Mors ad nos nihil pertinet. 228
Mulieres olim in Philoſophorum ſcholas admiſſæ. 221
Mulieres nonnullæ cum Epicuro philoſophatæ. 179.220.221
Mus Epicuri ſeruus ac diſcipulus, Philoſophus non incelebris. 179
de Muſica librum ſcripſit Epicurus. 181.236

N

NAturæ bona ſummè æſtimabat Epicurus. 157
Naturæ in nobis vitia, non exprobratione, ſed commiſeratione digna. 236
An in Nauſiphanem præceptorem ingratus fuerit Epicurus? 206
Neocles pater Epicuri. 173
Ludimagiſter fuit. ibid.
Neoclès frater Epicuri. 177
Nicanor Epicuri diſcipulus. 179.183

P

PAmphilum Platonicum contempſit Epicurus. 206,207
Panſa laudatur à Caſſio quod voluptatem ſequens virtutem retineat. 189
L. Papirius Pætus, Epicureus. 188
Paradiſus Mahometis. 218
Paralyticus ex vberiore potatione Lacydes factus. 216
Parietinæ Epicuri ædes. 177
Patro Epicureus. ibid.&189
Perſpicuitas primum Rhetoricæ munus. 232. 233
Petronij Epigramma qualiter emendandum. 176
Phædros Philoſophus Epicureus, quem Cicero audiuit. 189
Philænis Epicuri diſcipula. 179
Philæidæ quinam? 173
Philiſcus Pſeudo-Epicureus. 196
Philodemus Epicureus. 189
Philomarus Epicuri ſectator. 191
Philoſophia contumelias, maledicta, contentiones, concertationéſque reſpuit, teſte Cicerone. 210
Philoſophia ita conſpurcata eſt, vt nihil iam aliud eſſe videatur quàm Sophiſtices officina. 219
Philoſophi vrbibus ſæpe expulſi. 225
Pietas Epicuri, 201.202
L. Piſo Epicureus. 188.196
Plato *aureus* dictus, cur? 207
Plato pueros fœdè adamauit. 222
Plato in nuptiis cœnaus moritur. 216
Plato Sardianus, Epicureus. 189
Plutarchus commendatur. 197
Cur Epicuro infenſus? ibid.
Plutarchus Epicurum deridet, an merito? 214
Poëtarum figmenta, Epicurus, quòd eſſet veritatis amaos, improbaoit. 235
Poëtas è Republica eiicit Plato. ibid.
Item Heraclitus & Zeno. ibid.
Poëticen an contempſerit Epicurus? 203. 231
Pollius Surrentinus Epicureus. 190
Polyænus Lampſacenus, Athenodori filius, Epicuri diſcipulus, magnus Mathematicus. 179
Polymedes Epicuri familiaris ac diſcipulus. 181
Pomponij Attici Menſa qualis? 215
Populum ſiue popularem auram meritò contemnit Epicurus. 193
Hanc ſtudioſè captabant Stoici. 196
Præceptores quos audierit Epicurus? 175
Præceptores habere nullos ſatius, quàm non bonos. 209
Prodigus Euangelicus cum Epicuro compoſitus. 213
S. Aurel. Propertius Poëta, Epicuro addictus. 190
Protagoras baiolus dictus, Democriti ſcriba, per vicos ludimagiſter. 208
Prouidentiam diuinam aſſeruêre Stoïci, malè hanc negauit Epicurus. 191
Prouidentiam fatidicam anum Stoïcorum appellat Velleius apud Ciceronem. ibid.
Pyrrhon & Hegeſianax fratres, Epicuri diſcipuli. 179
Ad hos Epicurus conſolatoriam ob patrem mortuum ſcripſit. ibid.
Pythagoras plurimas mulieres in diſciplinam ſuam admiſit. 221
Pythocles Epicuri diſcipulus. 179
Ad eum Epicurus de Meteoris ſcripſit. ibid.
Eius indoles præſtantiſſima. ibid.
Pythocles puer meritorius. 219

R

RAphaël Volaterranus Epicurum laudat. 214
Ratæ ſententiæ, Epicuri libellus ex Panætio apud Ciceronem ad verbum ediſcendus. 180.186
Religio alia pura, alia ſpuria. 202
Rhetoricam quanti fecerit Epicurus. 227. 232
Rhetoricæ munus præcipuum, claritas, ſeu perſpicuitas. 232
Rhetorica an foro, iudiciis, Rerumpublicarum adminiſtrationi vtilis? 234
Rhetorica, κακοτεχνία. 227
Ars fallendi. 233.234
Rhetores à Maximo Tyrio cum Mangonibus comparati. 234

S

SAcerdos Epicureus: Luciani iocus. 200
Salutatoriæ Epicuri voces illius epiſtolis præmiſſæ. 182
Sapiens vnu minor Ioue. 204
Sapientis animum nil cogit, vt vulgaria ſapiat. 202
Sapientem ironicè loqui an deceat? 233
Sapientia vera Herculeis laboribus præfertur. 204
Sardanapali Epitaphium. 223
L. Saufeius Eques, Epicureus. 188
Scholæ Epicuri ſucceſſio quàm conſtans. 186
Secta Epicuri. 176
Seneca veri ſtudioſus, inuitis Stoïcis, Epicurum commendat. 194
Seneca Stoïcorum inanem ſubtilitatem carpit. 195
Seneca an fuerit Epicureus? 191
Statyllius Epicureus commendatus, 189
Sobrietas Epicuri qualis? 213
Stoïci in Dialectica penè toti. 195
Stoici in ſuis diſputationum ineptiis vix ferendi. ibid.
Stoïci aliter dixêre, aliter vixêre. 215
Stoici ad Ducis ſui Zenonis imitationem, tetricos ſe aſpectu, & maxima parte ad cutem deraſos exhibebant. 192
Stoicorum iactationes. ibid.
Stoïcorum in Epicurum calumniæ. 193. 194
Stoïci odij in Epicurum occaſio quænam? 193. 195
Stylus in ſcribendo quis comparandus. 233

Succeſſio

Succeſſores Epicuri quinam? 187
Superſtitionem improbauit Epicurus. 202
Syron Epicureus. 189
Notat Seruius hunc eſſe quem Virgilius in Eclogis ſub Sileni perſona loquentem inducit. ibid.

T

TEſtamentum Epicuri. 183
Themiſta Zoili filia Lampſacena, Leontei vxor, Epicuri diſcipula. 179
Quàm ſeriò Philoſophiæ operam dedit. 221
Theotimus quòd ſcripſiſſet libros aliquot contra Epicurum capite mulctatus. 197
Timagoras Epicureus. 189
Timocrates Lampſacenus Metrodori frater, Epicuri diſcipulus. 179
Timocrates alter Demetrij filius Potamius Epicuri diſcipulus. ibid. & 183
Timonis Maledicta. 215
L.Torquatus Philoſophus Epicureus. 188
C.Trebatius Epicureus. ibid.

V

L. VArus Epicureus. 189
Quintilius Varus itẽ Epicureus. ibid.
C.Velleius Senator Epicureus. 188
Verrius Epicureus. ibid.
Veri profeſſoribus nullum figmenti genus conuenit. 179
Vini congium vno hauſtu ſorpſit Xenocrates. 216
Virgilius Poëta ſub Epicuro militauit. 189
Volumina Epicuri referuntur. 180.&c.
Voluptas, in qua Epicurus ſummum bonum conſtituit, quænam? 176.192.193
Deſcribitur ab ipſo Epicuro. ibid.
Voluptates impuras ſpernit Epicurus. 220
Vomitio ad ſtomachum exonerandum humoribus ſuperfluis olim Romæ frequentiſſima. 216
Voſſius Epicurum inter Hiſtoricos Græcos recenſet. 232
Vulgus ex iis ſolùm quæ apparent, omnia iudicat. 196

X

XEnocrates congium, id eſt, pintas tres vini cum ſemiſſe, vno hauſtu ſorpſit. 235

Z

ZEno Stoicorum princeps Epicuro contemporaneus. 192
Auram popularem magnificis vocibus, & efficta morum grauitate captabat. 195
Pæderaſtiæ inſimulatus. 222
Zeno Sidonius Epicureus Philoſophus. 187
Zopyros Medicus, Epicureus. 190.235

INTERPRETATIO VERNACVLA
Selectorum aliquot Nominum propriorum, quæ in Vita PEIRESKII occurrunt.

A

ABbauillaeus, d'Abbeville.
Aginnenſis, d'Agen en Agenois.
Agutius, d'Agut.
Albaſpina, De l'Aubeſpine.
Album Hoſpitium, Begude blanche.
Alenſis Comes, Comte d'Alais.
Alincurius, d'Alincour.
Alreſia, d'Alries.
Altinus, Hautin.
Andes, Païs d'Anjou, *Andinus*, *Andegauenſis*, d'Anjou, Angevin.
Antipolis, *Antipolitanus*, Antibe, d'Antibe.
Apta Iulia, Apt, ville de Provence, *Aptenſis*, d'Apt.
Aqua-mortua, Aigues-mortes.
Aquæ Sextiæ, Aix, *Aquæ Sextienſis*, *Aquenſis*, d'Aix.
Aquiſtria, Guiſtres, *Aquiſtrienſis Abbatia*, Abbaye de Guiſtres, en Guyenne.
Arauſio, Orenge.
Arcoſius, d'Arcos.
Area, *ſeu Hiera*, Yeres.
Arecomici, Partie Orientale du Languedoc.
Arelate, Arles, *Arelatenſis*, d'Arles. *Arelatenſe Pontificium*, Hiſtoire des Prelats d'Arles.
Aremorica lingua, Langue Bretonne.
Argenteus, *Prouinciæ fluuius*, Argens.
Arminiacus, d'Armignac.
Arſchotanus Dux, Duc d'Arſchot.
Aruernus, *Aluernus*, d'Auuergne.
Aſſeſſor Aquenſis, Aſſeſſeur, Advocat tenant rang entre les premier, & ſecond Conſuls d'Aix, & Procureurs du païs.
Aſſiſia, Aſſiſes.
Auaricum, Bourges.
Aubrius, *Menilius*, Aubry du Meſnil.
Audomaropolis, Sainct Omer.
Auenio, Avignon.
Auguſta, Ausbourg.
Auguſtodunum, *Auguſtodunenſis*, Autun, d'Autun.
Aurelia, Orleans, *Aurelianenſis Puella*, la Pucelle d'Orleans.
Aurelia via, Chemin Aurelien, dont il demeure des veſtiges en Provence.

B

B*Achetus Meziriacus*, Bachet ſieur de Meziriac.
à Balneo Cardinalis, Le Cardinal Bagni.
Barcino, Barcellonne.
Bargemonius, De Bargemon.
Barraltius, De Barrant.
Barthalaſia, La Barthalaſſe.

Baulcium, lès Baolx. *Baulcienſis arx*, La fortereſſe des Bauix, prés d'Arles.
Bearnia, Pais de Bearn.
Bella inſula, Belle-iſle prés la coſte de Bretagne.
Bellevrau, De Bellievre.
Belgenſerium, Beaugenſier.
Belliquadrum, *Belliquadrenſis*, Beaucaire, de Beaocaire.
Bernetius, Du Bernet.
Bethunius, De Bethune.
Beuonia turris, Tour de Bevons en Prouence.
Boderius, De la Boderie.
Bomparius, *Bomparia*, de Bompar.
de Bononia, De Boullogne.
Borrillius, Bourilly.
Brachium Florentium, Braſſe de Florence.
Brevius, De Breves.
Brigantium, Briganҫon, fortereſſe prés d'Yeres.
Brinonia, Brignolle ville de Prouence. *Brinonienſis*, de Brignolle.
Broſſaus Vidus, Guy de la Broſſe.
Buccardus, Bouchard.
Buleus, Boule.
Bullialdus, Boulliao.
Buquia Turris, Tour de Boue.
Burdelotius, Bourdelot.
Burdigalenſis, de Bourdeaux.
Buxeus, Boiſſeau.

C

CAbirum, le Caire en Egypte.
Calaſium, Calas, village de Provence.
Camaldulenſes, Hermites de Camaldoli.
Campinius Bochartus, Bochart, Sieur de Champigny.
Canayus Fraxineus, de Freſnecanaye.
Canna, Canne, meſure de Provence.
Canna, *Cannenſis Portus*, Port de Cannes en Provence.
Capellanus, Chapelain.
Caradetea familia, de Caradet.
Carpentoractenſis, de Carpentras.
Caſſaneus, Caſſaigne.
Caſtelletum, le Caſteliet.
Caumartinus, de Caumartin.
Ceppedeus, de la Ceppede.
Chiffletius Veſuntinus, Chifflet de Bezanҫon.
Cipperia, oppidum Prouinciæ, Cipieres.
Citharistæ Promontorium, Cap de Cercieh, prés Toulon.
Claſſis prima, *Auditorium Maius*, Grand Chambre du Parlement.
Cleracenſis obſidio, Siege de Clerac.
Coeffetaus, Coëffeteau.
Collis-martius, Colmars, ville de Prouence.
Condeus Condatenſis, de Condé.
Comitia Curiata, l'Aſſemblée des Chambres du Parlement.
Compendienſis, de Compiegne.
Corus ventus, Maiſtral.
Coyerus, mons Prouinciæ, Coyet.
Crautia, *Campi lapidei*, *Campi Herculei*, La Craox prés d'Arles.
Crequius Dux, Duc de Crequy.
Curiæ inſtauratio, L'ouverture du Parlement.
Cyaenus, *Prouinciæ fluuius*, Ciagne, ou Siagne.

D

DAubrayus, d'Aubray.
Davoria, Doria de Gennes.
Debonarus, Debonnaire.
Decormius, Decormis.
Demonioſius, Demonioſieu.
Decuria ſummorum Iudicum, Chambre Souveraine.
Dinia, Digne, ville de Provence.
Draguinianum, Draguignan, ville de Provence.
Druentia Prouinciæ fluuius, La Durance.
Ducæus Fronto, Fronton le Duc.
Ducheſnius, Du Cheſne.
Dulcia, Douce, Comteſſe de Provence.
Dumayus, Dumay.

E

ENgoliſmenſis, *Magnus Francorum Melitenſium Prior*, Henry d'Angouleſme, Grand Prieur de France, Gouverneur de Provence.
Ericis Portus, Lericy.
Eſcurialis, de l'Eſcurial.

F

FAber Nicolaus, Nicolas le Fevre.
Fabrius, *Fabricius*, Fabri.
Falconius, de Faucon.
Feronceus, Feroncé.
Ferrerius, de la Ferriere.
Fliſcani Genuenſes, la Maiſon des Fieſques de Gennes.
Fons-Bellaqueus, Fontaine-bleau.
Fonianus Comes, Comte de Fuentes.
Fontanus, *Medicus* Fontaine.
Fonvivius, de Fonvive.
Forbina familia, de Forbin.
Forqualquerium, Folqualquier, ville de Provence.
Fortius, du Fort.
Foro-iulium, *Iuly forum*, Freius. *Antiquitates Foro-iulienſes*, de Freius, ville de Prouence.
Foſſenſis ager, Terroir de Fos prés le Martigues.
Frereus, Frere, le Frere.
Frontinianum (*non Frontiniacum*) Frontignan en Languedoc.
Fulco, Foulquet.

G

GAllaupius, *Caſtuellius*, Gallaup, Sieur de Chaſtueil.
Galliardus, Gaillard.
Gallo-Provincia, Provence.
Galterius, Gautier.

Gapellus, Provinciæ fluviolus, Gapeau.
Godellus, Godeao.
Godefridus, Gothefredus, Godefroy.
Gondius, Dux Radesianus, de Gondy, Duc de Rais.
Gornaus, Marchevillæ Comes, de Gournay, Comte de Marcheville.
Gramuſa, Provinciæ oppidum, le Gramuſe.
Grandis, le Grand.
Graſſenſis, de Graſſe.
Gratianopolis, Grenoble.
Grimaldicus Sinus, Golfe de Grimaud,
Grollaus, Medullionem, Breſſiaci Marchio, de Grollé, de Meoüillon, Marquis de Breſſieox.
Guerinea, Caverra, Grotte de Guerin.
Guiſii Dux, Duc de Guiſe.

H

H*Aligraus*, d'Haligre.
Hallaus, Hallé.
Hardyaus, Hardy.
Hemina, aridorum menſura, Hemine.
Henotica factio, la Sainte vnion, la Ligue.
Hogetta Fortinus, Fortin, Sieur de la Hoguette.

I

I*Ayus*, Le-Iay.
Inquiſitoria Claſſis, Chambre des Enqueſtes.
Ioyoſaus, de Ioyeuſe.
Iuſtinianaus Marchio, le Marqnis Iuſtinien.

L

L*Abbaus*, Labbé.
Lagneus, Lagneau.
Lainaus Marguerius, Lainé, Sieur de la Marguerie.
Lambiſcum, Provinciæ oppidum, Lambeſc.
Lapſonium, foramen, de Lanſon, lieu de Provence.
Latrunculator, Prevoſt des Mareſchaux.
Laverna. Laverne, lieu de Provence.
Leberoneus, de Leberon.
Lediguerij horti, Iardin du Duc de Leſdiguieres.
Legnius, Lac de Legny en Provence.
Lemovices, Païs Limoſin.
Lero, Leronenſis, vel Lirinenſis, Lerins, de Lerins.
Lexovij, Liſieux.
Lochienſis, de Loſches.
Lomenius, Delomenie.
Luillerius, Luillier.
Luxemburgica Pergula, Gallerie de l'Hoſtel de Luxembourg.

M

M*Achaltus*, Machault.
Marius, Le Maire.
Malherbius, de Malherbe.
Malignonus, mons Provinciæ, Malignon.
Marca, Poids de Marc.
Martigium Mare, Mer de Martigues.
Meduanij Dux, Duc de Mayenne.
Mellereola liquidorum menſura, Meillerole.
Memmius, de Meſme.
Menetrius, Meneſtrié.
Merſennus, Merſenne.
Mimetenſis (non Mimtenſis) de Mimet.
Minutius, Minuti.
Mirebellum, Mirebeau,
Monchalius, de Monchal.
Mon-morantius, de Mon-morancy.
Mon-morius, de Monmor.
Monſpelium, Mon-pellier.
Monſterius piſtor, du Mouſtier.
Mons Ventoſus, Mons-Ventoux.
Montargirium, Montargis.
Montis-maioris Monaſterium, l'Abbaye de Mon-maior d'Arles.
Morgueſius, Morgoes.
Municipalis Curia, l'Hoſtel de Ville.

N

N*Annetenſis*, de Nantes.
Natalis, Noël.
Naudaus, Naudé.
Nemanſus Nemanſenſis, Niſmes, de Niſmes.
Neovilla, de Neuf-ville.
Nibontium, Nions.
Noallius Comes. Comte de Noailles.
Naugaretius Valletanus, de Nogaret, Sieur de la Vallette.

O

O*Ccitania*, Le Languedoc.
Olbia, Yeres. *Olbienſis*, d'Yeres.
Olivarius Fontanaus, Olivier, Sieur de Fontenay.
Onus, menſura Provinciæ, Charge.
Oppedaus, Sieur d'Oppede.
Oppida alieno æri ſolvendo imparia, Communautez impuiſſantes.
Oreſonius Marchio, Marquis d'Oreſon.

P

P*Aludanus*, de la Palud.
Pannalis, menſura, Panal.
Pannus, vel *Palmus, menſura*, Pan.
Paulus Sarpius, Fra-Paolo Sarpio.
Pelletarius, le Pelletier.
Pererius, du Perier.
Petavius, Petau.
Petriſcum, Peireſc.
Phaseus, Fayette,
Phœnicopterus, Flammant.
Pinta, menſura, Pinte.
Piſſiacum, Poiſſy.
Pithœus, Pithou.
Pleſſæus, de Pleſſis.
Polanius, Poulain.
Pompadorius, de Pompadour.
Porcelletus Mallianeus, Porcellet, Sieur de Maillanes.

Potus menſura, Pot.
Proſeneſcallus Capitalis, Lieutenant Criminel de Senechal.
Provincia, Provincialis, Provence, de Provenco, Provençal.
Puteanus Eques, Caualier del Pozzo, Romain,
Puteani fratres, le Sieors do Puy Pariſiens,

R

R*Aſcaſius Bagarrius*, de Raſeas, Sieut de Bagarris.
Regalis Hiſpanicus, Real, hoictiéme de Realle.
Reginaldus, Raynaud.
Regium, Rey Appollinares, Riez ville de Provence.
Remigalia. la Feſte de Sainct Remy, *S. Remigius*, Sainct Remy, ville de Prouence.
Rhemi, Rhemenſis, Rbeims, de Rheims.
Reſius, de Res.
Riantium, Provincia oppidum, Rians. *Riantienſis*, de Rians.
Richelius, de Richelieo.
Rigaltius, Rigauit.
Rivierius, de la Riuiere.
Roccabruna, Roquebrune.
Rociacus, de Roiſſy.
Rotomagum, Roüen.
Rubenius, pictor, Rubens.
Rufum Promontorium, Cap Roox.
Rupes interciſa, Roque-taillade.
Ruzaus, Deſſiati Marchio, Ruzé Marquis Deſſiat.

S

S*Almaſius*, Saomaiſe.
Servius Servita, Fra Paolo Sarpio.
San-benedictina Eccleſia Biſtornata, l'Egliſe de S. Benoiſt, le Biſtorné.
Sancta Balma, La Saincte Baume.
Sancta Capella Gazophylacium, Le Threſor de la Saincte Cbapelle.
San-Dionyſium, Sainct Denys.
San-Ianetum, Sainct Ianet.
San-Iulianum, Sainct-Iulien.
San Legerius Tondutus, Tondotl, Sieor de Sainct Leger.
San-Marthani fratres, les Sieurs de Saincte Marthe.
San-Martinius, Sieur de Sainct Martlo.
San-Maximinum, Sainct Mszimin, ville de Prooenee. *San-Maximitanus*, de Sainct Maximin.
San-Michaëlianus torques, L'ordre de Sainct Michel.
Santamantius, Sieur de Sainct Amant.
San-Torpetianus Sinus, Golfe de Sainct Tropés.
Scaliger, De l'Eſcale.
Semurium, Semur en Boorgogne.
Sigilli ſacri Custos, Garde des Sceaux.
Sillerius, de Sillery.
Solatus. Eſcu au Soleil.
Sollerienſis familia, & vicus, de Solliers.
Sarga fluvius, Sorgue.
Spinoſa, oppidum Provincia, Spinouſe.
Stephanitis, Eſteveneтte.
Suareſius, Soarés.
Sylvanectenſis, de Scolis.

T

T*Abaretius Cadafalcius*, De Tabaret, Sieut du Chaffaut.
Tallia, Les Tailles.
Taraſco, Taraſcon, ville de Provence.
Tarraconenſis, de Tartagonne.
Tenda Comes, Comte de Tende.
Thoronius, Thoron.
Thuanus, de Thou.
de Thulia, de Tholes.
Ticinenſis, de Pavie.
Telo, Telonum, Tauroëntium, Toulon, ou Tollon.
Tonium Nitiobrigum, Tonins en Agennois.
Trobadores, Poeta Provinciales, Los Troba-dors,
Tullenſis Praſul, Eoeſque de Tool.
Tunetum, Toois.
Turno, Turnonum, Tournon.
Turonum, Turoni, Turones, Toors.
Turonica libra, Turonicus denarius, Livre Toornois, denier Toornois.
Turricula, Tournelle, Chambre Criminelle du Parlement.

V

V*Alaveſium*, Valaves. *Valaneſius*, Sieut de Valaves.
Valentiola, potiusquàm Vallis-ſola, Valleoſole.
Valeſius, Valois, de Valols.
Valletanus Eques, Chevalier de la Vallette.
Vallevoria familia, de Vallevoire.
Vallens, De la Valle.
Vallis-clauſa, ſcaturigo, Fontaioe de Vaucluſe.
Vardonis, ſeu Guardonis Pons, Pont du Gar.
Varius, Du Vair.
Vaſionenſis, De Vaiſon.
Vayerus à Motha, Sieur de la Mothe le Vayer.
Venaſcinus Comitatus, Comté Venaiſcin, ou d'Auignon, le Comtat.
Veneris Portus, Porto-venere.
Verdunus, Provincia fluvius, Verdon.
Vermellius, Vermeil.
Viaſſius, de Vias.
Vicus Mericus, Emeric de Vic.
Viguerius, Viguier.
Villa-novanus Flayoſci Baro, de Ville-neufve, Baron de Flayoſe.
Villa-regius, de Villeroy.
Villerius, de Villiers.
Vindocinenſis, de Vendoſme.
Vitrius Mareſcallus, Mareſchal de Vitry.
Vizilia, Vizile prés de Grenoble.
Vulturnus ventus, Siroc.

Z

Z*Emby, Inſula non procul Telone*, les Zembies.

INDEX
RERVM ALIQVOT PRÆCIPVARVM,
quæ ad Seriem Vitæ PEIRESKII potiſſimum ſpectant,

MAIORES. pag. 243. & ſeq.
De Patre. 248. & alibi.
Moritur. 244
De Matre. 296
Moritur. 245
De Patruo. 244. & alibi.
Moritur. 269
De Fratre. 245. & alibi paſſim.
Supereſt. 248
Natales, locus, tempus, initiatio, nomina. 244
Indoles, ac Mores. 245. & paſſim toto opere.
Ex profeſſo autem, copioséque. 331
Ingenium, ac Studia. 246. & ſeq. ac paſſim toto opere.
Specialiter verò, ac fusè. 337
Gubernaculum literatū arreptum. 251. & ſeqq.
Doctoratus adeptio. 257
Senatoria dignitas. 259
Vide etiam de ea. 294. 307. 312. 325
Abbatia. 286. 295. 348
Profectio in Italiam. 247. & ſeqq.
Commoratio Patauij. 248. & ſeqq.
Excurſus Venetias. 249
Romam. ibid.
Neapolim. 253
Reditus Patauium. 252. & ſeqq.
Reditus ex Italia. ibid.
Commoratio Monſpelij. 256. & ſeqq.
Reditus. 258
Profectio I. Pariſios. 262
Excurſus in Angliam. 263
In Hollandiam. 264
Reditus per Flandriam. 265
Reditus in Prouinciam. 266
Profectio II. Pariſios. 278
Reditus. ibid.
Profectio III. Pariſius. 279
Reditus poſt ſeptennium. 292
Seceſſus Belgenſerium. 303
Reditus in vrbem. 312
Amici, quorum foret nimis operoſa enumeratio. paſſim vbique.
Elogia à claris Viris. toto paſſim opere.
Morbi. 246. & paſſim.
Grauiores. 282. 297. 307. 309
Extremus. 345
Mors. 347
Funebres honores Romæ habiti. 348. & ſeq.

Quæ ad rem Antiquariam, ac Hiſtoricam.

A

ABACVS antiquus. 319
ΑΒΡΑΞΑΣ, Baſilidianorum Hæreticorum vox. 249
Acia mollis apud Celſum quid. 321
Æs graue. 256
Aëtion, inſignis gemma. 264. 269
Amethyſtus inſignis. 263
Antiquariæ rei ſtudium quale eſſe debeat. 342
Aquenſe Collegium, Vniuerſitáſque. 258. 259. 261
Aquenſes Conſules iidem Prouinciæ Procuratores. 301
Aquenſis Palatij incendium. 244
Palatini auditorij contabulatio. 267
Poli altitudo. 287
Ara Auguſt. dicata Narbone; & locus Taciti ex ea corrigendus. 257
Arabici Codices. 301. 312. 321. 325
Arcus triumphalis Arauſione. 257
Areæ, Olbia antiquorum. 243
Arelatenſe Pontificium. 297
Aremorica lingua. 325
Argæus Cappadociæ mons adoratus. 253
Artha genialis, ſeu annulus pronubus. 301
Aſſis partes. 254. 310. 342
Aſſiſiæ Principum Chriſtianorum. 299
Avenio, & Venaſcinus Comitatus quando, & quomodo in ditionem Pontificiam venerit. 268
Aurelianenſis Eccleſiæ, & quarumdam imaginum antiquitas. 263
Aurelianenſis puellæ acta. 262
Auſtriacam familiam ex Pharamundo maſcula ſerie non deduci oſtenditur. 284. & 285

B

BArberini Cardinalis Legatio in Galliam. 293
Reditus. 296
Legatio in Hiſpaniam. ibid.
Reditus. 297
Barcinonenſes Comites. 281. 296
Belgicam, Teutonicámve linguam eſſe primam omnium quis contendat 325
Biblia inſignis antiquitatis. 286
Boryſthenis Equi Adriani Tumulus, Epitaphium, Numus. 302
Britannicæ linguæ antiquitas, eiúſque apud Gallos vſus. 264
Britannia vox in numo. 266

C

CAmeus, ſeu Achates inſignis in Theſauro S. Capellæ de Apotheoſi defuncti Auguſti expoſitus. 288

Cameus

Caneus allus in Cimeliatcho Imperatoris expoſitus de Apotheoſi viuentis Auguſti. ibid.
Campaniæ, & Larij loca quædam. 251
Canalis ex Druentia in agrum Arelatenſem quando, & à quo deriuatus. 301
Carthaginenſis portus. 266
Carthaginenſium lex quædam. 267
Cenſuum imminutorum cauſa, moneta vſualis. 298
Cimbricam linguam eſſe primam omnium quis contendat. 325
Clandeſtinorum coniugiorum prohibitio. 299
Beati Clementis epiſtola reperta, editáque. 314
Columnæ Antoniniana, & Traiana. 248
Conflagratio Baſilicæ Palatinæ Pariſienſis. 285
Pontis Trapezitici. 290
Conſtantini Porphyrogennetæ Codex continens excerpta inſignia ex Polybio, aliiſque hiſtoricis. 298.320
Cophtici libri. 306.314
Corſicana expeditio Scipionis Barbati ex inſcriptione. 283
Currus vento actus. 265

D

Delphini Baptiſmus. 266
Diniēnſia Balnea, ac Thermæ ſingulares. 267
Doctorum inſignium origo. 258

E

Eccleſiarum ſitus in ortum, Tropicúmque Hibernum. 291
Eeſtaſis fœminæ inſignis. 252
Cardani etiam. ibid.
Elephas funambulus ex Medallione. 308
Enochi Prophetia Æthiopicè apud Peireskium. 313
Euangelia quibus temporibus ſcripta. 321
Eugubinæ Tabulæ. 252.321

F

Ferrariæ ditio caduca à Clemente VIII. recepta. 247
Fluminum variorum nuncupationes ex eadem origine. 325
Franciæ hiſtoriæ Authores conquiſiti. 285. 313
Editi. 326
Francorum Regum Stemma vindicatum à technis Scriptorum Auſtriacis aſſentantium. 284.& ſeqq.
Francorum aliquot Regum effigies in ſigillis antiquis. 263.269
Tumuli. 263
Statuæ. 285

G

Lud. Gaufridi cacomagia. 276
Globuli mirabiles in ciſtula fellea D.Claræ repetri. 252
Græcæ linguæ vſus. 253
Græci Codices. 298.313
Guardonis, ſeu VVardonis pons. 256

H

Henrici Magni, & Mariæ Mediceæ ſponſalia. 249
Eiuſdem Henrici mors, & de ea prouiſa. 274
Hieroglyphica menſæ Iſiacæ, à quo expoſita. 253
Hieroglyphicorum interpres. 313
Hiſtoriæ ſtudium quàm vtile. 342
Hollandi, vt templis, & inſignibus Equitum pepercerint. 265
Vt Bibliothecam inſtruant. 308
Homeri effigies cum inſcriptione. 281
Ilias cum notis Porphyrij. 314
Honorij, & Theodoſij Imperatorum conſtitutio. 279
Humoriſtarum Academia Romana. 348

I

Iccius Morinorum portus. 199
Inſcriptiones variæ. 251.252.255.257. 280. 302.328.&c.
Aliquæ mirâ ſolertiâ à Peireskio explicatæ. 262
Inſulæ natantes. 299
Iobelæum anni 1600. 251

K

Kalendarium Conſtantinianum apud Peireskium. 284.289
Vtile ad Chronologiam. 284
Karolus Dux Croius, & Arſchotanus quàm curioſus, & humanus Princeps. 266
Karoli Magni Aquis-granenſia monumenta. 270
An Magni cognomentum viuus tulerit. 269
Karoli V. Imperatoris in Prouinciam irruptio. 244
Karolus II. Rex Siciliæ, & Prouinciæ Comes, ſua & filij ſanctitate conſpicuus. 301

L

Lateris Babylonij fragmentum, & quid continens. 300
Lectiſternium marmoreum inſigne.
Leronenſium Inſularum vindicatio. 330
T.Liuij oſſa Patauij condita; & ex iis brachium Neapolim tranſlatum. 255
Locrenſium lex quædam. 267
Longæuitas ſenis Angli. 326
Perſæ. ibid.

M

Mantuani Ducis Cimeliarchium. 256
Marmora Arundelliana Peireskij cura, & ſumptibus eruta. 305
Illorum ad Chronologiam vſus. ibid.
Maſſilia ciuitas Græca. 280
Eius moneta. ibid.
Quanta ſit in ea Solſtitialis vmbra. 327
Maſſilienſes Comites. 337
Martis Deûm Magnæ, Attidiſque initia à quo expoſita. 292
Menſuræ antiquæ cum noſtratibus comparatæ, ac nominatim Congius exploratus. 272. & ſeqq. & 283.309.312.&c.
Quàm ſeduli antiqui circa menſuras. 310

Monetarum valor, vt alterationem ſubeat. 271. 298
As, Denarius, Aureus, Drachma, Siclus, Solatus, Solidus, &c. ibid. & aliàs.
An Medaliæ monetales. 266
Mors clarorum aliquot Virorum, vt Aleandri. 308
Allealmi. 298
Arſcbotani Ducis. 290
Barclaij. 281
Baronij. 269
Bellarmini. 290
Cæſarini. 295
Camdeni. 294
Caſauboni. 281
Cluſij. 272
Contareni. 280
Cornari. 284
Fabri. 279
Fontanæi. 300
Fontani. 296
Freheri. 281
Genebrardi. 256
Gorlæi. 271
Gualdi. 290
Laſenæ. 328
Lipſij. 266
Malherbij. 301
Meduanij Ducis. 290
Merindoli. 296
Nichezolæ. 281
Pacij. 321
Paſchalini. 281
Pinelli. 253
Pignorij. 308
Scaligeri. 272
Schickardi. 325
Thuani. 284
Varij. 289
Velſeri. 281
Villaregij. 284
Mumiæ ex Ægypto aduectæ. 306
An Naulum in ore habeant, exploratum. 307
Murenſis in Heluetia Monaſterij acta. 285

N

Nauigatio ad Auſtrum Marij, & Schutteuij. 287
Aliorum ad Boream, proximè polum. ibid.
Noſtradami hiſtoria in examen reuocata. 281
Notabilium conuentus Rhotomagi. 284
Numiſmata quædam. 250. 255. 260. 262. 266. 269. 294. 306. &c.
Errores quidam Goltzij, & Vrſini circa nummos 30. Tyrannorum ſub Gallieno, 262

O

Obeliſcus Conſtantinianus. 250

P

Bern. Paludani Encuſanum Cimeliarchium. 265
Pandectæ Florentini. 249
Pantheon Romanum. 250
Pauſilippus mons perforatus. 251
Lanſonius in Prouincia etiam perforatus. 318
Pecunia vnde dicta. 257
Pes Regius, ſeu Pariſienſis comparatus cum Prouinciali, Romano antiquo, Anglicano, Hollandico, &c. 273
Peſtis, & turbæ conſequutæ in Prouincia. 302
Peutingeriana Tabula. 291
Phidiæ, & Praxitelis monumenta quædam. 250
Piſanum Cimeliarchium. 248
Pocula αὐτόματα, ſeu Symbibæ, itémque γραμματικὰ, ſeu literata. ibid.
Pondera Romana cum Pariſienſibus collata. 272
Vtraque cum Prouincialibus. 273
de Ponderibus. 310. 342. & aliàs.
Prouinciæ Comites antiquiores aliquot. 281 & aliàs.
Proreges. 244. 249. 255. 309
inter Prouinciæ & Toloſæ Comites facta partitio. 268. 281
Prouincialis Grammatica & Poëſis. 325
Prouinciales Chartæ Chorographicæ. 287
Prouinciales menſuræ & pondera. 273
Prouincia plura. 337
Pſalterium hexaplon. 330
Pytheas Maſſilienſis Doctorum in Occidente virorum antiquiſſimus. 327

R

Rauennæ antiquitates à Gotthica vſque Barbarie. 252
Raymundus VI Toloſatum Comes, quando, & quorſum ditione ſpoliatus. 268
Romanæ antiquitates. 250. & ſeqq.
Rupes inciſa, inſigne monumentum. 259

S

Samaritani Codices. 270. 301. 318. 322
Scipionis Æmiliani factum. 267
Squitinij, de rebus Venetis libri auctor. 279
de Suburbicariis regionibus, & Eccleſiis controuerſia. 288

T

Talentum Ægyptium, ſeu Thebaïcum. 294
Theutobochi Gigantis oſſa fabuloſa. 279. & ſeqq. & 308
Thule inſula à quo primùm detecta. 327
Thymelicæ figuræ. 269
de Tripode, & quid in eo Cortina. 306
Tumuli Regum Pariſienſes, & San-Dionyſiani. 263

V

Vaſa varia. 312
Cur pretioſorum præſertim habenda in menſuris ratio. ibid.
Vermelius Monſpelienſis, qua occaſione præfectus Abyſſinorum Militiæ. 315
Virgiliana ænigmata. 298
Viriolæ ex ſmaragdis.
Vnciæ ſymbola varia quare appoſita. 342
Vrbani Papæ VIII. electio. 292

X

Xiphiæ vox in Sapphiro à Peireskio expoſita. 251

Quæ

Quæ ad Phyſicam, Mathematicámque.

A

ALMAGESTI Ptolemaïci interpretatio quando Arabicè, quando Latinè facta, & de Ptolemæo aliqua. 326
Alominis figura octahedrica. 253
Alzaro animal Africanom. 319
Apum, & Muſcarom lingua multicuſpis. 301
Ariſtarchi Samij de magnitudine Solis, & Lunæ liber. 313
Aſtrologica vanitas. 244. & alibi.
Aſtronomiæ ſtudium. 344
Aurora, ſeu claritas Borea inſignis, pro exercitu in aëre vulgo habita. 290

B

BAlænæ Aquitanicæ oculus, lingua, guttur. 317
Balnearum aqua, an ex igne actu, vel potentià calida. 267
Balnearis aqua quàm ſalutaris. 331

C

CÆlum Chriſtianom Bayeri. 299
Cæleſtes imagines in Eccleſia Vercellenſi antiquiſſimæ. 300
Cæleſtium motuum Tabulæ Rudulphinæ. ibid.
Canum inſtinctus. 269.275.332
Capellæ inſigniter auritæ. 297
Ceraſa, & Meſpila ſine nucleis. 304
Ceruina pellis cur emergat ſupra cæteras. 319
Chamæleonis anatomia, & quæ ſingularia in eo obſeruata. 329
Au aëre veſcatur? an colores rerum circumpoſitarum induat? cur oculos coniugatos non moueat? ibid.
Chyli in iecur transfuſio. 300
Cometa anni 1618. 329. & ſeqq.
Concha Anatifera. 260
Conflagratio Æthnæ, è qua torrens igneus. 314
Semi montis. ibid.
Veſuuij. 310
Coniunctio magna trium ſuperiorum Planetarum anni 1604. 261
Corallij expiſcatio, & obſeruata de eo aliqua. 295
Cordis Mediaſtinum ſanguini peruium. 301
Crautiæ, ſeu Camporum Herculeorum lapides quomodo geniti. 306
Crocodili quot, & cuiuſmodi dentes. 326

E

ELephantis dentes, crura, pondus, & cætera explorata. 308

F

FEbris qua ratione inedià curetur. 333
Felium partus. Ibid.
Ferreæ rubiginis magnetica vis. 319
Ficus Adamea an racemus terræ Chananæorum. 304
Flumina in quam partem arenas egerant. 318
Fontium, Fluminúmque origo. 291. & 292
Fons Colliſmartienſis mirabilis. 318
Fulminum ignis, an propè, an procul adueniat. ibid.
Fumus ex lacu pluuiæ prænontius. 317
Fungus coralloïdes. 261.265

G

GElſeminum Indicum luteum odoratum. 303
Geographiæ ſtudium. 246.287.300.314.344
Geographia Nubienſis. 287
Geographica longitudo, an per Medicea Sidera haberi poſſit. 276.325
Geographicarum, & hydrophicarum maris Mediterranei Tabularum errores. 324
Gigantum quæ creduntur oſſa eſſe Elephantina. 280.306

H

HOrologium mirabile. 311

I

IGnes ſubterranei. 314
Inſectum multiceps è ligno progenitum. 301
Inſitiones ſingulares. 304.326
Iouis Planetæ locus in cælo obſeruatus. 278
Occultatæ à Ioue Stellæ obſeruatio. 319

L

LActeæ venæ quando, & à quo primùm detectæ. 301
Etiam in homine obſeruatæ. 317
Lapidum formatio obſeruata. 247
de Lapidum generatione, & figuratione fusè. 304.305
Lapis rhomboïdalis. 269
Flexilis. 306
Aquæ innatans. 321
Fungifer. 304
Varij præterea. 269.305
Lentiſcus Belgenſerienſis. 260
Lepores cornuti. 266
Liſa, ſeu cucurbita Meccana, planta ſericea. 304
Lignum foſſile Aqua-ſpartanom. 311
de Luminarium diametris demonſtratio correcta. 310
Lunæ locus in Cælo notatus. 278
Eclipſis. ibid.
Aliæ. 300.314
Diameter obſeruata. Ibid.
Maior huc vſque habita quàm ſit. ibid.
Lunæ deſcriptio, ſeu quaſi Selenographia, eiúſque tam in Phyſica, quàm in Aſtronomia vſus. 322. & ſeqq.
Lux, an ignis; & de luce ſquammarum, aliarúmque rerum noctu lucentium. 257

M

MAcularum ab vtero cauſa diſquiſita. 260
Maculæ Solares. 279.309
Lunares. 322

Magnetis proprietates, à quo, & vnde expoſitæ. 310
Magorum Stigmata, & impoſturæ. 276
Maleficæ anus præſtigiæ. 245
Manus è ſuggeſto enata. 304
Mare aliquas deſerere terras, occupare aliquas. 306
Maris motus. 318
Æſtus illius quæ cauſa. 310
Marium communicatio ſubterranea. 318
Mars Planeta occultare ſtellam obſeruatus. 319
Maſtiche è lentiſco Belgenſerienſi. 260
Matheſeos ſtudium. 344
Medicea ſidera, & alia à Galileo primùm detecta. 274
Obſeruata. ibid. & ſeq
Mercurius Planeta in diſco Solis obſeruatus. 309
Inexſpectatæ exilitatis. ibid.
Interdum Sole ſuperior. 319
Microſcopiorum inuentor. 290
Montium præcipuorum ſitus ab ortu in occaſum. 306
Muſica auium cur humanæ præhabita. 332
Myrtus latifolia, flore pleno, vbi primum inuenta, excultáque. 261
Myrtites vinum quid. 304

N

NAuticum Problema ſolutum. 327
Nix ſexangula, ſeu ſtellata. 291
Fertilitatis anni quomodo Nix cauſa. ibid.

O

OCuli variorum animalium diſſecti, & quæ in iis obſeruata. 315 & ſeq.
in Oculis propriis quid à Peireskio obſeruatum. 317
Orientis loca minùs à nobis diſtant, quàm vulgò putetur. 327
Optices, & Picturæ ſtudium. 344

P

PApyrus Ægyptia vera. 304
Paralyſis Peireskij exhilaratione ſoluta. 307
Parhelij inſignes. 302
Alij. 253
Partus vndecimeſtris, quatuordecimeſtris, &c. 258
Pediculo irato quid eueniat. 333
Peponum vſus. 270.271
Phœnicopteri lingua, caro, plumę. 271
Indoles. 279
Phyſicæ ſtudium. 253.343
Vide illeic de Metaphyſico, Theologico, Ethico, Iuridico, &c.
Piſcis ſepticeps. 301
Planetarum characteres ex Græcis vocalibus. 326
Plantæ ſingulares horti Belgenſerienſis. 304. & ſeq.
Aliæ. 260
Prunoli ſpina in humano pectore radices

agens, germinans, florens. 326
Pulli formatio in dies obſeruata. 253
Purpura ex Limace marino. 125
Puteolanus puluis marinâ aquâ lapideſcens. 252
Cur numiſmata illeic exeſa. ibid.

R

De RAdiis in punctum coëuntibus problema. 315
Rupium formatio, & ſitus. 306. & ſeq.

S

SAbulum, ſeu Arenulæ ex veſica emiſſæ dolorem cur faciant. 306
Sanguinea pluuia quid, & eius obſeruatæ hiſtoria. 269. & ſeq.
Scaphidio vſi antiqui circa altitudinem Solis obſeruandam. 327
Senium inſigne. 326
Serpentes Balneorum Dinienſium veneni expertes. 267
Simiæ, aliáque animalia hominibus ſimiliora. 314
Solis Eclipſis. 278.304
Diameter. 324
Altitudo, ſeu proportio Gnomonis ad vmbram Solſtitialem Maſſiliæ. 327
Somnium Peireskij mirabile. 275
Aliud. 345
Specula gemina ſpecies ob ſitum multiplicantia. 298
Stella in Cælo Noua. 261.278
Styrax Belgenſerij naſcitur. 260
Succinum an foſſile. 269

T

TEleſcopij inuentio, & vſus. 275. & ſeq. & 322.323. & ſeq.
Terra quælibet congrua incolis alimenta, & medicamenta producit. 305
Terræ-motus in Apulia. 299
Teſtudinis cubitalis anatomia, & quæ ſingularia in ea obſeruata. 268
Theriacæ inſignis effectus. 276
Triton, ſeu homo marinus. 326
Truttæ lacus Genuenſis. 277
Tulipæ flores quando primùm, & vbi in Prouincia viſi, cultique. 276
Tuſſis vt lenita. 333

V

VEnarum valuulæ à quo primùm detectæ, deſcriptæque. 300
Veneris Planetæ locus in Cælo obſeruatus. 278
Venti variè obſeruati. 318. & ſeq.
Ventus vt Guſtoſæ diſpenſetur. 256
Viſio in qua parte oculi fiat, & de viſione, déque oculis plura. 315. & ſeq.

Z

ZEmbiorum Inſulæ fons ſalutaris. 309
Zinziber Belgenſerij excultum. 303

INDEX IN TYCHONIS BRAHEI VITAM.

A

ÆQuationes dierum naturalium. *pag.*423
Albaregnius paucarum Fixarum loca emendauit. 489
Earum motum æquo celeriorem, vt Ptolemæus æquo tardiorem, fecit. ibid.
Albertus Curtius S. I. concreditas habes ab Imperatore Obſeruationes Tychonis in 18. Codices compactas, vt eas edat. 473
Alces ex Noruegia à Land-grauio ope Tychonis requiſitæ. Qua cura Tycho circa id ſategerit. 436.438.439
Alexandrinam Poli altitudinem obſeruatam per Venetos mitti poſtulat Tycho. 448
Alphonſinæ Tabulæ non exquiſitè cum Cælo congruentes. 421
Quando conditæ; quantâ Alphonſi Regis munificentiâ. Quàm non boni earum Artifices. 490
Andræas Tychonis famulus VVittebergâ VVandesburgum miſſus. 452
Annus Sidereus quantus. 423
Vertens quantus. ibid.
Apogæi Solis conſtitutio ex obſeruato eius tranſitu, non modò per puncta Æquinoctialia; ſed etiam per medias Tauri, & Leonis parteis. 408.409.422
Eius locus anno 1583. 409
Anno 1588. 422
Motus medij tam Apogæi, quàm Longitudinis Solis Tabulis expoſitus, ab anno 1400. in annum 1800. 423
Apogeium Solis promotum vno Signo ab vſque Hipparcho. 422
Ptolemæus illud quaſi immotum habuit. ibid.
Ariſtotelem de Galaxiæ natura non eſſe audiendum. 440
Artifices varij, quibus Tycho vſus ad extruendum, decorandúmque Vraniburgum, & apparandum Organa. 402
Aſcenſiones rectæ Eclipticæ. 423
Aſtrologia quatenus probata, quatenus improbata Tychoni. 463.& ſeq.
Aſtronomiæ antiquitas, & progreſſus, ab vſque fabuloſis, heroicisque temporibus, per hiſtorica Babyloniorum, Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum, Arabum, Germanorum, ad Tychonem Braheum vſque. *Præfatione tota.*
Aſtronomiæ reſtitutio quantum temporis ad minimùm exigat. 444
Vt ex ipſo Cælo, non ex Muſæis aut libris petenda, ex Tychonis Meſtlinum, & Regiomontanum ad hoc excitantis, ſententia. 463.492
An ſine Hypotheſibus conſiſtere poſſit, vt fuit Rami votum; Tychonis, & Kepleri ſententia. 392.393
Aſtronomorum celebriorum icones tam Vraniburgi, quàm Stellæburgi. 402
Axillus Guldenſternus Noruegiæ Prorex, Tychonis conſanguineus. 436.443

B

BAtneueldius officium Tychoni erga Hollandiæ ordines pollicetur. 455
Bartholomæus Scultetus Aſtronomicum Radium Tychoni iam adoleſcenti ad obſeruandum apparat. 389
Idem de Cometa anni 1577. expenſus. 417
Beata Billea, ſeu Bilde, Tychonis mater. 387
Magna Aulæ Magiſtra. 467
Quanta Tychonis in illam veneratio. ibid.
Superſtes Tychoni, ſeptuagenaria. 481
Benachiæ, ſeu Benaticæ Poli altitudo. 456
Longitudinis differentia ab Vrāburgo. ibid.
Cur à Tychone prælata. 454
Eius amænitas. ibid. & 456
Quantum Pragâ diſtet. 454
Braha, Braheorum-ve familia oriunda ex Suecia. 387
Ex Sueciæ Regum ſtirpe. 481
Ex ea duo Reges ante annos 600. aſſumpti. ibid.
Floreus adhuc in Suecia Ramus Braheorum Comitum. 387.481
Braheanæ familiæ affinitates. 387

C

CAaſius Regni Daniæ Cancellarius, & Quatuor-virorum primarius, qui ſub Chriſtiano IV. adhuc pupillo, fuere Regni Adminiſtratores. 421.436
Carmina varia à Tychone in Icones Ptolemæi, Copernici, &c. condita. 410
Carolus Danzæus Aquitanus, Regis Chriſtianiſſimi apud Danum Legatus, Stellam nouam ſpectat, monſtrante Tychone. 394
Lapidem Vraniburgo fundamentalem auſpicato ponit. 400
Caſſellana Poli altitudo ex circumpolaribus Stellis. 415.416
Chaſmata, ſeu Auroræ boreales Tychoni vnde. 429. Crebræ. 444
Chriſtiani IV. Daniæ Regis inauguratio. ibid.
Vxorem ducit Katharinam Brandemburgicam. 445
Eo inſcio, Tycho indignè vexatur. 393.495
Tycho eum excuſat. 471.457.477
Inuiſit Tychonem; luſtrat omnia; ſciſcitatur multa; ſuſpicit automatum Solis, & Lunæ motus imitans: offert, inſtatque Tycho, vt accipiat; accipit, & Tychonem viciſſim

viciſſim eo, quem geſtabat, torque donat. 435
Donec minor eſt 18. annis, omnia ſe in regno pacificè habent, ſtatu exiſtente quaſi Ariſtocratico ſub quatuor Senatoribus primariis. ibid.
Præclarum aggreditur facinus; exſtruit nempe Turrim obſeruandis Sideribus, altam pedibus 150. Diametri in ſummo 60. cum cochlide circùm, qua curru ad ſummum vſque emergitur. 477
Cuiuſmodi Organa peragendis illeic obſeruationibus deſtinata. 478
Chriſtianus Friſius Borrebyus, Regis Daniæ Cancellarius Longomontanum accerſit ad Mathematicam Profeſſionem Hafniæ. 472
Chriſtianus Longomontanus ad Tychonem accedit. Ipſius ortus, educatio, ſtudia; apud Tychonē toto octennio in Huenna fuit. 430
Quanti ab illo factus. ibid. Poſt Tychonis è Dania exceſſum, quàm ardenter ab eo expetitus. 452. & ſeqq. 456. Abſoluit Pragæ Theoriam Lunæ. 457. Diſcedit in Daniam, cum commendatitiis à Tychone literis. 459. Aliæ priùs datæ. 445
Mathematica Profeſſione in Hafnienſi Academia donatur. 472
Tabulas Danicas edit. ibid.
Moritur menſe Octobri, anno 1647. ibid.
Chriſtianus Thomæus Scheſtedius, Daniæ Cancellarius, Sapientiæque eximiæ vir, ſuadet Regi exædificationē magnificæ Turris, quæ obſeruandis Sideribus deſtinetur. 477
Chriſtiana Tychonis vxor, ſorte plebeia. 397
Honeſtiſſima tamen fœmina, & cum qua Tycho ſummâ vixit concordiâ. 483
Eius in morte coniugis luctus. 480
Quæ poſt Tychonis obitus illius fata fuerint, incertum. 469. & deinceps.
Chriſtophoro Clauio duæ Solis Eclipſes totales inſignes obſeruatæ. 388. 391
Scripſit ad eum Tycho. 390. 459
Chriſtophorus Rothmannus Land-grauij Haſſiæ Mathematicus agere per literas cum Tychone cœpit, occaſione Cometæ anni 1585. 414
Eius de eo Cometa librum Snellius edidit. 415
Quàm varia cum Tychone ediſſeruerit. ibid. & deinceps.
Præter conteſtationem circa diſcrimen aëris, & ætheris; circa opinionem Copernici, &c. non concedit longitudines Fixarum Lan-grauianas ſe malè habere; tametſi 5. minutis à Tychonicis diſſcrepant. 420
Licet res edatur; tam exiguum diſcrimen, quæſiturum potius, quàm detracturum vtriuſque fidem. ibid.
Tycho idem ad Land-grauium. 420
Sed inſtat, cur cœlum à ſua reſtitutione ſtet. 427
Inuiſit Rothmannus Tychonem. 433
Podagræ, & calculo obnoxius remedia ſpagyrica à Tychone, plura pollicito, accipit. 434
Non multum conteſtatus cum Tychone circa motum Terræ, viſus eſt illi dare manus. ibid.
Gaſſendi Miſcellanea.
Mira ad Land-grauium de iis, quæ apud Tychonem viderat, ſcripſit. 433
Ad Land-grauium deinceps, inuitatus licet, non rediit. 436
Poſt quadrienne ſilentium literas ad Tychonem dat, & Tycho ſerò ad illum, occaſione libri Craigij, reſpondet. 442
Soſpitem Tycho accipiens, accerſitum in Bohemiam voluit. 455
Chriſtophorus VValcbandorpius, Magnus Aulæ Magiſter Tychoni infenſus. 445
Variè illi nocet. ibid. & ſeqq.
Notatur. 446
Chymica Tychonis ſtudia. 393. 415. 434. 447
Chymicorum, ſeu Metallicorum Planetarum cum cœleſtibus analogia. 465
Cometæ, qui ſub finem anni 1577. & initium 1578. apparuit, deſcriptio. 404
Obſeruationes, ſemita. 404. 405
Locus in æthere, ſeu ſupra Lunam. ibid.
Diſtantia à Terra. ibid.
Magnitudo. ibid.
Caudæ eius ductus in oppoſitum Veneris, potius quàm Solis. ibid.
Eius retortuatio. 406
Cur naturæ non igneæ. ibid.
De hoc Cometa Liber à Tychone ſcriptus, abſoluitur anno 1587. 416
Prodit è prælo anno ſequente, & varia exempla ad amicos mittuntur. 421
Non euulgatur tamen, niſi anno 1603. 470
Vltimo eius capite expenduntur Authores, ex quibus quatuor Cometam ſupra Lunam euexerunt; quatuordecim infra deduxerunt. 417
Omnium nomina ibi Vide. De Cometarum Materia, & præſagiis Tycho nihil, vt receperat, ſcripſit: & citantur tamen varia eius loca, vt quid ſenſerit, liceat expiſcari. ibid. & 418
Cometa ſecundus à Tychone obſeruatus, iſque barbâ potiùs præditus, quàm caudâ. 406. 407
Cometa tertius, barbatus quoque, & vnde hoc. 408
Cometa quartus iſque comatus. 412. 413
Cometa quintus. 430
Cauda eius directè in oppoſitum Solis. ibid.
Cometa ſextus non à Tychone in Huenna, ſed à ſtudioſo Serueſtæ Anhaldinorum obſeruatus. 441
Cometa ſeptimus vltimúſque Tychoni obſeruatus. 444
Tycho primus demonſtrauit Cometas eſſe ſupra Lunam ex parallaxibus diurnis. 417
Omneis eſſe ſuprà defendit. ibid.
Quid proinde de Cometis à Regiomontano, & Vogelino obſeruatis ſenſerit. ibid.
Cometarum Caudas in auerſam à Sole partem tendere primus Appianus obſeruauit. 405
Cometæ Caudam refractione creari, vt opinatur Tycho, non probat Rothmannus. 422. 428
Contra Tycho. 428. 430
Conradus Aſlacus edit orationem à Tychone habitam in Hafnienſi Academia. 397
Deducit Ottonem Tychonis ex fratre nepotem per Academias exteras. ibid.

Copernico, eius-ve ſententiæ quid obiiciat Tycho, & ſigillatim quidem circa quemlibet ex tribus motibus Terræ attributis. 429
  Reſponſio ad obiecta ex Rothmanno. 433
  Tycho inſtat. ibid.
Copernicus à Tychone commendatus. 410.416
  Illius apud Tychonem effigies. 402.411
  Carmen Elegiacum in eam conditum. 411
Cornelius Gemma, circa Stellam nouam expenſus. 416
  Circa Cometam anni 1577. 417
Craigius Medicus Anglus librum ſcripſit aduerſus Tychonem, cui titulus *Capnuraniæ reſtinctio, ſeu Cometarum in æthera ſublimationis refutatio*; plenum ſcommatibus, cauillis, &c. 441
  Tycho breuiter illum refutauit in epiſtola ad Rothmannum. ibid.
  Longomontanus Apologiam pro Tychone aduerſus eum ſcripſit. 473
Crepuſculo incipiente, aut deſinente, quæ Solis infra horizontem depreſſio, ex Tychone, ex Nonio, ex Rothmanno. 412.427.418.430
Cyprianus Leovitius Aſtrologus, Ephemeridum ſupputator, non obſeruator Siderum. 391

D

DAniæ Regnum, vt ſub Rege pupillo regatur. 436.421
Dania Tychonis Patria. 387
  Nulla in ea Ducum, Marchionum, Comitum diſtinctio. ibid.
  Eius incolæ aut Equeſtres, aut Plebeij. 480
Danij nobiles non ſolùm armorum peritiâ, ſed iuris etiam prudentiâ, ad ſumma munera euehuntur. 388
Daniæ Aula quanta virtute eruditionéque ſub Friderico III. inſignis. 479
Dauid Fabricius Friſius, vt Tychonem inuiſerit, coluerit, ac ſe illi probauerit. 450
Dauid Origanus, quàm inſignem deprehenderit errorem Ephemeridum ex Tabulis Prutenicis circa Eclipſin Solis anno 1598. ſupputatarum. 450
Declinationem maximam Solis, ſeu Eclipticæ obliquitatem deduxit Tycho non ea Meridiana Solis altitudine in vtroque Solſtitio, ſed ex obſeruata ſolùm in æſtiuo, & habita ſimul vera altitudine Poli, 410
Dameter Lunæ plenæ vicies bis vna nocte obſeruata, qua varietate apparuerit. 433
Diaphani diſcrimen inter aërem, & ætherem, Rothmanno nullum. 414
  Contradicit Tycho. 416
  Perſiſtit ille. 420
  Stat contra adhuc Tycho. 42
  Rothmannus pluſculum inſiſtit. ibid.
  Tycho penè ſubiratus pluſcula reponit; profitetur tamen nolle ſe amplius de hoc argumento conteſtari. 417
  Rothmannus quoque. 418
  Tycho adhuc. 429.& ſeq.

E

ECcentricitas Solis, quæ. 423
Eclipſes Lunæ Tychoni obſeruatæ, anno 1573. 297
  Anno 1577. 404
  Anno 1578. 406
  Anno 1580. ibid.
  Anno 1581. 407
  Anno 1584. 412
  Anno 1587. 419
  Anno 1588. 410
  Anno 1590. 432
  Anno 1594. 442
  Anno 1595. ibid.
  Anno 1598. 450
  Anno 1599. Ianuario. 452
  Quãtum hæc laboris Tychoni creârit. ibid.
Eclipſis obſeruata anno 1601. Decembri, poſt mortem Tychonis. 437
Eclipſis Lunæ obſeruata à Mæſtlino oriente Sole, & Luna ſimul cum ipſo ſupra Horizontem extante. 432
Eclipſis Solis à Tychone primùm viſa anno 1560. 388
  Quantas Conimbricæ in Luſitania tenebras creârit ex Clauio. ibid.
Eclipſis Solis ab eodem obſeruata anno 1567. 390
  Anno 1579. 406
  Anno 1584. 411
  Anno 1388. 410
  Anno 1390. 432
  Anno 1591. 435
  Anno 1595. 442
  Anno 1598. Februario. 450
  Quid Origano circa hanc contigerit. ibid.
  Anno 1599 433
  Anno 1600. Iunio. 457
  Quid laboris hæc fecerit Tychoni. ibid.
  Anno 1601. 458
  Quod hæc in Noruegia, cum circulo lucis circum ſuperſtite apparuerit, vti & illa Clauij Romæ, anno 1567. cauſa ediſſeritur. 458
Eclipſis Solis digit. 2. Serueſtæ Anhaldinorum, nulla in Huenna anno 1593. 441
Eclipſis Solis totalis à Tychone nulla obſeruata, cum id vehementer expeterit. 391
Eclipticæ obliquitas Rothmanno habita grad. 23. min. 30. cùm tamen Tycho eam deduxerit ex Land-grauianis obſeruationibus grad. 23. min. 31½. 416.420
Eclipticæ obliquitas, ſeu declinatio maxima. 413. Cur Regiomontanus, Vernerus, Copernicus æquo minorem tribus minutis habuerint. 409
Elias Olai miſſus à Tychone Fruemburgum, vbi obſeruarat Copernicus, vt ibi obſeruaret veram altitudinem Poli. 409
  Deprehendit illam tribus minutis maiorem, quàm Copernicus, qui non cauiſſet refractiones. ibid.
Elixiris Tychonis aduerſus morbos Epidemicos, imò & aduerſus omneis febreis, deſcriptio. 487.& ſeq.
Emblema Lunæ ad canis latratum reſpondentis, *nil moror nugas*. 437
Ephemerides Solares annorum 1589. & 1590. ex noua reſtitutione. 417
Ephemeris Solaris motus pro annis 1572. 1573. ſeu eo tempore, quo Noua Stella in Caſſiopeia fulſit. 407

Epiſtolarum librum mandare typis cœpit Tycho à Land-grauij morte, iuxta adhortationem Rantzouij. 440
Cur illum Mauritio Haſſiæ Land-granio dicârit. 443
Hortatur illum vt Parentis veſtigiis circa curam rerum cæleſtium inſiſtat. ibid.
Tres Epiſtolarum libros edere conſtituerat. 444. Solus primus editus. 471
Eraſmus Reinholdus ſupputandi, quàm obſeruandi ſtudioſior. Ipſius Quadrans. Non exactè ab eo obſeruata Virtabergæ Poli altitudo. 399. Eraſmum eius filium Saltfeldiâ tranſiens inuiſit Tycho. ibid.
Ericus Brahe, Comes Suecus, Tychoni moribundo adſtat. 461.
Intereſt eius funeri. 481
Erneſtus Colonienſis Elector, Tychoni in Aula Imperatoris fauet. 447
Reſcribit ad Rantzouium, vt de acceſſu Tychonis ad Cæſarem quam-optima ſperet; & ad quid præſtandum ipſe paratus ſit. 451

F

FErdinandus Imperator Rodulpho, & Matthiæ ſuccedit in curam Tabularum Rodolphinarum perficiendarum, ſed efficaciore liberalitate. 471
Fixarum aliquot præcipuarũ circa Zodiacum loca, ita deſignata, vt initio ſemper facto à Lucida Arietis acceptæ diſtantiæ, inter quatuor, inter ſex, inter 8. circuitum explentes, adhibito calculo exhibuerint ſemper æquatoris circulum adeò præciſè, vt vix paucula ſecundis ab eo abfuerint. 412
Fixarum latitudines variationem ſubire, obſeruatum à Land-grauio, Rothmannóque. 414
Multa in eandẽ ſententiam Tycho. 412. 424
Vnum penè Canem maiorem non poſſe in eundem ordinem cogi. 416
Fixarum à Terra diſtantia, viſibiles Diametri, & quot vicibus Terram mole ſuperent, quæ ſunt, 1. 2. 3. 4. 5. Magnitudinis; quot ſuperentur, quæ ſunt ſextæ. 425
Fixarum loca ſecundum longitudinem, & latitudinem ex aſcenſione recta, & declinatione obſeruatis, cœpta reſtitui, non interuentu Lunæ, aut alia ſallaci ratione; ſed ex Venere interdiu conſpicua, comparatáque cum Sole; & noctu deinceps comparata cum ipſis Stellis. 411. 408. 404
Fixas Stellas cur antiqui non plures numerauerint, quàm 1022. cùm deberent plureis, quàm Tycho. 424
Is duplicauit numerum earum, quæ adnotatæ in Caſſiopeiæ conſtellatione fuerant. ibid.
Circiter ducentas ad veteres adiecit. 491
Illarum reſtitutio propter nouam Stellam ſpeciatim conſcripta. 415
Fixarum 1000. Catalogus MS. ad Cæſarem, & alios miſſus. 448
Quî is conſentiat, aut diſcrepet cum Catalogo 800. quæ in Progymnaſmatum Libro primo. Quî etiam cum aliis exemplis eiuſdemmet Catalogi. 450. & ſeq.
Elenchum vide 492. & ſeq.

Gaſſendi Miſtellanea.

In Fixarum 1000. reſtitutarum Catalogum Tychonis ad Rudolphum Præfatio. 477. & ſeq.
Fixarum reſtitutio quantum temporis exigat. 444
Fixarum 21. Tabula exhibens cuiuſque Aſcenſionem, declinationem, longitudinem, latitudinem, ad Finem anni 1585. 412
Fixarum reſtitutarum 800. Catalogum, ſeu Canonicam deſcriptionem inſeruit Tycho in primum Librum Progymnaſmatum, loca longitudinis, latitudiniſque referens ad annum completum 1600. 424
Fixarum diſtantiam inter ſe inuariata ex Hipparcho, & Ptolemæo vſque. ibid.
Motus in conſequentia quantus. ibid.
Quid vniuerſè circa Fixas potiſſimum præſtiterit Tycho. 411. & ſeq. 491. & ſeq.
Franciſcus Gaſneb Tengnagel vnus ex Tychonis ſtudioſis, qui illum ſequuti in Germaniam ſunt. 445
Diſcedit in Hollandiam. 451
In Italiam. 453
Quæſitum it Tychonis familiam. 455
Gener Tychonis, & poſt ipſius obitum Cæſaris Conſiliarius. 469
Legatus Bruxellas. ibid.
Carus Barvvitio, cui dicat ſecundum Progymnaſmatum Tychonis librum. 470
Condit carmina de Tychonicis organis. 469
Fridericus II. Daniæ Rex Tychonem aliò diſceſſurum ſuâ munificentiâ moratur; concedit illi Inſulam Huennam: recipit in ſe omnes impenſas ad ædificia, ad organa, ad cætera. 400
Quid annuatim, quid aliunde feudorum, aut beneficiorũ in Tychonem contulerit. 403
Moritur. 421. Vbi ſepultus. ibid.
Fridericus III. Daniæ Rex virtutibus omnibus Rege dignis commendatiſſimus. 478
Tota eius Aula virtute, ac eruditione, eius imitatione, efflореſcens. ibid.
Submiſsè interpellatur, vt generoſum Parentis inſtitutum circa exædificatam iam Turrim ad obſeruationem Siderum perficiat. ibid.
Fridericus Hofmannus Keplerum in ſuo comitatu ex Styria verſus Tychonem deducit. 456
Confici curat Inſtrumenta Tychonicorum inſtar, quæ & Kepplero in vſum concedit, & opportunè quidem, Tychone defuncto. 477
Dicat ipſi Keplerus Tractatum de Noua Stella in Cygno. ibid.

G

GAlaxias nouæ Stellæ materia; fortè & Cometarum; ſententia Tychonis. 440
Galileus Matheſeos Profeſſor Patauij; orationem illeic inauguralem habet, anno 1592. Decembri: in Tychonis amicitiam à Pinello inſinuatur. 439
Gellius Saſcerides vnus ex Tychonis ſtudioſis. 437
Magino adeſt, & cum eo obſeruationem circa Martem peragit. ibid.
In Haſſiam diſcedit. 437

Georgij Buchanani effigies in Muſæo Tychonis a Iacobo Rege agnita. 431

Georgius Frommius Longomontani ſucceſſor in Mathematica Profeſſione, Hafniæ. 473

Georgius Peurbachius Tychoni vir magnus. 491

Georgius Tychonis patruus, & Ingera Oxonia vxor, quantam educationis illius ſuſceperint curam. 388. Eius mors. 390

Quã Tychoni cara vtriuſque memoria. 467

Globi varij in inferiore Germania iuxta reſtitutionem Tychonis confecti, præcipuéque à Iacobo Florentio Amſterodamenſi, ab anno 1595. 443

Globus cæleſtis diametri orgyialis, ſeu pedum 6. artificioſè compactus, & à Tychone relictus Auguſtæ. 393

Reſarcitus, & ad tranſvectionem comparatus. 401. Quo progreſſu perfectus, & ſtellis 1000. cum Imaginibus inſignitus, cumque inſcriptione ſelata ad annum 1584. & quare. 437.443.& ſeq.

Conſtitit Daleris 5000. ibid.

Tranſlatus Pragam, & Pragâ direptâ, Nieſſam; qua occaſione relatus in Daniam, & in Hafnienſi Academia conſtitutus, noua inſcriptione. 477

Graduum diuiſio in ſingula minuta, & aliquando minutorum in dena ſecunda, ope linearum tranſverſalium, à Tychone vſurpata in Organis Vranibutgicis. 403

Guilielmus Ianſonius biennio cum Tychone moratus. 390. Varia de eo fando retulit. ibid. & 397.468.469

Guillelmus Langius Longomontani, poſt Frommium, ſucceſſor in Mathematica Profeſſione Hafniæ. 473

Guillelmus Haſſiæ Landgrauius, vide VVilhelmus.

H

HAinzelij fratres, Ioannes Baptiſta, & Paulus, Auguſtani, viri inſignes, & parati Tychoni amici. 391

Heliſeus Roëſlinus Tychonis Hypotheſin (ſuo modo deformatam) ſibi vſurpauit. 419

Henricus Iulius Dux Brunſvvicenſis, qui Eliſam Regis Chriſtiani ſororem duxerat, Tychonem inuiſit, & ab eo obtinet elegantem Mercurij ſtatuam, 437

Cur Tycho in eum indignatus. 468

Henricus Ranzonius interceſſit primùm, conſulitque ad literarum commercium Tychonem inter, & Land-grauium Haſſiæ. 414

Eius filius Gerardus. ibid.

Diſcedentem ex Dania Tychonem inuitat, excipitque Vandesburgi. 446

Curat, vt Colonienſis Elector literas de meliore nota det ad Cæſarem, & Secretariũ eius Barvvitium, in Tychonis commendationem. 447. Tychonem hortatur ad editionem Epiſtolarum. 420

Hieroglyphicæ figuræ duorum Philoſophorum, quorum vnus ſuſpiciendo deſpicit, alius deſpiciendo ſuſpicit. 410

Hieronymus Treutlerus, quæ carmina in gratiã Tychonis Pragam appulſi cõdiderit. 453

Hieronymus VVolphius Petrum Ramum ad inuiſendum Tychonem Auguſtæ morantem deducit. 392

Omnes ab Hainzelio inuitati. ibid.

Hipparchi effigies penes Tychonem. 402

Hipparchus Rhodius occaſione Nouæ Stellæ, Fixas omneis enumerauit, & dimenſus eſt. 396.489

Hipparchica Stella inclinationem Monarchiæ Græcorum, & Romanæ incrementum, ex Tychone præſignificauit. 440

Horariæ Sciothericorum lineæ ſegnius attinguntur, Sole prope Horizõtem verſante, ob refractiones; Land-grauij obſeruatio. 398

Huennæ Inſulæ deſcriptio. 400

Quod à Tychonis abitu, obitúque eius factum fuerit. 478

Hipotypoſis Mundani Syſtematis à Tychone inſerta in librum de Cometa anni 1577. 418

Quando excogitata. 408.411.416

Quibus rationibus Hypotheſin ſuam Ptolemaicæ, & Copernicanæ prætulerit. 418

Eius repræſentatio (niſi quod * Martis diſtat à Terra minùs; quàm triente diſtantiæ inter Solis orbitam, & Terram.) 419

Breuis ipſius deſcriptio. ibid.

Queſtus eſt Tycho Raymarum Vrſum illam ſibi ſuffuratũ pro ſua venditaſſe. 412.419

Quid de ea ſentiat Rothmannus, petit. 421

Ille ipſi Copernicæam præfert. ibid.

Tycho inſtat contrà, ſuccenſétque. 428.429

I

IAcobi Auguſti Thuani in Tychonem Elogium. 495

Iacobus Bartſchius Keppleri gener, dum Soceri librum *Somnium* inſcriptum pergit edere, moritur. 472

Iacobus Curtius Procancellarius Cæſareus dictat, mittítque ad Tychonem Priuilegium Cæſareum ad librorum editionem, 432

Quanti Tychonem faceret, vide fusè ibid.

Illius in Mathematicis peritia. ibid.

Tychonem inuiſerat, receperâtque ſe aſylum ipſi apud Cæſarem paraturum. 441

Moritur. ibid.

Iacobus Chriſtmannus reformare quid in Tychonica Solis, ac Lunæ Theoria conatus, à Tychone contemnitur. 436

Iacobus Florentius Artifex Globorum Amſterodamenſis mittit filium ad Tychonem, vt deſcriptionem Stellarum petat, iuxta quam Globum dictum Tychonicum, Brahæanúmque conficiat. Tycho ad editionem Catalogi in librum 2. Progymnaſmatum inſerendi remittit. 437

Globos denique conficit. 444

Iacobus Monauius, vt Tychonem ſuſpexerit. 421. Literas ad Tychonem de Longomontano Lipſiã diſceſſuro dat. 451

Librum Tychonis de Cometa mirè commendat. 421

Iacobus Rex Scotiæ vxorem ducit filiam Friderici II. Regis Daniæ; Tychonem inuiſit; eruditè cum eo diſſerit: de Organis, & cæteris varia rogitat: de Copernici opinione agit. 431

Muneribus Tychonem donat. ibid.

Carmina in laudem ipſius componit: Diploma Priuilegij pro Librorum editione

eum Elogio ad ipſum mittit. ibid.

Ipſius quoque Cancellarius carmina in Tychonis commeodarioοem coodit. ibid.

Ioachimus Geſtrupius, Magnus in Daniæ aula Magiſter, vt magnitudioe animi, ſic omni doctrinæ genere perpolitus. 478

Ioannes Antooius Maginus ad Tychooem ſcribit. 435

Cooficit Theoricas Copernici obſeruatis, noo opinioni congruas: Mirè Tychonem ſuſpicit; poſtulatque ab eo obſeruata, quibus vtatur, & quæ deprædicet. ibid.

A Tychone expetitus, vt Tabulas condetet; eiuſque excuſatio. 459

Dicat Tychoni ſuam Tetragonicam Tabulam cum inſigni Elogio. 437. & ſeq.

Quæ inſtromenta Tychonicorum inſtar apparârit. Ibid.

Ioannes Argolus Syſtema Tychonis ſibi ipſi attribuit. 419

Ioannes Barvvitius Cæſaris Rudolphi Secretarius, nibil non apud ipſum potens. 447

Deplomati Priuilegij pro Tychonis libris ſubſcripſit. ibid.

Summo beneuolentiæ affectu ipſum excipit. 453. Dicat Ipſi Tengnagelius Tychonis librum de Cometis. 470

Ioannes Erikſen ſtudioſorum Tychonis vnus. ibid.

Ioannes Georgius Hervvartus Aſtronomiæ amans. 455. Cum Tychooe per literas, agit, ac inſinuat ſe habere ſupputandi compendium, quales poſteà fuere Neperi Logarithmi: Offert ex Bibliotheca Ducis Bauariæ libros. ibid.

Ioannes Heuelius inquirit de obſeruationibus Tychonis. 473

Vidiſſe ſe illas penes Ludouicum Keplerum Ioannis filium teſtatur. 474

Ioannes Humelius in fabricãdis, tractandiſque Organis Mathematicis diligentiſſimus. 389

Ioannes Ieſſenius Tychonis amicus, & VVitebergæ hoſpes. 458

Adeſt Pragæ mox ab illius obitu. 380

Orationem habet in illius funere. 469

Einſce Orationis tenor. 480. & ſeq.

Ioaooes Keplerus vbi, & qoando oatus: Eius ſtudia: Mathematicum ſub Mæſtlino: vbi prima eius profeſſio. 458

Ad Tychonem ſcribit occaſione miſſi ad illum Myſterij Coſmographici à ſe conſcripti. ibid.

Variis literis à Tychone inuitatus, ad illum ex Styria Benaticum accedit. 456

Pactis conditiooibus diſcedit, familiam quæſiturus. ibid.

Vt reperto illeic Longomontano circa Theoriam Martis occupato occaſionem ceperit meditandi hypotheſin, iuxta quam nouennio poſt commentarios edidit de motibus Stellæ Martis. ibid.

Cùm diſceſſiſſet, & causâ perſcripta, cur non rediret, inuitatur denuò nomine Cæſaris, vt cuius eſſet Mathematicus deſtinatus; acceditque demùm; ſed quartana laborans, vnde nibil arduum per plureis menſeis moliri potuit. 459

Quæritur Tychonem ſibi parcè nimis ſua inuenta promere. 460

Regreditur denuò ex Styria, quò hæreditatis causâ diſceſſerat. ibid.

Rudolphum ſalutat, qui ipſum io ſuum Mathematicum deſtinat; ſed ita tamen, vt ſit Tychoni à calculis minister addictus. ibid.

Tabularum opus aggreſſo mors Tychonis ſuperuenit. ibid.

Quæ poſtrema ab illo verba acceperit. 461

Accingit ſe Rudolphi iuſſu ad Rudolphinas Tabulas condendas. 478

Quantum, & qooties conqueſtus de fruſtrà pulſatis ærarij foribus ſub Imperatoribus Rodolpho, Matthia, Ferdinando. ibid.

Vt tandem Ferdinandi iuſſu omnia ſtipendiorum reſiduα, & neceſſaria ad editionem Tabularum obtinuerit. ibid.

Quid interim ex remota tam diuturna ubuenerit. 475.

Quàm laudandus vir, ob candorem, quòd deſideretur adhuc aliquid ad Tabularum profectionem. 472. 474

Obſeruationum Tychonis poſt illius mortem cuſtos. 423

Scribit Hyperapiſten, illaſque tuetur aduerſus Claramontium, & Hortenſium. 475. & ſeq.

Ad Comitia Ratiſponenſia anni 1630. ſtipendiorum causâ proficiſcitur. 472

Illic moritur initio Nouembris. ibid.

Ioannes Mollerus Mathematicus Brandemburgicus, vt Tychonem coluerit, ſeſéque illi probauerit. 450

Ioannes Pena Gallus, defendit primus candem per ſpatia cœleſtia, aëreáque ſubſtantiam fuſam. 413

Idem Cometas Lunâ ſuperiores ſtatuit. ibid.

Ioaones Pratenſis, Hafnienſis Academiæ Lector, editionem libelli Tychonis de Noua Stella ſuadet; & curat. 394

Præfationem addit. ibid.

Ioannes Regiomõtanus, demonſtrarit-ne Cometam anni 1475. eſſe ſublunarẽ. 417. & ſeq.

Non ex tuguriis, aut libris, ſed ex ipſo Cælo requirendam eſſe Aſtronomiam cenſuit. 463. 492

Idem Tycho, vnde & ipſius querelæ. ibid.

Ioannes Stephanus Annalium Daniæ ſcriptor, Tychoni familiaris. 387

Ioannes VVernerus librum de motu octauæ Sphæræ edidit, cuius exemplum, niſi à Magino Tycho non habuit. 435

Ioſephus Scaliger recipit ſe omne officium erga Hollandiæ Ordines in Thychonis gratiam præſtiturum. 451

Iouis Stella à Marte occultata. 433

Iuſtus Byrgius Land-grauij Automatarius, & ab ipſo quaſi alter Archimedes habitus. 414

Rationem facillimam conteſcendarum ſinuum Tabularum excogitauit. 439

A Rudolpho Cæſare euocatus. ibid.

K

Kalendarij Gregoriani reformationẽ meliùs ſe habere, quam aliqui obiiciant. 498

L

Laurentius Eichſtadius Medicus, & Mathematicus Dantiſcanus communica-

uit Thema Tychonis natalitium ab ipſomet Tychone erectum. 387
Lep Tychonis fatuus, vt aliquando vera præſenſerit. 469
Libros Tychonis quæ manſerint fata. 470 & ſeq.
Quoſnã deſtinarat, quo titulo condere. ibid.
Lipſienſis Poli altitudo. 388
Lucidæ Arietis locus exquiſitiſſimè obtentus, & ad finem anni 1585. determinatus. 412
Ea potiùs delecta, quàm quæ fuit prima Copernico, vt quaſi cæterarum omnium fundamentum ſtabiliretur. 408
Ludouicus Keplerus Ioannis filius Medicus cœptam libri Patentis, cui titulus *Somnium*, editionem abſoluit. 472 Obſeruationum Tychonis poſt Patrem cuſtos. 473
Itemque plurium Operum Paternorum ineditorum. 472
Lunæ a Terra diſtantia, viſibilis Diameter, & magnitudo. 425
Lunæ latitudo maxima obſeruata anno 1587. grad. 5. min. 15. cùm eatenus fuiſſet habita graduum præciſè. 578
Cauſam dicit Tycho, quod ab vſque Ptolemæo Solaris inſtar mutata fuerit. ibid.
Lunæ motuum reſtitutio quantum temporis exigat. 424.444
Lunæ Theoria quanta ſollicitudine, & ob quas nouas cauſas retractata. 423.451.452 456. 457
Huius totius Theoriæ ſumma ex Longomontano ipſius elaboratore. ibid. & ſeq.

M

MArs non in ipſa oppoſitione, ſed antè, vel pòſt, latitudine maxima. 441
Quoties in Perigeio tam Eccentrici, quàm Epicycli eſt, tantus apparet, vt pro Noua Stella haberi ab ignorantibus cauſam poſſit. ibid.
Mars triente penè Terræ propior, quàm Sol à Tychone obſeruatus. 415.435
Martis eccentricitatem aliam, quàm Copernicus, deprehendit Tycho. 442
Martis Stella à Venere occultata. 433
Martis parallaxis ſtudioſè inquiſita ad determinandum, Copernicinè, an Ptolemæi Syſtema probabilius. 408
Miniſtros à calculis ſe, & Tychonem ea occaſione deluſiſſe. 408.475
Martinus Hortenſius aduerſus Tychonem ſcripſit. ibid.
Reſponſum illi à Keplero. ibid.
Mathias Imperator ſuccedit Rudolpho in curam Tabularum Rudolphinarum perficiendarum. 471
Mauritius Naſſauius Auraicus nullum non officium Tychoni erga Hollandiæ Ordines pollicetur. 451
Mauritius VVilhelmi Haſſiæ Land-gravij filius condit, mittitque ad Tychonem carmina in illius commendationem. 438
Parente mortuo, eandem ſuſcipit cæleſtium curam. 439
Mechanica Tychonis edita. 447
Eorum argumentum. ibid. & ſeq.
Ipſorum exempla ad Cæſarem, aliosque miſſa. 448. & ſeq.
Melchior Ioëſtelius Tychonis conſilio Eclipſin Lunæ anni 1599. obſeruatã euulgat. 453
Quanti eum moriens Tycho fecerit. 482
Mercurij motuum reſtitutio quantum temporis exigat. 444
Mercurij Stella in diſco Solis viſa, obſeruataque ex limbo Solis occiduo, cum latitudine Borea. min. $6\frac{1}{3}$ excedere, Pariſiis anno 1631. die 7. Nouembris manè, hora 20. min. 28. 471
Meridianorum differentiam rectè obſeruari, petique ex Eclipſibus Lunæ 70. Quæ Eclipſeos momenta meliùs diſcernantur. ibid.
Michaëlis Mæſtlini liber de Cometa anni 1572. à Tychone expenſus, cum commendatione Authoris. 417
Item liber de Noua Stellà. 426
Kepleri Magiſter fuit. 452
Tychonem apud illum magnifacit. ibid.
Quanti ipſum fieri à Principibus deſideret, Tycho. 465

N

NIcolaus Copernicus incomparabilis Tychoni vir. Quid circa Stellas Fixas infectum reliquerit: quid circa anni quantitatem, & puncta æquinoctialia non rectè conſtituerit. 490
Eius Regulas Parallacticas dono acceptas quanti Tycho fecerit. 410 Eius hypotheſin, cur non probârit, &c. 423.429
Nicolaus Raymarus Vrſus Dithmarſus viſam Vraniburgi Hypotheſeos Tychonis delineationem, venditauit vt propriam inuentum. 411. 428
Librum maledicentiſſimum aduerſus Tychonem ſcripſit. 451
Queritur de eo Tycho. ibid.
Pragenſem eius Profeſſionem Longomontano ſpondet. 453
Non exſpectauit Tychonem Pragæ. 367
Mortuus memoratur. 455
Noruergi quidam leuibus aſſeribus ad pedes ſuligatis ea velocitate ſupra rupeis niue coopertas currunt, vt etiam ceruos aſſequantur. 436

O

OBſeruationes Siderum quàm antiquæ, & quo progreſſu ad Tychonem vſque. *Præfatione tota.* Obſeruationes à Tychone peractæ *paſſim*. Quæ ab eo dictæ Pueriles, Iuueniles, Viriles. 447
Locus obſeruando idoneus deſcribitur. 448
Borealem Regionem ſua habere ad cœleſtium obſeruationem commoda. ibid.
Habitarum tam Pragæ, quàm Benaticæ ſpicilegium editum à Snellio. 456
Obſeruationes Tychonis in quot compactæ volumina relicta ab eo fuerint. 473
Quæ illas fata poſt eius mortem manſerint. ibid. & ſeq.
Keplerus præ manibus habuit. ibid.
Ludouicus eius filius dicit ſe habere compactas in Codices VIII. Rev. A Curtius habere ſe ait ab Imperatore, vt edantur, compactas in Codices XVIII. ibid.
Quî conciliari res valeat. ibid. 474
Quorſum exoptandum, vt in lucem edantur.

tur. ibid. & ſeqq. Qua cautione typis committi pro Kepleri inſtituto debeant. 473
Vt detrahere illis fidem Claramontius, & Hortenſius conati fuerint; & quid reſponſi à Galilæo, & Keplero (hócque præſertim) tulerint. 475
Olaüs VVormius, Profeſſor Medicus Hafnienſis, monumenta non pauca ad vitam Tychonis conſcribendam communicat. 387. 403 457.478
Organorum Aſtronomicorum Tychonis numerus, ſitus, deſcriptio. 402.& ſeqq.
In Mechanicis delineatio. 447
A Land-grauianis diſcrimen. 429
Tranſlatio è Dania in Germaniam, & varia illeic tranſpoſitio. 445.452.453.459
Mortuo Tychone redimit illa Rudolphus Cæſar ab hæredibus 22000. Coronatorum. 477
Sic poſteà concluſa, vt nulli paterent; & Kepleri ea de re querimonia. ibid.
Per turbas denique Bohemicas diripiuntur. ibid.
Solúſque ille magnus Globus Nieſsâ captâ recuperatur, referturque in Daniam. ibid.
Otto Brahe Dominus Knudſtorpij, Tychonis Pater. 387
Ægrè tulit filium Latinis imbui literis. 388
Moritur. ibid.

P

Papyraceum molendinum à Tychone conſtructum. 427.435
Parallaxes Solis quantæ. 423
Quæ proinde Solis à Terra diſtantia. 425
Paſchalius Mulæus à Tychone comes filio Tychoni datus, vt auehi curet in Bohemiam Organa maiora in Dania relicta. 455
Paulus VVitichius acceſſit ad Tychonem; varia ab illo addidicit, quæ deinceps, vt ſua apud Land-grauium venditauit. 407
Præſcripſit Land-grauio Tychonicorum aliquot inſtrumentorũ formam. 414.429
Petrus Iacobi ſtudioſorum Tychonis vnus, iſque fidus, ad Land-grauium deſtinatus. 415
Petrus Oxonius Magnus Aulæ Magiſter perſuadet Tychoni, non dedecere nobilem virum quidpiam typis committere. 394
Petrus Ramus per Germaniam iter faciens inuiſit Auguſtæ Tychonem; demiratus eſt ſtructuram, & vſum magni illius Quadrantis, Tychonis ductu elaborati. 392
Adhortatus Tychonem eſt, in id eniti, vt Aſtronomiam ſine Hypotheſibus conſtitueret. Ibid.
Vt Tycho reſponderit fieri id non poſſe. ibid.
Locus ex Ramo, quo fieri id optauit. ibid.
Kepleri exceptio. ibid.
Alius locus, quo meminit Quadrantis. ibid.
Peſtem poſt annum 1563. graſſatam retulit Tycho adoleſcens ad magnam, ſeu Iouis Saturnique coniunctionem, quæ illo anno contigit. 389
Philippum Appianum Petri filium affatur Tycho Ingolſtadij. 393
Philippus de Ohr Hamburgenſis Calcographus, VVandeſburgum à Tychone euocatur, vt ibi ſuis typis excudat Mechanica. 447
Planetarum omnium, hoc eſt, tam Solis, & Lunæ, quàm Saturni, Iouis, Martis, Veneris, & Mercurij, Diameter apparens, Diſtantia à Terra mediocris, & magnitudo. 415
Planetas in ſuis inæqualitatibus ſpectare motum Solis apparentem, Kepleri ſententia. 436
Quantum temporis reſtituendis ſingulorum motibus exigatur. 444
De ſingulis. *paſſim.*
Polaris Stellæ à Polo diſtantia anno 1577. quæ fuiſſet obſeruata à Friſio ante annos 30. 404
Quæ fuerit deinceps. 407.413.430
Poli atque adeò Æquatoris altitudinem deduxit Tycho ex ſumma, ac ima Stellæ Polaris altitudine, non ex altitudine meridiana Solis in vtroque Solſtitio. 409
Poli altitudo, an in eodem loco progreſſu temporis varietur. 448
Pragenſis Poli altitudo. 454
Progymnaſmatum, ſeu de Noua Stella, Liber quando conſcribi cœptus. 422
Quando prælo committi. 423.427
Quàm variè interruptus. ibid.
Prima duo capita de reſtitutione Solis, & Fixarum abſoluta. 425
Quid capitibus reliquis contineatur. ibid.
Progymnaſmatum Liber prælo commiſſus interdum à quatuor, quaſi initiis proceſſit (Tychoni nempe erat Typographeïon proprium.) 425
Penè iam abſoluebamus anno 1590. 430. 434-435
Libri concluſio. 440.& ſeqq.
Vnde, & quantæ moræ. 443.453.457.459
Quando denique, & quomodo abſolutus. 469. Editus. 470
Proſtaphæreſes Solis quantæ. 423
Prutenicæ Tabulæ non exquiſitæ cum Cælo congruentes. 421
Ptolemæi effigies penes Tychonem. 402
Elegiacum in eam Tychonis carmen. 410
Ptolemæum Tycho excuſat circa latitudinem Lunæ. 419
Ptolemæus Aſtronomiæ Princeps. 489
Abacum Fixarum Hipparchi inſequutus eſt.
Quid potuiſſet melius. ibid,

Q

Quadrans magnus, hoc eſt, Radij cubitorum 14. Tychonis ductu Auguſtæ confectus, & in Pauli Hainzelij horto conſtitutus. 392
Quæ eo peractæ Obſeruationes, tum circa Nouam Stellam, tum circa Auguſtanam altitudinem Poli. 394
Quæ eius fata. ibid.

R

Rangiferum, Noruegiæ, & Sueciæ animal, tolerare æſtatem in Dania, Haſſiáque non poſſe. 436
Rangiferi currum ſupra glaciem trahunt. ibid.
Rectangulum Magiſtrum vniuerſæ Matheſeos, qua occaſione dixerit Tycho. 406
Refractio Solis, ex Rothmanno, ſupra grad. altitudinis 30. nulla; ad Horizontem non vltra quadrantem, aut trientem gradus. 415
Refractiones Solares Tychoni quantæ. 423

Solem

Solem ob ipſas totum videri ſupra horizontem, cùm totus tamen infra eſt. ibid.

Refractiones eſſe aliquando, & alicubi maiores, quàm Tycho deſignet, argui ex Eclipſi Lunæ obſeruata Tubingæ à Mœſtlino. 433

Refractionum effectus in horologiis ſciothericis. 396

Refractiones in Haſſia maiores, quàm in Dania tuetur Rothmannus. 420. Contradicit Tycho, tuetúrque ex miſſis obſeruatis pareis. 422. Non terminari ad 30. altitudinis gradum. ibid. & 487

Refractionum effectus à Land-grauio obſeruatus etiam in Venere, quæ occaſura, penè horæ quadrante ſtataria fuit viſa. 415

Refractiones Stellarum quantæ. 424

Regiomonti in Pruſſia Poli altitudo obſeruata à miniſtro Tychonis, dimidio propè gradus maior, quàm Reinoldus Appiano confiſus habuiſſet. 410

Regulæ Ptolemaïcæ Copernici à Ioanne Hannouio per Eliam Olaï ad Tychonem miſſæ. Quanti eas Tycho fecerit; quod carmen illis appenderit. ibid.

Retziæ Daniæ familia Braheanæ affinis. 387

Ex ea Petrus Retzius Regius apud Galliæ Regem Orator, ac deinceps Magnus Regni Theſaurarius. 479

Rudolphus II. Imperator coronatur. 399

Priuilegium Tychoni cum elogio ad editionem librorum concedit. 431

Tychonem per Corradocium Procancellarium accerſit. 452

Digreditur Pragâ Pilſenam, peſtis causâ 452

Regreſſus Tychonem rursùs euocat, humaniſſimè excipit, fouet, domicilia ipſi, neceſſariáque omnia prouidet. 453. & ſeqq.

Mortuum ſepeliri perhonorificè curat. 469

Rudolphinas Tabulas perfici à Keplero mandat. 471. Moritur. ibid.

Rudolphus Corraducius Rudolphi Imperatoris Procancellarius. 441-447

Tychonem Pragam Cæſaris nomine accerſit. 432

Quâ beneuolentiâ eum exceperit. ibid.

S

SCipio Claramontius aduerſus Tychonis librum de Noua Stella; itémque Antitychonem in librum de Cometa ſcripſit. 475

Galilæus ad prius ſcriptum reſpondit. ibid.

Keplerus ad poſterius. 476

Sidera obſeruata à quàm antiquo tempore, & quo progreſſu ad Tychonem vſque, *Præfatione tota.*

Solis à Terra diſtantia, viſibilis diameter, & magnitudo. 425

Solis motuum reſtitutio quantum temporis exigat. 444

Solis eccentricitatem in Progymnaſmatibus propoſitam dimidio minuendam etiam Tychoni agnitam. 423

Solaris curſus reſtitutus. 408

Solis diameter viſibilis obſeruata, tam in Apogeio, quàm in Perigeio, & qua ratione. 406

Solis Theoria, ſeu motuum eius reſtitutio quando conſcribi cœpta. 423

Somnium, ſeu Lunaris Aſtronomia, Opus Kepleri. 471

Sophia Daniæ Regina Friderici II. coniunx, Chymiæ ſtudioſa, bis anno Tychonem inuiſit, vt eius laboratorium, operáſque contemplaretur. 415

Tychoni ſemper in Aula fauens. ibid.

Sophia Friderici III. coniuns, ingenuas arteis, & Sapientiam eximiè colit. 478

Sophia Tychonis ſoror Aſtronomiæ, & Aſtrologiæ perita. 387

A Rothmanno commendata, vt ſolertiſſima, & Philoſophica Matrona. 442

Stellæburgum ad meridiem Vraniburgi, eiúſque deſcriptio. 401

Organa in eo conſtituta. 402. 403

Conſtructio. 410

Inſcriptiones in eo variæ. ibid.

Stella Noua in Conſtellatione Caſſiopeiæ, quando primùm apparuerit Tychoni. 394

Aliis. 395. Quouſque perdurauerit. ibid.

Quæ illius ſpecies. ibid.

Eius ſcintillatio vehemens, & magnitudo initio, quanta Iouis, aut Veneris; ita vt videri interdiu potuerit. ibid.

Magnitudinis decrementum. ibid.

Diſtantia à Terris, & locus in Aplane, ſeu inter affixas, ob defectũ parallaxeos. 396

Moles. ibid. Longitudo, Latitudo, Aſcenſio, Declinatio. ibid.

Comparatio cum noua tempore Hipparchi. ibid.

Sextans, quo in ipſâ obſeruanda Tycho eſt vſus. 394

Libellus quem de ea dum adhuc appareret, Tycho ſcripſit, ac edi eſt paſſus. ibid.

De Noua Stella qui ſcripſere Authores referuntur, & expenduntur. Primò Nouem, qui illam in regione Fixarum ſtatuerunt. Deinde Octo, qui infrà, ſed adhuc ſuprà Lunam. Denique Tredecim, qui infrà Lunam poſuere, aut fuere de ea ineptè loquuti. 425. & ſeqq.

Stellæ materia Cæleſtis. 440

Qualis Galaxiæ, cuius in confinio fuit: vbi & quidam quaſi hiatus remanſit. ibid.

Efficiens cauſa aliàs ediſſerenda remittitur. ibid.

Non ſine energia, & ſignificatione fuit. ibid.

Rerumpublicarum innouationem portendit, ſed tamen faciendam in melius, & cur. ibid.

Euenta ad regionem Septentrionalem pertinere, & quare. ibid.

Cœptura ab anno 1592. & fore, vt vigeant anno 1632. ibid.

Fore denique, vt à Moskouia incipiant. 441

Stellæ Inerrantes, vide Fixæ.

Stellæ Errantes, vide Planetæ.

Steno Tychonis Auunculus, ſtudiorúmque ipſius fautor. 387. 390. Concedit illi apud ſe moranti loca Aſtronomicis, & Pyronomicis operis idonea. 393. Eius filius Otto. 397

Quàm grata ipſi proinde Tychoni illius recordatio. 467

Steno Tychonis fratrum præcipuus. 387

Studioſos Tychonis quæ poſt eius mortem fata manſerint. 470

Stylo veteri, ſeu Iuliano vſus Tycho, quouſque Pragam, anno 1599. acceſſit. Deinceps autem nouo ſiue Gregoriano. 454

Tabulæ

T

Tabulæ Danicæ à Longomontano confectæ, reputari Tychonicæ poſſunt. 472.
Tabulæ Rudolphinæ à Tychone indigitatæ. 460. Opus Kepleri Cæſaris mandato, ex Obſeruationibus Tychonis. 471
Vnde, & quoties facta iis perficiendis remota. ibid. Abſolutæ demùm, editæque poſt 26. annos. 472
Tabulæ Tychonicæ quàm iuſtiores Prutenicis, probatum ab Origano in Eclipſi Solis, anni 1598. 450
Tabularum, vti & hypotheſeon pro Planetis ſingulis condendarum Tychonis ſollicitudo. 441
Tagonus totus Ericſolminus, Senator Danus, Tychonis ex ſorore Sophia Nepos. 387
Terram moueri cur improbet Tycho. 418
Triplicem eius motũ ſigillatim impugnat. 429 Aduerſus reſponſiones inſtat. 434. 442
Thaddæus Hagecius Cæſareus Medicus, Tychonis amicus ab vſque Rudolphi inauguratione. 399
Dialexin ſcripſit de Stella Noua. ibid.
Tychonem ſollicitat, vt ad Cæſarem quamprimùm accedat. 452
Summá lætitiá excipit. 453
Tymocharidis effigies penes Tychonem. 402
Timocharis. 470 Ante Hipparchum annis Stellas Fixas obſeruauit. 489
Tobias Gemperlinus Pictor egregius, deductus Auguſtà à Tychone in Daniã. 399. 402
Tychonem pingit. 422
Obit Hafniæ, ex peſte. 399
Tychonis Brahe Aſtronomi Patria, Parentes, & Maiores. 387 Fratres, & ſorores. ibid.
Tempus natale. ibid.
Tycho apud Georgium Patruum educatur, literáſque primas, & Grammaticam priuatim addiſcit. 388
Duodecennis Hafniam à Patruo mittitur, ibique Rhetoricæ, & Philoſophiæ operam impendit. ibid.
Facta illi prima occaſio Aſtronomici ſtudij ex Eclipſi Solis, & prædictione illius facta in Aſtrologorum diariis. ibid.
Ab anno ætatis. XIII. addiſcere Planetarum Theoriam, & Ephemeridum vſum cœpit. 388
Annum aſſequutus XV. Lipſiam mittitur; ſtudij iuriſprudentiæ gratiâ. ibid.
Pædagogo inuito, & clam ipſo Globulum cæleſtem, & libros Aſtronomici argumenti habet ac Aſteriſmis, Planetiſque internoſcendis inuigilat. Ab anno XVI. vſum Tabularum addiſcit, ipſaſque, & Ephemeridas non congruere cum Cœlo deprehendit. ibid.
E feneſtra obſeruat Radio ſidera, ac in eo clam Præceptore integras noctes tranſigit. ibid.
Et Aſtronomiam, & cæteras Matheſeos ſpecies non alio, quàm ſe ipſo vſus Præceptore addiſcit. 389
Anno XVII. obſeruat magnam Coniunctionem, & ſolo licet Circino vſus, defectum tamen Tabularum agnoſcit. ibid.
Ab vſque anno XVII. ſpem reſtaurandæ Aſtronomiæ concepit, ac fouit. 389. 390
Poſt annum XVIII. redit Lipſia in Patriam, & de peregrinatione inſtituenda, tranſlato ſecum Radio, cogitat. 390
Anno XX. currente, VVittebergam tendit, ſed peſtis metu repetit Roſtochium. ibid.
Inter peregrinandum Planetarum loca obſeruat, delectis IV. Stellis, quæ geminæ in eandem lineam cum Planeta inciderent. 390
Ineunte anno XXI. in nocturno conflictu cum Manderupio Pansbergio bonam naſi partem amiſit. ibid.
Quàm ſolerter, & concinnè naſum ſubdititium ex cera, & auro, argentóque conflarit. ibid.
Ineunte anno XXII. celebrem Solis Eclipſin obſeruat. 390. Excurrit in patriam, redit Roſtochium, ibique domum deligit obſeruando commodam. 391
Anni partem exigit VVittebergæ. ibid.
Anno XXIV. redit in Patriam, & aliquantiſper Hafniæ commoratur. 393
Apparat apud Auunculum, & obſeruatorium pro Aſtronomia cæleſti, & laboratorium pro terreſtri. ibid.
Quanta huius cura ipſi fuerit. Quantam in ipſa ſpem poſuerit. ibid.
Stella interim Noua, celebriſque in Conſtellatione Caſſiopeiæ ſub finẽ anni 1572. apparet, quam ſedulò obſeruat. 394
Tycho iterùm in Germaniam, Italiámque inſtituere iter cogitat, ſed remoratæ duæ, febris, & coniugium. 396
Vxorem Plebeiam nomine Chriſtianam ſuo ex pago ducit. ibid. & ſeq.
Cur plebeiæ ſortis vxorem duxerit. 467
Hortante Rege, & precantibus benè multis, prælegit Theoriam Planetarum in Hafnienſi Academia. ibid.
Orationem præhabet. 397
Orationis initium, & concluſio. ibid.
Summa. ibid.
In ea Aſtronomia laudata; defenſaque Aſtrologia, &c. Qua mente. ibid.
Vere anni 1575. peregrè iterùm contendit; in Haſſiam primùm peruenit; Land grauium alloquitur; cum eo obſeruat; obſeruationes quaſdam ab eo habet. ibid.
Nundinis Francofurtenſibus intereſt: Baſilea delectatur, & de ſede in ea deligenda cogitat; Venetias adit. 398. & 399
Auguſtam petit; Ratisbonam peruenit; vbi adeſt Rudolphi Imperatoriis inaugurationi. 399 Tranſit Salfaldiã. ibid.
Et Vittebergã. ibid.
Redit in Daniam. 400
Vnde iterùm diſceſſurus anno 1576. detinetur beneuolentiâ & liberalitate Friderici Regis, à quo obtinuit Huenam Inſulam, & omnia ad ædificia, ad organa, vniuerſéque ad peragendas obſeruationes neceſſaria. ibid.
Extruit ſubinde Vraniburgum, Stellæburgum, & omnigena apparat inſtrumenta. 400. & ſeq.
Obſeruat deinceps ibi continenter totis XX. & vno annis. 403. & ſeq.
Qui Tychoni liberi per id tempus nati. 407
Aluit ſemper ſtudioſos complureis, qui

coadiutores in obſeruando eſſent; eoſque proinde etiam edocuit. 403
Impendit Vraniburgi in cultum Aſtronomiæ vltra Tonnam auri, ſeu librarum Turonicarum 300000. ibid.
Tychonis per literas commercium cum Haſſiæ Land-grauio cœpit occaſione Cometæ anni 1585. 414
Inuiſitur à Socero Regis, à Regina, &c. 415
Librum de Cometa anni 1577. abſoluit anno 1587. 416. 417
Proponit, exponitque in eo Hypotheſin propriam Mundani Syſtematis. 418
Quis eius luctus fuerit ob mortem Friderici Regis; quis metus, ne ſucceſſor non perinde faueret ſuis ſtudiis. 420
Spes in quatuor Senatoribus, qui per pupillarem eius ætatem Regnum adminiſtrarent, ſed in Caaſio maximè. 421
Cœpit ab anno maximè 1588. adornare primum librum Progymnaſmatum, ſeu de Stella Noua. 422
Ob Fixarum reſtitutionem grati animi ſenſum à Poſteris ſperat. 431
Adhortatur, illâ peractâ, ad cœleſtium obſeruationem. 425
Nemo poſt Hipparchum præſtitit quod ipſe. ibid. Anno 1590. à Iacobo Rege Scotiæ inuiſitur. 431
Anno 1591. à Rege Chriſtiano, à quo & & proprio torque donatur. 435
Ab eo tamen anno, de ſede mutanda cogitat, quòd iam in Aula à quibuſdam ſui oſoribus ob penſionem ex telonio ſubmurmuraretur. 436
Quis eius dolor fuerit ob mortuum anno ſequente Land-grauium. 439
Quis rurſus ob mortuum anno 1594. Iacobum Curtium Procancellarium Cæſareum, & cur. 441. Anno 1596. oſorum Tychonis inuidia erumpit. 444
Quibus prætextibus in Aula traductus. ibid. & 455. Vt fuerit ex ordine Regiis beneficiis priuatus. 445
Oſores Tychonis præcipui Aulæ Magiſter, & Cancellarius. 444. Medici etiã aliqui, quod medicamẽta gratis largiretur. ibid.
Variè indignéque vexatur. 445. Minora Organa ex Huenna Hafniam trãsfert. ibid.
Quidquid etiam rerum mobilium. ibid.
Sola maiora, affixáque relinquit, & Coloni curæ, fortunæque committit. ibid.
Anno denique 1597. totam familiam, ſupellectilémque naui conductitiæ imponit. ibid. Diſcedit ex Dania, & appellit Roſtochium. 446
Inuitatus ab Henrico Rantzouio omnia VVandesburgum, prope Hamburgum transfert. ibid.
Mechanicam Aſtronomiæ partem priùs cœptam abſoluit, typis committit, Imperatori dicat; ad ipſum quaſi ſtrenam, & quo fine mittit. 447. & ſeq.
Mittit ſimul Catalogum 1000. Affixarum Stellarum, cum præfatione, & variis adiunctis, idque initio anni 1598. 448. 449
Longomõtanũ de reditu ſollicitat. 450. 451
Ad Keplerum, occaſione accepti myſterij Coſmographici ſcribit, ipſumque acceſſit. 451. Scribit ad Principem Mauritium Auriacum. ibid.
Reſcribit ad Scaligerum, ſe ad Cæſarem inuitatum ad eum tendere. 452
Niſi illeic bene ſit, conceſſurum ſe in Batauiam non inuitum. ibid.
VVittebergam diſcedit cum filiis, ſtudioſis, organis. ibid.
Cur inde Pragam non tam citò petat. 452
Accerſitur iterùm Pragam ab Imperatore, intercedente Corraducio Procancellario. 456
Eò diſcedit Ann. 1599. humaniſſimè à Cæſare excipitur, à quo & penſio annua 3000. aureorum fit ipſi rata, præter deſtinationem feudi: Curtianas ædeis inhabitat, inque ipſis obſeruationes inſtaurat. 453
Quòd non poſſet Pragæ ob nimiam inuiſentium frequentiam commodè obſeruare, delegit vnam ex tribus à Cæſare oblatis, procul ab vrbe, arcibus. 453. 454
Ea fuit Benachia, ſeu Benatica, quam & deſcribit. 454. 456
Sollicitus eſt de euocandis ad ſe ſtudioſis, & coadiutoribus, præter eos, quos ſecum habebat. 455
Quæſitum mittit reliquam familiam per Tengnagelium; & maiora Inſtrumenta relicta in Dania per Tychonem filium primogenitum. 455
Keplerum excipit Anno 1600. 456
Expertus varia Benaticæ incommoda, remigrat Pragam; habitat primùm in hortis, ædibuſque Regiæ adiacentibus; receptáque iam familia, recipit in ipſis maiora Inſtrumenta: deinde in ædibus Curtiania in ipſius gratiam à Cæſare redemptis. 459. Recepto keplero, seriò ſe accingit ad condendum Tabulas Rudolphinas indigitandas. 460
Incidit Tycho in lethalem morbum, ob retentam in conuiuio vrinam. ibid.
Quis morbi progreſſus. ibid.
Quæ Viri extrema. 461. 484
Moritur demùm xxiv. Octobris, anno 1601. 461
Sepelitur in primario Templo, ritu Equeſtri, ac per-honorificè. 469. 478
Oratio funebris habetur à Ioanne Ieſſenio, illiuſque tenor. 480. & ſeq.
Epitaphium. 469
Diſtichon Chronologicum. ibid.
Epicedium. 484. & ſeq.
Quantum vixerit. 469. 284
Quæ fata illius familiam, ſtudioſos, Libros, Obſeruationes, Inſtrumenta, poſt eius mortem manſerint. 469. & ſeq.
Tychoni quis torques. 416. Quæ & cuiuſmodi eius ſtudia humaniora, Aſtronomica, Aſtrologica, Chymica. 462. & ſeq.
Qui mores, Religio, Pietas, Gratitudo, Beneficentia, &c. 466

V

VDalricus Chriſtiani Regis Daniæ filius Nieſſam in Sileſia capit, & inuentum magnum Tychonis Globum reuehi in Daniam curat. 477

Vdalricus Megapolenſis Dux Regis Daniæ Socer, Elizabetha coniunx, & Regina filia inuiſunt Tychonem. 415
Veneris Stella quàm appoſitè aſſumpta præ Luna ad reſtitutionem Fixarum. 408. & ſeq.
Veneris Apogeion reperit Tycho in initio Cancri, non in 7. Geminorum gradu. 442
Venus viſa veſperi die 21. Februarij, ac deinde mane die 24. eiuſdem, ſcilicet ob magnam latitudinem Septentrionalem. 419
Vincentius Pinellus Patauij degens curat Galilæum in Tychonis amicitiā inſinuari. 439
Vogelious, an demonſtrâris Cometam ſui temporis fuiſſe ſublunarem. 417
Vranoiburgicæ arcis deſcriptio. 400
Præcipua domus. 400. & 401
Organa in ea conſtituta. 402
Vraniburgi quæ Poli altitudo. 404
Vraniburgi in Huenna fundatio, promotio, perfectio. 406
Quod eius fatum à diſceſſu, obituque Tychonis fuerit. 477
VValſtemius Meckelburgi Dux, ſedem Keplero Sagani Sileſiorum tribuit. 472
VVandeſburgum arx Ranzouiana, prope Hamburgum, vbi Tycho è Dania diſcedens exceptus. 445
Ac vbi eius Typis Mechanica primùm commiſſa. 447
Poli altitudo VVandesburgi grad. 55. minut. 36. 450
VVillebrordus Suellius edidit librũ Rothmanni de Cometa anni 1585. cum ſuo de Cometa anni 1618. 415
Edidit etiam Obſeruationes tum Haſſiacas. 398. 460
Tum Tychonis Bohemicas. 454
Attexuitque etiam aliquas de Tychonis morte circumſtantias. 460
VVilhelmi Haſſiæ Land-grauij tempus natale. 397. Studium rerum cœleſtium. ibid.
Apparatus Organorum ad obſeruandum cæleſtia. 398. 414. 415
Obſeruationem perficere, quàm ad domus incendium accurrere prætulit. 398
Fridericum Daniæ Regem per eius legatos hortatur, vt Tychonis genio, ac ſtudiis faueat. 400
Agere per literas cum Tychone cœpit occaſione Cometæ anni 1585. 414
Qua fuerit impatientia in literis Tychonis exſpectandis. 415
Qua exſultatione cùm ob acceptas à Tychone literas, tum ob factarum de Cometa Obſeruationum conſenſum. 412
Eius obſeruationes de Noua Stella expenſæ. 425. 426
Itemque de Cometa anni 1577. 418
Affixas Stellas 400. reſtituit. 420
Diſcrimen à reſtitutione Tychonica. 388
Dumtaxat minutorum ſecundum longitudinem. Varia de his quinque minutis vltrò, citróque inter Tychonem, & Landgrauium Rothmannúmque eius Mathematicum ſcripta. 415
Erat Land-grauius, niſi interceſſiſſet Regis Friderici mors, ad Hamburgenſia comitia iturus, ac inde Tychonem in Huenna inuiſurus. 421
Diſcedentem ad Tychonem Rothmannum commendat; ſe iam præ ætate conari quidem, ſed non poſſe exſequi, quæ circa cæleſtia peruellet. 432
A Tychone ideò commendatus. 434
De ſtatu Regni rogat. 433
Reſpondet Tycho, hortaturque, vt quæ per ſe non poteſt, per idoneos artifices præſtet. 434. Moritur. 439
Oratio in eum funebris. 443
Tychonis obeius mortem luctus, Epicedium. 439
Dignus Princeps, qui inter Diuos, Heroaſque ſcientiæ cœleſtis Authores collocetur. ibid.
VVolfgangus Theodoricus, Archiepiſcopus Salisburgenſis. 449
Tycho ad ipſum mittit Mechanica, & Catalogum 1000. Affixarum, cum adſcriptis carminibus. ibid. & ſeq.

Z

ZApfemburgum hortus ferarum Landgrauij. Zapfemburgenſis Equus, quo Land-grauius redimere Tychonis Alcen voluit. 436

INDEX
IN VITAM COPERNICI, PEVRBACHII, ET REGIOMONTANI.

A

ÆQuinoctiorum Præceſſionem, ſeu Anticipationem cur Copernicus vocet, & quid. 505
Albertus Brandemburgicus Marchio & Prutenorum Dux, fundat Academiam Regij montis. Dicat illi Reinholdus Tabulas Prutenicas dictas, & ad meridianum Regij montis relatas. 514
Albertus Brudzevius Copernici in Mathematicis Præceptor Cracouiæ. 499
Almageſti Ptolemæi Latina interpretatio, ex Arabica verſione, mendis ſcatens. 523
Eius Epitomē aggreditur Peurbachius. ibid.
Perficit Regiomontanus. 524
Exemplum Almageſti Græcum tanti æſtimauit, quanti Prouinciam Beſſarion. 533
Alphonſinæ Tabulæ post Prutenicas editas antiquatæ. 518. Earum imperfectio à Regiomontano oſtenſa. ibid.
Alphraganus publicè à Regiomontano expoſitus. 526
Albategnius ab eodem illuſtratus. ibid.
Andreas Oſiander curator primæ editionis Operis Copernici, Præfatiunculam illi adhibuit. 519

Anuus Vertens, & Annus Sidereus, quî differant. 505
Apollonij Pergæi opinio de circumductis ſurſùm, & deorſùm Soli quinque Stellis Errantibus. 500. 501. 503
Aſtratium, Automatum nempe in continuo motu, intra fabrilem officinam Regiomontani. 531
Aſtronomiæ reſtitutio, quibus quaſi primis fundamentis innitatur. 523
Aſtronomicæ Tabulæ quibus de cauſis eſſe exquiſitæ ad ſcrupuloſitatem non valeãt. 512
Auerroës Epitomen in Almageſtum Ptolemæi condidit. 514
Automata ſingularia duo, Muſca ferrea, conuiuas circumuoluans, & in Domini manum rediens, & Aquila ex vrbe aduentanti Imperatori ſublime occurrens; ac ipſum deinceps ad vrbis portam comitans. 531

B

BErgenſis Tabulæ, Ioannis Stadij. 515
Bernardus Scultetus VVarmienſis Eccleſiæ Decanus, & Lateranenſis Concilij Scriba hortatur Copernicum, vt operam conferat ad Calendarij reformationem. 506
Bernardus VValtherus Ciuis Norimbergẽſis, impenſas Regiomontano ad Organa Aſtronomica, & Typographeion miniſtrat. 527
Varia cum Regiomõtano obſeruat. 531. 528
Poſt eius diſceſſum, ac mortem per annos ferè 30. obſeruationes continuat. 533
Ardor eius & diligentia in obſeruando, fides in conſignando. ibid. Eius obſeruationibus Tycho, & Copernicus vſi. ibid.
Tycho nunquam illum ſine elogio nominat. ibid. Refractionum effectũ conſtitutis ſideribus in horizõte obſeruauit. ibid.
Quî potuerit Copernicus tres illius obſeruationes circa Mercurium citans, duas attribuere Schonero. ibid.
Beſſarion Cardinalis, qua occaſione Legatus ad Fridericum Imperatorem. 524
Cœperat Latinè interpretari Almageſtum Ptolemæi. ibid. Author eſt Peurbachio, vt eius Epitomen condat. ibid.
Hortatur, vt ſecùm in Italiam diſcedat. ibid.
Eo mortuo ſecum Regiomontanum deducit. 526. Pergens Legatus in Græciam, Regiomontanum relinquit, commendáſque Ferrariæ, Patauij, Venetiis. 531
Ex Gallica Legatione redux, moritur Rauennæ. 532
Bohemiæ regnum inter Hungarum, Polonum, & Saxonem diſceptatum. 525

C

CAlendarij Reformatio agitata in Conciliis Conſtantienſi, Baſilenſi, Lateranenſi, & de ea ſcriptũ ad Copernicum. 506
Calendarij Reformatores laboribus Copernici vſi. ibid.
Calendarium ſpeciali forma à Regiomontano confectum. 355
Calendarij Romani reformãdi occaſione Regiomontanus accerſitur Romam. 527
Campani Theoricæ inconcinnæ. 521
Illius, & Gazuli modus erigendorum Thematum cœleſtium Regiomontano improbatus. 531. 533
Carolus VII. Galliæ Rex fieri obſeruationes mandat, quibus errores Tabularum Alphoſinarum emendentur. 520
Iiſdem regnauit annis, quibus Peurbachius vixit. ibid.
Chriſtianus Longomontanus Terram in centro degentem moueri circa ſuum axem cenſuit. 515
Chriſtianus Vrſtiſius ſcripſit in Theoricas Peurbachij. 521
Chriſtophori Clauij elogia de Copernico. 506
Demonſtrationes ſinuum, chordarúmque ex Ptolemæo, Peurbachio, Regiomontano colligit. 520
Cometa inſignis à Regiomontano obſeruatus an. 1472. 528
Illius via, motus, caudæ ſitus, &c. ibid.
Cometarum viæ ſunt traiectiones rectilineæ per ætherem; quæ videntur verò ipſorum reuolutiones diurnæ affinguntur ipſis ex motu Telluris. 516
Copernicus, vide Nicolaus.
Cyprianus Leouitius Ephemeridas ex Prutenicis Tabulis deduxit. 515

D

DAuid Origanus Ephemeridas ex Prutenicis Tabulis deduxit. 515
Terram in centro exſiſtentem, moueri dietim circa ſuum axem opinatus eſt. 516
Maris æſtum ad diurnum Terræ motum retulit. 515
Dierum, noctiúmque viciſſitudines, cur non minùs in opinione Copernici, quàm in communi appareant. 504
Directionum Tabulæ Archidiaconi Parmenſis imperfectæ. 527
A Regiomontano meliores conditæ. ibid.
Dominicus Maria Præceptor Copernici Bononiæ. 521
Quã Eclipticæ obliquitatẽ inuenerit. ibid.
Vt opinatus fuerit Poli altitudinem in eodem loco progreſſu temporis variari. ibid.

E

ECclipſes à Peurbachio, & Regiomontano obſeruatæ annis 1457. Septembri & 1460. Iulio, ac Decembri. 523
A Regiomontano ſolo, an. 1451. Iulio. 516
An. 1462. Decembri. ibid.
Anno 1464. Aprili. ibid. & ſeq.
Eclipſis Lunæ à Copernico obſeruata Romæ, anno 1500. 499
Eclipſis Veneris à Luna, an. 1529. 502
Eclipticæ obliquitas tanta primùm Peurbachio, quanta Almeoni habita; obſeruata deinde minor. 521
Quanta habita Regiomontano. 529
Quanta Dominico Mariæ. 499
Quanta Copernico. 502
Ecphantus cenſuit Terram in centro degentem dietim circumgyrari. 501
Ephemerides Regiomontano dictæ, quæ antiquioribus Almanach. 521. 529
Aliquas cõtexuit, edirque Peurbachius. 522
Ephemeridas Regiomõtanus primus compoſuit, concinnè digeſſit, typiſque mandauit in annos 32. 530
Quanto illæ pretio habitæ, quantique venales. ibid. Quanti dicatio earum penſata. ibid. Cardanus vidit Ephemeridem pro anno 1414. 529

Extat

Exſtat in Bibliotheca Regia codex MS. Ephemeridum ab anno 1442. in annum 1472. ibid.
Epiſtolæ variæ à Copernico ſcriptæ, ac vna ſpeciatim de motu octauæ Sphæræ. 512
Eraſmus Oſvvaldus ſcripſit in Theoricas Peurbachij. 499
Eraſmus Reinholdus edidit commentarios in Theoricas Peurbachij. 514.521
Edidit etiam in libros Reuolutionum Copernici. 514
Tabulas Prutenicas condidit. ibid.
Ephemeridáſque ex ipſis deduxit. 515

F

FAbianus de Luſianis VVarmienſis Epiſcopus. 500. Eo mortuo Copernicus creatus bonorum Epiſcopatus adminiſtrator. ibid.
Fixarum longitudines cur Copernicus à prima Arietis Stella deducat; eaſdémque, quod ſupereſt, cum Ptolemæo retineat. 505
Fixarum ſitus, & magnitudo in opinione Copernici, quorſum variati non appareat. 504
Fridericus III. Imperator, beneuolus, & munificus in Peurbacium. 519
Fruemburgum Boruſſiæ oppidum, cui VVarmienſis Eccleſia, in qua Copernicus Canonicus vixit, imminet. 500
Quos vapores illeic eteet VViſtula. 502

G

GAlileus æſtum Maris, eiúſque circumſtantias per motus terræ attributos expoſuit. 515
Gazulo probatus domificandi modus, improbatus Regiomontano. 531
Georgius Ioachimus Rheticus famâ Copernici permotus, ſuam Matheſeos Profeſſionem dimittit, eúmque conuenit, vt Ipſius diſcipulus fiat. 507. Narrationem de ſuæ ad illum progreſſionis ſucceſſu, déque opinione, & argumento Librorum ipſius ad Ioannem Schonerum ſcribit. ibid. In quantam raptus admirationem, quantis elogiis proſequatur Copernicum. ibid. & 108
Scripſit præterea Encomium Boruſſiæ. ibid.
Edi procurat Copernici tractatum de Triangulis, cum Canone Sinuum ſupputatum ad Radium partium 10000000. ibid.
Tidemannum Gyſium Epiſcopum Culmenſem, Copernici Amicum, ſibi, & Amicum, & Mecœnatem agnoſcit. 507.509
Accipit ab ipſo Autographum Copernici, ac ipſum edi Norimbergæ curat. 510
Editi exemplum mittit ad Copernicum, qui tamen iam moriens, nihil aliud, quàm ipſum vidit, contigitque. 510.515
Ephemeridem condidit ex Canonibus Copernici in annum 1551. 514
Georgius Peurbachius naſcitur anno 1423. 519
Illius ingenium, ac ſtudia. ibid.
Creatur Magiſter artium Viennæ. ibid.
Peregrinatio eius in Italiam; quos illeic viros coluerit, quanti ab illis factus fuerit. ibid.
Degit aliquandiu Romæ; docet Ferrariæ, Bononiæ, Patauij; redit Viennam; fit illeic Matheſeos Profeſſor: à Ladiſlao Hungariæ Rege inuitatur: à Friderico III. detinetur. ibid. Acerrimè incumbit ſtudio, intelligentiæque Almageſti Ptolemæi; & quantum in eo (deſtitutus licet linguâ Græcâ) profecerit. ibid.
Quæ varia Opera conſcripſerit. 519. & ſeqq.
Quæ inſtrumenta etiam confecerit, ac ſpeciatim Quadratum Geometricum in vſum Archiepiſcopi Strigonienſis. 520
Eius tractatus de Sinubus, & Chordis ibid.
Tabulas varias condidit, quibus Alphonſinas reformauit. ibid. Tabulas Eclipſeon ſpeciatim condidit. ibid. Cur ipſas ab illius morte Ioanni Varadienſi Epiſcopo Regiomontanus dicârit. 521
Theoricas nouas conſcripſit: quibus permotus rationibus. 517.521
Quo illæ fuerint applauſu exceptæ. ibid.
Vt ſuâ famâ Regiomontanum ad ſe acciuerit: vt beneuolè exceperit, vt tanquam filium amauerit: vt nihil cum eo non communicârit. 523
Quid cum eo obſeruauerit. ibid.
Vt inuitatus Romam, niſi cum eo ire recuſauerit. 524.525. Quam mutua, quámque ſuauiſſima animorum vtriuſque coniunctio. 524. Quid circa miſſam ad ſe Circuli Quadraturam à ſummo Amico Cardinali Cuſano egerit. 525
Vt à Cardinali Beſſarione inductus fuerit ad condendum Almageſti Epitomen: vt eam præclarè aggreſſus fuerit: vt morbo, mortéque præuentus perficere eam non potuerit: vt illius perfectionem Regiomontano in gratiam optimi Patroni Beſſarionis mandauerit. 524. & ſeqq.
Moritur annò 1461. ibid. Quæ fuerint illius extrema. ibid. Non compleuit annum 39. eius Epitaphium. 525
Varia illius in variis Regiomontani operibus Encomia. 524 & ſeqq.
Vt illum præterea varij commendârint: Eraſmus Reinholdus. 521.522.524
Ioachimus Camerarius. 534
Daniel Santbechius. ibid.
Tycho Braheus. ibid.
Georgius Trapezuntius occaſione linguæ Græcæ, & Ptolemæi, Theoniſque, quos interpretatus eſt, à Regiomontano Romæ conuenitur. 526. Infenſus ipſi poſtquam ab eo lapſus adnotari. 527. Trapezuntij filij crediti ſunt Regiomontanum veneno ſuſtuliſſe. 532
Græcæ linguæ tempore Peurbachij per Academias ſilentium. 519
Guarinus Profeſſor Græcus Ferrariæ à Regiomontano conuenitur. 526
Guillielmus Gilbertus Philoſophiam Magneticam occaſione Hypotheſeos Copernici inuenit. 515

H

HEraclides cenſuit Terram in centro Mundi exſiſtentem diurnè circumgyrari. 501
Hypotheſeos Copernici Schema, eiúſque declaratio. 503. & ſeq.

I

IAcubus Cremonenſis Latinus Archimedis interpres. 523
Ioachimus Camerarius Theonem in Ptolemæum Græcè ex Regiomontani Bibliotheca ſeruatum edidit. 533
Ioannes Antonius Maginus Theoricas nouas

conditurus, nihil aliud, quàm traduxit Hypotheſin Copernici in Hypotheſin communem. 515
Ioannes Baptiſta Capuanus Manfredonius Theoricarum Peurbachij commentator. 521
Ioannes Baptiſta Ricciolus Author noui Almageſti, hoc eſt, ingentis totius Aſtronomiæ theſauri. 525
Ioannis Blanchinus Tabulas Aſtronomicas condidit. 519. Obtinuit à Peurbachio, vt prælectiones quaſdam in Italia haberet. ibid.
Teſtatus eſt Regiomontano animam ſibi in ſenili corpore Aſtronomiæ dulcedine contineri. 526
Ioannes Fuſor Tabulas ſinuum, & chordarum, condit, & iuſſu Caroli VII. Gallorum Regis, ad condendum nouas cœleſtium motuum Tabulas, obſeruationes peragit. 520.521
Ioannes Keplerus Rudolphinas Tabulas ex obſeruationibus Tychonis condidit. 515
Deduxit ex ipſis Ephemeridas. ibid.
Autumault Copernicum eſſe fouenti à ſe theſauri ignarum. ibid.
Quàm varia ex eius opinione deduxerit ibid.
Ioannes Mullerus à loco natali Regiomontanus dictus, anno 1436. naſcitur. 522
Duodecennis mittitur Lipſiam; Dialecticæ Sphæræque ſtudet; & Arithmeticæ, ac Geometriæ prima rudiméta capeſſit. ibid.
Solâ Peurbachij fama permotus Viennam iter arripit, vix annos natus 16. 523
Vt ad Peurbachium acceſſerit, exceptúſque ab illo fuerit. ibid. Vt Peurbachius illum inſtituerit, exercueritque; vt ipſe ſemper præter penſa, plurima arripuerit; quanti proinde eius ingenium, ſolertiam, & laborem Peurbachius fecerit: quam de eo conceperit: ad quid eum animauerit: quæ cum illo obſeruauerit. ibid.
Vt Peurbachius Beſſationi Romam inuitanti, niſi & ipſe Regiomontanus inuitaretur, non aſſenſerit, 524.525
Vt Peurbachius in eius gremio mortem immaturam obierit: vt ipſi Epitomes Almageſti perfectionem quaſi teſtamento legârit. 524. Vt Regiomontanus vix vnquam Præceptoris tam boni commemorandi finem fecerit. ibid.
Regiomontanus in Profeſſione Mathematica Peurbachio ſuccedit. 526
Græcæ linguæ addiſcendæ ardore in Italiam cum Beſſarione proficiſcitur: quid ante diſceſſum, quid in itinere, quid Romam appulſus, ad eam linguam arripiendum peregerit. ibid. Quos viros, quas Bibliothecas, quos in iis libros verſauerit: quos coëmerit: quos partim aliena, partim ſua manu exſcripſerit (elegantiſſimè ſcilicet pingebat.) ibid.
Ferrariæ quos conouerit. ibid.
Qua perfectione iam tum calleret Græcas literas, quid in Ptolemæo, & cæteris Græcis authoribus poſſet: vt Græcè etiam carmina elegantiſſimè conderet. ibid.
Patauij aggregatus Academicis fuit: Alphraganum publicè interpretatus eſt: cuiuſmodi prius orationem habuerit. ibid.
Venetiis quæ varia opera conſcripſerit. ibid.
Regreſſus Romam, quem priùs Amicum, infenſum poſteriùs habuit Trapezuntium, ob eius errores in Ptolemæi, & Theonis interpretatione detectos. 527
Plureis adhuc libros coëmit, & exſcribit. ibid. Reuertitur Viennam. ibid.
A Rege Hungariæ Mathia munificè inuitatur: quæſitis ab illo Codicibus Græcis potiſſimùm allicitur: quanti à Rege factus: qua arte ſanitatem illi reſtituerit. ibid.
Quibus ab eo fuerit muneribus donatus: quibus ab Archiepiſcopo Strigonenſi, cuius hortatu Tabulas directionum condidit, ibid.
Qua occaſione ex Hungaria diſceſſerit. ibid,
Quibus de cauſis Norimbergam ſibi ſedem delegerit. ibid. Vt ibi exceptus, & à Bernardo VValthero præſertim, ibid.
Quæ ad obſeruandum inſtrumenta, miniſtrante illo neceſſarios ſumptus, apparauerit. ibid. & 528 Vt proinde Aſtronomiæ ſtudium, quo ille ardebat, fouerit, 528
Vt cætera inter celebrem Cometam obſeruârit, deſcripſerit. ibid. & ſeqq.
Quale Typographeïon habuerit, 527
Quæ imprimis duo opera aliena. 529
Quæ duo propria mandârit typis. ibid.
Index librorum ac præſertim Græcorum, quos deſtinârat edere. 530
Index propriorum Operum, quæ etiam edere deſtinarat. 530.531
Quo ſtudio perficiendi artem Typographicam teneretur; quid magni de ſe ea in re ſperaret. 531
Qualia automata aut perfecit ipſe, aut vt perficerentur occaſioni fuit. ibid.
Occaſione Ephemeridum à Regiomontano editarum fama eius magis adhuc inclareſcit. ibid, Euocatur Romam à ſummo Pontifice ad Calendarium reformandum: deſignatur interCà Epiſcopus Ratiſponenſis. ibid. Concedit Romam; at non toto anno eſt illeic ſuperſtes. 532
Alij veneno, arte filiorum Trapezuntij, alij peſte ſublatum dicunt. 532
Regiomontanus anno 1476. ac ſolùm quidem quadragenarius moritur: in Pantheone ſepelitur. ibid.
Quale Norimbergæ eius deſiderium. 529
Quæ fata illius librorum manſerint; quos Ioannes Schonerus edi procurârit. ibid.
Quos alij. 533
Aliquot de ipſo Elogia: Pauli Iouij. 532
Petri Rami. 530
Brunonis Seleri. 531.532. Latami. ibid.
Philippi Melanchthonis. 532
Ioannis Schoneri. ibid.
Ioachimi Camerarij. 533
Tychonis Brahei. 534
Danielis Santbechij. ibid,
Ioannes Schonerus Profeſſor Norimbergenſis, quando natus, quando mortuus. 534
LXX. annos exquiſitè compleuit. ibid.
Quo ſtudio reliquias operum Regiomontani ſeruauerit, ediderit. 532.533
Ipſe eſt, ad quem Rheticus narrationem

primam

primam de Copernico ſcripſit. 507. & ſeqq.
Quanta veneratione Illum proſequutus Rheticos fuerit. ibid.
Ioannes Stadius Ephemeridas ex Prutenicis Tabulis deduxit. 515
Tabulas vocatas Bergenſes Pruteoleis faciliores, ex iiſdem Copernici fontibus deduait, ac rurſus ex ipſis Ephemeridas condidit. ibid.
Ioaones Stoflerus Ephemeridas ex Tabulis Alphonſinis deduxit. 514
Ioannes Strigonenſis Archiepiſcopus Hungariæ primarius, Peurbachij Amicus: dicauit ipſi Peurbachius tractatum de Quadrato Geometrico. 520
Regiomontanus Tabulas directionum. 527
Cauſa fuit euocationis Regiomontani in Hungariam. ibid.
Variis muneribus eum donauit. ibid.
Ioannes Varadienſis Epiſcopus cordatiſſimus Peurbacij Amicus. 521
Dicat ipſi Regiomontanus Tabulas Eclipſeon Peorbachij. ibid.
Iouis quatuor Lunæ aſſeclæ, vt Terræ vna. 504
Ioannes Hannonius VVarmienſis Canonicus Regulas Ptolemaïcas Copernici ad Tychonem mittit. 513

L

LActantius eos ridet, qui Terræ formam globoſam tribuunt. 510
Ladiſlaus Hungariæ Rex Peurbachium ſibi in Aſtronomum deligit, ipsúmque inuitat. 519
Laurentius Eichſtadius Ephemeridas poſt Keplerum continuauit. 515
Lucas VVatzelrodius Copernici auunculus, Epiſcopus VVarmienſis. 499
Ob cauſam Reipublicæ defenſam à Teutonicis Equitibus libello impetitus. ibid.
Lunæ Phaſes, eiúſque, & Solis Eclipſes, cur non ſecus fieri in opinione Copernici, quàm in communi appareant. 503
Luſitaniæ Rex commutationem aromatum fieri cum mercatoribus, niſi argento puro, miniméque ſignato non paſſus. 500

M

MArtiani Capellæ, & Ægyptiorum opinio de circumductis ſupra, ac infra Solem Mercurio, ac Venere. 501.503
Martinus Cromerus VVarmienſis Epiſcopus Tabulam marmoream cum Epitaphio Copernici ſepulchro impoſuit. 513
Martis Stella à Peurbachio, & Regiomontano obſeruata duobus gradibus extra locum iudicatum ab Alphonſinis Tabulis. 528
Cur aliquando tanta appareat, vt Iouis magnitudinem æmuletur. 504
Matthias Hunniades Coruinus Rex Hungariæ Regiomontanum munificè inuitat. 526
Græcos codices vndequaque à direptione Conſtantinopoleos, & Athenarum corrogat; inſignem ex iis Bibliothecam inſtituit. ibid.
Quanti Regiomontanum fecerit; vt illius ope conualuerit; vt muneribus cumulatum dimiſerit. ibid.
Vt illum ob dicatas ſibi Ephemeridas, 800. aureis Hungaricis donârit. 530
Occaſione Regni Bohemici bellum geſſit. 527
Mercurij Stella ob quas cauſas à Copernico non obſeruata. 502
Quorum obſeruationibus ſuarum defectum ſuppleuerit. 502.534
Michaël Mæſtlinus elicit ex Prutenicis Tabulis Planetarum à Terra, & Solé diſtantias; itémque magnitudinem Terræ, Lunæ, ac Solis. 514
Ephemeridas condidit. 515
Mundi partium ſymmetriam, à Philoſophia non inuentam, à Copernico diſquiſitam. 500
Eam ſe inueniſſe, & quam opinetur. 501

N

NIcetas cenſuit Terram in centro Mundi exſiſtentem, dietim circumgyrari. 501
Nicolaus Copernicus naſcitur Torunnæ, anno 1473. 499
Eius Parentes, Frater, Auunculus. ibid.
Studia humaniora, Philoſophica, Medica, Mathematica. ibid.
Condiſcipuli, æmulique. ibid.
Copernicus Regiomontani æmulus; Medicus Doctor; eximius Pictor; pinxit ſeipſum ad ſpeculum. ibid.
Anno ætatis 23. proficiſcitur in Italiam; Bononiæ teſtis, & adiutor obſeruationum Dominici Mariæ; obſeruat occultationem Palilicij à Luna, anno 1497. ibid.
Romæ Matheſin publicè docet: obſeruat ibi Eclipſin Lunæ anno 1500. 500
Redux in Patriam, donatur Canonicatu in Eccleſia VVarmienſi ab Auunculo Epiſcopo. ibid.
Quàm piè ſe in eo geſſerit. ibid.
Vt nomine Collegij Prutenicis Comitiis Legatus intercesſerit, quid in ipſis egerit. ibid.
Vt ſeu generalis Vicarius, ſeu bonorum Epiſcopatus adminiſtrator, bona Eccleſiaſtica conſtanter, intrepidéque vindicauerit. ibid.
Quibus inſtrumentis, & quàm varia obſeruauerit. 501.502
Quid illum ad excogitandum nouum Syſtema induxerit. 501
Quæ aliena præcipuè ſpectârit. ibid.
Cur ex Pythagoricis attributum Philolao præſertim arripuerit. ibid.
Cur Solem pro centro omnium Planetarum habuerit. 503
Cur Terræ potiùs, quàm Soli, aut Stellis Fixis motum attribuerit. 502.503
Quid ad obiecta aduerſus motum Terræ attributum reſponderit. ibid.
Schema, quo repræſentauit ſuam Hypotheſin, ſeu Syſtema, vel diſpoſitionem partium Mundi. ibid.
Eius declaratio. ibid. & 504
Ortus, occaſus, Solis, cæteráque ſic nominat (ſubintelligendo apparenter) vt communis opinio. 504
Aggreſſus eſt Reuolutionum opus circiter anno 1507. 508

Abſoluit circiter anno 1507. 505
Abſoluit circiter anno 1630. 506
Id quinquennio poſt adhuc expoliebat. ibid.
Reſtitutioni mutuum Solis, ac Lunæ incubuit præſertim ab anno 1516. occaſione reformationis Calendarij in Lateranenſi Concilio agitatæ, & de qua ad eum ſcriptum ab Epiſcopo Sempronienſi, qui illi negotio præerat, ibid. & 510
Qui deinceps reformationi Calendarij incubuerunt, ipſius laboribus vſi. 506
Quantum commendatus à Clauio. ibid.
Quantum ad operis editionem ſollicitatus à Cardinali Schombergio. 507
Cur eam tamdiu diſtulerit. 508
Quibus rationibus Tidemmanos Gyſius Epiſcopus Culmenſis ad eam eohortatus ipſum fuerit. ibid.
Quibus ſe ille tutatus fuerit. ibid.
Quibus tandem Epiſcopus ipſum ad dedendum manus compulerit. 509
Copernicus Opus ſuum Summo Pontifici Paulo III. dicat; rationem ſcriptionis, editioniſque fusè declarat; præcipuáque eſt, quod labores ſuos futuros non inutileis Reipublicæ Eccleſiaſticæ auguretur. 509.510
Committit Opus Gyſio; Gyſius mittit ad Rheticum; hic editionem curat Norimbergæ ſub inſpectione Andreæ Oſiandri. 510
Copernicus ſanguinis profluuio, & paralyſi ad dextrum latus corripitur: exemplum editi Operis ad illum affertur, verùm iam morientem. ibid.
Moritur anno 1543. tribus menſibus ſeptuagenario maior. 511
Sepelitur in VVarmienſi Eccleſia. 513
Eius Epitaphium à Cromero Epiſcopo poſitum. ibid.
Cara eiùs memoria VVarmienſibus Canonicis, ibid.
Copernici effigies qualis. 511
Carmen de illa Nicodemi Friſchlini. ibid.
Aliud de ea, quam ipſe ſua manu pinxiſſe dicitur, ipſius Tychonis. ibid.
Itémque aliud eiuſdem. ibid.
Copernici ſtudia. ibid.
Peritia multiplex, etiam humaniorum literarum, & Phyſicarum rerum, ibid.
Habitús in Medicina alter Æſculapius, ob fœlicitatem curandi pauperes. ibid.
Eiuſdem mores. ibid.
Quàm bonus vir; cur habitus auſterior. ibid.
Quàm amaret ſeria: vir antiquæ probitatis, ac fidei; à recto tramite indeflexus. ibid.
Vt nihil curârit comœdiam aduerſus ſe exhibitam. 512
Nouâ incedens viâ, non nouitatis tamen, aut vanæ gloriæ ſtudio fecit. ibid.
Vt exquiſitiones ſuas mediocreis eſſe, non nimias voluerit. ibid.
Copernici opus penè poſthumum quomodo exceptum. 514. Nullum celebrius. 511.515
Viget in eo ſemper opinio de motu Telluris. ibid. Familiam ducit. ibid.
Decreto tamen Sacræ Cardinalium congregationis improbata. ibid.
Quibus rebus excogitandis, de quibus Copernicus non cogitârit, occaſionem fecerit. 515.516
De Copernico Elogia; Clauij. 506
Friſchlinij. 512
Gaſſari. 508
Gyſij Epiſcopi. 509. & ſeqq.
Herbenſtreitti. 502. Kepleri. 515
Oſiandri. 510. Rami. 514
Rhetici. 507. & ſeqq. & 512. & ſeqq.
Schombergij Cardinalis. 507
Scrobcouicij. 514
Seidelij. ibid. Stadij. 515
Tychonis. 511.513
Sorauij. ibid.
Nicolaus de Cuſa Cardinalis, Legatus per Germaniam. 518
Habere Peurbachium domeſticum optauit. ibid.
Suum de Quadratura circuli librum ad eum miſit. 523
Nicolaus Schombergius Cardinalis, Copernici virtutem mirificè commendat; vt lucubrationes ſuas in lucem edat, ſollicitat; ſaltem vt ſibi illas exſcribi patiatur, vehementer rogat. 507
Eius commendatio à Copernico. 509
Norimberga Opifices præſtantiſſimos alit. 527
Qua Poli altitudine ſit. 528
Quantum illi gloriæ à Regiomontano acceſſerit. 531.532.533

O

OBſeruationes Copernici variæ. 499.502
Peurbachij, Regiomontani, VValtheri. 523.526
Operis Copernici ſex libri. 502
Argumentum ſingulorum. ibid.
Opus non magnum, ſed memoratiſſimum. ibid.
Opera Peurbachij varia. 521. & ſeqq.
Operum Regiomontani Index. 530
Orbis magnus à Terra motu annuo deſcriptus, puncti inſtar reſpectu orbis Fixarum, ob immenſam diſtantiam; & quæ ſaluet Phænomena. 503.504
Organa Aſtronomica, quibus Copernicus vſus. 501
A Peurbachio confecta, & deſcripta. 520
A Regiomontano, & VValthero. 527.528

P

PAlilicij, ſeu Aldebaran occultatio à Luna. 499
Paſchatis occaſione, quid Iudæi Beſſarioni, & Regiomontano obiecerint. 526
Patauina Academia Doctoribus ſuis Regiomontanum allegit. ibid.
Paulus Middelburgenſis, Epiſcopus ForoSempronienſis à Concilio Lateranenſi præfectus negotio, reformationis Calendarij, Copernicum conſulit, & ſuam operam vt conferat, hortatur. 505.506
Petrus Pitatus Ephemeridas ex Alphonſinis Tabulis deduxit. 514
Petrus Ramus de Copernico. ibid.
Optauit Aſtronomiam tradi ſine hypotheſibus poſſe. ibid.
Norimbergæ occaſione, Regiomontanum commendat. 531

Typographiæ

Typographiæ inuentionem illi deferr. ibid.
Petrus Nonius ſcripſit in Theoricas Peurbachij. 521
Peurbachius, vide Georgius.
Philolaus cenſuit Terram circa Solem in centro Mundi exiſtentem moueri. 501
Planetæ, cur magnitudine creſcere, decreſcentéque appareant. 503. 504
Eorum diſtantiæ elicitæ à Mæſtlino ex Tabulis Prutenicis, & ad mentem Copernici; itémque magnitudines Terræ, Lunæ, ac Solis. 514
Planetarum Stationes, Retrogradationes, eorúmque circumſtātiæ quàm egregiè ſaluentur, explicentúrque in opinione Copernici. 505. Eorumdem viæ Ellipticæ. 515
Poli altitudinem in eodem loco variari, Dominici Mariæ ſententia. 499
Poli altitudo in opinione Copernici, quare Terrâ per Zodiacum tranſlata, non varietur. 504
Prutenicæ Tabulæ ex Copernici fontibus deductæ. 514
Prutenorum Comitia habita Grudenti, quibus interfuit Copernicus. 500
Actum in ipſis de Monetæ valore. ibid.
Quid Copernicus præſtiterit. ibid.
Pythagoreorum aliqui mouerunt Terram in centro Mundi exſiſtentem circa ſuum axem; alij Solem in centro habentes mouerunt ipſam circa Solem. 501

Q

QVadraturæ circuli forma duplex, quam ſe inueniſſe Cardinalis Cuſanus putauit. 523. & ſeq.
Eam refutauit Regiomontanus. 527

R

REgiomontanus. Vide Ioannes Mullerus.

S

SInubus, & Chordis agunt, conficiuntque Tabulas Peurbachius, Regiomontanus, Io. Fuſor. 520
Siatus IV. Pontifex Maximus Regiomontanum Romam Calendarij reformandi occaſione acceſſit. 531
Sol apparenter Zodiacum percurrit, & Terra reipsà. 504. Circa ſuum axem circumuolutus, emiſſis ſpeciebus, Planetas ſibi circumducit. 515. In medio Mundi conſtitutus vt cœli lucerna, & quaſi viſibilis Deus, Planetarum familiam regit. 504

T

TAbulæ Eclipſeon, inter cæteras, à Peurbachio conditæ. 521
Tabulæ Aſtronomicæ, Vide Alphonſinæ, Bergenſes, Prutenicæ, &c.
Terræ attributi tres motus, diurnus, annuus, & inclinationis: quales ij ſint, & quæ Phænomena per ſingulos ſaluentur. 504
Teutonici Equites quid in Epiſcopum VVarmienſem moliti. 499
Quid in Copernicum. ibid.
Thaddæus Hagecius de obſeruatione Cometæ Regiomontani aliquid. 529
Thematis cœleſtis erigendi modus Rationalis dictus, Regiomontani proprius. 535
Theodorus Gaza Ferrariæ à Regiomontano conuenitur. 526
Theoricæ nouæ à Peurbachio qua occaſione conditæ. 517. Qui in illas commentaria ediderint. 521. Quanti Reinholdus ſpeciatim illas fecerit. 522
Tidemannus Gyſius Epiſcopus Culmenſis, ſingularis Copernici amicus, ipſum ac Rheticum rus inuitat. 507. Copernicum ad ſui operis editionem ſollicitat. 509
Renutantem tandem peruincit. ibid.
Obtinet autographum, ac interuentu Rhetici edi id procurat. 510. Copernici morbum, mortémque Rhetico renuntiat. ibid.
Eruditionem illius deſcribit. 512
Vt à Rhetico commendetur. 509
A Copernico. ibid.
Tycho Brahe acceptis Copernici Regulis, carmina veluti quodam enthuſiaſmo fudit. 451. 515
Eiuſdem de Copernico carmina, & Elogia plura. 511. 513
Itémque de Peurbachio, & Regiomontano. 534
Typographiæ ars quando, vbi, à quo inuenta. 531. Eius inuentorem Regiomontanum Ramus facit. ibid.
Niſi Regiomontanus eam primus inuenit, ſaltem de ea perficienda ſublime aliquid cogitauit. ibid.

V

VApōrum altitudo obſeruata à Regiomontano. 529
Vapouius Cantor Cracouienſis, Copernici condiſcipulus, & per vitam amicus. 499
Scripſit ad illum Copernicus Epiſtolam de motu Octauæ Sphæræ. 512
VVarmienſis Eccleſiæ, in qua Copernicus vixit Canonicus, ſitus. 499
Viennenſis Auſtriæ Academia Profeſſores habuit Peurbachium. 519
Regiomontanum. 526

F I N I S.

SVIS RESTITVENDA LOCIS.

P*Agina* 6. *verſu* 8. *lege* Παμφίλε. *v.*17. *lege* Πλάτωνος. *pag.*7. *v.*27. *lege* ἔτι. *v.*33. *lege* Πολυαίνε. *v.*50. *lege* Ποσιδώνιος. *pag.*42. *v.*21. *lege* συμφωνίας. *pag.*121. *v.*22. *lege* cui. *pag.*132. *v.*32. *lege voluptate. pag.*183. *v.*6. *lege* ὑμῶν. *v.*7. *lege* item. *v.*13. *lege* item. *v.*20. *lege* ὑμῶν. *v.*32. *lege* ὑμετέρας. *v.*37. *lege* ὑμῖν. *pag.*240. *v.*42. *lege* Mecænatem. *pag.*241. *v.*35. *lege* colotibus. *pag.*242. *v.*17. *lege* erga omneis literatos munificentia. *pag.*478. *v.*48. *lege* fortiſque.

1874